Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Historicum opus, in quatuor tomos diuisum: : quorum, tomus I, Germaniae antiquae illustrationem continet, in qua veterum autorum descriptiones, tam generales, qua?m speciales, cum doctissimorum virorum, nostrae aetatis, elaboratis commentarijs, explicantur, omissae ab antiquis recentiorum studio & industria supplentur : praecipuae historiae Germaniae antiqu[a]e & nouae describuntur, Populorum migrationes indicantur, Regionumq?[ue] ac Gentium appellationes recentes veteribus accommodantur, & aliae qua?mplurimae res liberali cognitione dignissimae, continentur : tomus II, compraehendit ea, quae sub Imperio Caroli V. Caesaris, in diuersis locis ac regionibus acciderunt, usq[ue] ad inaugurationem Ferdinandi I. Caesaris, una? cum resignatione Imperij Romani, a? Carolo V. facta : tomus III, historias complectitur, qu[a]e uenerunt in gubernationem Ferdinandi I. huius nominis, Imp. una? cum epitoma rerum gestarum, in uarijs orbis terrarum partibus, a? confirmatione eiusdem Caesaris, uidelicet ab anno Domini MDLVIII usque ad finem anni MDLXIIII : tomus IIII, res gestas in se continet, qu[a]e incurrerunt in Maximiliani II. C[a]es. Imperiu[m], una? cu[m] epitoma rerum, quae sub eode[m] C[a]esare, ab anno D[omi]ni MDLXV usq[ue] ad annum MDLXXIIII uarijs in orbis terrarum plagis peractae sunt : Germanicarum non solu?m reru[m], sed & uniuersis historiae ac antiquitatis studiosis, ut plurimum profuturum, a? uiro quodam erudito, & in historiarum lectione cum primis exercitato, (cuius in duorum posteriorum tomoru[m] praefationibus mentio fit) magno labore & studio collectum, & iampridem ad cognitionem

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

HISTORICUM OPUS.


Tom. 3. * .

C. AUGUSTINI

Curionis

Saracenica Historia.

S. fol.
354



100



Historia Gentium.
Folio No. 354.

S. fo. 354.

HISTORICVM OPVS, IN QVATVOR TOMOS DIVISVM: QVORVM,

TOMVS I,

GERMANIAE ANTIQVAE ILLVSTRATIONEM CONTINET, IN QVA VETERVM AVTORVM DESCRIPTIONES, TAM GENERALES, quàm ſpeciales, cum doctiſsimorum virorum, noſtræ ætatis, elaboratis commentarijs, explicantur, omiſſæ ab antiquis recentiorum ſtudio & induſtria ſupplentur: præcipuæ hiſtoriæ Germaniæ antiquę & nouæ deſcribuntur: Populorum migrationes indicantur: Regionumq; ac Gentium appellationes recentes veteribus accommodantur: & aliæ quàmplurimæ res liberali cognitione digniſsimæ, continentur.

TOMVS II,

COMPRAEHENDIT ea, quæ ſub Imperio CAROLI V. Cæſaris, in diuerſis locis ac Regionibus acciderunt, uſq; ad inauguration̄em FERDINANDI I. Cæſaris: unà cum reſignatione Imperij Romani, à CAROLO V. facta.

TOMVS III,

HISTORIAS complectitur, quę uenerunt in Gubernationem FERDINANDI I. huius nominis, Imp. unà cum Epitoma rerum geſtarum, in uarijs orbis terrarum partibus, à confirmatione eiuſdem Cæſaris, uidelicet ab anno Domini M. D. LVIII. uſque ad finem anni M. D. LXIIII.

TOMVS IIII,

RES geſtas in ſe continet, quę incurrerunt in MAXIMILIANI II. Cęſ. Imperiū: unà cū Epitoma rerum, quæ ſub eodē Cęſare, ab anno Dñi M. D. LXV. uſq; ad annum M. D. LXXIIII. uarijs in orbis terrarum plagis peractæ ſunt.

GERMANICARVM *non ſolùm rerū, ſed & uniuerſis hiſtoriæ ac antiquitatis ſtudioſis, ut plurimum profuturum, à uiro quodam erudito, & in hiſtoriarum lectione cum primis exercitato, (cuius in duorum poſteriorum Tomorū Præfationibus mentio fit.) magno labore & ſtudio collectum, & iampridem ad cognitionem hiſtoriarum in publicum æditum.*

EX QVIBVS AVTEM,

ID deſumptum ac confectum ſit, Catalogus ſingulis Tomis præpoſitus Lectori indicabit: in quo ſcriptores ea ſerie, qua in quaque parte collocati ſunt, paucis recenſentur, adiectis paginarum numeris, quibus earum initia notantur.

HISQVE,

Singulis quatuor Tomis Indicem locupletiſsimum, deſcriptionum, Locorum, Ciuitatum, Montium, rerumq; geſtarum, notatu digniſsimarum, adiecimus.

BASILEÆ. ad 1574

Ex Donatione Hub. à Burchel.

ACADEMIA BIBLIOTHECA

AD LECTOREM, in Tomum Primum, Præfatio.



VM in omni diſciplinarum genere, tum in hiſtoriis legendis utile eſt: quæ diſperſa & ſegregata hinc inde de eadem materia à diuerſis authoribus ſcripta ſunt, ea undiq; congregata cõiungere, & in unum quaſi corpus cogere. Itaque licet uir quidam doctus & hiſtoriarum ſtudio admodum deditus, pro eo munere quod geſsit, magnis multisq; occupationibus diſtineretur: tamen ſubſciſiuis horis & generales & ſpeciales de Germaniæ & Nouę, & Veteris ſitu, Moribus, Populis, atq; Regionibus deſcriptiones quaſdam ex multis & uariis, tum uetuſtis, tum ſuperioris ætatis, noſtrąque memoriæ authoribus collectas in unum uolumẽ retulit. Quo autem conſilio huiuſmodi deſcriptionibus primum locum huius Operis tribuerit: non eſt, quod Lector admodum ſit ſollicitus: Nec offendi magnopere debet, ſi fortaſſe non accuratam rationem, uel in congerendo, uel in diſponendo adhibitã eſſe, in hoc Tomo I. intellexerit. Id igitur potiùs humanus Lector ſpectet, multorum diuerſorum authorum uaria opuſcula eiuſdem ferè generis ſub unam ueluti claſſem redacta eſſe, quæ nec paſsim in Bibliothecis extent, nec ubique ſint etiam in celebribus Bibliopolis uenalia. Hac de cauſa etiam Chronicon illud monachi cuiuſdam Herueldenſis, quod præcipuè ad uitam & res geſtas Henrici IIII. pertinet, licet cum argumento huius Tomi non congruat, tamen quia ante paucis uiſum eſt, ei eſt inſertum. Quòd ſi iam hunc

Præfatio.

laborem Lector boni consuluerit: curabitur, ut in quibus uel iudicium, uel ordo desiderari potest, ea omnia temporis progressu emendentur & perficiantur, qua in re uir quidam eruditus & magna historiarum cognitione præditus, Typographo operam studiumqúe suum promisit. Bene Vale. Calendis Augusti anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quarto.

Authorum

Authorum, Tractatuum, & Librorum Catalogus, in hoc Primo Tomo contentorum; qui eo ordine hic enumerantur, quo in hunc Primum Tomum, sunt relati.



NDREAE Althameri in libellum P. Cornelij Taciti, de situ, moribus & Populis Germaniæ, Scholia. pagina prima

Iodoci Vuillichij in eundem Cornelij Tacitj libellum commentaria. pag. 73

Henrici Glariani in eundem libellum commentariolus, uetera eius uocabula paucis explicans. pagina 179

Philippus Melanthon de uocabulis Regionum & Gentium quæ recensentur à Tacito. pag. 193

Germaniæ ex uarijs scriptoribus breuis explicatio, Bilibaldi Pirckeimeri. pagin. 200

Henrici Bebelij oratio ad Maximilianum I. Cæsarem, de eius atque Germaniæ laudibus. pag. 221

Eiusdem Carmina & Epistolę quædam. pag. 235. 236. 237

Demonstratio eiusdem Germanos esse indigenas. pag. 238

Apologia eiusdem pro defensione Imperatorum contra Leonhartum Iustinianum, & alios qui nomen Imperatoris extenuant, & coronationem eorundem deciderit. pag. 242

Idem Imperatorem Christianum iure Christianissimum esse dicendum. pagin. 254

Idem de laude, antiquitate, Imperio, uictorijs, rebusq; gestis ueterum Germanorum. pag. 256

Idem de laude Sueuorum & Vdalrici Ducis Vuirtenbergensis, &c. & de proditione & captiuitate Ducis Mediolanensis, &c. pag. 287

De origine Francorum Trittenhemius ex sex libris Vuasthaldi de introitu Siccambrorum, ad partes Rheni in Germaniã, & sex Hunibaldi de Francis, deduxit autem Epitomen usque ad Imperium Arnulphi Cæsaris. pagina 301

Epitoma Germanicarum rerum, Iacobi Vuympheling ij. pag. 349

Sermones Conuiuales Conradi Peutingeri ad illustrationem Germaniæ pertinentes. pag. 401

Catalogus.

Vlrici Hutteni Arminius Dialogus, de laude Germanorum. pag. 425
Libertas Germaniæ, &c. scripta ab Hieronymo Gebuuilerio, de origine Francorum eorumq; Regibus, quos Germanos fuisse, ut & Ciuitates & Populos, Transrhenanam ripam incolentes probat: Idem de laude Imperatorum Germanorum. pag. 433
Conradi Celtis de situ & moribus Germaniæ. pag. 445
Aeneæ Syluij Germania, in qua Vrbes, Ciuitates, Ecclesias, Episcopatus, Principatus, & Nobilissimas familias Germanorum, describit. pag. 449
Germaniæ uniuersalis & particularis, ueteris & nouæ descriptio, per Sebastianum Munsterum, pro Tabula Nicolai Cusæ intelligenda, cum Canone eiusdem Tabulæ. pag. 467
Historia Georgij Spalatini de Arminio Germanorum Duce contra Romanos, de Germanico in Latinum conuersa, à Petro Keulero. pag. 501
Priscæ ac ueræ Alpinæ Rhætiæ cum cætero Alpinarum Gentium tractu, authore Aegidio Schudo descriptio. pag. 519
Eiusdem Epistola ad Beatum Rhenanum de Lentiensium, Germanorũ, Augustæ Vindelicorum, Octodori Veragrorum, Equestris Colonię nomine & situ, cum explicatione nominum aliorum quorundã in Germania locorum. pag. 577
Iohannis Heroldi commentarius de Romanorum in Rhetia littorali stationibus, ac exijs de Vicorum, Municipiorum & Villarum, &c. originibus. pagin. 585
Heluetiæ descriptio, authore Henrico Glareano, cum commentario Osualdi Molitoris Lucerini. pag. 598
Eiusdem Glareani Panegyricon, in laudem 4. Pagorum & tredecim Vrbium Heluetiorum, cum eiusdem Molitoris commentario. pag. 618
Huberti Thomę Leodij de Tungris & Eburonibus, alijsq; inferioris Germaniæ populis commentarius. pag. 637
Petri Diuæi Louanienſis, de Galliæ Belgicæ antiquitatibus, statum eius, quem sub Romanorum Imperio habuit complectens. pag. 668
Monachi cuiusdam Herueldensis Chronicon, in quo initio ferè à Carolo Magno facto, paucis res gestas Imperatorum Germanorum, & quæ alioquin in Imperio acciderint, perstringit, usque ad Henricum IIII. cuius uitam & res memorabiles pace belloq; gestas usq; ad Electionem Rudolphi Ducis Sueuiæ, qui Henrico fuit instinctu Pontificis substitutus, pluribus persequitur. pag. 694
De nominibus proprijs Germanorum opusculum studiosi antiquitatis. pag. 816.

IN TOMVM PRIMVM THESAVRI HISTORIARVM, REGIONVM, LOCORVM, MONTIVM, SALTVVM, FLVVIORVM, CIVITATVM, OMNIVMQVE RERVM *memorabilium ac geſtarum: item Auctorum & Commendatorum, quorum ſuffragia & opiniones de qualibet re alligantur, Locupletiſſimus*

INDEX.

A

Abbatis Cellæ laus & deſcriptio Hen. Glarian. 630
abbatis Cella alij uolũt Alpiũ Cella. Hen. Glar. 613
Abbates in Germania. Aen. Syluius 459
abdiramus Hiſpaniæ rex. Trittẽhemius 339
abgazari. Bilibald. 214
abgazelli. Bilibaldus. ibidem
abila mons Mauritaniæ. Munſt. 495
abiſontes. Aegi. Tſch. 553 Aeg. Tſch. 564
abnobus mons. Vuillich. 138
abnobi mõtes uaria habent nomina. Bilibaldus 215
abraham quando natus. Vuillichius 81
abudiacum Danubianum. Bilibald. Birck. 202. Bilibaldus Birck. ibidem
abuſiacum. Bilibaldus Birck. 201
abuſina. Bilibaldus 202
abyla. Alth. 47
abyſſus. Hen. Glar. 618
achaiã domuit Alexander Magnus. Vuymphemius 353
achilles Theutonicus. Aen. Syl. 461
acies. Alth. 24
aciẽ inſtructio. Alth. 16
acronius lacus. Aegidi. Tſch. 581
aczephalorum hæreſis abdicatur 697
adelbero dux & epiſcopus Francorum. Trittenhemius 324
adelgiſus comes Palatinus. Trittenhemius 337
adelmanno 817
adem. Bilibaldus 220
adoaldus rex Longobard. 820
adogit inſula. Alth. 67
adologarius Germanorum rex. Vuillich. 84
adolphi etymon 816
adolphi de Naſſou Roman. regis uita & geſta. Vuymph. 378
adranus flumen. Bilibaldus 206
adriusmõs. Munſt. 486 mons. Munſt. 495
adrianopolitanum imperatorem ſe nominauit Turca. Munſt. 491
adrianus papa inuocat Caroli Magni opẽ aduerſus Longobardos. Trittenhemius 345. Trittenhemius ibid.
adriaticus ſinus. Mũſt. 495
adriaticũ mare. Vuym. 376 mare unde dictum ſit. Munſt. 486
adria oppidũ. Mũſt. 495
aduatucũ urbs. Alth. 10
aduaticorum ſedes. Diuæus 678
aduaticos Brabãtiæ populos fuiſſe. Hub. Th. 652 Cymbrorum originem eſſe. Pet. Diuæus 677
adula mons. Aeg. Tſch. 544
adulæ monti uaria nomina Aeg. Tſch. 557
adulterium apud Germanos rarum. Alth. 31
adulterij pœna. Alth. ibid. pœna. Trittenhemius 304
adulteria rara apud Germanos. Vuillich. 117 ubi punita ubique impunita. Vuillich. 118
adya mons nunc Adula. Hen. Glareanus 183
ædificia Germaniæ ueteris. Alth. 26
ægei maris inſulæ. Munſterus 489
ægidius Romanus quã diu regnauit 3. Trittenhemius. 329 Tſchudus de Alpinis gentibus 519 ſanctus Abbas quo tempore uixerit. Trittenh. 323
ægimerus rex. Alth. 62
ægra fuit Nariſcorum. Ph. M. 197
ægræ fluuij fons. Bilibaldus 269
ægyptiacus magiſtratus. Vuillichius 84
ælius Spartianus. Aegi. Tſch. 521
æmatij. Vuillichius 77

æneas

æneas Syluius de Germania. Alth. fol. 1
æneę Syluij Germania. Aen. Syl. 449
æneæ ſcutũ. Vuill. 94
æni & Danubij confluentia. Bilibald. Birck. 202
æni & Atheſis fluminũ ortus. Aeg. Tſch. 536
æquator. Munſt. 497
æris fodinæ apud Saranetes. Aeg. Tſch. 548
æſtui. Hub. Th. 666
æſtas feruoris maximi 705
æſtij, Vuillic. 154
ætatum ſeries Monachus Heruelden ſis 694. & 695
æthiopum ſepultura. Vuillich. 135
ætolia folia. Bilibaldus 219. à Turcis capta. Munſterus 490
ætuariorum regio. Aeg. Tſch. 545
affinitates. Alth. 34
agathias Græcus. Aeg. Tſch. 521
agaunum S. Mauritzẽ. Aeg. Tſch. 585. S. Mauritius. Aegidius. Tſch. 565
ager ſtrigatus & ſcammatus. Vuillich. 134
agilwardus præſul & dux Francorum. Trittenhemius 323
agis Atheniẽſium dux quanto pere fœnus exoſum habuerit 133
agonia uallis. Aegid. Tſch. 560
agones populi, Vgonia. Aegid. 584
agonum ædes. Aegid. Tſch. 560
agra flumen. Sebaſtian. Munſterus 474
agri occupatorij. Vuillich. 134
agrorum mutandorum uiciſſitudo. Vuill. 133
agrippina Alth. 2. Alth. 42. unde dicta. Vuillichius 141
agrippinam metropolim in Ger. eſſe. Vuymphelingius 349
agrippinenſis Colonia Bilibaldus 204
agtſtein. Vuillich. 170
aichſtatum urbs. Aen. Syl. 457
ἄλλα ſplendidiſsimæ. Vuillich. 161
alambater. Bilibald. 220
alani. Vuillich. 77. ſarmatę. Bilibaldus 211
alanorũ habitationes. Bilibaldus 212
alba Græca. Bilibal. 203 dicitur etiam Taurunum. Bilibald. 217
albæ Regalis ſitus. Munſt. 494
albania pars Colchis.. Bilibald. 219. Bilibaldus ibid. magna ex parte hoc tẽpore Macedonia eſt. Mũſt. 487
albaniæ montes inhabitare Sclauonicam gẽtem. Bilibaldus. 213
albella fluuius. Vuillichius 79
albertus in Alba Regali coronatus 386 de Homburg præſul & dux. Tritten. 326 Durer pictor Germanus Vuymph. 397 Marchio Brãdenburgenſis. Aen. Syl. 461 Magnus quantus uir fuerit & quo tempore uixerit. Vuymph. 378 Auſtrię Rex Rom. electus in locũ Adolphi. Vuymph. 378
alberti Auſtrij Hungarię Regis geſta. Vuymph. 386 Regis corpus ex Heluetia Spirã portatũ & ſepultum. Vuymph. 379
albiani in Batauia. Diuæus 685
albiburgium. Peut. 415
albion inſula. Alth. 58
albionem dictam quæ hoc tempore Britannia dicitur. Vuillic. 159
albis. Alth. 2 eius fluuij ortus & curſus, & in Oceanũ exitus. Bilibaldus 217
albis fluuij deſcriptio. Alth. 60 fluuij fons Alth. 59 fõs eſt in Hermunduris. Vuillich. 160 oſtium. Vuill. 76 ripa ſeptentrionalis. M. 196
albofnus dux Saxonũ. Vuillich. 157
albrecht quid ſignificet 821
albula mons. Aegid. Tſch. 555
albus Burgus. Bilib. 201
albusburgus. Bilib. 218
alce meretrix. Alth. 64.
alces quales. Munſt. 485
alcibiadis exitus. Ph. M. 198
alcimoens. Bilibald. 201
alcimonis. Aeg. Tſch. 536
alcionoi domus. Vuillich. 115
alcis dea Naharualorũ. Cor. Tacit. 62 numen Germanorũ. Alth. 64
alea qualis ludus. Cor. Tacit. & Alth. 35
aleæ ludus in Germania. Alth. 35
alemanni ſuperantur à Francis. Tritten. 331 à fide Francorum deficiunt 342 unde dicti. Alth. 7
alemannus flumen. Munſt. 493

alepum. Bilibald. 219
alexander Magnus cõtra Germ. nihil potuit. Vuillych. 153 magnus quas domuerit gentes. Vuymph. 353
alexia. Bilibaldus 219
alfonsus quid significet 824
algeu. Alth. 57
algiæ montana. Aegid. Tsch. 549
alisus. Bilibaldus 207
ἄλκη. Alth. 64
ἄλκαρ. Alth. 64
allobroges. Alth. 3 hodie Subaudienses. Bilibald. 219 hodie Sophoÿ dicuntur. Vuillich. 151
alman Idolum. Alth. 10
alman quid significet. Vuillich. 85
almangoia. Aeg. Tsch. 549
almonis fluminis in Danubiũ exitus. Bilib. 218
almonus ubi exeat in Danubiũ. Bilibald. 217
almyl fluuius. Sebast. Munst. 474
alpes Alth. 1 quando primum peruiæ sint factæ. Aegid. Tsch. 558 summæ apud Rhętos ubi incipiant. Aegid. Tsch. 557 summæ à Cæsare appellatę. Hẽ. Glar. 183 undè dictæ. Hẽ. Glar. 609 Graiæ & Pœnę Aeg. Tsch. 531 Pœnę. Hen. Gla. 183
Alpium uaria nomina. Hen. Glar. 183
alpinæ gentes. Alth. 54 gentes octo. Aegid. Tschu. 563.
alpinarum gentium nomina corrupta. Aeg. Tsch. 563 gentium liber. Aeg. Tschudi. 520
alpinus Turca ab Imperatore Sigismundo uictus. Munst. 490
alsatia ad Altam Ger. pertinet. Alth. 2 multa ab Anglis perpessa. Vuymph. 383
Alsatię fertilitas. Vuymph. 399 præcipuę ciuitates. Munst. 492
alsatis imperarin'tne Galli aliquando. Gebuil. 433
alsaticorum ingenia. Vuymph. 400
alsatas Germanos esse. Gebuil. 443
alsetum. Bilibald. 219
alta Germ. quas regnes contineat. Alth. 2
altmola flumẽ. Munst. 493
altmolæ ripæ quæ oppida habeãt. Munst. 494
aluenũ communitas apud Rhætos. Aeg. Tsch. 540
alutas flumen. Bilib. 217
amalachiũ mare. Alth. 67
amalachiũ mare. Vuillich. 166
amandus Tungrorum Episcop. 683 nomen proprium quid significet. 820
amanedori. Bilibal. 217
amasia flumẽ. Bilib. 212 flũmen. Sebast. Mũst. 473
a maxobiÿ. Bilibald. 212
amberga. Ph. M. 297 qualis urbs. Aen. Syl 457
ambia amiens. Bili. 219
ambianis. Tritten. 342
ambiani. Hen. Glar. 181 Germ. fuerunt. Hen. Glar. 181 Cæsari dediti. Diuæus 680. Hub. Th. 666. Peut. 412
ambiorigis ficta oratio. Hub. Th. 640
ambiuariti Cismosani fuisse probantur. Diuæus 684
ambatum. Vuillich. 170
ambra. Vuillich. 170 oppidum, & lacus & fluuius. Bilibaldus 201
ambratia. Bilibal. 219
ambrũ. Aeg. Tsch. 560
amedeus Sabaudiæ dux põtifex Ro. felix uocatus. Vuymph. 384
amen respõdit puer infans dum Baptizaretur. Trittenhemius 337
amergen. Alth. 57
amicitia est æqualitas. Vuillich. 121
amien oppidum. Hub. Th. 666
ampsani. Seb. Mũst. 472
amman unde dictus. Aeg. Tsch. 538
ammianus Marcellinus. Aegid. Tsch. 521 Marcellinus de Germania. Alth. 2
ammiani error de fontibus Rheni. Aegid. Tsch. 541
ammurates tertius Turcarum Imperator. Mũsterus 489
ammuratis septimi Turcarum imperatoris gesta. Munst. 490
anariscos Pãnoniæ populos fuisse. Henricus Glar. 186
anarpi. Bilibald. 208
anassus fluuius. Bilibal. Birck 202
anastasius Persa monachus martyrizatus. Trittenhemius 322
anchisus pater Pippini. Vymphius 361
andeca Sueuorũ Rex. Alth. 55
andegauensis ciuitas. capta. Trittenhem. 330
andernacum. Mũst. 495

andouerpiæ nomen ex ambiuaritis Pet. Diuę us 684
andouerpi ab Eligio cō uersi. Diuæus 684
andouerporū antiquitas. Diuæus ibid.
andranus fluuius. Bilibald. 216
anemophis secundus Rex Aegyptiorum. Vuillich. 84
angliam occupant Romani. Trittenhe. 313 Sueui occuparunt. Alth. 58
anglij. Alth. 58
angra fluuius. Bilib. 206
angræ fluminis cursus. Bilibaldus 216
anglorum linguam magna ex parte Saxonicam esse 817
angria. Vuillich. 146
angriuarij. Alth. 46 Vuillich. 82 ubi habitarint. Vuillich. 146
angriuariorum dux. Bilibaldus Birck. 207
angriuariorum dux. Vuillich. 146 dux 817
anguillæ tricenum pedum longę. Hen. Gla. 609
anhaltensis ditio. Ph. M. 195
anisus fluuius. Sebast. Munst. 747 fluuius per Vuestphaliam fluit. Bilibal. Birck. 208
anna flumen. Bili. 211
annalia Ger. Peut. 407
anne flumen. Bilib. 218
andræas de Gundelfingen pręsul & dux. Trittenhem. 326
ansegisus S. Arnulfi Episcopi Metensis filius. Tritten. 337 Namurci comes. Tritt. 336
ansuarij. Alth. 46
antharius quamdiu regnarit. Tritten. 308
anthenor filius Clodomeri quamdiu regnarit. Tritten. 310 filius Clodij quādiu regnarit. 307
antilipani apud Liuiū Vuillich. 96
antonina oppidum. Diuæus 680
antonius Augustus Aegid. Tsch. 521
antuatius pagus. Aeg. Tsch. 581
antuuerpia. Aen. Syl. 452
ἀορχησία. Vuimph. 123
apianum uinum. Aeg. Tsch. 566
apocopa. Bilibald. 220
apœninus mōs. Vuillichius 138
apollo uerticosus. Vuillich. 160
apolloniaticum bitumen. Vuillich. 171
apollophania urbs. Mūsterus 487
apostolorum coniugia Peut. 405
apuorum insigne apud Efluos. Alth. 68
aquæ colores unde Vuillich. 178 aquarū una collectio. Munst. 495
aquas Gratis unde dixerint. Trittenhe. 333
aquila imperij biceps facta. Munst. 479
aquila defossam Variænæ legionis recuperarunt Romani 515
aquileiensis Historia. Henric. Glar. 183
aquilo uentus unde dictus. Hen. Glar. 606
aquis oppidum. Aeg. Tsch. 581
aquisgranum Germanici regni sedes. Aen. Syl. 452
aquisgranum regia sedes. Peut. 420
aquisgrani fuisse sedem Caroli Magni. Geb. 539
aquisgrani celebrauit comitia imperialia Carolus Magnus. Munster. 480
aquitania. Alth. 3
aquitaniæ fines distincti 182
aquitaniam subegit Carolus Magnus. Peut. 418 Prouinciam Pippinus est assecutus. Tritten. 341 Franci recuperauerūt. Trittenhemius 341
aquitani. Pet. Diuæ. 669
ara flumen rapidissis. Bilibaldus 216
arabia felix. Vuillic. 168
arabia felix. Bilib. 220
arabon flumen. Bili. 217
aræ flauiæ. Bilibaldus gird. 201
aralius rex Assyriorum. Vuillich. 82
aranisci. Alth. 40
aranisci ubi habitarint. Vuillich. 139
arar fluuius oritur in iugis Treuiricis. Bili. 216
arar flumen. Aeg. Tsch. 582 (219
arar nunc Sagona. Bili.
arbona Alth. 5
arbona. oppidum. Aeg. Tsch. 533
arbonæ montes. Aeg. Tsch. 582
arbor felix, Arbō. Aeg. 581
arborici. Diuæus 686
arcadæ. Vuillich. 77
arces sexaginta ædificatæ à Romanis contra Germanos in eo tractu ubi nunc est Basilea 152
arcum & fortaliciorum nomi-

nomina apud Rhætos. Aeg. Tsch. 559
archanes secundus imperator Turcarum. Munst. 489
archentides cereuisia. Vuillichius 129
archicancellarij per Germaniã & per Gallias. Aen. Syl. 458
archiepiscopus Moguntinus in monasteriũ se cessit omnibus relictis 341
archiepiscopi per Germaniam. Aen. Syl. 458
Αρχιναυδρίται Vuill. 110
architectura Germanorum. Vuym. 397
archusiẽsis episcopatus Bilibaldus. Birck. 207
arctoæ gẽtes. Ph. M. 190
arctopolis Berna. Hen. Glar. 620
arctoum mare. Alth. 68
ardua sylua. Vuillic. 139
arduenna hodie dicitur Ardenna. Bilibal. 219
arduenna Galliæ sylua maxima. Hub. Th. 647
arduenna quàm latè pateat. Bilibaldus 216
arduennæ latitudo. Diuæus 690
arduennæ extremæ partes quę fuerint tempore Cęsaris. Diuęus 690
aredata. Bilib. Birck. 202
arelatũ urbs. Munst. 492
arelatense regnum. Munst. 492
arelatense regnum sub Romano imperio esse debet. Peut. 421
arenacum Grinnes. Diuæus 687
arenacum. Diuæus 685
argea regio. Hen. Glar. 617
argentina in Germania est. Vuymph. 349
argentinę urbis magnificentia. Aen. Syl. 452
argentinensis turris altitudo. Aen. Syl. 452
argentinensibus ne imperarint Galli. Gebuil. 433
argentoraria. Bilib. 203
argentoratenses fuerũt Triboci. Ph. M. 195
argentoraci. Alth. 2
argentifodinæ in Germania. Aen. Syl. 457
argẽti uenæ in Mysnia. Ph. M. 197
argentuariũ urbs. Alth. 10
argeum. Alth. 57
aria. Bilibald. 219
arij. Cor. Tacit. 62. Vuillich. 154. feritati innatæ lenocinantur. Alth. 65. populi. Hen. Glar. 189
ariorũ truculentia. Cor. Tacit. 62
ariouistus Germanicè rex Germanorũ erhnuest. Vuillich. 84. quid significet 824. Germanorum rex. Althus. 53
aristomenis Messenij crudelis clementia. Vuillich. 102
arlenberg. Aeg. Tsc. 549
arma uaria uariarũ gentiũ. Alth. 15. ueterum Germanorũ. Alth. 15. clausa apud Suiones. Alth. 66. tractarunt fœminæ. 29
armis quæ pręponendi sint. Vuillich. 165
armamentaria principũ & ciuitatum Germaniæ. Aen. Syl. 461
armati oĩa agunt Germani. Alth. 23
armele fluuius. Bilib. 211
Armínia ab Alex. Mag. domita. Vuymph. 353
armeniaci ab Heluetijs paucis Basileæ cæsi. Vuymph. 387
armeni inhabitant Russiam. Bilibal. 213
armenorum mercaturę. Bilibaldus 213
armínius Dialogus. Hutteni 425
arminij ætas & anni regni eius 517. Germanorum ducis historia 501. exitus 517
armuza. Bilibal. 220
arno pręsul & dux Francorũ. Trittẽhemius 324
arnoldus proprium nomẽ quid significet 820
arnolphus imperator. Vuim. 358. Metensis. Vuimphel. 361. rex Saxonũ. Trittenhemius 324. episcopus Metensis uir sanctus. Trittenhemius 336
arnolphi genealogia. Trittenhemius 336
arogastæ. Peut. 418
arola ex quibus montibus erũpat. Hen. Glar. 617
ardan fluuiũ esse quem nos die Ar uocamus. Aeg. Tsch. 581
aromata. Bilibal. 220
ἀρπαγή. Vuillich. 170
arragonia. Bilibal. 219
arsaces qualis uir fuerit. 190. Parthorum rex. Alth. 51
arsacidæ. Alth. 51
artobriga. Bili. Birc. 202
atuatici. Hen. Glar. 181
arula fluuius Heluetiorum. Vuymph. 379
asarites cereuisia. Vuillich. 129
ascanij. Alth. 49
ascaricadis. Bilibal. 208
ascenas apud Mosenquis. Vuillich. 81
asciburgium. Vuillic. 87 ab Vlysse cõditũ. Peut.

Diuæus 688. urbs. Hub. Th. 645. urbs Alth. 11
aſciburgius mons. Villich. 177
aſciburgĳ mõtis nomine quæ contineantur Bilibaldus 215
aſclepiadotus Rex Britonum. Tritten. 314
aſel. Bilibald. 212
aſianos bellaces ex legibus. Vuillich. 90
aſſyriorum regnum. Bebelius 238
athenas q̃ tẽpore Turca occuparit. Mũſt. 491
atheſis flumẽ in ſinum Adriaticum influit. Bilibald. 216
athilia Hunorum Rex uictus. Gebuil. 435
atrebates. Peut. 412. hodie Aters. Bilibal. 219
attica ora. Bilibald. 219
attila nomen proprium quid ſignificet 823
attila. Bilibaldus Birck. 201
aua in India. Bilibal. 219
atuacum. Bilibald 205
atuatucum ſeu aduaticum Tungrorum oppidum. Pet. Diuæ. 676
auares. Peut. 419. Vuillich. 76
auariſci uicini fuerunt Vngariæ. Ph. M. 195
auaritiæ ſordes. Peut. 402
auaro in aurũ nulla poteſtas. Munſt. 490
auellanus lacus. Hen. Glar. 617
auenion urbs. Munſt. 492
auẽticum ciuitas. Tſch. 581. Aegid. Tſch. 590. oppidum. Hen. Glar. 605. oppidum Hen. Glar. 678.
augia maior. Alth. 10
augſtgen. Alth. 57
augſtein. Alth. 69
augſti. Vuillich. 154
auguntum. Bilibal. 202
auguria & auſpicia. Alth. 20
auguſta Acilia. Bilibal. Birc. 202. Rhetia. Alth. 60. Treberorum Alth. 41. Rauraca. Aeg. Tſch. 582. prętoria. Aeg. Tſch. 566
auguſtæ prętoriũ Peut. 408. Vindelicæ laus Aen. Syl. 453
auguſtus conſternatus Alth. 52
auiones. Vuillich. 154 Vuillich. 28 Alth. 58
aulertĳ hodie aurelianenſes. Bilibald. 219
aurea Cherſoneſus. Bilibaldus 220
aurinia Germana mulier. Alth. 17
aurinia apud Cattos. Vuillich. 101
auriſium. Bilibald. 202
aurum reperitur in Danubio & Rheno. Altherus 14
auri uenæ in quib. Germaniæ montibus & fluuĳs reperiantur Aen. Syl. 457. auri ubi eſt abundãtia illic nõ eſt potentia. Aen. Syl. 465. & argenti fodinę in Germania. Alth. 14
auro & argento ueteres Germani carebãt. Alth. 13
aurorum ex quibus hęc hiſtoria de Rhetis ſumpta eſt cathalogus 521
auſpicia Germanorum Alth. 20
auſpiciorum obſeruationes uariæ. Alth. 20 & 21
auſtralis domus. Aen. Syl. 459
auſtraſia. Alth. 68. Gallica. Hen. Glar. 183
auſtraſię nouum nomẽ Belgicę impoſitũ. Pet. Diuæus 692. pars Lotharingia. Gebuil 440
regni ueteris amplitudo. Seb. Munſt. 474
auſtraſiorum Rex Theodericus. Trittenhemius 333
auſtria unde dicta ſit. Hen. Glar. 183. Alth. 4. Alth. 1. Aen. Syl. 451
auſtriæ familiæ autor Rudolphus. Aen. Syl. 452. principatum habuit Otocarus Rex Bohemiæ, Vuymph. 376. ciuitates. Aen. Syl. 454. aliquid additum à Bauaria adeptum. Munſt. 477. ducatui qui iamdiu præfuerint. Munſt. 477
auſtriam occuparunt Quadi. Ph. M. 198
autumnales fructus Vuillich. 134
autunaco. Bilibaldus Birck. 204
auunculus magnus. Althame. 32
αὐτοχθονας Germanos eſſe. Vuillich. 80
axiarum fluuius. Vuillich. 176
axis. Munſt. 479
azelburg. Bilibaldus Birck. 202
azeſen ducatus. Munſter. 485
azo Eſtenſis. Vuim. 365

B

BAbenbergẽſia mõtana. Bilibaldus 209
babenbergenſis Eccleſię ſtatus labefactatus 770

babenbergẽſis ciuitas. Bilibaldus 209
babylon.Bilibald. 219
baccienſis epiſcopatus. Vuillich. 139
bacenis.Alth. 39
bacenim ſyluam eſſe ſyluam Semanã.Bilib.215
bachratum.Munſt. 493
badenia inferior. Müſt. 492
badeniæ apud Heluetios Thermæ. Munſterus 492
badenbornenſis epiſcopatus.Bilibald. 208
badenſis marchionatus.Bilibald.Birck.106
badenſes Marchiones. Aen.Syl. 460
badeo.Bilibald. 226
bæmorum gens ubi fuerint in Germania.Bilibald. 209
bagacum oppidũ. Pet. Diuæus 678
baganum oppidũ.Pet. Diuæus 678
Bagaoum.Bilibal. 205
Baiæ balnea. Hẽ.Glar. 616
baiennæ.Herold. 585
baioariorũ & Vngariorũ pugna magna 703
balduinus contra Saracenos. Vuymph. 366. quid ſignificet. 820
baldenſtein.Aeg.Tſch. 559
balloneſus Germanorũ rex.Vuillich. 84
balnea puteolanea.Hẽ. Glar. 616
balſania in Syria. Vuillichius 168
baltheum mare. Alth.2. mare.Alth. 68
balthia inſula.Alth. 59
balthicum mare. Aen. Syl. 450
balthici maris inſula. Alth. 50. maris ſinus tres.Vuillich. 164
bambergæ ſepultum S. Henricum imperatorem eius nominis ſecundum.Aen.Syl.456
bangrielæ regnum. Bilibaldus 219
bannaſcus Chancorum rex.Alth. 62
bantzen.Vuillich. 177
baptiſtæ Mãtuani poetæ laudes.Gebuil. 442
baralat fluuius. Bilibaldus 217
barba germanis oblonga & hiſpida coma.45
barbaria.Bilibal. 219
barbari qui dicantur. Alth.29.qui Romanis fuerint.Alth. 68
barbaroſſa qualis fuerit imperator.Vuym. 367
bariſchenis ciuitas.Bilibald. 213
baronatus.Alth. 5
baros extremos Sleſiorum eſſe.Ph.M. 198
barrire elephantorum uox.Vuillich. 87
Barritus Germanorũ. Vuillich.86.cãtus Germanorum.Alth. 10
bartholomei apoſtoli corpus Romam tranſlatum.Vuymp. 360
baſan rex & pontifex. Trittenhemius 304
baſangot rex.Trittẽ.305
baſamũ naſcitur in Syria.Alth.69. urbs.Trittenhemius 305
baſamus quãdiu apud Sicambros regnarit. Trittenhemius 303
baſilea ſit'ne ad Sequanos an Rauracos referenda incertum. Aeg. Tſch. 582
baſileę conciliũ celebratum.Vuymp.385.laus. Aen.Syl.453.laus&deſcriptio.Hen.Gla.627
baſileã ex Auguſtæ ruinis ædificatam. Bilibaldus 203
baſilius Græcorum imperator.Vuymph.360
baſilici Sarmacæ. Bilibaldus 212
baſina uates. Trittẽ. 329
baſkird.Munſt. 475
baſſa uocata eſt inferior Germania.Alth. fol.2
baſtarnæ. Alth.2
baſtarnæ.Alth. 70
baſtarnas eſſe Rutenos.Vuillich. 116
baſtarnos Dacis conterminos eſſe. 210
batabis. Bilibald.Birck. 202
batauia.Bilib.205. Müſ. 475. à Romanis recuperata. Diuæus 686. à Francis occupata.Diuæus 686. regno Francorũ ſubiecta. Diuęus 686
batauí.Alth. 42. contra Ottonẽ. Diuæus 685. Auguſti ſtipatores fuerunt.Diuæus 685. præ alijs Belgis à Romanis celebrati. Diuæus 385. ubi habitarint. Bilibaldus 208. ad Geldriam & Holandiam pertinẽt.Ph.M.195. pro Romanis ſub Iuliano apoſtata.Diuæus 686
batauorum inſula. Diuęus 684.oppida. Diuæus 685. origo. Diuæus 685
batauos eſſe Holãdos. Sebaſt.Munſt. 472
batauicum bellũ. Pet. Diuæus 676
batauodurum. Diuæus 685
bauarię duces quomodo ad Palatinatũ peruenerint. 475. oppida. Aen.Syl. 453

bauarica domus. Aen. Syl. 459
bauari. Alth. 40
bauarorum duces qui bellicosi. Vuymp. 391
bauaros Noricos esse. Alth. 13
bauconia. Bilibaldus Birck 203
bedacũ. Bilib. Birc. 202
bedgraste. Peut. 418
bechasij. Hub. Th. 656
belfrisium. Aeg. Tsc. 536
belgæ. Pet. Diuæus 669 à Germanis orti. Alth. 38. Rheno propinqui. Diuæus 691
belgarum alij Germanicè alij latinè loquuntur. Diuæus 690
belgica regio. Aen. Syl. 450. regio. Alth. 1
belgicæ diuisio. Pet. Diuæus 670. populi. Pet. Diuæus 670. Gallicæ antiquitates Pet. Diuæus 668. status aduẽtu Francorum mutatus. Diuæus 691
belgicũ primi Tũgri inuaserũt. Pet. Diuę. 674
belgicum totũ olim ad Galliam pertinebat. Ph. M. 198
belgium. Hub. Th. 667
belgij oppidi Cæsarem meminerit 670
belgradũ Vngariæ præsidium q̃ anno à Turca captũ sit. Mũst. 491 quo tempore sit à Turca captum. Mũst. 494
bellax Germania. Alth. 24
bellentz. Aeg. Tsc. 562
bellocasses. Diuæ. 680
bellonesus dux Gallorum petentium Italiã. Aeg. Tsch. 521
bellouaci Belgarũ præstantiss. Pet. Diu. 670. Hub. Th. 666
bellouacorum oppida 12 Diuæus 680
bellum Caroli Burgundiorum ducis contra Germanos. Vuym. 392 & prælium quid differunt. Alth. 45
bella Romanorũ Vuillich. 150. ciuilia. Alth. 54
bellorum inter Theodericum & Ermẽfridum reges: causæ. Tritt. 333
belochus Asyriorum Rex. Vuillichius 83
beluacus. Tritten. 341
benacus lacus ex Mindio. Aeg. Tsch. 584
benedictus nonus à Põtificatu dijcietur. Vuym phel. 363
benedicti ordinis cœnobia. Geb. 436
beneuẽtum ui captum & direptũ. Vuym. 372
benothemæ ubi habitarint. Bilibal. 208
berbetomagus. Bili. 203
berenburg. Aeg. Tsch. 559
berenica oppidum. Vuillich. 170
bergel. Aeg. Tsch. 537
Βεργιγγον. Vuillic. 170
bergellensium uallis Aeg. Tsch. 556
bergẽ. Seb. Munst. 475
bergensis ducatus. Ph. M. 149
bergonum qui cõdiderint & unde dictum. Peut. 423
bergonum à Gallis ædificatum. Aeg. Tsc. 521
berinuuardus dux Frãcorum & præsul 324
berithum Bazur. Bilibaldus 219
berlin ciuitas. Bilib. 208
bernę laus & descriptio. Hen. Glar. 620
bernhardus filius Pippini rex Italiæ à Carolo constituitur. Trittenhe. 346. sanctus Burgũdio. Vuym. 367
bernhardi mõs maior. Aeg. 466
bernhart quid significet 823
bernholem insula. Althamer. 71
bernicus in Danubium fluit. Bilibal. 217
bernuuelfus præsul & dux Franc. Tritten. 323
berosi antiquitas. Seb. Munst. 471
bertharius homo ignauus constituitur maior domus. Tritẽt. 338.
bertherus quãdiu regnarit. Tritten. 313
berthold dux Saxonũ 337
bertholdus dux Carentinorum 784. de Sternberg dux & præsul. Trittenhem. 326
bertholdus dux Saxonum occiditur. Trittenhem. 337
bernuum. Bilibal. Birc. 202
bethasij à Rom. ad Batauos deficiunt. Diuę us 684 Cismosani. Dius 684. Hub. Th. 656
bethasiorum dialectus. Hub. Th. 639
betheimos uastauit Carolus 700
betica, Granata hodie, Munst. 495. Castiliæ pars. Bilibal. 219. Hispania. Alth. 51
bibractæ hodie Benrai. Bilibald. 219
bibrax oppidum. Hub. Th. 666
bidaio. Bilib. Birc. 202
bigati nummi. Vuill. 93
bilibaldi Birck. Germaniæ explicatio 200

bilitionum oppidũ Bellentz. Aeg. 584
Aeg. Tſch. 564
binda flumen. Bilib. 211
bindæ fluuij ortus & in mare exitus. Bilib. 218
bingium. Bilibald. Birc. 204. Alth. 531
birienſes. Tritten. 347
biſetislaus dux Bohemorum. Vuymph. 363
biſuntini. Tritten. 347
biſurges. Seb. Mũſt. 472
bitumen. Vuillich. 171
liquidum. Vuillic. 171
nigrum foſsile. Vuilli. 171
bituminis colores uarij Vuillich. ibid.
bizantium urbs Thraciæ uocata Conſtantinopolis. Munſt. 479
blandinus mons. Diuæus. 683
blauus flumen. Munſt. 493
blinſeia fluit in Surum. Bilibald. 216
blondus. Vuimph. 361
bludentz. Aeg. Tſch. 537
bobium urbs in quibus alpibus 183
bocodurum. Bilibald. Birck. 202
bocus fluuius. Vuillichius 176
bodecamne. Peut. 418
bodincomagus. Aeg. Tſch. 572
bodineus. Aeg. Tſchu. 572
bodiontij populi. Aeg. Tſch. 502. Aeg. Tſc 505
bodmi. Bilibald. 212
bodobriga. Bilibaldus Birc. 284
boedurum Patauium eſſe. Bilibaldus 217
boetia cum Phocide ducatus. Bilibald. 219
bohemia. Alth. 2. Alth. 40. quos habuerit olim populos. Munſt. 482. regno Francorum ſubijcitur. Trittenhemius 346
bohemiæ urbes. Aen. Syl. 455
bohemiam ad Germaniam pertinere. Seb. Munſt. 471. afflixit albertus Rex Roman. 379. Germano imperio ſubeſſe. Aen. Syl. 454
bohemos uicit Maximilianus. Vuimph. 393
bohemundus. Vuymp. 366
bohemica ſylua. Vuillich. 139
βοῆλος. Vuillich. 161
βοῆλες quos Græci uocent. Vuillich. 108
bolus. Vuillich. 84
boij. Alth. 60. Alth. 40. Germani. Sebaſt. Munſt. 472
bolos ex Alpibus in loca plana uenisſe. Ph. M. 195
bolus Cimbrorum rex uicit Romanos. Vuymphel. 352
bombardæ inuentio Vuymph. 396
bombergenſis epiſcopatus qualis ſit. Aen. Syl. 458
bongum. Aegid. Tſch. 536
boniſacius archiepiſcopus Moguntinus unxit Pippinum in regẽ Francorum. Tritten. 343. ſancius uir ex monacho archiepiſcopus Moguntinus martyrio coronatus. Trittenhem. 344
bonna. Bilibald. 204. Munſt. 493. Romanorum clade nobilis. Diuæus 688
bononia. Diuæ. 681
boparta. Munſt 493
borbetomagum. Vuillich. 141
borbiſta Rex Gothorũ. Trittenhe. 307
boreale mare. Alth. 68
borgus ciuitas. Bilib. 211
boriſthenes ubi oriatur & per quas fluat regiones. Bilibald. 218. fluuius in Lithuania oritur. Bilibald. 212
bormium eſt ſummus locus in ualle Tellina Aeg Tſch. 554
bœotiã domuit Alexãder Magnus. Vuymp. 353
boruſsia. Munſte. 478 Alth 66. Alth. 2
boruſsiæ mons regius. Vuillich. 76
boruſsi. Vuillich. 103
boruſsiacum Herlũ 17
boruſſeriacus ſinus. Vuillich. 166
boſna. Mũſt. 482. regio. Bilibaldus 219. Illirico adnũmerata. Mũſt. 486
boſphorum mare unde dictum. Munſt. 496
boſphorus Thracius & Cimmerius. Mũſt. 495
brabantia. Alth. 2
brabantiæ dux Pippinus. Trittenhe. 343. ciuitates. Aen. Syl. 452
brabantinus ducatus Seb. Munſt. 475
braccanam Galliam ꝙ nominent. Alth. 2
brachati. Vuillich. 116
brachiũ S. Georgij Munſter. 495
bracodurum. Bilibald, Birck. 201
brandenburg. Vuil. 177
brandenburgũ quãdo ſit extructũ. Mũſt. 478

bratislauiensis ciuitas. Bilibaldus 208
braulius mons dicitur Germanis Vuormser ioch. Aeg. Tsch. 554
bregalien communitas Rhętorũ. Aeg. Tsc. 538
bregetiũ. Bilib. Birc. 201
bregetiũ ad Danubiũ. Bilibaldus Birck. 202
bremis uetus metropolis. Aen. Syl. 455
bremensis episcopatus. Bilib. Birc. 208. episcopatus. Bilib. 20. ciuitas. Bilib. 217
Brenn militarẽ uocem esse 818
brennburg pro Brãden burg 817
brennopyrgũ. Vuil. 177
brennus uel Berno Germanorum rex. Vuillichius 84
brenni. Aeg. Tsch. 553. populi Alpinæ. Aeg. 564. gesta & exitus. Peut. 422
brẽno uel. Brynno dux Gallorum contra Romam 817
bressam in Italia Galli constructuerunt. Aeg. Tsch. 521
brettigoię uallis appellata unde sit. Aegid. Tsch. 547
brencomagus. Bili. 203
brẽcomagũ. Vuillic. 141
breyfgeu. Alth. 57
bria ciuitas. Vuillich. 77
briãson. Aeg. Tsch. 560
briel portus. Bilib. 205
brigãtinus lacus. Alth. 5
brigantini lacus insula. Aeg. Tsch. 530
brigantiorum comitatus. Aeg. Tsch. 553
brigantiũ. Aeg. Tsc. 536
brigellia Rhetica. Aeg. Tsch. 556
briqua. Bilibal. 219
brisacum. Munst. 492
brisacensis arx capitur. Peut. 420
brisgaudia prouincia. Bilib. Birck. 206
brisgauiæ ciuitates. Munst. 492
brisgauis. Sebast. Müst. 472
britãnia hodie Anglia. Bilibaldus 219
britannorum tuguria. Vuillich. 114. tumultus tempore Vualteri. Trittenhemius 313
britomarus. Vuillich. 84
brittones iugũ Romanorum excutiũt. Tritten. 314. uicit Magnus Carolus. Peut. 418
brixentes. Aegid. Tsch. 565. Aeg. Tsch. 553
brockersberg. Ph. M. 195.
bructeri Germani. Sebast. Müst. 472. Corn. Tac. 46. Bilibal. 205
brugense emporium. Aen. Syl. 451
brunẽsis ciuitas. Bili. 209
bruna oppidum. Müst. 494. Morauiæ ciuitas. Aen. Syl. 454
brunihildis à Lothario necatur. Tritten. 335
brunihildis impia tres liberos Theodeberti interfecit. Tritten. 335
bruno Herbipolẽsis episcopus quib. tẽporib. floruerit. Vuymp. 364. Saxo Romanus Põtifex creatur. Vuymph. 360. episc. Tullensis papa creatus. Vuym. 364. præsul & dux Francorum quotannis præfuerit. Tritten. 324. autor Carthusiensiũ. Vuym. 366 brunonis uicus. Sebast. Munst. 475
brunsuiga. Ph. M. 195
brunsuicensis ducatus. Bilibald. 208. domus. Aen. Syl. 459
brũsuicenses. Vuil. 147
brũsuuicũ. Aen. Syl. 455
bucco Halberstatensis episcopus coniurauit aduersus regem. 745
buchhorn. Aeg. Tsc. 533
buda, Ofen, regia Vngariæ. Munst. 494
bulgariæ metropolis. Munst. 494
buloari. Bilibal. 219
bulionij fratres. Vuymphel. 366
bulionis duces. Peut. 421
bundissa. Vuillich. 177
burchardus Basiliensis episc. 814. Vuormatiensis episc. quo tẽpore floruerit. Vuymp. 364. Losannensis episcop. 814. Romam mittitur à Frãcis p Pippino. Tritten. 343. unde dicatur. 822 de Aemil. poëta. Vuymphel. 394
burdegala ciuitas expugnata & direpta. Trittenhemius 339
buren oppidum in Brabantia. Hub. Th. 642
burgaria. Munst. 482
burgẽses unde dicãtur. 822
burger unde dicat. 822
burghardus dux & episcopus quandiu præfuerit. Tritten. 323. prœsul & dux Frãcorum. Trittenhem. 324. episcopus Vuirtspurgensis quæ dona à Pippino acceperit. Tritten. 343. uir sanctus natione Anglus quando factus sit episcopus & quãdiu præfuerit. Tritten. 343. primus episcopus Vuirtspurgensium

tſum. Trittenhem. 323
burgopreſſo dominiũ Aeg. Tſch. 582
burgundiæ ciuitates. Trittenhem. 341
burgundi uicini Teutonum fuerunt. P. M. 196
burgundiones ad Germanos ptinere. Peut. 407
burgundionũ dux Rudolphus. Vuymp. 363
burij. Vuillic. 162. Alth. 62
burtinacũ urbs. Diuæ. 685
burſactori. Alth. 47.
parui. Bilibald. 205
Vuillich. 146
Buſcũ ducis. Mũſt. 493
buſfalor mons. Aeg. Tſch. 556
buſyridis tyrannis in Phœnicia. Vuillich. 83
buthni montes in Bohemia. Aen. Syl. 457
butones. Seb. Mũſt. 472

C

CAbilona. Tritt. 341
cabilonẽſes. Peut.
cadauera cremabãtur. Alth. 37
caduceator Cæſaris Herold uocatur 820
cael. Bilibald. 220
cæreſorum ſedes. Pet. Diuæus 675
cæſarea Reſchnig. Bilibald. 202
cæſaromagum. Hub. Th. 666
cæſaromagus Belloacorum oppidũ. Diuæ. 680
cęſaris mons in Alſatia. Munſt. 492. mẽdum emendatur. Pet. Diuęus. 678
cæſari obediendum. Aen. Syl. 465
cæſares Spirę ſepulti. Aen. Syl. 452
cæſarũ imagines. Vuil. lſch. 93
caffa urbs â Turca capta. Munſt. 491
caffam Turca expugnauit. Bilibald. 213
caietę inſcrip. Aeg. 531
caius Iulius Solinus. Aeg. Tſch. 521
calciaci. Bilibald. 205
calecut. Bilibald. 220
caledonia Vuillich. 159
calequur. Bilibald. 219
cales oppidũ Diuę. 681
Bilibaldus Birck. 205
caligula Imperator miſit copias aduerſus Germanos 153 contra Sueuos. Alth. 54
caliopolis urbs in Thracia. Munſt. 487
caliuo ſecundus fauit Clero. Vuymph. 366
callecia. Alth. 51
callucones. Aeg. Tſch. 565. Aeg. Tſch. 553
calucones ubi habitarint. Bilibaldus 208
calmuntiũ Vuillich. 161
calo urbs. Diuæus. 685
calpe mõs. Munſt. 495. Alth. 47
camani. Vuillich. 159
camarinos Miſniam tenuiſſe. Bilib. 208
cambria. Bilib. 219
cambodunũ. Bilib. 201
cameracum. Bilib. 205. Franci occuparunt. Trittenhem. 317
camicinũ ciuitas. Aeg. Tſch. 566
caminum opidum Pomeraniæ. Alth. 46. epiſcopalis ciuitas. Bilib. Birck. 207
campania. Diuæus 683
campi eccleſia. Aegid. Tſch. 549
campodunũ. Hen. Gla. 182. Bilib. Birck. 201
campaſiani. Sebaſtian. Munſt. 472
cãpſum. Aeg. Tſch. 536
camuni. Aeg. Tſch. 553. Alpina gens. Aeg. 564
camunorũ uallis abundat æris fodinis. Aeg. Tſch. 558
canaquin. Bilib. 226
cãcellarij Germanici in quibus delinquant. Aeg. Tſch. 569. imperij tres. Munſt. 481
canẽ habuit pro ſigno militari Oſyris. Vuil. 97 (532
cani populi. Aeg. Tſch.
canini q ſint. Vuill. 79
canineuates. Hub. Th. 657
canineuates. Diuæ. 684
canineuates finitimi Batauis. Diuæus. 686
cannodurum urbs. Aegid. Tſch. 581
canõ papa miſit ſanctũ Kylianum epiſcopum in Franciã Oriẽtalem ad prædicãdũ Chriſti euangeliũ. Trittẽ. 323.
penſitationis genus. Vuillichius 113
canonicatus eccleſiarũ per Germaniã. Aen. Syl. 458 & 459
cantiones ueterũ Germanorum. Alth. 7
canũ fœdus apud Rhętos Tertium. Aegid. Tſch. 540
capadociã domuit Alexander Mag. Vuymp. 353. ſubegit Turca. Munſt. 489 (375
capua direpta. Vuymp.
caput porcinũ. Alth. 16.
uiride ſunt Inſulæ Heſperidum. Bili. 220. fartaqꝫ. Bilib. 220
caracus rex occiſus. Trittenhemius 331
caramania. Bilibal. 210
cardinales quãm infeliciter

citer bella gesserint ad uersus Turcam in Vngaria. Munst. 494
carenthij. Trittenhemius 348
caresæi populi. Hub. Th. 659
caria ab Alex. Mag. domita Vuymphel. 357
carines. Bilibaldus 212
corinthiani. Alth. fol. 1.
carionaldus Batauorũ dux. Hutt. 429
carisiacum oppidũ. Diuæus. 681
carithni populus. Aeg. Tsch. 582. præstant peditatu. Vuillich. 145
carlingorum stirps. Gebuil. 435
carlingorum stirps. Gebuil. 437
carolls capel. Vuill. 146
Carlomannus & Pippinus regnum ordinãt. Trittenhemius 341. frater Caroli obijt. Trittenhem. 344. monachus factus. Trittenhemius 342. & Pipinus fratres post obitũ patris primatũ francorũ accipiunt. Tritten. 341
carlomanni potentia. Trittenhem. 342. uita. Gebuil. 438
Carlon rex. 441
carlspurg & carlestat. Trittenhemius. 344
carne cruda uescuntur Germani. Alth. 34
carnioli. Alth. 1
carnũto. Bilib. Birc. 202
carmit. Bilib. 202
carni. Alth. 1. populi in Carinthia. Aeg. Tsch. 575
carnorũ alpes. Bilib. 215
carnos occuparũt Germani. Alth. 70
caroli ciuitas in francia orientali. Vuymph. 362
carolus quid significet. 824. Tertius. Vuymphel. 358
caroli quarti gesta. Vuymph. 387
carolus Burgundos noua molientes compescuit. Trittenhem. 340. rex in fauorem ecclesiæ uincit Longobardos. Tritten. 345. uincit Saracenos. Trittẽ. 345. dux Burgũdiæ noluit se essẽ Germanum. Vuymphelin. 349
caroli Burgundionum ducis conatus 393
carolus Caluus imperator. Gebuil. 440. cognomẽto fortis filius Pippini. Trittenh. 336. Giassus. Peut. 419. Magnus Pippini regis filius maior. Trittenh. 344. Magnus imperator Aquisgrani moritur. Trittenhem. 347. Magnus quos populos uictos suo paterno imperio adiecerit. Peut. 418. magnus ubi sit natus. Munst. 480. magnus quot annis regnarit. Tritten. 344. Magnus quãdo sit imperator factus. Trittenhem. 346
caroli Magni caput Aquisgrani inter reliquias ostẽditur. Aen. Syl. 452. Magni origo. Geb. 437.
caroli Marcelli gesta. Gebuil. 438. Magni gesta, imperiũq; â Græcis in eũ translatione Gebuil. 438. Magni uxores & proles. Vuymp. 361. Magni genealogia. Tritten. 336. Magni stirpis defectio. Vuymph. 361
carolum Magnũ & Pipinũ patrem eius fuisse Germanos. Vuymphel. 361
carolus Martellus obijt. Tritten. 340. Martellus. Tritten. 339. Parmensis episcopus contra Alexandrum 2. in pontificem electus. Vuymph. 365. Pippini filius dux Franconiæ. Trittenh. 323. simplex rex Frãcorũ. Geb. 441
carpath incolæ. Alth. 2
carpatus mõs. Alth. 64
carpatus mõs nunc Poloniam & Vngariã dirimit. Ph M. 198 mons antiquis uocatus Sueuus. Alth. 55
carpi. Bilibal. 212
carrodunũ. Vuillic. 162. Bilibaldus Pirc. 201
carthusienses quo autore quoq; tempore originem habuerint. Vuimph. 366
caruo oppidum. Diuæus 685
caruancæ montis nomine quę alpes cõtinean tur. Bilibal. 215
cassel in Hassia. Bili. 209
cassides. Alth. 15
cassubi. Vuillich. 158
cassander quamdiu regnarit. Tritten. 307
castitas Germanorum. Corn. Tacit. 31 & 32
castrensis comes. Vuillich. 110
castrũ qd. Hen. Gla. 617
cathæ siue cati Cheruscis contigni fuerunt. Bilibaldus 209
cathalo. Bilibal. 220
cathalania. Tritten. 341. Bilibaldus 219
cathedralis liga. Aegid. Tsch. 538
catiuulci regis Eburonum

num mors. Hub. Th. 650
cattenates. Aegi. Tſch. 564 Aeg. Tſch. 553
cattenelnbogen. Ph. M. 195
cattorum mos. Alth. 45 anco. Ph. M. 195. aci es præliorum. Alth. 45 uotum & ſuperſtitio. Corn. Tac. 44. habi tus & prudẽtia. Corn. Tac. 44. militiæ laus. Ph. M. 195. & Che ruſcorum perpetua di ſcordia. Alth. 49
cattuarij. Seb. Mũſt. 472
cattuarij. Vuillich. 147
caturiges ſunt in Alpi bus Cottijs. Aeg. Tſc. 567. Aeg. Tſch. 561
cauchi. Munſt. 478
cauchi. Bilibaldus 206
caulci. Seb. Munſt. 472
cayrum. Bilibaldus 219
cecíũ montem eſſe Sty renſium montana. Bi libald. 215
cella noua. Vuillich. 169
celmski ducatus. Mũſt. 485
celtæ Galli & Ger. Vuil lich. 137. dicũtur Grę cis Ger. & Galli. Alth. 63. Francigenæ dicti. Geb. 440. Pet. Diuæ us 669
celtarum conſpiratio. Diuæus 682 appella tio. Vuillich. 136 uo cabulo quid Greci in tellexerint. Geb. 445
celtiberi Hiſpani. Vuil lich. 83 & 137
celtiberorum mos. Alt hamerus 24
celticæ linguæ uocabu la. Aeg. Tſch. 570
cenſio haſtaria. Vuilli. 107
centrones Aeg. Tſchu. 582
centrones populi. Ae gid. Tſch. 558
Hub. Thom. 648
centronum ſedes. Di uæus 679 regio. Ae gid. Tſch. 566
ceremonię uarię & hor rendæ. Vuill. 155
cereti. Aeg. Tſch. 532
cereſi populi. Hub. Th. 641
cereſeos ad Germanos pertinere. Peut. 407
cereuiſiæ materia 127 conditaneæ Vuill. 129
cereuiſiã inuenißc Oſy ridem. Alth. 34
cernelacum. Aeg. Tſch. 536
certeriacũ antiquũ op pidum. Diuæus 679
ceſſonis bonorum be neficium. Vuillich. 132
cetio. Bilibal. Birck. 202
chabiones. Diuæ. 688
chaici Saxones. Alth. 48
chaluſus flumen. Bilid. 217
chaluſus fluuius. Bili baldus Birck. 207
chamani. Vuillich. 146 Vuillichius 82 pars Vueſtphalorum. Ph. M. 196 ubi fuerint Vuillich. 146. Alth. 46
charini Germ. adnume rantur. Peut. 407
charitini populi. Ph. M. 195
χάριτνοι. Vuillich. 144
chaſuarij. Vuillich. 82 Alth. 47
χάτλας Meliboci mõtis accolas eſſe. Vuil. 144
chaubi. Seb. Mũſt. 472
chaucorum gens. Cor. Tac. 48
chemæ. Bilibald. 207
chemæ. Vuillich. 158
cheniſci. Sebaſt. Munſt. 472
cherchin fluuius. Bili baldus 211
cherſinius flumen. Bili baldus ibid.
cherſini fluminis ortus & curſus. Bilibald. 218
cherſoneſus Cymbrica Bilibald. 272 Aurea Bilibaldus 219
cheruſci. Alth. 49. Ger mani. Sebaſt. Munſt. 427 pars Turingorũ Ph. M. 195
chetuari. Bilibal. 209
chiouia Ruſciæ ciuitas. Bilibaldus 212
childerici regis geſta. Gebuili 435
chilpericus Francorum Rex. Geb. 436
choreæ Rhetorũ. Aeg. Tſch. 537
cheſin. Bilibaldus 220
chreychgea. Alth. 49
chriſones Rhæti dicti Hen. Glar. 183
chriſtianorum magnæ clades. Munſt. 494
chronicum Hiſtoricũ apud Germanos 694
chronus fluuius. Bili baldus 211. ubi in mare fluat. Bilibaldus 218
χρυσοσφὲς bitumẽ. Vuil lichius 171
χρυσοφόρον bitumẽ. Vuil lich. 171
chuni. Bilibald. 212
chunibertus Colonien ſium epiſcopus 357
churberg feudum ec cleſiæ Curienſis. Aeg. Tſch. 537
churuualdus cõmuni tas Rhętorum. Aeg. Tſch. 540
churuuelſchen. Aegid. Tſch. 524
ciabrius flumen. Bili baldus 217
ciceronis fons. Hube. Tho. 645
ciconius Germanorum rex. Vuill. 84
ciliciam domuit Ale xander Mag. Vuym phe. 353

cimbri

cimbri mediterranei Peut. 407
cimbri gẽs uaga. Vuymph. 352 Ger. uetuſtiſsimi quos uicerint. Vuimph. 351 Denmarck Ph.M. 196
cimbrorum reliquiæ. Aeg. Tſch. 581
cimbrica Cherſoneſus dicitur hoc tẽpore ducatus Holſatiæ. Bilibald. 219 gẽs. Ph.M. 193
cimbricũ promontorium. Alth. 64
cimeria anguſtię. Mũſt. 496
cimeriæ gentis autor Ph.M. 193
cineſius mons. Aegid. Tſch. 560 mons. Vuymph. 369
circaſsi bellicoſa gens. Bilibaldus 213
ciremiſia. Munſt. 485
ciſa. Peut. 408
ciſara. Peut. 408
ciſmoſani. Diuæus 684
ciſtoboci. Vuillich. 176
citicenſis Epiſcop. 801
ciuitas. Alth. 22
ciuitates liberæ. Aen. Syl. 461 Stagnales. Aen. Syl. 461 Rhenanæ ad Gallos ne an ad Germanos pertineant. Peut. 406 quę ſint regales & quæimperiales. Tritten. 348 antiquę in Vindelicia. Bilibaldus Birck. 201 & non urbes fuerunt ueteribus Germanis. Vuillich. 114
ciuitatũ nomina quędã mutata. Bilibald. 219
clæuen oppidum paret Rhętis. Aeg. Tſch. 540
clamores bellici uarij. Vuillich. 86
claremontenſe concilium. Geb. 438
claronælaus & deſcriptio. Hen. Glar. 626
claronenſium aduerſus potentiſsimos hoſtes uictoria. Henric. Glar. 626
claudius claudianus 521
claudinum. Bilibal. 202
clauennæ uallis. Aeg. Tſc. 557
clautenates. Aeg. Tſch. 564
clautenarij. Bilibaldus Birck 201. Aeg. Tſch. 545
clemens ſecũdus Ger. Papa. Vuymph. 363
cleonius lacus. Henric. Glar. 618
cleuen. Aeg. Tſch, 537
cleuenſis Epiſcopatus Aen. Syl. 458
clima. Munſt. 498
cliuenſe oppidum ubi Rhenus ſcinditur in duas partes. Mũſt. 493
cliuenſis ducatus. Seb. Munſt. 475 Aen. Syl. 460
clodius Berthiri filius quotannis regnarit. Trithem. 313 Crinitus quãdiu regnarit. Trittẽhemius 328 dux Franciæ quot regnarit annis. Trittenhemius 322 Rex Francorum mittit exploratores in Galliam. Trittenhemius 328 Sicãber quãdiu regnarit. Trittenhemius 307
clodij Capillati Regis Francorum geſta. Gebuil. 435
clodomerus quamdiu regnarit. Trittenhemius 305 Marcomiri filius quamdiu regnarit. Trittenhemius 310 Clodouei filius ubi & quãdiu regnarit. Trittenhemius 332 in quibus locis regnarit. Trittenhem. 335 dux Frãciæ quotãnis præfuerit. Trittenhe. 321
clodoueus Theoderici filius patri ſucceſsit in regno. Trittenhe. 338 Rex Galliæ. Tritten. 323 Pulcher Rex Frãcorum. Geb. 435 dux Frãciæ quotãnis præfuerit. Trittẽ. 323 Rex Francorum primus fit Chriſtianus. Trittenhemius 331 ex adulterio natus quando obierit. Trittenhemius 332 Rex adhuc puer traditur Pippino Duci Brabantiæ inſtituendus. Trittenhem. 337. Hilderici filius Eccleſias Chriſti ſpoliauit. Tritten. 330 quam late regnarit p Gallias & Germaniam. Trittenhemius 337 quãdiu regnarit. Geb. 436 quotannis regnarit. Trittenhemius 330
clodouei regis mors Trittenhem. 337 regis tres filij. Trittenhemius 337 crudelitas & dolus. Trittenhemius 331
clogio Rex Francorum quos habuerit filios. Trittenhem. 336 quãdiu regnarit. Trittenhemius 309
clogionis regis anno decimo naſcitur Chriſtus Dominus. Trittenhemius 309
clotarius Gallorũ Rex. Vuillich. 157
coburga. Ph.M. 197
codanum. Vuillich. 76
cocerus fluuius. Bilibaldus 215 flumen

Bilibaldus. 216
cochera fluuius. Seb. Munst. 474
coclum. Bilibaldus 229
coctiæ alpes. Hen. Glarean. 183
codamus Oceanus. Vuillich. 76
codoneum mare. Alth. 68
cœlosyria. Vuillich. 171
cœmetarij. Alth. 27
cœmenta. Alth. 27
cogni ubi habitarint. Bilibaldus 208
colbergũ. Vuillich. 164
colchi. Bilibald. 220
coldin. Sebast. Munst. 477
collecta. Vuillich. 113
colmarienses uicit adolphus rex Ro. Vuym. 378
colonatus presbyter martyr. Trittenhe. 343
colonia. Alth. 42 Agrippina qualis sit urbs. Aen. Syl. 451 Traiana. Bilibal. 205 Troiana urbs Batauorum. Diuæus 685
coloniæ seditio exorta 762. & 763
columbanus abbas Lotharium ad pietatem hortatur. Trittenhem. 335
columbariũ urbs. Alth. 10
comaniæ partẽ esse Iberiam & Albaniã. Bilibaldus 219
conaria promuntoriũ. Bilibald. 220
comata Gallia. Alth. 2
combri. Vuillichius 81
comes prouincialis. Herold. 588
comites tarij. Vuillich. 110 unde dicti. Vuillich. 109 q fuerint Imperatores. Aen. Syl. 460 de Nassau. Aen. Syl. 460
comitatus olim nõ erat hæreditarius. Vuillichius 109 multi inducatus sunt cõuersi. Munst. 473 & 474 & 475. & 476. & 477 gradus. Althamerus 22
comitatus. Alth. 23
comitiorum ratio apud German. ueteres. Althamerus 22
compotationes Germ. Alth. 33
comum â Rhætis deuastatum. Aeg. Tsch. 527
comum Galli construxerunt. Aegid. Tsch. 521
conamus Britonũ Rex. Trittenhemius 319
Cõchę margaritas producẽtes in Regno fluuio reperiuntur. Bilibaldus 217
concilium Basilienſe Vuymph. 38. constantiense. Vuym. 384 apud Clarũ Montem celebrauit Innocentius Vuymphilin. 366. & 367
cõcilij Basilienſis dissolutio quare facta. Vuymph. 387
conciliorum utilitas in Ecclesia. Vuymphelingius 384
condatũ oppidũ. Hub. Th. 666
condrusi. Hub. Th. 651 ubi habitarint 675 populi. Hub. Th. 641
condrusorũ habitationes. Diuæus 675
cõdrusos Germanis ad numerari. Peut. 407
conduenses. Henricus Glar. 181
confluentes. Bilibald. 204
confœderati cani. Aeg. Tsch. 532
coniuges quomodo apud ueteres Germanos cõuenerint, Corn. Tac. 28
conicium oppidum Vuillich. 150
coniugium Pauli Apostoli. Peut. 405
coniugia sanctorũ. Cõ. Peut. 405
coniugiorum diuersitas. Alth. 29
coniurationis Saxonicæ aduersus Regem q & quot socij fuerint 745
connubia diuersarum gentiũ diuersa. Alth. 29. adulterina apud quas gentes. Vuillich. 176. Germanorum ueterum. Alth. 29
conradini fortuna in Italia. Vuymph 376
conradus Sueuiæ dux Imper. electus. Vuymphelingius 363. præsul & dux, cancellarius regis Philippi. Trittenhemius 326. Imperator Sueuus expeditionem in Saracenos suscipit. Vuymphelingius 367
conradi Imperatoris mors & sepultura Vuymph. 363 secundi gesta & uita. Vuymphelingius 367 Celtis de Germaniæ situ & moribus præfatio 445. Peutingeri sermones conuiuales de Germania 401
conrat quid significet 822
constantiæ laus. Aen. Syl. 853
constantiensem Episcopatum

patum accipit Otto canonicus Goslariẽ sis 833
constantinopolis imperij sedes constituta à Cõstantino. Mũst. 470
constantinopolitanum imperiũ quo tempore Turca sibi subiecerit. Munst. 489
cõstantinus Imperator uincit Maxentiũ. Trittenhemius 314
constantius Romanus fit Rex Britanniæ & deinde Cæsar 314
cõsuanetes. Aeg. Tsch. 564
cõsuanetes. Aeg. Tsch. 553
consultandi ratio apud ueteres Germ. Alth. 21
cõtinentiæ honor apud Germanos. Alth. 32
contones. Vuillich. 97
cõtuantij. Aeg. Tsc. 545
contuantiorum ambitus. Aeg. Tsch. 545
cõuentus publici apud ueteres Germ. Alth. 21
cõuiuia Germanorum. Vuillich. 124
conuiuales sermones. Peutingeri 401
copenhagia. Bilibaldus 210
coppenick. Vuillic. 177
copus medicus Basiliensis. Hen. Glar. 617
couinum oppidũ. Hub. Th. 659
corconti ubi habitarint Bilibaldus 208
corebus. Athenienſis figulinæ artis inuentor Vuimph. 398
coridorigis ciuitas. Bilibaldus 209
corioualum. Bilibaldus 204
corneliani. Vuillich. 163
correla regio. Bilibald. 211 gens. Munst. 485 Vuilibaldus 212
coruantij. Aegid. Tsch. 545
coruatia. Munst. 402
cothusiũ. Vuillich. 177
cotenburg. Trittenhemius 341
cotia alpes. Aeg. Tsch. 556
cotomagus. Trittehemius 341
cottæ & Sabini mors Hub. Tho. 643 & 644
cracouia. Alth. 4. regia ciuitas. Bilibaldus 211
cracouiæ montes. Bilibaldus 216
crass. Episcopus Prisnẽsis quomodo miserè ob auaritiam perierit 733
craisiana clades in bello contra Parthos. Vuillich. 151
crassus à Parthis uictus 191
crassi Romani imperatoris clades. Alth 51
cremnicia. Ph. M. 105
cremnitz mons. Bilibaldus 214
cressy oppidum. Diuæus 681
creta insula quo tempore Venetis data sit. Munst. 489
cretium mare. Munst. 495
croatensium alpes. Bilibaldus 215
croatia. Munst. 482
croatij. Vuillich. 83
cronium mare. Alth. 67 mare. Vuillich. 166 mare 115
crutznacum oppidum Munst. 493
cumania. Bilibaldus 219
cumanus lacus. Aegid. Tsch. 553
cuneus. Alth. 16
cupressi frondibus ornabãt aiã Ditis. Vuillich. 102
curia Rhetiæ unde dicta. Hen. Glar. 182 urbs per quem fundata sit. Aegid. Tsch. 540
curiæ & Constantiensis diœcesum limes. Aeg. Tsch. 528 Rhetorum uaria nomina. Aeg. Tsch. 545
curiensis Diœcesis continet ferè Rhetiam ut est à Strabone descripta. Aeg. Tsch. 536
curiones sub Matrigis Bilibaldus 209
curiorum Regio. Vuillichius 164
cuspinianus esse pleroscp in ualle Oscela. Aeg. Tschudus 567
cybele mater Deorum Alth. 69
cymbrica Chersonesus. Vuillichius 81
cydnus amnis. Henric. Glar. 616
cygnus Herculis filius. Alth. 10
cymbri à C. Mario uicti. Vuillic. 149 Corn. Tac. 49
cymbrica Chersonesus. Alth. 50
cymbricũ bellũ. Corn. Tacit. 149 mare. Alth. 68 bellũ. Vuillich. 149
cymmerici. Alth. 50
cymmerios Betis uicinos fuisse. Ph. M. 198
cynonoti Trittẽhemius 341
cyri militare signũ Gallus fuit. Vuillich. 97

D

Dabisburg comitatus. Vuimph. & 364 daci &

daci & Dani. Alth. 50
dacorum ſęuities. Alth. 4
dagobertus Rex gerit bellum contra Saxones propter tributum. Trittenhemius 336. quibus ſuum filium Sigebertum inſtituendum tradiderit. Trittenhemius 337. Auſtraſiæ Rex ducit copias aduerſus Berthol dum ducem Saxonię. 336. filius Lotharij quã diu regno præfuerit Trittenhemius 337. iunior fratri ſuccedit in regno. Trittenhem. 338. quot regnarit annis. Trittenhem 314
ſecundus. Peut. 416
dagoberti Magni regis Francorũ obitus. Trittenhem. 337
danduri ubi. Bilibaldus 205
danduri. Vuillich. 163
dania. Alth. 2. Oceani inſula. Alth. 59. Althamerus 4. Denmarck. Bilibald. 219
daniæ inſulæ. Bilibald. 210. regni caput. Bilibaldus 210
Dani ubi ſint. Vuill. 149
daniel quidam conſtitu itur maior dominus & rex Trittenhem. 339
dantiſcanus ſinus. Vuillich. 164
dantiſcum. Vuillich. 76 Alth. 66. emporium Bilibald. 207
danubius qualis fluuius. Sebaſtian. Munſt. 472. & 473.
danubij ortus. Althamer. 5 oppida. Munſter. 493. oppida à Vienna ad Budam fons. Vuillichius 79. ora. Vuillich. 78. oſtia Alth. 5
danubium aliquando Mantuam dictum. Althame. 6
danum urbs. Vuillich. 164
δάκρυον. Vuillich. 169
dalmatia terreſtris. Peut. 419
dalmatia prouincia inter Pannoniam & mare Adriaticum. Munſter. 486
dalmatiam occuparunt Germani. Alth. 70
damaſia. Bilibal. Birck. 201
damaſian in India, Bilibald. 219
damaſus quomodo põtificatum occuparit. Vuymph. 364
daras flumen. Bilibald. 217
dardani quibus domicilijs uſi ſint. Vuillich. 114.
dariem terra. Bilib. 220
darmecampi. Bilibald. 209
darius & Cyrus Germanos aggredi non ſunt auſi. Vuillich. 153
darus fluuius. Bilibald. 203
das Rieſs. Ph. M. 193
datauium. Bilibald. 202
datia Valachia. Bilib. 219
dauentria. Munſt. 493
dauid fuit opilio 98
dauantria. Bilibald. 206
decanatus Eccleſiarũ. Aen. Syl. 459
decimæ frugum. Vuillich. 113
decius Imperator à Gothis uictus. Bebelius 252
decumanus ager. Vuillich. 134
decumani Gallici. Althamer. 43
decumanorum Colonia. Alth. 44
decumates agri. Ph. M. 195
dei eſt iuuare. Althame. 64
demeris fluuius. Diuæ. 682
deneper fluuius. Bilib. 212
deneſter flumen. Bilibald. ibidem
denmarck. Alth. 50
derbet ciuitas. Bilibald. 218
derierbidi gens magna. Bilibald. 212
deſiderius Longobardorum Rex ultimus. Gebuil. 418
dertona ui capta. Vuymph. 368
deſpocatus. Bilibaldus 219
diaceſes Sueuis quot fuerint. Vuillich. 156
diana nuptialis 118
diatonium oppidum Hen. Glar. 605
diepolt proprium nomen 821
dies duorum menſium ubi. Vuillich. 166
dierum maxima incrementa. Munſt. 498
dietmarſi quas inſulas inhabitent. Bilibaldus 217. Vuillich. 28
dietrich unde dicatur 818
dij Germanorum. Althamer. 18
dij nuptiales 118
dina oppidum. Aegid. Tſch. 582
dinam ciuitas. Aegid. Tſch. 565
dinodurum. Bilibaldus 204
diocletianus imperium b auſpica-

aũſpicatus apũd Tungros. Hub. Th. 638
dione oppidum. Hub. Th. 663
dionotus Rex. Tritt. 319
dire Babel Mendap. Bilibaldus. 220
diſel inſula. Bilibal. 216
diſentis communitas Rhætorum 539
diu. Bilibald. 220
docti in Germania. Althame. 30
dodratum oppidum Aen. Syl. 455
doggij populi. Henric. Glar. 612
domaſium oppidum Aeg. Tſch. 564
domicilia Gallorum Vuillich. 114
domitianus poſt Neronem Chriſtianos perſequitur. Tritten. 711
Germanicus. Sebaſt. Munſt. 469
domus maior Francorum. Trittenhe. 336
ducales. Aen. Syl. 460
illuſtres per Germaniam. Aen. Syl. 459
don fluuiũ ubi oriatur. Bilibaldus 218
dona millitaria. Vuillichius 113
donagen. Alth. 57
donyetz fluuius. Bilib. 212
doracus uates & philoſophus. Trittenhe. 311
dorderacum portus. Bilibaldus 205
domburgi templum celebre exuſtum 704
domlacus Germanorũ Rex. Vuillich. 84
dos Germanorum. Althame. 28
dotis cæremonia. Vuillich. 118
dracolphus dux Francorum. Trittenhe. 324
dracuina. Bilibaldus Birc. 201
drauanitz flumẽ in Viſtulam fluit. Bilib. 217
drauenna fluuius. Bilibaldus 218
draui fontes. Alth. 2
druſiana uallis. Aeg. Tſch. 530. uallis. Aeg. Tſch. 550
druſinæ foſſæ. Alth. 48
druſomagus. Bilibald. Birc. 201
druſus contra Germanos pugnauit. Alth. 53
adĩjt Germaniã. Cor. Tac. 47. Germanicus. Alth. 48. Germanicus ubi ſit occiſus. Vuymph. 353
druſi Trophea ubi poſita fuerint in Germania. Bilibald. 208
dryopolis. Tritten. 341
dubis flumen. Aegid. Tſch. 582
ducatus Franciæ orientalis donatur eccleſiæ Vuirtzburgenſi. Trittenhem. 344. Moſco uiæ. Munſt. 485
duilcindæ regnum. Bilibald. 219
dulgibini. Vuillich. 147 Alth. 47. Vuillich. 84. Vuillichius 146. pars Lõgobardorum Ph. M. 196
dulgumij. Vuillich. 159 Alth. 47
dulingi ſub Lacobardis. Bilibald. Birc. 208
duna flumen. Bilib. 211 flumen Bilibald. 218
durgia. Alth. 8
durgeam fuiſſe Helueticam Rhętiam. Aegid. Tſch. 532
durgen. Alth. 57
durias flumen. Aegid. Tſch 549
duringia. Alth. 2. ſylua Alth. 39
durocortorũ. Bilib. 204
duromagus. Bilib. ibid.
durregum. Alth. 8
duſburgũ. Hub. Th. 662
duſſern. Alth. 70

E

EBerhart quid ſignificet 822
eberhardus dux Vuirtenbergenſis Vuymph. 376
eberhardũ ducẽ Vuirtenbergenſem domuit Rudolphus. Vuymphel. 377
eberuuini impietas. Trittenhem. 538
ebrietas mater iurgiorũ 755. Scytharũ. Alth. 34
ebrietatis incommoda Alth. 34
ebura oppidum. Hub. Th. 641
eburones nunc Leodienſes appellati. Hub. Th. 639. Germanos fuiſſe. Hen. Glar. 181
eoſdem cum Tungris eſſe. Pet. Diuæus 574
deleti. Pet. Diuæ. 675
ad Germanos pertinere. Peut. 407. Aduaticis tributarij. Pet. Diuæus 677. ab Aduaticorum iugo liberati. Pet. Diuæus 675
eburonũ calamitas inſignis. Hub. Th. 652. ſedes inter Moſam & Rhenũ. Pet. Diu. 752.
eburum ciuitas. Bilibaldus 209
eccleſia Pharenſis. Bilibald. 210
eccleſiæ Mediolanenſium & Romanæ diſſentio. Vuymp. 365
quæ utilitas foret ex frequẽtibus concilijs generalib. Vuym. 384
in Germania quibus rebus

rebus deſtruãtur. Aen. Syl. 465. pontificiales in Germania ąt ſint. Aen. Syl. 458
eccleſiarum prælaturæ. Aen. Syl. 458
eccleſiaſticorũ auaritia 718
eckhardus quid ſignificet. 823
edel fluuius. Bilibal. 212
edera Haſsię fluuius habet aurum. Alth. 14
exit in Viſurgim. Bilibaldus 217
edeſſa potens urbs per Saracenos euerſa Vymmph. 367
eduio Vuaſconum dux inuadit Franciã. Trittenhem. 339
efflui. Vuillich. 167
effluorum gentes. Bilibald. 210
efflui populi Martem Deum colũt. Alth. 68
eggebertus Rex. Vuillich. 159
eginhardus. Aeg. Tſcc. 521
egra ciuitas. Bilibaldus 209. urbs. Aen. Syl. 456. fluit in Albim. Bilibald. 217
ehingen oppidum. Mũſter. 493
eidorus fluuius. Bilibaldus 217
eigelheimenſi palatio in comitijs imperialibus celebrãdi uſus eſt Carolus Magnus. Munſt. 480
eilbertus Mindenſis epiſcopus 745
eckardus ſancti Gallenſis. Aeg. Tſch 521
elandia. Vuillich. 76
elbing ciuitas. Bilib. 211
elbingen iuxta ſinũ Codanum. Bilib. 218
elcebum. Vuillich. 141
elcebus. Bilibald. 203
electorum principum laus. Gebuil. 443
decanum eſſe Moguntinũ epiſ. Aen. Syl. 458
electrides inſulæ. Vuillich. 169
electrum. Vuillich. 169
Alth. 69
elementorum bellũ propter qualitates contrarias. Hen. Glar. 618
eluconum ciuitates. Bilibald. 208
elyſij. Cor. Tac. 62
Vuillich. 154
embden. Bilibald. 206
embricam eſſe Aſciburgium. Ph. M. 194
embricho pręſul & dux Francorum. Tritt. 325
emda in Phriſia. Bili. 208
emehardus præſul & emerich quid ſignificet 818
emericus Rex. Alth. 55
emmana flumen. Hen. Glar. 616
emona Clemona. Bilibaldus 202
ems amnis. Bilib. 217
emricha Munſter. 493
Munſt. ibid.
endoſes. Vuillich. 82
eneſus flumen. Bilib. 217
engedin dicit ab Aeno flumine. Aeg. Tſc. 555
engedini. Aeg. Tſch. 536
engern in Vueſtphalia Ph. M. 196
engrouelãdi. Vuill. 176.
enos urbs Thraciæ. Munſt. 487
ens oppidum ad danubium. Munſterus 494
prouincia. Bilibal. 202
epheſina ſynodus Neſtorium damnat 647
epiphania. Bilibal. 219
epiſcopatus Germani qui florentiſsimi ſint. Aen. Syl. 458 aureus Vratislauiæ. Aen. Syl. 454
epiſcopatuum Germaniæ quæ cauſæ ſint. Aen. Syl. 465.
Epiſcopi Tungrorum. Pet. Diu. 677. q no luerũt conſentire coniurationi ad Regẽ fugũt 746. qui contra Regẽ cum Saxonibus coniurarunt 745
epiſcoporum per Germaniam potẽtia. Aen. Syl. 458
epona. Bilib. Birck. 202
eppo Citicenſis epiſcopus 814
epulæ Germanorum Alth. 24
eques auratus unde dictus. Hen. Glar. 188
equeſtris Colonia. Aeg. Tſch. 579
equiculorum montes Vuymph. 376
equi Germanorũ. Althamer. 15
equorum præſagia. Althamer. 20
equis quæ gentes ualuerint. Hen. Glar. 188
equites turmales. Alth. 17
ἔρανος penſitationi genus. Vuillich. 113
eraſmus quid ſignificet 820
eberdenſis abbas. Aen. Syl. 459
eremus Heluetiorum Aeg. Tſch. 581
ergen. Alth. 57
eringus de Reinſtein dux & præſul. Triten. 326
erleſsbach. Alth. 57
erlungus præſul & dux Francorũ. Tritten. 325
ermefridus Rex Thuringię duo fratres occidit. Trittẽ. 332. & 333
ermingildus Rex Gothorum martyrio coronatur 697

erneſtus rex Germanorum. Vuillich. 84. rex Sueuorum Aeg. Tſc. 571
erphordienſe Gymnaſium. Vuymph. 389
erffordia Thuringiæ maxima ciuitas. Aen. Syluius 456
eſchenbach. Alth. 57
eſchental. Aeg. Tſc. 560
eſculi frõdibus louis aram ornabãt. Vuil. 102
eslinga imperiale oppidum. Munſt. 492
eſsfeld. Bilibald. 207
eſthẽs oppidum. Aeg. Tſch. 550
eſtiones. Aeg. Tſc. 530
eſtiorum mons. Aeg. Tſch. 550
eſtnerbergenſis ditio. Aeg. Tſch. 550
eſtnerberg. Aeg. Tſch. 537
etholia. Bilib. 319
etſtlende. Aeg. Tſc. 536
etzel mons. Vuillic. 78
euboea à Mahumete capta. Munſt. 491
eudoſes. Alth. 58
euganeorum reliquiæ. Aeg. Tſch. 564
euganeorum qui ſupremi ſint. Aeg. Tſch. 554
eumondori. Alth. 59. Aen. Syl. 450
euphrates. Hẽ. Gla. 609
eupolis lacus ex Lambro. Aeg. 584
europa Pij ſecundi pontifex Max. Peut. 417
eurypus mare. Munſte. 496
eutropius. Aeg. Tſc. 521
euxinum mare. Alth. 5
euxinus pontus qui flumina excipiat. Bili. 218
exarchatus poteſtas quãdo cœperit. Munſter. 479
excuſoria ars à Germanis inuenta. Alth. 30
exercitatio Germanorũ Cor. Tac. & Alth. 34 35
exercitus inſtructio. Althame. 16
expeditiones Caroli Magni in Saxones Trittenhe. 345
ἐνχαιστικὸν ad Maxilianum Cęſarẽ. Bebe. 325
ἐνκλιτικὲ copora. Vuillich. 89
ἐνκλία. Vuillich. 89
eyflia. Bilibal. Birc. 204
ἐννομία. Vuillich. 119
eyo tum campus. Hub. Th. 639
ἐνφωνία. Vuillich. 128
eyltatia ciuitas. Munſt. 454
eyuaſtia Bilib. Birc. 201
eyflia ubi in Rhenũ labatur. Bilibald 216

F

FAbarij cœnobij cõditor. Aegi. Tſch. 547
factiones in Germania & Italia. Vuymp. 377
falachia. Munſt. 487
fals communitas. Aeg. Tſch. 539
faneſij. Alth. 71
faramundus rex. Tritren. 321. & 322
faſtrada uxor Caroli Magni unde dicta 824
fauianis. Bilib. Birc. 202
fennorum habitandi & uiuendi rationes. Althame. 70
ferrifodinæ in Montafun. Aeg. Tſch. 549
ferrum Noricũ. Alth. 13
fibula. Alth. 27
figulina ars. Vuym. 398
filtritz. Aeg. Tſchud. 536
fimbre inſula. Alth. 50
fines oppidum. Aegid. Tſch. 581
finland unde nomẽ habeat. Ph. M. 199
finlandia 76
finni dicti pro fennis. Ph. M. 199
ficelia. Bilibal. Birc. 284
fionia. Vuillich. 76
flaccia regio. Munſter. 487
flandria. Alth. 2
flautenna. Bilibald. 218 Bilibald. 211
flauianæ aræ. Aen. Syl. 454
flauiani. Vuillich. 139
flauius Vopiſcus Syracuſius. Aeg. Tſch. 521
flumina Germania. Sebaſt. Munſt. 472. inſignia quatuor oriuntur ex monte Piniſero 209. quatuor ex Paradyſo. Hen. Glar. 609 maxima tria in Moſcouia oriuntur. Bilibald. 218. inſigniora quę in Danubium influunt 217. Germaniç in quas cœli plagas & in quæ flumina ſiue maria ferantur. Bilibaldus 216 in Moſcouia orientia Bilibaldus 212
fluminum ortus ex altiſsimis Alpibus in Heluetia 608
flymſs communitas apud Rhætos. Aegid. Tſch. 539
flia. Aegidius Tſchud. 530
florentinus ager incendio & direptione fœdatus. Vuymphelingius 382
flæuum Rhæni oſtium. Diuæus 689
focunates. Aegi. Tſch. 553. populi Alpini Aeg. Tſch. 564
fodinæ ferri, auri & argenti. Vuillichius. 162
fœdus hęreditariũ inter Heluetios & domum Auſtriç

Auſtriæ. Hen. Gla. 636
ſuperiùs apud Rhętos. Aeg. Tſch. 539
fœminæ fatidicæ. Alth. 17. ad imperandũ non ſunt creatæ. Alth. 69
fœminarum habitus. Althamer. 27
fœminas inclinatas aciès reſtituiſſe 100
fœneratores quantũ noceant. Vuillich. 122 ex Sicilia à Latone omnes eiecti. Vuillich. 133
fœneratorum tabulæ igne concrematę. Vuillich. 133. pœna 132
fœnus Germanis incognitum. Alth. 36. agitare Germanis ueterib. ignotũ fuiſſe. Vuill. 132 unde dictũ. Vuill. 132
fons Cottæ. Hu. Th. 645
Tungrorũ. Hub. Th. 628
fontenatium. Aegidius Tſch. 536
formæ ubicũ terrarum uariæ. Vuillich. 91
formido. Alth. 56
fortunę uices. Ph. M. 198
forum Iulij. Alth. 2
Iulij. Hen. Gla. 183. Tyberij. Aegid. Tſch. 581
foſen. Vuillich. 76
foli populi. Alth. 49
foylandia. Bilibal. 209
framea. Vuillich. 93
francken liberi. Peu. 417
franckenburg. Trit. 341
franckenfurt oppidum apud Oderã. Tritt. 310
francia orientalis. Alth. 2
francia occidentalis. Alth. 2. uaſtata â Gallis. Tritt. 308. Germanorum duplex. Peut. 419
franciã orientalẽ irrigat Mœnus. Aen. Syl. 458
francigenarũ uaria mutatio. Geb. 440
franciſcus nomen unde 825
franckfordię laus. Aen. Syl. 456
frãconis uadum emporium. Geb. 434
francofordiana Academia. Vuillich. 168
francus rex quamdiu regnarit. Tritt. 308. nomen unde 825
frãci Romanos ex Gallia pellunt 328. Alth. 2. unde dicti. Trittẽ. 308 unde dicti. Gebuil. 433 malo ſuo deuaſtant Galliam. Tritten. 310 nomẽ quid ſignificet Vuym. 363. Germani qui ſint. Tritt. 348. regnum Romanũ dilacerarunt. Ph. M. 196 Gallis commixti eorũ linguã & mores didicerũt. Tritten. 319. uix ad Chriſtianam fidem conuerſi. Tritten. 322 de Gallia pelluntur à Romanis. Triten. 313 ſuperant Alemannos. Tritten. 342. ab Hildegaſto quid didicerint. Trittenhem. 312
francorũ regnũ in duo regna diuiditur. Tritten. 347. regnum diuiſum inter Pippinũ & Carlomannum. Tritt. 341. natio. Alth. 37. exercitus Galliam & Romam capiũt. Tritten. 327. nomẽ Gallia tulit. Tritten. 348. regnum habuit Pippinus annis 16. Tritten. 343
francorum ſimplicitas in ſtructuris. Tritt. 313 proceres Pippinũ ducem in regem eligunt. Tritten. 343. regno tota ferè Germania fuit ſubiecta 340. Germanorum origo. Geb. 433 reges ſub poteſtate principũ erãt. Trit. 340 ducũ genealogia. Tritten. 317. arma. Tritten. 312. regni inſtaurator Carolus Martellus. Tritten. 339. regnũ ſeries à Pharmũdo uſq; ad Chilpericum. Geb. 435. diſſidia & ſeditiones. Tritten. 338
francos ortum habere à Sycambris. Bilib. 206
fraxinum. Aeg. Tſc. 536
friburgi Auẽtici laus & deſcrip. Hen. Gla. 628
friderich Mimegardefurdenſis epiſcop. 745
fridericus Auſtrius Tertius. Ro. imp. Vuymp. 387. qui ſe falsò ita uocarat Nuſsiæ combuſtus eſt. Vuymph. 377
friderich Palatinus comes coniurauit aduerſus regem 367
friderici primi ex gente Sueuorũ geſta. Vuym. 367. ſecũdi laus. Vuym. 374. ſecundi Sueuiæ ducis & Siciliæ regis uita. Vuymp. 370. III. imperatoris geſta. Vuymp. 387. Bauariæ ducis geſta. Vuym. 391
friſia. Alth. 2. à mari ferè tota ſubmerſa. Munſt. 478
friſię regnum ſit Fãncis tributarium. Tritt. 309
friſiam inundat Rhenus. Bilibald. 217
friſij maiores & minores. Alth. 47
friſiorum ad Neronẽ legatio. Aen. Syl. 463
friſiabones. Hu. Th. 657
friſiabones. Diuæ. 684
friſinga oppidum. Mũſter. 494
frugalitas quid poſsit. Vuilich. 140
fruxinũ. Bilib. Birc. 201
fulda amnis in Viſurgim exit. Bilibald. 217

fuldenſis monaſterium. Bilibald. 208
fuldenſis Abbas. Aen. Syl. 459
fulgentius epiſc. quando claruerit 647
funerandi modus apud ueteres Germanos. Vuillich. 134
funera Germanorum. Alth. 36
funerum apud ueteres Germanos honor. Vuillich. 134
furſtenberg iuxta Athe ſim. Aeg. Tſch. 537
furſtnouu apud Rhætos. Aeg. Tſch. 538
furſtenuuald. Vuill. 177
furti pœna. Tritten. 304
fuſsbren 817

G

GAbreta ſylua. Vuillich. 138
gabreta ſylua. Alth. 60
gabretã ſyluam hodie eſſe ſyluam Bohemorum. Bilibaldus. 215
gaciale mare. Alth. 48
gaditariæ inſulæ. Munſter. 495
gagares. Vuillich. 169
galaciæ comites contra Saracenos. Vuym. 366
galacken. Aeg. Tſc. 537
galeæ. Alth. 15
galanckertal. Aeg. Tſc. 564
galatæ unde dicti. Geb. 444. Celtæ. Vuillic. 83
galatarũ rex. Geb. 444
galatia. Geb. 444
hodie Galitia. Bili. 219
galbani ſuffitus. Vuill. 173
galindi. Bilib. 212
gallia occupata à Francis 328
gallia Ciſalpina. Alth. 2. uaſtatur à Saracenis. Tritt. 240. in Germaniã translata. Alth. 37. trifariã diuiſa. Alth. 2. Narbonenſis hodie eſt Prouincia. Bili. 219
Comata hodie dicitur Francia. Bilib. 219. Belgica. Peut. 415. unde dicta. Geb. 444
gallię deſcriptio. Alth. 2
regnum à Franciæ regno diuerſũ. Peut. 419
diuiſio. Pet. Diuę. 669.
galliam & Italiam deuaſtãt Alemãni. Tritt. 313
galli quando primũ in Italiam uenerint. Aeg. Tſch. 321. quales ſint. Vuymp. 362. olim Romanis ignoti. Aeg. Tſch. 558
galli ne unquam imperarint Rheni accolis Geb. 433. à Romanis uicti. Bebel. 328. in Flãdria in prælio ſuperantur 734
galliorũ indignatio contra electores Romani imperatoris. Vuymp. 361. clades. Tritten. 303
origo. Pet. Diuæ. 669.
fines deuaſtant Franci. Tritten. 317
gallis Germanos imperaſſe. Geb. 433. ſubiecti non omnes limis utuntur. Peut. 422
gallica lingua. Alth. 63
gallicũ mare Munſt. 495
bellum. Alth. 51
gallobrabanti. Diu. 690
galumbecium urbes Munſt. 494
gamanodurum. Bilib al dus. Birc. 202
gambriuius. Peut. 408
gambriuij. Seb. Munſt. 472
gambriuios à Gomer. Ph. M. 194
gampoſchin. Aeg. Tſc. 557
gandauum populoſiſſima urbs. Aen. Syl. 451
gandaui antiquitas. Diuæus. 679
ganges fluuius. Hen. Glar. 609
gangolfi etymon. 816
ganipotes. Alth. 69
geracon recipit dignitatem qua à filio erat priuatus. Tritten. 338
garaconẽ Franci faciũt comitẽ palatĳ. Trittẽ. 338
garibaldus rex Bauariæ. Tritten. 336
gaſtern regio. Aeg. Tſc. 528. ditionis Heluetiorum ſunt. Aeg. Tſc. 537
gaurium. Vuillich. 162
gaurĳ. Vuillich. 139
gaurienſis epiſcopatus. Vuillich. 162
gazarorũ gẽtes. Bili. 213
gazatios quos Græci uocarint. Bilibald. 214
γέα Geu. Vuillich. 156
gebehardus ſecundus dux & præſul Francorum. Tritten. 325
gehenna hodie Genff. Bilibald. 219
gebhart. quid ſignificet 822
gedanum. Vuillich. 76
gedroſia. Bilibal. 219
gedroſĳ. Vuillich. 90
geldrẽſes. Aen. Syl. 460
geldrenſes Sicambri. Ph. M. 195
geldria. Alth. 2. quando facta ſit comitatus & unde dicta ſit. Seb. Munſt. 475
geldriæ fines ſedem fuiſſe olim Francorum Tritten. 320
gelduba oppidũ. Diuę. 685. Bilib. Birc. 204
geloniĳ ueſtes ex hoſtiũ cutibus ſibi fecerunt. Vuillich. 116
geldriæ nomen dederit Gelduba. Diuæ. 687
genabũ. Hen. Gla. 605

genda-

gendanum qualis ciuitas. Aen.Syl. 454
genealogia regum & ducum Francorum. Tritten. 336
genebaldus dux Frãcorum cõtra Romanos uictor.Tritten. 315
dux Franciæ quãdiu regnarit.Tritt. 322.
genebũ olim,hodie Orliens.Bilibald. 219
geneua.Aeg.Tsch. 582
Hen.Glar. 605
geneuæ lacus Lemannus.Aeg.Tsch. 563
gengespach.Alth. 57
gentes ferinę.Bilib. 211
gentiũ mutatio. Alth. 39. errationes stupendæ.Ph.M. 199
gentiles cateruas quas nominarint Romani. Herold. 589
gentilitę dij.Alth. 18
genua.Hen.Glar. 605
geon. fluuius. Henric. Glar. 609
Georgius Purbachius Mathematicus Germanus quo floruerit tempore. Vuymp. 389
gepidæ.Bilibald. 212
gerlitz.Bilibald. 208
gergouia hodie Claromont.Bilib. 219
gerhardus de Suartz pfsul & dux Frãcorum. Tritten. 327
germania prima & secũda.Bilib.Birc.200.media Corneliana.Vuil.7 magna.Alth.2.qui Cęsares oppugnauerint Seb.Munst.468.superior & inferior.Alth.2 literis culta.Alth. 30 triplex. Vuilll.77. qua parte humidior quaęp uentosior sit.Alth. 13. Berosiana uetus.Vuillich. 77. quãta olim fuerit. Aenæ.Syl. 450. informis. Alth. 6. Germaniæ ueteris fines.Alth. 1 libertas.Geb. 433. fines nostro æuo. Alth. 2. termini.Seb.Munster. 471. Prouinciæ Hen.Glar. 182. sidera uerticalia.Celtis 446 terra qualis.Celtis.448 regni urbes & ciuitates.Tritten.347. latera quatuor.Celtis 446. faciem pręstantiorẽ quã olim 451.maxima flumina.Seb.Munst. 472 & 473.iuga & montes tres.Celtis 447.ueteris imago.Alth.6.situs & fines. Cor. Tac. 1. nomẽ unde dictũ sit. Aegi.Tsc. 577.laudes 222. regnũ manet liberum etiãsi auferatur imperiũ. Tritt. 348.Gallia concessa.Alth. 37. regnum habet regẽ non indigentem confirmatũ.Trittẽ.348. limites. Vuillich. 76
germaniã à germinãdo dictum. Aen.Syl.450
germanicáne sint propria nomina quomodo cognoscendum 816
germanicæ nationes uarij principatus & prouinciæ.Seb.Mũst. 474
germanicarũ rerũ epitoma.Iacobi.Vuym. 349
germanicũ regnũ separatur à Gallico. Tritt. 347. nomen quouisęp peruenerit.Alth. 1
germanici quot & qui apud Romanos appellati sint.Vuillic. 153 cognomentum q tulerint.Alth. 54. regni ciuitates quæ dicantur. Trittẽ. 348.
germanica classis ąmodo in Oceano Germanico periclitata sit 514
germanismus corruptus.Alth. 63
germani unde dicti.Althame. 9. quos p dijs coluerint.Alth.18.summa cacumina Alpium possident.Alth 2. quibus clamorib. pugnã inchoarint. Alth. 11 donationibus corrupti.Alth. 14. indigenæ. Alth. 6. externos etiam reges pepulere.Vuymph.353. nominis autores Tũgri. Pet.Diuæ. 647. Cæsaris custodes eliguntur.Vuymp.353. quandoęp Romanis dominati sunt.391.libera gẽs Alth. 63. aduersus Romanos uictores Alth. 52. quando primũ ita nominati sint. Hub.Th. 637
germanorum genera quinęp.Peut. 407 reges.Alth. 62. appellationes.Vuillich. 80. aduersus Romanos & alios hostes uictoriæ.Vuillichius 153.& 154. ueterum studia & mores.Aen.Syl. 449 &450. fœminæ armis quoęp usę sunt.Vuymph.354. quinęp gentiũ potẽtia.Vuym.394.auxilio Romanos triumphasse. Vuym.391. nobilitas. Vuymph. 398. quinque esse genera Vuym.351.syncerias & habitus.Alth. 12. discordia unde Vuymp. 395. uictorię cõtra Germanos.Vuill.151.robur & fortitudo.Vuymp. 398.dij cõmunes.Vuillic.101.cõstãtia.Vyum. 393.potẽtia.Cor. Tac. 50.triplex potẽtia. Aẽ.

Syl.457.discordia Alth. 47. pœnæ & supplicia in nocẽtes. Alth. 22. ue terũ diuitiæ in pecoribus. Alth. 13.
germanos esse autochtones. Bebelius 238
gerson Theolog. Sigismundũ Imperatorem quomodo laudarit. Vuymp. 385
gessatę. Aegid. Tsc. 572.
gessodunum. Bilib. 202
gessoriacũ nauale. Diu. 681. nauale. Bilib. 205
getæ. Munsterus 486. Transyluani. Bilibaldus 219. Vuillich. 149
getarum ueterum reliquiæ. Vuillich. 166
getas à Gotthis oriundos. Ph. M. 198
γετηνοι. Ph. M. 198
γετηνοι. Vuillich. 149
geuu Germanicè quid significet. Alth. 57
gibellini ab imperatoris partibus fuerunt. Vuymph. 371
gibellemarus partem suam à magistratu deiecit. Trittenhe. 338
gimnesis ducatus. Bilibald. 213
gisortium oppidum. Diuæ. 680
gladij breues. Vuill. 164
glabedona oppidum. Aeg. Tsch. 564
glarea oppidum. Aegi. Tsch. 564
glechoniris cereuisia. Vuillich. 120
glessaria insulæ. Munst. 478. Alth. 68
glessum. Cor. Tac. 68 Vuillich. 170
gletscher mons. Aegid. Tsch. 563
gloria uera unde. Con. Peut. 402
goa. Bilibald. 220
gnaninus Hunorum rex. Tritten. 320
godanum Vuillich. 164
godanus sinus. Vuilli. 164
godgisith. rex Vuandalorum. Tritten. 327
goltbach. Aeg. Tsc. 529
gomer filius Iaphet. Ph. M. 193
gomorrei ubi habitarint 171
gorcẽsiũ Alpes. Bili. 215
gorcken oppidum Menasiorũ. Hub. Th. 650
gordunorum sedes. Diuæus. 679
goricensis comitatus Bilibald. 202
gosbrutus iunior dux q̃diu regnarit. Trit. 323 dux quot annis regnarit. Trittenhemius 523
goslaria. Ph. M. 195
gosuualdus dux episcop. Frãcorũ. Trit. 323
gotfridus de Hoenlo prę̃sul & dux. Trit. 326 Buillonus. Peut. 421 Pius princeps quãdiu regnarit. Tritten. 322 de Pistenberg dux & præsul Francorũ Tritten. 325. Barbarus Bruxorum & Leuanij comes. Peut. 421. tertius de Hoenlo dux & prę̃sul. Tritten. 326. frater Petri Hieremitæ. Vuymp. 366. quartus de Limpurg prę̃sul & dux. Tritten. 327
gotfridi fortitudoin oppugnatione. Hierosolymæ. Vuymph. 366
gotlãdia insula Daniæ. Bilib. 210. insula Oceani. Alth. 66
gotthardi mons. Aegi. Tsch. 544
gotthart quid significet 823. summæ Alpes. Aegid. Tsch. 563
gothia. Vuill. 76. Gotlãdia insula. Bilibal. 219
gothialani. Vuymp. 355
gotthicæ gẽtis reliquiæ Ph. M. 193. nationes. Bilibald. 212
gotthicũ bellum. Vuillich. 166
gotthici belli scriptores. Vuillich. 166
gotthinus sinus à Gotthis dictus. Ph. M. 198
gottini & Gottones partes sunt Gotthicæ gentis. Ph. M. 198
gothini ferrarias habẽt. Alth. 62
gothi Romam capiunt & subuertũt. Tritẽ. 327 orientales q. Bilib. 212 dilacerarunt Romanũ regnũ. Ph. M. 196 quid potuerunt. Vuym. 395
gotthorum duces de Mankup. Bilibal. 213 reliquias hodie adhuc in Chersoneso Tauri ca restare. Ph. M. 198 clades Tritten. 305
gotthos superarunt Franci. Trittenhe. 340 in Vrorum regione cõsedisse. Aeg. Tsch. 562
gothones. Vuillich. 154
gotingensis ciuitas. Bilibaldus 217
grafenau oppidum. Bilibaldus 209
græcia maior quæ fuerit. Bebelius 236
gręci à Cimbris Germanis uicti. Vuymp. 351 quãdiu possiderint imperium. Seb. Mũst. 479
græcis uocabulis Germanos uti. Alth. 64
graiæ Alpes. Hen. Gla. 183. Alpes in Retia. Bilib. 215. Alpes. Aeg. Tsch. 556
gran ciuitas. Mũst. 494
grana flumen. Bili. 217
granatæ pars in Lusitania. Bili. 219. pars Betica

tica.Bilib. 219
grandentini.Vuill. 176
grãdo magna, & multi fulmine exusti sũt 706
gransa.Vuymp. 393
granus Lotharij filius à patre occiditur. Trittenhem. 333
graps Quadrabitũ 536
graupünder. Aeg. Tsc. 536
gregorius quintus papa 360. sextus pontifex abdicare se pontificatu cogitur ab Henrico imperatore. Vuymp. 363
papa misit prædicatores in Angliã. Tritt. 322
gripho Caroli Martelli filius. Tritenhem. 340
grimaldus filius Pippini. Tritten. 336
grinnium oppidum. Diuæus 685
grimpsmaldia .Bili. 207
grisei cõfœderati. Aegi. Tsch. 540
gronlandia. Bilib. 210
Oceani insula. Alt. 55
groningen. Bilibal. 206
gripho captus à fratribus in custodia detinetur quatuor annis. Tritten. 341
groissonij gẽs Arabica, templarios uincunt Vuymp. 373
grudij. Hub. Th. 648
grudiorum sedes. Diuæus 679
grunes. Munst. 478
Alth. 47
gruninga. Munst. 178
griffenstein Rhetorum communitas. Aegid. Tsch. 534
grinæi ad Grusium epistola 693
grimaldus rex Longobard. 820
gryphũsis lacus. Hen. Glar. 618
grysones. Vuillich. 79
guerra. Alth. 45
guelphi pontifici fauebant. Vuymp. 371
guido Gremensis antipapa. Vuymph .369
guilhelmus dux Austriæ. Vuymp. 366
guilielmus Tell Vrius. Hen. Glar. 600
guiscardus Apulię dux Vuymph. 365
guisnẽsis episcopatus. Vuillich. 163
gundelfingum oppidũ. Herold. 589
gũduni. Hub. Th. 648
gunibertus nomen proprium nomen quid significet 822
gẽtzelhusen. Mũst. 494
guntzpurgum oppidũ ad Danubij ripam Munst. 493
guntramus quãdiu regnarit & ubi. Tritt. 333
gurcensis episcopatus Aen. Syl. 458
guthadus fluuius. Bilibald. 207
guthones Alth. 66
gutlandia insula. Vuillich. 164
guttones Germanis adnumerati. Peut. 407
gutzurat Bilibaldus 219
gyda. Bilibald. 220
gygas Tuysco. Vuillich. 81
gymnasia publica in Germania. Alth. 30
γυναικράτεια. Vuillichius 165
gythonæ. Vuillich. 164
gythones. Alth. 66. in Sarmatia. Bilib. 211

H

HAbspurg comitatus. Trittẽ. 336
habspurgenses comites. Peut. 420
habspurgensium comitum genealogia. Trittenhe. 333
hadrianus papa quid molitus sit aduersus Barbarossam imperatorem. Vuymp. 368
secundus. Vuymp. 358
hæderæ frondibus Bacharum ornabãt. Villich. 102
hænodi montes. Hen. Glar. 609
hæredum institutio apud Germanos. Cor. Tacit. 32
hæresis feliciana damnata 699
hagenoia in Alsatia. Munste. 429
hala Saxonica. Ph. M. 195
halberstat. Ph. M. 195
halberstadiensis. Vuillich. 147
halberstadiensis episcopatus. Bilibald. 208
episcopatus. Vuill. 156
halitz ciuitas in Ruscia. Bilibald. 213
hall oppidum. Aegid. Tsch. 549
hallis urbs. Trittenhemius 341
hamasia in Phrisia. Bilibaldus 208
hamaxobij. Alththam. 71
hamburgum. Vuillich. 1499. Alth. 60
hamo comes. Vuymp. 367
hania flumẽ. Hub. Th. 666
hannibalis exercitus quomodo perierit. Vuillich. 140
hannibalem primum Alpes peruias fecisse. Aeg. Tsch. 558
hannonia Hub. Th. 666
hannones. Hub. Th. 666

apſel ciuitas. hBilibaldus 211
hapſelenſis epiſcopatus.Bilibald. ibid.
hardmiones. Vuill. 156
harelungi. Sebaſt.Munſterus 472
harminij hiſtoria. Phil. M. 194
harponi committitur Burgundia. Tritt. 335
harthulff quid ſignificet 816
hartmannus quid ſignificet 821
harto ſylua.Altha. 39
hartzinia ſylua.Vuillic. 138
hasbani.Per.Diuæ. 675
hasfurdia. Munſt. 493
haſenſprung.Aeg. 559
haslenſis lacus.Henric. Glar. 617
haſsia.Alth. 2
haſsiæ urbes. Aen. Syl. 456
haſtile quam lõgum ſit. Vuillic. 93
hattela quid ſignificet 813
hatto nomẽ proprium 816
hauella fluuius ueterib. ignotus.Vuillich. 177
hauellæ regio.Vuil. 156
hauelbergeanus epiſcopatus.Vuillich. 96
hauelland.Vuillic. 156
hauelſpergenſis epiſcopatus.Vuillich. 156
hechtar Germanorum rex.Vuillich. 84
hercules libyus. Vuillich. 85
hedui olim, nunc ſunt Burgundiones ducatus.Bilibaldus 219
hegauia mittit Danubium in mare Euxinum. Munſt. 493. Müſt. 475
hegen.Alth. 57
heidelbergẽſe Gymnaſiũ eccleſiæ prouẽtib. fundatum.Vuym. 392
heilprunna.Munſt. 492
heilſpergenſis epiſcopatus.Vuillich. 158
heintzenberg. Aegid. Tſch. 539
helempolis.Tritten. 311
helendi Alces dicũtur. Munſt. 485
helenus & pater eius primi duces in Franconia fuerunt Chriſtiani.Trittẽ. 322. Sicam brorum rex quamdiu regnarit.Tritten. 103
helium oſtium Rheni. Diuæus 689
helitonius Germanorũ rex.Vuillich. 84
hellas cũ Locride.. Bilibald. 219
helleſpontus mare. Müſterus 495
helleuiones. Alth. 71
helleuiori.Glare. 190
helluſij.Alth. 71
helluſios apud Plinũ eſſe helleuiones.Vuil. 176. eſſe inſulares 190
helueconç.Cor. Tac. 62 Althame. 64
helueconarum & Ariorum nomina exoleta. Bilibald. 210
heluetia in Pagos diuiſa.Vuillich. 96
heluetiæ deſcriptio per Hẽricum Loritũ.Glareanũ 598. partes Angulos non ſine ratione dici.Hen. Gla. 631
heluetij olim gens Baltica.Alth. 1. Alth. 39
heluetiorum marca Aeg.Tſch.534. in conciliis ordo.Hen.Glar. 630. pagi quatuor.Aegid. Tſch. 581. ſocij Hen.Glar. 631
heluetiorũ deſerta, nũc ſylua Mora.Bilib. 206 apud Baſileam contra Gallos pugna. Vuymphel. 387. Eremus Vuilich. 138. ciuitas Vuillich. 114. potentia ante tempora Iulij Cæſaris.Aeg.Tſc. 533
heluetiorũ pagi. Alth. 57
heluetios Germanos eſſe.Geb. 443
hemanuel imperator Conſtãtinopolitanus Vuymph. 367
heueti unde uenerint Ph.M. 194 Vuillic. 158
heuetos gẽtem eſſe Aſiaticã. Ph.M. 199. Myſiæ magnam partem occupaſſe Ph.M. 197
hẽricus primus.Vuymphel. 358. primus rex Magni Othonis pater.Peut. 420. ſecũdus imper.genet Conradi imperatoris. Vuymp. 363. ſecundus dux & prçſul Francorũ. Tritt. 325. ſecũdus qd de põtifice eligendo conſtituerit Romanis obſeruandum. Vuymp. 363 Tertius. Vuymp. 364 tertius contra Romanos pontifices. Vuymphel. 365. Quartus doctor Pariſienſis, dictus de Taſeo, præſul & dux Frãcorũ. Trittenhem. 326
henrici quarti uita & geſta. Vuymp. 365. & 366 quinti, Friderici primi filij geſta. Vuymp. 370
hẽricus Thuringus cõtra Fridericum electus Vuymp. 373. præſul & dux Francorum. Tritten. 324. maiorum dux uictus. Vuymp. 360.
henricus de Biebelrith tertius Frãcorum dux 376. Cimburgij comes. Peut. 421
henrici loriti deſcriptio Heluc-

heluetiæ 598
henrici Glareani in Tacitum cõmentariolus 179
henrici Luceburgĝ electio & gesta. Vuymp. 379
hepta flumẽ. Diuç. 680
herpipolis ducalis & põtificalis sedes. Aen. Syl. 456
herpipolensis ecclesiæ potentia. Aen. Syl. 458
hercyniæ syluæ ac initiũ Aeg. Tsch. 581. syluæ etymon. Vuillich. 138 syluæ nomen unde Vuill. 91. syluæ descriptio. Alth. 39
hercules Alemãnus. Alth. 10. Almanus. Peut. 410. deus Germanorũ. Alth. 19. duo. Alth. 48 Alemãnus decimus in Germania rex. Vuill. 84.
herculis colũnæ. Alth. 47
herculis columnę. Mũster. 495. etymõ. Vuill. 86. apud Celtas imago. Vuillic. 160. scuta Vuilich. 94.
herdeuones. Vuillic. 82
heribertus regnat Parisijs. Tritten. 333. Clodomiri nepos dux Franciæ quam diu regnarit Tritt. 323. quãdo obijerit. Tritten. 337. quamdiu regnarit. Tritt. 319
herman quid significet 817.
hermannia pro Germania 817.
hermannus contractus quando floruerit. Vuym. 364. de Ladenburg dux Francorum & præsul. Tritten. 326
hassiæ Lantgrauius. Vuymph. 393
hermannus cõtractus. Aeg. Tsch. 121
quid significet 821
hermenfrid rex Thuringorum. Trittenhe. 310
hermion Istæuonis filius. Peut. 408. filius Mãni. Vuillich. 80.
hermiones. Alth. 7. & 8. quomodo uocentur. Peut. 407. Peut. ibid. ultimi Germaniæ. Bilibaldus 210
hermionum gẽtes quę. Hen. Gla. 184
hermolai Barbari epithaphium in laudem Rodolphi Agricolæ. Vuymph. 389
hermonactus. Bilib. 203
hermundurorum ciuitas. Alth. 59. sedem ad Albim fuisse. Ph. M. 196
Herold quid significet. 820
Heroldus dux & præsul Francorũ quãdiu præfuerit. Tritten 325
hertanæ. Alth. 59
herthum. Alth. ibid.
heruli. Vuillich. 178
hesiodus quo tempore uixerit. Vuymph. 351
hessi & Catti. Vuillich. 144. Catti sunt. Aen. 45
hesperidum insulæ. Bilibaldus 219
hettila rex Hunorũ 823
hetanus quamdiu præfuerit dux Franciæ. Trittenhe. 323
hetrusci. Alth. 3
hetzel Hildensheimensit episcopus 745
heltzelinus præsul & dux Frãcorũ. Tritt. 325
heximilium. Bilibal. 219
heylprunmum. Alth. 49
hiacinthinum bitumẽ. Vuillichius. 171
hierasius flumen. Bilib. 217
hierosolyma â gente Arabica capta. Vuymp. 373
hierosolyma rex Gotfri dux ex Lothariorum familia. Vuymphelin. 366
hierosolimam à Saracenis occupatã conãtur Christiani recuperare Henrico quarto imperante. Vuymphel. 365
hilari templũ incẽsum. Tritten. 339
hilbericus Francorum rex. Geb. 436
hildepertus Parisijs regnauit. Tritt. 332. fratri Clodoueo succedit. Tritten. 338.
hildebertus quid significet 821. in papam electus 743 papa frequentibus synodis decreuit ut sacerdotes uxores non habeant 768
hildegast Frãcorum uates. Tuittenhemius 312
hildericus à fratre occiditur. Tritten. 330. rex Trittenhe. 312. in uenatione occisus est. Trittenhe. 338. quam diu regnarit. Tritten. 329. Theodorici regis filius nomine solo regnauit 340
hildesheim. Ph. M. 195
hildesheimenses. Vuillich. 147
hildeshiemẽsis ciuitas Bilibaldus Birck. 208. episcopus 306. episcopus. Bilib. Birc. 208
hilge flumen. Bilibald. 218
helleuionum potentia Vuillich. 177
hilige flumẽ. Bilib. 211
hilpericus q̃dã apud Suessionas regnarit. Tritten-

Trittenhemius 334
hiltebrant ꝑ Heltbrenn 817
hintrich qd significet 818
ἱππικὴ. Vuillich. 146
hippodes. Alth. 71
ἱππόδες homines. Vuillich. 176
hircanum mare. Bili. 213
hirschouu monasteriū à quo ædificatū. Vuym. 363
hisarci. Aegid. Tsch. 553
hispalis olim, nunc Sybilia. Bilibald. 219
hispaniæ diuisio. Alth. 51
hispaniam deuastant Franci. Tritten. 313. totam subegit Cęsar Augustus. Vuillich. 150
hispanicū mare. Munst. 495. bellum. Alth. 51
hispanus filius Hispalis. Vuillich. 63
hispanorum sex prouinciæ. Alth. 51
hispanos uicit Carolus Magnus. Peut. 418
hister fluuius. Sebast. Munst. 472
historias Romanorum continuas extare. Diuæus 619
historijs recētioribꝫ. magis credendū. Vuil. 177
hystrienses. Peut. 419
hobunsardam principē Coquorū muros Hierusalem destruxisse Aen. Syl. 466
hoch Teutschland. Althamer. 2
hoff oppidum. Bili. 209
hogij. Trittenhem. 341
hohēstaufen prosapia. Peut. 420
holum oppidum Condrusorū. Hub. Th. 651
holus fluuius. Hub. Th. 651
holandia. Alth. 2
holandiæ urbes. Aen. Syl. 455. pars sub Batauia cōtinetur. Bili. 205
insula. Munst. 493
holādiam inundat Rhenus. Bilibal. 217. primam sedem Francorū fuisse. Trittenhe. 320
holandi. Alth. 43
holandinus comitatus Seb. Munst. 475.
holfeld oppidū. Bili. 209
holsatiæ ducatus. Bilib. Birck. 207
holsati ubi sint. Vuillic. 149. Vuillich. 81
holsacienses Dani. Ph. M. 194
holstanij. Trittenhe. 348
holsteen. Ph. M. 196
homerus quando claruerit. Vuymph. 351
homicidæ quomodo mulctati sint apud Germanos. Alth. 33
homicidij pœna. Alth. 32
homines q mactarint. Vuillich. 155
hominū status triplex. Vuymph. 389
horba. Munst. 492
horas & Albis fluminū confluentia. Tritt. 746
hort quid significet 823
hospitalarij uincuntur. Vuymph. 373
hospitales Germani. Alth. 33
hospitalitas Germanorum. Vuymph. 399. ueterum Germanorum Vuill. 124. Germanorum. Cor. Tac. 32. & 33
hostium discordia optā da. Vuillich. 146
hugbaldus dux Frāciæ quot regnarit annis. Trittenhe. 322
hugo Parisiorū comes. Vuymph. 359. præsul dux Francorū. Trittē. 324. Capetus Gallicarum rex. Munst. 480
de Sletstat Bonauēturæ sectator. Vuym. 378
hugo Capetus. Gebuil 435. Caputius. Vuym. 361
huium oppidum. Hub. Th. 647
huldricus episcop. Augustanus Papā arguit de concubinis. Aen. Syl. 453
humanarum rerum inconstantia. Ph. M. 196
humanarum rerum defectus. Peut. 420
hungari unde uenerint in Pannoniā. Bilib. 211
hunibertus quid significet 822
hunibertus dux Frācorum quot annis præfuerit 323
hunnus. Vuillich. 84
hunni. Alth. 4
hunnorum rex primus Odoacer. Munst. 479
huysseburgū. Mūst. 494
hyberna. Alth. 54
hybernacula. Alth. 54
hyems frigidiss. 807
hyemis inclemētia uineta radicitùs perierunt 807
hymenæu. Vuill. 118
hyperborei Sarmatę. Vuillich. 212
hypolitus proprium nomen 821
hystriam occuparunt Germani. Alth. 70

I

IAcobus Teutonicus ordinis Carthusiēsium. Vuymph. 388
iagesta flumen. Bili. 216
ianiculus mons Romæ quomodo hodie appelletur. Vuym. 367
iazgum. Munst. 482
iberia. Alth. 51. pars Colchis. Bilibald. 219
iberiæ montium inhabitatores. Bilibald. 213

Iciusportus 205
Idolum dictum destructum. Tritten. 345
Ienatz cõmunitas Rhętorum. Aeg. Tsch. 540
Igla flumen. Bilibal. 217
Igratius Antiochiæ episcopus. Peut. 405
Ignis hiatus in Echtanis. Vuill. 171. de Rheno ascẽdit & pximas uillas absumpsit 706
Ilantz cõmunitas. Aeg. Tsch. 539
Ἴλλυρικόν. Vuillich. 171
Ilera fluit in Danubiũ Bilibald. 217
Ilingæ. Bilibald. 206
Illiricum populati sunt Cimbri. Vuymph. 352
Illyricũ prouincia Munster. 486
Illyrij Bosrimenses & Dalmatia. Bilibal. 219
Illyricos occuparunt Germani. Alth 70
Ilza amnis. Bilibald. 217
Immet Poderbrunnẽsis episcopus coniurauit aduersus regem 745
Imperandi cupido. Althamer. 69
Imperatorẽ eligendi lex & cõsuetudo. Vuym. 361
Imperatoris & pontificum discordia quantum nocuerit 369
Imperatores qui coronati sint. Bebelius 252
Imperiales ciuitates quæ. Tritten. 348
Imperium Romanũ ad Germanos translatũ Vuillich. 110 Romæ quãdo fuerit amplissimum. 501. Romanum quomodo & quando in Germanos sit translatum. Munst. 479
Imperia ciuitates, regna habent sua initia & fatales periodos. Bili. 214
Imperij uires aqud Germanos defecisse Aen. Syl. 463. Romani in Germania principiũ encomium. Geb. 443
Impressoriæ artis inuentio. Vuymp. 396
India. Blibald. 219. quæ mittat. Peut. 406
Indictio pẽsitationis genus. Vuillich. 113
Indorũ signũ militare fuit Hercules. Vuil. 97
Ingęuon filius Manni. Vuillich. 80
Ingęuones unde dicti Peut. 407. qui fuerint Alth. 7. sunt gens Germanorum. Vuym. 351
Ingelnheim regium palatium. Geb. 438
Ingeramus Germanorum rex. Vuillich. 84
Ingriones. Bilibald. 206
Ingroualandi. Vuill. 166
Innocentius contra fridericum. Vuymp. 373 ab imperatore Romã perductus restituitur. Vuymph. 367
Innocentij secundi põtificis uita & fortuna. Vuymph. 366
Insubres. Aeg. Tsch. 536
Insulæ. Alth. 5. fortunatæ nunc Cannariæ dicuntur. Bilibald. 219
Insulas occupandi, ueteribus fuit magna cupiditas. Ph. M. 199
Intal Vallis. Aeg. Tsch. 540
Intuergi populus. Aeg. Tsch. 582. Bilib. 206
Inuidiam qui non sentiant. Hutt. 432
Inutrium. Bilib. Birc. 201
Ioannes Andreæ Alensis episcopus. Vuym. 388. de Brunn præsul & dux. Trittenhe. 327 de Eglofstein dux & præsul. Tritten. 327 de Grunbach præsul & dux. Tritten. 327
Hirtz Argentinensis pictor. Vuymp. 398. Huniat pater Matthię regis Vngariæ Aen. Syl. 462. de Mõte Regio mathematicus Vuymph. 389.
Ioãnes Scotus. Vuym. 358
Ioannis Herold cõmentariolus de locorum quorundam appellationibus. Herold. 585 duodecimi Papæ malitia. Vuymph. 359
Iodoci Vuillichij commentariã Cornelij Taciti Germaniam 73
Ionia Bilib. 219. ab Alexandro Magno domita 353
Iouincium. Bilibal. 207
Iouis mõtes. Aegi. Tsc. 582
Irenæus episcopus de Germania 77
Itinerarium Antonini suspectũ. Pet. Diu. 676
Irmensuel Phanum seu idolum 517
Isara flumẽ. Munst. 494
Isaræ fluminis cursus & exitus in Danubium 217.
Isenburg arx. Geb. 436
Isis numen Germanorum. Vuillichius 101. Sueuorum numen. Alth. 19. iuno Aegyptia Osyridis uxor Vuillich. 81
Isidis simulachrũ Vuill. 160
Islandia insula Oceani. Alth. 59
Isnisca. Bilibal. Birc. 201
Israëlis Alemanni Icones. Vuymphelingius 397
Istæuones gens Germanorum. Vuymph. 351

iſtęuo filius Māni Vuillich. 80
iſtæuones qui ſint. Altham. 8. Germani ꝓxi mi Rheno. Peut. 407 unde appellati 407
iſtmus. Bilibald. 219
iſtulæ fluminis ortus, curſus & exitus. Bilibald. 217
italiæ initium ubi. Aeg. Tſch. 561
italiæ flos & robur. Althame. 2
italiã aliquoties uaſtauit Henricus quartus Vuymph. 366. deuaſtauerũt Franci. Tritt. 313
itius portus. Diuæ. 681
iubaltus in pręlio interfectus. Trittenhe. 319
iuberi. Aeg. Tſch. 553
iuberi. Aeg. Tſch. 565
iubilei annus. Vuymp. 389
iubillius rex. Alth. 62
iuratan inſula. Bili. 220
iudæa pars Syriæ. Vuillich. 68
iudices ſine manibus. Vuillich. 108
iudiciorum decẽ liga apud Rhętos. Aegid. Tſc. 538. conſiſtoria apud Rhętos. Aegid. Tſch. 538
iuhra gens. Munſt. 485 Bili. 212. regio. Bili. 211
iuliacẽſis comitatus & marchionatus & ducatus. Seb. Mũſt. 475
iuliacum opp. Diu. 687
iulianenſis terra 493
iuliæ Alpes. Hen. Glar. 183
iuliæ Alpes. Aeg. Tſch. 555
iuliariũ alpium portio eſt mons ſeptimus Aeg. Tſch. 556
iuliobona. Bilibal. 202
iulius Capitollinus Aeg. Tſch. 521
iulij Cæſaris commendatio. Alth. 38
iuliũ carnicũ. Bilib. 202
iulium carnicum. Hen. Glar. 183
iunius Syllanus à Cimbris uictus. Vuym. 352
iupilla uilla regia, non ꝓcul à Leodio. Hub. 659
iupiter Labradæus. Vuillich. 160
iura mõs. Aeg. Tſc. 581
iuræ montis nomine q̃ cõtineantur. Bilib. 216
iuraſſus mons. Vuill. 78
iuſtitiæ imago. Henric. Glar. 633
iuſtula flumẽ. Bilib. 217
iutlandi. Vuillich. 149
iuuaniũ. Bilib. Birc. 202
iuuarus flumen. Bili. 217

K

Κεφαλία Vuilich. 89
κοῖλοι. Vuillich. 148
kalmũitz. Bilibaldus. 290
Kam oppidũ. Bilib. 209
ka abe. Vuillich. 170
καπνάροι. Vuillich. 147
ke heim oppidum. Mũſter. 493. Munſt. 494
kemſee. Bilib. Birc. 202
kennemerlandes nõ eſſe caninefates. Diuæ. 686
Kiliani & ſociorum eius ſanctorum martyrum corpora quando ſint inuenta & translata. Vuirtzb. Trittẽ 345
kiburgenſis comes. Peu. 420
κιμβρέϊς Cimbros Græci uocant. Vuymp. 351
kirkel ciuitas 419
koberga. Bilibald. 209
krembs. Bilibald. 209
krẽmſa oppidum in ripa Danubij 494
kreuchgauienſis. Seb. Munſt. 472
κριθινὸν ὕδωρ. Vuill. 127
kulbach oppidum. Bilibaldus 209

L

Lacedemonios humana uictima litaſſe Marti ſuo Vuillich. 102
laciburgium. Bilib. 207 Vuillich. 177. eſſe Sundenſem ciuitatem. Bilibaldus 217
laubardi. Bilibal. 208
lacus Tigurinus. Hen. Glar. 618
lacus Conſtantiæ. Bilibald. 202. & paludes in Heluetia. Henricus Gla. 617. quo Rhenus efficit. Alth. 5
ladislaus Alberti filius. Vuymph. 386
ladislai immatura mors Aen. Syl. 459. & 460
laĕrtes Germanorum Rex. Vuillich. 84
laginga oppidum. Mũſter. 493
lambach monaſterium Trittenhem. 324
laccobardi fuerunt Albis accolę. Vuill. 156
lamber fluuius. Aegid. Tſch. 584
lampertus quid ſignificet 822
lana flumen. Seb. Mũſt. 474
lanę flũminis ripas multa oppida habere. Mũſter. 493
lancearij milites. Vuillich. 93
lãcoſargi. Aen. Syl. 450
landi. Seb. Munſt. 472
landoia oppidũ. Munſter. 494. Munſt. 492
landolphus propriũ nomen unde dictum 816
landſtein. Munſt. 493
lani. Vuillich. 145
lanshuta oppidum. Mũſter. 494
langarus fluuius ubi à Rheno

Rheno excipiatur. Aeg. Tſch. 546
langobardi. Vuillic. 154
lanquart flumen. Aeg. Tſch. 547
larius lacus. Aeg. Tſch. 553. lacus. Aeg. Tſc. 584
latia. Bilibaldus 219
latitudo regionis. Munſter. 497
latitudo loci quomodo quærenda. Munſt. 498
larobrigi populus. Aeg. Tſch. 582
latrocinia Germanorũ ueterum. Alth. 49
laudinus Germanorũ Rex. Vuillich. 84
laudunum ciuitatem capit Gripho & ſuis fratribus bellum indicit. Trittenhem. 341
laupurgum. Vuil. 164
laurennus de Bibera dux Franc. Trittẽ. 317
laurinum oppidum. Munſt. 494
lauri frondibus Apollinis aram ornabant. Vuillich. 102
auſniciæ. Bilibald. 208
llaxartes fluuius. Bilibaldus. 214
laxtus flumen. Sebaſt. Munſter. 474
leaman uſq; ad Adem. Bilibald. 220
lechitæ. Vuillich. 83
legatæ à latere. Vuym. 349
legersdorfiũ. Vuill. 162
legia amnis. Hub. Th. 643
legiæ ſeuleadij conditor. Hub. Th 644
legio Traiana. Bili. 204
λεωδιον. Vuilich. 87
lemanus lacus hodie lacus Loſanenſis. Bilibaldus. 219. fluuius Aen. Syl. 453. lacus Munſt. 492. lacus ex Rhodano. Aeg. Tſch. 581
lemonij. Alth. 65
lenhart quid ſignificet 823
lentienſes. Aegi. Tſch. 533
an ſint lintzgoij. Aeg. Tſch. 577
lentzitium arx celeberrima. Vuillich. 177
leo papa ex Alſatia. Vuymp. 364. Romanus ciuis ſcriniarius pontifex. Vuymp. 359
nonus, pontifex, Vuym. 264 papa tertius Carolũ imperatorẽ coronat. Tritten. 346
leoburgum. Munſt. 477
leodegarius pontifex Chriſti martyr. Trittenhem. 338
leodium cum Namurcis. Tritten. 341. non eſſe imperialẽ ciuitatẽ. Tritten. 348. Bilib. 205 Vuillich. 85. à Carolo Burgundione miſerè uexatũ. Hub. Th. 656
urbs. Hub. Th. 637
leodij urbis ſummaria deſcriptio. Hub. Th. 647. urbis nomenclatura. Hub. Th. 644
leodiorum Rex Theodericus. Tritten. 333
leodienſes Germanos fuiſſe. Hub. Th. 639
leodienſis epiſcopi potentia. Aen. Syl. 458
leonorus Rex Germanorum. Vuillich. 84
leopolis ciuitas principalis in Ruſcia. Bilib. 212. Vuillich. 176
leopontię. Hen. Glare. 183
leopontij uarij. Aegid. Tſc. 558. Viberi. Aeg. Tſch. 583
leopõtiorũ uallis. Aeg. Tſch. 561
lepontios eſſe Grauupünter. Vuillich. 7
epontini. Aeg. Tſc. 536
leuaci. Hub. Th. 648
leuacorum ſedes 679
leucorum oppida. Diuæus 688
leufredus dux Sueuorum occiditur à Francis. Trittenhe. 339
leuonij populi. Althamer. 66
leuontini uallis. Aegid. Tſch. 561
leuphona. Bilibal. 207
leupoldus quid ſignificet 820
leutzen. Vuillich. 177
lemerde. Bilibald. 206
lex Hortenſia. Vuymp. 362
leyta flumen. Bilibald. 217
lautia dona. Vuillic. 113
libanothani. Alth. 58.
liberalitas ciuitatum in principes. Vuillichius 112. Germanorum Vuymph. 399
liberti. Alth. 35
liburnia Munſt. 412
liburnię pars eſt Sclauoniæ. Bilibaldus 219
liburni. Peut. 419. Althamer. 108
licates. Aegidius Tſch. 553
licatij. Bilibaldus Birc. 201
licatiorum ferocitas. Aeg. Tſch. 545
licia Bilibaldus 219
licum ubi Danubius accipiat 493
liemanus Bremenſis archiepiſcopus 814
liſflender Vuillichius 167
liga Vuillich. 114
ligæ Rhætorum. Aegi. Tſch. 538

liger

liger. Alth. 3
ligŋ. Alth. 62. Vuil. 154
ligures montani quibus uſi ſint domicilijs. Vuillich. 114. eſſe tanuenſes. Munſt. 495
liguſticum mare. Mũſt. 495.
lilŋs non ſoli Galli utuntur. Peut. 422
limaciæ fluminis ortus Bilibald. 216
limagus fluuius quare ſic dictus. Hen. Glar. 614
limes Decumanus. Althame. 44
limitatus ager. Vuillic. 134
limoſaleum. Bilibaldus Birc. 270
limpurgenſis ducatus. Seb. Munſt. 475
limpurgum. Mũſt. 493
lindaugia. Aeg. Tſc. 529
lingua Thuſcana utuntur Rhęti. Aeg. Tſch. 533. Belgarum quomodo corrupta ſit. Diuæus 690
linguæ quomodo ab imperitis depraueẽtur 817
linguas eſſe efficax argumentum. Aegidius Tſchud. 536
liniam ſiue lupiam fluuium ubi Rhenus accipiat. Munſt. 493
linthi fluminis ortus apud Claronẽſes. Henric. Glar. 614
linza. Munſt. 494
lintzgœuu. Aeg. Tſch. 529. lintzgœuuer. Aeg. Tſch. 529
lintzium oppidũ. Hub. Th. 657
lirimeris. Bilibald. 207
liſimachus Rex à Romechiœte Rege Germanorum uictus & captus. Vuymph. 353
literarũ gymnaſia per Germaniã. Aen. Syl. 462
ſtudium publicũ Pragæ inſtitutum. Munſt. 482. inſcitia apud priſcos. Alth. 30
literas & doctos amauit Sigiſmundus Imperator. Vuymph. 385
literis quibus Galli & Germani uſi ſint olim. Aeg. Tſch. 567
literatura & liberalitas quidpoſsint. Peut. 402
lithuaniæ quib. linguis utantur. Bilibald. 212 Moſcouiæ coniuncta eſt. Bilibald. 212. fuit extrema regio Germaniæ. Ph. M. 199
lithuaniæ ciuitas principalis uilna eſt. Bilibal. 212. plena deſcriptio. Munſte. 484. ducis imperio ſub ſunt gentes multæ. Bilibal. 212
lithuani. Vuillich. 77
lithuanorũ ſedes. Hen. Glar. 190
lithorale pręſidium. Herold. 585
liuij locus depraua tus. Aeg. Tſch. 556
liuones. Alth. 58
liuonia. Alth. 2. Alth. 66. extrema fuit regio Germaniæ. Ph. M. 199
liuoniæ deſcriptio. Mũſterus 484. & Moſcouiæ limes. Bilib 218
liuoniã olim fuiſſe Gotiam orientalis. Bilibaldus 211
liuoniorum metropolis 190
liuonienſes eſſe Venetos. Ph. M. 199
lodouici nominis etymon 819
λοχιβάρδοι. Vuillic. 156
λόχκα. Vuillichius 93
lombardia. Alth. 1
lombardi. Vuillich. 157
lomnorius Germanorum Rex. Vuillich. 84
lona fluuius. Bilibald. 206
lonæ fluminis curſus. Bilibald. 216
longobardi Sueuorum gentes. Alth. 57. 58. in Italia uicerunt Gothos. Ph. M. 196
longitudo regionũ ad quid conducat. Munſter. 499. regionum Munſt. 498
lorica. Alth. 15
loſanna. Aeg. Tſch. 580
lotharingia. Alth. 2. unde dicta. Gebuil. 440
lotharingi unde dicti Peut. 416
lotharius obĳt anno regni ſui. 51. Tritten. 333 nomen proprium unde 824. à patrę in cõ ſortem imperij aſſumitur 347. inter Rex contra Danielem pugnat. Trittenhe. 339 Clodouei filius patrẽ regno ſuccedit. Trittenhem. 338. cõmittit prouincias comitibus. Trittenhem. 335 Clodouei filius quam diu regnarit. 332. primus qualis imperator fuerit. Vuymph. 357
lotharij regis Francorũ geſta. Trittenhem. 333 Saxoniæ ducis & imperatoris uita & facta. Vuymph. 366. primi filius. Vuymphel. 358 regnum. Peut. 416
lotharium imperatorẽ à ſe denominaſſe Lotharingiam. Hub. Th. 660. perdomuit Otho. Vuymph. 360

Louanium. Aẽ. Syl. 452
antiquum oppidum. Pet. Diuæ. 679
louantinus episcopatus. Aen. Syl. 458
louuers. Aeg. Tsch. 532
lubeck. Bilibaldus 207
lubecum. Vuillich. 149
Alth. 2
lubeci urbis autoritas & pulchritudo. Aen. Syl. 455
lubenum Vuillich. 177
lucaris. Aeg. Tsch. 532
lucarn. Aeg. Tsch. 562
luceriæ laus. Hen. Glar. 620
luckmanier mons. Aegid. 557
lucones in utraq; albis ripa. Ph. M. 195
lucorũ religio. Alth. 20
lucumonis mons. Aeg. Tsch. 537
lucus Hertho. sacer. Althamer. 59
ludericus pręsul & dux Francorum quamdiu præfuerit. Tritten. 323
ludicra Germanorum Alth. 35
ludouicus Berus Theologus Basilienſis. Hẽ. Glar. 627. rex Vngariæ quando occisus sit à Turca. Munst. 491
pius rex post Carolũ Magnum Gebuil. 439
rex & imperator filius Caroli Magni. Trittẽ. 347
rex & imperator moritur. Tritten. 347
rex Aquitaniç in consortem à patre assumitur. Tritten. 346
secundus imperator quartus Bauariæ & fridericus Austriæ in cõtrouersia electi 380
ludouici pij imperatoris pietas. Vuymp. 357
lugdunensis Gallia. Althamer. 3
lugniza Vallis. Aegid. Tsch. 523
lugnizer Vallis Rhętorum cõmunitas. Aeg. Tsch. 539
lugodunum. Bilib. 305
Bilibaldus 204. oppidum Batauorũ Diuæus 685
luij. Sebast. Munst. 472
luitprãd rex Longobardiæ 817
luitprandus Ticinensis Aeg. Tsch. 521
luminarium eclypses q̃bus sint communes Munst. 499
luna num ẽ ueterũ Germanorum. Alth. 21
lunæ sylua. Vuyllic. 138
lunam syluam esse partem syluæ Bohemicæ Bilibal. 215
lunangia. Tritten. 316
lunenburgum quomodo sit ad egestatem redactum. Aen. Syl. 455
ciuitas. Vuillich. 102
lunenburgẽsis ducatus. Ph. M. 196. Bilib. 206
lupoldus comes de kalbo. Vuymph. 363
lupoldi de imperij iuribus libellus. Gebuil. 442
luppia quo loco fluat in Rhenum. Bilibald. 206
ubi Rhenum influat Bilibald. 216
oppidum. Pet. Diuæ. 675
luppiani. Vuillich. 164
lusatia superior. Vuillich. 177
lusatij fluuius nomine Sueuus. Alth. 56
lusitania. Alth. 51
complectitur Portugalliam & partẽ Granatæ. Bilibald. 219
lusitani nautę in Indiã nauigantes. Cor. Peu. 406
lusnitza. Munst. 482
lutetia num Parisium. Bilibald. 219
luterbeck. Ph. M. 197
lutfridus comes de Habspurg. Tritten. 333
lutharius uel lotharus Germanorũ rex. Vuillich. 84
luther rex Germanorũ. Vuillich. 84
lutherus nomen unde. 824
luti Omani & luti Didum ubi habitarint. Bilibaldus 208
lutiburi in Slesia erant. Bilibald. 208
lutrea doctor quando floruerit. Vuymp. 389
lutseburgũ oppidum. Diuæus 688
luxus quid possit. Vuil. lich. 140
lupus in ueſtitu. Alth. 27
lybs uentus. Hen. Gla. 609
lycates uel Lycatij. Aen. Tsch. 564
lyciam uicit Alex. Mag. Vuymph. 353
lycus rapidus ubi in Danubium feratur 217
lycum fluuium esse quẽ uocamus der Lech. Aeg. Tsch. 581
lydiam domuit Alex. Magnus 353
lygiorũ ciuitates. Vuillich. 162
lymburgensis ducatus. Bilicald. Birc. 205
lyncurium. Vuillichius 169. & 170
lysimachus à Germanis uictus. Vuillich. 153

M

Macedonia Albania. Bilibal. 219.
macedonia hodie quæ sit. Munst. 480
macedonicum regnum ad Indiam usq; propagatum. Munst. 487
machinæ oppugnatoriæ inuẽtio. Vuym. 396
macorati balnea. Vuymph. 380
macyseeck oppidum. Diuæus 687
madia flumen. Aegid. Tsch. 563
magdeburgẽsem archiepiscopum esse Germaniæ primatẽ. Aen. Syl. 458
magdeburgẽsis episcopatus. Vuillich. 156
magnopolis. Mũst. 478
magnipolenses. Aen. Syl. 460
maguntina metropolis in Germania censetur. Vuymph. 349
magorum trium ossa Coloniæ esse sepulta. Aen. Syl. 451
magus flumen ex lacu Riuario. Hen. Gla. 614
mahumetes sextus Turcarum imperator. Mũster. 490
maior domus regibus imperabat. Tritt. 338
maiores domus qui dicti sint. Geb. 437
malans apud Rhætos communitas. Aegid. Tsch. 540
malaqua. Bilibald. 220
malserscheid. Aeg. Tsc. 537
mals Rhætorũ communitas. Aeg. Tsch. 539
maha. Bilibald. 220
manaritũ urbs. Diu. 685
mancup captum à Turca. Bilibald. 713
manegoldus præsul & dux. Tritten. 326
manfredus filius Friderici secũdi. Vuym. 374
manimi gẽtes. Alth. 64
manimi populi. Glare. 189. Corn. Tac. 62. Vuilich. 154
manno Ingeuon successit. Peut. 408
mannus filius Tuisconis. Vuillich. 80
Tuisconis filius. Alth. 7. parẽs Germanorũ. Peut. 407
μαντικὴ Germanorum. Vuillich. 103
manumissio. Alth. 35
marca quid significet Hen. Glar. 188
marcæ comes. Vuill. 110
marcha Heluetiorũ regio. Aeg. Tsch. 527
marchdorff. Aeg. Tsch. 529
marchia. Alth. 60
Alth. 2. media. Vuil. 96
antiqua. Alth 2. Orientalis. Munst. 477. flumen. Bilib. 217. Brandenburgẽsis quãdo & à quo sit instituta. Mũster. 478
marchiæ diuisio. Vuil. 96. & Pomeraniæ partem magnã tenuerunt Sueui. Ph. M. 196
marchiã Badẽsem quis instituerit. Munst. 475
marchica ciuitas. Vuillichius 114
marchio Brandenburgensis. Alth. 61
Alth. 22
marchiones Badenses unde cognomen sumpserint. Hen. Glar. 615
marciana sylua. Vuillic. 138
marcoburgum urbs. Tritten. 311
marcodurum. Bilib. 204
marcomannis uicini fuerũt Nariſci. Ph. M. 197
marcomanni Germani Seb. Munst. 472. undè dicti. Alth. 61. dicuntur hodie Methern. Bilibaldus 219
marcomannos magnã partem Boiemię tenuisse. Ph. M. 197. habitasse ubi nunc Morauia est. Bilibaldus 209
marcomanni. Vuill. 82
marcomer filius Nicanoris quamdiu regnarit. Tritten. 306
marcomirus frater Herimeri quamdiu regnarit. Trittenhe. 310. Athenoris filius 301
marcstaller unde dictus. Hen. Glar. 188
mardorũ habitationes. Vuillichius. 114
mardrus. Vuillich. 115
mare mortuũ. Vuill. 165
mortuum. Alitha. 67.
Sueuicum. Alth. 59
unum & idem diuersa habere nomina. Mũster. 494. Aegeum. Munst. 495. põticum excipit Danubium. Vuillic. 78. duplex. Munst 495. de Bachã hodie uocatum. Bilib. 218. tardum. Alth. 67
maris diuisiones faciũt terrarum diuisionem. Munst. 494. & 495
pigri mira. Alth. 67
rubri Angustiæ. Bilib. 220. Germani appellationes. Alth. 68. Germanici mira. Alth. 67
marina aqua an congelari possit. Vuillic. 166
mariungi. Vuillich. 163
marmor nigrum apud Cõdrusos. Hu. Th. 651
maroboduus rex. Alth. 60. Sueuorum rex. 516

Germanorũ rex. Alth. 26. Sueuorum rex. Altham. 55
marobodui fortuna Alth. 60
marpurg. Bilibald. 209
marquardus quid ſignificet. 823
mars eſt ἄνθρωπος πρὸς ἄνθρωπος ἔρις Græcis dicitur Mars. Vuillich. 86
martis mons in Vueſtphalia. Alth. 19
marſaci. Hub. Th. 657
marſchalcus nomẽ corruptum 824
marſi popul. Alth. 8
Germani. Bilib. 209
populi unde. Peu. 408
marſorum reliquiæ in Germ. Bilib. Birc. 219
marſigni. Alth. 62. Vuil. 163. & Gothini Sueuorum populi. Alth. 63
marſilius Ficinus. phil. Vuym. 376. Theolog. de Ingeln. Vuym. 378
marſus quintus Germanorũ rex. Vuillich 82
martenach. Aeg. Tſch. 563
martiales Germani. Altham. 17
martinopolis qualis. Aen. Syl. 455
martinus. V. pontifex Rom. Vuymph. 384
Schon Colmarienſis pictor. Vuymp. 397
martini Schuuartij petitia in re militari. Vuymph. 390
maruingi. Vuillich. 163
maſaci. Hub. Th. 657
masdrugo rex. Alth. 45
maſons monaſterium. Peut. 416
maſoperta. Aeg. Tſch. 537
maſox. Aeg. Tſch. 564
cõmunitas apud Rhætos. Aeg. Tſch. 539
Aeg. Tſch. 567
maſoxertal. Aeg. Tſch. 564
maſſagetę ubi olim habitarint. Bilibal. 212
maſsilia. Alth. 38
maſſobię ducatus. Vuillich. 176
maſtrich. Vuill. 85. ciuitas. Hub. Th. 662
materi. Bilibald. 212
maternus Diui Petri auditor. Vuillich. 140
mathematici Theutonici. Vuymph. 397
matiſconenſis. Peut. 415
matium. Bilibald. 209
matreio. Bilibald. 201
matrimonium ſacerdotis prohibetur 768
matrimonia Germanorum. Alth. 28. apud ueteres Germanos. Vuillich. 116
matrimonij religio. Vuillich. 117
mattiati fontes calidi Vuillich. 142
mattiacorum gẽs. Cor. Tac. 43
mattiacos hodie Selandos eſſe. Hen. Gla. 186
mattium caput Catthorum fuiſſe. Hẽ. Gla. 136
matugiũ. Aeg. Tſc. 536
mauritaniæ mons Atlas. Vuillich. 138
mauritij martyris uita. Hen. Glar. 617
maximilianus. Vuymp. 376 ex comitib. de Habſpurg. Tritten. 334
maximiliani imperatoris bella. Vuymp. 393
Cæſaris laudes. Belius 222. imperatoris Hen. Glar. 620. & 635
maximus rex Galliam deuaſtat. Tritten. 319
mechilinia. Aẽ. Syl. 452
meckelburgum. Mũſt. 478
medels Vallis. Aegid. Tſch. 557
mediolanum monaſterium in Phriſia. Bilib. 208. ſolo ęquatum ab imperatore Friderico primo. Vuymph. 368. ædificaſſe Gallos. Aegid. Tſch. 521. in Bohęmia. Bilib. 209
mediterraneum mare quomodo efficiatur. Munſt. 495
medo Germanorũ rex. Vuillich. 48
medorum imperiũ. Bebelius 228
medulli & medalli. Aeg. Tſch. 567. Bilib. Birc. 201
megarenſis ora. Bili. 219
megaloburgenſis ducatus. Bilib. Birc. 207
Vuillich. 158
megenaldus dux & præſul Francorum Trittenhe. 323
meginhardus quãdiu præfuerit Francorum regno 324. ſecundus dux Francorum. Trittenhẽ. 324
meinta. Aeg. Tſch. 563
melga Pictorũ rex. Tritten. 320. oppidũ in ripa Danubij. Munſt. 494
melibar. Bilibald. 209
melibocus mons ubi incipiat. Bilib. 215. mons Vuillich. 138.
melinda. Bilibald. 220
melſum. Aeg. Tſch. 556
memel fluuius. Bili. 211
memphis. Bilibal 219
menapij qui ſint. Vuill. 79
menagiorũ dialectus. Hub. Th. 639. paludes Hub. Th. 650. habitacula quæ. Diuæus 682
menapij ubi ſecundum Cæſarem & Strabonẽ habita-

habitarint. Diuæ. 682
menapios & Morinos cõfines fuisse. Diu. 681 Germanos fuisse. Hẽ. Glar. 181
menembria à Meno cõditore. Vuillich. 7
mengen. Alth. 57
mengrelli. Bilibald. 214
menſibus nomina impoſuiſſe Carolum Magnum. Munſt. 480
meotidis paludes. Vuillich. 138
merces Rhætorũ. Aeg. Tſch. 530
mercurius Germanorũ Deus. Vuillich. 101 Germanorũ. Peut. 409
mercurij idolum in Alſatia. Alth. 19
mercurium quomodo coluerint Germani ueteres. Alth. 18. & 19
meridiani circuli. Munſter. 499
merodach rex copias ducit in Italiam. Trittenhe. 307
meroueus Clodouei filius. Peut. 417. rex quãdiu regnarit. Trittenhem. 328
merouei geſta. Gebuil 435
meroueorũ ſtirps quãdo & quomodo defecerit. Geb. 437
meroueorum ſtirps. Gebuil. 435
merrherland. Hen. Gla. 188
merſpurg. Aeg. Tſc. 533
meſauca Vallis. Aegid. Tſch. 564
meſaucum. Aeg. Tſch. 564. Meſelinus dux Frãcorum quotannis præfuerit. Tritten. 324
meſembria pontica Vuillich. 77
meſoburgus ciuitas, Trittenhe. 304
meſouium. Bilibal. 208
metalla unde dicta. Vuillic. 92. Germania Vuymph. 400
μεταλλεῖν quid Græcis ſignificet. Vuilic. 92
metallifera Germania Alth. 13
metalliferæ urbes. Vuillic. 91. urbes. Vuill. 162
μετεωρολογικὰ. Vuill. 104
metis cum Auſtraſijs. Tritten. 341
metim non eſſe imperialem ciuitatẽ. Tritt. 348
menſa per Sleſiam labitur 217
mexico terra. Bilib. 220
meydeburgẽſis epiſcopatus. Bilibal. 208
megenfeld oppidum apud Rhætos habet ſuam iuris dictionem Aeg. Tſch. 540
milatus. Bilibald. 203
militaris diſciplina Germanorũ. Aen. Sy. 461
militaris rei uiri præcipuæ qui fuerint periti apud Græcos. Vuymph. 390. rei prudentia 390
militię principes munere ribus expetuntur. Altham. 24. Teutonicæ regiones. Bilib. 211
milo monachus Beati Amãdi uitam ſcripſit. Vuymph. 358
miltemberga. Mũſt. 493
miltiadis exitus. Ph. M. 198
minula flumẽ. Bilib. 212
mindelheim. Aeg. Tſc. 533
mindenſes. Vuillic. 147
mindenſis ciuitas. Bilibald. 217
mintius fluuius. Aegid. Tſch. 584
miſauci. Aeg. Tſch. 564
miſena. Vuillic. 160
miſeni in quib. fuerint regionibus. Vuill. 146 in quib. habitauerint. regionib. Vuillic. 146
miſia inferior hodie Seruia & Raſcia. Bilib. 219 ſuperior, hodie Boſna. Bilibald. 219
miſiſtratum. Bilib. 219
miſnia. Alth. 2. fœcunda eſt argento. Alth. 14
miſniæ marchia. Munſter. 477
miſnenſes. Alth. 58
miſnenſium montana cum argenti fodinis. Bilibald. 215
miſsilia. Alth. 15
mocenia. Bilib. Birc. 201
modonam urbem celebrem Venetorũ Turca cepit. Munſt. 491
mœnum moganũ dictum 185
mœnus flumẽ. Alth. 39
mœni fontes in monte Piniſero. Bilibal. 209
mœſia inferior & ſuperior. Munſt. 482
mœſi ſuperiores & inferiores. Vuillich. 7
mogsnus flumen. Altha. 39
moganus ubi in Rhenum exeat. Bilib. 210
mogonus. Seb. Munſter. 473
moguntia unde nominata ſit. Hen. Glar. 185 regno Francorũ ſubiecta. Tritt. 322. urbs uetuſta. Aen. Syl. 452
moguntiæ prælium magnum factum 703
moguntiacos Germanos eſſe. Geb. 443. & 444
moguntiacum captũ Peut. 412
moguntinos Romanorum colonos attriuit Antha-

Antharius rex. Trittẽ 308
magus fluuius. Hentic. Glar. 184
moltenſes ubi habitẽt. Bilibald. 19
monbaza. Bilibal. 220
monachorum ingens ſcelus. 386
monachorum uita ordinata à Ludouico imperatore 700
monachum urbs. Munſter. 494
monarchia Pippini. Trittenhe. 342
monaſteria multa condidit Carolus tertius. Vuymph. 358
monaſterium in Vueſtualia qualis ciuitas. Aen. Syl. 455
monaſteriẽſes. Vuil. 146
moneta Germanorum. Alth. 14
mongloſſum. Bilib. 220
monœci portus. Hen. Glar. 183
mõs. S. Gotthardi. Vuillich. 78. Aeg. Tſch. 563
mondroſi homines in quibus regionibus habitent. Vuillic. 177
montaniolus. Aegid. Tſch. 536
montanys mons 560
monte noua. Aeg. Tſc. 560
mõtenſes. Aen. Syl. 460
montenſis ducatus. Bilibaldus Birc. 206
ducatus. Seb. Munſt. 475. terra. Munſt. 493
montes Germaniæ 447 & ſyluæ in Germania ultrarhenana. Bilib. 214. omnes Germanię ab Alpibus incipere. Bilibald. 215
moraua flumẽ. Bili. 217
morauia. Alth. 60. Altha. 2. ſub Quadis fuiſſe. Ph. M. 198.
moraui. Vuillilch. 139. Alth. 59
morauna inſula Rheni prope Moguntiã 706
morbino oppidum Aegid. Tſch. 540
morimoruſã. Vuill. 166
mori mæruſa. Alth. 67
morini. Peut. 412
à Vandalis uaſtati. Diuæ. 683. à Labieno uicti. Diuæ. 683. extremi hominũ. Hen. Gla. 181
morinorum fines. Diu. 682. nomen unde. Diuæus ibid.
mons Regalis ciuitas. Bilibald. 211
mores Germanorum Alth. 31
morũ diſsimilitudo cõtentionum mater eſt. Vuillich. 121
moſa oſtium latiſsimũ. Diuæus 681
moſam poſt lõgum curſum Rhenum petere. Bilibald. 216
moſaulia. Vuillich. 142
moſchia urbs. Mũſt. 485
moſchouia cui ſubiecta ſit. Bilibald. 211. flumẽ. Bilibald. 211
moſcouiæ deſcriptio plena. Seb. Munſt. 485 Princeps nihil ſubditis relinquens omnia ſua eſſe dicit. Bilib. 212
moſcouitarum potentia. Bilib. 211. dux Baſilius quæ occuparit noſtro tempore. Bilib. 211
moſcus flumen. Munſt. 485. flumen. Bilib. 217
moſci à Modocis dicti. Bilibald. 212
moſella fluuius. Alth. 2 ubi in Rhenum fluat. Munſt. 493. ubi in Rhenum feratur. Bilib. 216 Vuillich. 78
moſellani. Tritten. 337
moska flumen. Bili. 212
moſylum. Bilibal. 220
mugilones. Seb. Munſter. 472
muldauia. Munſt. 488
muldauia flumen. Aen. Syl. 455
mulheim. Bilibald. 207
mulieres dominari non debent. Vuillich. 175
uoluit. D. Paulus ὁ ὑπὸ ἀνδρα εſſe. Vuil. 118. apud Sitones imperabant. Alth. 69
mulierum uſus in bello. Alth. 29. lachrymæ. Alth. 37. Germanicarũ fortitudo. Alth. 17
multæ fluminis curſus & in Albim exitus. Bilibald. 217
muneribus gaudẽt Germani. Cor. Tac. 33. Germani allecti & uicti. Alth. 26
munſtertal. Aeg. Tſch. 537. Aegid. Tſch. 536
munſtertalenſes. Aegi- Tſch. 536
munſtertalenſis Vallis Aeg. Tſch. 554
mur oppidum. Aegid. Tſch. 556
mura amnis. Bilib. 217
muræ fluuij oſtiũ. Munſter. 494
mures Pontici & Norici. Vuillich. 116
murgum. Aeg. Tſc. 536
muriola. Bilibald. 202
murorũ Gallicorũ forma qualis fuerit olim. Hub. Th. 641
murſiæ regnũ. Bilib. 219
murtha 393
muſcatel uinum ubi creſcat. Aeg. Tſch. 566
muſsium oppidum. Aegid. Tſch. 564
muza. Bilib. 220 (173
myrrhæ ſuffitus. Vuill.
myrthi frõdib. Veneris Aram ornabãt. Vuillichius 102

myſi ab Homero lauda ti. Ph.M. 197. & Tyre getæ uicinæ gentes. Ph.M. 197
miſniæ inſignia ornamenta. Ph.M. 197
myſniam quam regionem hodie uocẽt. Ph. M. 197

N

NAbus fluuius. Mũſter. 494. fluuius Seb. Munſt. 474
nabi curſus & in Danubium exitus. Bilib. 217
fluminis fons. Bili. 209
naha fluuius. Mũſt. 493
naharnali. Vuillich. 154. Cor. Tac. 62
naharualorum ſuperſtitio. Alth. 64
namurciæ comitatus. Bilibaldus Birc. 205
numurcum. Bilib. ibid.
namurca oppidũ. Hub. Th. 664
nannenus contra Francos. Tritten. 321
nantuates. Peut. 414 Aeg. Tſch. 553. Germanos eſſe. Geb. 443
narbon rex Gallię. Vuillich. 84
narbonenſis Gallia. Altha. 2
nariſci. Alth. 60. fuerũt Hermoduris uicini. Ph.M. 195. quas regiones poſſederint. Ph. M. 197
narrabo fluuius. Vuill. 162
narſinga rex 319
narua flumen. Bilib. 211
flumẽ ubi in mare fluat. Bilibal. 218. fluuius in ſinum exit Venedicum 211
naphthæ fluxus. Vuill. 171
naſium. Bilib. Birc. 203
naualia portus. Bili. 205
nauari. Bilibald. 212
nauigatio in India ex Luſitania 406
nauigia Suionũ. Alt. 66
naunes. Aeg. Tſch. 553 gens Alpina. Aegi. Tſch. 564
naus ubi in Rhenum fluat. Bilibald. 216. fluuius ubi in Rhenũ fluat. Bilibal. Birc. 203
nebligœuuer. Aegid. Tſch. 550
neccarus ubi Rheno miſceatur. Munſt. 492 quæ flumina excipiat. Bilibald. 216
neccari fons. Mũſt. 492
nectarites cereuiſia. Vuillich. 129
nemetæ. Hen. Glar. 181 Peut. 412
nemethes. Alth. 42. Spirenſes. Ph.M. 195 Germanos eſſe. Geb. 443
nemeti. Alth. 2. Vuill. 78
nemetocerna oppidũ Diuęus 680
neomagus. Bilibal. 203
neomandra. Vuill. 169
neometenſes. Tritt. 337
neometes. Tritten. 341
neopagi conſtructio. Tritten. 303
nero primam perſecutionem mouit in Chriſtianos. Tritten. 310
νεφόνιοι. Vuillich. 140
nertereani. ubi. Bili. 209
neruicanus tractus. Diuæus 679
neruĩ. Alth. 41. ſagittarij. Diuæ. 679 latiſsimi. Pet. Diu. 678 uicti. Pet. Diuæ. 679 origine Germani. Pet. Diuæ. 678. militant Cęſari contra Pompeiũ. Pet. Diu. 679
neruiorum dux. Pet. Diuæus. ibid. oppida. Diueus 678
neruios hodie Tornacenſes eſſe. Ph.M. 195 eſſe Tornacẽſes. Vuillich. 140
neruĩs propinqui Treuiri. Pet. Diuæ. 676
neptia. Vuillich. 76
neſter fluuius. Vuill. 176
neuidunum. Aegi. Tſc. 580
neuſſa fluuius fluit in Oderam. Bili. Birc. 207
neuſtriæ & Burgundiæ rex 337
nicanor rex quãdiu regnarit. Tritten. 306
nicerus flumen. Bili. 216
nicolaus. Vuymp. 358 de Cuſa quando floruerit. Vuymph. 388
nicolai de Cuſa tabula Germaniæ. Seb. Munſter. 467
nicopolis in Thracia Munſt. 487
nicus flumẽ. Aegidius Tſch. 582
nida in Viſurgim exonerat. Bilib. 217 amnis fluit in Sarum. Bili. 216
nielaſpurg. Bilibal. 209
niemen fluuius. Bili. 211
nigropontus Venetorũ inſula â Turcis capta. Munſter. 491. inſula Munſt. 489
nimbrotus. Vuillich. 81
nitrum. Vuillich. 170
nitriones. Tritten. 311
noęfilij & uxores. Peutin. 407
noctium dierumq; obſeruatio. Alth. 22
nodegerus primus Abbas S. Galli. Vuym. 357
nokkerus. Abbas. Sanctigallenſis. Aegid. Tſch. 521
nomades. Alth. 71
nominũ propriorũ Germano etymologia 816

nonderal-

nonderalba urbs in Vngaria. Munst. 494
nonsambis. Bilibal. 220
nordhebodñ. Alth. 71
nohaienses Tartari. Bilibald. 211
norica regio. Bilib. 218
noricarum Alpium metalla 94
noricus Alpes occupaũt Germani. Alth. 70
noricus ager. Alth. 13
norici fines & Termini. Bilibald. Birc. 202. qui fuerint. Alth. 13
noricũ nunc dicitur das lãd an der Ens. Bili. 219
noribergã Ph. M. 197
norinberga. Alth. 13
norinbergæ urbis laus. Aen. Syl. 456
norinbergam in totius Europę umbilico sitã. Bilibaldus 219
nœrlingen. Ph. M. 193
northanæ. Alth. 59
northusen 785
nortmanni Galliam afflixerunt. Bilibal. Birc. 208. Peut. 478
nortuuegij qui hodie dicantur. Peut. 419
noruegia. Alth. 50
nortuuegen. Bilib. 219
noruegiæ ciuitas principalis Bergẽ. Bili. 210
noruegi. Alth. 71
noua ciuitas. Aen. Syl. 454
noueſium. Diuæ. 688
noueſiũ. Bilib. Birc. 204
noueſio Gelduba propinqua Diuæus 687
nouidurum. Bilib. 202
Hub. Th. 666
nouigradẽſis ducatus. Bilibald. 213
nouogardia ciuitas. Bilibald. 211
nouigrodi urbis magnitudo. Munst. 484
nouogrodienſis ducatus. Munst. 484
nouumburgũ. Mũst. 492
nouumforũ urbs. Aen. Syl. 457
noyon oppidũ. Diu. 681
nugardia ciuitas. Munſter. 484
nuithones. Vuillich. 82
Corn. Tac. 58
nummorum imagines uariæ. Vuyllich. 93
nummus quare inuentus. Vuillich. 132
nuptiales dij. Vuill. 118
nuptiarum dij. Alth. 29
nuſsia oppugnata à Carolo Burgundię duce. Vuymph. 393
nuſia oppugnata à Carolo Burgundiæ duce 493
nuſeria. Vuymph. 393

O

OBlatio penſitationis genus. Vuil. 113
obrinca fluuius. Alth. 2. Vuillich. 78
obrinci fluuij curſus. Bilibald. 216
obtritæ. Vuillich. 158
oceanus exterior. Alth. 28. Amalachius. Alth. 67. unde dictus. 5. Sarmaticus. Bilib. 211. Saturnius. Alth. 67. Germanicus. Vuillich. 76
oceani inſulæ. Alth. 59
ocela. Aeg. Tſch. 558
ocha fluuius. Bilib. 212
ocram montem eſſe Alpes circa Iuuanum. Bilibald. 215
octodurum. Aeg. Tſch. 563
oculi primi uincũtur in omnibus prælijs. Altham. 63. nigrore perturbantur. Vuillic. 164 in prælijs primi uincũtur. Vuillich. 163
oculis plurimũ prodeſt ſuccinum. Alth. 69
odemarsheim oppidũ Trittenhe. 311
odera fluuius. Sebaſt. Munst. 473
odera. Alth. 2
odile Bauarorum dux ſuperatur à Pippino & Francis. Tritt. 242
odoacur Saxo uenit cũ exercitu in Galliam. Tritten. 330
odobertus de Habſpurg. Tritten. 333
odoracei Poloni. Vuillich. 163
œnos flumen. Mũst. 494
œnus & Danubius magna flumina Patauiæ cõfluunt. Aen. Syl. 454
œni fluminis curſus & in Danubium exitus. Bilibaldus. 217
offenburg. Munst. 492
Hercules. Vuilli. 160
ogyges. Peut. 408
olbia ciuitas in Ruſcia Bilibald. 213
oldradus nomen quid ſibi uelit 822. & 823
oleæ frondibus mineruæ aram ornabant. Vuillich. 102
olmicenſis ciuitas. Bilibald. 208. ciuitas. Bilibald. 209
ollij fluuij ortus. Aegid. Tſch. 555
olympi altitudo 487
olmuntium. Vuillic. 161
olmuntium urbs. Aen. Syl. 454
onſpachiũ urbs. Aen. Syl. 456
œnæ unde dicti & ubi habitent. Vuillich. 176
œnæ. Alth. 71
œneæ inſulæ. Vuill. 76
opalienſes. Vuillic. 161
opalienſis ducatus. Vuillich. 162
ὀπώρα. Vuillich. 134
ὀπώρισμος. Vuillich. 134
ὀπωρινοί. Vuillich. 134

oppolenſis ducatus. Bi baldus 208
orchadarũ reges uicti à Baſano rege 304
orcinia ſylua. Vuill. 138
ὀργιλότης. Vuillich. 132
organites cereuiſia. 129
ormus. Bilibald. 220
orodes Parthorum rex craſſuncum undecim legionibus trucidauit. Hen. Glar. 191. dux Parthorum. Alth. 51
ortella fluit in Albim. Bilibald. 217
ortenſtein. Aeg. Tſc. 559
ortenſteinenſium dominium. Aeg. Tſc. 545
oſcela. Aeg. Tſch. 558
oſcellani. Aeg. Tſch. 558
oſenburgũ Vueſtphaliæ oppidum. Hu. Th. 667
oſecenburgũ. Vuill. 146
oſi & Gothini ſtipendiarij. Alth. 63. uicini S. Morauis in ripa Danubij. Ph. M. 198. popu Alth. 40. ubi habitarint. Vuill. 139. Alth. 62
oſitium. Alth. 41
oskol fluuius. Bili. 212
oſnabrug ciuitas. Tritten. 342
oſnaburga ciuitas. Aenæus Syl. 455
oſtuali. Vuillich. 146
oſſa Diui Dionyſij Ratiſponã trãslata. Peut. 405
oſtgotti. Vuillich. 166
oſtphali ubi hodie degant. Bilibald. 208
oſtrafrancia. Tritt. 348
oſtragotthi qui dicti ſint. Bilibald. 212
Thauricam Cherſoneſum inhabitãt. Bili. 213
oſtria. Vuillich. 76
oſtriaci Archiduces unde habeant ſuam originem. Vuillich. 88
oſtrocam peſtres Saxones. Peut. 418
oſuualt nominis ſignificatio 819
oſyris docuit coquere Cereuiſiam. Alth. 34
othmari corpus integrũ repetitur. Tritt. 344
otho imperator ſenio cõfectus Viennæ moritur. Vuymph. 360
otho Sueuus hiſtoricus. Bebel. 241. tertius Vuymph. 360. quartus & Philippus Sueuiæ dux in controuerſia electi. Vuymph. 370
othonis primi facta. Vuymph. 359. ſecundi geſta. Vuymp. 360. magni geſta. Peut. 420. ſylua. Alth. 39. ſylua. Vuillich. 139
otthonum mater domus Brunſuuicenſis. Aen. Syl. 459
otocarus Bohemorum. Vuymph. 376
otto Vuolffskell pręſul & dux Francorũ rex. Trittẽ. 326. de Lodenburg præſul & dux Francorum. Tritt. 326
magnus quomodo re gnarit. 481
ougſtaler. Aegi. Tſch. 558. 561
ouilabas. Bilib. Birc. 202
oxilia. Vuillich. 76
ozarkon munitio. Tartarorum. Bilibald. 213
ozelis. Bilibald. 220

P

PAcorus rex. Alth. 51
padelporna qualis ciuitas. Aen. Syl. 455
padus. Aeg. Tſch. 572.
πάγα. Vuillich. 96
pagani. Alth. 57. qui ſint. Vuillich. 96
pagus quid ſignificet. Alth. 57.
pagi unde dicti, Hen. Glarean. 612. Germanorum. Alth. 16. nomẽ qd ſignificet. Vuill. 96
paria locus muſarum. Hen. Glar. 600
palatinatus à quo inſtitutus ſit. Munſt. 475
ſuperior. Bilib. 209. elector primus Henricus uocatus eſt. Mũſt. 475. comes. Vuill. 110
palatini ditio. Bilib. 206
palẽſer tal. Aeg. Tſc. 564
palenſium Vallis. Aeg. Tſch. 557
paludes mæotides. Mũſter. 496
paludes in Morinis & Menapijs. Diuæ. 682
Menapiorum. Bilibal. Birc. 205
panegyricon Heluetiæ & Danię. Alth. 50
pannonia ſuperior dicitur nunc Auſtria. Bilibald. 219. duplex. Altham. 4
pannoniæ termini. Bilibald. Birc. 202
pannoniam ſuperiorẽ eſſe Auſtriam. Hen. Glar. 183. olim pæoniã dictam. Ph. M. 193
inferiorẽ num Vngariam uocarint 219
pannones inferiores. Vuillich. 139
pantzẽ ciuitas. Bili. 208
papæ quid aduerſus imperatores. Rom. fecerint. Vuymph. 383
papam petunt ſibi dari ab imperatore Romani. Vuymph. 364
papiæ miſerandum incendium 706
papyrius Carbo conſul à Cimbris fuſus. Vuymph. 352
paulus Diacon. Aquileienſis. Aeg. Tſch. 521
parbæũ mare. Alth. 68
parẽtalia & iuſta apud Germa-

Germanos.Alth. 37
parentum robora filij referunt.Vuillich. 120
pariſeorũ ſuburbia ab Othone incẽſa.Vuymphel. 360
partharũ.Bilib.Birc.201
parthi quas regiones obtinuerint. Alth. 52
quo nomine reges ſuos appellarint. Hen. Glar. 190
parthorum victoria aduerſus.Rom.Alth. 51
parthorum ueſtitus. Alth. 28
parthicum bellum quale fuerit.Alth. 50
paſcuaria. Aeg.Tſc. 536
paſſan.Bilib.Birc. 202
paſſaria flumẽ.Bilib. 211
paſſariam flumen cenſent quidã eſſe Chronum.Bilibal. 218
paſſauium.Vuillic. 161
paſsionũ cauſæ.Vuym. 389
paſtores reges creati. Vuillic. 98
patauia qualis urbs. Aen.Syl. 454
patrimonium beati Petri.Vuymph. 365
penaria res fuerunt facultates ueterum Germanorum.Vuillic. 91
pecunia omnia uicit. Altha 26
pedicum.Bili.Birc. 202
pego in India.Bilib. 219
pegneſus fluit p Nurmbergam.Bilibald. 216
phalerę.Alth. 26
πάθη.Vuillich. 118
pelles belluarum è Germanico Oceano. Altha. 28
pelles uariæ.Vuill. 115
peloponneſum domuit.Alex.Mag. 353
peloponeſus,nunc Morea. Bilibaldus 219
penni.Alth. 70
penſitationum genera tria.Vuillich. 113
penuaria cella Germaniæ.Vuymph. 399
peones.Munſt. 482
περίπθημα bitumenes. Vuillich. 171
perinthos urbs Thraciæ.Munſt. 487
perlegia Turris Auguſtæ.Alth. 53
perm.Munſt. 485
permeska terra.Bili. 211
permeska.Bilibald. 212
permidia.Aeg.Tſc. 536
permutationis uſus apud Priſcos. Germanos.Alth. 14
perninna mons. Aegi. Tſch. 556
peroũtiũ.Bilib.Birc. 202
perſarum reges quare Arſacidæ uocentur. Hen.Glar. 190
perſici fortes.Vuill. 90
perſinium.Aeg.Tſc.536
perſis fuit aquila ſignũ militare.Vuill. 97
pertinacis imperatoris mors. Hub.Th. 638
pesclauium mons.Aegid.Tſc.556. Falarius mons.Aeg.Tſc. ibid.
petroſius mons. Hub. Th. 644
petrus Schottus Argẽtinenſis. Vuymph. 393
Schottus quando floruerit. Vuymph. 389
Heremita. Vuym. 365
petri Diuæi Louanienſis de Galliæ Belgicæ antiquitatibus 668
peuca mons.Vuill. 175
peuce inſula.Ph.M. 199
inſula.Alth. 70
peucini Baſtarnæ dicti. Vuillich. 175
peucini inhabitarũt Lituaniam.Ph.M. 199
Dacis cõtermini. Bilibaldus. 210. Alth. 2
Alth.70. tenuerunt Lituaniam.Ph.M. 199
peuerbachiũ. Munſter. 494
peyrreut oppidum. Bilibald. 209
pfæuers Thermę & monaſteriũ.Aeg.Tſc. 549
pfullẽdorff. Aeg.Tſch. 533
phabiranum. Bilib.206
pharamundus. Francorum rex. Gebuil. 434
pharamundi regis Gallorum tẽpore Roma capta.Tritten. 327
pharodyni. Vuill.158
pharodini.Bilibald.207
pharodini.Vuuilichius 158
phaſiani qualia corpora habeant. Vuillichius 90
pheniana.Bilibal. Birc. 201
phenui.Alth. 66
pheugarum.Bilibaldus 209
philomena urbs à Turcis liberata per Friderĩcũ imperatorẽ.Vuymphel. 369
phocenſis epiſcopatus. Vuillich. 176
phœbinius lacus. Hen. Glar. 618
phriſia unde dicta Trittenhe. 302. à Sicambris capta. Trittenhemius. 302
phriſiæ urbes. Aen.Syl. 455
phriſones ad obedientiam cõpulſi ſunt. Trittenhem. 539
phryſiorũ ditio quam ampla ſit. Vuillichius 147
phryſon flumen. Hen. Glar. 609
picearia ſylua. Vuillichius 139
pictauia uetus.Trittenhemius 341

pictauienſes magna cla de affecti. Tritten. 339
pictores in Germania Vuymph. 397
pilſa. Bilibald. 209
piniferus mõs. Bili. 209
pippinus Francorũ rex moritur ſenex. Tritten he. 344. ubi regnarit Tritten. 335. quamdiu regnarit. Tritten. 342
puſillus in Carlingotũ ſtirpe primus Francorum rex. Geb. 437. ſuperat Bauaros. Tritten. 342. dux Brabantinus. Peut. 417. ex comite Palatino factus Francorũ rex 336
maior domus rex Frãcorum. Trittenhe. 323. maioritatem domus recuperat. Tritten. 338
pippini proſapia. Tritt. 336. genealogia ex Frãcorum regibus deſcẽdit. Tritten. 343. regis Francorum expeditio in Saxoniam prima. Tritten. 344. puſilli origo. Gebuil. 437.
piſonium. Bili. Birc. 201
plappenlãdi. Vuill. 166
pleſcouenſis ducatus Munſt. 484
pleumoſiorum ſedes. Diuæus. 679
plinius fuit Gallus Ciſalpinus. Vuillich. 138
plithirophagi. Bilib. 212
plontium. Aeg. Tſc. 536
blurs opp. apud Rhætos. Aeg. Tſch. 540
podamici lacus initiũ. Aeg. Tſch. 526
poderbrumenſis epiſcopatus. 796
podmicus lacus. Alth. 5
podolia. Vuillich. 176
Munſt. 485
pœdicũ. Bilib. Birc. 202
pœan quale carmen. Ph. M. 193
pœnarum iudicialium diſcrimina. Vuill. 107
pæmanorum ſedes. Pet. Diuæ. 675
pœnæ in Hiſpania. Bebelius 238
pœninus mons. Aegi. Tſch. 566
pœnina Vallis. Aegid. Tſch. 566
pæonia olim quæ nunc dicitur Pannonia. Ph. M. 193
pæones orti ab Herculis ſõcio Pæone. Ph. M. 193
poler flumen. Bilib. 211
flumen. Bilibald. 218
poli terræ. Munſt. 497
polonia. Alth. 4. minor in quo tractu ſit. Vuillich. 162. interior. Vuillich. 76
poloniæ caput eſt Gracouia. Vuillic. 94. deſcriptio. Munſt. 483
polonium ciuitas. Munſter. 494
polonorum dux ſumit regium diadema 808
polybius Scipionis Africani præceptor. Aegid. Tſch. 521
pomerania. Alth. 2. quãdo & per quẽ fit ad fidem Chriſti conuerſa. Munſt 478
pomeraniæ domus. Aen. Syl. 460. ducatus 207
pomeranicũ mare. Altha. 68
pomeranicus ſinus. Vuillic. 164. Oceanus. Vuillich. 76
pomerani. Hẽ. Gla. 189
pomeranorũ laus. Vuillich. 164
pompeij exitus. Ph. M. 198
pomponius Mela de Germania. Alth. 1
Mela. Aeg. Tſch. 521
pons Rheni apud Moguntiã igne ex cẽlo cadente cõburitur. Tritten. 347. Traiectenſis marmoreus. Hub. Th. 661
pontes œni oppidũ. Bilibald. 202. Scaphonij. Bilibald. 201
ponticum mare. Alth. 5
põtifices Ro. multis incõmodis affecit Hẽricus quartus. Vuymp. 366. armata manu certunt, de põtificatu 720 & 721
pontus. Bilibald. 219. Munſt. 495
poppo Francorum dux. Trittenhe. 324
populi Albę lachryma. Vuillic. 171
porpon. Aeg. Tſch. 545
portoria penſitatio. Vuillich. 113
portugalliam eſſe in Luſitania. Bilibal. 219
portus Geſſoriacum. Bilibald. Birc. 205
Manarmanis. Bili. 205
poſanania. Vuill. 163
poſoniates. Vuill. 139
poſonium. Vuillic. 161
poſtlaaff. Aeg. Tſc. 556
poſtlaaff communitas Rhętorũ. Aeg. Tſc. 538
potẽtia Germanorum Aen. Syl. 457
potnouu. ciuitas. Bilib. 211
potolia regio in Lithuania. Bilibald. 213
potus Germanorum. Cor. Tac. & Alth. 34
præiudicium. Alth. 21
prælia nocturna 164
prelium ingens in cãpis Cathalunicis. Geb. 435. apud Eſſelingã cõmiſſum Vuym. 380. inter Adolphũ & Albertum reges iuxta aquã Spirenſem. Vuym. 378

præſidium. Herold. 585
praga. Bilib. 209. qualis urbs. Aen. Syl. 455
pragę fūdator Ertmus. Munſt. 482
pragēſis uniuerſitas Lipſiam translata. Munſter. 482
praſites cereuiſia. Vuillich. 129
praſſum ꝓmōtoriū 220
precop inſula. Mūſt. 491
precarium ius. Alth. 67
pregnitiū. Hē. Gla. 182
pregora fluuius ubi oriatur & in mare erumpat. Bilib. 218. fluuius. Bilibald. 211
preſburgēſes. Vuill. 139
preſpurgium ciuitas. Bilibald. 209. ciuitas. Munſt. 494. Vuill. 161
priamus dux Franciæ quādiu regnarit. Trittenhe. 932
prignitia Hexapolis. Vuillich. 96
prinignitium. Vuill. 156
primas Germaniæ qs ſit. Aen. Syl. 458
princeps. Alth. 23
principum ueterū Germanorū electio. Vuillich. 108
principum Germaniæ potētia & multitudo Aen. Syl. 459. gradus. Alth. 23
propontis ſinus maris. Munſt. 495
prouincialis comes. Vuillich. 110
prouinciarum liber. Diuæus 688
prouincias quas regiones appellent. Alth. 59
pruſsiam quomodo occuparint fratres Teutonici. Munſt. 478
pruth. flumē. Bilib. 217
prutenicū mare. Bili. 218
prutheni. Alth. 66
prutheni. Alth. 46
pruteni. Seb. Munſt. 472
prutheno littore ſolo colligit ſuccinū. Alth. 69
pſeudofridericus. Vuy. 377
πνύκνη eſſe inſulam Iſtri. Ph. M. 199
ψήγματα. Vuillich. 95
ptolæmei propoſitum Aeg. Tſch. 532
πτερυγοφόρον. Vuill. 170
publius Velleius paterculus. Aeg. Tſch. 521
publius mōs. Hub. Th. 664
puchen regio. Bilib. 209
pudicitia in ueteribus matrimonijs Germanorum. Cor. Tac. 28
punctorum apud Ylantium & Lugnitium ſuperſtitio. Aeg. Tſc. 545
punica bella. Alth. 50
bella atrocia. Alth. 50
punicū bellū. Vuil. 150
πύργος. Ph. M. 194
pyræ apud Germanos extruendæ ratio. Vuillich. 134
pyrenæi montes unde dicti. Vuillich. 83
pyrenæ. Vuillich. 79

Q

QVadi. Alth. 60
quadorū ſedes antiqua. Ph. M. 198
quados Morauiam teuiſſe. Ph. M. 198
quadriburgū. Diu. 686
quiloa 220
quuintilius Varus à Germanis occiſus. Altha. 52. Varus à Cheruſcis obtruncatus Vuymph. 353
quintilij Vari in Germania clades. Vuillic. 152
quintinus contra Francos. Tritten. 321
S. Quintinus. Bilib. 205
quiſcum. Bilibald. 219

R

RAb in ripa Danubij 494
racatę. Bilib. 209
radiantia flumen. Bilib. 216
rado comes. Auſt. Trittenhem. 335
rætzuns, Bonaduz cōmunitas apud Rhætos. Aeg. Tſch. 539
ragatium. Aegi. Tſch. 536
raima oppidum 493
raiomagus Vibanetiū oppidum. Diu. 680
ramenta unde dicta Vuillich. 95
rangafredus fit maior domus. Tritten. 339
ranguila. Aeg. Tſc. 536
rappinenſis comitatus. Vuillich. 156
rapta. Bilibald. 220
raſcia. Munſt. 482
Ph. M. 199. Bilibaldus 219
raſciani. Munſt. 486
ratenanum. Vuillichius 156
rathanum oppidum Vuillich. 177
ratherius quamdiu regnarit. Trittenhemius 310
ratiſpona. Alth. 13 imperialis & uetuſta urbs 494. qualis urbs. Aen. Syl. 453
ratiſponæ celebrauit Carolus Magnus comitia imperialia. Mūſter. 480
ratpertus Sancti Gallēſis. Aegid. Tſch. 521
rauenna à Friderico ſubacta. Vuymphel. 373
raueſpurgenſis epiſcopatus. Bilibald. Birc. 208
rauenſpurgum. Aegid. Tſch. 533

rauracus pagus. Aeg. 581
rauraci. Bilibal. Birc. 203
rauracorum initium & finis. Aeg. Tsch. 582
raurices. Seb. Müst. 472
rauríci. Vuillich. 78
raymũdus. Vuym. 366
quomodo debeat dici. 821
Reambs cõmunitas apud Rhætos. Aegid. Tsc. 538
rebelles principes uicit & puniuit Maximilianus. Vuymph. 393
reges duo capitibus trũcati. Tritten. 331
regij campi monasterium. Vuymph. 379
regino. Bilib. Birc. 202
Abbas Prunienſis. Aegid. Tsch. 521
regionum nomina permutata sint. Bilib. 219
regnesus flumẽ. Bili. 216
regnum de Decam. Bilibald. 219. de Cusch. Bilibaldus 220
regna omnia corruisse. Bebelius 238
regna & Principatus qbus rebus recte regantur & conseruentur. Vuymp. 383. magna quæ fuerint. Vuill. 77
regnorum uicissitudines. Hen. Glar. 186
regnus ubi in Danubiũ feratur. Bilibald. 217
reinhart quid significet 823
reinhardus Lotharingi orum dux. Vuym. 393
religio ueterũ Germanorum. Alth. 64. Semnonum. Cor. Tac. 56 quid apud homines possit. Vuillic. 99. regis Basani. Tritten. 305
remi nunc Reins. Bilibald. 219
remigius episc. Trit. 308
remissmũdus rex. Alt. 55
remorũ urbs. Peut. 412
ciuitas prępoles. Hen. Glar. 181. oppida. Diuæ. 681
remus Rhætorũ cõmunitas. Aeg. Tsch. 539
renalia ciuitas. Bilib. 211
reudigni. Vuillich. 154
renen opp. Diuæ. 687
renhardus Lotharingię dux unde sibi sumpserit Hierosolymitani regni titulũ. Vuym. 366
renum doloribus quid medeatur. Vuillic. 170
resellium. Vuillic. 158
resinarios plerosq; esse in Galancka Valle Aeg. Tsch. 567
retzen. Munst. 486
reualiensis ciuitas. Bilibald. 218
reúdigini. Vuillich. 82
rha fluminis ortus & errores et uigintiquinq; ostia. Bilib. 218. fluuius in ditione Moscouitarum. Bilibald 211
rhabosus fluuius. Bilibaldus. 217
rhetia Heluetica. Aeg. Tsch. 512. Alta arx. Vuillich. 79. moderna Aeg. Tsc. 538. à Romanis domita. Aeg. Tsc. 530. Prisca, ac uera Alpina. Aeg. Tsch. 519
rhetiæ historiæ autores Aeg. Tsch. 521. ambitus. Aeg. Tsch. 525. Marca. Aeg. Tsch. 554
situs iuxta Stabonẽ Aegid. Tsch. 535. duæ Alth. 3. Prouinciæ Colonia. Alth. 59. descriptio secundùm Ptolemæũ. Aeg. Tsch. 531
nomine quid olim intellectum sit. Bili. Birc. 200
rheticus lacus. Aegid. Tsch. 548
rhetica lingua. Aegid. Tsch. 524. iuga. Aegi. Tsch. 553. uina. Alth. 3
rheticæ Alpes. Alth. 4
rheticum uinum Augustum bibisse. Hẽ. Gia. 128
rhetico mons. Aegid. Tsch. 547
rhetij bellicosi. Aegid. Tsch 526
rhæti & Vindelici quomodo Heluetios obruerint. Aeg. Tsch. 529
profugi. Tschud. 522. Altha. 3
rhætorũ nobiles. Aeg. Tsch. 523. antiquorum situs. Aeg. Tsch. 524
oppida. Aeg. Tsch. 538
saltationes. Aeg. Tsc. 537. limes uersus Podanicum lacum. Aeg. Tsch. 529. ac Heluetiorum limes. Aeg. Tsch. 528. encomium. Aeg. Tsc. 523. ducum arma Aeg. Tsch. 537
rhętium occuparunt Sueui. Ph. M. 196
rhæto duce uenerunt Thusci ad Alpes. Aegid. Tsch. 522
rheguscæ populi. Aeg. Tsch. 553. Aeg. Tsc. 564
rheguſci. Aeg. Tschud. 533
rheingen. Alth. 57
rheinhardus dux Francorum. Trittenhem. 325
rheinuualder. Aegid. Tsch. 560
rheni fons & tractus. Munst. 492
rhenipagus. Munst. 493
rhengus flumẽ. Munst. 494
rhenus separat Galliam à Germania. Althamerus 38. quos lacus efficiat. Vuillichius 78. expleto suo cursu

curſu quomodo diuidatur. Bilibald. 216
quantum exorbitet à recta linea. Aeg. Tſch. 545. finis Romani imperij. Alth. 43. limes Romani imperij. Altham. 28. Glaciali frigore cõſtrictus ſtatim poſt. S. Martini feſtũ ita ut uſq; in Aprilem eſſet pedeſtri itinere tranſmeabilis 807
theni aureę arenę. Aen. Syl. 457
duo fontes. Aeg. Tſc. 544. caput indomitum eſſe. Aeg. Tſch. 531
oſtia in lacum. Aegid. Tſch. 534
inſulæ. Diuæus 684
fontes. Alth. 4. fluxus Alth. 5. fontes. Vuil. 78
ripam q populi olim coluerint. Vuillic. 140
curſus. Aeg. Tſch. 544
unde nomen. Vuill. 79
thetzeni unde dicti. Ph. M. 199
thetzeni. Hen. Glar. 182
theudigni. Alth. 58
thinck dominiũ. Aegi. Tſch. 553
thingœuu. Aeg. Tſch. 534
thingauia. Munſt. 493
thingouu unde dicatur. Vuillich. 97
thiſa. Alth. 4
thodiani curſus in typis eius urbes. Munſt. 492
ortus apud Rheni fontes. Aeg. Tſch. 544
thodium mare. Munſt. 495
thodus inſula quando à Turca Solymanno capta ſit. Munſt. 491
thoxanes. Munſt. 486
thucantij. Aeg. Tſc. 545
thuchenberg. Aeg. Tſc. 546
thunicates. Aeg. Tſch. 564
richardus unde dicatur 822
richimer quamdiu Francos regnarit. 317
rietberg. Aeg. Tſch. 559
riga. Alth. 66. ciuitas Bilibaldus 211
rigiacum Attrebatium oppidum. Diuæ. 680
rigenſis epiſcopatus. Bilibald. 211
rigomagus. Bilibaldus Birc. 204
rinſiana. Bilibald. Birc. 201
ripenſes populi. Hub. Th. 641
ripenſis epiſcopatus. Bilibald. Birc. 307
riphei montes hodie ignorantur. Bilib. 216
Vuillich. 138
ripuarij. Bilibald. Birc.
riua oppidum. Aegid. Tſch. 528
riuacharius rex occiſus. Trittenhe. 331
riualienſis epiſcopatus. Bilibald. 211
riuanus lacus. Aegid. Tſch. 528. lacus. Aeg. 526
robertus Flandriæ comes. Vuymphel. 366 & aguinus. Vuymph. 361. Bauarus rex Romanorum quando mortuus ſit. Vuymph. 384. Venetorum dux exercitus Italorum Achilles à Germanis uictus. Vuymphel. 394
roberti Bauari regis. Rom. geſta. Vuym. 383
rochimerus quãdiu regnarit. Trittenhe. 310
rodoaldus rex Longobard. 810
rodolphus unde dictus 816. agricola quando floruerit. Vuymp. 389
rogerius Siciliæ rex 366
rogoretũ. Aeg. Tſc. 564
roma urbs capta & incenſa. Peut 422. noua Bizantium nominata Munſt. 488. direpta à Gothis. Tritten. 327 à Gallis combuſta. Vuyllic. 135
romanæ legionis internetio. Hub. Th. 634. & 644
romaniam hodie Thraciam uocari. Mũſt. 487
romania pars Tractæ Bilibald. 219
romandiolæ Prouincię Alth. 2
romani uincuntur à Frãcis. Trittenhem. 315. à Germanis Cæli. Altham. 52. Germano milite ſæpe hoſtes ſuos uicerunt. Bebel. 261
romanorum ſecunda clades apud Varucã. Hub. Th. 653. apud Varucam clades. Hu. Th. 640
romanum imperium ſub. Valẽtiniano Tertio dilaceratum. Ph. M. 156
romani imperij primates. Aen. Syl. 460
ron regio Bilib. 209
ropertus proprium nõmen quid ſibi uelit. 812
rora flumẽ. Pet. Diuæus 675
roſemunda nomen unde 824
roſtock. Bilibald. 207
roſtochium. Alth. 2. qualis urbs. Aen. Syl. 455
roſtronemania. Bili. 201
rotenburg. Munſt. 493
rotenburgũ. Munſt. 492
rotenburga urbs. Aen. Syl. 456

rothifredus rex Normã norum uictus à Caro lo fit Chriſtianus. Vuymph. 358
rotuuila. Munſt. 492
roxalana regio. Munſt. 485
roxalani. Bili. 212. Alt. 2
roxancka prouincia Munſt. 485
ruhera fluit in Rhenũ. Bilibald. 216
rubertus comes Flandriæ quibus caſibus iactatus tãdem Flandria obtinuerit 734 & 735
rubonis flumẽ. Bilib. 211
rubrũ caſtrũ. Mũſt. 493
rudolphus ſecundus à Scherẽberg præſul & dux Francorũ Tritt. 327. dux Sueuorũ 784 rex comes de Habſpurg. Trittenhe. 333 quando mortuus ſit. Vuymp. 377. in Helueticos arma mouet. Vuymph. 377
rudolphi de Habſpurgo Rom. imperatoris electio et geſta. Vuymphel. 376
ruflee. Aeg. Tſch. 537
communitas Rhætorum. Aeg. 539
rugenland. Vuillic. 164
rugenſis ciuitas. Hen. Glar. 190
ruger præſul & dux Frãcorum. Tritten. 325
rugi Sueuiæ populi. Althamer. 66
rugorũ patria. Alth. 66
terra. Bilibald. 210
rugium. Bilibal. 207
rugij tenuerunt Pruſsiã Ph. M. 196. Alth. 65 Vuili. 154. duce Odoacro intrarunt Italiam Ph. M. 196
rugiſci populi. Aegid. Tſch. 553
runici. Hub. Th. 657
rupertus præſul & dux Francorum. Trit. 325
rura flumen unde ortũ habent & ubi in Rhenum feratur. Bilib. 206
fluuius ubi in Rhenũ feratur. Hub. Vh. 662
rũs fluuius. Aeg. Tſch. 544
ruſæ fluminis ortus. Aegid. Tſch. 545
ruſa quomodo dicta ab Vrſa. Hen. Glar. 616
ruſcæ ciuitates. Bili. 213
ruſeri ſubiecta Moſcouitis. Bilibal. 212
ruſiæ fluminis ortus & curſus. Bilibald. 216
ruſinſana. Bilib. Birc. 203
ruſsia Alba & Rubea Bilibald. 212
ruſsiam in Sarmatia Europea. Bilibald. 212
rutæ odor naribus appoſitus quid poſsit. Vuillichius 173
ruthenia. Munſt. 485
ruthenium Lempergũ. Vuillich. 176
ruthenі Albi Moſci ſũt. Vuillich. 176
ruthenorum lingua. Bilibald. 231
ruthchij. Bilibald. 207
ruzenorũ rex offert munera & petit auxilia 769
rylianus prædicator Euangelij in Frãconia. Trittenhe. 323
ryſa in Heluetia flumen Vuymph. 379
ryſiorum flumẽ Alemãnus nomine. Sebaſt. Munſter. 474

S

SAbaudiani unde dicti. Aeg. Tſch. 582
ſabaria Colonia D. Claudij. Bili. Birc. 202
ſabienſis epiſcopatus Bilibaldus 211
ſabinus dux Moſcllanus occiſus à Francis Trittenhe. 328.
Sabini interitus. Hub. Th. 644
ſabis flumẽ. Hu. Th. 652
ſabolenſes Tartari. Bilibaldus 211
ſacarbantia. Bilib. 202
ſacerdotes Symoniaci. Alth. 36
ſacerdotũ apud ueteres Germanos autoritas Alth. 17. militarium officium. Vuillich. 99
ſacrificia ueterum Sueuorum. Vuillich. 155
Germanorũ. Alth. 56
ſafien Rhætorũ cõmunitas. Aeg. 539
ſagaria. Munſt. 482
ſagas domuit Alexãder Magnus. Vuym. 353
ſagẽſis ducatus Bili. 208
ſagulum. Alth. 15. Alth. 27. Sagũ qualis ueſtis. Vuillich. 115
ſala fluuius. Alth. 59
ſalę fluuij fontes. Bilibaldus 209
ſalagaſtus legislator Francorum. Tritt. 328
ſalaſsi Alpini. Aeg. 530
Aeg. Tſch. 553. Aegid. Tſch. 558. quæ habeãt opificia peculiaria. Aeg. Tſch. 567
ſalatij. Peut. 418
ſalechamne. Peut. 418
ſalegaſte. Peut. 418
ſaleſij. Tritten. 348
ſaletium. Aeg. Tſch. 536
ſalfeld. Ph. M. 197
ſalica lex. Peut. 418
ſaligę leges. Tritten. 328
ſalinum. Bilibald. 201
ſalis fontes apud Halbenſes. in Miſnia. Bilibaldus 209
ſalodorum oppidum. Aeg. Tſch. 581

ſalodori laus & deſcriptio. Hen. Glar. 629
ſalonica regio. Mũſter.
ſaltzburg. Bilibaldus Birc. 202. qualis urbs. Aen. Syl. 453 487
ſaltzburgenſis epiſc. amplitudo. Aen. Syl. 458
diœceſis. Ph. M. 194
ſalus flumẽ. Sebaſtian. Munſt. 474
ſalza amnis. Bilib. 217
ſamarcanda ciuitas. Bilibaldus 214
ſamagithia regio. Bilibald. 212
ſamarobrina nunc Cameracũ. Hub. Th. 665 Hub. Th. 649
ſamnitæ â Romanis deleti 190
ſamnitium prælium. Altham. 50
ſamnitium bellũ. Vuillichius 150
ſamobrina. Bilib. 205
ſandaraca. Vuillich. 170
ſandaros. Vuillich. 170
ſanganus. Aegid. Tſch 536
ſanguinem ſiſtendi uirtutem habet ſuccinũ. Vuillich. 174
ſaraceni uicti à Carolo. Vuymp. 361. & Vuãdali Galliam uaſtant Tritten. 340
ſaræ fluminis ortus. Aegid. Tſch. 546
ſarganſeri populi. Aeg. Tſch. 548
ſarmati. Alth. 71
ſarmatæ cinxerunt Germaniam. Ph. M. 199
Hippophagi. Bilib. 212
ſarmatarum in ueſtibus luxus. Alth. 28. habitationes. Alth. 71
ſarmatia. Vuillich. 76
Europea. Bilibald. 210
duplex. Alth. 4. Europea. Seb, Munſt. 471
Aſiatica. Bilibald. 212. Alth. 2. Europea ſub Moſcouitis. Bilib. 212
ſarmatici montes diſterminant Poloniã, Hungariam & Germaniã. Bilibald 214
ſarmaticũ mare. Alth. 68
ſarngenſer regio. Aegi. Tſch. 537
ſarni pontes. Bilib. 204
ſarunetũ circuitus. Aegid. Tſc. 548. terra. Aegid. Tſch. 546. regio Aeg. Tſch. 548
ſarus flumen quę flumina accipiat. Bilib. 216
ſathan quid apud homines poſsit. Vuil. 102
ſathanæ furor in humanum genus. Vuill. 160
ſaturnus Babylonicus. Vuillich. 81
ſaui fontes. Alth. 2
ſaul fuit paſtor armentarius. Vuillich. 98
ſauromatæ. Alth. 4
ſauol oppidum 493
ſauolhenſes Tartari. Bilibald. 211
ſaus flumen ubi in Danubium fluat 217
Sax. Aeg. Tſch. 536
ſaxonia ulterior. Althamer. 2. ſuperior Rhætorum communitas Aeg. Tſch. 539
ſaxonię amplitudo. Mũſter. 477
ſaxoniam iterum cum exercitu petit Pippinus. Tritten. 344
ſaxones longo bello tãdem uicti Carolo magno obediũt. Tritt. 345
Viſocampeſtres. Peu. 418. deuaſtant partes Fancorum. Tritt. 345
à Francis uicti. Trittẽ. 342. Ciſalbina transferuntur in Franciam. Tritten. 346. ſine fidẽ Carolo regi fideles Haſsios deuaſtant 345
à Bauaris uicti. Vuymphel. 319
ſaxo num inſulæ. Bilib. 217. refugium ad Deũ. 775. coniuratio 744. & 745
ſcala mõs. Aeg. Tſc. 548
ſcalda flumẽ. Hub. Th. 666
ſcaldis Ptolemæo τραϊάνα. Diuæus 689
ſcana. Aeg. Tſch. 536
ſcandia Schonlandt. Bilibaldus 219. Oceani inſula. Alth. 59
ſcaphuſiæ laus & deſcriptio. Hen. Glar. 629
ſcarabeus. Galeatus 817
ſchalberg mons. Aegi. Tſch. 548
ſchamſs cõmunitas apud Rhætos. Aegid. Tſch. 539
ſchandia inſula ad Daniam pertinẽs. Bili. 210
ſchanfick apud Rhętos communitas. Aegid. Tſchud. 540
ſchantzẽ communitas Rhætorum. Aeg. Tſc. 539
ſchennis apud Rhætos Aeg. Tſch. 528
ſcherdinga oppidum Munſt. 494
ſchiers cõmunitas Rhętorũ. Aeg. Tſch. 540
ſchin. Bilibaldus 220
ſchlæuuyſs cõmunitas Rhętorũ. Aeg. Tſc. 539
ſchleſia quando Bohemiæ regno addita ſit. Mũſt. 482. Aen. Syl. 451
ſchleuicẽſis ducatus olim dictus eſt Cherſoneſus Cimbrica. Bilibald. Birc. 219
ſchleuicenſis epiſcopatus. Bilibal. Birc. 207

ſcholę

ſcholæ per Germaniam Aen.Syl. 463
ſchõlandia inſula. Bilibald. 210
ſchonbach.Alth. 57
ſchondauia.Vuilic. 166
ſchondauiani. Vuillic. 81
ſchopina communitas apud Rhætos.Aegid. Tſch. 539
ſchouuenſtein. Aegid. Tſch. 559
ſchuls Rhætorum communitas. Aeg. Tſch. 539
ſchuuabachium urbs. Alth. 8
ſchuuatz. Munſt. 494
ſchuuytz. Aegid. Tſch 529
ſcingomagum. Aegid. Tſch. 561
ſcithia iuxta Rha fluuium.Bilibald. 212
ſclauonia quas regiones complectatur.Müſter. 482
ſclauonica lingua quæ gentes utantur 214
ſclauonicæ quas regiones occupauerint. Bilibaldus 213
ſclauini.Bilibald. 207
ſucceſſerunt in locum occidentalium Gothorum.Bilibald. 212
ſclaui uocantur Vandali. Ph.M. 194 Alth. 70. quando uaſtarint Saxoniam 702
ſclauorum lingua. Seb. Munſt. 471
ſcotiam pertinere ad Britanniam. Bilibald. duæ 219
ſcotorum cœnobia. Gebuil. 436
ſcurgium.Bilib. 208
ſcuta Achillis.Vuillich. 92. rotunda. Vuillich. 164. Germanorum. Althamer. 65
ſcyti Sarmatæ.Bilib. 211
ſcytos ex Gotthis eſſe. Bilibald. 213
ſcythæ.Alth. 4
ſcythę́nne ſint Germani.Vuillic.78.Aſiatici. Vuillich. 78
ſcythas Europæos eſſe Germanos 78
ſcythicum mare. Alth. 68
ſcythiſſare. Vuillich. 124.
ſebaldi nominis ſignificatio 819
ſebuſiani populus. Aegid. 582
ſecouienſis epiſcopatus.Aen.Syl. 458
ſecundani.Alth. 44
ſecuſa urbs diruta. Vuymph. 369
ſegudunum putant quidam eſſe Nurenbergã. Bilibaldus 218
ſeiuſium,Aeg.Tſch.561
ſelachiticum ſuccinum Vuillich. 170
ſelandia.Alth. 2
ſelandiam inundat Rhenus.Bilibald. 216
ſelandi.Alth. 43
ſeletſtadij ciuitatis victoria.Vuymph. 388
ſeleſtadium in Germania eſſe.Vuymph. 349
ſemana ſylua. Vuillich. 138. ſylua.Vuillic.161
ſemanam ſyluam eſſe hodie ſyluam Turingorum. Bilibald. 215
ſemiguntus rex. Alth. 62
ſemnitz mons. Bilibal. 214
ſemnitium. Vuillichius 162
ſemnones Sueui. Vuillich. 154. Sueuorum antiquiſſimi. Alth. 56
ſemnonum ciuitates. Bilibaldus 201
ſena urbs à Sueuis condita 56
ſennones.Peut. 42
pars Sueuorum, Ph. M. 196. in qua ripa Albis habitarint. Ph. M. 197. Seb.Munſt. 472
ſentron oppidum. Pet. Diuæus 675
ſeptemcaſtrenſes.Alth. 70
ſeptimus nomine mõs Aeg.Tſch. 555
ſepulchra Germanorũ Alth. 36. Aegyptiorum.Vuillich. 135
ſepultura apud ueteres Germanos. Vuillich. 134
ſequani. Aeg. Tſch. 529 & 530. qui ſint. Aegi. Tſch. 582. olim, nũc Burgundiones dicti. Bilibald. 219
ſequanorum prouintiæ ciuitates.Aegid.Tſch 580
ſeracis.Vuillich. 81
ſergius ſecundus pontifex quomodo Ludouicum ſecundum exceperit Romam uenientem 358
ſermo Sueuicus & Germanorum 63
ſerrati nummi. Vuillic. 93
ſeruatio Tungrorum epiſcopus.Pet. Diuęus 677
ſeruatius epiſcop. Vuillich. 85
ſeruia.Munſt. 482
ſeruorum conditio.Althamer. 35
ſeſithacus rex.Alth. 62
ſeſsites fluuius. Aegid. Tſch. 584
ſethinę hodie, Athenæ dicuntur.Munſt. 491

ſetini.Bilibaldus 219
ſetzfluuius. Aegidius Tſch. 548
ſeuinus lacus ex ollio Aeg.Tſch. 584
ſeuini. Bilibaldus 212
ſeuo mons. Althamer. 64
ſeuola. Aegidius Tſch. 536
ſezans.Aeg. Tſch .561
ſibenbürger.Ph.M. 193
ſibenbürger.Althamer. 70
ſibini.Sebaſtian. Munſter. 472
ſicambria. Bilibaldus 219
ſicambri unde dicti. Peut. 417. uenerunt ad Rhenum 301. Germani.Sebaſtian. Munſter. 472
ſicambrorum primæ ſedes. Trittenhemius 302
ſicambrorum dialectus Hub.Th. 639. ſedes olim quæ. Hub. Th. 653
ſiculum mare. Munſt. 495
ſideni ad Viadrũ fluuium. Bilibaldus Birck. 207
ſidenorum regio 158
ſidera uerticalia Germaniæ.Con.Celtis 446
σιδηροφυχῶα. Vuill. 162
ſidones ubi fuerint. Bilibaldus 208
ſidonius Apollinaris 521
ſigibertus ubi regnarit. Trittenhemius 336 Francorum rex Diui Galli monaſterium erexit. Gebuil. 440. frater Clodouei quæ regna tenuerit. Trittẽ. 337. rex à fratre ſuo occiditur. Trittenhe. 334 comes de Habſpurg. Trittenhemius 333 quamdiu regnarit in Auſtraſia. Trittenhe. 334
ſigefridus prẽſul & dux. Trittenhem. 325
ſigisbertus quid ſignificet 822
ſigiſmundus quid ſignificet 821 Vngarorum rex Roberto in imperio ſucceſsit. Vuymp. 384. ex ducibus Saxoniæ præſul & dux. Trittenhe. 327. quã do mortuus ſit. Vuymphel. 386.
ſigiſmundi Archiducis Auſtriæ bellum cõtra Venetos 395. coronatio Mediolani & Romæ.Vuymph. 384 imperatoris geſta Vuymph. 384
ſignacum oppidum. Hub.Th. 651
ſignum militare fuit Cymbris Aeneus raurus 97
ſigna bellica. Vuillich. 97. in cœlo uiſa 757
ſigoneſus Germanorũ rex.Vuillich. 84
ſileſiæ montes. Bilibal. 215
ſimoniacos epiſcopos depoſuit uictor ſecundus Romanus.pontifex.Vuymph. 364
ſimringen oppidum. Munſt. 493
ſimæ.Bilibal. 220
ſinnada Rhætorum cõmunitas. Aegi. Tſch. 538
ſinopem urbem quando ceperit Turca 491
ſinus in mari Balthico. Vuillich. 164
ſirſia.Munſt. 482
ſirmienſis Abbas ex Pãnonia ſucceſsit Guidoni antipapę. Vuymphel. 369
ſirmium.Bilibald. 203
ſiſsi ciuitas. Aeg. Tſch. 580
ſitiones Sueuorum gẽtes.Altham. 66
ſitis impatientia.Altha. 34
ſitonum gentes. Altha. 68
ſitonum regionum eſſe Finlandium. Vuillic 175
ſittern flumen. Aegid. Tſch. 549
ſituanda.Bilibald 208
σχιατροφια. Vuillichius 120 2
ſleſia.Alth.
ſleſiæ partem tenuiſſe Quados. Ph.M. 198
domus.Aen.Syl. 460
ſmalcaldia. Bilibaldus 209
ſmolenſis ducatus. Bilibaldus 213
ciuitas.Bilibald. 211
ſmolnenſis ducatus. Munſt. 484
ſobrietas Germanorũ. Alth. 33
ſogdianæ maximus fluuius.Bilibald. 214
ſoiſeron oppidum. Diuæus. 681
ſolat ciuitas in inſula Taurica. Munſt. 491
ſolaturum. Bilibaldus Birc. 203
ſolinus de Germania Alth. 8
ſolis ſtrepitus in occaſu. Alth. 67
ſolymanus quãtis cladibus affecerit Chriſtianos. Munſterus 491 quotto anno diripuerit Vngariã. Mũſt. 491
ſona fluuius Aegid. Tſch. 582

ſorabes.Bilibaldus 207
ſorabi.Alth. 59
ſortes Germanorum Alth. 20
ſortilegis.Alth. ibid.
ſpandauu. Vuillichius 177
ſparta.Bilibal. 219
ſpartanos uicit Alexander Magnus Vuymphelingius 353
ſpectacula corrumpũt bonos mores. Vuillichius. 118. illæcebrarum irritamenta. Althamer. 30.
ſpectra quæ uidentur apud Suionas & Noruegios & Islandos. Vuillich. 166
ſpeluca. Aegi. Tſchud. 557
σφαιρομαχία. Vuillichius 130
ſpiculum quale telum. Vuillich. 93
ſpina & Mars in oculis. Aeg.Tſch. 541
ſpinica.Bilibald. 219
ſpira â quo condita & & unde dicta ſit. Ph. M. 195
ſpreyuuald. Vuillichius 177
ſprenberg. Vuillichius 177
ſpyſshartz ſylua. Vuillich. 139
ſtableſiani equites.Herold. 591
ſtadia quot faciant miliare 496
ſtalla communitas. Aegid.Tſch. 538
ſtãs pars Syluaniæ Hẽ. Glar. 624
ſtatgaudia ciuitas in Pomerania. Bilibaldus 208
ſtedinẽſes. Vuillichius 76.
ſteinbach. Alth. 57
ſteinſper communitas Aeg.Tſch. 539
ſtephanus octauus Germanus pontifex. Vuymph. 359
ſterinenſis ducatus. Bilibaldus Birc. 207
ſtereoncium ciuitas.Bilibald. 209
ſtetin ciuitas. Bilibald. 207
ſtetinenſes. Trittenhe. 348
ſtetinerland. Vuillich. 158
ſtipendiaria cohors.Herold. 590
ſtirenſes ex Gotthis eſſe.Bilibald. 213
ſtiria ueteribus Valeria uocata.Althamer. 1
ſtirios ex Gotthis reliquias eſſe. Bilibaldus 213
ſtockholma.Bilibaldus 210
ſtolati.Vuillich. 116
ſtolbergenſis comitatus.Ph.M. 195
ſtopffern qui dicantur. Aeg.Tſch. 545
ſtolpium. Vuillichius 164
ſtrabo Amaſinus. Aeg. Tſch. 521
ſtrabonis error. Aegid. Tſch. 555
ſtrages Italorum Biſeni facta.Vuymphelingius 394
ſtraubinga. Bilibaldus Birc. 201
ſtrictum de Mechia.Bilibaldus 220
ſtrigoniũ. Munſterus 494
ſtrigonĩ.Vuillich. 139
ſtuckgardia. Munſter. 492
ſtudia literarum in Germania florent. Althamerus 30
ſtuluuiſſenburg. Munſter. 494
ſturgun.Bilibald. 207
ſuanetæ populus. Aeg. Tſch. 582
ſuanetes. Aegid.Tſch. 553
ſuardones. Vuillichius 154. Alth. 58. Vuillichius 82. Vuillich. 158
ſuardeni.Bilibald. 211
ſubaria.Alth. 68
ſubattij.Sebaſt. Munſt. 472
ſublauio.Bilibald. Birc. 201
ſuccinum. Cornel. Tacitus 68. liquidum eſt. Alth. 69. phalernum. Vuillichius 169. ubi Largius inueniatur. Vuillichius. 168 nigrum. Vuillich. 169
ſuccini natura.Altham. 68. uſus in medicina 172. uariæ appellationes.Vuillich. 170
ſudan inſula. Munſter. 478
ſudetæ. Vuillich. 139
ſudetos montes nunc uocari Babenbergenſia montana.Bilibald. 215
ſudima.Alth. 68
ſudini.Alth. 66
ſudinorum regio olim dicta Auſtrauia. Vuillich. 172
ſuecos olim dictos Suiones.Ph.M. 199
ſundgauia ſub Habſpurgẽſibus. Sebaſt. Munſt. 474
ſuedi.Alth. 66
ſuediam Cimbrorum inſulam eſſe. Aegid. Tſch. 581
ſueones Normãnos eſſe.Altha. 67
ſuerinẽſes.Vuillich. 158

ſueſſones. Hub. Th. 666
ſueſsionum agri uaſtati ab Othone. Vuymphel. 360. oppida. Diuæus. 681
ſuetia Schueden. Bilibaldus 219
ſuetia. Althamer. 50 inſula Oceani. Altha. 59. Althamer. 66
ſuetiam continentem eſſe. Bilibaldus Birck. 210
ſuetonius Tranquillus. Aegid. Tſchud. 521
ſuetonij locus emendatus. Diuæus 685
ſueuia olim potens regnum fuit. Althamer. 55. ducatus. Althamerus ibidem duplex. Vuillich. 154
ſueuiæ iugum. Altham. 62. urbes. Aenæ. Syl. 457. latitudo. Altham. 55. ueteris populi. Vuillich. 154
ſueuiam ueterem qui Germanorum hodie colant 56
ſueticus Oceanus 76
ſueuicum mare. Vuillic. 167. mare. Althamer. 68
ſuueuus mons. Althamerus 7. mons. Altham. 8. rex Germanorum. Althamerus 8 rex. Althamer. 55. fluuius. Althamer. 8
ſueui fluminis ortus & in mare exitus. Bilibaldus 217. fluminis cõtra omnes Geographos hiſtoria. Vuillic. 177. fluminis fons & oſtium. Vuillich. ibid. rebelles ſuperantur à Francis 330. Aquilonares. Vuillich. 154 à Romanis uicti. Trittenhemius 313. Auſtrales. Vuillich. 154 totam Europam pene trauerunt 70. fortes. Althamer. 46. quot pagos poſsiderint. Althamer. 57
ſueuorum riuus. Altha. 8 & 9. amplitudo. Athamer. 55. nobiliſsimi qui fuerint. Vuillichius 155. ueterum ſedes. Hen. Glarean. 180. regulos domuit Rudolphus. Vuymp. 377
ſueynicium. Vuillichius 162
ſugeſium oppidum. Hen. Glar. 183
ſuiceri. Althamerus 40
ſuici à quibus deſcendetint. Hen. Glar. 616
ſuidini ſuccinum legũt. Vuillich. 167
ſuimo Anthenoris filius. 301. dux in Marchia primus. Trittenhemius 311
ſuiones. Vuillich. 154
ſuſonum ciuitates. Althamerus 66. ciuitates claſsibus ualere. Vuillich. 165
ſuitenſium Alpes ſunt pars Iuraſsi montis. Bilibald. 216
ſuitię deſcriptio & laus. Hen. Glar. 622
ſuittonum montana abundãt metallis. Vuillich. 94
ſummoarius rex. Altha. 55
ſumuntorio. Bilibaldus 202
ſunders oppidũ. Aeg. Tſch. 540
ſundenſis ciuitas. Bilib. 207
ſundinum. Vuillichius 177
ſungen. Altham. 57
ſungoienſes. Aeg. 530
ſunici Agrippinenſis uicini. Diuæus 688
ſunna fluuius Galliæ. Trittenhem. 317
ſunno dux Franciæ. Tritten. 322
ſuns oppidũ. Diuæ. 688
ſuollis. Bilibald. 206
ſuperſtitio Ylantij & in fouea punctorum Aegid. Tſch. 545. Naharualorum. Altham. 64. Germanorum. Altham. 17
ſuperſtitiones diabolicæ. Vuillich. 155
ſurcium oppidũ. Aeg. Tſch 364
ſuſa. Aeg. Tſch. 561
ſulatenſis urbis obſidio Aen. Syl. 455
ſuuarizuuald. Vuillic. 139
ſueinfurt. Tritten. 341
ſygros. Bilibaldus 220
ſycambrorum ſedes ueteres. Hub. Th. 662
ſyden rex. Altham. 62
ſydo Sueuorum rex. Althamer. 55
ſylla dictator deleuit Sãnites. Althamer. 50
ſylua Othonis. Vuillichius 91. Saltuoſa. Bilibaldus 215. Bregedina. Bilibaldus 215
ſyluæ Hercinię per Germaniam tractus. Celtis. 447
ſyluahartz. Bilib. 209.
ſyluania duplex. Hen Glar. 624
ſyluaniæ laus & deſcriptio. Hen. Glar. 624
ſylueſter tertius papa deponitur. Vuymph. 363
ſymbolum. Vuillich. 113
ſyndegerus Germanus pontifex Maxim. Vuymph. 363

ſypetés. Vuillich. 145
ſyrmus rex Getarum. Ph.M. 199
ſyriam domuit Alexander Magnus. Vuymp. 353

T

TAlernę. Bilibaldus 203
tach. Bilibald. 219
tafaaſſa communitas ſiue iurisdictio apud Rhætos. Aegid. Tſch. 540
taiphali. Bilibald. 212
talaſſus 118
talla cotij mõtes. Vuymphelingius 376
tanais fluuius. Altham. 7. fluuij fons in Moſcouia. Bilibaldus 212 ubi oriatur. Bilibald. 218
tancheri. Vuillich. 145
tancredus. Vuymphel. 366
taraſcon urbs. Munſter. 492
tarentaſia. Aegid. Tſch. 558. ciuitas. Aegidius Tſch. 582. urbs. Aeg. Tſch. 566
tarenteſertal. Aeg. Tſc. 582
targetium. Bilibaldus Birc. 201
Tarodunum. Bilibald. Birc. 201
tarraconenſis, hodie Cathelania. Bilibald. 219. Hiſpania. Altha. 51
tarſe. Bilibaldus 219
tartaria. Bilibaldus 219 Althamer. 4. inſula. Munſter. 496
tartari. Althamer. 71 Præcopenſes inuadũt & uaſtant Litzuaniã. Bilibaldus 213. ſunt ultra Moſcouios & Ruthenos. Ph.M. 199 Roſanenſes. Bilibald. 211
tartaros carne cadauerosa uictitare. Vuillichius 112. hoc tempore Scythiam inhabitare. Vuillich. 177
taruana. Bilibald. 205
tarueſede. Aegi. Tſch. 557
taſsilo rex Bauariæ. Trittenhem. 336
taueſch Vallis. Vuillic. 79
taurica inſula Genuenſium à Turca capta. Munſter. 491
tauricę inſulę ciuitates. Munſter. 491
taurinum urbs ad Danubij ripam. Munſter. 494
tauriſci. Aegidius Tſc. 558
taururum. Bilibaldus 203
taurus mons. Vuillich. 138
tauri fluuij fons & curſus uſque in Rhenum. Aeg. Tſch. 549
taxagetum. Hen. Glar. 182
taxamatæ. Bilibaldus 212
taxandria, nunc Kempen. Diuæus 683
taxandri Chriſto lucrifacti. Diuæus 583
taxandri Scaldis accolæ. Diuæus 683
taxandorum feritas. Diuæus 683
taxi uenenũm. Hub. Th. 651
taxſtein. Aegidius Tſc. 559
tecelia. Bilibaldus 206
tectoſages. Aegi. Tſch. 582
telum quale. Vuillich. 93
Tela miſsilia Germanorum. Althamer. 15
temiſtitan. Bilibaldus 220
tempe ceruorum monaſterium. Vuymphel. 363.
templa deorum apud ueteres Germanos. Althamer. 17
tẽplarios fundunt Groſſonij. Vuymphelingius 373
tencateri. Althamerus 46
tencteri. Althamer. 45
tengeri. Bilibald. 206
tengeris equeſtris diſciplinæ laus tributa. Bilibald. 206
tentiochœni. Vuillich. 161
τευτεῶνες. Vuillichius 145
teracatrice. Bilibaldus 209
ternaſuri. Bilibald. 219
terra mater mortarium. Althamer. 56
terræ diuiſio. Munſter. 494
teruana oppidum. Diuæus 682
teſchẽſis ducatus. Vuillichus 162
teſchenſis ducatus. Bilibalddus Birc. 208
teuderium. Bilibaldus 208
teurnia. Bilibaldus 209
teutanes Germanorũ Mercurius. Altamer. 19
teuto nonus Germanorum rex. Vuillichius 84
teutoboduus. Altham. 62
teutoburgenſis ſaltus. Alth 52
teutonari. Bilibaldus 208

teutonarij. Vuillichius 84
teutonia. Seb. Munst. 472
teutonici. Althmer. 7. quomodo Prussiam adepti sint. Munster. 478. unde dicti. Peut. 410
τευτοχάμοι. Vuillichius 163
thabor arx. Aen. Syl. 455
thænnen communitas. Aeg. Tsch. 539
thauriscorum reliquiæ. Aeg. Tsch. 581
thyringiaca sylua. Vuillich. 139
thauros domuit Alexãder Magnus. Vuymp. 353
thalassius thymeneus dictus. Althamer. 29
theatra prohibita. Alth. 30
theutonorum signũ fuit militare Sphinga. Vuillich. 97
thebea legio sancta. Hen. Glar. 617
themistoclis exitus. Ph. M. 198
theobaldus 821
theobaldi nominis etymon. 820
theobertum fratrẽ theodoricus rex occidit. Trittenhem. 335
theocalus pontifex Sicambrorum 302
theodebaldus quãdiu regnarit. Trittenhem. 332
theodo dux Francorũ. Trittenhem. 324
theodorus uilla. Bilibaldus 204
theobertus de Habspurg. Trittenhemius 333
theodoricus fratri Lothario in regno succedit. Trittenhemius 338 præsul & dux. Trittenhemius 326. Gothorũ rex Arrianus. Munster. 479. rex Gotthorum quomodo ad imperium Rom. peruenerit. Trittenhem. 331 Francorum rex. Geb. 436
theodorus rex Francorum quando mortuus sit. Trittenhem. 340
theodoricũ ueneno sustulit Brunthildis. Trittenhem. 335
theologi Germani præstantissimi. Vuymph. 378
thermæ fauarianæ quãdo inuentę sint. Aegi. Tsch. 547
thermarum efficacia. Hen. Glar. 615
thermopolis Heluetiorum. Hen. Glar. 615
thessari ab Alexan. Magno subacti. Vuymp. 353
thessalonica metropolis Phillippensiũ. Mũster. 487
thessalonicensium urbs à Turca euersa. Munster. 490
theurochemæ. Bilibaldus 209
theutones quas regiones sui iuris fecerint. Alth. 2
theutonibus qui populi paruerint. Aen. Syl. 463
theutonicum regnum. Peut. 419
theutonicorum ordo. Vuymph. 395 armamentaria. Aen. Syl. 461 fratrũ ordo. Aen. Syl. 459
thiroli. Tritten. 348
tholosa. Tritten. 341
thomas Aquinas discipulus Alberti Magni. Vuymphel. 378
thoraces. Altham. 15
thracæ. Vuillichius 77
thraces quales sint. Mũster. 487
thracia ab Alexãdro uicta. Vuymph. 353. hodie dicitur Romania. Munst. 487
thraciæ urbes. Munst. 487
thracum puellarum educatio. Vuillich. 118 ebrietas. Altham. 34
thum. Aeg. Tsch. 562
thumcates. Aegi. Tsch. 564
thus producit Arabia. Altham. 69
thura in Arabia sunt. Vuillich. 168
thunum oppidum. Hẽ. Glar. 617
thurgoia superior & inferior. Aeg. Tsch. 531
thuri fluuij ostia. Aegi. Tsch. 532
thusci à Gallis uicti. Aegid. Tsc. 522. quomodo uenerint in Italiã. Aeg. Tsch. 521
thuscorum ciuitates. Aeg. Tsch. 522. in Italia imperium. Aeg. Tsc. 521
thylæ insula Britannici æquoris. Altham. 67 insula in Oceano. Altham. 59
tiberiacum. Bilibaldus 205
tiberius quamdiu contra Germanos pugnarit. Vuillich. 153. Nero contra Germanos. Altham. 54
tibilentus Deus Noricorum. Altham. 13
tibiscus fluuius. Althamerus 7

ticini fluuij ortus. Aeg. Tsch. 544
tiefencaſten communitas Rhætorum. Aegi. Tsch. 538
τὴν φροί. Vuillich. 145
tigris fluuius. Henric. Glar. 609. unde dictus. Hen. Glar. 609
tiguri ciuitatis laus. Hē. Glar. 620
tigurina metropolis Norici. Bilibald. Birc. 202
tigurinus pagus. Aegi. Tsch. 581
tigurum. Altham. 8
tillingum oppidum 493
tintera fluuius. Diuæus 682
tingitana Hiſpania. Altham. 51
tinnezon locus in Alpium montibus 556
tiras flumen ubi in mare feratur. Bilibald. 218
tiras flumen. Bilibald. 212
tirij in Africa. Bebelius 238
tithea. Alth. 59
tobiacum oppidum. Diuæus 688
tœttelbachium 493
toga Germanorum ueterum. Alth. 23
togata Gallia. Alth. 2
togati. Vuiſlich. 116
toggenburg comitatus olim. Aeg. Tsch. 546
tollium. Bilibald. 203
tongeren. Bilibald. 205
tongernſer oppidū. Petrus Diuæus 574
tonica. Bilibald. 220
torren ciuitas. Bilibald. 206
tornacenſes. Althamer. 41
tornacum. Peut. 412
tornacum. Bilibaldus 205
tornacus. Henric. Glar. 181
tornenſe oppidum. Aenæas. Syl. 454
torunnæi. Vuillichius 176
toſæ fluminis ortus. Aegid. Tsch. 560
tothnanus Martyr. Trittenhem. 343
tottila quid ſignificet 823
toxandria. Huber. Th. 658
toxandria. Peut. 418
troianus apud Coloniam fit imperator. Trittenhem. 311
traciæ pars maxima Romania 219
traiectēſis epiſcopatus. Vuillich. 142
traiectum qualis urbs. Aen. Syl. 455. imperiale munnicipiū. Hu. Th. 661. unde dictū. Hub. Th. 662. Bilib. 205. urbs uetuſtiſsima. Vuillich. 85
traiectenſis epiſcopi potentia. Aen. Syl. 458
tranſyluania. Althametus 4 appellata Sibē burgenſis. Bilibaldus 210
tranſyluani. Althamer. 70
trapezuntinum imperatorem ſe Turca nominauit. Munſter. 491
trapezus. Bilibald. 219
traura flumen. Bilibald. 217
treua. Bilibald. 207
ciuitas. Bilibald. 208
treueris urbis antiquitas. Vuymph. 399
urbs antiqua. Althamerus 41 quando & à quo cōdita ſit. Munſter. 493
treuerim non eſſe imperialem ciuitatem 348
Roma uetuſtiorem eſſe. Aenæas Syl. 453
treuiri uolunt eſſe Germani. Vuillichius 140
treuirorum antiquitas. Hen. Glar. 186
ciuitas à Francis direpta. Trittenhem. 328
fines olim lati. Bilibal. Birc. 203. & 204
treuirenſes archiepiſcopus archicancellarius Romani imperij. Peu. 421
treuerenſem Metropolim in Germania eſſe 349
triballi populi. Munſt. 486. Bilibald. 219
tribelles domuit Alexāder Magnus. Vuymp. 353
tribochi. Althamer. 42
Peut. 411
τριβόκκων. Vuillichius 141
tribotes Germanos eſſe. Gebuil 443. Alth. 42
triburiæ cōuentus principum ad ſubmouendum à regni negotijs Henricum regem 804
tribulatio quid iuſto cō ferat. Gebuil 440
tributum Romanis dare negant Franci. Trittenhem. 320. Saxonibus remittitur. Trittenhem. 337
tributa. Vuillichius 115
tridentini. Aegid. Tsch. 536
tridentum à Gallis conſtructum 521
trinſgti. Peut. 411
tripleuen oppida. Aeg. Tsch. 564
trittenhemij Abbatis de origine Frācorum compendij finis 348

triumpelini. Aeg. Tsch. 564
triumpelini. Aeg. Tsch. 553
triusgri. Bilibald. 203
troes Homerici. Vuillichius 86
troglodítarum urbs Berenica. Vuillich. 170
trogus Pompeius. Aegid. Tsch. 54
trumaricus flumen. Bilibald. 216
trumbs communitas apud Rhætos. Aegid. Tsch. 539
tchara oppidum. Aeg. Tsch. 564
tubanti ubi habitarint. Bilibald. 209
tubera fluuius. Sebast. Munster. 474
tubera amnis. Munster. 493
tubinga. Munsterus 492
tubiscon urbs. Althamerus 7
tudrus rex. Althamer. 60
tudri genus. Vuillichius 161
tugij laus & descriptio. Hen. Glar. 625
tuginus lacus. Henric. Glar. 616
tuischburgum oppidū captum. Geb. 435
tuisco Deus ex terra genitus 407
us 80
tuisco terrę filius. Althamerus 7
tuiscorū Deum ex terra natum. Vuillichius 80
tuiscones dicūtur Teutschen. Vuillic. 817
tuitium urbs. Altha. 7
tulenses. Tritten. 337
tulingi populus. Aeg. Tsch. 582
tulisurgium. Bilibaldus 208
tullus oppidum Leucorum. Diuæus 688
tullum. Trittenhemius 341
tumelicus rex. Altham. 62
tumlesch Vallis. Aegi. Tsch. 525
tungerheim uicus. Vuillich. 85
tungern. Ph. M. 19
tungersee oppidum. Vuillich. 85
tungri. Alth. 2. Germani. Althamerus 10. à Francis subacti. Petr. Diuæus 677. à Rom. recuperati. Pet. Diuæ. 677. tenuerunt tractū in Belgico. Ph. M. 194 Germani uocati sunt. Vuillich. 84
tungri ne à Troianis orti sunt. Diuæus 677. quándo Christiani facti. Petrus. Diuæus 677
quãdo Rhenum transierint. Petrus. Diuæ. 674.
ab Hunis direpti. Hu. Th. 656
primi Germanorum occuparunt Galliam. Hub. Th. 637. stipatores imperatorū. Pet. Diuæus 677
Tungrorum cohortes Romanis morent. Petrus Diuæ. 676
nominis reliquiæ. Petrus Diuæus 677. urbis origo. Huber. Th. 637
in Belgicam migratio. Pet. Diuæus 670 Aduaticum. Hub. Th. 652. imperium aliquãdo latissimum fuisse. Pet. Diuæus 675. dilectus. Huber. Th 639
tunici. Bilibaldus 219
tunisi. Bilibald. 219
turcæ unde primò uenerint. Munst. 484
turcarū Ottomannus primus dux. Munsterus 489
Turcarum imperatores quare omnes uocentur Ottomanni. Munsterus 489. gentē à Tartaris originem suam habere. Bilibal. 213
turcas quomodo afflixerit imperator Sigismundus. Vuymphel. 384. quomodo multis locis feliciter uicerit Fridericus. Vuymphel. 39
turci unde orti. Aenæ. Syl. 464
turci imperium quibus artibus retineãtur. Aenæas Syl. 565
turcimanni. Bilibaldus 213
turegum Bilibald. 203 Aen. Syl. 453
turingiam Clodoueus rex Francorum subiugauit. Trittenhemius 330
turingi. Bilibaldus 213
turinum. Aeg. Tsch. 561
turma equitum. Althamerus 17
turnutius flumen. Bilibald. 211
turones & Veneti, hodie Britania. Bilibald. 219
turoni. Vuillich. 163
turonica urbs obsessa. Trittenhem. 339
turonum. Trittenhem. 341
turqueste. Bilibald. 219

turris Argentinensis altitudo. Vuymph. 397
turtal. Aeg. Tsch. 537
tuscí. Alth. 3
tuscos Asiam sibi uendicare Bebelius 238
tuuertzka ducatus. Münster. 485
tybiscus flumen. Bilib. 217
tyburtini montes. Vuymph. 376
tyra fluuius. Vuillichius 176
tyran oppidum. Aeg. Tsch. 540
tyrangitæ. Bilibal. 212
tyrannidem exercet fortuna. Ph. M. 198
tyrigetæ. Vuillich. 161
tyrn. Vuillich. 77
tyringorum nomen unde. Ph. M. 197
tyriohemi & Variscí uicinæ fuerunt gentes. Ph. M. 197
tyrrenum mare. Munst. 495
tyrreni à Gallis eiecti 238

V

VAda oppidũ. Diuæus 685
uadutz. Aegid. Tschu. 536
uaganum. Bilibaldus 205
uahalis Rheni ostium. Diuæus 688
ualentia urbs. Munster. 492
ualentinianus imperator occiditur. Tritten. 321
ualentinianus quot annis imperarit. Tritten. 317
uallacum. Bilibald. Birc 201
ualbrunna. Aegi. Tsch. 556
uallesiæ superior regia Sedunũ uocatur. Aeg. Tsch. 565. inferioris lingua. Aegidius Tsc. 560. Althamer. 3
uallis dulcis. Aegidius Tschud. 536. Venusta. Aeg. Tsch. 536
uãdalicæ ciuitates. Vuillich. 83
uandalus. Althamer. 9. octauus Germanorũ rex. Vuillich. 83
uandali regnum Romanum dilacerarunt. Ph. M. 196. fluminis cursus. Bilibald. 217
uandalos esse ortos ex Gotthorum gente. Bilibaldus. 214. multi oratores inter Germanos recenset. Ph. M. 194
uando rex. Althamerus 62
uangiones. Cornelius Tac. 41. Altham. 2 esse Vuormacienses. Vuillich. 140. Germanos esse. Gebuil. 443
uannius Sueuorũ rex. Altham. 55. Quadorum rex. Althamerus 62
uari corpus quomodo tractatum 504
uariana clades ubi facta sit. Alth. 53
uarianum prælium 505
uarini. Althamer. 58 Vuillich. 154. Vuillich. 158
uarinnæ Germanici. Peut. 407
uaristæ. Alth. 60
uarna ad Danubium. Munster. 494. fluuius. Vuillich. 178
uarnenses. Althamerus 58
uarnemund. Vuillich. 178
uarnienſis urbs Prussiæ. Alth. 58
uaruca ubi Romani cladem grauem acceperunt Hub. Th. 651
uascones uicti à Carolo Magno. Peut. 418
uastum regnum. Seb. Munsterus 474
uaticinium Hildegasti de futura Francorum monarchia. Tritt. 312
uberlingen. Aeg. Tsch. 533
ubij. Altham. 42. Gallis & Germanis suspecti. Diuæ. 687 Transrhenani cis Rhenũ migrant 687. eburonũ loca occupant. Diuæ. 687
ubios esse Coloniẽses. Vuillichius. 141. Germanos non Gallos esse. Gebuil. 443. & 444
ucaria Marchia. Vuillichius 96
udalricus comes de Habspurg. Trittenhe. 333
uectigalia. Vuillichius 113
uelania insula. Bilibald. 205
uelatabi. Diuæ. 686
ueldkirch. Aegid. Tsch. 537
ueldkirchensis comitatus. Aeg. Tsch. 550
uelites. Alth. 15
uelleda apud Bructeros. Vuillich. 101
uellocasses. Diuæ. 680
uelleda uirgo. Alth. 18
ueltlin. Aeg. Tsch. 537
ueltolini. Aeg. Tsc. 564
uenãdi studium in Germania. Alth. 25
uẽceslai ignauia. Vuymphel. 383
ueneticium crudele. Vuymphel. 380

uenetia unde dicta. Ph. M. 194
uenetianum mare. Mũſterus 495
uenetícus .Oceanus Vuillichius 76. ſinus. Vuillich. 164
uenedici montes. Vuillich. 164
ueneti. Althamer. 70 Germanicam uirtutẽ ſunt experti in Sigiſmundo Auſtriaco. Vuymph. 394
uenetos eſſe quos Germani uocant die Vuẽden. Ph. M. 194
ueneris ſacerdotes corruptæ antequam nuberent. Trittẽhemius 305. Paphiæ imago. 160
uennones. Bilibaldus Birc. 201
uennonum ferocitas. Aeg. Tſch 545
regio. Aegid. Tſchud. 537
uenonetes. Aeg. Tſch. 553
uentidius Romanorũ primus ſuperauit Parthos. Altham. 51
uentis impoſuiſſe nomina Germanica Carolum Magnum. Mũſter. 480
uentonini Aeg. 564
ueragri. Aeg. Tſch. 553
uerbigenus pagus. Aegid. Tſch. 581
uerbinum. Diuæ. 681
ueritatem colunt Germani. Vuymphelingius 400
uermenlandia. Bilibaldus. Birc. 210
uernix. Vuillich. 170
ueronam in Italia Galli ædificarunt. Aegidius Tſch. 521
uoſagus mons Moſam emittit. Diuæus 689
ueſenius lacus. Hẽricus Glar. 618
ueſonium. Aegid. Tſch. 528. Henric. Glarean. 626
ueſontium Byſantz. Aegid. Tſch. 580
ueſontij. Althamer. 3
ueſpaſianus quam infeliciter multis prælijs contra Germanos pugnarit. Vuillich. 153
ueſpa ciuitas. Bilibald. 210
ueſpi. Bilibaldus Birc. 106
ueſta. Althamer. 59
ueſtitus Germanorũ uterũ. Vuillich. 115. Germanorum. Althamer. 27
uetera caſtra. Bilibald. 202
ugonia. Aeg. Tſch. 558
Vallis. Aegidid. Tſch. 561
uiadus fluuius. Altha. 59. qui Odera hodie dicitur accipit meuſam fluuium. Bilib. 217
uiadri oſtium. Vuillich. 164
uiberi ex Lepontijs. Aegid. Tſch. 554
uiborgenſis epiſcopatus. Bilibald. Birc. 207
uictimæ quales. Vuillichius 102
uictor martyr. Henric. Glar. 617. ſecũdus ſucceſsit Leoni nono in pontificatu. Vuymp. 364
uictoriati nummi. Vuillich. 93
uictus Germanorum. Vuillich. 124
uidrus fluuius inter Phriſios et Buſactores fluit. Bilibald. 206
uidri amnis origo. Bilibaldus 217
uienna. Althamer. 4. Bilibaldus Birc. 202 priſcis Flauiana dicta 454. in Delphinatu. Munſt. 492
uilis terra. Aegid. Tſch. 536
uilna epiſcopalis ciuitas. Munſt. 484. ciuitas. Bilibaldus 211
uilſus amnis. Bilib. 217
uitucinates. Aeg. Tſch. 553
uimundria. Bilibal. 203
uindelegi. Hen. Glar. 602
uindelicia adheret Rhetiæ. Bilibald. Birc. 201 olim nunc dicitur Bauaria 219
uindelicíæ populi quatuor. Aegid. Tſch. 564. termini. Aegid. Tſch. 581
uindelicorum inſula. Aeg. Tſch. 530. urbes. Aeg. Tſch. 533. ſitus. Aeg. Tſch. 529. quatuor populi. Aegidius Tſch. 553
uindobona. Bilibald. Birc. 202
uindomana. Bilibald. 202
uindoniſſa ciuitas. Aegid. Tſch. 581. Aegi. Tſch. 544. Bilib. 203
uinum Frãconicũ. Trittenhem. 329
uino quæ regiones in Heluetia abundent. Hen. Glar. 611
uina Rhetica. Aegid. Tſch 537. Alſatica quã diu durare poſsint. Vuymph. 399
uingio. Bilib. Birc. 204.
uinſtermuntij. Aegid. Tſch. 536
uinſtermuntz. Aegid. Tſch. 537

uinſtgoiæ. Aegid. Tſch. 537
uinſtgoiȷ. Aegid. Tſch. 526
uinthi. Althamerus 70
uinthones. Alth. 70
uirdunum claborũ oppidum. Diuæus 688
uiridomarus rex Germanorum. Vuillich. 84
uirginopolis qualis ciuitas. Aen. Syl. 455
uirginum undecim millium hiſtoria 319
uironadi. Peur. 418
uirucinates. Aeg. Tſch. 564
uirunum. Bilibald. 207 Bilibaldus Birc. 202
uirumni. Bilibald. 208
uisburgij ubi habitarint. Bilibald. 208
uiſetum oppidũ. Hub. Th. 658
uiſebadæ fons calidus Vuillich. 142
uiſigotthi. Vuillh. 166
uiſio Hilderici regis mirabilis & expoſita Trittenhem. 330
uiſontium. Bilibaldus 293
uiſtula flumen. Altam. 59. uel Viſcella Alth. 102
uiſtulæ fluminis & curſus & oſtium. Bilibal. 217
uiſurgis fluuius Germaniæ. Sebaſt. Munſter. 473. ubi in Oceanum exeat. Bilibald. 217
fluuius 59
uiteberga fuit in regione Senonũ. Ph. M. 197
uitodurum. Bilibaldus 203
uitudurũ. Aeg. Tſc. 583
ulachia. Bilibald. 219
ulami Tartari. Munſt. 491
ulma qualis urbs. Aen. Syl. 457 Alth. 5
ulmigeri. Alth. 45 Alth. 66
ultraiectum oppidum. Diuæus 586
ulyſſes Germanorum rex. Vuuillich. 84
ulyſſem in Germania fuiſſe. Alth. 13. & 12
umbræ marinæ. Althamerus 67
umbros à Tyrrhenis electos. Bebelius 238
unda nigra fluuius. Bilibaldus 217
ungaria alia in Scythia. Munſter 483. Priſca ubi fuerit. Bilibaldus 212
ungarij uaſtando uenerunt uſq; ad Fuldam 702
uniuerſitates Germaniæ. Aen. Syl. 462
unni populi. Henricus Glar. 186
uocabula regionum & gentium in Tacito de Germania. Ph. M. 193
uoceslaus rex deponitur. Vuymph. 383
uacetius mons. Aegid. Tſch. 581
uogel mons. Aeg. Tſc. 557
uogeſi montana. Bilibaldus 216
uoitlandia. Althamer. 2
uoitlandi. Vuillichius 261. dicti Hermunduri. Ph. M. 195
uolga fluuius. Bilibald. 211
uolha fluuius. Bilibald. ibidem
uolturena. Aeg. Tſc. 564
uorſura ex uorſura. Vuillich. 132
uoſauia. Bilibald. Birc. 204
uratislauia qualis urbs. Aen. Syl. 454
uratislauienſis epiſcopatus. Aen. Syl. 459
urba. Agidius Tſchud. 581
urbanus ſecundus in Gallia concilium habuit. Vuymphelingius. 365. lacus ex Ticino. Aeg. Tſch 584
urbes in utraq; Rheni ripa. Munſt. 492
urbium & domorum inuentio. Althamerus 27
uriæ laus & deſcriptio. Hen. Glar. 622
urios à Tauriſcis deſcendiſſe. Hen. Glar. 616
urorum regio. Aegid. Tſch. 561. regio. Aeg. Tſch. 536
urſa fluuius. Aeg. Tſc. 544. ubi in Arolam & Arola in Rhenum fluat. Aeg. Tſch. 544
urſorum Heluetij. Aeg. Tſch. 537.
urſpergenſis Abbas. Aeg. Tſch. 521
urſsler mons. Aeg. Tſc. 557.
urſulæ ſanctæ pater. Trittenhem. 319
urſus Sanctus Salodori paſſus. Hen. Glar. 617
uſipetes. Althamer. 46
uſipetes à Cæſare ſuperati. Diuæus 683
uſipij & uſipetes. Vuillich. 144
uelandiæ amplitudo. Bilibaldus Birc. 210
uſuræ annuæ. Vuill. 133
uſuras è tota Sparta exterminauit Lycurgus. Vuillich. 133
utriceſium. Diuæ. 686
utriceſium oppidũ. Diuæus 685
utricetum. Hub. Th. 662

VV

VVag fluuius. Bilibaldus 217
uuagaria. Munſt 477
uualachia. Althame. 4
Vuillich. 76
Vualachi. Althame. 70
Vualen dicuntur Germanis Itali. Munſt. 477
uualdenſtatius lacus. Aeg. Tſch. 528
uualgœuu. Aeg. Tſch. 530
uuallenſee. Aegidius Tſch. 526
uuallenſes ſuperiores. Aeg. Tſch. 560
uuallenſtat oppidum. Aeg. Tſch. 527
uualtherus quot annis regnarit. Trittenhem. 313
uualterſpurg apud Rhętos communitas. Aegid. Tſch. 539
uuandalus. Peut. 409
uuandali in Aphricam cum exercitu nauigiant. Trittenhem. 328 & Alani Hiſpaniam occupant. Trittenhe. 327
uuandalos fuiſſe ex inſula Scandiana. Trittenhem. 327
uuandel oder die uuenden. Vuillich. 63
uuardheim. Trittenhe. 141
uuarmia. Vuillich. 158
uuarmienſis epiſcopatus. Vuillich. 158
uuarthaus. Bilibaldus 210
uuaſcones deuaſtant Francorum fines. Trittenhem. 339
ualgorię tractus. Aeg. Tſch. 549
uuaſſerburgum. Munſter. 494
uuera flumen in Viſurgim exit. Bilibal. 217
uuederauia. Bilibal. 206
uuederauiį. Tritten. 348
ueibelsbach. Alth. 57
uuels cõmunitas. Aeg. Tſch. 538
uuelſenach ciuitas. Bilibaldus 208
uuenden. Althame. 70
uuendiſch ſtet. Vuill. 83
uuerda oppidum 493
oppidum. Munſterus ibidem
uuerdenſis ciuitas. Bilibaldus 217
uuerdenſes. Vuuill. 147
uuerdenberg. Aegid. Tſch. 537
uuerdia oppidum. Aenæus Syl. 455
uuerenher. Merſpurgẽſis epiſcopus 745
uuetalia ſuperior. Munſter. 403 Bilib. Birc. 206
uueſera alio nomine Viſurgis per quas regiones decurrens in Oceanum exeat. Bilibaldus 217
uueſteruuald. Bilib. 206 Vuillich. 139
uueſtgotthi. Vuill. 166
uueſtphalia. Alth. 2
uueſtphaliæ dux Aen. Syl. 458. urbes. Aen. Syl. 455
uueſtphalia ubi hoc tẽpore degant. Bilib. 208 Alth. 8
uueſtraſiorum rex Theodericus. Vritten. 333
uueſtriæ ciuitates & regiones. Tritten. 341
uuettingẽ. Aeg. Tſc. 529
uuitzel Magdenburgẽſis archiepiſcopus coniurauit aduerſus regem 745
uueyſſenburg in Noricis. Bilibald. 218
uuichersheim. Tritt. 341
uuidocanne. Peut. 418
uuilbrordus epiſcopus ſanctus. Tritten. 338
uuildelappi populi. Vuillich. 176
uuildlapmanni. Bili. 210
uuilhelmus Saxoniæ dux. Aen. Syl. 462
uuilibaldus quid ſignificet. 719
Vuillich. 74
uuimpina. Munſt. 492
uuindeck. Aeg. Tſc. 528
uuindekind. Saxonum rex. Tritten. 310
uuindi. Vuillich. 163
uuini. Seb. Munſt. 472
uuinsheim. Tritten. 341
uuinuli. Seb. Munſt. 412
uuiſſenburg. Peut. 415 Peut. 418
uuirtenbergenſes comites, deinde duces. Aenæus. Syl. 460
uuirtenbergenſis ducatus. Bilibald. Birc. 206
uuirtzburg. Tritten. 317
uuiſogaite. Peut. 418
uuiltzi. Seb. Munſt. 472
uulnerũ curatio quid. Vuillich. 173
uultæ ſubiugant Batauos. Diuæus. 686
uuolframus de Grunbach pręſul & dux. Tritten. 326
uuolffgerus præſul & dux Francorum. Trittenhem. 323
uuormatiæ urbis amœnitas. Aen. Syl. 452
imperialia comitia celebrata. Munſter. 486
fit conuentus principum ſub Carolo Magno. Tritten. 344
uuormaciam regno Frãcorum fuiſſe ſubiectũ. Trittenhem. 322
uuormacenſes. Alth. 2
Vuymphelingius de rebus Germanicis 349

uuyrtenbe-

uuyrtenbergenſes imperio rebelles quomodo ſint tractati ab imperatore Henrico Lucelburgio. Vuymph. 379
uuyſſenburgum. Mūſt. 492

X

XAnthum oppidū. Hub. 663

Y

YLi fontes. Aegid. Tſch. 550

Z

Zabergen. Alth. 57
zabernia in Alſatia. Munſt. 492
zacatæ. Bilibald. 212
zacchi. Vuillich. 83
zacharias papa Pippinū declarat regē Frācorū. Trittenhem. 343
zagathai Tartari ubi habitarint. Bilibaldus 214
zampa. Bilibald. 220
zarmis Gethaſa. Bilibald. 203
zarmidis regis. Bilibaldus 203
zaſij legum doctoris epiſtola ad Thomam Vuolphiū Con. Peut. 401
zedenick. Vuillichius 177
zedomæi ubi habitarint. Vuillich. 171
zeila. Bilibaldus 220
zelia. Bilibaldus. Birck. 202
zeugma. Bilibald. 203
ziantianorum Colonia. Bilibald. 202
zilienſis comitatus. Bilibald. 202
zingis. Bilibaldus 220
zipſerland. Munſt. 286
zizania Dominici agri. 738
zobellinæ pelliculæ. Vuillich. 115
zona frigida arctica ubi 166. torrida. Munſt. 500
zucdiemantelum, Vuillich. 162
zundœſtetlin iurisdictio Rhætorum. Aeg. Tſch. 540
zuiccauia. Alth. 10
zuina fluuius. Bilibald. 212. flumen. Bilibald. 218. flumen. Bilib. 211
zülmando. Bilibal. 219
zumi. Seb. Müſter. 472
zutz Rhætorū communitas. Aegi. Tſch. 538
zythum. Vuillich. 128
peluſiacum. Vuillich. 81

FINIS INDICIS, TOMI PRIMI
Hiſtoriarum.

P. CORNELII TACITI, EQV. Rom. De ſitu, moribus, & populis GERMANIAE LIBELLVS, CVM SCHOLIIS ANdreæ Althameri Brenzij.



GERMANIA [a] omnis à [b] Gallis [c] Rhetijſq; & [d] Pannonijs: Rheno & Danubio fluminibus, à [e] Sarmatis [f] Dacisq; mutuo metu [g] aut montibus ſeparatur. Cætera [h] Oceanus ambit, latos ſinus & inſularum immenſa ſpacia complectens, nuper [i] cognitis quibuſdam, quos bellum aperuit.

Germaniæ ueteris fines & ſitus.

VEterem [a] Germaniæ ſitum & angustioris terræ, quàm nunc eſt, limites à principio deſcribit Tacitus: non eius quæ multorum populorum acceſsione poſtmodum facta eſt ampliſsima. Nam uetus Germania tantum intra Rhenum, Danubium atque Oceanum concluſa, non protendebatur longiùs: quòd præter Tacitum, & alij terrarum ſcriptores teſtati ſunt. Pomponius enim Mela Hiſpanus Coſmographus lib. 3. quoq; tradit Germaniam ab occidente ripis Rheni uſq; ad Alpes: ab oriente, Sarmaticarum confinio gentium, qua Septentrionem ſpectat, Oceanico littore obductam. Similiter & Solinus cap. 29. Extenditur, inquit, inter Hercynium ſaltum & rupes Sarmatarum, ubi incipit, Danubio: ubi deſinit, Rheno perfunditur. Accedit ad horum ſententiam & Strabo lib. 7. atq; Cl. Ptolomeus lib. 2. cap. 11. Habes nunc antiquum Germaniæ ſitum. Verùm quis ignorat, quanta interim facta ſit populorum acceſsio? uelut abundè ſcribit Aeneas Syluius Senenſis, qui pontifex max. Pij cognomentum tulit. Comparemus ergo cum ueteri nouam, & primùm de amplitudine dicamus. Danubius ac Rhenus, qui quondam Germaniæ limites clauſere, nunc per medios Germanorum dilabuntur agros. Belgica regio, quæ Galliæ priùs portio tertia fuit, nũc maiori ex parte Germaniæ ceſſit, lingua & moribus. Heluetij quoque gens antea Gallica, in Germanos tranſiuere. Rhetia tota & ipſum Noricum, & quicquid Vindelici nominis inter Alpes Italas, ac Danubium fuit, ad Germanos defecit: Ita ut etiã Alpes ipſas cœlo uicinas, & perpetua niue rigentes, nomen Germanicum pene trans, in Italia quoq; ſedes poſuerit, Brixione, Merane, Bubranoq; in ualle Athe- ſis occupato. Auſtria, quæ apud priſcos Pãonici iuris fuit, & Norici portio, in Germanicum nomen conuerſa eſt. Stiria quã ueteres Valeriam uocauere, Theutonicum morem atq; imperium ſubijt. Carni quoq;, quos modò Corinthianos; Carniolosq;

Germaniæ amplitudo.

Belgica.

Heluetij.

Alpes.

Auſtria.

Stiria.

Carnia.

Albis. Odera. Vistula. Sarmatia.

Carniolosq; nominant, idem fecere: Ita ut fontes Draui Sauiq; nominatorum fluminum, Theutonici iuris existãt. Neq; Alpes uliq; interItaliam atq; Germaniam sunt, quarum summa cacumina non possideant Theutonici, qui ad Oriẽtem non modo Albim, sed Oderam ac Viscellam transmiserũt. Et in ipsa quidẽ Occidentali Sarmacia. Vlmigerorum & Gepidarum agros inuasere. Nam & Austria trans Danubium, & Morauia & quidquid Silesitæ ultra Oderã possident, Sarmatici quondam fuit soli: Quin & in Oceano & Baltheo sinu, medias insulas sui iuris fecere Theutones. Porrò non temere est quod dixit: Omnis Germania

Germania superior.

Nam est superior & inferior, cis Rhenana & trans Rhenana atq; magna Germania apud Classicos autores. Cornelius Tacitus in historia Augusta non rarò superioris & inferioris Germaniæ mentionem facit. Ammianus Marcellinus lib. 15. Superiorem, quam etiam primam uocat, Moguntiacos & Vangiones & Nemetos & Argentoracos complecti refert. Inferiorem uerò, quæ ipsi & secunda, Agrippinam & Tungros. Germaniæ magnæ meminit Claudius Ptolomeus.

Superior Germania prima. Inferior secunda Alta.

Superior Germania, (quæ ut dixi) prima etiã & alta uocatur & historiographis (*Das hoch Teutschland*) à Mœno ascendendo Boioariam habet Austrinam, Stiriam, Athesim, Rhetiam, Heluetiam, Sueuiam, Alsatiam. Tribochos, Nemetes, Vangiones, & Moguntiacum usque. Inferior Germania, etiam secunda & Bassa uocata (*Das nider Teutschland*) ab Obrinca fluuio, qui nunc Mosella, initium habet continet Franciam orientalem, cuius magna pars meridiem uersus, in superiorem protenditur Lotharingiam, Brabantiam, Flandriam, Selandiam, Holandiam, Geldriam, Frisiam, Vuestphaliam, Hassiam, Saxoniam, Marchiam, Daniam, Pomeraniam, Borussiam, Liuoniam, Slesiam, Morauiam, Bohemiam, Voitlandiam, Misniam, Duringiam. Ptolomeus quoque magnæ Germaniæ recordatur, quę Septentrionem sub se comprehendit Borussiam, Liuoniam, Silesiam, Carpathi incolas, Peucinos, Bastarnas, Roxolanos, atque Venetos, Vel ut alijs placet, Saxoniam ulteriorem, ut Lubecum, Rostochum, & antiquam Marchiam: quæ Germaniæ portio trans Rhenum ad Albim usque extenditur. Fines uero Germaniæ nostro æuo sunt, Italia à Meridie, Hungaria & Polonia ab Oriente, mare Baltheum magnus'que Oceanus à Septentrione, & Galli à ab Occasu. Habes rationem quare dixerit Cornelius: Germania omnis, hoc est superior & inferior magna'que intra hos fines est concluſa, Gallias, Rhetias, Pannonias, Sarmatas, Dacosq;.

Germania magna.

Obrinca.

Bassa Germania.

Limites Germaniæ nostra ætate.

Gallia lata Europæ regio, nostra ætate Francia occidentalis dicitur, Germanice *Franckreych*: et eius populi Franci (*die Frantzosen*) à Frãcis Germaniæ populis, à quibus fere tota olim subacta est. Hæc trifariam diuisa, in Tonsam siue Togatam, quæ & Cisalpina dicitur, Comatam quæ appellatione cognominatur omnis transalpina, Gallia Braccatam, quæ etiam Narbonensis dicitur. Togata est illa ora Italiæ quæ intra Padum Rubiconem & Apenninum est: ubi etiam hodie uulgo Lombardiæ, Forum Iulij, & Romandiolæ prouinciæ. In quibus Aquilegia, Mediolanum, Padua, Placentia, Bononia, Rauenna. Mirandula, flos ac robur Italiæ, sita sunt. Itaque Togatam eandem & Cisalpinam à Toga cum lacio communi Romani dixere. Comata quo nomine omnis transalpina Gallia est nuncupata ab intonsis criminibus, quo uocabulo illa Germanorum gens Rheno proxima utranque illius ripam attingens à ueteribus est appellata: Vbij, Rauraci, Tribotes, Nemetes, Vangiones, Moguntiaci, Treuiri, Mediomatrices, Confluentes, Rheni & Mosæ populi, Vbij, Menapij, Eburrones, Tungri, Bellicasij, Nerui, Belgæ, Bellouaci, Leuci Morini, Atrebates, Ambiani, Romandui una cum reliquis Belgarum populis. Sed cum Gallos & Germanos uno uocabulo ueteres Græci, Celtas nuncuparint: hinc est quod Cæsar lib. 1. belli Gallici in sua Gallica diuisione, Celtas non minorem

Gallię descriptio. Franci. Tonsa. Togata. Comata. Transalpina. Braccata. Cisalpina. Comata Gallia.

Bolgæ. Celtas.

minorem totius Galliæ partem tenere scripserit, quam huic quoque Comatæ adijciemus. Quum horum inprimis maxima pars populorum Germanorum, & Belgarum instar comas nutriat. Cæsar siquidem Galliam omnem in Celtas, Aquitanos, & Belgas diuidens, Celtas Belgis proximos hæc uoluit obtinere loca, ubi Augustus Cæsar quaratm Galliæ diuisionem Lugdunensem locauit: quæ in se habet populos ueteribus uocitatas Valesios, Burgundiones, Sequanos, Heduos, Lingones, Lugdunos, Niueruos, Cenomandos, Redones, Senones, Andes, Turones, Carnutes, Britones, Parisios, Veromanduos, hodie Heluetij, Vesontij alias, Bisanti, Verdunenses, Diuionenses, Belnenses, Augustuduni, Bibractæ, Matisconenses, Cabillonenses, Aurelianenses, Lutecij, pluraque alia loca ad Ararim, Ligerim, Sequanam, & Matronam flumina sita, quæ longum esset enumerare. Braccata quæ Narbonensis dicta à braccis id est femoralibus prolixis quibus utebantur, qui etiam præterhæc sagis tecti Strabone teste li. 4 Geographię, & uestibus breuibus quib. uix nates tegere poterant, uestiebantur. Hęc etiam Celtis mixta, hos habet populos priscis memoratos, Allobroges, prouinciam Romanorum, Tolosatios, Narbonenses, Ruscinos, Tectosagos, & populos inter Isaram & Rhodanum quæ ciuitates habent nobilissimas, Gebennam, Masiliam, Niceam Tolosam, Narbonam Perpenniam, Arelatensem, Carcasonam, Auinionum, Viennam, Valentiam, Biterras, Agathopolim, & plures alias, quas nimis prolixum esset recensere. Aquitania quoque in hoc tractu sequitur non ignobilis Galliæ pars, ad Garumnam fluuium, quæ corporibus hominum & lingua à cæteris Gallis differt. Ciuitates & populos habet à ueteribus enumeratas, Pictones, Taruisacios, Tarbelios, Bigerones, Garumnos, Cocosates, Sigubates, Auxitanos, Vassarios, Flussatos, Bituriges. Horum oppidum Auaricum cuius Cæsar meminit sæpenumero in Commen, Burdegallenses inter Garumnam & Auscios, Ruthenos Leuonicos, & Auernos. Liger potissimum in ea regio ne flumen est, qui prouinciam eam à cætera Gallia diducit, nomina etiam quædam habet recentia, puta Claremontenses, Sanctiflori, Tutelenses, Mimotenses, Albienses, Castrenses, Amicienses, Vabrenses, & plura huiusmodi, quæ breuitatis causa hic obmittuntur. Habes itaque candide lector breuem atque item ueram Galliæ partitionem & descriptionem, quam nobis Halę Saxonum communicauit homo fidei & humanitatis plenus Ambrosius Leymbachus, uir litteratissimus & nullis non doctrinis deditus, qui aliquot annos in Gallia uersatus, omnia suis oculis non illibenter uidit.

Lugdunẽsis Gallia.
Braccata Narbonẽsis.
Braccæ.
Aquitania.
Liger.

RHeti c Alpium fuerunt populi supra Comum Italiæ urbem, ad Alpium radicem, sicut habet Strabo lib. 4. Quorum oppidum est Bicantium, & Candobunum, & Licantiorum, ueluti arx quædam Damasia. Idem Strabo lib. 7. Rhetij uero & Norici usque ad Alpium summa tenent & Italiam uersus inclinant, hinc Insubribus: inde Carnis propinqui & Aquileiæ tractui. Hij à Rheto duce Tuscorum (qui etiam Hetrusci, nunc Florentini) appellationem sumpsere. Nam Tusci duce Rheto auitis sedibus amissis: Id est pulsi à Gallis auctore Plinio lib. 3. cap. 20. Alpes occupauere: & nomine ducis gentem Rhetiorum condiderunt uelut scribit Iustinus lib. 20. Istorum loca nunc tenent Germanorum gentes. Churienses à Churia uetusto oppido, Algeani er pars Arhesini, comitatus scilicet Tirolis. Oppida habent Curiam, Veldtchirachium Lindoiam, Brigantium, Rauaspurgum, Capidonam, Cauftburnium, Rotuilam, Augustam. In confesso autem est duas fuisse Rhetias. Superiorem scilicet & inferiorem. Superior est montana & alpestris: Inferior plana Suauię nostrę portionem complectens, quæ etiam Cisalpina dicitur. Vniuersa Rhetia nunc ad Germaniam spectat, Rhetica uina sunt, quę nos Germani appellamus Veldtleyner, generosa, & quibus maxime delectatus est Augustus Cæsar, teste Suetonio in uita eius, quæ

Rheti.
Rhetus Dux Thuscorum.
Tusci.
Hetrusci.
Rheticorum loca & Vrbes.
Rhetica superior et inferior.
Rhetica uina.

etiam à Vergilio 2. Georgicorum cõmendantur, Et quo te carmine dicam, Rhetica nec tellus ideo contende Phalernis. Rheticæ Alpes (*Die grawebinder*) eæ sunt quas Rheti incoluerunt nunc ab Heluetijs habitantur, uulgo dicuntur S. Gothardi, item S. Bernhardi, atque S. Nicolai montes. In istis Alpibus Rheticis oritur Rhenus ut ait noster Cornelius Tacitus: Rhetico aũt mons apud Pomponiũ Melam lib. 3. est in Heluetijs, qui ab incolis Brettiggegeum uocatur, annotante Ioachimo Vadiano insigni Cosmographo, ad quem Rheti sederunt. Est'que Ille mons, quem iam Rheticas Alpes diximus, ex quo Rhenus oritur: inter fines Churiensium & Sedunorum: ubi hodie Leopontij. Quidam portiunculam Sue uorum circa Nordlingiacũ Rhisam (*das Rhies*) à Rhetia appellatam contendunt.

Rheticæ Alpes.

Rhetico mons.

Rhisa.

NOn *d* fruſtra Pannonijs plurali numero dixit. Siquidem duplicem Pãnoniam ueteres quoq; dixere. Superiorem quam Auſtriam hodie appellant ab Auſtro uento quo perflatur: ſiue ab Auſtraſia Gallica, quemadmodum placuit Paulo Aemilio: hæc habet Viennam clariſsimum oppidum bonisq; ſtudijs paſſim famigeratum numeratur inter Germaniæ oras, Cerere & Baccho fœcundiſsima: Cæſaribus & Regibus Germanorum obſequioſiſſimè parens. Inferiorem Pannones olim Peones dicti, ab initio tenuerunt: inde Hunni: mox Gothi: poſt Langobardi: nouiſsimè Hungari. Quare inferiorem Pannoniam recte Hungariam dixeris.

Pannonia duplex.

Auſtria.

Vienna.

SArmatiam *e* pariformiter bifariam diuiſerũt Coſmographi: Altera nẽpe Aſiæ eſt, Tartariã nunc uocant: Europę altera, Scithiæ olim regno fuit: cui Poloniæ nomen indiderunt. In hac eſt Pruſſia Liuonia, Letuania Ruſſia, Pomerania, Polonia. Hæc habet Cracouiam ampliſsimam urbem quæ & ipſa Gymnaſio eſt celebris. Harum populi Sarmatæ à Græcis Sauromatæ dicuntur: aliqui hos Scythas nominabant, hinc Plinius li. 4. ca. 12. Scytharum nomen uſquequaq; in Sarmatas & Germanos tranſiuiſſe teſtatur. Vtranq; Sarmatiam ac gentis mores, copioſe ſatis quidam Mathias de *Miechow* Cracouienſis deſcripſit.

Sarmatia duplex.

Tartaria.

Polonia.

Cracouia.

Sarmatiæ Sauromatæ Scythæ.

Dacia.

DAcia *f* ſcythiæ olim, nunc Germaniæ quoq; eſt regio: à Septentrione parte Sarmatiæ, quæ in Europa eſt, circumſcribitur: à monte Carpatho uſq; ad finem præfatæ flexionis fluuij Thyræ: ab Occidente uero Iazigibus Metanaſis per Tibiſcum amnem diſcernitur: à meridie uero uſq; ad Danubium extenditur auctore Ptolomeo lib. 3. cap. 8. Vide Plin. lib. 4 cap. 12. & 14. Strabonem in 7. Dionisium de ſitu orbis. Lucanum in 2. Appianum in lib. qui Illyricus inſcribitur. Aeneam in Europa capite 33. Saxonem Grammaticum in hiſtoria Danorum. Nunc tranſiluaniam & Vualachiam dici, ſatis notum eſt, Et Dacus eſt Vualachus. Alia eſt Dacia in mari Germanico, quam Daniam *Dennmarck* uocant: de qua hoc loci nihil agitur:

Tranſyluania Vualachia.

Dacus.

Dania.

Mutuo metu aut montibus ſeparatur.

POmponius *g* Mela li. 3. de Germanis. Qui habitant immanes ſunt animis atq; corporibus, & ad inſitã feritatẽ, uaſta utraq;, exercent bellando animos, corpora ad conſuetudines laborum: & infra Cornelius Germaniam informem terris, Aſperam cœlo, triſtem cultu & aſpectu uocat. Sunt rurſus Sarmatæ & Daci, Hora. lib. 1. ode 25. teſte, ſæui atq; truces: quo fit, ut mutuus horror aſperitas locorum, mutusq; interuenerit, quo minus alterutrum terras inuadent ad populandum hoſtem, prouocandumq; uicinum. Accedit ad hunc metum & montiũ interiacentium inacceſſa altitudo & horror ſyluarum quoq; aſperitas, quę prohibent uicinorum hoſtium ſubitam irruptionem. Velut itaq; Rheno ſequeſtrantur à Gallis: & à Pannonibus Danubio: ita mutuus metus altiſsimiq; montes & Syluæ ſeparant Germanos à Dacis & Sarmatis.

Germania inculta olim.

Sarmatæ & Daci ſæui.

Oceanus *h* nempe Daniam, Norturegiam, Suetiam, Scandiam, Gothiam & nõ

Oceanus undedictus.

paucas

paucas alias Germanici æquoris insulas circumluit. Dictus est autem Oceanus a celetitate, teste Solino cap. 31. ab ὠκυρ quod uelocē sonat: Et est mare totam terram cingens. Vnde Dionisius de situ orbis. Nam terra solo præcingitur omnis,
Paruaq; Ceruleo caput effert insula Ponto: De Germanico æquore quem hic
Oceani nomine intelligit (Das gros Teutsch mer vnd Pomerisch mer) infrà plura dicemus. *Insulæ.*
Verùm insulæ (ut id in transcursu dicatur) sunt in mari loca, undis undiq; ambita, discreta à continenti: dictæ (ut Martianus ait) ab eo quòd in salo sunt. Domus quoq; nullis connexę ædificijs coherentibus, Insulæ nominantur.

NAam i Germania multis annis nec tota percognita est auctore Plinio in lib. 4. cap. 14. quemadmodū Lituania, quæ nec Græcis nec Latinis fuit cognita: sed Christiana religio hanc nostro generi aperuit. Strabo etiam lib. 7. plagam trans Albim qua Oceanum spectat, tibi prorsus incognitam refert. *Germania ueteribus incognita.*

RHenus Rheticarum alpiū inaccesso ac prȩcipiti uertice ortus, modico flexu in Occidētem uersus, Septentrionali Oceano miscetur.

RHenus amœnissimus Germaniæ fluuius ex Rheticis Alpib: de quibus paulo ante multa adnotauimus, hoc est ex Leopontijs, qui Alpes incolunt, ut habet Cæsar lib. 4. Com. belli Gallici decidēs, prope à capite duos efficit lacus, Acronium: hoc est Constantiensem quòd ad eū sita sit Constantia urbs: alijs Brigantinum à Pregantia uetustissimo oppidulo dictum quem accolæ Podmicum (der Podmer see) quod profundissimus sit: uel ab antiqua quadā nobilium familia de Podmen, nominatum uolunt. Venetum alterum inferiorem hodie Cellēsem dictum à Cella oppidulo. Deinde Rhenus flexuoso littorum anfractu uarijs rupibus saxosisq; incitatus, paulo inferius Rauracos, Tribotes, Nemetes, Vangiones, Moguntiacos, Confluentiam, Vbios, amplissimas Germaniæ ciuitates alluens Neccharum, Mœnum, Mosam, Scaldim, Mosellam flumina in se recipiēs in Oceanum Germanicum multis ostijs effunditur. *Rheni ortus & fluxus. Brigantinus Constantiensis. Podmicus Venetus lacus. Cellensis.*

DAnubius a molli & clementer edito montis Arbonæ iugo effusus, plures populos adit, donec in Ponticum mare sex b meatibus erumpit, septimum enim os paludibus hauritur.

DAnubius, a qui & Ister, celeberrimum totius Europæ flumen, in Sueuis oritur in collibus Arbonæ (auff der bar) ad Bacenim syluam: quem locum aliquā do Baronatum appellatum, admonuit me Tubingæ Mathæus Neserus Furstenbergensis in humanioribus studijs apprime eruditus, eius soli indigena, apud pagum Doneschingiacum patria lingua dictum. Hic Sueuiam omnem in duas separat partes, Superiorem & Inferiorem, allabentibus riuis auctior, Vlmam præclaram Sueuorum urbem petit: ibi recepto Hilaro amne, nauigabilis efficitur: deinde per Gundelfingiacensium agros delatus Brenzam patrium flumen absorbet: hinc Laugingiacum, quæ Alberto Magno patria, Vuerdeam Sueuicā, Angeloſtadium, Ratisponam: Per Baioariam, Austriam, Hūgariam fluens, sexaginta fluminibus auctus, septem ostijs Ponticum mare, quod aliàs Euxinum ab inhospitali feritate dicebatur, ingreditur. Dum uerò mari iungitur tanto impetu infertur, quod ultra quadraginta milia passuum infra amaras undas dulcem quę rentibus exhibeat haustū. Ab undarum strepitu & sono accepit nomen uernaculum Donaw: Gentes uero prȩcipuæ quas adit Danubius hæ sunt, Sueui, Rheti, Boij, Norici, Pannones, Daci, Bulgari. *Danubij ortus. Arbona Boronatus. Vlma. Ponticum mare idem & Euxinum.*

DE b ostijs Danubij scribunt Pomponius Mela lib. 2. Strabo lib. 7. Ouidius lib. 2. Tristium: Statius lib. 5. Theba. Plinius lib. 4. cap. 12. Ammianus Marcellinus lib. 22. hic post Plinium ostiorum nomina quoq; recensęt. Quorum primum est, inquit, Peuce insula, ut interpretata sunt uocabula Græco sermone se- *Ostia Danubij.*

cundum Naracuſtoma: Tertium Caloſtoma: Quartum Pſeudoſtomon: Nã Boreoſtoma, ac Stenoſtoma longe minora ſunt cæteris: Septimum genus eſt paluſtri ſpecie nigrum. Neque hoc negligendum Stephanum ſcribere, Danubium aliquando Mantuam dictum.

Mantuam.

Germani indigenæ.

IPſos Germanos [a] indigenas crediderim, minimeq; aliarum gentium aduentibus mixtos: quia nec terra olim, ſed claſſibus aduehebantur, quia mutare ſedes quærebant, & immenſus ultra, utq; ſic dixerim, aduerſus Oceanus raris ab orbe noſtro nauibus aditur. Quis porrò [b] præter periculum horridi & ignoti [c] maris, Aſia aut Affrica aut Italia relicta, Germaniam peteret? informem terris, aſperam cœlo, triſtem cultu aſpectuq;, niſi ſi patria ſit.

Germania informis.

Germani.

GErmanos eſſe αὐτόχθονας, hoc eſt indigenas, in ipſa patria Germania natos, non alunde introductos, multis rationibus probat Tacitus. Primùm quod non niſi nauibus ad Germaniam patebat aditus, deinde quæ aduerſus infeſtus Oceanus, qui cingit aliquot Germanorum fines, peregrinarum gentium acceſſum prohibebat. Tertio quòd aſpera atq; horrida & inculta natio, nõ ad modũ adficiebat exteros: Quarto quod aliena matrimonia non admittebant. A Tuiſcone parente orti, ſuam ſtirpem mirum in modũ auxerunt: ſynceri & uere Germani, minime alterius gentis colluuione contaminati. Friuolum itaq; commentum eſt nullaq; auctoritate fulcitum eorum qui fabulantur: Magnam partẽ Germaniæ populorum à Græcis, aut Romanis, ſiue alijs peregrinis gentibus deſcendiſſe. Sunt enim qui Sueuorum & Saxonum originem ad Macedones referant: Francorum & Sicambrorum ad Græcos & Troianos: Bona pars nobilium noſtratium ad Romanos refert initium, Verum nos mittamus iſtas nugaciſſimas nugas & anile commentum, Cornelio noſtro ut pote uetuſto & recepto auctori potius fidem dabimus: qui Germanos uere germanos, id eſt: non alienos aut aduentitios, ſed γνησίους affirmat. Accedit Cornelio Antonij Sabellici lib. 2. Enneade. 5. autoritas: deinde etiam Sympontini interpretis Martialis. Henricus Bebelius hoc idem egit quodam priuato libello. Et canit Chunradus Celtis,

Refellunter menda quorũ dam Germani nõ ſunt à Græcis orti

Gens inuicta manet toto notiſſima mundo,
Solis & ardoris patiens, duriq; laboris:
Quæ nequit ignauam uitæ tolerare quietem
Indigena: haud alia ducens primordia gente
Sed cœlo producta ſuo.

Germaniæ ueteris imago.

EN [b] priſcæ Germaniæ imaginem: inculta patria & horrida undiquaq; erat: nec urbibus neq; hortis culta: longe aliam nunc habet faciem Aeneas Sil. ad Mart. maiſer de antiquo Germaniæ ſtatu ad hunc modum ſcripſit. Parum quidem ea tempeſtate à feritate brutorum maiorum tuorum uita diſtabat. Erant enim plerumq; paſtores, ſyluarum incolæ ac nemorum: nec munitæ hijs urbes. nec oppida muro cincta, non arces altis innixæ montibus, non templa ſectis ſtructa lapidibus uiſebantur: Aberant hortorum ac uillarum delitiæ, nulla uiridaria, nullæ conſitiones, nulla tempe, nulla uineta colebantur, præbebant largos flumina potus: & plura alia.

Mare horridum & ignotum.

IGnotũ [c] uocat mare Septentrionale quod à nullo nauigatum fuiſſet: Romanis & alijs gentibus incognitum. Deinde horridum ſiue acre, ut Pompo. Mela uocat: etiamnum creberrimis naufragijs infame & naucleris infeſtiſsimum. Strabo: libro 7.

OMnibus [d] enim dulce & amabile eſt ſolum patrium. Sicut Ouidius cecinit.

Neſcio

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

CElebrant[a] carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriæ & annalium genus sit) [b] Tuiſconem Deum [c] terra editum & filiũ [d] Mannum originem gentis conditorisq́.

Tuiſco Deus Germanorũ.
Mãnus filius Tuiſconis.

COrnelij Taciti temporibus [a] Germani ad huc amũsi & litterarum expertes, non ſcribebant annales, faſtos aut hiſtorias, uelut Græci & Latini, ſed horũ loco carmina, hymnos, pæana, & uulgares cantiones recitabant & canebant. Hoc erat apud illos genus annalium & memoriæ. Ab auis diſcebant filij, ab hijs nepotes, & poſteri: crebraq́ recitatione conſeruabant, quę uolebant per ſilentium & negligentiam obliuiſci. Eiuſmodi cantiuncula etiam ſuum Tuiſconem & Mannum celebrabant. *Sie ſunggen noch ein alts lied von yhren Gotten vnd vettern Tuiſcone vnd Manno.*

Germani carminibus celebrarunt ſuos Deos.

TViſco [b] uero Rex Germanorũ ac Sarmatarum, ut Beroſus Caldæus lib. 5. indicat, à Rheno uſq́ Tanaim Europam tenuit. Hic primum conſediſſe fertur ad Tanaim nominatiſsimum Moſcouiæ flumen, ab Tartaris Don nuncupatum inter fines Aſiæ Europæ, ubi nũc princeps Moſcouiæ ſedet. Deinde iuxta montem Sueuum, qui Carpathus dicitur, hodie Sarmatas ab Hungaris diuidentem: iuxta quem Sueui primitus conſederunt: ex quo monte ſcaturit fluuius Tibiſcus corrupte à Tuiſcone nomen deſumpſit: ad meridiem fluens in Danubium exoneratur. Similiter & urbs parũ infra Danubium Tubiſcon à Tuiſcone: quod facit ut ibi adhuc in regione Septem Canſtrenſium id eſt Tranſyluanorum lingua & moribus Germanorum utantur. Eſt etiam Tuitium uicus ad Rhenum in finibus Vbiorum quędam urbs à Tuiſcone appellationem habens: nam eo loci quoq́ ſedem habuiſſe memoratur, urbemq́ à ſe nominaſſe, & retinet adhuc uetuſtæ appellationis ueſtigium deuaſtata urbe crebro bellorũ motu, quos olim Sueui cum Gallis illic habuerunt Teutſchmonaſterium ex oppoſito Coloniæ Agrippinæ. Ab iſto Tuiſcone Germanorum omnium uocabulũ Tuiſcones, Teuthones, & Theuthonici.

Tuiſco Deus & pater Germanorũ
Tanais fluuius.
Sueuus mõs.
Tibiſcus fluuius.
Tubiſcon urbs.
Tuitiũ oppid. olim nũc monaſterium.
Tuiſcones.
Teutonici.

IOannes [c] Annius Viterbienſis lib. 15. Germanos nõ Græci fabuloſi, ſed Ianus & Veſta: ſiue cœlum & terra cum Tuiſcone filio genuit, ut Beroſus ſcribit.

Tuiſco terræ filius.

MAnnus [d] Tuiſconis filius apud Rheni Sarmatas anno Semiramidis ſexto regnauit, uelut tradit Beroſus lib. 5. Hic Germanis & Alemannis nomen indidit: ab eo enim cœpit Germanorũ gens: & permanſit huius Mãni honor & memoria in uniuerſa Germania, ut ualentem, & fortem ſtrenuumq́ uirum hodie ex uirtute nominemus, *ein man*, inde Germanus Alemãnus, Marcomãnus, Nordtmannus, Chamannus & *Landtsman*, *Biderman*, *Edelman*, *Zimerman* & multa huiuſmodi. Valde enim maioribus noſtris arriſerunt à Manno deductæ appellationes, propter gentis auctorem & parentem. Plura de hoc Manno Beroſus lib. 2. & 4 Annius Viterbienſis lib. 15. Nicolaus Perottus ſuper primum Martialis.

Mannus rex & parens Germanorũ

MAnno tres filios aſſignant, è quorum nominib. proximi Oceano [a] Ingæuones, medij [b] Hermiones: cæteri [c] Iſtæuones uocentur.

INgæuon, [a] Herminon uel Hermion, ac Iſtæuon Manni regis fuerũt filij, qui pluribus Germanorum populis nomina indiderunt. Ab Ingæuone enim dicti ſunt Ingæuones, quos Cymbros & Teuthones eſſe Plinius lib. 4. cap. 14. naturalis hiſtoriæ uoluit: Mari Germanico proximi: hodie Dani & Sarmatarum nõnulli utputa Liuones, Bructeri, Pomerani, Holſacenſes. Ingæuonum meminit Beroſus in 2. & 5. Solinus cap. 32. Memorabilium mundi.

Ingæuones qui fuerint.

hermiones populi.

HErmiones *b* uero quorum pars Sueui, Hermunduri, Catti, Cheruſci Plinio li. 4. ca 14. hodie, ut coniectura eſt, ſunt Boemi, Miſnenſes, Luſati, Sleſitę, Saxones, & Thuringi Hermionũ meminit etiã Pompon. Mela lib. 3. Beroſus in 5.

Iſtæuones quiſint,

AT *c* Iſtæuones ſunt reliqui Germaniæ populi ad Rhenum uergẽtes, eodem Plinio teſte libro quarto, capite decimoquarto. Volaterranus libro ſeptimo hos Iſtũalos & Vueſtualos interpretatur.

QVidam autem licentia uetuſtatis plureis Deo ortos, pluresq; gentis appellationes, *a* Marſos *b* Gambriuios *c* Sueuos *d* Vandalosq; affirmant, eaq; uera & antiqua nomina.

Marſus rex Germanorũ Marſi Germaniæ populi.

MArſus *a* & ipſe Tuiſconis nepos Germanorum rex Hermionis filius tempore Balæi octaui regis Aſſiriorum apud Tuiſcones, id eſt Germanos, regnauit, auctore Beroſo lib. 5. Ab hoc dicta eſt Marſorũ regio in Germania, quẽadmodum ſcribit Ioannes Annius Viterbienſis domini caſtrorum inſtituti monachus lib. 15. ſuper Beroſum. Verum qui fuerint Marſi aut quæ Marſorũ regio diu hęſitatũ & inquiſitũ eſt à nobis, tandẽ in Vandaliã Alberti Crãnĩ incidimus qui hunc nodum nobis explicuit, libro primo ſui Operis, ubi inquit. Marſi ad Albim conceſſere, quorum tenues reliquiæ in paluſtribus ſunt, non longe ab oſtio fluminis, Thietmarſi, &wilſer Marſi *Cremper* Marſi, &c. Deinde capite primo iterum. Omnem ego Holſatiam & Stormariam in cuius ſolo fundata eſt Hamburga, Marſorum genti deputandum puto, quę in ſolis paluſtribus nomen ſeruauit Hæc ille. Meminit aliãs in 1. hiſtoriarum Tacitus uicorum Marſorum.

Gambriuius rex Germanorum.

DE *b* Gambriuio ſic ſcribit Beroſus lib. 5. Tempore Belochi decimi Aſſiriorũ regis, apud Tuiſcones regnauit Gambriuius, uir ferocis animi. Et Annius Viterbienſis in eundem lib. 15. Hunc eſſe non dubitamus à quo Plinius in naturali hiſtoria & Tacitus appellant Germanorum quoſdam populos Gambriuios & regionem Gambriuiam. Eſt Gambreu Epiſcopalis urbs prope Neruios, id eſt Tornacenſes, nunc Cameracenſis dicta, quam Gambriuiam fuiſſe conĩjcitur: Forſan cum tractum occupauerant Gambriuĩ. Sunt qui Gambriuios in Sicambros hoc eſt Geldrenſes ceſsiſſe putent: Gambriuiorum nomen deſiit, & nudas coniecturas nobis reliquit.

Gambreu Gãbriuia.

Sueuus Rex Germanorũ Sueuus mõs. Sueuus fluuius.

SVeuus *c* Gãbriuĩj filius Germanorum Rex, apud Tuiſcones regnauit tẽpore Balei undecimi regis Babiloniorũ uelut ſcribit Beroſus in 5. Hic amplíſſimam Seuorũ gentem & regnũ condidit, & de ſuo nomine apellauit, quemadmodũ Ioan. Annius Viterbiẽſis li. 15. Huius regis ſedes ferunt fuiſſe primitus ad Sueuũ montẽ, qui Pannoniã reſpicit, & hodie Carpathus appellatur à ſcriptoribus: cui monti appellationẽ ab ipſo Sueuo Rege cõtigiſſe haud dubium eſt: ceu idẽ Rex & fluuio nomẽ reliquit. Nã Sueuus fluuius dicebatur priſcis, qui poſtea Spreuus Barbaris cœpit dici, apud Marcomãnos (*die Sphre*) Perolinũ & Coloniã dirimens: quanq; aliĩ Oderã olim Sueuũ uocitatũ contendant. Idẽ Sueuus Rex memorat maius oppidũ in Durrego condidiſſe, & in eo habitaſſe, quod in Durgea ſitum multis annis à Sueuis eorumq; principibus habitatum eſt: cuius rei argumentum uetuſtiſſimæ Tigurinorum litterę proferantur, quæ Durregum ſiue Tigurum Sueuorum fuiſſe teſtantur: & adhuc illic domus oſtenditur in qua reſiderunt: Accedit ad hoc quod in Durgea ſitum ſit, quę una ex cẽtum pagis Sueuorum, quorum Cæſar & Tacitus mentionem fecerunt, conĩjcitur fuiſſe. Nam Sueui autore Strabone lib. 7. à Rheno uſq; ad Albim loca tenebant, maiorẽ Germanię partẽ poſſidentes, ſicut Tacitus ſcribit. Vnde Cęſar. 4. lib. Cõmen. Sueuorum, inquit, eſt gens longe maxima & bellicoſiſſima Germanorum omnium.

Durregum. Tigurum.

Sueui amplíſsima Gens.

De illis

De illis postea fiet uberior mentio. A priscis Sueuis sumpsere nomenclaturam & urbes & riui in Germania. Nam *Sueynitz* Slessitarum oppidum affirmant à Sueuis sumpsisse appellationem, quòd eam oram tenuerint quondam. *Schwabachium*, ad duos à Norinberga lapides, urbs Marchionis Brandenburgensis principis mei longe clementissimi, à riuo quo illabitur, appellationē obtinuit, qui Sueuorum riuus dicitur. Est eiusdem nominis riuus ad *Erlang* Castellum, quod tribus Lapidibus à Norinberga litum, eidem Marchioni paret. Extat quoq; uicus Sueuorum iuxta Eychstadium Noricorum urbē Suanfeld, corrupte pro Suabfeld uocatus. Potentissimæ enim gentes Sueuorum multis locis, urbibus montibus, riuis atq; pagis nomen reliquerunt. *Suenitium*, *Schwabachium oppidum*. *Suabach. i. Sueuorum riuus*. *Suabfeld*.

TEmpore *d* Altadis 12. Babiloniorum regis, Vandalus apud Tuiscones regnauit teste Beroso lib. 5. A quo Vandalos prodiuisse nomen est argumento (sicut adnotauit Io: Annius Viterbiensis lib. 15. Sunt autem Vandali gentes ad Vistulam fluuium, qui priscis Vandalus dicebatur, hodie facto non nihil uocabulo (sicut in Sueuorum appellatione quoq; factum est) uernacula lingua Vtienden uocitantur. Vandalium occupant nunc Poloni aliqui Pomerani, Cassubij, Russi & Bohemi. De illis plura Volaterranus lib. 7. Geographiæ: & Albertus Crantzius in Opere suo, quod Vandaliam inscripsit: Plin. lib. 4. cap. 14. Vandalorum quoq; meminit, nisi quòd exemplaria corrupte habent Vindelici, quam lectionem unus atq; alter obeliſco iugulauit. *Vandalus Rex*. *Vandali*. *Vandalus fluuius*. *Vandalia*.

CÆterum *a* Germanię uocabulum recens, & nuper additum: quoniam qui primi Rhenum transgressi, Gallos expulerint, ac nunc *b* Tungri, nunc Germani uocati sunt: ita nationis nomen, non gētis eualuisse paulatim, ut omnes primū à uictore ob metum, mox à seipsis inuento nomine, Germani uocarentur. *Germania unde dicta*.

HIc *a* textus exigit, ut etiam de Germanorum uocabulo, ac nomine dicamus scribētes Germaniæ situs, populos & mores. Germani itaq; ab exordio, & ferme in toto dicebantur Tuiscones, à Tuiscone gentilitio deo: uelut ex Beroso, & superioribus clarum est. Deinde à Teutone, qui post Tuisconem Germaniæ præfuit, Teuthones, & Teuthonici nuncupati sunt. Cū Cęsaribus uerò Romanis cœperūt dici Germani, quāuis uideā apud Liui. in 5. ab urbe cōdita, ante Cęsares Brenni tēporibus, qui Romā incendit circa annū 360. urbis cōditæ, Germanos uocitatos. similiter Iulij Cæsaris tēpestate, qui primū Romanorum Cæsarū fuit. Vnde aūt Germani sint dicti, nec dum certò constat, quòd inter auctores minime conueniat. Strabo enim lib. 7. geographiæ, propter formæ, uiuēdi ritus, & morum æqualitatem cum Gallis comunem Germanos, id est, fratres, Gallorū à Romanis dictos affirmat. Eius uerba subijciā. Statim igitur trans Rhenum ad ortum uergentem, Germani colunt, nationem Gallicam pauliſper imitantes: & feritatis abundantia & proceritate corporum & colore flauo, cū reliquis in rebus, & forma & moribus, & uiuendi ritibus pares existant, quales Gallos diximus. Ideo Romani hoc illis nomē iure mihi indidisse uidentur, perinde atq; eos fratres legitimos Gallis eloqui uoluerint. Legitimi namq; fratres Romano sermone germani intelligūtur. Hactenus Strabo: cui etiā Chunradus Celtis poēta Germanus subscripsit. Germanos uocitāt Itali, Grąi sed ἀδελφοὺς: Quod fratrū soleant inter se uiuere more. Quorū sententiam eruditorum non pauci uelut comentitiā exploserunt. Cornelius uerò noster autumat maiores nostros Germanos uocatos, quando primū Rhenum transgressi, Gallos suis sedibus eiecerunt, & exinde nuncupatam regionem Germaniam, ab ipsis Germanis sicut nunc ab Heluetijs uocamus Heluetiā, ut prior & antiquior sit Germanorū, quā Germaniæ, appellatio. Non desunt qui Germanos ab insigni fortitudine nūcupatos cō *Tuiscones*. *Teutanes*. *Teuthones*. *Strabo Germanos fratres interpretatur*.

Germanorũ uocabulum Teuthonicũ.

tendant: à uernaculo uocabulo, quasi Garmã, id est, totus fortis, & robustus uir. *Gar* enim Germanis hoc significat, quod Latinis totus & integer: & *Man* uirum, quasi dicas Germanum totum & ualentem uirum: quòd ualde maiorib. nostris placuerint à Mãno deductæ appellationes, quod supra quoq; admonuimus. Et ante nos obseruauit diligens antiquitatis obseruator beatus Rhenanus Selestadiensis: Et hac ratione Germanus Teuthonica foret dictio ex Gar & Man conflata. Siquidem cum à seipsis inuento nomine fuerint uocati, ceu scribit hic noster Tacitus, uerisimile est id uocabuli patriam referre linguam. Rhegino Prumiensis ob populositatem Germaniam dictã ait. Et Aeneas Syluius in Germania sua: Adeo inquit, uestra natio germinauit, ut nomen uestrum uerius à germinando tractum putemus: cuius opinionis est quoq; Paulus Diaconus: lib. 1. de gestis Longobardorum. Hæc uetustatum Germanicarum studiosis discutienda relinquo, mihi satis sit in istis uarietatibus sententias & coniecturas aliorum recensuisse: quisque quod sibi probatum fuerit, sequatur.

Germania à populositate

Tungri Germani.

TVngri Belgarum fuerunt populi inter Eburones, hoc est, Leodienses Rhenũ & Mosam: olim quoq; Germani dicti, ut hoc loco meminit Tacitus: episcopalis quondã urbs Lotharingiæ ad Laodicenses translata, Brabãtini nunc uocantur. Est uetustæ appellationis indiciũ hodie Tungris Brabãtiæ urbs. Tungrorum ciuitate Aduatucum Antuerpiam esse uolunt, ibi opulentissimum Germaniæ emporium. Tungrorũ mentionẽ habes etiã apud Plinium lib. 4. cap. 17. & lib 31. cap. 2. Ptolomeũ lib. 2. ca. 9. Marcellinum lib. 17. Volaterranum: lib. 5. Geographiæ & nostrum Cornelium Tacit. lib. 20. histor.

Tungrorũ ciuitas apud Ptolomæum Aduatucũ.

Herculẽ Germani celebrãt in prælium profecturi.

FVisse apud eos & *a* Herculem memorant. Primumq; omnium uirorũ fortium ituri in prelia canunt. Sunt illis hæc quoq; carmina, quorũ relatu, quẽ *b* Baritum uocant, accendũt animos futuræq; pugnæ fortunam ipso cantu augurantur: terrent enim, trepidant'ue, prout sonuit acies: nec tam uoces illæ q̃ uirtutis cõcentus uidentur: *c* affectatur præcipue asperitas soni, & fractum murmur, obiectis ad os scutis, quo plenior & grauior uox repercussu intumescat.

Baritus cantus Germanorum.

Hercules Alemannus apud Germanos fuit. Augia maior.

Alman idolũ

Argẽtuaria.

Columbariũ

Cygnus Herculis filius.

HErculem *a* Alemannum antiquitus coluisse Germanos testantur historiæ. Is enim Berosо lib. 5. referente Mancalæi quartidecimi Regis Assiriorum temporibus apud Tuistones regnauit. Eius idolũ in Augia maiori (*in der Reichenaw*) insula Rhenana ubi uetustum cœnobium, seruatum fuit iuxta constantiam urbem: sed superiorib. annis Maximiliani Imperatoris defuncti precibus, ad Aenipontẽ delatũ est: Vulgo Alman dicebatur. Hoc Lemanno lacui, ut quidã sentiunt, & Monasterio *Almansweiler*, ac uico *Almanshofen*, nomen dedisse fertur. Aiunt quoq; Argentuarium, id est, Columbarium Alsaciæ urbem à claua Herculis, q̃ temulẽtus ibi dimiserit: & ciues pro insignijs habent, nuncupatam. Tacit. lib. 2. histor. Siluæ ultra Visurgum meminit, quæ fuerit Herculi sacra. Fabulantur quidam Zuiccauiam urbem principis Saxonum olim Cygneam à Cygno Herculis filio nominatam.

Baritus seu Barditus quid sit.

DE *b* Barito clamore bellico, seu ut quædam habent exemplaria Bardito, nihil audiuimus nunc in Germania, nisi hoc dixerimus quod *Bracht* uel *Brecht* milites Germani appellare consueuerunt: concursum uidelicet certantium, & clamorem ad pugnam descendentium: quem bar bar bar sonuisse, nonnulli affirmans. Ammianus Marcellinus lib. 16. rerum gestarum sic habet: Cornuti & Brachati usu prœliorũ diuturno firmati, eos iam gesta terrẽtes barritũ aëre uel maximũ: qui clamor ipso feruore certaminũ identidẽ exoriẽs, paulatimq; adolescens

ritu

ſitu extollitur fluctuum, cantibus illiſorum iaculorum: deinde ſtridentiũ crebritate hinc inde conuolante, puluis æquali motu adſurgens, & adſpectum eripiẽs arma armis, corpora corporib. obtrudebant: & Flauius Vegetius li. 3. ca. 16. de re militari. Clamor quem quidam Barrhitum uocãt, prius non debet attolli quàm acies utraq; ſe iunxerit. Imperitorum enim uel ignauorũ eſt uociferari de longè, cum magis hoſtes terreantur, ſi cum telorum ictu clamoris horror acceſſerit.

COrnelius Tacitus lib. 17. & 18. hiſtoriæ Auguſtæ rurſus ſcribit: cohortes Germanorum cantu truci & more patrio nudis corporibus ſuper humeros ſcuta quatere. Idem lib. 21. refert, Germanis fuiſſe morem Deorũ numine capeſſere pugnam, coniugum, parentum, patriæ memores. Illum diem aut glorioſiſſimũ inter maiores, aut ignominioſiſsimum apud poſteros fore. ubi ſono armorum tripudijs q; (ita illis mos) approbata fuiſſent dicta, ſaxis glandibus q; & ceteris miſſilibus prælium incipiebant.

Germani cãtu aut clamore pugnam inchoant.

CÆterum & Vlyxem [a] quidam opinantur longo illo & fabuloſo errore in hunc Oceanũ delatũ, adiſſe Germaniæ terras, [b] Aſciburgiũq; quod in ripa Rheni ſitũ hodieq; incolitur, ab illo cõſtitutũ nominatũq; [c] ἀκριτήριον. Arã quinetiã Vlyxi conſecratam adiecto Laerte patris nomine, eodẽ loco olim repertã, monumẽtaq;, & tumulos quoſdam Græcis literis inſcriptos, in confinio Germaniæ Rhætiæq; adhuc extare: quæ neq; confirmare argumentis, neq; refellere in animo eſt, ex ingenio ſuo quiſq; demat, uel addat fidem.

Vlyxes Germaniam uidit.

Aſciburgiũ.

Inſcriptiões Græcanicæ in Germania inuentæ.

SCribit [a] Strabo lib. 1 geographiæ: Non ſolũ in Italia, ſed etiã in ultimis Hiſpaniæ finibus, Vlyſſis erroris veſtigia reperiri. Ideoq; tradit uetuſtas eundem Vlyſſem Ithacenſem Laertis filium Græcorum ducem decẽnali ſua peregrinatione & errore, uentorum tempeſtate in mare Germanicũ actum inuiſiſſe Germanorum terras: & Aſciburgum urbem ſupra Rhenum amnẽ condidiſſe. In cuius rei argumẽtum illic ara & Græcanicæ inſcriptiones monſtrantur. Huius quoq; inditium eſt, quòd uſq; nunc Germani plurima Græca uocabula in uſu habeãt, uelut ſuo loco declarabimus, quæ arguant fuiſſe apud illos Vlyſſem uel alium quendam è Græcia natum.

Vlyßis error per decennium.

POrrò [b] Aſciburgum putant eam urbem fuiſſe in Sicambria, id eſt, ducatu Geldriæ, quæ nunc Embrica *Emmerich* uocitatur. Meminit Aſciburgij iterum Tacitus lib. 20. Hiſto. Raimundus Marlianus, Volaterranus lib. 7.

Aſciburgiũ ab Vlyſſe cõſtitutum.

LOco [c] huic tã atrox uulnus inflixit uetuſtas, ut neſciamus quomodo medeamur: quando certi habeamus nihil, præter meras coniecturas. Non debeo autem negligere quæ ingenioſus & acris iudicij homo Beatus Rhenanus huc in margine adnotauit. Fortaſſis, inquit, legẽdum ἀκριτήριον. nam Nerici fit tum apud Homerum, tum etiam Strabonem mentio: oppidi nomen, &c. „ Aut ἀκριτήριον νηριτήιον promontorij meminit etiam Suidas. hæc ille. Si Ἀκριτήριον legatur: forſan eſt ex ἄκρος quod ſummum, altum, & extremum ſignificat: & Nerico monte ſeu oppido. Eſt enim in Ithaca patria Vlyxis Ionij maris inſula, nemoroſus huius nominis mons & altus Homero libro 9. Odiſſeæ & Strabone libro 10, authoribus. Neritum etiam oppidulum firmum eſt Epiri, è regione Ithacæ ac Cephallenię Leucas olim dictum, quod Laertes cepit. De quo Vergilius 3. Aeneid. Strabo lib. 10. Vnde ueriſimile eſt Vlyſſem huius amore uerbo Germaniæ impoſuiſſe nomen. Vel ut legas ἀκνηπύργιον ἀπὸ τῆς ἄκνης, id eſt, puluere. Si quidem ἄκνη minutiſſimum ac leuiſſimum illud q; è ſpicis excuſſis euolat: & fumum ignis atque puluerem ſignificat. τὸν πύργον burgum, hoc eſt, caſtrum

Nericum. Neritum.

castrum uocant Germani: Sic enim *Aschenburg* reddes. Aut uelut alia quoq; cõiectura ἀκρόπυργον, id est, alta turris & arx. Quid si legas ἀσκιβύργιον, sicut in Ptolomeo li. 2. ca. 11. legitur. Veruntamen, ut dixi, nihil hic certi adferre possumus q; nudas cõiecturas, quas boni cõsulere lectorẽ par est, donec certiora habuerimꝰ.

Laerti & Vlyssi ara extructa in Germania.

ARa *d* quæ Asciburgij extructa erat Vlyssi, etiam Laerti consecrata fuerat. Fuit autem Laertes Vlyxis genitor, de quo plura apud Homerum 11. Odisseæ. Vergilium in Aeneid. Ioan. Bocatium lib. 11. cap. 37. de genealogijs deorũ. Volater. in 23. Phio.

ISta omnia arguunt Vlyssem fuisse apud Germanos: monumenta scilicet & tumuli Grecanicas inscriptiones & titulos etiamnum seruantes; quę ea parte extare feruntur, ubi Rhetia confinis est Germaniæ.

Germani indigenæ & finceri.

IPse eorum opinionibus accedo, qui Germaniæ populos nullis alijs aliarum nationum connubijs infectos propria, & *a* sinceram & tantum sui similem gentem extitisse arbitrantur, unde habitus quoq; corporum, quanquã in tanto hominum numero, idem, omnib. *b* truces & cærulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora, & tantũ ad impetum ualida: laboris atq; operum non eadem patientia, minimeq; sitim æstumq; tolerare, frigora atq; inediam cœlo soloue assueuerunt.

Habitus Germa.

Sitis impatientia.

Germani, id est, finceri.

PErseuerat Tacitus in priori sententia, qua Germanos indigenas minime fucatos, aut alterius gentis colluuione cõtaminatos, sed uere Germanos asseruit. Vnde Eras. Rote. in Hieron. nec absurdum sit Germanorum gentẽ hinc appellatam uideri: quos, si cum reliquis conferas nationibus, minimum fuci, plurimum antiquæ sinceritatis ac fidei & rusticanæ (ut dici solet) ueritatis obtinent.

Germani immanes.

SSubscribit *b* Pom. Mela. lib. 3. Qui habitant, inquit, immanes sunt animis atq; corporibus, & ad insitã feritatem, uasta utraq; ex ercẽt bellando animos, corpora ad consuetudines laborum. Horat. in Epodo ode. 16. Nec fera cerulea domuit Germania pube. Cerulei oculi, *Graw augen*, Rutilæ & flauæ come, *Gehle har*, Et Strabo li. 7. flauo colore uocat Germanos. Hinc Cõradus Celtis: Cãdida proceris uibrãtes corpora mẽbris. Flaua coma est, flauẽtq; oculi cũctosq; per artus, Tẽperiem iusto retinẽt sua mẽbra rigore, Solis & ardoris patiẽs duriq; laboris.

Germani flaui.

Germani audaces & ad impetũ ualidi.

SEneca li. 1. de ira. Germanis quid est animosius: quid ad incursum acrius? quid armorum cupidius? quibus innascuntur, innutriuntur, quorum una illis, alia negligentibus cura. Et Iosephus lib. 19. cap. 1. Iudai. Antiquit. Germanis ait morẽ esse importabili uti furore, robustos corpore, & primo impetu quibuscunq; hostibus congressos prævalere.

Germania aspera.

TErra & si aliquando *a* specie differt, in uniuersum tamen aut syluis horrida, aut paludibus fœda, *b* humidior qua Gallias, uentosior quà *c* Noricum & Pannoniam aspicit, satis ferax, frugiferarum arborum impatiens, pecorum fœcunda, *d* sed plerunq; improcera: ne armentis quidem suus honor & gloria frontis, numero gaudent, eaq; solę & gratissimæ opes sunt.

HAbes hic rursus ueteris Germaniæ faciem: Quę modo cultissima est, olim horrida, multis impedita fluminibus, multis montibus aspera & magna ex parte syluis ac paludibus inuia, ut etiam Pompon. Mela. lib. 3. Plini. lib. 4. cap. 14. scripserunt.

Humidior,

HVmidior, *b* id est, magis aquosa & paludibus plena ea parte qua Gallias aspicit: habet enim lacus & paludes plures, uelut iuxta Rhetos sunt lacus Acronius & Venetus, quos Rhenus efficit: De quibus dixi, & non longè Astiburgio, id est, Embrica, ingens & famosa palus est. Præterea solum ipsum paludinosum cernitur ubi degunt Traiectenses & Monasterienses. Ventosior autem est Germania, id est, uarijs uentis perflatur aut plures generat uentos. *Ist vil lüfftiger, vnd nit so mosicht: hat ein guten herten boden*, qua Noricum & Pannonias aspicit quòd illic sit Hercynia sylua & alij saltus. *Germania qua parte humida.*

QVod *c* separat Noricum à Germania satis liquet angustiorem multo fuisse Germaniam, quæ postea multorum populorum expugnatione amplificata est uelut in principio satis aperuimus. Fuerunt autem Norici, Alpium incolę Rhetis & Vindelicis contermini iuxta Carnos, ut scribit Plin. lib. 3. ca. 20. In quibus Drauus fluuius uiolentior in Danubium fluens oritur, teste eodē Plinio lib. 3. cap. 25. Memorant Ratisponam Boioariæ urbem, olim Noricum nuncupatam à quodam filio Herculis qui Norix dictus sit: Intra Licum & Aenum sedes collocauerant Norici, ibi nunc est Hala & Seuaces Rhedoberganum, & Saliburgū usque ad Gæcium montem porrecti, dilatarunt limites suos. Nam Noricus ager, nunc ultra Danubium protenditur, ubi uestigiū nominis est: Germanis dicitur *das Nordgeu*, quorum urbs est Norinberga clarissima ciuitatum Germanię, & à religione Christiana plurimum commendabilis: quæ à Noricis populis nomē claturam accepit. Quanquā sint qui à Nariscis nominatā contendant eam portiunculā quæ nostratib. *das Nordgeu* dicitur. Cor. Tacit. li 2. Histo. trad 1. Danubiū Noricam prouinciam prēterfluere. Qui igitur olim Norici dicebantur, postea pulsi à Boijs, nunc Bauari, quasi Boioarij uocātur, nisi quod illa portiuncula quę à Boioaria incipit usq; ad Norinbergam priscum: Noricorum nomē seruauerit. Illud quoq; adijciendum non prēter institutum putaui Noricos olim coluisse Tibilenum deum Tertulliano in Apologetico aduersus gentes auctore: Horat. lib. 1. Carminum Odæ 16. commendauit Noricos enses q; eo loci probatum ferrum sit, referente Plinio li. 34 ca. 18. ex quo optimi gladij fiant. Lege plura de Noricis Strab. in 4. & 7. Solinum capi. 34. Velleium Paterculum lib. 2. Histor. Romanæ. Tacitum lib 18. & 21. Plin. lib. 3. cap. 13. Prol. lib 2 ca. 14 Aenean Syl. in Europa cap. 30. *Norici qui fuerint.* *Ratispona.* *Noricus ager.* *Norinberga* *Norici nunc Bauari.* *Tibilenus Deus Noricorum.* *Norici enses*

OMnem *d* substātiam Germanis fuisse in pecoribus satis notum est, dū alij auro & argento corradendo inhiarent pestibus maximis: Solis Germanis in pascendis & multiplicandis armentis gregibusq; studium erat. Istæ fuerant diuitiæ maiorum nostrorum, & gratissimę (ut inquit Tacit.) opes, quib. delectabantur. Agriculturę & alendis gregibus uacabant: non exenterandis hominib. & cumulandę pecuniæ: aberat omnis auaricia, & *φιλαργυρία*: possessione & usu auri & argenti non perinde afficiebantur: Quapropter dicit Cornelius. *Germanorū diuitiæ in pecoribus.*

ARgentum & aurum propitij an irati dij negauerint, dubito. Nec tamen affirmauerim nullam Germaniæ uenam argentum aurū ue gignere, quis enim scrutatus est? possessione & usu haud perinde afficiuntur. *Germania auro & argento carebat.*

SIc etiam Pomponius Mela lib. 2. scribit: Sarmatę (quos supra etiam Germaniæ accessisse retulimus) auri & argenti maximarum pestium ignari, uicerum commercia exercent: Antiquitus Germania pecuniam non uiderat: nec aurum & argentum possidebat, ut etiam ex Strabone lib. 7. colligitur. Quamobrē Tacitus in dubio relinquit, habuerint ne Germani auri & argēti fodinas. Quis enim terrę uenas & cuniculos perquisiuit & trāsgressus est? Quis uero nescit q; feracissima. *Germani auro & argento caruerunt olim.* *Germania metallifera.*

feraciſsima ſit hodie metallorum? Rhenus Danubiusq; habent aurum. Aiunt etiam in Edera Haſsiæ fluuio, hyberno tempore auri cruſtas reperiri. Sunt quoq; riui ab auro dicti, Aurbach. Moldaui accolæ examne aurum & gemmas colligunt. Tirolenſes ob æriſodinas auri & argenti diuites ſunt. Miſnia fœcunda eſt argento. Quis apud Saxones Islebianas ac Goslarianas ignorat uenas? Lotharingiorum ſodinæ cui ſunt incognitæ? Quem præterit in Bohemia aurum è terræ uiſceribus extrahi? Et cui non argenti mineræ Ioachimicarum uallium ſunt cognitæ? Vix eſt ora, aut princeps in Germania qui ſuas auri, argenti, æriſq; fodinas non habeat. Sunt paſsim per Germaniam Aurariæ, argentariæ, ærariæ, lapidariæ gloſſariæ, ſalinariæ, & huius generis metallorum fodinæ atq; officinæ. Lege Aeneam Syluium in Germania ſua cap. 58. ad Martinum Mayer.

Argentea uaſa principibus Germanorũ donata

ESt uidere apud illos argentea uaſa legatis, & principib. eorũ a muneri data, non in alia utilitate, quã quæ humo finguntur: quanquã proximi ob uſum commerciorum aurum & argentũ in precio habent, formasq; quaſdam noſtræ pecuniæ agnoſcunt atq; eligunt: intetiores ſimplicius & antiquius b permutatione mercium utuntur. Pecuniam probant c ueterem & diu noram, ſerratos bigatosq;. Argentum quoque magis quàm aurum ſequuntur nulla affectione animi, ſed quia numerus argentorum facilior uſui eſt promiſcua ac uilia mercantibus.

Pecunia Germanorũ

VEriſſimè d dixit Poeta quidã: Creſcit amor nummi, quantũ ipſa pecunia creſcit. Germani enim principio nulla auaricia capti, continentes, ſobrij, ſua ſorte contenti, & bonæ frugis, ruri colendo uacabant, mercium q; cõmutatione utebantur. Verũ creſcentibus diuitijs, & habendi cupiditas accreuit. Vnde donatione externorum mouebantur, ut memorat Ottho Friſingen. lib. 2. cap. 48. Chronicorum & muneribus corrupti, degenerare cœperunt. Vt non abs re exclamarit olim Virgi 3. Aen. Quid nõ mortalia pectora cogis Auri ſacra fames: Pecuniæ omnia obediunt. Nemo tam fortis, qui non pecunia expugnetur. Primum probare cœperũt pecuniam: deinde exoſculari, poſtremo etiam ſitire. Et quanto plus potę, tanto ſitiuntur aquæ. Creuerunt & opes, & opum furioſa cupido. Et cum poſſideant plurima plura petunt: Ouid. 1. Faſt.

Germani donationib. corrupti.

Permutationis uſus apud priſcos Germanos.

ANte auri & argenti pecuniæq; uſum, homines rerum merciumq; permutatione utebantur: alia pro alijs exponentes, recipientesq;: ſic Germani commutabant ſuas merces: pro lacte, butyro, ouibus, bobus, lignis, frumento, ſal, corium, pannum, ſuppellectilem & reliqua domus neceſſaria comparantes. De qua rerum atque mercium permutatione Ariſtoteles lib. 1. Politicorum ſcribit: Commutationem initio cœpiſſe ex eo quod eſt ſecundum naturã, quod alij plura quã neceſſe ſit, pauciora haberent alij. Quoad uerò ipſis ſufficeret, neceſſariũ erat permutationis inire rationem. Sicut adhuc faciunt Barbarorum nationes multæ, alia pro alijs dantes recipientesq;. Eſt autem hoc genus indigentiæ ſupplementum ex naturæ præſcripto ad patrimonium auctius faciendum nihil admodum ſpectans. Et Plinius naturalis hiſto. lib. 33. cap. 1. Vtinam poſſet è uita in totum abdicari, auri ſacra fames, ut celeberrimi auctores dixere, proſciſſum conuicijs ab optimis quibuſque, & ad perniciem uitæ repertum. Quantum fœliciore æuo, cum res ipſę permutabantur inter ſe, ſicut & Troianis temporibus factitatum Homero credi conuenit. Ita enim, ut opinor, commercia uictus gratia inuenta, alios corijs boum, alios ferro, captiuisq; rebus emptitaſſe tradit.

Oſtendit

OStendit qua moneta usi sint Teuthones & quam pecuniã receperint. Obseruandum autem est, Seruium regem primùm signasse æs: antea rudi usos Romæ Timæus tradit. Signatum est nota pecudum: unde & pecunia appellata. Nota æris fuit, ex altera parte Ianus geminus, ex altera rostrum nauis. In triente uerò & quadrante rates erant. Nota argenti fuere bigæ atq; quadrigæ. Inde bigatos, serratos à nota serrę, quadrigatosq; numos dixere, uelut copiosissime Plin. lib. 3. cap. 3. naturalis historiæ exequitur. Plures numorum species congessit Ludouicus Cæl. lib. 6. cap. 2. Antiquit.

Seruius Tullius primum signauit æs.

Bigati nũmi Serrati quadrigati.

NEa ferrum quidem superest, sicut ex genere telorum colligitur. Rari gladijs aut maioribus lanceis utũtur: hastas, uel ipsorum uocabulo b frameas gerunt angusto & breui ferro, sed ita acri, & ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, uel cominus, uel eminus pugnent: & eques quidem scuto frameaq; contentus est, pedites & c missilia spargunt, pluraq; singuli, atq; in immensum uibrant, nudi aut d sagulo leues, nulla cultus iactatio. Scuta tantũ lectissimis coloribus distinguunt. Paucis e loricæ, uix uni alteriue cassis aut galeæ.

Germanorũ arma gladius, lancea, hasta uel framea.

Scuta ferunt equites Germ. Missilia Germanorũ tela

PTolom. a lib. 2. cap. 11. tradit apud Quados Germaniæ ad Hercynium nemus populos, mineras ferri fuisse: Veruntamen rariorẽ sua ætate fuisse ferri usum, & nondum tot ferrarias extitisse in Germania hinc colligit Tacitus, quod soliti fuissent hastas & tela, ferro breui & angusto præligere: At de ferrariarũ copia nunc penes Germanos non opus est scribere, cum nemo sit qui nesciat quanto ingenio & arte circa ferri officinas uersentur Germani, & quam abundet huiusmodi fodinis. Teuthonica natio, quam referta sit faberrimis ferri fabris, ut uel sola Norimberga reliquas Europę ciuitates optimis atq; artificiosissimis architectis, quibus plena est, longo interuallo superet. De inde bellica instrumenta, machinas, tormenta, sclopetos, bombardas præterea ferreas literarum caracteres, Germanorum inuentum, norunt omnes.

Germania olim nõ abũdabant ferrarijs.

GEns b olim quęlibet suis peculiaribus utebatur armis: Romani pilis, Macedones sarissis, Galli gesis, Thraces rompheis, Boij issis, Illirici, sibinis, Germani uerò maximè frameis & hastis, aut maioribus lanceis. Videtur autem ab Teuthonica uoce framea appellationem habere: Nos *ein Pfryemen* dicimus, stylũ qui cultellis adhęret, sicut lanceam *ein lantzen*, quamuis postremũ hispanicum nomen quidam dixerint. Cornel. lib. 1. histor. Cheruscis procera membra, hastas ingentes ad uulnera facienda attribuit.

Peculiaria gẽtis arma.

Framęæ.

MIssilia c dicuntur tela, quæ manu in hostem mittuntur, ut sunt glandes aut saxi quibus prælium incipiebatur. Alias munuscula ex principis liberalitate in uulgus sparsa.

Missilia.

Lancea.

SAgulo d militari indumento breui & idoneo ad bellum ac militiam. Milites qui leui armatura utuntur, Velites uocantur. Nostri milites in prælijs processuri, priscũ seruãt morem, ut tunica exuta leui uestitu, gladio & lancea in pugnã prodeunt ne grauitate & molestia uestimentorum in pugna impediantur.

Sagulum. Velites.

LOricæ e tunicę ex ferreis annulis, à loris dictę: Antiquitus enim de corio, crudo pectoralia faciebant: Nonnulli thoraces appellant.

Cassides aut galeę, galeri quibus caput armatur.

Loricæ. Thoraces. Cassides. Galeæ.

EQui non a forma, non uelocitate cõspicui, sed nec uariare gyros in morem nostrum docentur: In rectum aut uno flexu dextros agunt, ita coniuncto orbe, ut nemo posterior sit: In uniuersum

Equi Germanorum.

æstiman-

b æstimanti plus penes peditem roboris, eoq; mixti præliantur, apta & congruente ad equestrem pugnam uelocitate peditum, quos ex omni iuuentute delectos ante aciem locant.

Equi ad bellum aluntur

GErmani *a* equos ad belli usum neglecta corporis uelocitate & circumagendi in orbes studio Romanorum more, tum ad natandi studiũ alebant. Hodie etiam agriculturæ adhiberi notum est: alicubi etiam bobus aratur.

STrabo *b* libro 4. Geographiæ de Germanis. Sunt igitur omnes natura bellaces, equitatu quàm peditatu longe præstantiores: Quare Maximinus Imperator Germanorum equitatum hostibus semper antepositit, teste Capitolino, & dissentiunt ambo parumper a Taciti sententia, quòd forsan mutatis temporibus uurata sit & bellandi ratio.

DEfinitur & numerus: Centeni ex singulis pagis sunt, idq; ipsum inter suos uocantur, & quod primo numerus fuit, iam nomen & honor est.

Pagus.

DEfinitur, id est, constituitur, describitur numerus, *Man verordnet vnd macht ein auβschuβ*, Centeni ex singulis pagis, id est, conuentibus & uillarum congerie. Pagus enim pro tractu alicuius fontis & fluuij accipitur. Nam Iulio Cæsare testãte quantum Germania Romanis cognita erat, maximè in pagos distributa fuit. Vnde lib. 4. Comment. belli Gallici: Sueui inquit, centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula milia armatorum bellandi causa è finibus educuntur, reliqui qui domi remanserint, se atque illos alunt: hij rursus inuicem anno post in armis, illi domi remanent: sic neque agricultura, neq; ratio ac usus belli intermittitur.

Germania in pagos distributa.

Acierum instructio.

ACies *a* per *b* cuneos componitur: cedere loco, dummodo rursus instes, consilijq; formidinis arbitrantur. Corpora *c* suorum etiã in dubijs prelijs referunt. Scutum reliquisse præcipuum flagicium: nec aut sacris adesse, aut concilium inire ignominioso fas: multiq; superstites bellorum infamiam laqueo finierunt.

Reges. Duces.

Reges ex nobilitate, duces ex uirtute sumunt. Nec regibus infinita, ac libera potestas, & duces exemplo potius quã imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant admiratione præsunt.

Exercitus instructio apud Romanos.

DE *a* acierum aut exercitus in structione atq; modo ineundi bella, Corint. Tacit. lib. 2. histor. Augustæ rursus scribit. Dirigũtur apud Germanos acies nõ ut olim dissecta per cateruas & uagis incursibus. Hinc etiam Appianus Alexandrinus lib. 7. qui Celticus inscribitur. Hijs mores, inquit, ferocissimi insunt, in aggrediendo insignis audacia, contemptus mortis maximus. Et Iosephus lib. 19. ca. 1. Antiquit. Iuda. refert: Germanos robustos corpore, & primo impetu qui buscunq; hostibus congressos præualere.

Germanorũ in prælijs impetus

Cuneus. Caput porcinum.

CVneus *b* Vegetio auctore lib. 3. rei militaris, dicitur multitudo militũ, quæ primo angustior, deinde latior procedit, & aduersariorum ordines prorumpit: milites caput porcinum nominant.

c Id est, non relinquunt interfectorum cadauera, etiam si prælium sit periculosum & anceps: reportant ad suos in castra ut humentur.

Cæterum

CÆterum neque animaduertere, neque uincire, neq; uerberare quidem nisi a Sacerdotibus permissum, non quasi in pœnam nec ducis iussu, sed uelut b Deo imperante, quem adesse bellantibus credunt, effigies que & signa quędam detracta c lucis, in prælium ferunt: quodque præcipuum fortitudinis incitamentum est, non casus, non fortuita conglobatio d turmam, aut cuneum facit, sed familię & propinquitates, & in proximo pignora: unde fœminarum ululatus audiri, unde uagitus infantium. hinc cuique sanctissimi testes, hinc maximi laudatores. Ad matres, ad cõiuges uulnera ferũt, nec illæ numerare, aut exigere plagas pauent, cibos; q; & hortamina pugnantibus gestant. Memorię proditur, quasdam acies inclinatas iam & labantes à fœmina restitutas constantia precum & obiectu pectorum, & mõstrata cominus captiuitate, quam longe impatientius fœminarum suarum nomine timent, adeo ut efficatius obligentur animi ciuitatum, quibus inter obsides puellæ quoq; nobiles imperantur, inesse quinetiam sanctum aliquid & prouidum putant, nec aut consilia earum aspernantur, aut responsa negligunt. Vidimus sub diuo g Vespasiano h Velledam diu apud plerosque numinis loco habitam. Sed & olim i Auriniam & complures alias uenerati sunt, non adulatione, nec tanquam facerent deas.

Sacerdotum auctoritas.

Mulierum Germanicarum fortitudo.

Fœminæ Germanorũ sanctitas.

Auriniæ Germanæ mulier.

NArrat a Cornel. quanta authoritate fuerint antiquitus sacerdotes penes Germanos, quos deorum ministros solos iudicabant, & penes eos summam rerum potestatem esse credebant: ut maius piaculum haud admiserit, nisi qui horum quempiam lęsisset. Sacerdotes animaduertebant in flagicioſos uelut diuina authoritate & ex precepto numinis.

Sacerdotes à Germanis uenerati.

INtelligit b aut, Mercurium, aut Herculem, aut Martem: istos enim coluerunt Germani antiquitus, ut ex sequentibus euidentissimum erit. Vnde à Græcis uocati sunt ἀρηΐφιλοι, hoc est, Martij, Martiales uel Martis cultores, Ἄρης enim Mars dicitur. Idem Tacitus tradit, Germanis fuisse morem, Deorum numine capescere pugnam, coniugum, parentum, patriæ, memores,

Germani Martij.

LVcos c deorum templa fuisse antiquitus, legis apud Plinium, libro duodecimo capite primo, & Lud. Cœlium, libro septimo capite primo, Antiquit. Vnde etiam posthac Tacitus inquit: Lucos ac nemora consecrant, deorumq; nominibus appellant. Porro uel frondes atque ramos ab arboribus amputatos, portabant secum in prelium: aut forsan statuas, quæ signa erant deorum suorum: non enim crediderim, imagines intelligere Cornelium, quando deinceps dicat: Nec cohibere parietib. deos, neq; in ullam humani oris speciem assimulare ex magnitudine cœlestium arbitrantur. Ista superstitione tenebantur maiores nostri priusquam Christo Iesu crediderunt. stipites aut ramos, ligna aut lapides uenerabantur, non uiuentem Deum.

Luci.

Superstitio Germanorum.

TVrmam d aut Cuneum, id est, exercitum, aciem, manipulum, aut multitudinem. Turma de equitibus, cuneus de militibus dicitur. In turma sunt equites duo triginta, ut Varro & Vegetius tradiderunt: qui præest turmæ, dicitur decurio: ipsi qui in turma sunt, turmales dicuntur. Inde turmatim aduerbium.

Turma Decurio. Turmales.

SVb e bello enim Caij Iulij Cęsaris mulieres Germanorum uiros rogabant flẽtes, ut persisterent, ne se & suos in seruitutem Romanorum redigerẽt, & currus obuiam posuerunt ne effugerent, ut Cęsar lib. 1. comment. belli Gallici late prosequitur. De fortitudine atq; industria Germanicarum mulierũ require Plutarchum in uita Marij, Strabonem lib. 7. Valer. Max. lib. 5. cap. 1. Orosiũ lib. 6. cap. 20. Hieron. epist. 31. distinct. 12. ad Geruntiam, Cor. Taci. lib. 1. histor. Augustę ex Caij Plinij Secundi opere historiam memorantem. Florus lib. 4. cap. 12. refert in eo bello, quo Drusus Germanos adortus est fœminas Germanorum hostium agmen auertisse: quorsum Tacitum respexisse cõsidero, dum inquit acies quasdam labantes à fœminis restitutas.

Germanicarum mulierũ fortitudo

Mulieres Germanorũ cultæ.

SCribit fidem noster Tacitus lib. 20. histor. Veterem apud Romanos morem fuisse, quo plerasq; fœminarũ fatidicas, & augescente superstitione arbitrentur deas: & Strabo lib. 7. multa habet de Cymbricis mulieribus diuinationum peritis. Similiter etiam Cæsar lib. 1. Commen. Belli Gallici. Plutar. in uita Marij, è quorum testimonijs euidens est, quanta auctoritate & ueneratione obseruatæ atq; cultæ sint cordatæ mulieres: priscis temporibus confugiebatur ad illas tanquam ad oraculum Pythij Apollinis: sancta habebantur consilia & responsa: nemo hæc aspernabatur. Scribit præterea Suetoni, in Vita Auli Vitellij uaticinanti Cattæ mulieri, Imperatorem, Vitellium, uelut Oraculo acquieuisse.

SVb g hoc Cæsare in uiuis erat Tacitus: sub Traiano uero concessit naturæ.

Velleda uirgo.

VElleda h gẽtis Bructeræ uirgo amplissimam apud Teuthonicos administrabat ditionem. Cuius copiosam mentionem fecit Cornelius lib. 20. & 21. historiarum. Statius lib. 1. Syluarum in hunc modum meminit:

Non uacat arctoas acies Rhenumq; rebellem
Captiuæq; preces Velledæ, cui maxima nuper
Gloria.

Et Raimundus Marlianus, Phil. Beroaldus circa Suetonium in uita A. Vitellij

Aurinia Germana mulier

AVriniæ i apud scriptores nondum uidi mentionem: quod rari uel nulli sint qui post Tacitum & Plinium de Germanis adeò digna retulerint. Ex Cornelio liquet Germanam fuisse, ante sua tempora superstitiosius tanquam numẽ celebratam, & proximè post deos ueneratam.

Dij Germanorum.

DEorum a maxime b Mercuriũ colunt, cui certis diebus, humanis quoque hostijs litare fas habent. c Herculem ac d Martem concisis animalibus placant.

Deum suum coluit quæque natio.

TErtullianus a in Apologetico aduersus gentes cap. 23. tradit unicuiq; prouinciæ & ciuitati suum Deum fuisse: ut Syrię Astartis, ut Arabiæ Diasares, ut Norico Tibilenus, ut Aphricæ Cœlestus, ut Mauritaniæ Reguli sui, &c. Augustinus quoq; plurimos gentilitios deos congessit in eo libro, quem de ciuitate Dei inscripsit. Similiter etiam Lactantius Firmianus. Germani quoq; suos peculiares habuerunt deos. Iulius Cæsar lib. 6. belli Gallici de Germanorum dijs in hunc modum scribit: Germani multum à Gallorum consuetudine differunt. Nam neque Druides habent, qui rebus diuinis præsint: neq; sacrificijs student. Deorum numero eos solum ducunt quos cernunt: & quorum aperte opibus iuuantur. Solem, Vulcanum & Lunam: reliquos ne fama quidem acceperunt. Cornelius uero noster multo plures recenset Germanorum deos, ut puta Mercurium, Teutanem, Martem, Herculem, Isidem, Herthum, Castorem, Pollucem.

Dij Germanorum.

Mercurium

MErcurium b inprimis coluisse Germanos, Cornelius Tacitus non tam hoc libro, sed & eo quem de Romanis Cæsaribus scripsit, multis locis testatur:

hunc

hunc aliâs Teutanem uocitatum, præter alios etiam Ioannes Annius Viterbien sis super quintum Berosi indicat his uerbis. Porrò Teutanes Germanorũ Mercurius extitit, cui cognomento sacrificus ritus indidit. Reddebat enim pallentes eos qui sibi gratis immolabantur. Hunc igitur colebant & humano sanguine ui ctimas ei obtulerunt: Sicut canit Lucanus lib. 1. Et quibus immitis placatur sanguine diro Teutanes. Habes eiusdem testimonium apud Lactantium Firmianũ lib. 1. cap. 21. Diuinarum institutionum. Methodiũ in historia: Et repetit Vlricus, Huttenus eques nobilis nobiliumq; doctissimus in Panegyrico, quem Alberto, Moguntino archiepiscopo dedicauit sic canẽs: Cernis & Alcidem iũctoq; Tuiscona, Mãno. Et Maia genitum, immitibus aris, Terribili specie. Nostro tempore uisum est Mercurij idolum, in Elegia Alsatiæ prædio, Zu Eel.

Mercurium Deum humanis hostijs placât Germani.

Teutanes.

HErculem c à Germanis uelut Deum cultum suprà abunde relatum est.

Hercules Deus Germanorum.

POrro d Martem ab ijsdem Germanis ueneratum alio loco testatur Tacitus li. 20. ubi legati Tenterorum præcipuo deo Marti grates egerunt, & Huttenus Panegyrico, de quo iam habita mentio: Primus honor Marti, clypeo Mars fulget & ense Germanamq; manu frameam tenet, illius aris, Victima prima cadit, gratis pater ipse uocari Gaudet. Extat eius superstitionis uestigia adhuc in quibusdam Germaniæ urbibus, quas ab ipso Marte nominatas putamus, ut Martipyrgum Hassiæ Metropolis. Marspurgũ, Sueuię urbs: & Martinopolis Misniæ, ut Aeneas in Europa cap. 30. uocat, à Marte dici uidentur. Martem quoq; Scytharum omnium Deum scribit lib. 2. Pompon. Mela. Fertur etiam Martis mons in Vuestualis, ubi tria altaria olim Marti dicata adhuc superesse feruntur. Scribit præterea Suetonius in uita Bulij Vitellij, eum pugionem, quo se Ottho imperator occiderat in Agrippinẽsem coloniam misisse Marti dedicandum, unde liquet illic Martem quoq; cultum.

Mars à Germanis cultus

Martipyrg. Marsburg. Martinop. Martis mõs in Vuestualia.

PArs Sueuorum & d Isidi sacrificat. Vnde causa & origo b peregrino sacro, parum comperi, nisi quod signum ipsum in modum c liburnæ figuratum docet aduectam religionem. Cæterum nec cohibere parietibus deos, neq; in ullam humani oris speciem assimilare ex magnitudine cœlestium arbitrantur. d Lucos ac memora consecrant, deorumque nominibus appellant, secretum illud, quod sola reuerentia uident.

Isis Sueuorũ numen.

SVeuos a olim Isidẽ deam coluisse Annius Viterbiẽsis libro decimoquinto testatur. Hinc Cõradus Peutinger uetustatis conseruator syncerissimus studiosorum que patronus integerrimus: persuasit sibi Augustenses falso Cisam deam appellare, templumq; fuisse perhibent: ubi nunc est prætorium urbis Augustæ: non Celsæ, sed Isidis fuisse: collemq; publici carceris non Zisenberg, sed Isenberg: quasi Isidis montem nominandum. Cuius rei copiosius meminit Ottho Frisingen. & Chronica Vrspergensis. Ab hac Iside uolunt postea Isenacum Thuringiæ oppidum uocitatum.

Isidem coluerunt Sueui. Isenberg colis Augustæ. Isenacum.

PEregrino b Aegyptiaco scilicet. Nam Isis Aegyptiorũ numen est, & interpretatur eorum lingua, terra. De qua plura Diodor. Siculus libro primo.

Isis Aegyptiorũ dea

DE c antiquo Italiæ cultu sumptum uidetur, ubi liburna nauis in sacris erat, eam ob caussam quod Euander rex Arcadiæ per maria in Italiam concesserit, atque externos sacrificandi ritus introduxerit. Ad morem itaque Italiæ, Sueui in suis sacris quæ Isidi fiebant, signo utebantur, quod figuram liburnæ, id est nauis seu currus ad formam nauiculæ constructæ referebat. Liburni autem sunt

Liburni.

in Illyrico populi, olim nauibus uelocibus & celeritate præcipuis usi. Ionium mare insulasq; prædabantur: qua ex causa Romani naues leuitate celeritateq; præstantes appellauere Liburnicas Liburnas seu Liburna: sic refert Appianus in lib. Illiricorum. Vegetius libro quarto de re militari, & Viterbiensis libro 15.

Liburnicæ Liburnæ.

Lucorum religio.

LVci *d* religione quadam esse imbuti existimabãtur: ut pote Deorũ domicilia, aut hominis alicuius cineri sacrati, testis Plinius libro duodecimo capite primo. Vergil. 8. Aeneid. Est ingẽs gelidum Lucus prope Ceretis amnem. Religione patrum late sacer. Germanis autem syluæ olim uel maximè fuerunt suis idolis sacræ, ut hic ex Cornelio colligitur.

Sortes Germanorum.

AVspicia, *a* sortesq;, ut qui maxime obseruant *b* Sortium cõsuetudo simplex, uirgam frugiferæ arbori decisam, in *c* surculos amputãt, eosque notis quibusdam discretos super candidam uestem temere ac fortuito spargunt: mox si publice consuletur, sacerdos ciuitatis, sin priuatim, ipse paterfamiliæ precatus deos, cœlumque suspiciens, ter singulos tollit, sublatos secundum impressam antè notam interpretatur. Si prohibuerunt nulla de eadem re in eundem diem consultatio. Sin permissum, *d* auspiciorum adhuc fides exigitur, & illud quidem etiam hic notum, auium *e* uoces, uolatusq; interrogare. Proprium gentis, *f* equorum quoque præsagia ac monitus experiri, publicè aluntur ijsdem nemoribus ac lucis, candidi & nullo mortali operè contacti, quos pressos sacro curru sacerdos ac rex uel princeps ciuitatis comitãtur, hinnitus atque fremitus obseruant. Nec ulli auspicio maior fides non solum apud plebem, sed apud proceres, apud sacerdotes. Se enim ministros deorum illos conscios putant.

Equorum præsagia.

Auspicia ueterum.

TAnta *a* erat apud gentiles auspiciorum religio, ut etiam Romani exactis regibus, nihil publicè sine auspicijs, nec domi, nec militiæ gerebãt: id quod Liuius in primo ab Vrbe condita, & Vale. Max. lib. 1. cap. 1. de institutis antiquis testantur. Vnde Cice. lib. 1. diuinationum. Quæ est autem gens aut quæ ciuitas: quæ non extis pecudum, aut monstra, aut fulgura interpretantium, aut augurũ, aut astrologorum, aut sortium (hæc enim fere artes sunt) aut somniorum, aut uaticinationum (hæc enim duo naturalia putantur) prædictione moueatur.

Sortes. Sortilegi.

SOrtium, *b* id est fortuitorum euentuum, aut oraculorum. Inde sortilegi, qui per sortes futura pronunciant. De sortibus, earumq; origine Cice. in 2. diuina. Plinius libro septimo capite 56.

Surculi.

SVrculos *c* tẽues & paruos, bacillos & uirgulas, discretos, hoc est separatos, insignitos notis & signis quibusdam.

Auspicia.

AVspiciorum, *d* id est præsagiorum & prognosticationum, quę ad aues potissimum referũtur: Quorum sunt duo genera, Vnum ad oculos: alterum ad aures pertinens: ad oculos scilicet uolatus, ad aures uox auium. Dicta autem sunt auspicia: hoc est ab auium inspectione, sicut Augurium ab auium garritu & uoce. De omnibus istis copiosissime Cicero in libris diuinat.

Augurium.

Aues auspicium præbent

AVes *e* enim euentus aut aduersas, aut secũdas significant: testibus Tullio Plinio libro 18. capite 2. & Vergil.

Auspiciorum

AVſpiciorum *f* genus peculiare fuit Germanis equorũ hinnitus & fremitus obſeruare, qui etiam in hoc alebantur lucis numinibus ſacris: quemãdmodum perhibent in Haſſia Germaniæ ora, hodie quoq; equos in nemoribus ali ueteri conſuetudine Germanorum. Et ſcribit Methodius: Germanos equis in bello hoſtibus extractis ſacra feciſſe, & ex ſtillatione eorum, auguria cepiſſe: quarum ſuperſtitionum Picus Mirandula in ſecundo Hymnorum commentario meminit. *Equi in nemoribus aluntur.*

Captiuo & iugulo fundebant carmina uates
Cymbrica, quæ æripedum fremitus ſeruabat equorum.
Bellax Rypheo Germania proxima cœlo

ESt & alia *a* obſeruatio auſpiciorum, quam grauium bellorum euẽtus explorant. Eius gentis cũ qua bellũ eſt, captiuum quoquo modo interceptum, cum electo popularium ſuorum, patrijs *b* quemque armis committunt, uictoria huius uel illius pro præiuditio accipitur. *Bellorum auſpicia.*

GErmani *a* imitantur in hoc Romanos qui bellicam rem adminiſtrati, niſi auſpicato, noluerunt: Tanta erat apud gentiles Germanos auſpiciorum fides & religio. Erat autem etiam hoc genus auſpicij, ut captiuum ſimul & popularem ſuis quemq; armis cinctũ committerẽt in duellum & monomachiã. Si captiuus uinceret popularem, malum omen Teutonibus: ſin popularis hoſtem ſuperaſſet, fœlix atq; de uictoria auſpicium. Sic olim ſortes ex Vergilianis uerſibus colligebantur Si incidiſſent in lectionem pugnæ fœlicis, uictoriæ omen: ſi in periculoſam, diſcriminis & infortunij auſpicium. *Auſpicato omnia agebantur.*

PRæiudicio *b* id eſt euentu rei, Nam præiuditium, ut Aſconio Pediano placet res eſt, quæ cùm inſtituta ſit, affert iudicaturis exemplum quod ſequantur, de qua re ſcribit Quintilianus in quinto Inſtit. capite ſecundo. *Præiudicium*

DE *a* minoribus rebus principes conſultant, de maioribus omnes, ita tamen, ut ea quoq; quorum penes plebem arbitrium eſt, apud principes pertractentur. Coeunt, niſi quid fortuitum & ſubitum inciderit, certis diebus, cum aut inchoatur Luna, aut impletur. Nam agendis rebus hoc auſpicatiſſimum initium credunt, nec dierum numerum ut nos, ſed noctium *b* cõputant, ſic conſtituunt, ſic condicunt, nox ducere diem uidetur. Illud ex libertate uitium, quod non ſimul, nec iuſſi conueniunt, ſed & alter & tertius dies cunctatione coeuntium abſumitur. Vt turbæ placuit, conſidunt armati. Silentium per ſacerdotes, quibus tum & coercendi ius eſt, imperatur. Mox rex uel princeps, prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia eſt, audiuntur: auctoritate ſuadendi magis, quàm iubendi poteſtate. Si diſplicuit *c* ſententia, fremitu aſpernãtur: Sin placuit, frameas concutiunt. Honoratiſſimum aſſenſus genus eſt, armis laudare. *Conſultandi ratio.* *Conueniendi tempus.* *Sacerdotum authoritas.*

CONſultandi *a* ratio coeundiq; ad comitia tempus explicatur: non autem abſre Cæſar in ſexto belli Gallici, Lunam inter Germanorum numina computat: quod ij in primis auſpicaturi aliquid, obſeruarent uel inchoantem lunã, hoc eſt coniunctionem & Neomenias: uel plenam lunam, id eſt oppoſitionem quæ *Luna Germanorum.*

Græcis πανσέληνος dicitur: hoc enim auſpicatiſsimum initium agendis rebus credunt. Ideo non eſt negligendum, quod idem Iulius Cæſar libro primo belli Gallici tradit, apud Germanos conſuetudinem fuiſſe, ut matres familias eorum ſortibus uaticinationibus declararẽt, utrum prælium committi ex uſu eſſet, nec'ne. Eas ita dicere non eſſe fas Germanos ſuperare, ſi ante nouam lunam prælio cõtẽdiſſent. Quæ omnia repetit Plutarchus in uita Cæſaris: Hac ſuperſtitione nec dum carent Germani.

Dierum & noctium obſeruatio.

ROmani *b* tempus per dies numerare ſolebant more Aegyptiaco. Germani uero per noctes computarunt: qui mos hodie quoq; durat, ut per noctes numeremus recenter facta, aut paulo pòſt fienda. *Vor drey nechten, oder vber drey necht.* Diem autẽ alij aliter obſeruauere: Babylonij inter duos ſolis exortus, Athenienſes inter duos occaſus, Vmbri à meridie in meridiem: uulgus à luce in tenebras, Aegyptij à media nocte in mediam noctem diem dixere. Sic & Germanorũ antiquitas diem à nocte in noctem computauit, iuxta Hebræorum cõſuetudinem, qui itidem á nocte dies cœperunt numerare. Vide Plinium libro ſecundo capite 79. Macrobius libro primo capite ſecundo. Saturnalium. Aul. Gel. libro tertio, capite 2. Noct. Att. Ouid. 1. Faſtorum. Cẽſorinum de die natali, Cornelium Vitellium de dierum, menſium, annorumq; obſeruantia.

Armorũ ſono probant ſententiam Germani

VElut *c* alij uerbis aliorum dicta probant uel refutant: ita Germani ſoliti ſunt, non ſermone aliorum ſententiam commendare, ſed armorum applauſu, ſono, tripudijſq;, ut rurſus noſter Tacitus indicat libro 21. Hiſtor. fremitu uero explodebant ſententiam, quæ minus placuiſſet.

Tormẽta Germ.

LIcet *a* apud concilium accuſare quoque & diſcrimen capitis *b* intendere. Diſtinctio pœnarum ex delicto, proditores & transfugas arboribus ſuſpendunt. Ignauos & imbelles & corpore *c* infames cœno ac palude, iniecta inſuper *d* crate mergũt. Diuerſitas ſupplicij illuc reſpicit, tanquam *e* ſcelera oſtendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abſcondi. Sed & de leuioribus delictis pro modo pœnarũ, equorum pecorumq; numero conuicti mulctantur, pars multę regi, uel ciuitati, pars ipſi qui uindicatur, uel propinquis eius exoluitur. Eliguntur in iiſdem concilijs & principes, qui iura per pagos *f* uicosq; reddunt. Centeni ſingulis ex plebe comites, conſilium ſimul & authoritas adſunt. Nihil autem neq; *g* priuatę rei, niſi armati agunt. Sed arma ſumere, non ante cuiquàm moris, quam ciuitas ſuffecturum probauerit.

Comitiorum ratio.

Germanorum pœnæ in nocẽtes.

TOrmenta *a* & pœnæ Germanorũ, quibus hodie ſontes ac facinoroſos plectunt, ſunt crux ſeu patibulum, gladius, ignis, culeus, rota. Fures in crucem agunt. Incendiarios & hoſtes igne cremant. Latrones ac raptores rota inſertos conuellunt: homicidas capite priuant: quoſdam mergũt aqua aut uiuos ſepeliunt. Mulieres noxiæ culeo incluſæ ſuffocantur flumine, aut fumo perimuntur.

Intendere.

INtendere *b* proprie eſt crimen in aduerſarium iacere. Terent. in Eunucho, hãc ſi intendit eſſe, *vmb den hals anklagen.*

Infames.

Infames, *c* mancos, corruptos, aut ſi mauis impudicos, *Die ehrloſen.*

Turnus Herdonius mactatus.

HIuſmodi *d* ſupplicio affecit Turnum Herdonium Aricinum innocentem Tarqui. ſuperbus ſeptimus Romanorum rex, ut tradit Liuius in 1.

Scelera. Flagitia.

SCelera *c* infanda flagitia, maiora delicta, ut proditiones, furta, fugam, & huiuſmodi. Flagitia uero leuiora errata, ignauiam & timiditatem.

Vici. Marchio.

VIcos *f* ruſticanos qui ex plurib. uillis cõſtãt. Præfecti, qui ius p pagos uicoſque dicũt priſcis appellati ſunt Marchiones, à Marcha Theutonico uocabulo

unde

unde nomen principum Germaniæ emersit: qui Marchiones, id est præfecti Marcharum uocantur: Idem Germanis: *vogt, pfleger, ampleut, richter, schulthayssen* appellantur.

Ciuitas, *g* id est ciuium consensus & multitudo. Vnde Macrobius in præfatione, in somniũ Scipionis: Comitia, inquit, cœtusq; hominum iure sociati, ciuitates appellantur. Non pro oppido sumitur apud Cornelium ciuitas: Nã suo sæculo nondum urbes in Germania extructæ fuerant, ut postea ipse Tacitus declarabit, & suprà à nobis relatum est. *Ciuitas.*

EAdem consuetudo quoq; nunc penes Germanos manet, ut neq; fana & sacras conciones, nec fora aut rus camposq;, neq; cõcilia adeant, minus publica, minime priuata subeant officia, nisi armis cincti, sine armis nihil agunt. *Armati omnia agunt Germani.*

TVm eum in ipso concilio, uel principum aliquis, uel pater, uel propinquus scuto frameaq; iuuenem ornant. Hæc apud illos *a* toga. Hic primus iuuentæ honos, ante hoc, domus *b* pars uidentur, mox reipublicæ. Insignis nobilitas, ut magna patrum merita principes dignationem etiam adolescentulis assignant. Cæteris robustioribus ac iampridem probatis aggregantur, nec robur inter comites aspici. Gradus quinetiam & ipse *c* comitatus habet iudicio eius quem sectantur. Magnaq; & comitum æmulatio, quibus primus apud principem suum locus, & principum cui plurimi & acerrimi comites. Hęc dignitas, hæ uires magno semper electorum iuuenum globo circundari in pace decus, in bello præsidium, nec solum in sua gente cuique, sed apud finitimas quoque ciuitates id nomen, ea gloria est, si numero ac uirtute comitatus emineat. Expetuntur enim legationibus & muneribus ornantur, & ipsa plerumque fama, bella profligant, Cum uentum in aciem, turpe principi uirtute uinci, turpe comitatui uirtutem principis non adæquare. Iam uero *f* infame in omnem uitam ac probrosum, superstitem principi suo ex acie recessisse. Illum defendere, tueri sua quoq; fortia facta gloriæ eius asignare, præcipuum *g* sacramentum est. Principes pro uictoria pugnant: comites pro principe. *Toga Germanorum.* *Princeps comitatus.*

SIcut *a* Romani olim bonæ indolis pueris togam in uirilis ætatis argumentum dare solebant. Sic Germani suos adolescentulos framea scutoq; ornantes, in rem militarem prouehebãt. Vnde Eobanus Hessus. Tela puer dextro dicit uibrare lacerto, Et leua clypeum posse rotare manu, Iam bellator eques longa sudare sub hasta, Et certo assueuit flectere freno modo. *Germanorum toga.*

IVuenes *b* Germani ante sumptam togam domus pars erat, id est non numerabantur inter uiros, nihil mumeris administrabant in repub. sed ad domesticam curam adhibebantur: Accepta autem toga, etiam publica munia committebantur ipsis, & ad bella extrudebantur.

COmitatus *c* principis & suos habet gradus, hoc est dignitates. Nam sunt alij aliis eminẽtiores in principis aula, & in primo post principem honore: A Secretis, à cubiculis, quęstores, equorum prefecti, armorũ magistri, consules. Deinde sunt alij inferioris gradus & dignitatis, satellites, laterones, equites, pedites, lixæ. Per gradus ad proceres ascendes: & rursus per gradus ad infirmitates descẽ *Gradus principum & comitatus.*

des: Istos honores & dignitates princeps pro suo arbitrio cõmittit singulis. Inde oritur inter comites æmulatio, dum quisq; primas apud principem ambit. Titillãtur rursus principes simili æmulatione, plurimos fortes eosq; acerrimos affectantes comites: ut conspicui sint selectissimo comitatu & satellitio.

Militiæ principes muneribus expectantur.

STrategi *d* atq; militiæ duces præstantiores, ac præclare gestis ipsisq; armis exercitati celebresq; multis donis legationibusq; inuitantur ad ferẽda subsidia, & administrandam militiam, ad hos promptiores milites cæteri confluunt, hos sequuntur, laudant atque tuentur.

Acies.

ACies *e* institutionem exercitus significat, cum ad dimicandum paratus est, quod ferro armata sit & acumine telorum.

Celtiberorũ mos.

DE *f* Celtiberis Hispaniæ populis scribit Vale. Max. lib. 2. cap. 1. nefas duxisse prælio superesse, cum is occubuisset, pro cuius salute spiritum deuouerant.

Sacramenta militaria.

VEgetius *g* lib. 2. de re militari: Milites iurare solent & ideo militiæ sacramenta dicuntur. Iurant autem se omnia strenue facturos quę præceperit imperator, nunquam deserturos militiam, nec mortem recusaturos pro Germanorum repub. Hinc sacramenta pro militibus usurpant eruditi, quod iusiurando in fœdus societatem'que obstringantur, & pro imperatore defendendo iuramentum interponant.

Germanis ingrata pax.

SI *a* ciuitas in qua orti sunt, longa pace & otio torpeat, plerique nobilium adolescentium petunt ultro eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt, quia & ingrata genti quies, & ut facilius inter *b* ancipitia claresc ant, magnum'que comitatum, non nisi ui belloq; tueare, exigunt enim principis sui liberalitate illum *c* bellatorem equum, illam cruentam uictricemq; framea m. Nam epulæ & conuictus quanquam incompti, largi tamen apparatus pro stipendio cedunt. Materia munificentiæ per bella & *d* raptus, nec arare terram aut expectare annum tam facile persuaseris, quàm uocare hostes & uulnera mereri, pigrum quinimo & iners uidetur sudore acquirere, quod possis sanguine parare.

Geemanorũ epulæ.

Germani bellorum auidi.

SEneca *a* lib. 6. naturalium quęstionum, Germanos gẽtem belli auidam uocat. Idem libro de Ira. Germanis quid est animosius, quid ad incursum acrius? quibus innascuntur innutriunturq;, quorum una illis alia negligentibus cura. Mansit pacis odiũ, belliq; amor, heu dolor in Teuthonica natione: Passim enim nunc stipendijs merent, uitam uilem ac uenalem circumferunt φιλοπτόλεμοι Germani ac sanguinis sitientissimi.

Nulla fides pietasq; uiris qui castra sequuntur:
Venales q. manus, ibi fas ubi maxima merces.

Obtinuit nomẽ, ut bellax Germania ab auctoribus uocitetur, tam ingrata est genti quies, otiumq;.

Ancipitia.

ET *b* ut claresc ant clari & insignes fiant, inter ancipitia difficilia, periculosa, incerta utrò uergat uictoria: sic anceps Mars pro incerto belli euentu accipitur.

Bellax Germania.

BEllatorem *c* equum hoc est bello promptum & idoneum: hunc, inquam, exigebant Germani, simul etiam sanguinolentam & uictricem hastam, ut liceret ipsis bella gerere: Sunt enim omnes natura bellaces, inquit Strabo, lib. 4. & omnis uita eorum in studijs rei militaris consistebat, Cæsar 6. Tantus amor studiumq; Martis erat. Habet quoq; Cæsar in Sexto belli Gallici, Atq; ubi quis ex principibus in Cõcilio dixit, se ducem fore: qui sequi uelint, profiteantur: Consurgunt hij, qui & causam, & hominem probant, auxiliũ pollicẽtur: atq; à multitudine

titudine collaudantur: Qui ex hijs sequuti non sunt, in desertorum atq; perditorum numero habentur, omniumq; rerum ijs postea fides derogatur.

IDem d Cæsar in Sexto Commẽtariorum libro, Latrocinia nullam habere infamiã apud Germanos refert, quæ extra fines cuiusq; ciuitatis fiunt: Atq; ea exercendæ ac desidiæ minuendæ causa fieri prædicat. Hoc idem etiam Pomponius Mela tradit libro tertio, Ius in uiribus habent adeò, ut ne latrocinij quidem pudeat: & Chunradus Celtis, *Latrocinia Germanorũ*

Nec censere nephas animum intendisse rapinis.

QVoties bella non ineunt, non multum a uenatibus, plus per otiũ transigunt, dediti somno ciboq;, fortissimus quisq; ac bellicosissimus nihil agens, delegata b domus & penatium, & agrorum cura fœminis senibusq;, & infirmissimo cuiq; ex familia. Ipsi habent mirã diuersitatem naturæ, cum ijdem homines sic ament inertiam, & oderint quietem. Mos est c ciuitatibus ultro ac uiritim conferre principibus, uel armentorum, uel frugum, quod pro honore acceptum, etiam necessitatibus subuenit. Gaudent præcipuè finitimarum gentium d donis, quæ non modo à singulis, sed publicè mittuntur: electi equi, magna arma, e phaleræ, torquesq;. Iam & f pecuniam accipere docuimus. *Germanorũ in otio studium.* *Germani principibus pensiones reddunt.*

VNus a est hic locus quẽ sciam, quo Cornelius Tacitus dissentit à cæteris authoribus, qui commune Germanorum exercitium dixerunt uenandi studium: quo etiam nunc uix est ullum Germanis frequentius. Non igitur exacte didicit Cornelius uenationis morem in Germanis, uel suo tempore desijt parũper uenandi exercitium, quod ante eum erat frequentissimum, & post eum commune omnibus principibus & nobilibus Germanorum: ut quoties per occasionem licet, uenationi & aucupio incumbant. Ideoq; retulit Iulius Dictator in 6. comment. belli Gallici: Vita omnis in uenationibus, ac studijs rei militaris consistit: à paruulis labori atq; duritiei student. Et Paulo post rursus scribit. Vros (quę sunt Herciniæ syluæ, fera animalia) studiose foueis captos interficiunt. Hoc se labore durant adolescentes, atq; hoc genere uenationis exercent: & qui plurimos ex his interfecerunt, relatis in publicum cornibus, quę sint testimonio, magnam ferunt laudem. Vnde Conradus Celtis: *Venandi studium in Germania.*

Commune his studium uenari, equitare, uegari,
Atq; suum uarias uictum quæsisse per artes,
Vel Bacchum uiduis crescentem iungere palis,
Aruaq; quadrijugo proscindere pinguia aratro,
Nec patrio tepuisse solo iuuenilibus annis.

VIri b Theutonum fortes armis assueti, quietẽ pacemq; odiunt: torporem atque inertiam amant, omne studium in re militari consistit: minime omnes agriculturę student, ut idem inquit Cęsar: fœminis, senibus, infirmis, & inermibus, cura domestica commissa. *cura domestica fœminis cõmissa.*

PRincipes c quia reipublicę seruiũt, ab eadem aluntur: decimas frugum, tributa, uectigalia, naulum, pensiones atq; reliquas huiusmodi exactiones à suis recipiunt. Aequum hoc quidem ius, nisi hodie quidam abuterentur isthoc priuilegio in grauissimam tyrannidem, & suorum popularium depredationẽ: nõ enim accipiũt iustas pensiones, sed omnino deglutiũ, & excoriãt suos: dignũ est ut præstẽt Deo, quę debẽtur ipsi: & Cęsari, quę reddẽda sunt Cęsari: Verumetiã *Reditnum exactio.*

hoc dignum est, ut principes suos minime expilent, sed æquis conditionibus, & pensionibus onerent, tollerentq.

Germani muneribus allecti

CVm *d* enim Iulius Cæsar Germanos non potuisset subigere, eosdē ad se muneribus & pecunia allexit, eosdem in bello secum habuit, quorum fortitudine uicit Galliam ac Pompeium: ut Suetonius & Appianus testantur ei. Otthob. lib. 2. cap. 48. Chronicorum, Sic & Tyberius Maroboduum Germanorum regē ad se allexit.

Phaleræ.

e Phaleræ, id est, militaria ornamenta & æquorum quoq.

Pecunia omnes uincit.

SVprà *f* dixit, pecuniam probāt ueterem ac diu notam serratos bigatosq. Argentum quoq magis quā aurum sequūtur. Iam in Germania & ferme ubiq terrarum nihil sine pecunia efficies. Nummi enim bellorum sunt nerui ac fomites, rerumq gerendarū effectrices. Nulla urbs tam firma, neq arx usq adeò munita, quā non pecunia expugnes. Nullus tam seuerus iudex, etiamsi Areopagita sit, quem non pecunia corrumpas: & (ut paucis dicā) pecuniarum gratia fiunt omnia: huic cuncta obtemperant. Hinc non immerito exclamat Henricus Bebelius, poeta germanus: Proch deorum atq hominum fidem. O dolendam atq execrandam Germanorū auaritiam, quos esse inuictos ab hostibus, res ipsa atq multorum authorum testimonia declarant, hos ipsa pecunia uincit.

NVllas *g* Germanorum populis urbes habitari satis notum est, ne pati quidem inter se iunctas sedes. Colunt discreti ac diuersi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant, nō in nostrum morē connexis & cohærentibus ædificijs: suam quisq domum spacio circundat, siue aduersus ignis remedium, siue inscitia ædificandi.

Germania caruit urbibus.

A Principio *a* nō fuerunt in Germania urbes, aut oppida muro cincta (erat enim inculta & horrida regio) sed sua cuiq, & separata domus, & spatio distans ab aliorum ædificijs, ne uicino incendio conflagraret: Sed quod uerisimilius uidetur, ędificandi imperitia. Seneca quoq in libro de gubernatione mūdi refert, nulla eis fuisse domicilia, nullasq sedes, nisi quas lassitudo in diem posuisset. Similiter Cæsar in 6. comment. Ciuitatib. maxima laus est, quā latissime circum se uastatis finibus solitudines habere, hoc proprium uirtutis existimant, expulsos agris finitimos cedere. Deinceps ad fontium ripas domos suas, & pagos collocauerunt, commodissimum rati, si aquæ suppeteret copia. Eligebant etiam camporum planities, montium iuga, & ut commodius ædificarent, ad uicina nemora ædes extruxerunt.

Aedificiorū ratio.

NE *a* cæmentorum quidem apud illos, aut tegularum usus: materia ad omnia utuntur informi, & citra speciem aut delectationē. Quędam loca diligentius illinunt terra, ita pura & splendente, ut picturam ac liniamenta colorum imitentur. Solent & subterraneos *b* specus aperire, eosq multo insuper fimo onerant, suffugium hyemi, & receptaculum frugibus: quia rigorem frigorum eiusmodi locis molliunt, & si quando hostis aduenit, aperta populatur, abdita autem & defossa aut ignorantur, aut eo ipso fallunt, quod quærenda sunt.

Aedificandi mos in Germania.

Herodia-

HErodianus a lib. 7. Rarò apud Germanos è lapide lapidibus ue coctilib. aut lateribus ædificia sunt, densis etiam syluis, quorum confixis augmentatisq; lingnis quædam quasi tabernacula ædificant.

CAEmenta b dicuntur omnis rudior materia, qua ędificia consurgunt, sed pro prię lapides uulgares subduri: Inde Cæmętarij, fabri murarij qui parietes ducendo, domos ędificant. Obseruandum uerò est ipsius mundi rudimento homines feros atq; incultos, ante fruges incognitas, querna glande fructibusq;, quos passim è terra natura produxerat, uictitasse, & in speluncis habitasse, aut syluarũ tecta, incoluisse: uerùm agresti hoc uictu posito, cœperunt primũ alij tuguriola de fronde harundinibus contexere, alij luto acerato hirundinum instar extruere loca Plini. libro 7. cap. 56. (quæ Cannalis temere contecta subirent, mox industriores, ut est humanum ingenium ad noua excogitãda, uel maximè promptũ) non solum casulas, sed amplissimas domos fundatas extruere cœperunt, & ex uillis & pagis oppida formare, & muro cingere didicerunt: quæ hodie cultissima sunt, tum uallo, muro, atq; bellicis instrumentis instructissima.

Cæmenta
Cæmentarij
Veterum habitacula.
Domorũ & urbium inuentio.

VIdetur c loqui de cellis subterraneis, in quibus olim maiores nostri hyberna runt, antequam uaporariorum istorum, quæ stubæ nostris dicuntur, usus ad nos peruenerat, quę hodie tantum conseruandis frugibus, uino, potu, atq; penu deputatæ sunt, cellaria uocantur.

Cellaria.

TEgumen d omnibus b sagum c fibula: aut si desit, spina consertum. Cætera intecti totos dies iuxta focum atq; ignem agunt. Locupletissimi ueste distinguuntur, non fluitante, sicut d Sarmatæ ac e Parthi, sed singulos artus exprimente. gerunt, & f ferarum pelles proximi g ripæ negligenter, ulteriores exquisitius, ut quibus nullus per commertia cultus. Eligunt feras, & detracta uelamina spargũt maculis pellibusq; b belluarum, quas exterior Oceanus atq; ignotum mare gignit. Nec alius fœminis quã uiris habitus, nisi quod fœminę sæpius lineis amictibus uelantur, eosq; purpura uariant, partemq; uestitus superioris in manicas nõ extendunt, nudæ brachia ac lacertos, sed & proxima pars pectoris patet.

Vestitus Germanorum.
Fœminarum habitus.

DE d uestitu Germanorum nunc differit, planè germano simplici & rustica no, & minime fluitante: nec tam immoderatũ precium referente, ut hæc habent tempora, quibus effusissimus sumptus in uestes impẽditur: adeò exuit hęc natio pristinam simplicitatem, ut uideas infimos è plebe splendidissimis, atq; laxissimis incedere uestibus: Regibus maximisq; heroibus olim non indignis. Quid dicam: nihil uideas hodie, quã inanem sumptum, ac sumptuosam omniũ rerum luxuriem, moribus ueterum Germanorum imparem: quorum tegumentum fuit sagum. Pompon. Mela. lib. 3. Viri sagis uelantur, aut libris arborũ quamuis sæua hyeme nandi non patientia tantum illis, studium etiam est.

Luxus uestiũ in Germaniã

SAgum b uestis est uillo linóue grossiore texta ad militiam apta (*ein huſeck, oder filtzmantel*, priscis Germanis, *ein iacke*) inde sagulum, quod & ipsum militare indumentum breue, & ad militiam accõmodum. Cicero in Philippicis scribit: Saga sumi solere in bello, atq; tumultu. Et quando in sagis tota ciuitas erat, consulares uiri togati esse solebant.

Sagum.
Sagulum.

FIbula c uerò cingulum significat, & eius ornamẽtum, quo uestes subligamus. Vnde fibulare, cingere & diffibulare, discingere, & fibulam dissoluere.

Fibula.

Sarma-

Sarmatarũ in ueſtibus luxus.

SArmatæ *d* Scythici populi ueſtibus effuſiſsimis atq; laxiſsimis utebantur. Rhenones quoq;, hoc eſt, de pellibus ueſtes geſtabant. Luca. lib. 1. Et quite laxis imitatur Sarmata braccis.

Parthorum luxus.

PArthi *e* oriẽtales populi, Perſis finitimi, primò ueſte ſui moris utebãtur: poſtea quam autem opes acceſſere, luxuriæ materia, ut Medis, prælucida ac fluida armorũ patrius ac Scythicus mos, ſic ſcribit Iuſtinus lib. 41. & repetit Aeneas Syluius in Aſiæ deſcriptione, capite 30: de Parthis. Plini. libro ſexto, capite 25. Strabo lib. 11. & 15. Mela. in 1. Ptolem. lib. 6. cap. 5. Solinus cap. 6. Volaterran. libro 12. Geographiæ.

CAeſar *f* lib. 6. belli Gal. pellibus, aut paruis Rhenonum tegumentis utuntur magna corporis parte nuda. & Seneca lib. 1. de ira: Quid Germanis induratius ad omnem patientiam, & quibus magna ex parte, non tegumenta corporũ, non ſuffragia aduerſus perpetuum cœli rigorem: atq; hinc Cornel. libro 17 & 18. hiſtor. Auguſtæ: Cohortes Germanorum cantu truci, & more patrio nudis corporibus ſuper humeros ſcuta quatientium appellat.

Rhenus limes Romani imperij.

RIpa *g* Rheni ſcilicet, nam Rhenus ſeparauerat Gallos à Germanis, & fuit limes Romani imperij: Cæſar teſtis in comment. belli Gallici.

Pelles beluarum è Germanico æquore.

PElles *h* de quibus loquitur uariẽ atq; diuerſarum beluarum ſunt, quaſdam ætas noſtra Zobellinas, Licpartas, Luſtatias atq; Hermelinas uocat: ex Lituania, quę ad Balteum mare ſita eſt, adferuntur.

Oceanus exterior.

OCeanus *i* exterior eſt mare Germanicum, quod nullis imperatoribus nauigatum, aut claſsibus tentatum fuerat, quemadmodum etiam Strabo lib. 7. his uerbis refert. Illa plaga, quæ trans Albim, Oceanum ſpectat, nobis prorſus eſt incognita. Nullum enim priorum, ad orientem uſq; ad Caſpij maris oſtium, hanc peregiſſe nauigationem accepimus. Neq; Romani Albim ipſum tranſcenderunt, nec ulli ſimiliter iter pedeſtre ſuſcepere.

De Germanorũ matrimonijs.

Dos Germa.

QVanquam ſeuera illic *a* matrimonia, nec ullam morum partem magis laudaueris. Nam *b* propè ſolis Barbarorum ſingulis uxoribus contenti ſunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, ſed ob nobilitatem plurimis nuptijs ambiuntur. Dotem non uxor marito: ſed uxori maritus offert. Interſunt parentes, & propinqui, ac munera probant. Munera non ad delitias muliebres quæ ſita, nec quibus noua nupta comatur, ſed boues, & *d* frenatum equum & ſcutum cum framea, gladioq;. In hæc munera uxor accipitur, atq; inuicem ipſa armorum aliquid uiro affert, hoc maximum uinculum, hæc arcana ſacra, hos *e* coniugales deos arbitrantur, ne ſe mulier extra uirtutum cogitationes, extraq; *f* bellorum caſus putet, ipſis incipientis matrimonij auſpicijs admonetur, uenire ſe laborum periculorumq; ſociam, idem in pace, idem in prælio paſſuram auſuramq;: hoc iuncti boues, hoc paratus equus, hoc data arma denunciant. Sic uiuendum, ſic pereundum, accipere ſe, quæ liberis inuiolata, ac digna reddat, quæ nurus accipiant: rurſus quæ ad nepotes referãt. Ergo ſepta pudicitia agunt, nullis *g* ſpectaculorum illecebris, nullis conuiuiorum irritationibus corruptę.

Venit

VEnit a tandem ad Germanorum connubia, quę à moribus plurimũ commẽdat, & reuera insunt huic uinculo multa quæ à pietate minime absunt, Nã Deus ab initio Masculum & Fœminam condiderat Genes. 1. & 2 Fœminam in uiri adiutorium, ideoq; admonebantur nymphæ in ipsis iponsalibus, se uenire fortunæ, periculorumq; socias: Viri discrimen fore uxoris quoq;: Maritĩ prosperitatem & bona utrisq; communia, hoc est, ut sacræ habent paginę, duos coaliturosin carne una, ut iam non sint duo, id est, diuersarum partium, sed una cãrõ, eiusdem uoluntatis, fortunæ, periculi atq; laboris. *Germanorũ matrimonia cõmendãtur*

NVmidæ, *b* Mauri, Aegyptij, Indi, Hebræi, Persæ, Garamantes, Parthi, Taxili, Nasamones & Thraces, atq; penè omnes Barbari, singuli pro opibus quisque & plurimas uxores, alij denas, alij plures habebant. Scythę, Agathyrsi, Scoti Britaniæ populi, Attici promiscuas uxores, & liberos ex Platonis republica, communes habere, & more pecudum lasciuire. Massagetæ singuli unam ducebant uxorem, sed ea communiter utebantur, uti apud Britannos etiam fieri consueuit. Apud Arabes qui Fœlicem incolunt Arabiam, consuetudo erat, ut una omnibus consanguineis uxor esset. Sic sunt diuersarum gentium diuersa coniugia, authores Strabo, Solinus, Pompon. Mela, Plinius, Eusebius, Polidorus atq; alij. Germani autem inquit Tacitus, soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, nemo plures accipit, uelut aliorum Barbarorum gentes, sed quisq; unam coniugem, ad rogum eius seruat: defuncta hac licitum est alteri copulari: Pauci sunt ex nobilibus qui plurib⁹ nuptijs ambiantur: sicut de Ariouisto Germanorum rege Cæsar, in 1. meminit, quod duas habuerit uxores, Sueuam unam, alterã Noricam, ueruntamen minime Parthorum more, qui uariæ libidinis dulcedine singuli plures uxores sibi iungunt, Iustino teste libro 41. *Diuersarum gentium diuersa coniugia.* *Germani singuli singulas uxores habent.*

STrabo clib. 14. Geographicorũ arbitratur ab initio conficto nomine eos Barbaros appellatos, qui difficulter, aspere ac duriter loquerentur, ut Blesos, Balbos q; dicimus: quales sunt nationes omnes præter Græcos. Romani quoq; postea se quoq; exemerunt, quòd cultam mitioremq; reliquis nationibus linguam haberent, & Barbaros uocabant, quibus nõ esset peritia, Græci & Latini sermonis, uel crassa pronunciatio. Vnde metaphoricõs, barbarus pro fero, crasso, & indocto usurpatur: Post Christum passum, barbari censebãtur, quibus nec Græci, Latini aut Hebręi nomẽ cõcedebatur. hodie in Barbaricũ nomen abiuerũt, q; Christianã fidem non agnoscunt, aut Romano imperatori subiecti non sunt. *Barbari qui dicantur.*

EObanus *d* Hessus poeta pręcipui nominis, de dote ueterum Germanorũ sic cecinit. *Dos ueterũ Germanorũ*

Dos erat huic sonipes, duris bellator in armis,
Et pecus & tristis iugera pauca soli,
Scilicet arma etiam nostris placuisse puellis,
Testis es, at nostra clade superbe Mari.
His neq; degeneri muliebris inertia luxu,
Improba nec curæ forma uenus'ue fuit.

SIc e Romani prisci louem adultum, Iunonem, Venerem, Dianam, Thalassiũ, qui apud Græcos Hymeneus dictus, Subigum, Virginensem, Iugatiuum, Domiducum ac alia uana idola coluerunt. De qua re Augustinus lib. 6. de ciuitate dei cap. 9. *Dij nuptiarum.*

REfert enim ex Licurgi sententia Plato, quòd fœminæ se cum iuuenibus in armis exercere debent, ut bello aptæ sint, quemadmodum Amazones, atq; Scythę & Sarmaticę mulieres (Mela in 2. & 3.) fuere, quę ob id mãmas inurebant, ne armorum impedirent tractationes: Et suprà retulimus mulieres Germanorũ cum uiris in prælia egressas, ex 4. Flori cap. 12. & 1. Cęsaris. *Fœminæ armis exercitatæ.*

Spectacula

Spectacula illecebrarũ irritamẽta.

SPectacula illecebrarum esse irritamenta, ex hoc perpẽditur, quod Scipio Nasica uetuerit apud Romanos Theatra atq; Orchestras extrui, ac ne scenici pa gerentut ludi, ne corona adstantiũ malis exemplis coinquinaretur. Nam Venerem omnisq; generis mala excitat atq; fouet, Otium, Vinum & Theatrum: uelut manifestis uerbis, Ouidius Sulmonensis in 2. De amorum remedio, aperit.

Vina parant animos Veneri nisi plurima sumas,

Et Alibi.

Quæritur Aegistus quare sit factus adulter,
In promptu causſa est, desidiosus erat.
Otia si tollas periere cupidinis arcus,
Contemptæq; iacent & sine luce faces.
Hoc idem Comicus uidit: Sine Cerere & Baccho friget Venus.

Literarum inscitia apud priscos Germanos.

LIterarum secreta uiri pariter ac fœminæ ignorant.

COrnelij nostri temporibus penitiorum literarum mysteria Germanos latebant, rudia adhuc erant secla, nemo bonarũ literarũ doctus, Barbara natio diuinarũ & prophanarum literarũ, legumq; ignara, quæ res peperit nobis Germanorum ignobilitatem, & uirtutum à maioribus factarum silentium atq; oblitionem. Fuerunt enim plurimi, qui præclara & fortia facta cõmitterent, ast qui ea posteris & literis cõmendarent, nulli. At quem fugit, quanta interim facta sit, mutatio omniũ populorum, rituũq;, quod Germania, ut quæ olim literarum disciplinis erat inculta, agrestibus populis horrida, ædificiorum tenuitate ac mera rusticitate referta, nunc nulla nõ parte sit florentissimis ingenijsq; præclaris fœcundissima: quæ dona cui accepta referã, nisi Deo Opti. Max. atq; item mortaliũ industriæ, quæ diuinum illud excudendorum librorum stanneis formulis inuentum, apud Germanos nostros, excogitauit, quod Moguntiaci cœpit, post incarnationem Iesu Christi seruatoris nostri, M. CCCC. XL. Friderico tertio Romanorum, ac Germanorum imperium administrante. Vnde uiri undecunq; præstantes, tum eruditione linguarum, tum multiplici rerum noticia emersere, adeo, ut in orbe hoc terræ, huiusmodi uiros non reperias, quales habet Germania ad literas, bella, atq; item alia mortalium officia expeditissimos. Cuncta nẽpe reflo-

Germania literis culta.

Excusoria ars à Germanis inuenta.

Theologi insignes in Germania

ruerunt studia, adoleuit sacrosancta Christi philosophia, ut sincerius sint uix unquam sacræ tractatæ literę, quã hoc nostro postremo sæculo. Floret quoq; poẽtica. Nulla me hercle tempora habuerũt uates eiusmodi, quales nostra Germania. Dicere posses Hippocrenen fontem Musarum nobiscum esse, Apollinem, Musas, Gratias, Aetheoclides omnes in apricum Germanię prodijsse. nihil est apud Teuthones, domini gratia, quod possit desiderari. Sunt Hebræa aut potius sacra studia, undiq; per Germaniam: uigent & Atticisantes literæ, & consumatissimos in hijs reperies uiros, quos in media Græcia prognatos existimares, ut interim taceam Astronomos, Oratores, Philosophos, Medicos aliosq; pertranseam innumeros. Omnes Cyclopediæ disciplinę uberrimæ nunc pertractantur. habent enim ferme celebratissima quindecim publica Gymnasia nunc ipsi Germani (præter priuatas scholas singularũ urbium) in quibus uiri ex æquo sudant.

Germania cõmendata à disciplinis.

Pudeat igitur Sycophantam illum scommatis sui, quo Germanos barbariæ uocabulo notauit quum Maiores atq; ipsi nos soli resuscitauerimus sopita aliquantisper Musarum dona, ut non tam uiri quã mulieres nobiscum literas discant, uerum studiosissime amplectantur & calleant egregie: & reuera impletũ mihi persuadeo, dictum illud saluatoris nostri. Multi nouissimi erunt primi. Germani enim religione & literarum studio omnes superant.

Paucissi-

PAucissima a in tam numerosa gente adulteria, quorum pœna præsens, & maritis permissa, accisis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem uicum uerbere agit. Publicatæ enim pudicitiæ nulla uenia, non forma, nō ætate, non opibus maritū inuenit. Nemo enim illic uicia ridet, nec corrūpere, et corrūpi sæculū uocatur. Melius quidē adhuc eæ ciuitates, in quibus tantum uirgines nubunt, & cum spe uotoq; uxoris semel transigitur. Sic unum accipiunt maritum, quo modo unum corpus, unamq; uitam, nec ulla cogitatio ultra, nec longior cupiditas, ne tanquam maritum, b sed tanquam matrimonium ament. Numerum librorum c finire, aut quenquam ex agnatis necare, flagicium habetur plusq; ibi boni d mores ualent, quā alibi bonæ leges. In omni domo nudi ac sordidi, in hos artus, in hæc e corpora, quæ miramur, excrescunt. Sua quemq; mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur. Dominum ac seruum nullis educationis delicijs dignoscas, inter eadem pecora, in eadem humo degūt donec ætas separet ingenuos, uirtus agnoscat.

Castitas Germanorū

RAri a penes Germanos olim fuerunt mœchi, pauciores adulteræ, nempe in quos seuerius anima duertebatur. Hinc scribit Eobanus Hessus,

Nulla maritantes nouere cubilia mœchos,
Firma pudicitiæ lex muliebris erat.

Adulteratarum apud Germanos

Sed heu Iupiter quæ uitia hodie non suppullulant, radicesq; altius ingerunt? Quæ non hydra succrescit: Iam uirtus ipsa langueſcere cœpit. Scelera laudari, probitatem proscribi, omnia pessum ire cernimus. Remissius nunc cum adulteris agitur quàm prisca ætate. Viris concessa erat pœna in mœchas, eiectam domo uerberibusq; cæsam repudiabat maritus. Annotauit Ludouicus Cœlius libro Antiquit. 11. cap. 81. Lepreos quos deprehēderint adulterates triduo uinctos per ciuitatem ducere, mox toto uitæ tempore contemptibiles habere, quod mulieribus itidem fiebat, nisi quod hæ diebus undecim in foro stare cogūtur, discinctæ, & tunica circumuestitæ pellucida. Habes in eodem auctore de Adulterij pœna lib. 11. cap. 78. Antiquit.

Pœna adulteri.

HOc b est, non habent spem in ulterius connubium ne uideantur non tam maritos libidinis gratia amare, quàm matrimonij sanctitatem.

PRocreandis c liberis operam dare non desistunt Germani, quoad natura fatigata sua sponte cessat, Vnde Eobanus Hessus:

Mutuus in prolem commiscuit ardor habendam.
Hanc quoq; legitimam est esse petita fides.

COrnelius d omnibus truces & cerulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora, & tantum ad impetum ualida, Et Pompon. Mela. libr. 3. Qui habitant immanes sunt animis & corporibus.

Germani magna habent corpora.

DEprehendi e potest ex hoc textu, multo honestioris cōuersationis & incorruptiorum morum priscos illos Germanos extitisse, quā nostrates, qui nec legibus coherceri possunt. Valuerunt apud patres integri mores plus, quàm penes reliquas gentes multæ & heæ bonæ leges. His postremis temporib. neq; leges neq; mores ualent, adeò sunt omnia corrupta.

Candidi mores Germanorum.

Sera

Castitas Germanorum. SEra iuuenum uenus, eoq; inexhausta pubertas, nec uirgines festinãtur, eadem iuuenta, similis proceritas, pares ualidæq; miscentur, ac robora parentum liberi referunt. Sororum filijs idem apud [a] auunculũ qui ad patrem honor. Quidam sanctiorem arctioremq; hunc nexum sanguinis arbitrantur, & in accipiendis obsidibus magis exigunt, tanquã & ij animum firmius & domum latius teneant, [c] hęredes tamẽ succedunt successoresq; sui cuiq; liberi & nullum testamentũ: Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres, [d] patrui, auunculi. Quanto plus [e] propinquorũ, quo maior [f] affinium numerus, tanto gratior senectus, nec ulla [g] orbitatis pretia. Suscipere tam inimicitias seu patris seu propinqui, quàm amicitias necesse est, nec implacabiles durant.

De hæredib. instituẽdis in Germania.

Continentiæ honor apud German. TAntus pudicitiæ castitatisq; honor fuit Germanis, ut ante uigesimum annum fœminæ notitiam habuisse, in turpissimis haberent rebus, Sicut Cæsar in [6] belli Gallici scribit. Hinc ait Hessus poëta.

Nulla nisi euectæ, nisi robur firma iuuentæ
Virgo: nec imbelli nupserat ulla uiro.

Laus Germanorum à castitate. Nec cupiditatibus adeò illiti fuerunt, nec uisu commouebãtur, Quod Pogius Florentinus de Balneo Badensi scribens, ad Leonhardum Aretinum testatur. Publica duo, inquit, sunt balnea, ubi innuptæ puellæ, pueri quoq; descendunt, ubi adolescentes & fœminas uidere est omnibus nates ostentantes. Balnea uerò domorum perpolita, ubi per fenestrellas colloqui, & potare licet, sæpe fœminæ nudæ, nudo uiro obuiam ire, nulla inhonesti suspitio, masculi campestribus, fœminæ linteis, induuntur uestibus, crurum tenus à latere scissis, neq; collũ neq; brachia uel lacertos tegunt. Cernunt uiri uxores tractari, cernunt alteri colloqui, est quidem ipsis solatium, nihil hic commouentur, nihil admirantur, omnia bona mente fieri putant, neq; ex hijs zelotypus Hæc ille.

Auunculus. *Auunculum [b] fratrem matris. Auunculus autem magnus, auiæ est frater.*

De [c] Hæredibus instituendis scribunt Iuridici Baldus, Iustinianus lib. 2. titul. de hęredibus instit. & sequentibus.

Patrui. *Patrui [d] parentis germani fratres*

Propinqui. *Propinquorum [e] consanguineorum & necessariorum.*

Affinium, f uiri uxorisq; cognatorum.

Orbus. Nulla greuerentia illius qui sine liberis discedit. Orbus enim qui filijs caret, dicitur, Græce ὀρφανός, & ὀρφανία patris aut filij priuatio.

Homicidij pœna. LVitur enim etiam [a] homicidium certo armentorum numero recipitq; satisfactionem uniuersa [b] domus, utiliter in publicum, quia periculosiores sunt inimicitiæ iuxta libertatem. Conuictibus & hospitijs non alia gens effusius indulget. Quemcunq; [c] mortalium arcere tecto nefas habetur, pro fortuna quisq; apparatis epulis excipit. Cum defecere, qui modo hospes fuerat, mõstrator hospitij & comes, proximam domum non inuitati adeunt, nec interest, pari humanitate accipiuntur: Notum ignotumq; quantum ad ius hospitis, nemo discernit. Abeunti si quid poposcerit, concedere moris, & poscendi inuicem eadem

Hospitalitas Germanorũ.

dem facilitas, Gaudent muneribus, sed nec data imputant, nec acceptis obligãtur. Victus inter hospites comis. Statim è somno, quem plerumque in diem extrahunt, lauantur, sæpius calida, ut apud quos, plurimũ hyems occupat, lauti cibum capiunt, separatæ singulis sedes, & sua cuique mensa: Tum ad negotia, nec minus sæpe ad conuiuia procedunt armati.

Germani muneribus gaudent.

Taci lib. 20

Victus.

CAedes *a* mulctabantur armentis & pecoribus, quæ tum, ante auri argentiq; usum, solæ & gratissimæ fuerãt Germanorum opes. Hodie homicidæ pecunia redimunt uitam, aut capite luunt pœnam, iuxta Cæsareas sanctiones.

Homicidij mulcta.

DOmus, *b* id est familia, eius scilicet qui interemptus est, nam hęc accipit mulctam & satisfactionem pro trucidato.

GEntium *c* omnium Germani φιλοξενώτατοι, id est, hospitalissimi nulla gens peregrinis tam præsens, nemo pauperib. benignior, egenis dexterior, laborantibus ac prorsus ualetudine quacumque conflictantibus propitior, omnibus misericors. Hinc Iulius Cæsar lib. 6. Germani hospitem uiolare phas non putãt, qui quaqua de causa ad eos uenerunt, ab iniuria prohibent, sanctos habent: ijsq; omnium domus patent, uictusq; communicatur. & Mela lib. 3. Tantum hospitibus boni mitesq; supplicibus.

Germani hospitales.

LOngissime *d* durat hyems in Germania, quòd frigidissima sit regio, & ad Septentrionem posita. Calidæ regiones, ut sunt, quæ ad orientalem Oceanum uergunt, breuem adeoq; nullam habent hyemem. Suprà quoq; dixit Germanos assuetos frigori atque inediæ, cœlo soli'ue.

Hyems longa in Germa

REmansit *e* ista consuetudo maxime apud Brisacogeanos, nigræ syluæ incolas, ac Rheni accolas quosdam, ubi singulis sua fercula seorsum ad discreta apponuntur.

DIem noctemq; *a* continuare potando nulli probrum. Crebræ ut inter (uinolentos) rixæ, raro conuitijs, sæpius *b* cæde & uulneribus transiguntur. Sed de reconciliandis inuicem inimicis, & coniungendis affinitatibus, & adsciscendis principibus, de pace denique ac bello plerumq; in conuiuijs consultant, tanquam nullo magis tempore, aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat. Gens non astuta, nec callida: aperit ad hoc secreta *d* pectoris licentia iocj. Ergo detecta & nuda omnium mens postera die tractatur, & salua utriusque temporis ratio est, deliberant, dum fingere nesciunt, constituunt, dum errare non possunt.

Compotatio Germanorũ

Germanorũ simplicitas.

DIuulgata *a* est apud quosdam parœmia, nullos tantum ebrietati obnoxios, quantum Germanos, neq; unquam fuisse apud nos flagicium inebriari. Limen ueritatis transilijt commentator ille prouerbij, quisquis fuerit. Cõstat enim pristinis temporibus omne quod saltem uinum olebat, Germanis denegatũ fuisse, quod testatur Bebelius, ubi inquit,

Germani cõmẽdati à sobrietate.

Nec uinum gustauerat ægra senectus,
Tunc pudor & probitas, ius, fas, pietasq; uigebat,
Tunc maturus erat fœtus robustaq; proles.

Nam Cæsar in 4. Com. de Sueuis loquens, Germanorum sobrietatem commendat. Vinum, inquit, ad se importari non sinunt, quòd ea re ad laborem ferendum

homines, atq; effœminari arbitrentur. De nostris temporib. nũc minimè loquor: nemo enim est qui nesciat, quanto luxu ac ebrietate redũdet Teuthonica natio.

Scytheæ temulenti. SCythæ *b* quoq; & Thraces ἀκρατοπόται uocantur, id est, merobibi. Nam plerunq; conuiuia eorum sanguinolẽta sunt, & tumultuosa. Inde Episcythizare est auide & meratius bibere. Vide uberius apud Erasmum, de hoc prouerbio Chi. 2. cen. 3. prouer. 17. & Ludouicum Cœlium in libro antiquarum lectionum.

Affinitas. DE coniungendis affinitatibus, quomodo filios & filias copulent uinculo coniugali. Affines enim dicuntur uiri & uxoris cognati, & Affinitas ea cognatio, non quæ est ex sanguine parentum, sed quæ fit per copulam & coniunctionem coniugatorum: Germanis, *schwegerschafft*, uel *magschafft*. Inter pocula, de eiusmodi iũgendis affinitatibus per connubia, consultãt Germani, *wie sie die kinder &wöllen zusamen geben, vnd zusamen heyren*

Ebrietatis incõmoda QVidd enim ebrietas nõ facit? operta recludit, Spes iubet esse ratas, trahit ad prælia inermem, ut ille inquit, Vnde natum aiunt adagium. In uino ueritas, quod Erasmus copiosissime interpretatur Chili. 1. cen. 7. Prouer. 17. Germanos autem minime subdolos testatur Chonradus Celtis,

Germani minime subdoli

Et ueri iustiq; tenax, mens consona labris,
Ficta coloratæ uitat mendacia linguæ.

Et Vlrichus Huttenus, fraude autem uacant homines & insidias ignorant. Vtinam & hodie talia essent tempora: quæ nõ fraus, malitia, insidiæ, dolí, deceptiones, technæ, & mille deridendi artes supernatant? quã rara nunc fratrum Germanorũ est gratia, quã absumus à germana, hoc est, uera fraternitate & dilectione.

Potus Germanorum. POtui *a* humor ex ordeo aut frumento, in quandam similitudinem uini corruptus: proximi ripę & uinum mercantur. Cibi *b* simplices, agrestia poma, recens fera, aut lac concretum, sine apparatu, *c* sine blandimentis expellunt famem: aduersus sitim, non eadem temperantia. Si indulseris, *d* ebrietati suggerendo quantum concupiscunt, haud minus facilè uitijs, quam armis uincentur.

Osyris cereuisiam inuenit. IO. *a* Annius Viterbiensis lib. 15. super Berosum, probat ex sentẽtia Diodo. Siculi, Osyridem docuisse potum conficere ex hordeo & herbis, ubi nõ uites nascantur, quem zitum, nos cereuisiam uocamus. De quo Diodorus Siculus lib. 6.

Zitum. Vnde Plinius libro decimoquarto capite ultimo exclamat: Heu mira, inquit, uitiorum solertia, inuẽtum est, quemadmodum aqua quoq; inebriaret. Porrò eum Osyridem cum Isside ad Gambriuium Germanorum regem uenisse, cereuisiamq; coquere eum docuisse, scribit idem Viterbiensis, & repetit Conradus Peuttinger in sermonibus conuiualibus.

Victus Germanorum. IVlius *b* Cæsar lib. 6. belli Galli. Maior pars eorum uictus in lacte, caseo carneq; consistit. Et Mela. in 3. Victu ita asperi, incultiq;, ut cruda etiam carne uescantur aut recenti. Vide quæ annotauit in eundem locum, noster Vadianus.

Cruda carne uescuntur Germani. HAleces *c* salitos & incoctos edunt aliquot Germanorum gẽtes: Saxonibus lardum crudum non ingratus cibus est, nec scio an alij cruda carne uescãtur.

Sitis impatientia. SVprà *d* retulit Germanos impatientes esse sitis æstusq;, id est, nil minus posse tolerare siti. Ideoq; si sitibundis indulgeas, & obsequentem compotatorem exhibeas, crateris certando, non difficilius ebrietate, quàm armis uinces.

Geamanorũ exercitatio. GEnus spectaculorum unum atq; in omni cœtu idem. Nudi iuuenes, quibus id ludicrũ est, inter gladios se atq; infestas frameas

saltu

saltu iaciunt. Exercitatio artem parat, ars decorem, non in quæstum tamen aut mercedem, quamuis audacis [b] lasciuiæ precium est uoluptas spectantium.

MAnet [a] exercitationis huius hodie quoq; uestigium, quo iuuenes inter stri- *Ludicra Germanorum.*
ctos enses saltare conspiciuntur. Sunt enim passim per Germaniam palestræ, in quibus non operarijs diebus, Germana pubes munere gladiatorio decertat. Digladiantur adolescentes, hastis, gesis, lancis, ensibus, gladiolis: alijsq; multis armaturis. Habent & plures alias quoq; exercitationes Germani: cursu, saltatione, choreis, iaculatione, arcuũ scorpionumúe extorsione, lucta, funda, equis, multisq; alijs, quibus animosior fit iuuentus.

NOn [b] aliam existo ludicro audaciq; gladiatorum munere recipiunt mercedem, quàm quod spectatoribus theatrum ludumq; exhibent: assistentium uoluptas, precium est agonistarum.

ALeam [a] (quod mirere) sobrij inter seria exercent, tanta lucrandi perdendiue temeritate, ut cum omnia defecerunt, extremo ac nouissimo iactu de libertate ac corpore contendant, uictus uoluntariam seruitutem adit: quamuis iunior, quamuis robustior, alligari se atque [b] uenire patitur. Ea est in re praua peruicatia, ipsi fidem uocant. Seruos conditionis huius per [c] commertia tradunt, ut se quoque pudore uictoriæ exoluant. [d] Cæteris seruis, non in [e] nostrum morem descriptis, per familiam ministerijs utuntur. Suam quisque sedem, suos penates regit, frumenti modum dominus aut pecoris, aut uestis, ut [f] Colono iniungit, & seruus [g] hactenus paret. Cætera domus officia, uxor, ac liberi exequuntur. Verberare seruum ac uinculis & opere coercere, rarum. Occidere solent non disciplina & seueritate, sed impetu & ira, ut inimicum, nisi quod impune. [h] Liberti non multum suprà seruos sunt. Rarò aliquod monumentum in domo, nunquam in ciuitate, exceptis duntaxat ijs gentibus, quæ regnantur. Ibi enim & super ingenuos, & super nobiles ascendunt. Apud cæteros impares libertini, libertatis argumentum sunt.

Aleæ ludus in Germania.

Seruorum conditio.

NEmo [a] est quem fugiat: Aleam omnem dici ludũ in fortunę uarietate uersantem & collocatũ. Aliâs pro periculo & discrimine sumitur, ut iacta alea, cuius parœmię explicationẽ require in Erasmo, Chili. id est Centuria 4. Prouer. 32.

Alea.

VEnire, [b] uendere: sicut quondã mos erat seruos mercari, atq; rursus uendere: & postea manumittere, hoc est libertate donare. Nam manumissio aliud nihil est, ut inquit iurisconsultus, quam datio libertatis.

Venire.

Manumissio

IDcirco est permutant seruos ludis acquisitos pro mercibus, ipsi seruos dant, & merces recipiunt: significat enim commertiũ pręter consuetudinem & usum seu societatem, etiam mercium permutationem, quę priscis Germanis fuit maximo usui, ut superius ex Cornelio deprehendimus. Scribuntq; Aristoteles & Plin. cõmertia uictus causa fuisse reperta. Reliqs seruos Germanorũ, q bello parti sunt, & non alea, rei domesticę præficiunt, eorumq; ministerio per familiam utuntur.

Commertia.

Seruorum conditio.

CAeteris [d] non per ludum, sed per bellum acquisitis, aut in seruitute natis.

NOstrum, e id est Romanum, ubi quisque seruorum Romanorum apud eos uni soli domino seruiebat.

Colonus. COlono, *f* agricolæ, qui suum agrum colit, frugum tamẽ, partem domino dat, qua significatione etiam apud Columellam lib. 1. accipitur.

HOc est *g* seruus, alea acquisitus, non emptus, aut bello partus, eousq; paret & obedit, non ultra astringitur. Hactenus significare hucusq; notum est. Nã reliquam domus curam uxor & liberi expediunt, id quod Cornelius suprà indicauit.

Liberti. LIberti *h* dicuntur, qui ex seruitute manumissi libertatiq; sunt donati: uulgo erlassen leut, freygelassen.

Momentũ. MOmentum *i* pondus, æstimationem: sic uocamus rem nullius momenti id est, nullius ponderis atq; pretij, sed uilem, nauci.

Vsuram non agitarũt Germani. FOenus *a* agitare, & in usuras extendere ignotum: ideoq; magis seruatur, quàm si uetitum esset. Agri pro numero cultorum, ab uniuersis per uices occupantur, quos mox inter se, secundum dignationem partiuntur, facilitatem partiendi camporum spacia præstant. Arua per annos mutant & super est ager: nec enim cum ubertate & amplitudine soli laborare contendunt, ut pomaria conserant, & prata separent, & hortos rigẽt: sola terræ seges imperatur. Vnde *b* annum quoq; ipsum non in totidem digerunt species. Hyems & Ver, & Æstas intellectum & uocabula habent: Autumni perinde nomen ac bona ignorantur.

Fœnus Germanis incognitum. VSuram *a* ueteres Germani non agitarunt, minime auari, fraudulenti, ac subdoli, sed simplices, sua sorte contenti, ut pote apud quos plus boni mores ualebant, quàm alibi bonæ leges. Vide uero quantum à Germanis moribus degenerauerimus: quid quæso nunc est fœnore usitatius, cui non studium fraudandi proximum? prædandi alienum? circumueniendi uicinum? adeo omnium mentes auaritia obsedit, fraus nusquam non regnat. Nostri mercatores quibusuis uulturibus rapatiores, omnium maximi fœneratores atq; usurarij, à misera plebecula mercantur suas merces uili aliquoties precio, quas urgente necessitate duplo redimere coguntur, isti expilant omnem Germaniam, ad horum impostura conniuent principes, quia sunt, inquit Hebræus Vates, Infideles, socij furum. Imitantur hos sacrificum & religiosulorum phalanx, homines diuis addicti, & ipsis Druidibus superstitiosiores: quid multis? Harpijs omnia plena, usuris omnia patent: exactionum, frandum nullus finis. Faxit Deus, ut in pristinum statum temperantiæ, synceritatis, modestiæ, rectitudinis restituatur aliquando Germania.

Sacerdotes Symoniaci.

Annus ueterum. ANnus *b* antiquitus Germanis in tres solũmodo partes diuisus erat, in Hyemem: Ver, ac Aestatem. Autumnum omnium frugum parentem, maxime uini nescierunt: ob id nec hortos, poma, pyra, aliosq; arborũ fructus curauerunt, contenti semina agris mandasse.

Funera Germanorum. FVnerum *a* nulla ambitio. Id solum obseruatur, ut corpora clarorum uirorum certis lignis crementur. Struem *b* rogi nec uestibus nec odoribus cumulant, sua cuiq; arma, quorundam igni & equus adiicitur. Sepulchrum cespes erigit. Monumentorum arduum & perope-

rosum

rosum honorem, & grauem defunctis aspernãtur. Lamenta ac lachrymas citò dolorem, tristitiam tardè ponunt: c fœminis lugere honestum est uiris meminisse.

Circa funera consuetudo.

VIdemus a omnia deficere, nihil in hoc mortalitatis nosocomio firmum ac stabile, olim Germani corpora defunctorum absq; omni pompa efferre atq; cremare solebant: nunc ambitiosissimè cum ingenti luxuria heroum & ditiorum cadauera tumulo conduntur: lugendo, nenias atq; uigilias, ut uocant, submurmurando. Sed in paupelli iustis ac parentalibus nemo apparet, uix reperiuntur sandapilæ ac uespillones, qui paucissimis panniculis uita functum curent: adeo opulenti amantur, pauperes ne oculis intuentur. Ea nunc est charitas & fraterna dilectio penes mortales.

Cadauera cremabantur.

ROgus b lignorum strues ad cremanda cadauera. Satis enim perspicuum est, olim cadauera defunctorũ cremari solita, uelut scribunt, Tacitus lib. 21. histor. Plinius libro 7. capite 54 naturalis histor. Vergilius 4. Aeneid.

Mulierum lachrymæ

MVlierum c enim semper hoc fuit peculiare, ut lachrymas habeant in promptu, ut cum uelint præstò sit fœcundissimus lachrymarum fons, at manum uix uerteris, iam ridere rursus uidebis, tam cito eiulatum ponunt, ut quouis Euripo inconstantius sit hoc hominum genus:

HÆc in commune de omnium Germanorum origine ac moribus accepimus. Nunc singularum gentium instituta ritusque, quatenus differant, quæ d nationes è Germania in Gallias commigrarunt, expediam.

Gallia in Germania am transmigrata.

GErmani a Gallias olim inuaserunt, & sibi subijcere parabant, testes sunt Cæsar in 2. Comment. belli Gallici. Tacitus lib. 20. histor. & Eutropius lib. 6. cap. 3 rerum Romanarum In Gallias autem potissimum commigrarunt Longobardi ac Sennones Sueuorum gentes amplissimæ, pulsisq; habitatoribus Gallis, occuparunt sedes eorum, relicto illic nomine, ut nũc Galli Senones iuxta Senam urbem, & Lombardi facto nonnihil uocabulo uocentur. Eutropius lib. 7. ca. 2. Romanarum rerum author est, Augustum Cæsarem quadragentas captiuorum Chiliades ex Germania transtulisse, & suprà ripam Rheni in Gallia collocasse. Transtulerunt igitur in Gallia è Germania maiores nostri: partim submotis, partim occisis habitatoribus, quod clarissime testatur Procopius in 3. de Gothorum bello, sic inquiens: Galliarum partem suæ quondam ditionis effectam, in huius belli principio Gothi Germanis tradiderant, cum minus se posse existimarent, Romanis simul ac Germanis resistere. Id sanè factũ, non solũ nil prorsus Romani interpellarunt, sed ut Gallias sibi Germani haberent lustinia. ultro permisit. Non enim illi has tuto se possessuros rebantur, nisi & Imperator ut suæ ditionis futuras perpetuo confirmasset. Quo factum, ut eo ex tempore principes Germanorum Massiliam Phocensium quondam Coloniam, & cætera circa id mare loca tenuerint, totiusq; eius oræ maritimæ potiti imperio sint. Vnde & Arelatæ nunc residentad certaminis equestris spectaculum. Aureum nummum è nativo Galliarum metallo hi cudunt, non Romani Imperatoris, ut cæteri solẽt, imagine: sed sua impressa. Persarum siquidem Imperator, & si ad arbitrium argẽteum nommisma facit: auro tamen non illi fas est, suam ut indat effigiem, nec Barbarorum princeps alius quisquam id facere ausit, Agathius in 1. lib. de bello Gothorum astipulatur Procopio: Francorum, inquit, natio Italiæ proxima est, & terminis iuncta. Veteres tamen hos esse Germanos dixere, quod utiq; ex eo satliquet. Nam circa Rhenum hi habitant, & huic propinquas incolunt partes,

Germanis Gallia cõcessa.

Francorum natio nunc Gallia.

Maſsilia. Galliarumq; maximam poſsident partem: non propriam, ſed ui & in poſterum occupatam. Habent præterea Maſſiliam urbem, Ionum olim Coloniam. Hanc enim Phocenſes quondam per Medos ſedibus ſuis abacti incoluere, Dario Idaſpis filio rege Perſarum regnante: nunc uerò Græca ex urbe, reddita iam barbara eſt. Nam patrio illo reiecto, & priſco uiuendi modo, imperantium utitur inſtitutis. Tametſi hoc tempore uideatur non admodum priſtina dignitate defectior: nimirum cum Germani, haudquaquam ſint (ut plurimi barbarorum) paſtores, ſed Romanorum politia & aliis inſtitutis, & multis utuntur, eiſdemq; legib.

Germanorũ commendatio ex Agathio Græco. uiuunt, & cæteris item, ut in conuentibus faciendis, & nuptijs medelisq; eadem ſtatuunt. Sunt quippe omnes hi Chriſtiani & rectiſsimæ inter cæteros omnes opinionis. Habent præterea per ciuitates antiſtites, ſacerdotesq;: Feſtos inſuper haud ſecus ac ipſi nos, peragunt dies. Et ſanè hi mihi, etſi cętera barbari, moribus tamen uidẽtur cũ optimis præditi, & maximum in modum ciuiles nec quicquam habere, quod à nobis hos faciat alienos, præter ueſtitus barbariem & uocis innatæ ſonum linguæq;. Quos equidem cum ob eorum uirtutes, tum ob in cæteros æquitatem, inter ſeq; concordiam, mirum in modum admiratione ac laudib. proſequor & magnifacio. Huc accedit etiam diui Hieronymi authoritas, qui ſcribens Gerontiæ uiduæ, Epiſtola 26. parte 3. tractatu 7. ſic ait: Remorum urbs præpotens, Ambiani, Atrebatæ, extremiq; hominum Morini, Tornacum, Nemetæ,

Belgæ à Germanis orti. Argentoratum translatę in Germaniam. Poſtremò pleroſq; Belgas eſſe ortos à Germanis, Rhenumq; antiquitus traductos, propter loci fertilitatem ibi conſediſſe, Gallosq;, qui ea loca incolerent, expuliſſe. Iulius Cæſar libro ſecundo belli Gallici, & Antonius Sabellicus libro quinto Aeneadis ſextæ affirmant.

Galli Germanis ſuperiores. VAlidiores *a* olim Gallorum res fuiſſe ſummus authorum diuus Iulius tradit, eoq; credibile eſt, etiam Gallos in Germaniam trãſgreſſos. Quantulum *b* enim amnis obſtabat, quo minus, quæque gens ualuerat, occuparet *c* permutaretq; ſedes promiſcuas: adhuc & nulla regnorum potentia diuerſas.

VErba *a* Iulij Cæſaris ſunt in ſexto Commenta. belli Gallici. Ac fuit antea tẽpus, cum Germanos Galli uirtute ſuperarent, & ultro bella inferent, ac propter hominum multitudinem, agriq; inopiam trans Rhenum colonias mitterẽt. Idem Cęſar in bello Gallico ſcribit: Galliam olim tam potentem amplamq; fuiſſe, ut uno rege contineri non poſſit. Porrò de commendatione Iulij Cæſaris ac

Iulius Cæſar cõmendatur commentariorum eius require Ciceronem in libro, de profecto oratore. Suetonium in uita eius capitibus 55. & 56. Quintilianum in lib. inſtitutionum Oratoriarum. Non poſſum autem præterire eiuſdem Cæſaris uerba, ad Germanorũ laudem ſeruientia, quę ex percunctatione Romanorũ uocibusq; Gallorum ac mercatorum audierat, qui ingenti magnitudi ne corporum Germanos, incredibili

Germanorũ laus. uirtute atq; exercitatione in armis eſſe p ædicabant, ſępenumero ſeſe cum his congreſſos, ne uultum quidem atque aciem oculorum dicebant ferre potuiſſe, tantus ſubito timor omnem exercitum occupauit, ut non mediocriter omnium mentes, animosq; perturbaret: Cæſar in 1. belli Gallici.

Rhenus Galliam à Germania diſterminat. PArum *b* obſtabat & impediebat Rhenus amnis, qui Galliam à Germanis ſeparat. Iulio in primo commenta. & Cornelio Tacito in principio huius, quo minus Galli in Germaniam prædandi cauſſa irrumperent: aut rurſus Germani Galliam inuaderent, fortiores plerunque præualebant, quod fortes non modo fortuna adiuuat, ut eſt in ueteri prouerbio, ſed multo magis ratio, ut inquit Cicero ſecundo Tuſcu. quæſtio.

Nulla

NVlla enim regio est, præsertim Germaniæ, quę ueteres suos colonos habeat, atq; antiquas sedes immotas & inconcussas teneat. Sic gens gẽti, nationi natio immixta est, mutata omnia, plures populi desierũt, alij nominis uestigiũ relinquentes, alio sunt translati. Si Iulius Cæsar (cui alioqui Germania erat cognita) ex orco in lucem rediret: nihil reuera in hac Germania cognosceret. *Mutatio gentium.*

IGitur inter [a] Hercyniam syluam, Rhenumq; & [b] Mœni amnes [c] Heluetij: ulteriora Boij, Gallica utraque gens, tenuere. Manet adhuc Boemi nomen, significatq; loci ueterem memoriam, quamuis mutatis cultoribus.

HErcyniam [a] syluam Germaniæ uastissimam, Græcis & Latinis memoratam scriptoribus, à pice quam patria lingua Hartz uocamus, dixere: quidam à Græco ὄρος, quod Latine circuitum septumq; significat, dictam contendunt, quòd hæc sylua Germaniam ipsam fere totam sepiat, & instar ualli circumdet: in Galliæ finibus ab Arduena sylua initium sumens, per Germaniam ac Sarmatiam in ultimum Europę angulum, & in ipsos cœli uertices sempiternis tugis concreatisq; mundo roboribus, se propagat, diuersaq; sibi nomina conscisit. Nam à Friburgo Brisacogeæ oppido, ubi incipit Nigra sylua, siue Bacenis dicitur (*der ehwraẽwald oder Hartz wald*) ab Heydelberga & Nechari fluminis ripa, ad Mœnum susq; Othonis sylua (*der Otthen wald*) ab incolis uocatur: Inter Herbipolim & Babẽbergam, Ardua sylua, (*Steygerwald*). Prope Confluentiam urbem sylua Occidentalis (*der westerwald*) appellatur, ex altera Mœni ripa, ubi Francofordia & Asciburgium urbes mõtesq; è regione Moguntinę urbis, ab abundantia picis, Germanice Speysshartz, hoc est picearia sylua nominatur. Hæc etiam diuersimode à populis quos adit, uocitatur. A Duringis, Duringica sylua, à Boemis sylua Boemica: apud Saxones, Harto (*auff dem hartz*) nuncupatur. De hac scribunt, Plin. libro 4. cap. 14. & lib. 16. cap. 3. Mela lib. 3. Strabo in 4. & 7. Cæsar in 5. commen. Velleius historię Rom. Volumine secundo. Dionysius de situ orbis, Solinus cap. 32. omnium tamen elegantissime Conradus Celtis, libello de Germania & in descriptione urbis Norimbergæ. Volaterranus libro septimo Geogra. *Hercyniæ syluæ descriptio.* *Bacenis Othenis sylua.* *Ardua sylua Occidentalis Picearia.* *Duringica Boemica.* *Harto.*

MOenus [b] Germaniæ flumen (Moganum quidam uocant, alij Mogum, nõnulli Monagũ, reliqui Mosgũ, uel Mogasum) oritur ex pinifero (Fychtelberg) monte orientalis Francię: Vnde Celtis in secundo Amorum, Elegia 10. *Mœnus. Moganus. Mogus. Monagus Pinifer mons.*

Francia Germano mihi stirps & origo Poetæ,
Hercyniæ medio cincta beata sinu.
Quam Mœnus mediam perlambit uitifer oram,
Cuius quadrifluo nascitur unda iugo,
Pinifer is cuius de uertice flumina quatuor,
Quatuor in partes orbis amœna cadunt:
Mœnus ad occasum Francorum fertur ad oras,
Sala sed Arctois perditur Albis aquis.
Egra sed Eoi petit ardua regna Boemi,
Sed Nabus histrinis insinuatur aquis.

Mœnus igitur præterfluens Franciam, deinde Francofordiam, aliasq; plures urbes iuxta Moguntiam Rheno immiscetur, Meminit huius Plinius libro nono capite decimoquinto. Mela libro tertio. Vadianus in eundem.

HEluetij [c] Gallię Narbonensis fuerunt populi, inter Rhodanum & Rhenum siti, iuxta Cæsarem in primo Comment. belli Gallici, & Tacitum lib. 17. histor. Florum 3. cap. 4. Gestorum Romã. Hij Rheno transgresso regiones incoluerunt, quę hodie Palatino Comiti, Marchioni Badensi, & Episcopo Spyrensi parent. *Heluetij.*

rent. Hinc Vadianus circa tertium Pompon. Melæ. Heluetiorum uetustorũ trãctũ hodie habitant è Germanis illuc profecti, nec mihi de hoc dubitandum uidẽtur, cũ linguę cõmertio intimis Germanis respõdẽte, tum maxime, quod morũ, & uirtutum, quibus olim Sueuos usos Cæsar scribit, insignia apud eos ornamẽta adhuc durant, immo custodiuntur: Gens martia, potens, libertatis alumna, strenua, humana, ac hospitalis. Mantuanus: Contemptores animæ. Erasmus Chil. 1. centu. 6. prou. 14. Gentem bello natam appellat, olim literas minime secuta, nũc Pallada Marti iunxit, habet enim ingenia præclarissima, uiros ex asse doctissimos, Heinricum Glareanum, & Ioachimum, Vadianum uiros iuxtà splendentes, ut dubites, quis altero in Poetica historiarumq; cognitione pręstet, uterq; fu-

Suiceri. is scriptis Heluetiam celebrauit. Heluetij ueterum reliquię, nunc Suiceri aut Suitenses, à Suitia eorũ pago appellantur: Confœderati quoq; uulgo (*Die Eidgnossen*) dicti. De illis uide apud Cæsarem in primo, Plinium lib. 4. cap. 17. Strab. libro 4. Cor. Tacitum lib. 17. histor. Augustæ, Orosium lib. 6. cap. 7. Volater. li. 7. Geographiæ, Conradum Peuttinger in sermonibus conuiualibus, Bebelium in Epitomate laudum Sueuorum, & alibi Iacobum Vuimphelingium.

Boij. *Boiohemum*

BOij, *b* ut Tacito uidetur, Galli Celtæ olim fuerunt, haud longe ab Insubribus, iuxta Strabonẽ lib. 5. Geographię: qui à Cæsare uicti Gallia excedentes Herciniæ syluæ incinctos incoluerunt campos: quæ regio ab illis Boiohem, quasi Boiorum patria dicta, hodie Bohemia, ex qua pulsi postea, Quadis & Marcomannis sedes reliquerunt, post quos Dalmatarum quidam Sclaui appellati, & Sarmatæ, qui Poloni hodie dicuntur, ingressi, & à quibus etiam num occupatur,

Bohemia. seruato nomine prisco à Boijs Galliæ, Bohemia uocatur. Boij uero apud Istrum uagantes, in Noricum agrum, nunc Bauarorum, irruperunt, oppugnantes atq; expellentes, ut aiunt, Noricos, ibi consederunt: & cœperũt dici Boioarij, uel Bauari. Quidam nunc Boios Tirolenses, hodie uolunt esse (*Die Etschlender*) Nonnulli autem Bauaros ab Auaribus Hunnis dictos contendunt, qui Noricis expulsis in ea terra consedere (Constat enim Hunnos duce Attila, totam ferme Europam

Bauari. uastasse) & pro Auaribus nominatos Bauaros, addita litera, B. de hac re copiosius forsan disseret Ioannes Auentinus, antiquitatum inuestigator diligentissimus in suis Boiorum annalibus, quorum ędition em expectamus auidissime. De illis etiam multa Appianus Alexandrinus lib. 7. qui Celticus inscribitur. Aeneas Syluius in Europa ca. 40. Volaterranus lib. 7. Plures non omnimo indocti, Bo-

Boij semper Germani. ios semper Germanos fuisse affirmant, cumq; Gallis Sẽnonibus, origine Sueuis Roma per uim potitos, quibus ego calculum facile adijcio, quod Germani sint indigenæ magisq; extraneos uicerint, quàm sint ipsi uicti.

SEd utrum *a* Aranisci in Pannoniam ab *b* Osis Germanorum natione, an Osi ab Aranisc is in Germaniam commigrauerint, cum eodem adhuc *c* sermone, institutis, moribus utantur, incertum est, quia pari olim inopia ac libertate eadem *d* utriusq; ripæ bona malaq; erant.

Aranisci. ARanisci *a* Ptolemęo lib. 2. cap. 16. fuerunt inferiores Pannoniæ gentes quorũ sedes Hungari occupant nostris temporibus.

Osi. OSi *b* uero Germaniæ populi, eam incoluerunt partem, quæ est Moraulæ uicina, uersus Sleſiam & Poloniam, ubi sunt Oppel & Neussa urbes. Nã Corne. Tacitus infra refert illos Marcomanorum Quadorumq; terga clausisse: Sunt qui unam fuisse gentem asserunt Osos & Aranisc os. Osos, inquit Tacitus, Pannonica lingua coarguit non esse Germanos, quãquam uideã hic utroscq; Germaniæ accensert. Sed mittamus ista curiosiorib. Erasmus Stella autumat Misnensiũ

oram

oram (ostland) & urbem Ositium oschin, ab Osis appellatam. Taciti dubitationem sic ad uersus traduxit Picus Mirandula in Stauroſticho, Ostland. Ositium.

Osius Aranisco dubium deductus an illo,
Hic genus antiquum referat, adhuc sub iudice lis est.

PAnnonico c scilicet, isthoc enim utebantur Osi, uelut Cornelius inferius declarabit.

DAnubij, d qui Pannoniã à Germanis separat bona malaq; Osis & Araniscis promiscua atq; communia fuere.

TReuiri a & Neruij b circa affectationem Germaniæ originis ultro ambitiosi sunt, tanquã per hanc gloriam sanguinis, à similitudine & inertia c Gallorum separentur.

TReuiri a Belgicæ Galliæ populi, iuxta Cæsarem in 1. commenta. Neruijs, Menapijs, Ebutonibus, Rhemis, Mediomatricibus finitimi, nunc Germanis annumerantur etiam Straboni, lib. 4. qui Triuagros appellat. De quibus sic Rodolphus Agricola Burgundiæ regis gesta describens. Treueris rerum gestarum magnitudine & uetustate urbis præclara, Gallica gens, nunc Germanica. Horum urbs Treueris (Trier) uetustissima condita fertur, tempore Abrahami, ante aduentum Christi. 1947. & Roma seniorem trecentis, & mille annis affirmãt: extructam, aiunt à Trebeta Nini & Semiramis filio. Inuenti sunt ibidem sequentes uersus, quos Ottho Frisingensis sua ætate repertos tradit, Treueris Antiquã.

Nini Semiramis quæ tanto coniuge fœlix,
Plurima possedit, sed plura prioribus addit,
Non contenta suis, nec totis finibus orbis
Expulit è patria priuignum Trebeta regno,
Insignem profugus nostram qui condidit urbem.

Treuerim, hanc etiam Augustam Treberorum uocant. Vide Plinium libro quarto capite decimoseptimo, Ptolemæũ libro secundo capite nono, Strabonem libro quarto Melam libro 3. Lucan. libro 1. Ausonium, Otthonem Frisingensem libro 1. cap. 8. Sabell. 5. Enea. 6. Aeneam Syluium ad Martinum Maiet, Tacitum libro 20. Augusta Treberorũ

NEruij, b quidam codices Neruli corruptè habent, & ipsi censi fuerunt Galliæ Belgicæ populi, magnæ uirtutis & ferocitatis, Lucanus lib. 1: Neruij.

Nimiumq; rebelles.
Neruius, & cæsi pollutus sanguine Cotæ.

De illis plura Cæsar libro secundo & sexto, belli Gallici, Plinius libro quarto capite tertio, Appianus in libro qui Celticus inscribitur. Eutropius libro sexto, Strabo libro quarto Corinel. Tacitus libro decimoquinto historiarum. Volaterranus libro tertio. Hij sunt hodie Germani Tornacẽses (*die in Tornaꝛwer Biſtumb ſind*) uocantur, Menapijs, hoc est, Iuliacensibus, *den Iulchern* uicini, haud longè à Flandria. Tornacẽſes.

INertes c Galli à Cæsare etiam molles prædicantur, à Pompon. Mela superbi, & superstitiosi. Galli inertes

IPsam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt a Vãgiones b Treboci, c Nemetes, d Vbij quidẽ, * quanq; Romana e Colonia esse meruerint, ac libentius Agrippinẽses conditoris sui nomine uocentur, origine erubescunt. Transgressi olim, & experimẽto fidei super ipsam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non ut custodirentur.

Vangiones. VAngiones *a* superioris Germaniæ populi, Rheni accolæ, hodie Vuormacēses dicti, Vrbs eorum Vuormacia, sita est in territorio Germanis *Wngau* dicto, Cerere & Baccho opulentissimo, Græci paululum uariantes literas, Vangiones illos proferebant, quasi Vungaugiones. De illis Plinius libro quarto capite 17. Cæsar in primo. Ammianus Marcellinus lib. 15. & 16. Tacitus lib. 12. & 14. Hieronymus distinct. 12. Epistola 31. Picus in stauroſticho. Volaterranus lib. 7. Geographiæ.

Nemetes. SIc *b* etiam Nemetes ipsi Rheni accolæ. Germanię superioris populi, uelut à solitudine illic dicti sunt, nunc Spyrenses uocantur: De illis Cæsar in primo. Plin. lib. 4. cap. 14. Marcellinus lib. 17. Ptolemęus lib. 2. cap. 9. Hieron. distinct. 12. Epistol. 31. Volaterranus in 7.

Tribochi. ITa *c* etiam Tribochi natione Germani, Straboni in 4. nunc Argentinēses, *Strasburger*, à tribus nominatissimis quercubus (*dreybuch*) antiqua religione nymphis
Tribotes. consecratis, dicti sunt, qui, cùm Germani in Galliam erumperent, in altera Rheni ripa expulsis Gallis consedere, Tribotesq; corrupto uocabulo dicti sunt: ut Chunrado Celti uisum est. Quidam uerò à Trebeta Trebotes dictos uolunt. De hijs plura Eutropius lib. 6. Plin. in 4. cap. 17. Luca. in 1. Volaterra. lib. 7.

Vbij. Agrippina Augusta. VBij *d* primum Cisrhenani fuerunt, sed à Cęsaribus, quia Sueuis premebantur, introducti sunt ad eum locum, ubi hodie est Colonia Agrippina (*kolen*) ab Agrippina Augusta uocitata, quę ut uim suam socijs quoq; nationibus ostenderet, in oppidum Vbiorum, in quo genita erat, ueteranos coloniāq; deduci impetrat, cui nomen inditum ex uocabulo ipsius, ut scribit noster Tacitus lib. 12. hi-
Vbij. storiæ Augustę. Idem tradit lib. 20. Vbios genus Germanicæ originis eiurata pa-
Incubi. tria, Romanorum nomine se Agrippinēses uocare. Strabo lib. 4. hos Vibios nominat. Plin. lib. 4. cap. 15. Incubos. Hermolaus Barbarus ad hodiernum diem ait, uicum ibi ubium dictum (à quo forsitan dicti sunt Vbij) uideri, De illis Cęsar libro 4. Commentariorum. Aeneas Syluius in Germania, Strabo in 4. Volaterranus in septimo.

Colonia. ESt *e* enim Colonia oppidum quo noui Coloni ex urbe ad comprimendos hostium incursus, habitatum mittebantur, *ein new besetzte stadt*, Vbij indigne tulerunt se Romanorum Coloniam esse, maluerunt Agrippinenses, quā Colonienses dici. Hij se Germanorum consanguineos appellauerunt, apud Tacitum lib. 20. histor. Augustæ.

Batani. OMnium harum gentium uirtute præcipui *a* Batani, non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt: Cattorum quondā populus, & seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars Romani imperij fierent. Manet honos, & antiquæ societatis insigne: Nam nec tributis contemnuntur, nec *b* publicanus atterit, exemptiones ribus, & collationibus, & tantum in usum pręliorum sepositi uelut tela atq; arma, bellis reseruantur.

Batani. BAtani *a* inferioris Germanię populi, Cattorū pars, seditione domestica pulsi, extrema Gallicę oræ, uacua cultoribus, simulq; insulam inter uada sitā occupauere, quam mare Oceanū à fronte, Rhenus amnis tergum, ac latera circumluit. Gens tū bello ualida, ut quę Germanicis bellis esset exercitatissima, tū opibus pollens, quod Romana militia non exhauriretur, quandoquidē erat his cū imperio societas, ut uiros tantum, armaq; ministrarent, quemadmodū copiosius

prodidit

prodidit Cornel. Tacitus libro uigesimo, Plinius libro quarto capite decimo- Erasmus Ro
quinto: Silius libro secundo, Luca. in 1. Volater. libro 7. Desiderius Erasmus terodamus.
Roterodamus Chil. 4. centu. 5. pro 35. qui ex illa insula natus columen ac tuba
totius est Germaniæ. Hos hodie Hollandos (Betoiuer vnd Holanden) dictos à cauita
te aquarum uolunt, quòd horum insula sit cauernosa, & poris plena, unde sub-
tus aquea est: Hinc Chunradus Celtis.

Hollandosq; cauis habitant qui littora terris.

PVblicanus, *b* id est, Vectigalium publicorum conductor, & qui tributum col- Publicanus.
ligat, & expilet Batauos, ipsi tributa non persoluunt, liberi sunt ab Romani
Imperij aggrauationibus: tantum uiros, & arma ministrant.

Mattiaci.

EST in eodem obsequio & *a* Mattiacorũ gens. Protulit enim magni-
tudo populi Romani ultra *b* Rhenum, ultraq; ueteres terminos im
perij reuerẽtiam, ita sede finibusq;, in sua ripa, mente animoq; nobiscũ
agunt, cætera similes Batauis, nisi quod ipso adhuc terræ suæ solo, &
cælo acrius animantur.

Mattiaci.

MAttiaci *a* in Germania populi Batauis uicini, quidã hodie Selãdos dici pu-
tant, alij Holandos quoq; uolunt, quòd Martialis pilas Mattiacas, pro Sa-
pone Battauo dixerit, illo uersu,

Mattium.

Accipe Mattiacas quo tibi calua pilas.

Videtur Hermolaus Barbarus supra Plinium probare ex Ptolemæo plus 140.
stadijs à Moguntiaco, Mattiacos abesse, Mattiacorum fontium meminit Plin. li
bro 30. cap. 2. De Mattiacis Tacitus lib. 11. histor. Augustæ. Beroaldus circa Sue-
tonium in uita Caligulę, Mattium etiam Cattorum esse caput. Idem noster Cor-
nel. lib. 1. histor. scribit *Matmeldt* prisci populi uestigium.

Rhenus finis Romani im-
perij.

RHenus *b* enim terminus, & finis erat, quantum ad Germaniam spectabat Ro
mani imperij. Appianus in proemio histor. in Europa, inquit, fluuij duo Rhe
nus & Ister potissimum Romanis finem imponunt.

NOn numeramus inter Germaniæ populos quanquã trans Rhe-
num Danubiumq; consederint, eos qui decumates agros exer-
cent. Leuissimus quisq; Gallorum, & inopia audax dubiæ possessio-
nis solum occupauere. Mox limite acto promotisq; præsidijs sinus
imperij, & pars prouinciæ habentur.

FAteor me nondum uidisse ullum, uel uerbo explicantem, qui Gallorum de-
cumates agros exercuerint, uel decumates agri extiterint, Ideoq; & mihi enar
ranti Germanorum populos, minimè opus Gallorum etiam gentes explicare,
dummodo ipse Tacitus, dicat eos non connumerari Germanis, Leuissimus
quisque Gallorum inquit, & inopia audax occupauere solum incertæ possessio- Decumani
nis, ante hac nec Germanis, nec Gallis possessam: uacua ora cultoribus, leuissi- Gallici.
mos perditissimosq; è Gallia accepit colonos. Nisi idem sit decumanos, & decu
mates agros possidere. Decumani sunt in Narbonensi Gallia, Plinio & Mela
testibus, ille enim lib. 3. ca. 4. naturalis historiæ, de Narbonẽsi scribẽs Gallia: Nar-
bo, inquit, Martius decumanorũ colonia 12. milia passuũ à mari distãs: Hic in 2.

Geogra-

Decumanorum colonia Geographiæ ait, Sed anteſtat omnis Attacinorum, Decumanorumq; colonia, Vnde olim iſs terris auxilium fuit, nunc & nomen & decus eſt Martius Narbo, dicta colonia decumanorū à legionum ordine numeroq; illic à Triumuiris Caij Iulij Cæſaris cura adhibitis, deducta: eo modo quo ſecundum Græcos Romani frequentius ſunt ſoliti. Decumani ergo decimæ legionis milites: ſicut ſecundani, Sextani, ſecundæ & ſextæ, Decumanus etiam limes uocatur, iſte qui ſecat agrum ab exortu ad occaſum: autor idem Plin. lib. 18. cap. 34. & Columella.

Decumani. Secundani. Decumanus limes.

VLtra hos *a* Catti initium ſedis ab Hercynio ſaltu inchoant, nō ita effuſis, ac paluſtribus locis, ut cæteræ ciuitates, in quas Germania pateſcit, durant. Siquidem colles paulatim rareſcunt, & Cattos ſuos ſaltus Hercynius proſequitur, ſimul atq; deponit. Duriora genti corpora, ſtricti artus, minax uultus, & maior animi uigor, Multum (ut inter Germanos) rationis ac ſolertiæ præponere electos, audire præpoſitos, noſſe ordines, intelligere occaſiones, differre impetus, diſponere diem, uallare noctem, fortunam inter dubia, uirtutem inter certa numerare: quodq; rariſſimum, nec niſi ratione diſciplinæ, conceſſum, plus reponere in duce, quàm in exercitu, omne robur in pedite, quem ſuper arma ferramentis quoque, & copijs coonerant. Alios ad *b* prælium ire uideas. Cattos ad bellum, rari excurſus, & fortuita pugna, equeſtrium ſane uirium id proprium, cito parare uictoriam, cito cedere. Velocitas iuxta formidinem, cunctatio propior conſtantiæ eſt, & alijs Germanorum populis uſurpatum. Rara & priuata cuiuſque audentia apud Cattos in conſenſum uertit, ut primum adoleuerint crinem *c* barbam'que ſummittere, nec niſi hoſte cæſo, exuere uotiuum, obligatum'que uirtuti oris habitum. Super ſanguinem & ſpolia reuelant frontes, ſe'que tum demum precia naſcendi retuliſſe, dignos'que patria, ac parentibus ferunt. Ignauis & imbellibus manet ſqualor, fortiſſimus quiſque ferreum inſuper annulum, ignominioſum id genti, uelut uinculum geſtat, donec ſe cæde hoſtis abſoluat. Plurimis Cattorum hic placet habitus. Iamq; canent inſignes, & hoſtibus ſimul, ſuiſq; monſtrati, omnium penes hos initia pugnarum, hæc *d* prima ſemper acies uiſu noua. Nam ne in pace quidem uultu mitiore, manſueſcunt. Nulli domus, aut ager, aut aliqua cura, prout ad quenque uenere, aluntur, prodigi alieni, contemptores ſui, donec exanguis ſenectus tam duræ uirtuti impares faciat.

Cattorū habitus, & prudentia.

Cattorū uotiui & ſuperſtitio.

Catti. CAtti potentes ac bellicoſiſsimi Germaniæ populi, Hercynio nemori Cheruſcis, ac Hermunduris proximi fuere: de quibus Cornel. Tacitus circa finem libri decimitertij, ſic ſcribit: Eadem æſtate inter Hermunduros Cattosq;, certatum magno prælio, dum flumen gignendo ſale fœcundum & conterminū, ui tra hunt, ſuper libidine cuncta armis agendi religione inſita, eos maximè locos propinquare

pinquare cœlo, precesq; mortalium à deis nusquam propius audiri. Inde indulgentia numinũ illo in amne, illisq; syluis salem prouenire, non ut alias apud gẽtes eluuiæ maris arcescente unda, sed super arentẽ arborum struẽ fusa ex contrariis inter se elementis, igne atq; aquis cõcreta. Sed bellum Hermunduris prospe rum, Cattis exitio fuit, quia uictores diuersam aciem Marti ac Mercurio sacraue re: quo uoto, equi, uiri, cuncta uicta occidioni dantur. Et minæ quidem hostiles in ipsos uertebantur Horum sedes (quia ab Albi flumine non longe abfuerunt, ut ex Tacito lib. 2. histor. Augustę colligitur) uidentur hodie tenere Lusatij, uel Duringi, propter Hercynij saltus uicinitatem: qui Cattos quasi proprios prosequitur, simulatq; deponit. Est Cattorum mons (*Cattenhayt*) non longe à Cygneis, hoc est, Zuiccauiensibus, in quo Moldanus fluuius oritur: quem ferunt Cattorum referre nomen. Conradus Celtis poeta Germanus, Cattos pro Hassis accipit. Beatus Rhenanus etiam pro Francis: uerum ij longius ab Albi absunt, iuxta quẽ sedisse Cattos, Cornelio probauimus. Hij quia crebra agitarunt latrocinia in superiore Germania, ut ex eodem Tacito lib. 12. deprehendimus: aliquando sedes mutarunt, aut electi sunt. Vnde Irenicus suspicatur eos inhabitasse Herenbergam Sueuiæ urbem, & uiciniora loca in Vuirtenbergensi ducatu, illicq; se uestigium reperisse testatur. Cattorũ progenies in uniuersum desijt, nomenq; cum gẽte extinctum est. De Cattis lege, si uoles, Plin. in 4. cap. 14. Strabo lib. 7. Velleiũ lib. 2. Suetonium in uita Domitiani, Philippũ Beroaldum ibidem, Siliũ Italicum lib. 2. Iulium Capitolinũ in uita Antonini Cæsaris, Aelium Spartianum in Didio Iuliano, Volater. lib. 38. Paralippomenorum, & Raymundum Marlianum.

Cattorũ mõs
Catti Hessi.

BEllum *b* & prælium hoc differunt. Bellum significat totum tempus, quo in militia sumus, quam illiterati Guetram uocant: Prælium tantummodo armorũ certamen. Refert Liuius, populum Romanum nullo bello, multis uerò pręlijs conuictum esse. Hinc Cornelius aliorum notans impetum, qui nihil præuidẽt, quando Catti non nisi consulte, ad arma procedant, perinde atque diutius sit pugnandum.

Bellum.
Prælium.

PEculiare *c* enim semper Germanorũ fuit Barbam oblongam, & hispidam comam, quæ trucem aspectum reddit, hostibusq; horrorẽ incutit, nutrire. Vnde etiam Longobardorum nomen à longis barbis emersit. Cattis fuit mos submittendæ barbæ ad uictoriam usq;, cęsis hostib. abradebant barbam. Imbelles intõsi manserunt, donec se cæde hostis absoluissent, uoto atq; ignominia.

Barba Germanorum.

ID est, *d* in acie pręliorum collocantur, ut primi hostem adoriantur, id quod etiã de Sueuis Gotfridus Viterbiensis canit:

Iudicio cœli dominantur in orbe Sueui,
Nunc ubicunq; geri respublica prælia quærit
Ordine primus erit, gladio uult primus haberi,
Moreq; signiferi primus in hoste ferit.

Catti in acie prœliorum.

PRoximi Cattis certum iam alueo Rhenũ, quicq terminus esse sufficiat Vsipij ac Tencteri colunt. Tencteri super solitum bellorũ decus equestris disciplinæ arte præcellunt. Nec maior apud Cattos peditum laus, quã Tencteris equitum. Sic instituere maiores, posteri imitãtur. Hi lusus infantium, hæc iuuenum æmulatio, perseuerant senes, inter familiam, & penates, & iura successionum equi traduntur. Excipit filius, non ut cætera maximus natu, sed pro ut ferox bello & melior.

Vsipij.
Tencteri.

Vsipij

Vsipij. Vsipetes. VSipij *a* seu Vsipetes Germaniæ populi, ad Oceanum habitarunt primitus. Vnde pulsi à Sueuis, qui totum eum tractum possederant, cum Tencteris flumen Rhenum transierunt, non lōgè à mari, quo Rhenus influit, & Menapiorum, id est, Iuliacensium in Gallia Belgica occupauerunt agros. Author est Iulius Cæsar lib. 4. Comment.

Tencteri. Sueui fortes TEncteri, *b* qui & Tencateri, quondam alteram Rheni ripam coluerunt, quę ex aduerso est Vbiorum, teste Tacito lib. 2 9. histor. Augustæ 11. similiter à Sueuis electi, iuxta Menapios in Gallijs consederunt: Confessi sunt, cum Vsipetibus sese unis Sueuis concedere, quibus ne dij quidē immortales pares esse possint. Reliquum quidē in terris esse neminem, quem non superare possint, ut Cæsar lib. 4. belli Gallici affirmat. De illis Florus in 4. cap. 12. Plutarch. in Cæsare, Sabellicus lib. 5. Aeneid. 6. Volater. lib. 7. Geographiæ.

Bructeri. IVxta Tencteros *a* Bructeri olim occurrebant. Nunc *b* Chamanos, & *c* Angriuarios immigrasse narratur, pulsis *d* Bructeris ac penitus excisis uicinarum consensu nationū, seu superbiæ odio, seu prædæ dulcedine, seu fauore quodam erga nos deorum. Nam ne spectaculo quidem prælij inuidere, super lx millia, non armis telisq; Romanis, sed quod magnificētius est, oblectationi oculisq; cecidерunt. Maneat quęso, duretq; gentibus, si non amor nostri, at certè odium sui, quando urgentibus imperij fatis, nihil iam præstare fortuna maius potest, quàm hostium discordiam.

Bructeri. BRucteri *a* inter Amisiam & Luppiam amnes, Tencteris ac Tubantibus uicini fuere Tacito, lib. 1. histor. ad syluam Hercyniam, qua ad Germanicum mare porrigitur, iuxta illud Claudiani: Venit accola syluæ Bructerus Hercyniæ, latisq; paludibus exit Cymbrus. Hi forsan à Tencteris electi, in Satmatiam concesse-
Vlmigeri, Prutheni. re, ad mare Baltheum habitāt. Vistula oram præterlabitur, Vlmigeri quandoq; appellati, nunc Prussi & Pruteni dicuntur: quorum prouinciam Teutonicæ professionis fratres seu domini, ut ipsi uocant, armis acquisierunt. Pius & illustrissimus princeps Albertus Marchio Brandenburgen. nostra ætate religiosissimè hanc administrat, tenetq;. De Bructeris require Strabo. in 7. Plin. in 4. capite 17. Volateran. 7. Geographiæ. Aeneam Syluium in Europa capite 29. & 37. Cornel. Tacitum libro primo histor. Augustæ. Sidonium & Claudianum Velleium libro secundo. Huius prouinciæ antiquitates scripserunt, Erasmus, Stella, & Eobanus Hessus.

Chamanni. CHamanni *b* inferioris Germanię gentes, Bructerorum agros occuparunt, haud procul (ut coniectura licet assequi) à Brema, Saxonum urbe: quia non longè ab Albi flumine & Frisijs abfuerunt, ut ex Tacito nostro deprehēdere po-
Caminum. tuimus, libro secundo, & 13. histor. Vnde Raymundus Marlianus, eos pro Frisijs interpretatur. Beatus Rhenanus Marchiam ueterem incoluisse putat. Sunt qui eos Camino Pomeraniæ oppido, reliquisse nomen suspicentur. De illis Ammian. Marcel. lib. 7.

Angriuarij. Ansuarij. ANgriuarij *c* qui & Ansibarij seu Ansuarij in eadem regione fuit, inter Chaucos maiores, & Sueuos. non longè ab Albi, Tacito lib. 2. & 13. Ptolem. lib. 2. cap. 11. Brunsuigenses aut Saxones esse memorantur. *Die Engern*, antiqui nominis uestigium, potens Saxonum Dynastia.

Refert

REfert *d* noster Tacitus lib. 13. historiarum Augustę: Quomodo deleti sint Ansibarij, Bructeri exterriti, atq; multi alij cæsi à Romano exercitu. Idē in 1. scribit: Bructeros sua urenteis, expedita cum manu L. Stertinius missu Germanici fudit, interq; cædem & prædam reperit undeuicesimæ legionis aquilam cum Varo amissam. Ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum, quantumq; Amisiā, & Luppiam amnes inter uastatum, haud procul Teutoburgiensi saltu, in quo reliquię Vari legionumq; insepultæ dicebantur. At Tacitus hic de interna seditione, & discordia Germanorum loquitur. *Germanorū discordia.*

ANgriuarios & Chamanos à tergo *a* Dulgibini, & *b* Chasuari cludunt, aliæq; gentes haud perinde memoratę.

DVlgibinorum *a* sedes hodie Gottingenses, & Vuestualorum quidam occupare uidentur. Dulgumi appellantur à Ptolomęo libro secundo capite 11. Tabula 4. *Dulgibini. Dulgumi.*

CHasuari *b* Longobardis finitimi Duringi memorātur, horum meminit Strabo 7. Velleius Paterculus in 2. Romanę historiæ. *Chasuarij.*

AFronte *a* Frisij excipiunt. Maioribus minoribusq; Frisijs uocabulum est, ex modo uirium utræq; nationes, usq; ad Oceanum Rheno prætexuntur, ambiuntq; immēsos insuper lacus, & Romanis classibus nauigatos. Ipsum quinetiam Oceanum illac tentauimus: Et superesse adhuc *b* Herculis columnas *c* fama uulgauit, seu adijt Hercules seu quicquid ubiq; magnificum est, in claritatem eius referre consensimus, nec defuit audentia Druso *d* Germanico: sed obstitit Oceanus in se simul, atq; in Herculem inquiri. Mox nemo tentauit, sanctiusq; ac reuerentius uisum de actis deorum credere, quàm scire. Hactenus in occidentem, Germaniam nouimus. *Frisij maiores ac minores. Herculis columnæ. Drusus Germaniā adijt.*

FRisij *a* transrhenanus populus, ad Amasiam, Oceano Batauisq; finitimi, quorum clarum, inquit Cornelius lib. 4. sub finem, apud Germanos nomen: hij antiquam retinent appellationem (*die Fry, en vnd Frieß lender*) gens ferox ac libera, pecoris abundans omnis generis, fimum inopia ligni comburunt. Busacto ri quondam appellati: metropolis eorum *Gruningen*. Rudolphi Agricolæ senioris, hominis literatissimi patria, à qua etiam populi (quamuis origine Franci) ad tempus Grunes sunt dicti. De illis Plinius libro quarto capite 15. Ptolemęus libro 2. cap. 11. Tabula 4. Europę, Conradus Celtis lib. 4. amorum, Elegia 2. Abbas Spanheimēsis in Chronica Francorum, Aeneas in Europa cap. 35. Volater. lib. 7. Geogra. & plures alij. *Frisij. Busactori. Grunes.*

PLinius *b* lib. 3. in prologo. Proximi autem faucibus utrinq; impositi montes coercent claustra Abyla Aphricę, Europę Calpe, laborum Herculis metę. Quam ob caussam indigenę columnas eius dei uocant, creduntq; perfossas exclusa ante admisisse maria, & rerum naturæ mutasse faciem. Et Pompon. Mela. lib. 1. Deinde est mons præaltus ei, quem ex aduerso Hispania attollit, obiectus: Hunc Abylam, illum Calpen uocāt, columnas Herculis utrunq;. Addit fama nominis fabulam, Herculē ipsum iūctos olim perpetuo iugo diremisse colles, atq; ita *Columnæ Herculis. Abyla. Calpe.*

ita excluſum antea mole montium Oceanum, ad quę nunc inundat, admiſſum. Vide quoque Pompon. Melam libro 2. capite de Hiſpania, & libro 3. de columnis Herculis. Plin. lib. 5. cap. 1. Solinum capite 36. Ioan. Cameratem in eundem, Strabo. libro 3. Diodo. Siculum libro 5. Vadianum ſuper Melam Suetonium in uita Dictatoris, Volater. libro 2. Geographię. Ioan. Annium Viterbienſem, lib. 25 Illud obiter adijciendum, quod ſcribit Irenicus libro 2. cap. 2. Ego, inquit, duos Hercules Germaniam calcaſſe uideo. Primum, qui Gades conſtituit, & huic prior Alemanus, ac ætate maior fuerat. Illę enim Oſyridis filius, referente Beroſo, hic uerò Teutonis.

Duo Hercules.

Druſus Germanicus. Druſinæ foſſæ.

SVetonius in uita Claudij in principio. Is Druſus in quæſturæ pręturæq; honore dux Rhetici, deinde Germanici belli, Oceanũ Septentrionalem primus Romanorum ducum nauigauit, transq; Rhenum foſſas magna ui, & immenſi operis effecit, quæ nunc Druſinę uocantur. Ac poſt prætura confeſtim inito conſulatu, atq; expeditione repetita, ſupremum diem morbo obijt in æſtiuis caſtris. Liuius & Florus epitomate Liuianæ hiſtorię 140. atq; Valerius lib. 5. cap. 5. autumant, Druſum mortuum eſſe ex fractura, equo ſuper crus eius collapſo, Perijt autem inter Salam fluuium & Rhenum, ut inquit Strabo lib. 7. eius monumẽtum Moguntiæ eſſe antiquitates illic tradunt, & Chonradus libro 3. Amorum Elegia tertia.

Druſus perijt in Germania.

Seu ueterum inquiro, dum monumenta ducum,
Plura Mogunciacæ, quæ ſtant in mœnibus urbis.
Inter quæ Druſi ſtant ardua buſta Neronis,
Clara à Germanis nomina primus habens.

De illo etiam plura inferius.

Chauci nobiles.

IN ſeptentrionem ingenti flexu redit, ac primo ſtatim a Chaucorum gens, quanquam incipiat à Friſijs, ac partem littoris occupet, omnium, quas expoſui gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos uſque ſinuetur: tam immenſum terrarum ſpacium, non tenent tantum Chauci, ſed & implent. Populus inter Germanos nobiliſsimus, quiq; magnitudinem ſuam, malit iuſticia tueri, ſine cupiditate, ſine impotentia, quieti, ſecretiq;, nulla prouocant bella, nullis ꝛ raptibus, aut latrociniijs populantur. Id præcipuum uirtutis ac uirium argumentum eſt, quod ui ſuperiores agant, non per iniurias aſſequuntur. Prompta tamen omnibus arma, ac ſi res poſcat, exercitus plurimum uirorũ equorumq;, & quieſcentibus eadem fama.

Chauci. Chaici. Chauci maiores. Chauci minores.

CHauci, a qui & Chaici. populus Saxonum inter Viſurgum, & Rhenum noſtra ętate, *Stiechtgenoſen* uocantur. Horum duas gentes Ptolemęus lib. 2. capite 11. ponit: Maiores Albim fluuium ac colebant propè Angriuarios, Tacito lib. 2. 11. & 13. hiſtoriarum: Saxones iſta loca occupant, maximè qui iuxta Bremam ciuitatem habitant. Minores ad Viſurgum amnem ſiti ſunt, Friſiorum, & Vueſtualorum pars: Chaucorum cibus quondam erat lutum, potus imber: & hę gentes ſi uincantur à populo Romano, ſe ſeruire dicunt: ſcribit Plinius lib. 16. cap. 2. naturalis hiſtor. meminit horum etiam libro quarto capite decimoquinto Aelius Spartianus in uita Didij Iuliani. Cornel. Tacitus libro 11. hiſtoriarum. Strabo. lib. 7. Mantuanus ad Cęſarem. Suetonius in uita Claudij, Beroaldus. & Sabellicus in eundem.

Nullis

NVllis b raptibus aut latrocinijs populantur Chauci, sicut reliqui Germani, qui ius in uiribus adeò habuerunt, ut ne latrocinij quidem puduerit, quod Mela testatur: de hac re nonnihil suprà diximus. *Latrocinia German.*

IN latere Caucorum Cattorum'que, a Cheruſci nimiam ac marcentem diu pacem illaceſſiti nutrierunt, id'que iucundius quam tutius fuit: quia inter impotentes & ualidos falso quiescas, ubi manu agitur, modestia ac probitas nomina superioris sunt: ita, qui olim boni æquique Cheruſci, nunc inertes ac stulti uocantur. b Cattis uictoribus fortuna in sapientiam cessit. Tacti ruina Cheruscorum & Fosi contermina gens, aduersarum rerum ex æquo socij sunt, cum in secundis minores fuissent.

CHeruſci a Germaniæ populi ad Albim sedes habuere Cornelio Tacito, & Claudiano authoribus. Ille enim libro secũdo historiarum tradit, Germanicum Cęsarem ad VII. Kalen. Iunias C. Cœlio, L. Pompeio consulibus triumphasse de Cheruscis Cattisq; & Angriuarijs, quæq; aliæ nationes usque ad Albim colunt. Hic uero in Panegyrico sic cecinit: *Cheruſci.*

Et ingentes Albim liquere Cheruſci.

Ob id existimo cum alijs nonnullis, Ascanios nunc dici, qui sunt sub Dynastia principum ab *Anhalt*: facit coniecturæ locum, Cheruſca urbs (*Cerbſt*) quæ est eo loco sita ubi Moldauus Albim ingreditur: certum enim est, Cheruscos Saxoniæ partem incoluisse. Beatus Rhenanus antiquitatis lumen, eos quoque ueteris Marchiæ partem tenuisse autumat. Sunt præterea qui scribant Cheruscos eam tenuisse portiunculam Sueuiæ, circa Heylprunnium & Vuimpfen, quæ *Creychgeu* nunc dicitur, quod mutatis temporibus & ipsi sedes mutarint excedentes Saxonum finibus, illic resederint. Verum de quibus Cheruscis Tacitus hic agit, Chaucis Cattis'que fuerunt finitimi, & non ad Rhenum, Necharum, Bacenimq;, syluam ubi *Chreychgeu* sita est. De illis Plinius libro quarto, capite 14. Strabo libro septimo. Tacitus libro undecimo, historiæ Augustæ. Velleius libro secundo historiæ Romanę, Florus in quarto, capite duodecimo. *Aſcanij.* *Chreychgeu*

CAtthos b & Cheruscos æternum discordasse scribit Cornelius libro undecimo. histor. ubi lege.

FOsos c Germaniæ populos, Cheruscis finitimos, Dietmarenses esse, coniectura non parua, non procul ab Oceano agunt. *Foſi populi.*

EVndem Germanię sinum proximi Oceano a Cymbri tenent, parua nunc ciuitas, sed gloria ingens, ueteris'que famæ lata uestigia manent. Vtraque ripa castra ac spatia, quorum ambitu nunc quoque & metiaris molem, manusque gentis, & tam magni exitus fidem sexcentesimum & quadragesimum annum urbs nostra agebat, cum primum, Cymbrorum audita sunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone COSS. ex quo si ad alterum Imperatoris Traiani consulatum computemus, ducenti ferme & decem anni colliguntur, tam diu Germania uincitur. *Cymbri.* *Cymbricum bellum.*

Cymbri populi.

CYmbri *a* Germaniæ ad Septentrionalem Oceanum populi, cum terras eorum inundasset Oceanus, nouas sedes toto orbe quærebãt, exclusiq; ex Gallia & Hispania, cum in Italiam remigrarent, miserunt legatos in castra Syllani: inde ad Senatum, petentes ut Martius populus aliquid sibi terræ daret: quasi stipendium, cæterum ut uellet manibus atq; armis suis uteretur. Repulsi igitur, quod nequiuerant precibus, armis petere constituunt. Sed nec primum impetu Barbarorum Syllanus, nec secundùm Manilius, nec tertiùm Cepio sustinere potuerunt, omnes fugati, exuti castris, actum erat, nisi Marius illo sæculo contigisset: Qui Cymbros cum Teutonis apud aquas Sestias in Italia prælio oppressit. Chronica quædam, hanc conflictionem factam non longe à Salisburgo testantur: deinde iuxta flumen Athesim, qui ex Tridentinis Alpibus fluit, ubi CCCLX. milia occisa, & L. milia capta sunt. Hæc ferme ad uerbum, L. Florus libro tertio capite tertio, Romanorum gestorum. Vide plura, Iulium Cæsarem libro primo belli Gallici, Plutarchum in Mario, & capite trigesimoseptimo parabel. Appianum in Celtico, Strabonem in septimo. Valerium Max. libro quinto capite octauo. Eutropium libro quinto capite primo. Sabell. libro secundo. Enea. sexta. Eusebium in Chronicis: Græci eos Cymmericos uocant, & Cymbrica Chersonesus, Dania hodie appellatur (*Denmarck*) cui præest Rex, qui Suetiam & Noruegiam peninsulas in eodem mari obtinet, ut scribit Volaterranus. 7. Geographię. Cymbrorum sedes nunc Sxonum ultimi & alij quidam ad mare populi habitant, Daci & Dani dicuntur. Est Fimbre Balthici maris Insula, Holsatiæ opposita, quam Cymbros possedisse, & Cymbriam nuncupatam ferunt.

Cymbricum bellum.

Cymmerij Cymbrica Chersonesus.

Fimbre.

CEntum *b* & decem annis, ante Christi Iesu seruatoris nostri incarnationem, Cymbri Germani primum Italiam inuaserunt, hoc anno qui est 1529. post Christi natiuitatem, agitur M.D C.XXXIX. annus.

Germanorũ potentia.

MEdio tam longi æui spatio multa inuicem damna non *a* Samnis, non *b* Pœni, non *d* Hispaniæ *c* Galliæue, ne *e* Parthi quidem sæpius admonuere. Quippe regno *f* Arsacis acrior est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis quam cædem Crassi amisso & ipso *g* Pacoro infra Ventidium deiectus *h* Oriens obiecerit?

VIdes hic quæ fuerit Germanorum fortitudo & insignis audacia: Punicis bellis nihil fuit atrocius, Parthico bello nec quicquã acrius: Samnitico, Hispanico, Gallico pręlijs, nihil periculosius: Sed tamen ijs omnibus maximis periculis, Romano imperio multipliciter ab hostibus illatis, præfert Germanorum fortitudinem, robur & incommoda, ab gente Teuthonum accepta: tantæ uirtutis stupendæq; audaciæ fuit.

Samniti cum bellum.

SAmnites *a* Italiæ populi, inter Picenum, Campaniam & Apuliam, multa grauia bella Romanis intulere: donec ad extremum à Sylla Dictatore deleti sunt quemadmodum scribit Strabo libro quinto. Vnde Appia: Vltimi Samnites erunt qui Ionium incolunt, & magno difficilique belllo, per annos octuaginta, conflictati sunt. Florus libro primo, capite decimosexto. Samnitas quinquaginta annos per Fabios, & Papirios patres eorumq; liberos, populum Romanum subegisse ac domuisse scribit, & ita ruinas ipsas urbium diruisse, ut hodie Samnium in ipso Sannio requiratur, nec facile appareat materia quattuor & uiginti triumphorum. De Samnitico bello plura Liuius libro septimo, ab urbe condita. Et Florus epitomate decimo, & undecimo. Volater. repetit libro sexto Geographiæ, & libro trigesimooctauo. Paralip. Appiani tamen sententia ue-

tentia ueterior uidetur propter quatuor & uiginti triumphos de Samnitibus habitos.

PRimum,b secundum,& tertium Punica bella, quæ Carthaginenſes cum Romanis geſſerunt,quibus nihil terribilius,exequũtur Florus libro ſecundo, capitibus ſecũdo,ſexto,& decimoquinto,Geſtorum Romanorum,& decimoſexto,& quadrageſimooctauo Abbreuiaturę.Liuius tertia Decade ſparſim.Plutarchus in uita Fabij.Polybius libro primo & ſecundo belli Punici. Silius Italicus, Appianus in Libico.Velleius libro ſecundo,capite tertio.Oroſius libro quarto, capitibus primo,quarto,octauo, & 22.Iuſtinus libro decimooctauo,& decimonono,& alij perplures. *Punica bella*

HIſpania c quę apud Græcos Iberia, diuiditur in ulteriorem & citeriorem.Ptolemæus libro ſecundo, capite quarto, Hiſpaniam in tres regiones diuiſam ſcribit:in Beticam, Luſitaniam,& Tarraconenſem,poſteriores Romani Hiſpanias in ſex prouintias diuiſerunt, Tarraconenſem, Carthaginenſem,Luſitaniam,Callætiam,Beticam & Tingitanam.Bello igitur Punico ſecundo,Prima per Pyrenæum iugum ſigna Romana Pub. & Cn. Scipiones intulerunt. Inde uariè poſſeſſa, & ſæpe amiſſa, partibus, uniuerſa ductu Auguſti facta eſt ſtipendiaria. Vide Florum libro ſecundo, capite decimoſeptimo. Liuium libro decimooctauo,tertiæ decadis.Suetoni.in Auguſto.Silium Italicum libro decimoſexto,bello Punico.Velleium libro ſecundo.Volater.libro ſecundo Geogra.Aeneam in Europa capite 47. *Hiſpanicum bellum.* *Hiſpaniæ diuiſio.*

DE d bello Gallico Liuius in 5. Valerius libro 1. capite de omnibus. Plutarchus in Camillo & propleu.24.Plinius de uiris illuſtri.capite 23.Gellius lib. 5.capite 17. Auguſt. libro 2:capite 22.& libro 3.capite 17.ciuitatis Dei. Vegetius libro 4.capite 28.de re militari. Florus libro 1.capite 13 Geſtorum Romanorum: & 20 & 103 Abbreuiaturæ Liuianæ. Euſebius libro temporum: Sueton.in uita dictatoris titulo 22. Cæſar in Com. belli Gallici. Appianus in Celtico. Volater. libro 3.Geogra.& libro 38.Paralip.& Velleius libro 2.Gallias primum à Domicio Fabio nepote Pauli,qui Allobrogicus dictus eſt,intratas cum exercitu,magna mox clade noſtra ſæpe affectauimus & amiſimus. Sed fulgentiſſimum C. Cæſaris opus in ijs conſpicitur,quippe eius ductu auſpitijsq; infractæ,pene idẽ quod totus terrarum orbis ignauum conſerunt ſtipendium. *Gallicum bellum.*

PArthi e orientales populi potẽtiſſimi duce Orode Mithridatis fratre Marcum Craſſum imperatorem Romanum cum filio & undecim legionibus interfecerunt,ut ſcribit Florus lib.3.cap.11.& lib.4.cap.9.Suetonius in Auguſt.Appianus in Parthico.Velleius Paterculus libro 2.hiſtor.Romanę.Plutarchus in uita Craſſi.Iuſtinus lib. 41 & 42.Eutropius lib.6.cap.6.Oroſius lib.6.cap.11.Valerius lib.1.de prodigijs.Volater.lib.12 Geogra.Florus abbreuiationis Liuij 106. *Parthicum bellum.* *Orodes.* *M. Craſſius Rom. Impe.*

ARſaces f Parthorum fuit rex: à quo poſtea omnes Perſarum reges Arſacidæ dicti ſunt.Hic à Romanis deſciuit,& bellum intulit.Tacit.lib.21.hiſtorię Auguſtæ.Iuſtino lib. 41. Floro in 70.abbreuiaturæ Liuianæ. Volaterranus libro 12 Geographiæ,Aenea,in Aſia capite 30,autoribus. *Arſaces Parthorum Rex.* *Arſacidæ.*

PVblicus g Ventidius primus Romanorum Parthos ſuperauit,Pacorum Orodis regis filium trucidauit:auctore Tacito lib.21.hiſtor.Auguſtæ,& Euſebio in libro temporum.Addit Appianus Ventidius de Parthis uſq; ad noſtram ætatem ſolus triumphat,uir natione ignobilis,cũ in M.Antonij amicitiam ſeſe inſinuaſſet,illuſtrium rerum occaſiones adeptus eſt: quibus ſtrenue uſus,ſatis approbaſſe creditur, quæ de Antonio & Cæſare dicta ſunt,fœliciores per alios quã per ſe ipſos eſſe in bello duces. Vide Gellium lib.15.cap.4. Valerium lib.6.ca.10. Florum libro quarto,capite nono.Iuſtinum libro 42.Volaterranum libro duodecimo.Geographiæ. *P. Ventidius Imp.exercitus Romanorum.* *Pacorus Rex*

Parthi Oriens PArthorum *h* imperium Orientis nomine intelligit, Parthi enim ad Orientem siti, bonam orbis partem sibi uindicauerant, ij, inquit Tacitus, iactant suos triumphos, & cædem imperatoris nostri Marci Crassi obijciunt, quando & ipsi suum regem Pacorum à Ventidio Romano cęsum amiserint. Tanta Romani imperij fuit potentia, maxima fœlicitas & uictoria in hostem nihil immune, quanquā subinde grauissimas clades, rursus receperit, nihil tamen unquam periculosius Germanorum conflictu. actum fuisset de Romano imperio, nisi C. Marius contigisset illi sęculo sub Cymbrico bello, ut refert Florus in tertio, capite tertio.

Romani à Germanis cæsi. AT Germani *a* Carbone & Cassio, & Scauro Aurelio, & Seruilio Cepione, M. quoque Manlio fusis uel captis, quinque simul consularis exercitus populi Romani *b* Varum, tresq; cum eo legiones etiam *c* Cæsari abstulerunt, nec impune: C. Marius in *d* Italia, diuus Iulius in *e* Gallia *f* Drusus ac *g* Nero & *h* Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. Mox ingentes C. Cæsaris minæ in ludibrium uersę. Inde otium, donec occasione discordiæ nostræ, & *k* ciuilium armorum, expugnatis legionum *l* hybernis, etiam Gallias affectauere, ac rursus pulsi, inde proximis temporibus *m* triumphati magis quam uicti sunt.

VElleius *a* Paterculus posteriori uolumine Tacito subscribit: Effusa, inquit, immanis uis Germanorū gentium, quibus nomen Cymbris ac Teutonis erat, cum Cepionem Manliumq; COS. & antè Carbonem Syllanumq; fudissent, fugassentq; in Gallijs & exuissent exercitu, Scaurumq; Aurelium COSS. & alios celeberrimi nominis uiros trucidassent, P.R. non alium repellendis tantis hostibus, magis idoneū imperatorem quàm Marium est ratus. Lege eadem copiosius in Floro libro tertio, capite tertio Gestorum Romanorum.

Quintilius Varus à Germanis occisus. QVintilius *b* Varus Romanæ militiæ in Germania, sub Augusto Cæsare principe à maioribus nostris, duce Arminio trucidatus cum tribus legionibus, uelut copiosissime Florus explicat, cuius uerba, quia seruiūt intellectui Germanorū facinorum, subijciam. Vari Quintilij, inquit, libidinem ac superbiam haud secus quam seuitiam odisse cœperūt Germani: Ausus ille agere conuentum, & in castris se direxerat, quasi uiolentiam Barbarorum, & lictoris uirgis, & præconis uoce posset inhibere. At illi qui iam pridem rubigine oblitos ensis inertesq; cernerent equos, ut primū togas, & sæuiora armis iura uiderunt, duce Arminio arma corripiunt, cum interim tanta erat Varo pacis fiducia, ut ne prædicta quidem & prodita per Segestem unum ducum coniuratione commoueretur. Itaq; improuidum, & nihil tale metuentem improuisò adorti, cum ille (ô securitas) ad tribunal citaret, undiq; inuadunt, castra rapiunt, tres legiones opprimuntur. Varus perditas res eodem quo Cānensem diē Paulus, & fato est, & animo secutus. Nihil illa cæde per paludes perq; syluas cruentius, nihil insultatione Barbarorū intolerantius, præcipue tamen in causarum patronos, alijs oculos, alijs manus amputabant, unius os sutū, recisa prius lingua, quā in manu tenēs Barbarus, tandem, inquit, Vipera sibilare desiste. Ipsius quoq; consulis corpus, quod militum pietas humi abdiderat effossum, signa & aquilas duas adhuc, Barbari possidēt, tertiam signifer, priusquam in manus hostium ueniret, euulsit, mersaq; inter

Augustus cōsternatus. balteī sui latebras gerens in cruenta palude sic latuit. Hac clade factum ut imperium quod in littore Oceani nō steterat, in ripa Rheni fluminis staret. Hactenus Florus libro Gestorum Romanorum 4. capite 12. Hac clade Romanorum adeò consternatum Augustum scribit Suetonius in uita eius, ut per continuos mēses

barba

barba capilloq; submisso caput interdum foribus illideret uociferans. Quintili Vare redde legiones, diemque cladis quotannis mœstum habuerit atque lugubrem. Post Punica bella fuit hoc grauissimum & atrocissimum inter Romanos & Germanos. Hanc cladem apud Cheruscos editam asserit Strabo lib. 7. & Cornelius Tacitus lib. 1. historiæ Augustæ. Teutoburgensem saltum uocat, in quo Varus cum legionibus à Germanis fuit interfectus. Alij tamen ex recentioribus apud Vindelicorum Augustam, ubi adhuc uestigia apparent, commissam cædē in campo Lici (*im Lechfeld*) affirmant, cuius sententiæ sunt Ottho Frisingensis libro tertio capite quarto. Chronica Vrspergensis. Ioannes Nauclerus, & Conradus Peuttinger, Henricus Bebelius, Picus in Stauroſtycho, & Huttenus in Panegyrico,

Variana clades ubi commissa.

At tu non ijsdem fatis, non numine eodem,
Vare sapis, uiresq; tuas satis esse putasti.
Arctoam contra uirtutem & Teutona bella,
Auxilijs circumseptæ & legionibus illis.
Et posteà.
Signa canunt campoq; Lici concurritur armis, &c.

Aiunt inde turrim in publico foro urbis Augustæ, à perdita Legione uocitatam, *Perlachthurn*, de qua sunt uersus diuulgati sequentes,

Perlegium Augustæ.

Cur me Perlegiam dicant, si forte requiris,
Iam tibi responsum perbreue, siste, dabo.
Non unum uerbum est, duo sed mea nomina sunto,
Quòd perijt legio hic, Perlegiam uocitant.

De hac pugna scribit Suetonius in uita Augusti capite 23. Orosius libro sexto capite ultimo. Florus in quarto. Velleius Pater. 1. libro secundo. Volater. libro 18. Paralippomenorum. Heinricus Bebelius in Epitomate laudum Sueuorum.

Cæsari c Augusto.

APud *d* aquas Sextias fudit Cymbros Caius Marius, Floro teste, libro tertio capite tertio, quemadmodum etiam suprà relatum.

IVlius *e* exorto Gallię tumultu Ariouisti Germanorum regis primùm uires expertus est, exercitum enim duxit Ariouistus cum Germanis, in quo Marcomãni, Trebotes, Vangiones, Nemetes, Menapij, Sueuij & alij militarunt. Iulium Ariouistus affectauit, à quo uictus est, ut scribit ipse Cæsar libro primo commentorum. Florus libro tertio capite decimo. Orosius libro sexto, capite sexto & septimo & octauo. Plutarchus in uita eius. Eusebius in temporibus. Latinus Pacatus ad Theodosium. Vnde igitur ordiar nisi à tuis mea Gallia malis, quæ ex omnibus terris quas illa pestis infederat, haud iniuria uindicas tibi priuilegium miseriarũ, Nempe ea multarum cædium causſa Germanorum & Romanorum fuit.

C. Iulius contra Germanos. Ariouistus Germanorũ Rex

DRusus *f* Claudij Neronis Romani Imperatoris pater, Augusti priuignus, in Germaniam profectus, domuit Vsipetes, Tẽcteros, Cattos, Marcomãnos, inde Cheruscos. Sycãbros, Bructerosq; aggressus est, quibus superatis, per Rheni ripam quinquaginta amplius castella disposuit, præterea Hercyniam syluam in id tempus inaccessam patefecit. Hic in Germania quoque periit iuxta Bingium, oppidum inter Moguntiam & Confluentiam, ut superius dictum est. Vide Plinium libro 7. capte 20. Plinium iuniorum ad Marcum Strabonem libro septiptimo. Florum libro quarto, capite duodecimo. Claudianum, Suetonium in uita Claudij, Valerium libro quinto capite quinto. Aeneam in Europa capite trigesimosexto.

Drusus contra Germanos pugnauit.

Bingium.

Tiberius Nero cõtra German.

NEro g Tiberius frater Druſi, Dalmatas, & Pannones ſubiecit, ut Liuius & Florus libro 138. abbreuia, aiunt. Vnde Horatius libro quarto, Oda decimoquarto.

Maior Neronum mox graue prælium
Commiſit: immanesq; Rhetos
Auſpitijs pepulit ſecundis
Nilusq; & ijſter: te rapidus Tygris,
Te cæde gaudentes Sycambri,
Compoſitisq; uenerantur armis,

Vindelicos quoque Rhetos & Pannones Alpinas gentes imperio ſubdidit, Hic idem contra Germanos pugnauit, & Maroboduum Germanorum regem ſibi pecunia & fœdere deuinxit: uelut omnium copioſiſsime ſcribit Cornelius Tacitus libro ſecundo hiſtor. Vide Suetonium in uita ſua, capite nono, decimo ſeptimo & decimooctauo. Strabonem lib. ſeptimo. Ohonem Friſingen ſem lib. tertio, capite ſeptimo. At ſi ueriora legere cupis (Nam ueteres illi, Suetonius & alij τῆς κολακίας titillaminibus tacti, plurima falſo ſcripſerunt.) Vide quę de Germanis Henricus Bebelius ueriſsime ſcripſerit, nam non indoctè ille hiſtoricorum quorundam mendacia retundit.

Germanicus contra Germanos.

GErmanicus, *b* Caij Cęſaris pater, Druſi fratris Tiberij, & iunioris Antoniæ filius, Auguſtæ nepos à Tiberio patruo adoptatus, quęſturam quinquennio antequam per leges liceret, & poſt eam conſulatum ſtatim geſsit, miſſusque ad exercitum in Germaniam, exceſſu Auguſti nunciato, legiones uniuerſas imperatorem Tiberium pertinaciſſime recuſantes, & ſibi ſummam reipublicæ deferentes, incertum, pietate an conſtantia maiore compeſcuit, atq; hoſte mox deuicto, triumphauit. De hoc Cor. Tacitus lib. 1. hiſtor. Suetonius in uita Caligulę, Volater. lib. 23. Antropologię, Otho Friſingenſis lib. 3 cap. 10. Porro Germanici nomen Druſus etiam tulit. Hinc Florus lib. 4 Druſo quod nunquam alteri Senatus cognomen ex prouintia dedit. Traiano quoq;, ut inquit Plinius panegyriſta, cum Germaniæ præſideret, Germanici nomen ex urbe miſſum fuit. Domitanus & ipſum Germanici cognomentum uſurpauit. Vnde Martia.

Germanici cognomentum qui tulerint.

Nobilius tribuit domito Germania Rheno,

Vitellius quoq; uini plenus, referente Plutarcho, ad milites acceſſit, & ſic Germanicus dictus eſt.

Caligula cõtra Sueuos.

CAius *i* Caligula, teſte Eutropio libro 7. Bellum contra Germanos mouit, ingreſſusq; Sueuiam nihil ſtrenue egit, imo timidiſſime fugit, & adeò conſtertus eſt animo, ut fugam tranſmarinam cogitaret & pararet. Et Sueto. in uita eius cap. 51. dicit, Aduerſus Barbaros quoq; minaciſſimus, quum trans Rhenum intra anguſtias, depreſſumq; agmen iter Eſſedo faceret, dicente quodam non mediocrem fore conſternationem, ſicunde hoſtis appareat, equum illico conſcendit, ac properè uerſus ad pontes, ut eos Calonibus & impedimentis ſtipatos reperit, impatiens moræ, per manus & ſuper capita hominum translatus eſt, mox etiam audita rebellione Germaniæ, fugam, & ſubſidia fugę, claſſes apparabat. Aut ſi mauis, Caium Iulium intellige, qui aliquoties interminatus Germanis, nihil laudabile effecit, imo ultra quattuordecim dies apud Germanos non manſit, ſed timide per Rheni pontem, quem ipſe ſtruxerat, fugit, Suenos metuens.

Bella ciuilia.

INnuit *k* Bella ciuilia, & quæ fuerunt inter Cæſarem atque Pompeium, de quibus ſcribit Cæſar in Commen. belli ciuilis, Plutarchus in Cæſare & Pompeio. Appianus libro ſecundo bellor. ciuilium: Lucanus in Pharſaliæ libris. Florus libro quarto.

Hyberna.

Hybernacula,

HYberna *l* loca, in quibus milites hyberno tempore commorantur. Hybernacula uocamus ipſa tentoria.

Hinc

HInc m Florus lib. 4. cap. 12. Germaniam utinam uincere tanti non putasset Augustus, magis turpiter amissa est, quã gloriose acquisita: unde uerissime dicit Corne. Germanos magis triumphatos quàm uictos: hoc est, de illis triũphos, & quidem falsos esse actos, nunquam uere uictos. *Sueuorum amplitudo*

NVnc de Sueuis dicendum est, quorum non una, ut Cattorũ, Tenctorum'ue gens, maiorem enim Germaniæ partem obtinent, propr̃js adhuc nationibus nominibusq; discreti, quanquam in commune Sueui uocentur. Insigne gentis, obliquare crinem nodoq; substringere. Sic Sueui à cæteris Germanis, sic Sueuorum ingenui à seruis separantur, sic in alijs gentibus, seu cognatione aliqua Sueuorum, seu (quod sæpe accidit) imitatione rarum & intra iuuentæ spacium: apud Sueuos usque ad canitiem horrentem capillum retro sequuntur, ac sæpe in ipso solo uertice religant. Principes & ornatiorem habent. Ea cura formæ sed innoxiæ. Neq; enim, ut ament amentur'ue, in altitudinem quendam & terrorem adituri bella compti, ut hostium oculis ornantur.

Sueui a Germaniæ populi uetustissimi, amplissimiq; antiquitus ad Germanicum aut Baltheum æquor porrecti, mari imposuerunt nomen, quod infrà Tacitus Sueuicum appellat. Rursus ad Carpathum montem, Sueuum priscis appellatum, fines suos collocauerant, ei regioni finitimi, quæ nostra ætate Hungaria dicitur. Ad Rhenum quoque extensi Straboni in septimo & Ptolemæo libro secundo capite undecimo, haud procul à Colonia Vbiorum, totam fermè Germaniam oppleuerunt, maiorem eius partem obtinentes, uelut inquit Tacitus: quorum extensionem Baptista Mantuanus ad Cæsarem scribens expressit: Amplissima cerne Regna Sueuorum, quos Vistula claudit & ingens Oceanus, uada Danubij confinia gentis, Tot complexa sinu in mensa excurrentia longe. Hij à Sueuo Gambriuij filio primo gentis rege sumpsere appellationem, uelut non longe ab initio nostrorum scholiorum retulimus: Ideinde urbibus, montibus, fluuijs pluribus imposuerunt uocabula, quę etiam nunc retinent multa loca. Hij potentissimũ ab initio habuerunt regnũ, inuictis militib. nobile. Ideoq; uocat Iulius Cæsar dictator, Sueuorum gentem longe maximam ac bellicosissimã Germanorum omniũ, in quarto commenta. belli Gallici. Plutarch. prestantissimos Germanorum. Seneca in Medea, nobiles appellat. Florus libro quarto capite duodecimo, ualidissimam gentem, Orosius in sexto, capite nono, maximam ferocissimam'que, & alibi fortissimam, Sabellicus libro sexto Enea. sexta. Germanorum omnium bellicosissimos. Baptista Mantuanus trucium gentium appellationem indidit. Vlricus Huttenus eques Francus, magnanimam gentem, & pro libertate mire pugnacem: & eorum clarissimam semper fuisse famam asserit in dialogis. Reges quos habuit, præ alijs celebres sunt, Sueuus, primus gentis conditor: Ariouistus, Maroboduus, Vannius, Sydo, Summoarius, Andeca, Emericus, Remismundus, Masdrugo, & alij plures à ueteribus celebrati, plura de Sueuorum regibus habet noster Tacitus in historia Augusta. Plinius quoque libro secundo capite 95. ac Pompon. Mela in tertio testantur, Sueuiam olim fuisse regnum: nam quosdam Indos Q. Metello Celeri Galliarum proconsuli, donq; datos à Sueuorum rege, ex Cornelio Nepote referunt. Longo deinceps reuoluto tempore Sueuorum reges excisi, Sueuiam ducatum reliquerunt, desitis *Sueui.* *Sueuiæ latitudo.* *Sueuus Rex.* *Sueuia potẽs aliquãdo regnum.* *Sueuorum reges.* *Sueuia ducatus.*

ducibus, ad eum ſtatum relata eſt, ut non uni dynaſtæ pareat noſtra ætate: ſed in plurimas ſciſſa ſit dynaſtias: pars Rom. ac Germa. Imperatori, pars ciuitatibus imperialibus, alia quibuſdam principibus nunc ſubdita eſt. Sueui è ſuis ſedibus antiquis translati, in alium locum, mutata fermè omnia. Sueuorum ueteſtorum tractum noſtra ætate poſſident, Polonorum quidam, Pomerani, Luſatij, & bona pars Boemorum, Saxones, Miſſnenſes, Duringi, Haſſones, & Franci.

Sueuiam ueterem, qui Germanorũ hodie colant

Semnones Sueuorum antiquiſſimi.

VEtuſtiſſimos ſe nobiliſſimoſq; Sueuorum [a] Sẽnones memorant. Fides antiquitatis religione firmatur. Stato tempore in ſyluam augurijs patrum, & priſca [b] formidine ſacram, omnis eiuſdem ſanguinis populi legationibus coeunt, cæſoq; publicè [c] homine celebrant. Barbari ritus horrenda primordia. Eſt & alia luco reuerentia. Nemo niſi uinculo ligatus ingreditur, ut minor, & poteſtatem numinis præ ſe ferens, ſi fortè prolapſus eſt, attolli & inſurgere haud licitum, per humum euoluuntur, eoq; ue omnis ſuperſtitio reſpicit, tanquam inde initia gentis, ibi regnator omnium Deus, cætera ſubiecta atque parentia. Adijcit authoritatem fortuna Semnonum: centum [e] pagis habitantur, magnoq; corpore efficitur, ut ſe Sueuorum caput credant.

Semnonum religio.

Semnones Sueuorum populi. Seſta urbs à Sueuis cõdita.

EXplicat [a] ſingulas Sueuorum gentes, quarum antiquitus plurimæ fuerunt, ut Oroſius libro primo capite ſecundo refert. Semnones autem Sueuos fuiſſe etiam Strabo libro ſeptimo. Ptolemæus libro ſecundo capite undecimo, & Tacitus libro ſecundo hiſtoriarum teſtãtur. Poſt Albim uerſus ortum ad Sueuum fluuium habitabant: hij è Germania in Galliam ueniẽtes, Senam urbem condiderunt. Vnde Gotfridius Viterbienſis, Condit apud Gallos Senenſem, Brennus & urbem. En igitur Sennones, qui quondam agmina Romæ uicerunt. De illis Strabo in quarto & quinto. Plinius libro quarto capite decimoſexto. Plutarchus in Camillo, qui hos primitus ad Oceanum conſediſſe ait, Oroſius, Euſebius, & Franciſcus Irenicus libro ſexto German. Exegeſeos: Eorum ſedes Luſatios (*Leuſſnitzer*) hodie incolere dicunt, uel eos, qui iuxta Dorganum ad Albim habitant, uſq; ad Sueuum amnem, quem corrupto uocabulo. Spreuum, *die Sphre*, accolæ uocãt Horũ fines Albis præterlabitur. Velleio Paterculo, in ſecundo teſte, qui inquit: A Rheno uſq; ad flumen Albim, qui Semnonum, Hermunduroruq; fines præterfluit, Romanus cum ſignis productus exercitus.

Sueuus Luſatij fluuius.

Formido.

FOrmidine, [b] religione, diximus enim ſuprà apud Germanos priſca ſuperſtitione ſyluas, uel maximè ſacras fuiſſe ſuis diuulis.

Germani ſanguine litabãt

SIc [c] Mercurius apud Germanos humano ſanguine placabatur, quemadmodum antea, ex Lucano atq; alijs indicatum eſt. Huius tamen cruentæ ſuperſtitionis ueſtigium, hodie nullum ſupereſt. Chriſtus Ieſus nũc per Germaniam colitur, cui ſacra perſoluere phas eſt.

SEmnones [d] ſacra facturi in Lucum Iſidi, uel alio gentilitio numini ſacrum coeunt: quaſi è nemore ſuam habeant originem, uel per humum prouoluti, terram matrem agnoſcunt, è qua non tam Sueui, ſed & uniuerſum mortalium genus formatum eſt, uelut hoc diuinum oraculum teſtatur, Geneſis tertio. In ſudore uultus tui ueſceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua ſumptus es: quia puluis uel terra es, & in puluerem redibis, &c. De qua re mox plura.

Terra mater omniũ mortalium.

Sueui

SVeui, e inquit Cęsar 4. comment. belli Gallici, centum pagos habere dicũtur. Ex quibus quotannis singula millia armatorum bellandi causa ex finibus educunt. Reliqui qui domi remanserint, se atq; illos alunt, &c. Eutropius lib. 6. capite tertio, Orosius in 6. Iidorus in 9. eorũdem meminerunt. Et Gottfridus Viterbiensis: Incoluit centum primæua Sueuia pagos, Nec urbes, nec castra colẽs, sed rura uel agros. Pagus autem non tantum uillarum ac domorum rusticarum congeriem (*em dorff*) sed etiam tractum alicuius fontis aut fluuij, hoc est, regionem ad riuum sitam significat, *ein geu vnd bach*. Sicut Cæsar dictator, in primo belli Gallici, omnem ciuitatem Heluetiam, in quatuor pagos diuisam scribit: Ita etiã Sueuia habebat centum pagos, qui ad amnes, & fontium decursus siti fuerant. Nam pagus dicitur ἀπὸ τῆς πηγῆς, id est, à fonte, quòd circa fontium riuos collocarentur. Minime enim credibile est, Sueuiam latissimam Germaniæ regionem tantum centum uillas seu pagos (*dörffer*) habuisse, quando suprà Tacitus satis apertè dixerit: Nullas Germanorum populis urbes habitari satis notum est, ne pati quidem inter se iunctas sedes. Colunt discreti ac diuersi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant, non in nostrum morem, connexis & cohęrentibus ædificijs, suam quisque domum spacio circundat, siue aduersus casus ignis remedium, siue inscitia ædificandi. Nimium distabant à se inuicem uillę, cuius uestigium adhuc uides in Algea, ubi separatæ sedes rusticanorum hominum. Et quomodo ex uno uico potuissent mille homines, ad bella emitti: Ideoq; possumus pagum uere dicere tractum fluminis, sicuti Pagani, Seruio teste, Vergiliani carminis interprete dicuntur, qui ex uno fonte bibunt: *Die sich eins bachs oder wassers behelffen*. Ponebantur enim ædificia ad riuos aquarum, ut suppeteret aquę copia, ad usus necessarios. Itaq; sunt qui Sueuorum pagos in γὴ uel γία Græcam uoculam finali terminatione desinisse memorię prodiderint, nos Germanicè *Gew* pronunciamus. Multa enim Græca uocabula, adhuc usurpamus. Sicut *Rheingeu*, uel *Ringgeu*, id est, ad Rhenum pagus dicitur. *Donageu*, ad Danubium. *Mengeu*, ad Mœnum. *Ilergeu*, ad Ilerum. *Durgeu*, ad Duram. *Zabergeu*, ad Zaberam. *Mustelgeu*, ad riuum eiusdem nominis. *Amergeu*, ad Ameram. *Argeu*, ad Aram. Quorum pagorum, id est, regionum, adhuc plures sunt in Germania, alię ad riuos, alię ad mõtes declinãt, ut *Norckgeu*, *Augstgeu*, *Haylgeu*, *Algeu*, *Breysgeu*, *Ergeu*, *Chreuchgeu*, *Hegeu*, *Sungeu*, *Vuargeu*. Hos Sueuorum pagos olim fuisse non pauci arbitrantur. Scio tamen quosdam dicere, eos pagos non in *gew*, sed in *bach*, finĩsse, sicut *Erleßbach*, uicus ad riuum eiusdem nominis, *Zeunspach*, *Gengesbach*, *Schonbach*, *Steinbach*, *Weibelsbach*, *Eschenbach*, *Onolzbach*, *Burzbach*, & alia multa. Verùm istas coniecturas antiquitatum studiosis exanimandas relinquo.

Pagi quid significat.

Sueui centũ pagos posse derunt.

Pagani.

De pagis Sueuorum.

COntrà Longobardis paucitas & nobilitatis, quòd plurimis, ac ualentissimis nationibus cincti, non per obsequium, sed prælijs, & periclitando tuti sunt.

Aliàs pauca nobilitas.

LAngobardi à Sueuię populi. Cornel. lib. 2. histor. & Ptolemęo libro 2. cap. 11. Diacono in uita Mauritij authorib. Fuerant Cheruscis, Chaucis, Cattis Germanię populis ualentissimis proximi: quidam Vuestualos & Hassos eos dixerũt, alij Pannonię populum, nõnulli Slesos. Verum Ptole. lib. 2. cap. 11. Interiora, inquit, & mediterranea Sueui tenent Anglici, & magis tamen Orientales Langobardi uerò ad septentrionem usq; prętenduntur ad mediũ Albis fluuij: ij aduersus Semnones habitabãt post Albim, uersus orientẽ. Ob id quidam Misnensiũ regionem Longobardorum olim fuisse uolũt; ubi hodie Dresda: & Friburgum

Langobardi Sueuorum gentes.

urbes ſitæ ſunt. Hĳ ex Germania diſcedentes non peſsimam Italiæ portionem, pulſis qui incolebant, habitandam acceperunt. Videntur hodie Lombardi corrupto uocabulo nuncupari. De illis plura ſcribit Paulus Diaconus in rebus eorum. Velleius libro ſecundo, Robertus Gaguinus libro quarto, in Francorum geſtis. Ioan. Annius Viterbienſis libro ſecundo inſtitutione 7. Volaterr. libro ſeptimo Geographiæ. Verum Irenicus libro 9. cap. 12. Marchiones Badenſes eſſe opinatur.

Lombardi.

REudigni [a] deinde & Auiones, & [b] Anglĳ, & Varini & [d] Eudoſes, & [e] Suardones, & Nuithones, fluminibus aut ſyluis muniuntur, nec quicquam notabile in ſingulis, niſi quod in commune [f] Nerthum, id eſt, terram matrem colunt, eamq; interuenire rebus hominum, inuehi populis arbitrantur. Eſt in [g] inſula Oceani caſtrum nemus, dicatumq; in ea uehiculum ueſte contectum, attingere uni ſacerdoti conceſſum. Is adeſſe penetrali deam intelligit, Veſtamq; bubus fœminis, multa cum ueneratione proſequitur. Læti tunc dies, feſta loca quæcunque aduentu, hoſpicioq; dignatur. Non bella ineunt, non arma ſumunt, clauſum omne ferrum, pax & quies, tunc tantum nota, tunc tantum armata, donec idem ſacerdos ſatiatam conuerſatione mortaliũ deam templo reddat, mox uehiculum, & ueſtes: & ſi credere uelis, numen ipſum ſecreto lacu abluitur: [b] Sueui miniſtrant, quos ſtatim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror, ſanctaq; ignorantia, quid ſit illud, quod tantum perituri uident. Et hęc quidem pars Sueuorum in ſecretiora Germaniæ porrigitur.

Terra mater Germanorũ.
Aliàs caſtũ.
Aliàs item.
Aliàs ſerui.

Reudigni Auiones.

REudignos [a] & Auiones Sueuię populos, in ſecretiora Germaniæ porrectos, ea loca uult occupaſſe Beatus Rhenanus, quæ hodie Mechelburgenſes, & Holſatĳ, uel Pomerani poſsident.

Anglĳ. Albion. Sueui Angliam occuparunt.

ANglĳ [b] Sueuorum gentes, magis oriẽtales quàm Longobardi, inter Viſurgum & Albim à Ptolemæo locantur, relicta Germania, Britanniam inſulam, quæ olim Albion dicta, inua ſerunt, incolisq; expulſis, opes inter ſe partientes inſulam eamq; terram à ſe, aut Angela ductrice, Angliam dixere. Anglorum loca nunc Saxones occupant, de quibus plura Ptolemęus lib. 2. cap. 11. Aeneas Syluius in Europa cap. 30.

Varini. Varnenſes.

VArinos [c] uel Varnos, ſiue Varnenſes hodie Liuones dici authorum conſenſus eſt Meminit eorum Plinius in quarto, capite decimotertio. Volaterran. libro ſeptimo Geographiæ, putauit Eraſmus Stella. Varinos ea loca occupaſſe, ubi nunc Bornium, & Vurcen urbes ſitæ ſunt, iuxta amnem Vuierum in ora Miſsnenſium. Mihi magis placet Varinos reliquiſſe nomen Varnienſi urbi Epiſcopali Pruſsiæ.

Eudoſes. Libanothani.

EVdoſes [d] ſiue Eudoſĳ hodie Libanothani, hoc eſt, Miſsnenſes ſunt. Ioanni Garzoni Bononiẽſi, in libello de rebus Saxonicis, quorũ loca Lipſiaci tenẽt.

Suardones.

SVardones [e] & ipſi coniectantur Miſsniam tenuiſſe, quod ſcribit idem Ioann. Ganzon. lib. 1. de rebus Saxoniæ, Thuringię & Miſsniæ. Libonotriã, inquit, Herthanę

Herthanæ, Eudoſi, Varini, atq; Suardones tenuerunt: qui poſtea in uniuerſum Sorabi dicti fuerunt. Videtur igitur Nuithones, Hertanæ à Garzone uocari. At ſi Nertheani legitur, Thuringi erunt, quandoquidem hęc ora multis nemoribus ſit circumſepta: flumina celebriora in ea parte Germaniæ, ſunt apud Ptolemæũ in 2. Viſurgis, Albis, Sueuus, Viadus, Viſtula: In Miſnenſium & Thuringorum ora, Albis, Sala, & Moldanus. *Sorabi. Nuithones. Northanæ.*

BEatus *f* Rhenanus Seleſtadien. emunctæ naris homo, & Latinæ linguæ flos, legendum hic putat Herthum cum aſpiratione, & non Nerthum, cui facile omnes ſubſcribimus. Ab hac dea forſan dicti ſunt, Herthanę populi, de quibus iam dictum: Nam hodie etiam Germani terram (*herden*) quidam abſq; aſpiratione, *erd* & *ertreich* appellant Plato nempe in Timeo, ac Plinius in ſecundo, capite 65. Terram altricem noſtram, deorum antiquiſsimam tradit, & Iani uxor Tithea, dicta eſt Veſta, & terra, ſiue Aretia, ut Ouidius in Faſtis, Beroſus & Diodorus Siculus in quarto, teſtantur. Vide Ioan. Viterbienſem libro decimoquinto, ſuper Beroſum. Hinc Iunius Brutus terram matrem oſculatus, Primus Romanorum conſul euaſit, ut Liuius in primo, Valerius libro ſeptimo, capite tertio ſcribunt. *Herthum Ger. Dea. Terra mater Tithea. Veſta.*

PLures *g* ſunt Oceani inſulæ. Scandia, Islandia, Baltia, Thyle, Grolãdia, Dania, Sueua, quæ à Sueuis dicta eſt, ſicut Sueuicum mare: in harum una fuit, Lucus Hertho ſacer, cuius hic meminit Tacitus. *Oceani inſulæ.*

PRo *h* Sueuis, alia exemplaria Serui habent, quæ lectio magis quadrat.

PRopior (ut quo modo paulò antè Rhenum, ſic nunc Danubium ſequar) *a* Hermundurorum ciuitas fida Romanis, eoq; ſolis Germanorum, non in ripa commertium: ſed penitus, atq; in ſplendidiſſima Rhetiæ *b* prouinciæ *c* colonia paſsim, ſine cuſtode tranſeunt, & cũm cæteris gentibus arma modò caſtraq; noſtra oſtendamus, his domos, uillaſque patefecimus. non concupiſcentibus. In Hermunduris *d* Albis oritur, flumen inclytum, & notum olim, nunc tantum auditur. *Hermundurorum ciuitas. Albis flu. oritur.*

HErmunduri *a* Sueui fuerunt, ad Albim fluuium ſub Herymio iugo habitantes: hos Strabo in 7. Eumõdoros uocat: hodie Boemorum pars eam portionem (ubi olim Hermunduri) poſſidet: quidam eos Hermiones uocãt: de quibus ſuprà dictum eſt. Nonnulli Hermunduros nunc Morauos interpretantur: ſed prior opinio uerior apparet, propter Albis fluuij ortũ in Hermunduris. Meminit horum Velleius in 2. Iulius Capitolinus in uita Antonini. Eſt in Saxonibus locus Termont, quem ſuſpicantur fuiſſe Hermundurorum coloniam. *Hermunduri. Termont.*

PRouincias *b* appellitari regiones longè ab Italia acquiſitas bello, neminem fugit, à porrò uel procul uincendo dictas: ad quas regendas Romani magiſtratus mittebantur. Rhetos autem & Vindelicos ſubiecit Romano imperio Imperator Auguſtus, per priuignos ſuos Tiberium & Druſum, ante natum Chriſtũ, Anno XIIII. ita Euſebius & Hieronymus annotarunt in Chronicis, Suetonius quoq; in Auguſto, & Horatius 4. Carminum, hæc latius. *Prouincias Rhetia prouinciarum.*

POrrò *c* Rhetię prouinciæ coloniam Beatus Rhenanus, & alij non triuialiter docti, Auguſtam uindelicorũ (*Augſpurg*) interpretãtur, quod ea inferioris Rhetiæ ciuitas fuerit, uelut in principio de Rhetis annotatũ eſt, nunc Sueuię metropolis, *Rhetiæ prouinciæ Colonia.*

Augusta Vindelicorum. polis, quæ etiam num Augusta Rhetia appellatur. Et urbis portæ duę hãc inscriptionem custodiunt hodie: una, quæ à rubore nomen habet: altera, diui Francisci phano adhærens: uersus inscriptus est, ex hymno quodam, quem uulgus sacrificum, Sequentiam appellat, diuæ Aphræ cantare soliti:

Augusta Rhetia. *Christe tibi gloria, in Augusta Rhetia, urbe uerè regia.*

Hoc idem Vicentius in speculo historiali, libro 12. cap. 147. scribit. Hęc mihi à puero dulcis fuit alumna, qui prima literarum rudimenta illic didici, apud dulcissimum auunculum meum Ioannem Chyrsenerũ Gundelfingiacensem mystam uenerandæ ætatis historiarum & uetustatum cognitione nulli quantumuis erudito cedentem. De Augusta scribunt plura, Volater. libro 7. Geographię Chronica Vrspergen. Nauclerus in opere Chronicorum, Conradus Peuttinger ciuis Augustanus.

Ioan. Chyrsenerus.

Albis fluuij descriptio. ALbis *d* Germanię fluuius notissimus (*die Elb*) quem in Hermunduris oriri scribit noster Tacitus in Hercynio, ex montibus, qui Boemiam, Moraniamq; disterminant exoriens, mediam fermè prouinciam Boemorum perlabitur, ubi eam reliquit per Misnensium & Saxonum oram fertur rapidus: deinde aliquibus amnibus acceptis, quorum Sala & Moldauus præcipui, ubi Hamburgum clarum oppidum â Ioue Hammone, ut aiunt, nominatum, attigit, in Oceanum præceps egreditur. Ad hunc Sueui olim confederunt, ut Lucanus libro secundo Pharsaliæ scribit, Fundit ab extremo flauos aquilone Sueuos, Albis. Id quoque supertus ex Strabone probauimus. Vide de hoc amne Melam. libro tertio, Plin. in 4. cap. 14. Solinum capite 32. Velleium lib. 2. Florum in 4. Cornel. Tacitum lib. 1. hist. Strabo libro 1. & 7. Aeneam in historia Boemica. Volater. lib. 7. Geographiæ.

Sala. Moldanus Hamburgũ. Sueui.

Marcomannorum fortitudo. IVxta Hermunduros *a* Nariſci, ac deinde *b* Marcomanni & *c* Quadi agunt, præcipua Marcomannorum gloria uiresq;, atque ipsa etiam sedes, pulsis olim Bois uirtute parta, nec Nariſci Quadiue degenerant. Eaq; Germaniæ uelut frons est, quatenus Danubio pergitur. Marcomannis Quadisue usq; ad nostram memoriam reges, manserunt ex gẽte ipsorum nobile *d* Marobodui & *e* Tudri genus iam & externos patiuntur: Sed uis & potentia regibus ex auctoritate Romana, raro armis nostris, sæpius pecunia iuuantur.

Marobodus & Tudrus reges.

Nariſci. NAriſci *a* Germaniæ magnæ populi, Boemiæ contermini, uidentur hodie dici Germanis, *die Nordgeuer:* & eorum natio *das Norca* siue Nordgeu, quia ad Aquilonem respicit. Iulius Capitolinus in uita M. Antonini, hos Variſtas appellat.

Marcomanni Sueuorũ gentes. MArcomannos, *b* Sueuię gentes Ptolem. in secundo, capite undecimo, sub Gabreta sylua ponit, Velleius Paterculus, lib. 2. idem uidetur sentire: Nihil inquit, erat in Germania quod uinci posset, præter gentem Marcomannorum quæ Maroboduo duce, excita sedibus suis, atq; in interiora refugiens, incinctos Hercyniæ syluæ campos incolebat. Ex quibus constat Marcomannos primum circa Gabretam sylua, id est, Boëmicam quæ in Sueuis iacet, Straboni in 7. Geographicorum, habuisse sedes: ubi nunc regio quæ Morauia, *Merhenland* dicitur, sita est: & deinde, Boij, qui Bohemiam incolebant, expulsis, ea loca occupasse. Quanquam sint, qui Marcomannos eam Germaniæ portionem tenuisse scribant, quę hodie Marchia, *die Marck*, appellatur ex uocabuli Ethimologia. Marcomanni

Gabreta sylua. Morauia. Boij. Marchia.

comanni quasi *Marck manni*, id est, uiri qui Marcam siue Marchiã incolunt. Beatus Rhenanus aliam Marcomannorum interpretationem retulit. Marchiam autem uel Marcam uocant Germani districtum unius ditionis aut uillicationis, *ein March*, Inde *Veldmarck*, & Marcomannos gentes unius Marcæ, hoc est, districtus uel ditionis, & Marchionem principem Marchiæ, qui eis ius diceret, Hinc & nostrorum Marchionum apellatio, quòd principes sint, & Marchiam administrent, unde etiam tibi Illustrissimè Princeps hæreditarium nomen, quòd Marcam, id est, non minimum Germaniæ districtum & prouinciã sancte gubernes, ut sæpius optem Germaniæ, multos eiusmodi Marchiones ac principes, qui æquitate polleant, legum diuinarum sint periti, & prudenter uigilent, ut suæ Marcæ, hoc est, ditionis hominibus probè consulum sit. Laudo tuum Christianum pectus, æquitatem & iustitiam probare non desinã: precorq; Deum Opti Max. te seruet nobis diutissime in uerbi sui religione. De Marcomannis præter alios, require Strabonem in lib. 7. Florum in 4. cap. 12. Volaterr. in 7. Aeneam Syluium cap. 23. Europæ: & Vandaliam Alberti Crantzij. Andreas Alciatus in suis annotationib. in Tacitum, etiam in Heluetijs consedisse Marcomãnos Quadosq; putat. Extat enim, inquit, adhuc in eis uallis Marcomanna nomine.

Marcomanni unde dicti

Marchia unde dicta.

Marchio.

Georgius Marchio Brandenburgensis.

QVados, & Marcomannos, Hermunduros, Sarmatas, cõfines fuisse ex Iulio Capitolino in uita M. Antonini colligitur: Quadorum autem sedes ad Hercynium nemus extitisse scribit Ptolem. lib. 2. cap. 11. Vbi nunc Morau uel Slesi agunt. Eutropius lib. 6. Rerum Romanarum, Iulium Cæsarem Bibulo consule debellasse scribit, Quados Heluetiorum, & Gallię gentes iuxta Vocontios, & Salyos, unde Heluetios primum fuisse quidam putant. Ego uerò existimo Germanos origine, cum Langobardis, Sennonibus, Boijs, ac alijs Germaniæ populis Galliam ingressos, in Heluetijs consedisse aliquantisper, donec illinc pulsi, pristinas sedes repetierint. De illis lege Ammianum Marcell. in lib. 17. Sidoniũ, Hieronymum ad Geruntiam, Mantuanum ad Cæsarem, Volater. lib. 7. Geographię, Iulium Capitolinum in Antonino.

Quadi populi.

MArobodduus *d* Sueuorum, Marcomannorum rex, Tiberij Cæsaris tẽporib. floruit. Hic 12. Legionibus Cæsarem contra se meditatũ, conditionib. æquis discedere cõpulit, Hunc hisce uerbis commendat Velleius Paterc. uolumine posteriore. Marobodduus genere nobilis, corpore prævalens, animo ferox, natione magis q; ratione Barbarus, non tumultuarium neq; fortuitũ, neq; mobilẽ, & ex uoluntate parentũ constantẽ, inter suos occupauit principatum: sed certũ imperium, uimq; regiam complexus animo, statuit auocata procul à Romanis gente sua, eò progredi: ubi, cum propter potentiora arma refugisset, sua faceret potentissima. Occupatis igitur (quos prædiximus) locis, finitimos omnes, aut bello domuit, aut conditionib. iuris sui fecit. Corpus suum custodia, tũ imperiũ perpetuis exercitijs penè ad Romanæ disciplinæ formam redactũ, breui in eminens & nostro quoq; imperio timendũ perduxit fastigium: gerebatq; se ita aduersus Romanos, ut neq; bello nos lacessęret, sed tamen ostenderet, si lacesseretẽ, superesse sibi uim, ac uoluntatem resistendi. Legati quos mittebat ad Cęsares, interdũ ut supplicẽ commendabant, interdum ut pro pari loquebantur. Gentib. hominibusq;, à nobis desciscentib. erat apud eum perfugiũ, totumq; ex male dissimulato agebat æmulum exercitumq; quem LX. milium peditum quatuor equitum fecerat, assiduis aduersus finitimos bellis exercendo, maiori q; quod habebat operi præparabat. Eratq; etiã eo timẽdus, quod cũ Germaniã ad leuã, & in frõte, Pannoniam ad dextram, à tergo sediũ suarum haberet Noricos, tamq; in omnes semper uenturus, ab omnib. timebatur. Hactenus Velleius. Huius autem fortunarũ euentũ, Cor. Tacit. lib 2. histor. Augustę, his uerbis exponit: Maroboduo, undiq; deserto, non aliud subsidium quàm misericordia Cęsaris fuit, trãsgressus Danu-

Marobodui fortuna.

Danubium, quà Noricam prouinciam præterfluit, scripsit Tyberio, non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortunæ, nam multis nominibus clarissimum quondam regem ad se uocantibus, Romanam amicitiam prætulisse. Responsum à Cæsare, tutam ei honoratamq; sedem in Italia fore, si maneret, sin rebus suis aliud conduceret, abiturum fide qua uenisset. Cæterum apud Senatũ disseruit, Philippum Athenienſibus, non Pyrrhum, aut Antiochũ Populo Romano perinde metuendos fuisse. Extat oratio, qua magnitudinem uiri, uiolentiam subiectarum ei gentium, & q̃ propinquus Italiæ hostis, suaq; in destruendo eo consilia extulit, & Maroboduus, quidem Rauennæ habitus, & si quando insolescerent Sueui, quasi rediturus, quasi in regnum ostentabatur, sed non excessit Italia, per duodeuiginti annos, consenuitq; multũ imminuta claritate, ob nimiam uiuendi cupidinem. Hæc ille. Vide de eodem Strabonem in 7. Suetoniũ in uita Tyberij. Aurelium Victorem in Epitomate Cæsarum.

De Tudro Rege.

DE e Tudro Marcomannorum Quadorumq; Tyrãno nihil uspiam uidi. Cor. Tacitus multos quidem Germanorum reges in 2. 12. histor. memorat, Tudrum non recitat, Ariouistum Cheruscorum regem celebrant Cæsar & Eutropius. Teutobochum Cymbrorum, Florus in 3. cap. 3. Maroboduum etiam Suetonius in Tyberio, Vannium Quadorum regem, Cornel. in 2. Iubiliũ Hermunduroru, Vandonem, Sydonem Sueuorum idem Tacitus in 12. Semiguntum, Armenium, Tumelicum, Sesithacum, Aegimerum, atq; alios Strabo in 7. Geographiæ. Bãnascum Chaucorum, Veritum & Malorigem Aeneas Syluius cap. 69 de Germania, Ammianus Marcellinus lib. 16. & 18. plures Alemannorum reges enumerans Tudri obliuiscitur Ioannes Nauclerus uolumine 2. generationis 34. ut alibi Germanorum principes recẽsens Tudrum negligit. Quærant hunc alij, & repertum nobis quoq; indicent.

Reges Germanorum.
Ariouistus.
Teutobochus.
Maroboduus.
Vannius.
Iubillius.
Vando.
Sydon.
Armenius
Marsigni.
Gothini.
Osi.
Burij.

NEc minus ualẽt retro Marsigni[a] Gothini[b] Osi[c] Burij, terga Marcomannorum Quadorumq; claudunt, è quibus Marsigni & Burij, sermone cultuq; Sueuos referunt, Gothinos[d] Gallica, Osos Pannonica lingua coarguit, non esse Germanos, & quòd[e] tributa patiuntur, partem tributorum Sarmatæ, partem Quadi, ut alienigenis impo nunt. Gothini quò magis pudeat, & ferrum effodiunt, omnesq; hij populi pauca campestrium, cæterum & saltus, & uertices montium iugumq; insederunt, dirimit enim scinditq; [f] Sueuiam continuum montium iugum, ultra quod plurimæ gentes agunt, ex quibus latissimè patet, [g] Lygiorum nomen in plures ciuitates diffusum: ualentissimas nominasse sufficiet, [h] Arios [i] Helueconas, Manimos, Elysios, Naharuolos, apud Naharuolos antiquæ religionis [k] lucus ostenditur, præsidet sacerdos muliebri ornatu, sed deos interpretatione, Romani Castorem Pollucem'que memorant. Eius numinis nomen, Alcis, nulla simulachra, nullum peregrinæ superstitionis uestigium, ut fratres tamen, ut iuuenes uenerantur. Cæterùm Arij super uires, quibus enumeratos pauloante populos antecedunt truces insitæ [l] feritati arte, ac tempore lenocinantur, nigra scuta, tincta corpora, atras ad prelia noctes legunt, ipsaq; formidine atque umbra feralis exercitus, terrorem

Gothini ferrum fodiunt
Sueuiæ iugũ
Lygij.
Arij.
Helueconæ.
Manimi.
Elysij.
Naharuali.
Alcis dea.
Naharuolorum.
Ariorũ truculentia.

terrorem inferunt, nullo hostium sustinente nouum, ac uelut infernum aspectum. Nam primi in omnibus prælijs oculi uincuntur.

MArsignos a atq; Gothinos Sueuas gentes Marcomannis Quadisq; uicinas, à tergo ipsorum: similiter Morauiæ atq; Sleſiæ regiones incoluisse, ex hoc contextu colligitur. Ptolemæus libro secundo, capite undecimo, Marsignos uidetur Marũgos appellare: ijs, ait Tacitus lingua & cultus Sueuorum. Porrò qui fuerit olim Sueuorum sermo, nemo facilè pronunciabit. Nihil enim uspiam in litteris de Sueuico Idiomate à ueteribus relatum est: Nam suum idiotismum habuisse Tacitus ostendit, dum inquit, Marsignos & Burios Sueuico sermone habituq; usos, Gothorum, Hunorum, Sclauorumq; irruptiones, & crebrę per Germaniam excursiones, passim corrupisse dicuntur Germanismum. Aliter enim loquuntur Sueui, aliter Saxones, quanquam sit aliqua ratio loquendi communis omnibus ferme Germanis, tamen sunt singulis suæ dialecti & pronuntiādi proprietates. Vitiatam parum linguam nostram facile crediderim (quod in prolatione propriorum nominum obseruari potest, quæ uitiosissime uulgus Germanorum pronuntiat) non tamen omnino mutatam ob gentis Germanicæ uirtutem, & fortitudinem, quæ haud leuiter recipiebat aliorum mores atq; Tyrannidem: petita est aliquoties exterorum armis, sed nunquam tota uicta. Sueuicã igitur linguam eandem, & Germanicam dixeris: Maiorem enim illi Germaniæ partem possederunt, & in commune Sueui nuncupati sunt.

Marsigni & Gothini Sueuorũ populi Marungi.

Sueuicus sermo & Germanorũ idẽ.

Germanicus sermo uiciatus.

De Osis b alibi abunde scripsimus.

BVrios c Iulius Capitolinus in uita Antonini Pij, Buros uocat, de illis Ptolemæus lib. 2. cap. 11. Buri sunt, inquit, ad caput Vistulæ fluuij: quamobrẽ Poloni coniectantur, uergunt enim hæ gentes ferme omnes ad Sarmatiam.

Burij gentes Sueuorum.

EX d hoc loco, inquit Beatus Rhenanus colligi potest, etiam olim aliam Gallorum linguam fuisse, aliam Germanorum. Sed quę fuerit Gallorum non cõstat. Nam linguam, qua hodie utuntur certum est esse nouã, à Romanis qui post Iulium Cæsarem in illis prouincijs assidue uersati sunt, plurimis ubiq; deductis colonijs, dubio procul acceptam. Vnde Gallorum multi linguam suam etiã hodie Romanam uocant, *bon Romain*. Itaq; uidetur interijsse prisca Gallorum lingua. Siquidem Plinius de quibusdam Gallorum uocabulis loquens, ad antiquam Galliæ descriptionem respexisse uidetur, quam tamen iam inhabitare Germani cœperant, suum loquentes linguam, aut certè Celtarum uocabulum, quod Grecis & Germanum, & Gallum significat, Gallis uertendo tribuit, quod Germanorum erat, qui lapsus multis sane accidit, & notum est satis, Plinium & Græcorum & Latinorum commentarios exscripsisse. Nisi si quis hic per Gallicam linguam, pronunciationis modum intelligere uelit, hoc est, ipsum Gallismum, ut ita dicamus, Sed hoc foret coactius.

Gallica lingua.

Celtæ.

ALiorum e imperia haud facilè tulerunt Germani, libertatis mirum in modũ auari, quam armis uendicant, haud unquã exteris stipendiarij atq; uectigales, ideoq; uult dicere Cor. Gothinos Ososq; non esse Germanos hoc arguit, tributa aliorumq; imperia patiuntur, præter aliorum Germanorũ morem, & ea etiam Germanorum quidam, Quadi scilicet, ut alienigenis, non suæ nationis, imponunt. Gothini ferrum effodiunt, quod in Germanis rarissimum fuisse alibi declarauit: Quanquã Ptolemæus lib. 2. cap. 11. referat apud Quados mineras ferri esse, forsan respexit in hunc Taciti locum, de Gothinorum fodinis.

Germani liberæ gens.

Gothini & Osi stipendiarij.

IVgum f hoc continuum Sueuiam separãs, Hercinij nemoris iuga, Gabretam ingentẽ, ut Strabo uocat, Sueuorũ sylua Boemicosq; mõtes intelligo, quorũ

pars

Carpathus Sueuus mons. pars in Pannoniam atque Sarmatiam protẽditur, uelut Carpathus uastissimus mons, priscis Sueuus uocitatus, ad hunc enim Sueui confederunt antiquitus. De quo Berosus in 5. Apud Tuiscones regnauit Sueuus, & apud Celtas Celta, *Seuo mõs ad Cymbricum promõtoriũ* à quo, nomina illi montes habuerunt. Suspicor eundem esse montem Sueuum quem Plinius in 4. cap. 13. Seuo appellat. nam facilis error est, ut pro Sueuo Seuo, suppositum sit.

Lygij. LYgij g Sueuorum populi, iuxta Marcomannos, Hermunduros, & Pãnones confederunt, hodie Hungaris adnumerantur, Auctor Raymundus Marlianus. De illis Tacitus lib. 12. historiæ Augustæ, Picus in Staurosticho, ubi de Danubio loquitur, Lygios quoq; alluente,

Et Lygios tandem raptu tumefactus aquarum.

Arij Sueuorum gentes. ARij h Lygiorum gentes, Pœones, hoc est, Pannones, Danubij accolæ (*unger*) censentur. Dixit enim Cornelius, se explicaturum Germaniæ populos, ad Danubium respicientes.

Helueconæ. HElueconas, i Manimos, Elysios, Naharualos Lygiorum populos, eorum sedes Pomerani, aut Hungarorum quidam, tenere uidentur, ad Sarmatas
Manimi. tendunt, De illis Picus in Staurosticho,

Alluit Elysios Ariosq;, & Pœonis oram,
Et Lygios.

Elysij. Naharuali. ALibi k retulit Cornel. de Germanorum religione: Cæterum nec cohibere parietibus deos, neq; in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine celestium arbitrantur, Lucos ac nemora consecrant, deorumq; nomini-
Naharualorum superstitio. bus appellant: secretum illud, quod sola reuerentia uident, iuxta hanc superstitionem Ethnicorum. Naharuali gentes lucum Castori & Polluci consecrarunt, minime tamen Romana religione coluerunt, nec simulachra conficientes, aut thura libantes: nec quicquam eius peregrinæ superstitionis obseruantes, cultui
Castor & Pollux. atq; sacris præerat sacerdos quidam, ridiculo uestitu muliebri scilicet. Numen ipsum Alcin uocant: cuius nominis rationem, per coniecturas assequimur. Au-
Alcis numen Germanorũ lus Gellius lib. 4. cap. 11. Noctium Atticarum probat, ex Clearchi, & Dicearchi sententia, Pythagoram Philosophum, transmutatum in Alcen fœminam mere-
Alce meretrix. tricem, facie pulchram. Si peregrinum recepissent cultum, suspicarer, quia sacerdos muliebri uestitu sacra faciebat, ab hac meretrice incepisse Naharualorum superstitionem. Magis tamen arridet, Alcin Naharualorum deam appellatam à robore & præsidio. Græcis enim ἀλκὴ fortitudinem, & auxiliũ significat: & ἄλκειν subuenire & auxiliari. Dei enim proprium est, uel seruare, uel benefacere, ut
Dei est iuuare. inquit Cicero, & Plinius libro 2. cap. 7. naturalis historiæ. Ideo puto ab adiuuando hoc numen, Alcin, à Germanis nominatum. Constat enim Germanos quoddam multis Græcanicis uocabulis usos: supersunt in nostro idiomate fragmen-
Germani Græcis uocabulis utũtur. ta Græcitatem referentia. Alibi quoq; monstrauimus Græcanicas inscriptiones in Germania repertas, quę arguant quempiam è Græcia Germaniã perlustrasse, Atticumq; sermonem Teutones didicisse. Argumentis & coniecturis declarabimus in lingua Germanica supereſse plurima Græcanica uocabula: Nam quod nos uocamus, *ein thier*, id est animal, Græci uocant θήρ. Quod illi θύρας ianuam nos *ein Thůr* dicimus, retinentes aspirationem Græcorum more, Vbi illi dicunt λαλεῖν loqui, nos *Lallen* pronunciamus, ubi Greci γῆ, terra, Germani Gew, Illi πηγή, nos *bach*, id est, ripa. Illi θύριον, nos *thůrlin* hostiolum, ὑπερθύρον superius limen, *überthůr*, Illi κυσεῖν osculari, nos *kyssen*, Illi μετὰ cum, nos *mit*, ὑπὲρ super, Germani *über*. Illi ἄμας uas, nos aymar. Græci ξάκος uestis, Germani *rock*. Illi θύμος furor, nos *thym*, εὐφραίνειν Græci gaudere, *frewen* Germani, γναφεὺς uel κναφεὺς fullo,

fullo, knapp. ἀτίζειν ſpirare, athmen. ἄτμος ſpiritus, athem. Vbi Græci βέλος, id eſt ſagitta, telum, nos pfeyl. Illi βοκτός aduocatus, nos uoyth, θρόνος ſedes, thron. ἄξγος malus, arg. φάυλος, uilis uitioſus faul, ῥάπις uirga, ruth, ἔχθρος perſequutor, hoſtis publicus, durchechter. ἔχθρα inimicitię, durchechtung. στίζειν ſtridere, bullire: ſieden oder zyſchen. λυζεῖν ſoluere. auflesen, Græci λάθαξ, id eſt lacerta, Germani Edechs. λοῖσθος ultimus, der leſt. λακκός lacus, lach, alibi pfitz. ζεύγλη uincula iumẽtorum iuga, ziegel. ζάκοτος litigioſus. zankiſch. Μάνικος furioſus, mänig. Μογεῖν pati, mügen. Μοχθεῖν facere, machen. Vbi Græci Μύλη uel Μύλον molendinum, nos milm. ἑτάιρος amicus, netter. χέτλιος infeſtus, nos. ſchedlich, ῥώσσειν rũpere, reyſſen. ῥαστεῖν requieſcere, raſten. ῥαστώνη requies ein raſtung. ὕκτις, illis. τύφλος cęcus, ſurdus, dippel. πίθος dolium, ein bittich, butten. Βρωτύς cibus, brot. ἀσάτος inſtabilis, unſtet, ἄντιος cõtrarius, anderſt. ἄστριος ſerenus, heytter. Βλύσειν fluere, ſcaturire, flieſſen. Βόρος edax, fraſs. σάκκος ſaccus, ſack. ἔχθειν odio proſequi, durchechten. γράφειν ſculpere, graben. Βόμβος ſonus bomber. ἀγλαΐζειν ſplendere gleyſſen. ἀγλαΐα ſplendor, glaſt. Κλαύειν deflere, Klagen. σπύειν expuo, ſpeyen. Κένος ille, ihener. λαός plebs, lay. Ἄτας ſed, aber. Ἄελλα procella, wellen, & multa alia. Hæc ſunt reliquiæ & uetuſtates, quæ arguunt Vlyſſem aut aliũ Græcorum fuiſſe in Germania, unde hauſerint maiores noſtria uocabula quædam Attica. Deinde & tituli fragmenta uetuſtatum, inſcriptiones Græcanicæ, quæ etiam hodie paſſim & in multis locis Germaniæ cernuntur, idem probant, maxime uero in propriis nominibus ſumptis ex Græcis uocabula, Vbi Græci Δημόδενης. Germani Volckhart. Vbi illi λεωκράτης, nos Leonhart. illi χρυσάνδρος, nos Mangolt. Illi θεόφιλος, nos Gotzhold. Illi πολυφήμος, nos Albreckt. Illi νικόλαος, nos Volcker. Illi λύκος, nos Wolff atque alia plura. Hæc antiquitatis amatoribus annotare uoluimus, Teſtatur etiam nonnihil Celtis in amoribus ſuis, libro 1. Elegia. 12. Græcam conſuetudinem adhuc quibuſdam locis ſeruari, Iulius Cæſar in Heluetiorum caſtris Græcas Tabulas repertas indicat, in primo belli Gallici commen.

Arij feritati innatæ lenocinantur.

SEnſus Taciti eſt: Arij potentiores atq; truculentiores Heluęconis, Manimis, Elyſijs, Naharualijsq;, Sueuicis gentibus naturali & innatę ſuæ crudelitati, arte atque tempore adhibitis medicamẽtis, herbis uel herbarum radicibus, aut alio quouis pigmento fucoq;, prout ratio poposcerit, medẽtur ac conſulunt, aliã per ſonam fingunt aut pingunt (hoc enim aliquando lenocinari ſignificat exquiſitiorem elegantiam adhibere) ut ſuam naturalem aſperitatem celent.

Oculi omnium primi uincuntur.

RElinquim Germanorum ſcuta lectiſsimi coloribus diſtinguunt, Arij uero nigra ſcuta eligunt, & obſcuras tenebricoſasq; ad prælia noctes, Titanico & furiali aſpectu tertent hoſtes, ut uincant oculos, qui primi omnium uincuntur in prælijs, neque ulla ex patre, inquit Plinius libro 11. capite trigeſimoſeptimo, maiora iuditia animi cunctis animantibus, ſed maxime homini, id eſt moderationis clementiæ, miſericordiæ, odij, amoris, triſtitiæ, lætitiæ, Contuitu quoque multiformes, truces, torui, flagrantes, graues, tranſuerſi, limi, ſummiſſi, blandi, profecto in oculis animus inhabitat, Ardent, incenduntur, humectant, cohibent.

Gothones.

TRans Lygios d Gothones regnant, paulo iam adductius, quam cæteræ Germanorum gentes, nondum tamen ſuper libertatem. Protinus deinde ab Oceano b Rugij & e Lemouij, omnium que harum gentium inſigne rotunda ſcuta, breues gladij, & erga reges obſequium.

Rugij. Lemouij.

Gothones. Guthones. Gythones.

GOthones a Germanorum atque Sueuorum gentes, quanquam Ptolemęus has, & quę sequuntur in Tacito, Sarmatię adscribat, à Plinio libro quarto, capite decimoquarto: Guthones, à Ptolemęo in tertio, capite quinto Gythones uocantur, hos iuxta Pannoniam atque Morauiam quidam collocant: uidentur tamen Borussiam iuxta Dantiscum (*Danzigen*) populosissimam urbem inhabitasse. Amplissima enim regio multos habuit cultores Gothones, Vlmigeros, Phennos, Sudinos. Qui uero hodie prouinciam incolunt, Borussi, Prussi & Prutheni, *Die Preyssen* appellantur. Vide de illis, Tacitum libro secundo, Volater. lib. 7. Geographię. Aeneam Syluium in Europa capite 29. Extat etiam libellus Erasmi Stellæ de Borussię antiquitatibus, & carmen Eobani Hessi. Non sunt autem idē Gothi & Gothones, ne quis pro ijsdem interpretetur. Hij enim ad Oceanum Sarmatiam, Gothi insulam Oceani, Scandiam incoluerunt: quæ ab illis Gotlandia appellatur.

Borussi. Prutheni.

Rugi Sueuiæ populi.

RVgi b sunt, qui Rugorum incolunt patriam (*Rugenland*) de quibus Paulus Diaconus libro primo, de rebus Langobardorum. Sunt qui eos in Mechelburgenses abijsse dicant. Hij uerissimis Germanis orti, lingua atque uirtute Germanis intercensentur: De illis Strabo in quarto, Sabellicus libro tertio, Ennead. 10 Aeneas in Europa, capite 27.

Lemouij Scandauia Gotlandia Riga. Liuonia.

LEmouij c postremi Germanorū ad littus Venedicum, ad paralellum fere Scādauiæ insulæ, quæ Gotlandia dicitur, unde originem habere dicuntur. Nam in ea Ptole. Leuonios populos ponit, hij à Pruthenis uicinis debellati, Christi fidem susceperę, Tartaris sæpe infestantur. Eorum metropolis, Riga ciuitas, ut scribit Volate. lib. 7. Geographiæ. Aeneas Syluius in Europa capite 28. Liuonia, Germanis, *Leuffland* uocatur, à Teuthonicis fratribus hodie tenetur.

Suiones.

SVionum d hinc ciuitates, ipso in Oceano prę ter uiros armaq; classibus ualent, forma nauium eo differt, quod utrinque prora paratam semper appulsui frontem agit, nec uelis ministrantur, nec remos in ordinem lateribus adiungunt. Solutum ut in quibusdam fluminum & mutabile (ut res poscit) hinc uel illinc remigium. Est apud illos & opibus honos, eoq; unus imperitat, nullis iam exceptionibus, non b precario iure parendi, nec arma (ut apud cęteros Germanos) in promiscuo sed clausa sub custode, & quidem seruo: quia subitos hostium incursus prohibet Oceanus. Ociosa porrò armatorum manus facile lasciuiunt. Enimuero neque ingenuum, ne libertinum quidem armis pręponere regia utilitas est.

Nauigium Suionum.

Arma clausa apud Suiones.

Suiones Sitiones. Suedi. Suetia.

SVIones a ac Sitiones, & ipsi Sueuorum gētes Oceano Germanico allui, & uideri possunt: quos nostra ætas Suedos aut Suecos uocant, eorum terra hodie Suetia dicitur: paret regi Datiæ, habet auri atq; argenti fodinas plures: quidam Chronographi eos à Sueuis descendisse autumant, quod primitus insulam occuparint, & de se semen illic reliquerint: quod uerum esse nomen ipsum prodit, tum etiam potentia, & nunquam satis laudata ueterum Sueuorū uirtus & fortitudo. Ipsi quoq; Suedi hanc à Sueuis iactant originem, id quod ex unius ore nō semel accepi Lypsiæ, qui familiarissime mihi conuersatus, & Latinas literas calle bat egregie, & sæpius ea de re commentabatur mecum. De illis Saxo Grammaticus in rebus Danorum, Aeneas in Europa cap. 33. Volater. lib. 7. Geographiæ. Ioachimus Vadianus circa tertium Pōponij Melę. Ego in quodā uetusto codice

uidi

uidi Sueones nunc Normannos dici, cui sententiæ astipulatur Albertus Crantzius libro secundo, capite decimo octauo Vandaliæ. *Sueones. Normanni.*

IVs[b] precarium dicitur, quod precibus obtinetur, sicut apud iurisconsultos titulus est, de precario, ubi sic inquit Vlpianus. Precarium est quod precibus petenti utendum conceditur tam diu, quàm is qui concessit, patitur. Et apud Quintum Curtium Alexander ait, mori præstat, quàm Imperatorem precario esse. *Precariũ ius*

TRans Suionas aliud mare[a] pigrum, ac prope immotum, quo cingi claudique terrarum orbem hinc fides, quod[b] extremus cadentis iam solis fulgor in ortus edurat adeò clarus, ut sydera hebetet. Sonum insuper emergentis audiri, formasq; deorum & radios capitis aspici, persuasio adjecit, illuc usque & fama uera tantum natura. *Maris pigri mira.*

GRæci[a] scriptores mundi situm & terrarum particionem scrutati, eum Oceanum, qui in extimo Septẽtrione, ob immensum eius cœli gelu perpetua glacie obductus uidebatur, Cronium, id est Saturnium & frigidum tardumq; appellarunt: authoribus inter alios, Ptolemæo & Plinio: hic enim capite 13. libro quarto, Septentrionalem Oceanum, ab Hecatæo Amalchium nominatum fuisse ait, quòd hoc nomine Scythæ eius oræ, sua lingua congelatum significarent. Philemon à Cymbris Morimarusam, hoc est, mortuũ mare dictum, scriptum reliquit. De hoc plura Solinus quoque cap. 30. Et Ioachimus Vadianus ad Rudolphum Agricolam iuniorem. *Cronĩ mare Frigidum. Amalchium mare. Morimarusa.*

HAnc[b] insulam scriptores Thylen nominarunt. Strabo lib. 4. Thulen. Vnde Solinus capite 35. Multæ aliæ circa Britanniam insulæ, è quibus Thyle ultima, in qua æstiuo solstitio, sole de Cancri sydere faciente transitum, nox penè nulla, Brumali solstitio dies adeo conductus, ut ortus iuncti sint & occasus, ultra Thylen pigrum esse & concretum mare. De hac Ptole. lib. 8. capite 2. Vergilii. in principio primo Georgicorum. Plin. lib. 4. cap. 16 & libro 2. cap. 77. Strabo lib. 4. Mela in tertio: Hodie Islandiam, *Tisland* uel *Thilland* dici authorem cõsensus est. Posidonius quoq; uulgo dici tradidit (ut author est Strabo lib. 3.) Solem infinitis Oceani littoribus multo maiorem occidere ingenti cum strepitu, perinde ac eo in profundum incidente, in illo restinguendo pelagus efferuescat. Refert etiã Auspurgen. Chronica, ex Ptolemæo in Scandia insula septentrionalis Oceani, plures esse alias insulas, ex quibus una dicta Adogit in Arctoa parte cõsistit, quę in media æstate XL. diebus & noctibus lucem continuam fertur habere, itemq; brumali tempore, eodem dierum noctiumq; numero alternato mœrore cũ gaudio claram lucem nescire. Et noster Cornel. Tacitus lib. 1. histor. tradit Drusi milites Germanico pelago deuiasse, & uaria rerum miracula in mari uidisse, uim scilicet turbinum, inauditas uolucrũ species, monstra maris, ambiguas formas tã hominum quàm animalium. Picus quoq; lib. 4. de superstitiosa prænotione, cap. 8. In insula Nortuegia ad Oceanum Germanicum, umbras hominibus sæpe occursare scripsit, & signo crucis inde effugere. Quod etiam Claudianus libro primo ad Ruffinum innuit: *Thyle insula Britãnici æquoris. Islandia. Solis strepitus in occasu Scandia. Adogit. Mira maris Germanici. Vmbræ marinæ.*

Est locus extremum pandit, quà Gallia littus,
Oceani prætentus aquis, quo fertur Vlysses,
Sanguine libato populum uouisse silentum:
Illic umbrarum tenui stridore uolantum.
Flebilis auditur questus, simulachra Coloni,
Pallida defunctasq; uident migrare figuras.

Efluui matrẽ Deum uenerantur.

ERgo iam dextro Sueuici *a* maris littore, *b* Efluorum gentes aluntur, quibus ritus habitus'que Sueuorum, lingua Britannicæ proprior. *c* Matrem Deum uenerantur, insigne superstitionis formas aprorum gestant. Id pro armis omniumq; tutela securum deæ cultorem, etiam inter hostes præstat. Rarus ferri, frequens fustium usus, frumenta cæteroſq; fructus patientius quam pro solita Germanorum inertia, laborant. Sed & mare scrutantur, ac soli *d* omniũ succinum, quod ipsi Glessum uocant, inter uada, atq; in ipso littore legunt: nec quæ natura, quæue ratio gignit, ut Barbaris quæsitum, compertum'ue diu: quin etiam inter cætera eiectamenta maris iacebat, donec luxuria nostra dedit nomen, ipsis in nullo usu, rude legitur, informe perfertur, precium q; mirantes accipiunt. Succum *e* tamen arborum esse intelligas, quia terrena quædam atque etiam uolucria animalia, plerunque interlucent quę implicata humore mox durescente materia, cluduntur. Fœcundiora igitur nemora lucosq;, sicut Orientis, ubi thura *f* balsama q; sudantur: ita Occidentis insulis terrisq; inesse crediderim, quæ uicini solis radijs expressa atque liquentia in proximum mare labuntur, atque ui tempestatum in aduersa littora exundant. Si naturam succini admoto igne tentes, in modum tædæ accenditura, litq; flammam pinguem & olentem: mox ut picem resinam'ue lentescit. Suionibus *g* Sitonum gentes continuantur, cætera similes, uno differunt, quod fœmina *h* dominatur, in tantum non modo à libertate, sed etiam à seruitute degenerant: hic Sueuiæ finis.

Aprorum insigne apud Efluos.

Succinum Glessum.

Succini natura.

Sitones.

Germanici maris appellationes.

Sueuicum.

Sarmaticum

Cymbricum

Britãnicum.

Scythicum.

Barbarum.

Pomeran.

Baltheum.

Arctoum.

Boreale.

Septentrion.

Glaciale.

Codoneum.

GErmanicum *a* mare, secundum diuersas nationes, quas attingit, uaria ascisciſ sibi nomina. Primò, Germanicum appellatur: quia ad eum habitant Germani. Deinde Sueuicum, à Sueuis accolis. Quædam exemplaria hic corruptè Suitticum siue Sueticum habent. Sarmaticum à Sarmatis finitimis. Cymbricum, à Cymbris. Vltra deinde Britannicum, qua parte ad Anglos, qui Britanni dicuntur, uergit. Scythicum, à Scythis. Barbarum, à Barbaris, quos hoc nomine uocabant Romani, qui imperio non parebant, & Latinę linguę expertes erãt. Pomeranicum, ubi Pomeracos alluit. Baltheum, apud Liuoniam & Borussiam, à Baltia peninsula, quæ tria continet Aquilonis regna, Daniam, Suetiam, & Noruegiam. Arctoum, Boreale & Septentrionale, quia ad Arcton Boream siue septentrionem respicit. Glaciale, quod per brumam glacie congeletur. Codoneum, à Codano sinu: Germanis uocatur, *das groſs deutſch mer*, *Die Oſter ſee*: uel, *das Pomeriſch mer*, uel, *dye Seh*: uel, *das Iobſt mer*.

Efluui.

EFluorum *b* siue Aestiorũ, (sic enim habẽt aliqui codices) loca, Pomerani aut Borussi tenere uidẽtur. Quamuis magis ad Efluorum appellationem accedere putẽ, Eyslãdię nomẽ, mutato uitiatoq; nonnihil (ut plerunq; fit) uocabulo. Nã quis nescit quanta in Germanicis nominibus priore sæculo commissa sit iactura? Hij etiam Sudini dicuntur, eorum regio Sudinia (*Sudaw*) aut Austrasia, Subaria, uel Glessaria (*in dem ſtrand*) apud quos succinum colligitur. Incolæ uernacula lingua *Bornſtein* appellant. Colligitur etiam ad mare, quod ibidem accola Borussius, *das Iobſt mer* uocat. Pytheas apud Guthones Germanorum accolas

quos

quos Beruſſos eſſe ſuprà declarauimus, ſpacio ab Oceano ſtadiorum ſex milium electri copiam ſcatere putauit, authore Plinio lib. 37. capite ſecundo naturalis hiſtoriæ.

MAtrem c Deum, id eſt Cybelem, uel terram, quæ omniparēs appellatur, quaſi omnium parens, omnia gignens. Vide Diod. Siculum libro primo. Strabonem libro decimo. Plinium libro ſecundo, capite 65. *Mater Deum Cybele.*

SOlo d enim Pruthenō littore ſuccinum colligitur, quod à ſucco dici certū eſt. Græci id ἤλεκτρον. Germani Gleſſum uocant, quod inſtar uitri pelluceat. Gleſſer enim nos Cermani uitrum uocamus. Succinum autem, *Augſtein*, id eſt occularem lapidem: oculis enim prodeſt plurimum. Conrad. Celtis: Qua gleſſum rapitur, quod ſuccinus ore latino Dicitur, & noſtris tantum reperitur in oris. Et Philip. Beroal. in carmine quodam Germaniæ landum. *Succinum. Electrum. Gleſſum.*

Et diues pecoris fœlixq; gemmæ,
Quod Gleſſum uocitant, tui parentes,
Electrum Attici, ſuccinum Latini.

De hoc plura Plinius libro trigeſimoſeptimo, capite ſecundo & libro quarto, capite decimotertio & decimoſexto. Solinus capite trigeſimotertio. Ioan. Camers in eundum, Ariſtoteles capite 70. de admirandis in natura. Seruius ſuper octauo Aeneidos, Dionyſius de ſitu orbis.

SVccinum e liquidum eſſe primo argumento ſunt quædam intus translucentia, ut formicæ, aut culices, lacertæq;, quas adhæſiſſe muſteo, non eſt dubium: & indureſcente incluſas remanere: author Plinius libro 37. capite tertio. *Succinum liquidum eſt.*

POmponius f Mela lib. 3. Arabia cognomento Eudemon anguſta: uerum cinami & thuris, aliorumq; odorum maxime ferax. Vide multa apud Strabonem libro decimoſexto. Plinium libro ſexto, capite 28. Balſamum uerò uni terrarum Iudeæ conceſſum ſcribit idem Plinius libro duodecimo, capite 26 & libro decimoſexto, capite trigeſimotertio. Strabo. in decimoſexto. Vnde cecinit Vlricus Huttenus in Panegyrico Alberti Archiepiſcopi. *Thus producit Arabia. Balſamum Syria.*

Terra ferax magnorum hominum, dant uellera Seres.
Fert hebenum, fert Indus ebur, ſua thura Sabæus,
Balſama Iudæi, Tagus aurum, rubra ſmarágdis,
Eſt fœcunda Thetis, laudat ſua pocula Lesbos;
Thraces equos, Chalybes ferrum, Germania fortes
Nunquam exhauſta uiros ſobole producit abunda.

SItiones g Sueuorum populi in Oceano Sueuico ſiti ſuprà Suiones (quidā hos Ganipotes uocant) Suetiæ ſunt gentes: De illis Saxo Grammaticus in rebus Danorum. *Sitiones. Ganipoti.*

INh omni Teuthonica natione, uiri rempublicam adminiſtrabant, & imperium in ſubiectos populos exercebant. Soli Sitones hoc mulieribus ceſſerunt, alieniſſimi: & à libertate & ſeruitute Germanorum, quos aſſerēdæ libertatis auidiſſimos didicimus, & ſeruitutis impatientes. Nam ſi hos ſuperatos in ſeruitutē coegiſſent uictores inimici, uiris non mulieribus, ſeruiebant Sitones iſtud fœminis permiſerunt imperium, ut rempublicam ipſæ adminiſtrarent. Et per Herculem metuo, ne deinceps Sitonicarum mulierum dominandi libido totam fœminarū Germanicarum gentem inuaſerit: uideo enim nūc paſſim regnare fœminas, quę iuxta diuinum præceptum maritis deberent eſſe ſubditæ. Natura enim in hoc finxit mulierem, nō ut imperet, ſed ut pareat, quod uel hic Græcus uerſiculus teſtatur. γυναικὶ δ' ἀρχὴν ὁ δίδωσιν ἡ φύσις. Natura non dedit imperare fœminis. At ipſe excuſſo iugo maritis, dominantur, nationibus imperant, iubent, cogunt: omnia ſuo arbitrio agunt, nemo eſt, quem ſua uxor non regat. Tam imperioſum animal eſt mulier, ut in prouerbium abierit: Fœminarum dominandi cupido. *Apud Sitones mulieres imperant. Fœminæ ad imperādum non ſunt creatæ.*

Sueui totam Europam pe netrauerunt

HActenus *i* Sueuorum gentes, moresq; explicuit Tacitus: Oroſius lib. 1. cap. 2. Quinquaginta quatuor Sueuis populos indicauit. Late enim per Germaniam imperitabant, maximam eius poſſidendo partem, uix angulum relinquentes in tota Europa: quem non penetrauerint, Albim ab ortu, uſque ad exitum, & Rhenum quoq; occupauerunt, etiam in Sarmatiam ac Pannoniam deducentes colonias (nam illinc fuerunt antiquæ ipſorũ ſedes) longo deinceps ſpacio Rhetias incurſarunt, ſicut uidere eſt apud Tacitum in hiſtoria Auguſta libro 1. Ammianum Marcellinum lib. 16. Chronographos peculiaresq; gentium annales.

Peucini. Veneti Penni.

PEucinorum *a* Venetorumq; *b* & *c* Femiorum nationes Germanis an Sarmatis aſſcribam dubito: quanquam Peucini, quos quidam Baſtarnas uocant, ſermone, cultu, ſede, ac domicilijs, ut Germani agũt, ſordes omnium, ac torpor procerum connubijs mixtis, nonnihil in Sarmatarum habitum fœdantur. Veneti multũ ex moribus traxerunt. Nam quicquid inter Peucinos Fennosq; ſyluarũ ac montium erigitur *d* latrocinijs pererrant. Hi tamẽ inter Germanos potius referuntur: quia & domos fingunt & ſcuta geſtant, & peditum uſu ac pernicitate gaudent, quæ omnia diuerſa *e* Sarmatis ſunt, in plauſtro equo'que uiuentibus. Fennis mira feritas, fœda paupertas, non arma, non equi, non ſpernates, uictui herba, ueſtitui pelles, cubile humus, ſola in ſagittis ſpes, quas inopia ferri oſſibus aſperant. Idemq; uenatus uiros pariter & fœminas alit. Paſſim enim comitantur, partemq; prædæ petunt. Nec aliud infantibus ferarum hymbriumq; ſuffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur. Huc redeunt iuuenes, hoc ſenum receptaculum. Sed beatius arbitrantur, quam ingemere agris, illaborare domibus, ſuas alienasq; fortunas ſpe metuq; uerſare, ſecuri aduerſus homines, ſecuri aduerſus deos, rem difficillimam aſſequuti ſunt, ut illis ne uoto quidem opus eſſet.

Fennorũ habitandi mos.

Peucini Germani. Peuce. Baſtarnæ, Tranſſyluani.

PEucini *a* Germaniæ magnæ populi Dacis fuerunt contermini, teſte Plinio libro 4. cap. 12 & 14. Peucen inſulam, quam Danubius efficit, occuparunt. Baſtarnæ dicti ab inſula Peucini appellari cœperunt. Strabo libro 7. author. Ptolemęus hos inter Sarmatos ponit: Poloniæ adnumerantur, hodie *Duſſern* appellati. Quidam Sclauos, nonnulli Vualachos, alij Tranſſyluanos, hoc eſt Septemcaſtrenſes, *Sybenburger* eſſe contendunt. De illis Tacitus libro ſecundo hiſtoriæ Auguſtæ. Strabo libro ſeptimo. Ptolemęus libro ſeptimo, capite quinto, Appianus libro, qui Illyricus inſcribitur, Iulius Capitolinus in Antonio.

Veneti à vãdalis orti.

VEneti *b* Germaniæ magnæ populi, ſub Iuſtiniano primo ex Germania profecti, Danubio traiecto Dalmatiam, Illyricos, Hyſtriam, Carnos, Noricaſque Alpes poſt Gothos occuparunt. Ptolem. libro tertio, capite quinto, hos ad Viſtulam ſediſſe commonſtrat, atq; Boruſsiæ gentes fuiſſe. Sunt qui eos nunc Sclauos ſeu Vinthos & Vinthones, *Wenden* dici uelint, quod nomen prodit, ad ſinum Venedicum habitant.

Vinthij.

Fenni Germaniæ.

FEnnos *c* Ptole. li. 3. ca. 5. Sarmatię gentes dicit, ſub Venedis habitantes, Vnde Volater. li. 7. Primũ ex hijs plures in Germania diximus, ut Fẽnos quos mira feritate populos Tacitus dicit, nũc Pruthenos, aut Lituanos putauerim, De illis Eraſmus Stella lib. 1. Boruſsię. Irenicus lib. 1. ca. 26 & lib. 12. Germaniæ exegeſeos.

De latro-

DE d latrocinijs Germanorum sufficienter annotauimus in superioribus ex Cæsaris aliorumq; commentarijs.

SArmatæ e in hoc uerè à Germanis differunt, quod boues & pecora imitantur nec certis domibus includuntur, unde à Græcis Nomades, hoc est pastores dicuntur, quod è pecoribus lacteq; & caseo præsertim equino, degunt, & ἀμαξόβιοι quasi in plaustris, ædium uice uiuentes. uidetur autem loqui de Asiaticis Sarmatis quos hodie Tartaros uocari in principio diximus. require Melam in secundo. Strab. libro septimo, & Ammianum Marcellinum libro 22.

Sarmatarũ habitatio.
Nomades.
Hamaxobij.

DE f Veteri Germanorum habitandi more abunde satis dictum, ob id ne eãdem repetamus cantilenam, iam missa facimus.

CÆtera iam fabulosa a Helluſios & b Oxionas ora hominum uultus que & corpora atque artus ferarum gerere, quod ego ut incompertum in medium relinquam.

HElluſij, a quos Plini. libro quarto, capite decimotertio, Helleuionos, Ammianus Marcellinus libro 22. Heillos nominat: insulares sunt populi post Codoneum montem, & ultra Prussiam, insulam colunt quingentis pagis, unde alterum terrarum orbem dicunt, inquit Plinius, hos alij ad Vistulam amnem habitare uoluerunt usque ad Sarmatas: ob id Bernholen insulam ex obiectu Prussiæ æstimare licet Helleuioros inhabitasse, eritq; id uocabulo magis aptum.

Helluſij.
Helleuiones.
Bernholen.

OXionas, b uidetur Plinius libro quarto, capite decimotertio, Mela libro tertio, Oonas uocare: ad mare & insulã Oceani habitant: ab ouis auium marinarum, quib. uescuntur nomen habẽt: hoc est ἀπὸ τῶν ὠῶν, id est ab ouis: simili ratione Hippodes dicti, ab equinis pedib. alias humana forma. Et Solinus capite 30 ubi loquitur de insulis Scythicis & Oceano septentrionali. Nec longe Oonas separari, quas habitant, uiuunt ouis auium marinarum, & auenis uulgo nascentibus, perinde alias prope constitutas æque insulas, quarum Hippopodes indigenæ humanausq; ad uestigium forma, in equinos pedes desinunt. Esse insulas & Fanesiorum gentem (Pomponius libro tertio Satmalos appellat) quorum aures in effusam adeo magnitudinem dilatentur, ut reliqua uiscerum illis contegant: nec amiculum aliud sit, quam ut membra membranis aurium uestiant, unde Ioachimus Vadianus. Crediderim horum tractum memoria saltem, si non præsentia rerum, uernaculo *Bilappenland* uocatum, congelato mari, ut uocant, proximum, quod Nordhebodhij apud eos uocatur: & Æneas in Europa cap. 28. Occidentales, inquit, littus Balthei maris Noruegi occupant, apud septentrionem semiferos homines esse tradunt cum quibus nullum linguæ commertium nauigantes habent, signis tantum & nutibus commutare merces, feruntur.

Oxionæ.
Oonæ.
Hippopodes.
Paneſij.
Satmali.
Semiferi homines.
Vuilappenland.
Nordhebodhij.
Noruegi.

AD LECTOREM EPILOGVS.

HABES Candidissime Lector Scolia nostra in C. Tacitum, grauiss. authorem modisq; omnibus dignum, quem frequẽter legas, propter stili elegantiam, & patriæ luculentissimam descriptionem: quibus declarasse tibi uolo amorem meum erga Germaniam communem nostram patriam. Patriæ eamq; synceriter amantibus gratificatum esto. At si tuo stomacho non sapuerint uniuersa Lector, affectum tamen probabis, & cãdidum pectus, quo ista dedimus, ut ruinam illam uetustate rerum omni cõsumptrice Ger-

maniæ uel exterorum scriptorum obfuscatione, uel maiorum nostrorum negligentia illatam, restitueremus: Laceramq; ratem nostro labore utcunq; resarciremus. Aequior itaq; iudex eris, si nonnunquam aberrasse tibi uideor. Quis enim in tanta rerum mutatione, quantam tulit Germania, non labatur semel? quũ maxima pars Teutonicorũ nominum interierit, populi exciſi, ne ullũ post se uestigiũ reliquerunt: authores uariantes: &, quod omniũ maxime hanc cladem aduexit, ueterum Germanorum ignorantia in rebus patrum. Quis igitur in tanta retum caligine, ubi magna pars coniecturis pendet, non cecutiat aliquando: pro uiribus tamen conatus sum, ne tota aberrarem uia, & scopũ quàm possem propius attingerem, aut quam ueriſimillimis uterer argumentis ac coniecturis: hoc meum fuit studium. Verum si id non ubiq; præstitimus, certè in magnis uoluisse sat est. Perarduus labor est, Germaniam tam profunda caligine, qua submersa fuit, eruere, genuinęq; faciei restituere. Nõ admodum multi hoc idem ante nos tentauerunt. Beatus Rhenanus fidelisſs. in restituendis authoribus homo, multum lucis adhibuit Cornelio: cui debemus plurimum omnes Germani & literarum candidati: huius adnotatiunculis multum adiutum me ingenue profiteor: nec uolui sua fraudari laude, cuius testimonio nõ semel usus sum. Si uero nõ sunt à nobis exactiſsime tractata singula, aut ueniam dabis Lector, aut meliora dabis, è meis occasionem arripiens sublimiora tradendi. Atq; utinam hic me audiat, qui tantum ridet mea Scholia, & exactiora det. Qui enim aliorum labores calumniari audet temere, meliora substituat, quæ nõ calumniis pateãt, dignũ est. Nã si ego uellem aliorum lucubrationes explodere, saniora traderem, aut rictũ contraherẽ. Sic faciant & mei calumniatores, reiſciant sane mea, non stomachabor: modo ipsi rectiora reddiderint. Nam si præter scommata nihil attulerint, impudentes Sycophantas esse permittimus perpetuo. Eruntq; nostra Scholia tamdiu Germanis usui & bona, donec quispiam mastygarum tam elaborata dederit, quæ nostra iure exibilent. Vale Germane Lector, & commode iis fruere.

ANDREAE ALTHAMERI SCHOLIARVM *in Cornelium Tacitum, Finis.*

IN COR-

IN CORNELII TACITI EQVITIS ROMANI GERMANIAM COMMENTARIA, AVTHORE D. IODOCO VUILLICHIO RESELLIANO.

Illustrissimo, & amplissimo Principi D. SIGISMVNDO MARCHIONI BRENNOPYRGENSI, STETTINENSI, Pomeraniæ, Cassubiorum, Sclauorum, Silesiæ duci, Burggrauio Norici castri, &c. Domino suo clementissimo.

S. P. D.



ERSIS lex fuit inter alias, ut singuli subditi regi, dum equo uehetur in suo regno, munus pro facultate, & artis affectatione offerrent: ita agricolæ aut fruges, aut earum primitias, opifices suâ opera, neq; nimis attrita & praua, neq; nimis præciosa & magnifica; pastores aut oues, aut boues, uimitores uillum, pauperiores lactaria opera, lac, palmas, caseos, maturaq; bellaria ferebant, & donabant, eadem apposita exeunti regi & equitanti gratissima fuerunt munera, neq; alio atq; munerum nomine appellabantur. Quare Artaxerxes aquâ, quâ Sinætas attulit in aureâ phialam excipere non dedignatus est. Sic & Mises eidem acceptissimus fuit; dum illi equitanti per Persidem malum Punicum, idq; maximum in uanno obtulerat, rex admiratus de horto interrogauit; & gauisus per solem, inquit, homo tali curatione, & diligentia poterit etiam ciuitatem ex parua ampliorem reddere. Tanta enim fuit subditorum in magistratum suum obseruatia, & reuerentia, cuius ipse specimen præbere, quoties non studui? sed nunquam mihi munusculum tanto principe dignum fuit, & sicut Musicam non tantopere adamat; qui eiusdem uini uel primis labris non degustarit, & ut ille ait,

Laudat uenales qui uult protrudere merces.

Ita ego libellum, sed paucis illustriß. & generosiß. Princeps, de meliore nota commendabo, ut tibi grátior foret, quã Persarum huius aqua, illius malum Punicum olim fuerat. Cornelius Tacitus eques Romanus eodem modo descripsit, quo locos depingendæ regionis, Rhetores docent. Sunt enim in principio limites constituendi, quibus terminales fluuij adijciuntur: Mox non origo tantum, eáq; non ex fabulis, sed ex sacris, & prophanis historijs subditur, sed & successio magistratus à quopiam cui plus ocij esset, utique ad nostra tempora surrogaretur? Nunc de Germanorum etymo, dijsq; genialibus, peregrinorumq; ducum aduentu, ut primordia eiusdem certius exquirerentur, disserit unde Germanos indigenas esse, tum ex historijs, tum ex simili corporum habitu comprobat. Hinc natiuarum rerum ueluti armentorum, & pecorum copia (cum nulla sub id tempus fuerãt metalla, neq; æraria, neq; plumbaria, neq; argentaria, neq; auraria)

accedit. Numos quidem habebant, sed qui Belgis uicini erant, bigatos & serratos, & cùm ferraria nõ adhe rant, facillime de eorundem armatura, & de alijs describendarum regionum capitibus quis inditium face ret, quibus absolutis tanquam communibus toti Germaniæ, singulas nationes eiusdem ordine geographi co recenset, in quibus singularia facta, & mores non neglexit. Itaq; hic libellus propter exemplum depin gendorum regnorum magnopere expetendus est. Sunt & hodie non pauci, qui quasdam regiones adum brare sibi permiserunt, sed si Tacitum secuti fuissent, longè commodius, & disposuissent, & explicuissẽt. Tacitus autem non solum tabulis regionum, quas Romani in senatu studiosissime propter imperij amplitu dinem conseruabant, usus est, sed & ipse multa loca perlustrauit, & audita, & uisa, præsertim sub Vespa siano refert, cum Belgarum, qui hodie omnes in Germanorum appellationem uenerunt, præses fuerat. Ta bulis quoq; chorographicis ijsdem Plinium Secundum, Liuium, Melam, & Florum, & ex Græcis Ptole mæum, & Arrhianum, tanquã ijsdem fundamentis niti uidemus. Quare de eius fide dubitandum non est, qui diligenter fabulosa à certis & exploratis discernit. Deinde si historiarum lectio in principibus pro pter res gestas requiritur, quanto magis Germaniæ descriptio in Germanis expetenda est. Vix dici potest, ut iucundum sit, mores ueterum & recentiorum, in legibus tam ciuilibus, quàm œconomicis, & studijs in ter sese conferre. Gentiles sanè Germani, etsi magis bello dediti erant quàm agriculturæ, tamen longè ho nestiorem uitam uixerunt, atq; uel hodie nos, qui salutamur Christiani. Illi enim fœnus ignorabant, illi fi dem matrimonij religiose seruabant, illi in contractibus simplices, candidiq; fuerunt. Contrà hodie no bis sunt tot usurij quadruplatorib. peiores, tot adulteria etiam impunita, tot & tantæ in negotiatione frau des sunt, ut uix quispiam aut mente concipere aut uerbis assequi possit. Inculta quidem sub id tempus fuit terra, sed incolæ erant moratiores. Postquam autem Gregoriana lege imperium Romanum ad Germanos translatum erat, ut excultissima facta est, urbibus, ædibus, arcibus & agris, ita per diuersarum gentium col luuiẽ uicia suppullularunt, non aliter ac Romæ de Græcorum malemoratorum consuetudine querela fuit. Porrò neq; complurium historiarum lectio usui esse potest, nisi quis regionum, & populorum nomina ad nostratia probe collata tenuerit. Perspice iuxtà mecum, optime Princeps, uel quosdam tuos subditos, quos nam alios credis Angriuarios propter bellicam artem laudatissimos esse, quàm Angermundos, quos anti quitatis ignari nescio, à qua picea sylua deriuare conati sunt. Est autem Angermundum uetustius multorũ opinione oppidum Caroli Cæsaris opus ualde in arce editiori insigne, & sacellum. Quinam sunt Langobardi, quibus à promissa barba nomen inditum est, alij quàm quidam ueteres Marchici cum subditis duca tus Luneburgensis, atq; Insubres eorundem uirtutem mutato nomine à uobis incolis, & uictoribus adhuc testificantur. Verũ hæc incerta quis esset iudicaret, & quispiam me tuis aliquid auribus dare iudicaret, ac cersamus, & Sueuos Semnonas, eosq; tuos subditos, quos ab Angriuarijs citra Albim usq; ad Sueuum flu uium Ptolemæus constituit, eosq; nemo homo candidus, & modice peritus alios faciet, atq; Episcopatus Ha uelsbergensis, Prignitij, ducatus Rappinensis, totiusq; Hauellãdiæ incolas, qui à Tacito nostro, & uetustis simi, & nobilissimi commemorantur, imò inter hos caput Sueuorum censetur, eorumq; potentiam Iulius Cæsar explicat. Sueuorum inquit gens est, longe maxima, & bellicosissima omnium Germanorum, centum pagos habere dicuntur, quorum Eutropius, Orosiusq; meminerunt, eosq; propter rei militaris peritiam & uirtutem, nemo sibi unquam optauit hostes. Quis nam Iulium Cæsarem, cum pro Vbiorum tutela Rhe num ponte iunxerat. Arioui stum regem repulerat, aliosq; Germanos deinceps subiugaturus retinuit alius, atq; fama aduenturi horum Sueuorum exe citus, quæ cum ad illum manauerat, exusto ponte, ut persequẽ di occasio subita præriperetur, domum reuersus est? Quid nam apud historiographos, de rebus gestis Ma robodui horum regis illustribus perciperes, nisi hos tuos Marchicos caperes? Dic quæso, quando unquam maiorem & celebriorem cladem Romani acceperunt. quàm Quintili Vari? qui in Cheruscorum, cũ ijsdem auxilio fuerat, uicini Semnones, agro cum tot legionibus interemptus est, atq; D. Augustum Cæsarem nu quam in uita sua peius luxisse scribitur? Sed quid multis? librum conficerem, si ueterum horum Sueuorum historias sub priscis appellationibus in nostrum usum collatis enumerare pergerem. Afferto imperium, & aui tui Sigismundi, non Sarmatarum tantum, sed & multorum ueterum Germanorum regis, cuius tu & corporis lineamenta, mores, imo & ipsum ingenium ita refers, ut ueluti iure hæreditario nomen illius rece peris. Huius enim regnum uel ad ipsos Quados pertinet, ubi Elysiorum & Marcomannorum pars quæ dam est, quibus adnumera ultra Vistulam, Gythones, Venedos, Cistobocos, Peucinos, Fennos, Bastarnas, Su dinos, Bodinos, Hamaxobios uetustiores Roxolanos, Alanos, & penè ipsos Taurosscythas, quorum histo rias si passim uel in tanta barbarie collegeris, tui aui peritiam rei militaris contra immanissimos hostes,

autoritatem,

autoritatem, fortunam & uirtutem supra modum admirabere. Adeo refert propter aptiorem rerum olim gestarum cognitionem Taciti Germaniam nouisse. Sit tibi & exemplo Ioachimus alter inter Septemuiros Prudentissimus, cuius mores assidue tanquam in specula cõtemplator, credasq; tibi à Patre uere olim quod ab Aenea Virgiliano Ascanio dictum, competere, utpote, Disce ex me uirtutem. Quid enim quæso, & admirabilius & præstantius esse potuit, quod in tantis turbis, & tumultibus totius Germaniæ proximis sola Marchia bellum experta non sit? Itaq; puritas religionis contra multos Sycophantas in altissima pace conseruata est. Matrem quoq; eamq; reginam præstantissimis, & corporis, & animi dotibus præditam, unde haud parum salutis tibi sperandum erit, honorabis, & nos deum Opt. Max. sedulo inuocabimus, ut is tua, tuorũq; pia consilia & incœpta fortunet. Est enim cor regis (iuxta Prophetam) in manu Domini, atq; uoluntatem nostram in huius libelli explicatione boni consulito, quem & Scholijs, & iustis commentarijs, ad miraculum usq; docti, Beatus Rhenanus, Alciathus, & Althamerus planum facere omnib. non dedignati sunt, quibus & magna gratia habenda est, quòd & suam patriam excolere, & nobis ueterum monumẽta obscuriora dilucida reddere conati sunt. Bene ualeat Cels. T. ex Academia Francophordiana tua, cuius tu cum patre tuo liberalissimus Mecœnas fortunante Deo futurus sis.

Cels. T.

Addictiss.

Iodocus Vuillichius
Resellianus.

AD ILLVSTRISS. D. SIGISMVNDVM MARCHIONEM BRANDENBVRGENSEM, &c.

Pauli Prætorij Illustriss. Marchionum Pædanomi Elegia exhortatoria.

Historias prodest ueterũ cognoscere, summis
Præcipuè at ducib. cõuenit iste labor
His inclusa latet rerum prudentia maior,
Eruditunt miris pectora cœca modis.
Quam soleat diris malis exitus esse Tyrannis,
Hi norunt ueterum qui monumenta legunt.
Vtq; duces contrà iustos Deus ornet honore,
Imperio, titulis, scripta uetusta docent.
Euentus monstrant uarios, causasq; duelli,
Quanta trahant secum bella pericla, monent.
Discimus hinc urbes qua sint ratione regendæ.
Quo bene consistant regna beata modo.
Hinc morum petimus nos uiua exempla bonorum,
Quid ciuem deceat magnanimumq; ducem.
Aut quid conueniat lætæ sub tempore pacis,
Vel Mauors toto cum ferus orbe furit.
Sic legimus priscos magnorum carmina uatum,
Reges, qua sceptrum sæpè tulisse manu.
Sic ueterum fastos, & syderà nouit Achilles,
Quæ tulit clypei margine sculpta sui.
Carmen Alexander Magnus sic legit Homeri,
Hoc noctu capiti supposuitq; suo.
Hos etiam Sismunde duces imitare, nec ullâ
Re magis augeri laus tua dextra potest.
Assiduo uoluas studio, præstantius auro,
Quod Taciti nobis cura reliquit opus.
Edidit hoc uerum uir præstans arte Iodocus,
Hominis auspicio sub meliore tui.
Hinc quid sit uirtus disces, quid poscat honestas,
Quæ uitæ ratio sit retinenda tibi.
Perspicies illic rerum quid postulat usus,
Floreat ut patriæ fama, salusq;, tuæ.
Sæpe legas Tacitum, labor est te Principe dignus,
Egregij hic quicquam quod mediteris, habes.
Qui tibi dant cyathos, & sculpto uasa metallo,
Vt rursus tribuas his meliora uolunt.
Ast hæc syncera donat tibi mente Iodocus,
Premia restitui qui sibi nulla cupit.
Pactoli superat dotes, uiridesq; Smaragdas,
Vuillichius præsens quod tibi donat opus.
Pectore sume bono, sacris faueasq; Camœnis,
Sic adsint studijs numina trina tuis.

FINIS.

P. CORNELII Taciti, equitis Romani libellus, de SITV, MORIBVS, ET POPVLIS GERMANORVM.

PRIOR GERMANIÆ DESCRIPTIO ET communis.



GERMANIA omnis à Gallis Rhetijsq́, & Pannonijs, Rheno, & Danubio fluminibus, à Sarmatis Dacisque mutuo metu, aut montibus separatur. Cætera Oceanus ambit, latos sinus, & Insularum immensa spacia complectens, nuper cognitis quibusdam gentibus, ac Regibus, quos bellum aperuit,

I.

DE LIMITIBVS GERMANIAE.

GERMANIAE amplitudo intra certos limites designatur, nunc Orientalem, ubi est Sarmatia, id est, interior Polonia ultra Vistulam, & Dacia Carpatho monti incumbens, quæ nobis bona ex parte Vuallachia est, nunc Occidentalem, ubi est Gallia, præsertim Belgica, & Rhetiæ, tam prima quàm secunda, in qua hodie florent Auares, & Sueui, nunc Meridionalem, ubi sunt Pannoniæ, & superior, quæ Austria, & inferior, quæ Hungaria est, cum Danubio fluuio, qui utranq́ perluit, sicut & Rhetiam secundam, uidelicet Ripensem, nunc Septentrionalem, ubi est Oceanus septentrionalis, qui nominatur modo Germanicus, modo Sueuicus, in quo uidetur multitudo, & sinuum, & insularum, ueluti si quis à Vistula usq́, id est, limite Orientali numerarit, occurret Venedicus, ubi est mons Regius Borussiæ. Codanus à quo est Codanum, uulgò & corruptè, ut fit, Gedanum & Dantiscũ. Pucicus, circa Dantisci confinia, ubi quoq́ succinum colligitur. Pomeranicus iuxta Sidenorum tractum, qui nobis hodie sunt Stedinenses, Hamburgenses, iuxta Albis ostium, ubi & æstuaria quotidie uidentur, & sic ad Occidentis terminum usq́ pergendum est. Insulæ quoq́ plurimæ repertæ, uel bello, uel propagatione gentium, uel rerum promercalium indagine, ueluti in sinu, qui est, & à Finlandia Finlandicus ab ortu, sic & ab Occasu, à Suetia Suetícus, ubi est Nepria, in Baltbico sunt Oonęæ, Oxilia, Gotthia, Elandia, Berholmum, Fionia, Iaro, Fosen, unde maxima Asellorum copia in multas regiones defertur. Hi sanè limites Taciti tẽpore constituti duab. de causis sunt, Prior est mutuus metus propter bellacitatem Germanorum: Posterior est munitio locorum natiua, qualis est tũ in

in maximis fluminibus, tum in æditioribus montibus. Tacitus autem sui tẽporis rationem secutus est, qui sub Adriano, hoc est, circiter centesimum, & uicesimum annum, post natum Christum floruit. Quare consultius propter diuersarum sententiarum reconciliationem est, ab ætate triplicem Germaniam præscribere. Nam subinde eius termini (ut plerũq; fit in rebus humanis) cõmutati sunt. Sit igitur Vetus, Media, & Recens, Vetus esset nobis Berosiana. Is enim plurimum ab alijs uariat, cum tercentum annos ante natum Christũ uixerat, & Germaniæ amplitudinem his uerbis complexus est. Regna inquit, ab hoc anno salutis humanæ tunc magna habebãtur. In Asia quidem nostrum omniũ celsiss. Babylonicum. In Aphrica Aegyptium & Libycum. Postremô in Europa, 4. nostri numerant, Celtiberum, Celtæ, Kytim, quod illæ gentes Italicum appellant, & Tuysconum, quod à Rheno per Sarmatas in Pontum finit. Verùm hæc de longitudine Germaniæ satis sunt dilucida, nimirum, ut limes orientalis sit Pontus & Tanais, Occidentalis, Rhenus ipse. Latitudo quoq; est manifesta. In Europa inquit, Sarmatiæ regem fecerunt Tuisconem à Tanai ad Rhenum, iunctiq; sunt illi omnes filij Istri, & Mæsę cum fratribus suis, ab Adula monte usq; in Mesembricam Ponticam. Sub his tenuerunt Tyras, Arcadius, Aemathius. Ex qua sanè uerborum serie eadem quæ antea fuit longitudo septentrionalis colligitur, cui adijcitur & latitudo meridionalis (Sic enim utrinq; terminos extremos comprehendit) quæ tum Danubianos, id est, Danubij accolas usq; ad eius fontem qui est Adula, tũ Mæsos, tam superiores quàm inferiores, hoc est, Valachos, Bosſinos, & Bulgaros continet. His quoq; Tyrios & Thracas, quibus author fuit Tyras, & Arcadas ab Arcadio, & Aemathios ab Aemathio dictos adiecit, & ad Ponticam Mesembriam usq; pertinet, id est, ad Mesembriã Thraciæ ciuitatem, in Ponti Euxini littore sitam, olim Menembriam, à Meno conditore, & Thracia lingua Bria, quæ est ciuitas, iuxta Strabonem, cui & Stephanus nonnihil suffragatur, dictã, quę & hodie, sed corruptè (ut fit in tãta barbarie) Mesember nominatur. Ea uerò Germaniæ Berosianæ dignoscitur ad cardines mundi amplitudo, & si quis tempus obseruaturus eiusdem esset, à diluuio annum 1555. iam inde ab initio mundi 1812. iuxta calculum ueriorem inueniet.

Cęterùm media Germania est Corneliana seu Ptolemaica, seu Pliniana, à qua Stabonis non admodum uariat, qui Christi tempore floruit, sicut Tacitus, Ptolemæus, & Plinius penè coetanei fuerunt, quæ cum satis ex ipsis authoribus nota sit, cur repetatur operę precium esse non uideo. Id uerò non sic accipiendũ est, ut flumina sint stricti limites. Nam utramq; ripam eorundem accipit, Itaq; ultra Vistulam, Varinos, Venedos, sub quibus est in Borussia patria mea Resellium, & Episcopatus Heylspergensis, Peucinos & Bastarnas, in quorũ tractu est Boristhenes, connumerat. Eodem modo ulteriorem Rheni partem capit, dum Treuiros, Neruios, Vangiones, Tribocos, Nemeras, Vbios, Batauos, Mattiacos & alios recenset. Sic ultra Oceanum Estluos atq; Fennos habet Quare plerosq; limites propter proximam uicíniam ciuiliter capere oportet.

Porrò recens Germania quæ nostra est memoria usitatior, ultra Rhenum eatenus est extensa, ut omnes Belgas, quib tum & olim cõmune cum Germanis Celtarũ erat, nomẽ usq; ad Alpes Tridentinas contineat, Ita quoq; ultra Vistulam ortum uersus, usq; ad Scythas Alanos, quos hodie Lithuanos appellamus, pertinet. Germanos quoq; esse Carpathi accolas haud ignoramus. Quapropter Germaniam duplicem fecerunt nonnulli scriptores, atque Irenęus episcopus Lugdunẽsis uetus author, & Apostolorum temporibus uicinus Germanię Cisrhenanę meminit, ut quę sua ętate Ecclesias haberet Christi professione insignes. Ita Transrhenanam Germaniã & Tacit. & Ammianus Marcellinus agnoscũt. Ptolemęus quoq; Germaniã triplicem fecit, unã quidem inferiorem, quæ

patet

patet intra Mosam & Rhenum usq; ad Obrincam, id est, Mosellam, ubi sunt Menapij, Batavi, Agrippinenses, & alij loci finitimi. Alteram verò superiorem intra Obrincam & Rhenum usq; ad Iurassum montẽ, quo loci sunt Nemeti, Treviri, Vangiones, Triboci, Leuci, Raurici & Helvetij. Tertiam nominat magnã, quæ quicquid terrarum intra Rhenum & Vistulam est, capit. Hic verò plerumq; cõtrouersia nascitur, num Scythæ sint Germani, ad rogatum quis responderet, Scythas Europæos, iuxta Berosianam delineationem, à Germanis non esse excludendas, quibus ultra Tanaim & paludem Mœotida vicini erant. Alij Scythæ Asiatici, tam intra Imaum, quàm extra Imaum montem, quos nemo finibus Germaniæ etiam vetustissimæ concluderet. Hi autem sunt, contra quos Alexander Magnus decertavit, sed non vicit.

RHenus Rheticarum Alpium inaccesso, ac præcipiti vertice ortus, modico flexu in Occidentem versus, Septentrionali Oceano miscetur.

Danubius molli & clementer edito montis Abnobiæ iugo effusus, plures populos adit, donec in Ponticum mare sex meatibus erumpat, septimum enim os paludibus hauritur.

II.

DE DVOBVS GERMANIAE FLVminibus celebrioribus, & terminalibus.

PORRO inter Germaniæ flumina primas tenent, tum propter vicinas gẽtes, quibus ferè perpetua erant, cum Germanis bella, tum propter limites, qui pleriq; sunt notiores, de quorum utroq; est dictum quoddam Germanicum, in quo Danubius mulieri, & Rhenus marito confertur.

Die Donaw ist aller Wasser ein Fraw,
Aber der Rhein, mag mit Eeren wol ir Man sein.

Cæterùm de fonte Rheni est haud parua inter authores controversia. Hic eius fons est, in excelso vertice Rheticarum Alpium: Cæsar verò eundem ex Lepontijs scaturire asserit. Sic Strabo in Adula monte fontem statuit, qui hodie ab accolis Etzel nominatur. Neq; refragatur Ptolemæus his verbis, καὶ ἔτι τῶν ἀπὸ τῆς πυγῆς τῶν τὰς ἄλπεις ὄρη, ὧν καλεῖται ἀδούλας ὄρος. Pomponius tamen Mela aliquanto luculentius, quẽ sub Claudio Imperatore floruisse non dubito, describit. Rhenus inquit, ab Alpibus decidens, propè à capite, duos efficit lacus, Venetum, & Acronium Mox diu solidus cerroq; alveo lapsus, haud procul à mari huc & illuc dispergitur. Nescio cur Strabo sit diligentior solito inter Græcos scriptores, cum & populos Rhenanos, accolas, item longitudinis, & latitudinis terminos connumerat. Hodie tamen multi exactius rimati sunt, & veteres quodam modo conciliari possunt. Est enim in summis Alpibus mons S. Gotthardi dictus, cui ita Adulas mons connectitur, continenti quidem iugo, ut sit summarum Alpiũ veluti brachium, aut cornu, ibi Rheni initium fit, utpote ab Orientali earum parte, ubi adulæ monte coniungitur, & Lepontij (vulgò *Die Grawpünter*) habitant. & ibidem duo existunt fontes, Vnus, ut minimum, diei itinere propter montium iuga distat, Alter est magis occiduus, magisq; Septentrionalis, non ita longè à Ticini fontibus. Hodie nominatur ille Rhenus anterior, hic posterior, sicut & in tabula Aegidij Tschudi cernitur. Verùm dum ad occidentẽ modicum flexũ agnoscit,

agnoſcit,potius quis hunc ad ortum ſtatueret. Nam per uallem Aetuatiorum (uulgò hodie Tauetſch) ad ortum currit, ubi hodie ſunt Canini, aut iuxta uulgus Grylones. Labitur ſic uſq; ad inſignem pagum Speluncam,per Schamis, & Altam Rhetiam (ſic enim arcem in excelſiſsimo monte ſitam nominant) prope pagum Tuſcanum,ubi fluuium Albellam,ab ortu cõtrario curſu lapſum à dextris excipit. Verùm cum hæc & multò plura ab alijs recentioribus rerum Germanicarũ ſcriptoribus adnotata ſunt,prudens omitto. Nomen autem Rheni Germanicum eſſe uon den Rhinnen, quòd eſt fluere,pleriſq; conſtat.

Danubius, Die Donau, à montibus Abnobæ,uulgò Die Baar, oritur. Nam plerique ueteres & nonnulli recentiores,ibidẽ eius fontẽ ſtatuunt, ad Doneſchingũ per Sueuos,Bauaros,Oſtriacos, Vngaros Valachos & alios in mare Euxinũ exonerat. Meo autẽ iudicio eſſet Danubius die Don hinab, ſicut Menapij ſunt, den Meyn hinab. Neq; damnandi adeò ſunt ueteres,inter quos eſt Herodotus, cuius ſententia apud Celtas oritur, & Ariſtoteles idem refert, ἐκ δὲ τῆς πυρήνης (ὄρος δὲ οὗτος πρὸς ἄρκτους ἱσημερινὴν ἐν τῇ κελτικῇ) ῥέουσιν ὅ, τε ἴστρος καὶ ὁ τάρτησσος, ἔστος μὲν ἂν ἔξω στηλῶν, ὁδὲ ἴστρος δι' ὅλης τῆς εὐρώπης εἰς τὸν εὔξεινον πόντον. Sic traditur ut ex Pyrenæo monte ſcaturiat Danubius,qui perluit hinc totam Europam. Septem enim hoſtijs,ut ſcribitur, Pontum Euxinum ſubit. Altera uerò parte eiuſdem montis Tarteſus,qui extra Herculis columnas profluit. Hic meritò quis de Pyrene addubitaret,cum & Herodotus non montem,ſed urbem ex ea facit, atq; hodie ex montibus non adeò magnis, (Strabo enim ἐπ' ἄχιμ μετρίως ὑψηλὴν agnoſcit) profluit duobus fontibus,quorum unus eſt. Prygen ad cœnobium Diui Georgij,in Hercynia ſylua ſupra Viligam labitur. Alter eſt Pregen ſupra Ferenbach oppidum Neq; id in dubium uocari poteſt, quod Galliam Celticam ueteres nominarint. Nam Celtarum appellatio,& Gallis & Germanis fuit communis,imò Cęſar aſſerit,à Germanis ortos eſſe Celtas. Id cuiq; ueriſimile eſſet,ex proxima utriuſq; nationis uicinia,& confinitio,atq; ibidem initium Germaniæ occidentale Strabo præſcriplit his uerbis,ἄρχεται (Danubius,qui & Iſter eſt) μὲν οὖν ἀπὸ τῶν γερμανικῶν ἀκρῶν τῶν ἑσπερίων. Id quoq; mirum mihi uidetur,quod Sueuos, cùm Ptolemæo ſint Rheti,ad fontem Danubij Strabo collocaueiat, ὅπου ἄι τῶ ἱερῶ πηγαὶ πλησίον σοήβων καὶ τῶ ἑρκυνίου δρυμῶ. Id tamen certum eſt,Sueuos hodie eandem partem incolere. Verùm cum Cæſar Rhenum Danubio lib. 4. præferat, non adeò ineptè cum muliere confertur Danubius, nam quoq; aquam ſubalbidam eſſe nemo qui uidit,addubitare poteſt. Ea autem fit à nimia argillę,quæ nobis eſt Than,copia,uel in ipſo flumine,uel in eius ripa. Quare milites,dum ſtatiua caſtra,aut ad Budam,aut ad Strigonium habebamus,in uaſa aquam eandem excipiebant,mox, dum argilla in fundo ſubſederat,erat potabilis.

IPſos Germanos indigenas crediderim, minimeq; aliarum gentium aduentibus & hoſpitijs mixtos, quia nec terrà olim, ſed claſſibus aduehebantur,qui mutare ſedes quærebant, & immenſus ultrà, (ut que ſic dixerim) aduerſus Oceanus raris ab orbe noſtro nauibus aditur. Quis porrò præter periculum horridi, & ignoti maris, Aſia,aut Africa,aut Italia relicta, Germaniam peteret:informem terris aſperam cœlo,triſtem cultu aſpectuq;,niſi ſi patria ſit.

Celebrãt carminibus antiquis,quod unum apud illos memorię,& annalium

annalium genus est. Tuisconem Deum terra editum, & filium Mannum, originem gentis conditoresq; . Manno tres filios assignant, è quorum nominibus proximi Oceano Ingęuones, medij Herminones, cæteri Istæuones uocentur. Quidam autem licentia uetustatis plures Deo ortos, pluresq; gentis appellationes, Marsos, Gambriuios, Sueuos, Vandalos affirmant: eaq; uera & antiqua nomina.

III.

DE PRIMA ORIGINE Germanorum.

HAEC dicta sunt de Germaniæ limitibus, & terminalibus duobus fluminibus. Nunc & Germanorum primam originem explorat, eosq; iuxta Tacitum αὐτόχθονας, hoc est, indigenas esse pleriq; omnes contendunt. Sunt autem hi populi qui non aliò referunt suam originem, sed ex ipso solo nati uideri uolunt, quales sese & Athenienses esse gloriantur. Atque hic indigenas finit, utpote aliarum gentium aduentibus, & hospitijs non commistos, idq; quatuor comprobat rationibus, quarum prima est, ex consuetudine quærentium nouas sedes, quibus iter marinum usitatius fuit, quàm terrestre. Secunda est proximam confirmans à difficili. Nam Oceanus Germanicus est, raro ab alijs gentibus aditur, cum sit immensus, cum sit aduersus. Tertia est ab inutili, & inamœno. Nam Germanica terra erat sub id tempus inculta, ergo informis, ergo aspera, ergo odiosa, Idq; absq; controuersia uerum fuit propter Hercyniam syluam, quæ adhuc integram bonam Germaniæ partẽ occuparat, sed hodie uix eiusdem uestigia reliqua sunt, ita exculta est, non tantũ agricultura propter agrorum fertilitatem, sed etiam ciuitatum illustrium magnificentia, ita ut uix regio aliqua sit, & excultior, & populosior. Quarta est ab ipsorum Germanorum testimonio: Siquidem cum tardius æquo literarum usus ad Germanos uenerat, annales habebant, ueluti quandam χρονολογίαν, non scriptis relictam, sed cantilenis plerumq; rhythmicis res gestas, & tempora celebrabant, quod etiamnum in desuetudinem non abijt, imò huiusmodi cantilenarum Magistri, in quibusdam ciuitatibus alentur, qui quamlibet historiam, aut sacram aut prophanam, uel extempore in suos rythmos, atq; certas leges componere, & cõcinere possunt, inter quos sępè huiusmodi certamina Musica constituuntur, qui cantilenas non nisi (ut uocant) Magistrales, hoc est, Magisterio dignas (uulgò Die Meysterge sẽge) aut propositis brabijs, aut pignoribus depositis, in publica hominum & auditorum, & spectatorum corona, concinunt. Ex istiusmodi sanè carminibus, ceu annalibus Tuisconem deum ex ipsa Germanica terra natum (cuius filius fuit Mannus, & huius rursus tres filij, Ingæuon, Istæuõ, & Hermiõ, in quos tota Germania diuisa fuit) esse constat, quibus accensentur, & alij, ut uidentur, dij, tanquam ex hoc deo orti, à quibus natæ multorum Germanorum aliæ atq; aliæ appellationes sunt, ut Marsi, Gambrinij, Vandali, Verùm cum Germanorũ Regum nullum, quod equidem sciam, Chronicum extet, syluam eiusdem quandam adumbrabo, tum ut istæc Taciti uerbi melius intelligantur, tum ut cui plus sit otij, eandem adaugeat & suppleat. Informabo autem bona ex parte, ex Beroso & Hebræis.

DE

I.

DE TVYSCONE, PRIMO Rege Germanorum.

TVyscō apud Moſem Aſcenas dicitur, filius Gomeri primogenitus, Sarmatas maximos populos fundauit, authore Beroſo, & ab hoc Germani ſunt Tuyſcones, qui & hodie paſsim, *die Teutſchen* nominantur. Sic à Gomero, poſtquam decimo anno Nimbroti, in Italiam colonias ex Armenia deduxerat, Combri & poſtea Cymbri dicti ſunt, cum ex Italia decedentes Septentrionalia loca petebant, ubi & hodie Cymbrica Cherſoneſus eſt, quā hodie Holſati, & Schondaniani aliquot incolunt. Itaque ſexto decimo anno poſt, initium regni Italici factum. Thuyſcō circiter Nimbroti, qui eſt Saturnus Babylonicus, annum quintum & uiceſimum regnauit. De quo ſcribitur, ut Tuyſco Gygas Sarmatas apud Rhenum legibus informauerat, Anno

Mundi,	*Ante natum Chriſtum,*	*A diluuio uniuerſ.*
1812.	2150.	155.

II.

DE MANNO SECVNDO Rege Germanorum.

HIc fuit Thuyſconis filius apud Sarmatas Rheni, regnauit anno Semiramidis Nini regis uxoris ſexto iuxta Beroſum, à quo multa nomina uel hodie, apud Germanos compoſita ſunt, ut *Hardtman*, à uiri robore, *Radtman*, uir Senatorius. Sic enim uirum Manni uoce paſsim ſignificant. Porrō ſub id tempus circiter quinque annos, antequam Mannus patri ſucceſſerat, Iſis luno Aegyptia, Oſyridis uxor, prima frugum inuentrix fuit, atque tunc Zythum, quod à Nili quodam oſtio, Peluſiacum, id eſt, Aegyptium, excoctum dicitur. Oſyris autem in Aegypto & Apis, & Serapis dicebatur, ſicut nobis Germanis eſt *Oryx*, & ante Manni imperium, circiter quatuordecim annos, Abraham ex Tharah natus eſt. Regnauit autem Anno

Mundi,	*Ante natum Chriſtum,*	*A diluuio.*
1963	1999	306.

III.

DE INGAEVONE TERtio Rege Germanorum.

HIc multorum ſententia Manni fuit filius, quem peritum plerique fuiſſe ſcribunt. Itaque ad comprimendam & refrenandam hominum audaciam & libidinem, Academias, quæ ſunt publica literarum ſtudia, inſtituit. Huius loci eſt, illud Ouidij.

Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Altero, poſt huius regni initium anno, uitam cum morte Noah homo afflictiſsimus commutauit. Regnauit autem Anno

Mundi,	*Ante natum Chriſtum,*	*A diluuio.*
2007.	1955.	350.

Ab hoc autem Germani nonnulli, præſertim circa Oceani ſinus habitantes, Ingæuones nominantur, qui Germanorum Etymologia (Nam Latini propter

ſuas ἐκλίσεις ſubinde nomina deprauant) ſunt *in woner*, qui interiorem Germaniæ partem incolunt, apud Plinium ſunt Vuigæuones à nomine &wig uel &wog id eſt, fluctu maris aut fluuij, & &wonen eſt habitare, nimirum quod ſint littorales & inſulares propè Oceanum, quales ſunt Chauci, Cheruſci, Foſi & Cymbri. Ita ab eius fratre Iſtæuone ſunt Iſtæuones, apud Plinium Vuitſteuones *die &we iſten &woner*. Hi ſunt in Rhenum & Danubium remoti. Quapropter Rheni ripam fecerunt olim unam quidem Gallicam, circa quam habitabant Celtę, Heluetij, Boij, Arauiſci, Oſi, Treuiri, Neruij, Vangiones, Treboci, Nemetes, Vbij, Batauí. Alteram uerò Germanicam appellare ſoliti erant quam incoluerant Catti, Mattiaci, Vſipij, Tencteri, Bructeri, Chamaui, Angriuarij, Dulgibini, Chaſuarij & Phryſij. Hi omnes *&wiſtwoner*, ſcilicet Iſtæuones nominantur. Hic autem Iſtęuon circa Oſyridis tempora, populos intra Rhenum & Danubium gubernau it, ſicut & Beroſus meminit.

IIII.

DE HERMIONE QVARTO

Germanorum Rege.

HErmion Thuyſconum rex, uir armis ferox, quo tempore apud Aſſyrios Aralius & optimo ingenio, & ſtudio militari regnauit, eiusq; tam Hermionis, quàm Aralij tempore, Iſaacus à patre offertur, cum eſſet 25 annos natus iuxta Ioſephum, & altera promiſsio de omnium gentium in ſemine Abrahami benedictione facta eſt.

Anno mundi,	*Ante natum Chriſtum,*	*A diluuio.*
2768	1894	411.

Ab hoc ſanè Germani ſunt Hermiones, quos Plinius, cùm aliquot annos in Germania uerſatus ſit, rectius Herdeuones appellauit, ſicut Germanis ſunt *Herdwoner*, cum ſint Mediterranei *als die wff dem hardten wonen*, cum neque ad Rhenum, neque ad Danubium pertineant, ſed ſunt, qui continentem incolunt. Tales autem numerantur & Sueuorum partes, & Danubij quidam accolæ, illíc quidem ſunt Semnones, Longobardi, Reudigini, Auiones, Angli, Varini, Endoſes, Suardones, Nuithones. Hic uerò ſunt Hermunduri, Nariſci, Marcomanni & Quadi. Hos plagam Germaniæ partem meridionalem, quæ Danubio prætenditur, inhabitaſſe non ita obſcurum eſt, ſicut infra ſuo loco ſingula patefaciemus.

V.

DE MARSO QVINTO

Germanorum Rege.

MArſum, ſunt qui & Martem nominant, quem ueteres Germani propter rem militarem, coluiſſe feruntur, unde ſunt Dietmarſi, & alij complures ſeptentrionales. Cæterum circa huius tempora Abraham cum Eſau & Iacobum duodecim annos natos Theologiam docuerat, mortuus eſt annorum 175. Regnauit autem, Anno

Mundi,	*Ante natum Chriſtum,*	*Adiluuio,*
2114	1848	457.

VI.

DE GAMBRINIO SEXTO

Germanorum Rege.

VIr fuit ferocis animi & inuicti apud Thuyscones regnauit, à quo sunt nomina Germanis adhuc reliqua *Gamper, Cempher*, qui est contentiosus, & rixosus. Quid si & hinc Cimbris inditum esset nomen? Tunc autem Bel Ochus Assyriorum rex fuit à Belo dictus. Nam in imperio suo circa Pontificatum Belis louis, & circa auspicia atq; diuinationes occupatus fuit, iuxta Berosum, cum Bel Ochus est Belis amator. Regnauit autem, Anno

Mundi,	*Ante natum Christum,*	*Á diluuio.*
2176	1786	518.

VII.

DE SVEVO THVYSCONVM

septimo Rege.

AB hoc Sueui, hodie Die *Schwaben* dicti sunt. Eius autem regis patria sedes ad Carpathum montem, qui ab eodem Sueuus nominatur, erat. Imperium quoque eius fuit ab hoc Sueuo usque ad Rhenum. Sub hoc autem Isis Herculis mater in Germaniam uenit; quæ postea tanquam dea, præsertim in Heluetiorum tractu culta est. Hercules uerò hic Libyus appellatus fuit. Huius quoque temporibus tyrannis Busyridis in Phœnicia illustris fuit, atque tunc Celtis, inde κελτῶν appellatio mansit apud Celtas, hoc est, Gallos, cum quibusdam Germanis per montes, quos Pyrenæos à conflagratione syluarum dictos nominant, ab Hispanis separauit. Vterque Balei Assyriorum regis undecimi, anno nono floruit,

Mundi,	*Ante natum Christum,*	*Á diluuio.*
2219	1743	561.

VIII.

DE VANDALO OCTAVO

Germanorum Rege.

TErtio Altadis Assyriorum regis anno, apud Thuyscones Vandalus rex fuit, circa cuius tempora Hispanus filius Hispalis, nepos Herculis, ex Celtiberis nomen Hispanorum fecit, & Galathę Celtæ Galli uocati sunt, & hinc Protemęo Celtogalatia est. Verum ab hoc Vandali, uulgò *die Wandel* uel *die Wenden*, orti sunt, ex quibus hodie florent Poloni, qui Lechitę, Bohemi qui Zacchi nominantur, Schlauonij, Croatij, quorum reliquiæ sunt circa Vandalicas ciuitates Oceani Germanici accolas, uelut Lubecum, Rostochum, Dantiscum, & aliæ ciuitates, quæ etiamnum Vandalicæ uulgo *die wendischen stetten* appellantur. Est enim illis eadem lingua, sed per diuersas regiones sunt aliæ atque aliæ διάλικτοι, quales sunt Græcis & Germanis. Regnauit anno

Mundi,	*Ante natum Christum,*	*Á diluuio.*
2265	1697	608.

IX.

DE TEVTONE NONO Germanorum Rege.

VErùm cum hic apud Thuyſcones Germanos regnauerat, à ſe Teutones, à quibus ſunt apud Ptolemęum Teutonarij, cognominauit. Sub id tempus Narbon, & non Harbon, ſicut nonnulli legere malunt, in Gallia rex fuit, unde quædam eius pars Narbonenſis dicta: quatuor ante annis Ioſeph centum & decem annos natus diem obijt. Regnauit autem anno

Mundi,	Ante natum Chriſtum,	A diluuio.
2315	1647	657

X.

DE HERCVLE ALEMANNO DEcimo Germanorum Rege.

HIc Thuyſconum rex fuit, cum Pharao, id eſt, Aegyptiacus magiſtratus, quippe Anemophis ſecundus Aegyptiorum rex, edictum de necandis Hebræorum liberis propoſuerat. Hunc tamen Herculem Germani indigetabant, de quo paulo poſt plura. Regnauit anno

Mundi,	Ante natum Chriſtum,	A diluuio.
2352	1630	675.

Ad hunc modum quis dextrè & uetuſtiſsimas Hiſtorias, & ſupputationem temporis Hebraicam ſecutus, & in Chronologia Germanorum pergeret. Dici nequit, quantum fructus diſcipuli rerum Germanicarum facerent, ſiquidem regum ſucceſſio ſic diligentius notaretur, uelut cum Herculi Alemanno patri tres reges ſurrogantur, ut Boius *der Beyer*, Noricus *der Nornber*, Hunnus *der Haun*, His ſubſtituuntur, Ingeramus *der Ingram*, Adologarius, *dar Adelger*, Laertes *der Larein*, Vlyſſes *der Ilſingk*, Brennus *der Brenner*, uel melius Berno, Hector, *der Hykar* uel *Hechtar*, Francus *der Franck*, His quoque adnumerarentur, Medo primus, Ballouesus, *der Baldweys*, Sigouesus *Sygweys*, Helitonius *der Helt*, Medo ſecundus, Ciconius *der Zeco*, Laudinus *der Laudin*, Lomnorius uel Leonorus, *der Lenhart*, Lutharius uel Lotharus *der Luther*, Viridomarus *der wirdtmer* uel *Fridtmayer*, Dorulacus *der Durlach*, Britomarus *der Breitmar*, Ariouiſtus *der Ernueſt*, qui à quibuſdam Ernestus uocatur, cum ſit prorſus nomen Germanicum, utpote aut glorioſus, aut potius honeſtatis & gloriæ tenax, cuius & in Gallico commentario ſæpè Cæſar meminit, qui cum eius linguæ ignarus fuerat, multa nomina in Latinarum dictionum formam ſic deriuauit, ut plæraque deprauauerit ſæpe errore litterarū, quæ Græcæ Germanis familiares fuerūt. Quare factū eſt, ut quæ uoces χ litera finiunt, illi elementi figura decepti x ſubſtituerunt, ἐρευτρεχ nobis Erentreich, hoc eſt, honorabilis, honorandus, honoris dives, illis eſt Orgentorix, Sic ex κάστρεχ, qui eſt *gaſtreich*, hoſpitalis, Caſtrigum fecerunt, Sic ex Friedrex nobis Friedreich, pacificator, pacis dives. Latini fœdericum à fœdere dictum ſubſtituerunt. Sic apud Plinium Bodomanci, ſunt pro Bodemangel, planaratis pro plugradt id eſt, rotis aratri. Hæc & alia, ſi quis attentius obſeruarit, multò uerius, atq; uel Plinius, uel Tacitus, uera & antiqua nomina eſſe affirmabit.

Cæterum

Cæterum Germaniæ uocabulum recens, & nuper additum, quoniam qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, nunc Tungri, nunc Germani uocati sint: ita nationis nomen, non gentis eualuisse paulatim, ut omnes primum à uictore ob metum, mox à seipsis inuento nomine Germani uocarentur.

IIII.

DE GERMANORVM appellatione.

POrrò hactenus Germani ipsi Thuyscones, Cymbri, Marsi, Gābriuij, Sueui, Vandali, Tungri, & huiusmodi dicti sunt, sed ex Teutonibus primi Tungri in Gallias transmisso Rheno irruperunt, quas, pulsis incolis occupatas etiānum retinent, ijsdem sedem Ptolemæus intra Tabudam & Mosam fluuios collocat. Nam Menapij per Mosam à Tungris separantur, quorum oppidi etiamnum ruinæ extant, ad utramque ecoræ ripam, qui iuxta Traiectum in Mosam sese exonerat. Ammianus quoq; Marcellinus Tungrorum in secunda Germania, ciuitatem amplam & copiosam agnoscit, sicut hodie beneficio Maximiliani Imperatoris Handuerpia eodem loco est ditissimum emporium. Mirum est quod de Tungrorum fonte Plinius memoriæ prodiderat, nimirum quod huius aqua corpora purget, quòd tercianas febres discutiat & calculorum uicia. Has autem facultates & hodie uulgus Tungrorum in ruinis eorum concedit. Tungros quoque bellicosissimos fuisse, alibi Tacitus & Iulius Capitolinus testantur, atque eos temporibus Diocletiani imperatoris floruisse ex Flauio Vopisco liquet. Ab ijsdem quoque reliqua sunt nomina *Tungerheim* uicus, *Tungersee* oppidum non ita longè ab Agrippina. Fuit autem Tūgrorum urbs Traiectum uetustissima, quod hodie est *Mastrich*, id est Mosæ traiectus, Illos uerò Diuus Maternus Christo lucrifecit, ibidem Ecclesiam quam Cathedralē uocāt, ordinauit. Fuit eorundem Episcopus Seruatius. Verùm cum eorum urbs amplissima per Hunnos deuastata fuerat, Episcopatus Traiectum transferebatur, & post annos nati Christi 710. Leodium, ubi & hodie Episcopus Leodiensis uitam degit, *der Bischoff von Lüttich*. Somnia igitur sunt & fabulæ, cum à Troianis Tungros ortos esse fingant. Ab his autem Tungris diu peculiare uocabulum permansit Germanis, sed commilitonibus displicuit. Quare aliud omnibus commune excogitarunt & Germanos nominarunt, insignem prorsusq; uirilem audaciam significaturi, quos postea superioris Germaniæ populi Almannos appellarunt, Vtrinque autem eiusdem rei significatio est. Siquidem ut Germanis est nobis *garman*, id est, prsus uir, ut qui uirili animo totus est, ita Alemanus est *Alman*, id est, totus uir. Nam tunc Alemanni dicti sunt, cum collectitia Germanorum gens ad superiorem Danubij & Rheni partem consedisset. Quapropter Alemanni & Germani non significatione differunt, sed loco tantum. Itaq; Iustinianus Imperator se & Alemanicum, & Germanicum appellare solitus est. Communius est uerbum Germanorum sicut & ex Commentario Cæsaris deprehendere licet. Eburones inquit, Pæmanos, Ceresos, Condrusos omnes uno nomine Germanos appellatos fuisse. Figmentum iudico Germanos esse tanquam fratres Gallorum, cum sit Teutonica dictio ex *gar*, seu *ger*, quod totū seu robustum (unde est nobis *ein Kerle* Charolus) & *man*, quod uirum significat, conflata. Nam appellationes mirum in modum nostratibus etiam hodie gratissimæ sunt. Neq; à Romanis

manis inditum est nomen, ut creditur, neque Strabonis authoritas quempiam moueret, cum non tam belle inter Romanos & Teutonas conueniebat, ut legatos propter elegantiam Latinæ linguæ Romam mitterent. Atque cuilibet gentí τὰ ἐπιχώρια pulchriora uidentur. Quare Tacitus Germanos uocari nomine à se inuento affirmat. Germanorum quoque nomen uetustius esse ex Cęsare qui Germanos & non Tungros habet coniecturam facere cuilibet integrum est. Neq; uerò mihi displicet Alemannos dictos esse à collectitia Germanorum manu, & non ab Hercule Alemanno. Nam circiter Probi imperatoris tempora, uarij Germani, ut Heluetí, Vindelici, & alij uicini Romanos ex prouincia expellere conati sunt, atq; sic collecti Almanni nominabantur. Hinc factum est ut Rhetia superior, in Alemaniam abijt, sicut ex Ammiano Marcellino non est obscurum, unde in Vindelicia est *Almangoeu*, Etiamsi Vindelici diu Rheti fuerant: tamen Vindelici plerique Alemānorum nomen receperunt, quorum uirtute Romanorum cohortes præsidiarias retinuerunt. Est & bona Heluetię sub Alemannia pars. Ex quibus facilè colligitur, Alemannos esse *allerley man*, præsertim apud Vindelicos & proximos uicinos Heluetios.

FViſſe apud eos & Herculem, memorant. Primumq; omnium uirorum fortiū ituri in prælia canunt. Sunt illis hæc quoq; carmina, quorum relatu, quem Barritum uocant, accendunt animos, futurę quę pugnæ fortunam ipso cantu augurantur, terrent enim, trepidant ue, pro ut sonuit acies. Nec tam uocis ille quàm uirtutis concentus uidetur. Affectatur præcipue asperitas soni, & fractum murmur obiectis ad os scutis, quo plenior & grauior uox reprecussu intumescat.

V.

DE GERMANORVM, CVM ITVRI *sunt in prælia, inuocatione & barritu.*

HAud multò antè Herculis Alemanni meminimus, Germanis est potius fortassis *Altman*, quàm *Alman*, cuius nomen ijsdem est Ercle Boiorum pater propter fortitudinem Deus fuit Germanis iuxtà cum Isidemātre, hunc autem præliaturi Germani inuocarunt, hymnumq; cecinerunt. Notum autem est, ut uaria Herculis sunt apud Græcos potissimum etyma, atque diuersos fuisse Hercules nos quoque in commentarijs epigrammatis Virgilio inscripti, de laboribus Herculis nonnulla adnotauimus. Verùm an Mars inter Deos Germanorum tutelares, qui τοπικοὶ sunt, numeraretur, haud multò post explicabitur. Inuocabant autem propter secundiorem belli euentum. Nam Mars ἐστ ἀλλοπρόσαλλος, & apud Latinos communis, aut iuxta Varronem est, qui maribus in bello præest, aut iuxta Ciceronem, quod omnia uertat. Itaque Græcis est ἄρης uel ἀπὸ τοῦ ἀίρειν, quod est tollere & interficere, uel ab ἀρᾶς id est, damno, & calamitate. Plato Germanorum uoto suffragati uidetur, ἀπὸ τοῦ ἄρρενος, quod uiriles & Charolos efficiat. Idem ἀλαλάξιος à sono confuso, quasiq; uoce non articulata, sicut & βρυχιτιος latè sonans, utpote à uoce & strepitu militari, quo pugnantes in prælio utuntur. Sunt enim qui gruum uocem imitantur, ut Troes Homerici, & hodie Turcici milites. Sunt qui asininam uocem exprimunt. Quare & olim propter eandem uociferandi rationem nonnulli Marti asinum iugulabant. Sunt qui elephanti uocem repręsentēt, ut est Germanorū barritus, qui Elephanti uox est, & barrire iuxta Festum familiariter elephanti conceditur, cuius usus erat, sicut ex

Tacito

Tacito liquet, aut ut hostes isto tàm dissono uocis tumultu perterrefacerent, aut ut omen belli inde colligerent, aut ut esset ad erigendos animos quoddam προσκέλευμα. Quæ consuetudo & Scythis fuit, cùm classico dato pugnam inierant, primo occursu ad ardorem excitandum uehementissimo clamore occurrebant, qui si consonus fuerat, neque impar, neque uarius, neque dissonus, alacres prælium faciebant, cum sibi futuram uictoriam pollicebãtur. Talis enim clamor uoluntatis & animi cuiusque est index. Sic enim in hoc congressu militari clamor animorum impetum significabat, qui magnarum uictoriarum sæpe causa est. Eodem modo & Germani suo barritu futuræ pugnæ fortunã augurabantur. Quare Vitruuius, lib. c. 18. Clamor inquit, quem quidam barritum uocant, non prius attolli debet, quàm acies utraque sese iunxerit. Vbijs & Treuiris in more positum erat, ut uirorum cantu & fœminarum ululatu terrorem hostibus incuterent, uoce'que tumultuosa obtunderent. Si quis uerò alias etymologias inquireret, per me licebit.

CCæterum & Vlixem quidã opinantur longo illo & fabuloso errore in hũc Oceanũ delatum, adisse Germaniæ terras, Asciburgium'que, quod in ripa Rheni situm hodie'que incolitur, ab illo constitutum, nominatumq; ἀκρωνήριον. Aram quinetiam Vlixi consecratam adiecto Laertę patris nomine, eodem loco olim repertam, monumentaq; & tumulos quosdam Græcis literis inscriptos in confinio Germaniæ Rhetiæq; adhuc extare, quæ neque confirmare argumentis, neque refellere in animo est, ex ingenio suo quisque demat, uel addat fidem.

VI.

DE VLISSE GERMANICO, ET *tumulis cum Græcis inscriptionibus.*

SVprà Vlyssem inter reges Germaniæ sicut & Laertem ex ius patrem connumerauimus, utrunque Germanum, non Ithacensem. Itaq; Tacitus, Fabula ne sit an Historia, subdubitat. Et si quis tempora nostratis Vlyssis, & Ithacensis considerarit, potius fabulam iudicabit. Deinde neque ex erroribus Vlyssis Homerici eum in illum tractum peruenisse cõstat. Fingunt autem Vlyssem post Troiam deuastatam (cuius comes fuit Oenops, cum domi Leodem reliquerat. Huius enim subinde uel inter procos Penelopes Homerus meminit) Asciburgium peruenisse. Id erat oppidum infra Coloniam Agrippinam non procul à Xantho Cliuiæ ditionis municipio admodum celebri, & in exiguum abijt uicum, cui etiamnum *Aschelburg*, nomen est. Nam qui ex hoc *Emerich* faciunt, parum sapere mihi uidentur, Vterque longa & diutina peregrinatione defatigatus, Vlysses quidem ut sociorum animos leniret, Asciburgij nomen in ἀκρωνήριον uertit, ueluti si non uero promontorio Ithacæ Nerito, certè ficto se oblectarent. Oenops uerò, ut desiderium Leodis filij, quo tenebatur, mitigaret, ad Mosam urbem condidit λεώδριον & à filio suo appellauit, quod præsertim per Carolum magnum instauratum, uel hodie floret. Hęc autem in medio relinquemus discrimine. Nam solus Homerus, si historiam secutus est, mediocriter istud ipsum refelleret. Erant & coniecturæ duæ, quibus historiam esse colligebant. Prior quidem est, ex inscriptione aræ, paterni nominis accessione. Posterior est ex epitaphijs, quæ Græcis literis conscripta erant, & has eò ex Græcia Vlysses attulisse

creditur. Verùm id ipsum altius, ne fabulis innitamur, repetendum esse duxi. Constat apud Europæos tantum duarum nationum literas fuisse, Græcorum & Romanorum, quibus erant & Monarchiæ, sicut Iudæis erant Hebreæ, sed in Asia. Itaque barbariei notam Germani & aliæ proximæ gentes subterfugere ne quirant, usque ad Tarquinij Prisci tempora. Nam tunc Phocenses in Ioniæ (quæ hodie Turcico nomine Queis dicitur) capite, in Galliam Narbonensem nauigantes, in eodem littore Massiliã condiderunt, iuxta Eusebium, & Iustinum lib. 43. ubi Schola instituta erat, quò, propter ingenij cultum & Romani suam luuẽtutem ablegarunt, ut Græcas literas condiscerent, iuxta Strabonem libro 4. Ita hinc in Gallias lingua Græca propagata est. Quare Strabo φιλέλληνες, inquit, κατεσκεύασε τὰς γαλάτας, ὥστε καὶ τὰ συμβόλαια ἑλληνικοῖς γράφειν. Quod est, Massilia Gallos linguæ Græcæ studiosos ita fecit, ut contractus & pacta Græcè scriberent. Sic & Cæsar in 6. de bello Gallic. Gallos in omnib. ferè rebus publicis & priuatis rationibus, Græcis literis usos esse testatur. atque idem Iulius Cæsar in Heluetiorum castris tabulas Græcis literis conscriptas reperit. Postquam uerò Romani Gallias subiugarunt, & uicinas regiones, mox in easdem certis institutis & suam linguam, leges atque mores pro utili plantarunt. Ita Galli prius Latinis literis usi sunt atque Germani. Hi enim circa tempora Caroli Magni, utpote anno 800. post natum Christum, Græcis literis Germanica scripserunt, sed admodum, (ut fit) in principio, rudibus. Itaque omnes rationes & acta Græcè usque ad tempus Rhodulphi Cæsaris Habspurgensis, unde sunt Ostriaci Archiduces. Tunc enim Germanicæ literæ Latinis literarum elementis conscriptæ erant, quemadmodum ex uetustissimis rationibus adhuc reliquis idipsum multò certius colligere licet. Atque lingua nostra (quæ à ueteri Celtica aut nihil, aut certè parum differt, nisi quod κράσεις, & quædam uocum permutationes nimis exiguæ ex literarum affinitate discrimen facerent) idem confirmat, præsertim in rerum nomenclaturis, quæ partim Latinæ sunt, ueluti in corporis humani partibus, est caput *eyn cop*, est oculus *eyn og*, est nasus, *eyn nass*, Sic & in alijs rebus non ita pauca sunt nomina, ut caseus, *cass*, pyrum *ein pyrn*, rapum *ein rup*. Partim Græcæ, ut βρότ☉ *ein brot*, pro pane, βούτυρον *buter*, θύρα *ein thyr*, μύλη *eyn myl*, Sunt & ex utraque lingua communes, ut Oryza *eyn ryss*, μανδήλη *eyn mantel*, ὄινος uinũ ϑwyn, Minus tamen Dialectos, aut Celtica, aut Saxonica eiusmodi uerba deprauare consueuit. Nam superiores Germani diphthongo plus quàm satis adamant, sicut Saxones abominantur.

IPse eorum opinionibus accedo, qui Germaniæ populos nullis alijs aliarum nationum connubijs infectos, propriam & syncerã & tantum sui similem gentem extitisse arbitrantur. Vnde habitus quoque corporum, quanquam in tanto hominum numero, idem omnibus, truces & cærulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora, & tantum ad impetum ualida, laboris atque operum non eadem patientia, minimeque sitim æstumque tolerare, frigora atque inediam cœlo solouè assueuerunt.

VII.

DE GERMANORVM *corporum habitu.*

VEl hinc Germanos esse indigenas Tacitus confirmat, quod omnib. Germanis in tã populosa regione omniũ corporũ habitus idẽ sit, q quinq; rationibus

tionibus approbat, cæruleis oculis, rutila coma, corporibus magnis & ualidis, quibus gratior est frigidior regio quàm calida, quæ inediam commodius quàm sitim perferre possunt. Hæ autem notæ non sunt in tota Germania perpetuæ. Vt enim quis comperit primùm, ut oculi non omnibus sunt cærulei, sed & nigri & subnigri, Deinde coma est flaua ijs magis, qui ad parallelum sextum decimũ cohabitant. Nam uicini parallelis quartodecimo, & quintodecimo nigriorẽ habent cæsariem. Contrà qui circa parallelum, uel octauum, uel nonum supra decimum incolunt, multò albior capillus est. Etsi ex quorundam humorum in corpore redundantium fumo capillitij color nascatur, tamen non parum ad hũc & aer uel calidus, uel frigidus facit. Vbi enim est calidior, ibi & plærag nigricãt, ubi frigidior, ibi eadem albicant, quod tum experientia, tum ratione ex caloris, & frigoris natura sumpta, non potest esse obscurum. Itaque non parum refert, & in Germania mundi inclinationes, quæ sunt κλίματα, obseruasse. Certum alioqui est plærosq; in secunda Germania esse albiores, quàm in prima, cum in magna sint medij ueluti coloris, inter nigrorem & albedinem, ubiq; non paucos esse comperimus quorum capillus est rutilus. Ad hunc modum de totius corporis colore, cum ex uictu, & acre atq; loco, tum uerò ex natura certi humoris in eodem exuperantis quis differeret. Quare fit, ut de colore Germanorum inter omnes non conueniat. Nam & Galenus duo uocabula, ut sunt πύῤῥος, & ξανθὸς, in commentarijs super Polybum de uictu, sic seiungit, πύῤῥος, plerisque est fuluus, sicut aurum fuluum est, sed re uera est ruffus, ita ξανθὸς flauus, sæpe tamen fit, ut πύῤῥοι, sint ijdem propter colorem finitimum, qui ξάνθοι. Quare fit ut horum nominum sit subinde abusus, ἔνιοι γοῦν τινες ὀνομάζουσιν τοὺς γερμανοὺς ξανθοὺς διὰ τοῦτο γοῦν ὄντας ξάνθους ἐὰν ἀκριβῶς τις ἐθέλῃ καλεῖν, ἀλλὰ πύῤῥους. Postremo, corpora & magna, & ualida seu firma ad impetum faciendum Germanis Tacitus tribuit, quorum aliquot sunt laboriosa, minus sitis quàm inediæ patientia, quibus frigidior aura aptior, quàm calida est. Primùm magna corpora sunt nimirum quadrata, quæ habilissima non admodum neque gracilia, neque obesa. Græcis sunt εὔκρατα, iuxta Galeni expositionem, qui sic ait, λέγω δὲ εὐκρατον, ὃς οὔτε σαρκώδεις ὄντες ἀσάρκους, ἀλλὰ εὐσάρκους ὀνομάζουσι. Procreantur uerò magna ex magnis, cum semen genitale ex omnibus corporis partibus, in uterum inspergatur, ex cuius non iactu, ut nonnulli credunt, sed & deriuatione, & propagatione magna ex magnis, parua ex paruis, clauda ex claudis, iuxta Hippocratis sententiam enascuntur, ita ut simillimi parentibus filij prodeant, non tantum forma, sed & magnitudine, atque adeò temperatura, nisi μοιχικὰ λέκτρα, intercederent. Quapropter apud Lacedæmonios Archidamas rex pessimè audiebat, quod breuioris staturę uxorem duxerat. Nam propter hanc eiusdem staturæ liberos fore timebant. Notum est uel ex Virgilio, uel ex Homero, ut procerior statura præsertim in heroibus laudatissima fuerat. Deinde corpora Germanorum, ut sic dicam, bene habituata, quæ Græcis εὐεκτικὰ sunt, cum ijsdem εὐεξία, quę Ciceroni est firma corporis constitutio, sicut infirma καχεξία. atque Galenus ad Thrasibulum ait, εὐεξία οὐδέν ἀλλ' ἐστιν, ἢ εὖ ἔχουσα ἕξις, ἢδ' ἕξις διάθεσις μονιμός ἐστι, hoc est, affectio stabilis bene se habens atque consistens. Quare idem in libello exhortatorio, ad discendas bonas literas, ἕξιν pronunciat, ἔμμονον εἶναι καὶ δυσκίνητον διάθεσιν. Hęc autem attenditur in corporibus aut ἀραιοῖς, aut πυκνοῖς, quorum posteriores homines πυκνόσαρκοι sunt, quorum εὐεξία, uelociter permutatur, sicut & Polybus quadam sententia testatur, ubi Galenus, & cautam adiecit, ne dogmaticis medicis prorsus assentiri uideretur, ἐπὲ, inquit, τάχιστα γίνεται, διὰ τὸ δυσφόρητον, ἀναγκαῖον δυλονότι μεταπίπτειν, εὐεξίαν ταχίστην γενέσιν, καὶ τὴν λύσιν, hoc est, Eυexia subito propter

difficilem per halitum digestionem concidere cogitur. Egregio sanè uerbo hic usus est, sicut alibi Hippocrates ξυμπτωσίαν, aut ξύμπτωτιν, id est, extenuationem, concidentiam, contractionem uocat, uidelicet, cum moles corporis considet, & concidit, in qua requiritur ἀνάθρεψις, nimirum cum corpus emaciatum, & concisum refocillatur & reficitur. Postea, corpora Germanorum, non sunt ex æquo laboriosa, cuiusmodi in omnibus nationibus esse haud dubito, atq; corporum uires atque consuetudo attenditur: Adhæc, eadem magis frigora, quàm æstum tollerant, id fit, cum consuetudine, tum naturæ ductu, qui rebus similibus gaudet. Postremo inediam facilè perferunt, sitim non ita. Quod si Germani bona ex parte temperaturæ essent frigidæ & humidæ, hoc est, si pituitosi essent, tam sitim, quàm inediam ferre possent. Verùm audiendus est Galenus, qui non adeò ab illa sententia discedere uidetur. Nam is in 2. de temperamentis, Gallis, Germanis, Thracibus & Scythis esse frigidam, & humidam cutim affirmat, ideo est mollis, alba, & pilis nuda. Contrà Aethiopibus, Arabibus, & ijs qui ad meridiem cohabitant, cutis est usta, dura, sicca & nigra, tum propter æstum ambientem, tum propter calorem naturalem foras actum. Idem in commentarijs Hippocratis περὶ ἀέρων Gallis, Germanis & Scythis tribuit temperamentum humidius, sed de frigiditate controuersiam adhuc esse asserit, ubi quoque de oculorum colore breuiter disserit, quod quàm cum oculis uel cæruleis, uel cæsijs cõueniat, hoc loci non planum faciam, ne longius à re præsente abijsse uidear. Etiamsi olim ἀνατομικῶς corpora Garmanorum dissecare maluerant, quibus de causis incertum est, ueluti in bello, quod contra Marcum Antoninum gerebatur, tamen præter uiscerum situm nihil aliud animaduertere, ut ait Galenus, potuerant. Verùm in dubium dicta Hippocratica non immeritò uocarentur, si quis aliquanto attentius obseruaret, ueluti de Scythis, sub quibus & Germanos plærosq; comprehẽdisse Hippocratem arbitror, cum eos ad Tanaim collocat & citra, ubi Sarmatæ incolũt, ijsdem colorem fuluum tribuit, rationem addit propter frigus ingens Nam sol uehemens ad eos non accedit, & à frigore albedo exuritur, & fit fulua. Quid multis: rationes ex locis, quos & Hippocrates agnoscit communes afferendæ sunt, uel ex anni temporum permutatione, aut æquali, aut inæquali, sicut Asiani à quibusdam Europæis discernuntur, aut ex consuetudine & legibus, ut cum Scythis, quod est hoc loci Tartaris etiamnũ μακροκέφαλοι, gratiores sunt, itaq; in prima ætate eorum corpora sic formantur. Ita cum Asiani natura timidiores effœminatiores & imbelles præ Europęis existant: tamen ex legibus bellaces esse solent, sicut & hodie Gedrosij, Persici, & Asiatici, potissimum uelites plurimum collaudantur, uel ex certa aut aeris, aut habitationis aut aquæ ratione. Quare Hippocrati Phasiani, id est, Phasidis Colchorum fluuij accolæ sunt ingenti magnitudine, corpulentia ualde excellenti, & alia, quæ ibidem subsequuntur: Ita in Germanorum corporibus hæc capita adnotanda sunt. Bellacissimi enim sunt, non tantum natura, sed & consuetudine diutiua, præsertim cum eorũ Magistratus, αὐτοκράτως seu ἀντεξάσιος, monarcha sit. Bibaces quoq; Tacitus Germanos facit, & non edaces, id quoq; ad consuetudinem referendum est, & non ad naturam. Nam cum uentres eorum propter frigus externum sint calidiores iuxta Hippocratis sententiam (sic enim occlusis meatibus cutaneis, calor internus non expirat, sed magis adaugetur) uoraciores quoq; essent, & sicut reuera sunt. Quare potissimum tempore hyemali admodum famelici existunt. Audentiæ quoq; & firmitudinis tum ex interno calore præcordiorum, tum ex assiduo exercitio rationes peterentur.

TErra etsi aliquanto specie differt, in uniuersum tamen aut syluis horrida, aut paludib. fœda, humidior quà Gallias, uentosior quà

Noricum

Noricum ac Pannoniam aspicit, satis ferax, frugiferarum arborum impatiens, pecorum fœcunda, sed plerumq; improcera, ne armentis quidem suus honor, aut gloria frontis, numero gaudent, cæq; solæ & gratissimæ opes sunt.

VIII.

DE TERRA GERMANORVM.

ETsi uariæ sint ubiq; terrarum formæ, tamen quæq; regio à propria, quæ & familior est, bona ex parte nominari solet, atque hoc modo Germanorum terra, est syluestris propter multos saltus, palustris, cum passim multæ profluant paludes, uentis expolita, præsertim Septentrionalibus, pecorosa & armentosa est. Nam opulentia Germanorum in re pecuaria maximè consistit, qualis fuit, & patriarcharum & ueterum regum & heroum. Quare apud Homerum regibus suum erat πειρεῖν, & Vlysses decantatissimus ab omnibus, pecora atq; armenta apud Ephyręos, id est, Corinthios uendidit. Sic & Iob, qui opulentus describitur, gregibus pecorum & armentorum abundauit. Itaq; reges & magnates propter eorundem copiam & numerum, passim & in sacris & in Prophanis literis collaudantur, atq; à pecore pecuniæ nomen natum est, atq; Plinius pascua eorũ laudatissima fuisse contestatur. Veteres quoq; Germaniam nonnihil ijsdem de causis damnarunt, ut Seneca de Dei prouidentia, Germanis ait, perpetuam hyemem, & cœlum turbidum, &c. Item de gubernatione mundi, Germanis esse incertas sedes asserit. Sic & Mela, Germaniam esse desertam, propter multa flumina pronunciat. Titus Liuius quoq; Germaniam esse syluam & solitudinem affirmat. Verisimile sanè est, ueterem Germaniam Hercynia sylua circundatam fuisse, in qua Sueui, Franci & Norici inclusi erant. Iam uerò ita exculta est noua Germania, ut Hercyniæ syluę uix reliquiæ in montanis uideantur, & sunt ijsdẽ sua nomina, ueluti à nigrore abietum Nigra sylua, ab Othonis imperatoris frequenti uenatione, sylua Othonis, unde est nobis *Otthenuualder*, Tyringiaca, Boichemica, in quibusdam tamen partibus Hercynię syluę nomen non est expunctum & obliteratum, & dicitur *am Hartz*. Nam Hercynię nomen prorsus est Germanicum, & ab *Harz*, id est, resina & pice, cuius magna isthic est copia, deriuatur. Alij cum linguę Germanicę sint imperiti, aut ex Græcis, aut ex fictis quibusdã historijs etyma diuinant & deriuant. Neq; uerba Taciti de tota Germania accipiuntur, sed de ea, quæ & Rheno & Danubio concluditur. Siquidem tota Stiria, inferior Bauaria, & Franconia eadem sylua obducebatur: Neque in reliquijs huius syluę hodie sui incolę desunt, præsertim in conuallibus, quibus insignes amnes effluunt. Celeberrimę quoq; urbes intra quadringentos annos postquam imperium ad Germanos translatum erat, exortę sunt, cuiusmodi uisuntur, Noriberga, Vlma, Herbipolis, Bageberga, Vratislauia, Amberga, Norlinga, Heilprũna, Heidelberga, Stuckgardia, Tubinga, Friburgum, & alia pene infinita oppida. Nemoris quoq; Hercynij reliquię in montibus Lunę & Sudetis, id est, montibus Boihemicis, quotidie propter metalla, quę in eorum circuitu plurima est, succiduntur, & insignes urbes metalliferę intra paucos annos ibidem extructę sunt. Pertinet tamen ea adhuc per limites Polonię, & Pomeranię, usq; ad Dantiscum, ubi & mons & sylua, sicut ipse in meis peregrinationibus uidi, desinit, cuius una pars *Hauelsperg* est, & altera Episcopalis mons mœnib. eiusdem urbis penè incumbens. Videntur & eius uestigia circa Daciam, & Pannoniam inferiorem prope Cassouiam non exigua.

Argentum

Argentum & aurum propitij an irati dij negauerint, dubito. Nec tamen affirmauerim, nullam Germaniæ uenam argentum aurum'ue gignere, quis enim scrutatus est? possessione, & usu haud perinde afficiuntur.

Est uidere apud illos argentea uasa, legatis & Principibus eorũ muneri data, non in alia uilitate, quàm quæ humo finguntur, quanquam proximi ob usum commerciorum aurum, & argentum in precio habent, formasq; quasdam nostræ pecuniæ agnoscunt, atq; eligunt, interiores simpliciùs, & antiquiùs permutatione mercium utuntur. Pecuniam probant ueterem, & diu notam, Sertatos, Bigatosq;. Argentum quoq; magis quàm aurum sequuntur, nulla affectatione animi, sed quia numerus argenteorum facilior usui est promiscua ac uilia mercantibus.

Ne ferrum quidem supereſt, sicut ex genere telorum colligitur. Rari gladijs, aut maioribus lanceis utuntur, hastas, uel ipsorum uocabulo frameas, gerunt angusto & breui ferro, sed ita acri, & ad usum habili, ut eodem telo, pro ut ratio poscit, uel cominus, uel eminus pugnent: & eques quidem scuto frameaq; contentus est, pedites & missilia spargunt, pluraq; singuli atq; in immensum uibrant, nudi aut sagulo leues, nulla cultus iactatio. Scuta tantum lectissimis coloribus distinguũt paucis loricæ, uix uni alteri'ue cassis aut galea.

IX.

DE METALLORVM INOPIA APVD Germanos, quæ ex horum mercatura, nomismate, & telorum genere colligitur.

SAepè antea admonuimus Tacitum Germaniam, qualis suo tempore fuit, conscripsisse, circa quod & Plinius uixit, qui in Hispania metalla mirum in modum collaudat, atq; tum æris metalla, in Germania reperta fuisse memoriæ prodidit, atq; specus quærendis argenti uenis Curtius Ruffus recluſit. Cur autem metalla Germanis non sint, triplex hic ratio est, Vna, quia dij irati ipsis non concedunt, ita ipse tot, & tanta dona Dei Opt. Max. beneficia agnoscit: Altera est, quia metallicæ rei periti desunt, cum nemo homo, qui isthic aut ex uenis, aut ex commissuris lapidum, metalla inquireret. Nam μεταλλᾶν Græcis est idẽ, quod Latinis scisciſtari, curiose exquirere, nimirum quod percontatores unum de alio uestigent, atq; eliciant. Quare multis sunt, μετάλλα tanquam μετάλληλα, quod & Plinius libro 33. capite 6. explanat. Vbicunq; autem una inuenta uena est, non procul inuenitur alia. Hoc quidem & in omni ferè materia, inde metalla, uiden tur dixisse. Siquidem non solitarie, sed simul & cum alijs eorundem uenæ reperiũtur. Itaq; metalla essent hac ratione, quod cũ alijs, hoc est, μετ' ἄλλων, uel μετὰ ἄλλα, id est, post alia reperiantur, Aristoteli quoq; sunt μεταλλευτὰ, quòd inquirantur, dicta, etiamsi eiusdem authoris τὰ ὀρυκτὰ, si quis ad uiuũ resecaturus esset,

esset, sine inquisitione non indagantur, tamẽ ciuili quodam modo fossilia, à metallis, quæ uetcribus erant nota, diligenter separari possunt. Tertia uerò ratio est, quia Germani, studio, usu, & κτήσει metallorum, non perinde sese oblecta runt, idq; ex continentia Germanorum comprobat. Nam in eodem loco illis pocula argentea, quo fictilia & Samia tam sunt, quàm habentur æstimanturq;. Optandum per Charitas est, si quid uotis proficeretur, eandem uirtutem etiã hodie apud nostrates perdurare. Hinc factum est, ut olim nummorum tantus usus non erat Nam iuxta Tacitum proximi, hoc est, nobis Trãsrhenani Germani, in mercimoniis aurum & argentum non adeò repudiabant, & typos Romanę monetę non ignorabant, sicut etiam num passim in eadẽ parte uel in agris eiusmodi moneta eaq; uaria; utiq; Romani nominis ab agricolis inuenitur, in qua imagines Cæsarum cum inscriptione, & titulis & symbolis ceu emblematibus signatæ uidentur. Imagines autem Cæsarum non semper propriæ sunt. Nam Neroniani nummi habitum cytharedi, Seuerani typum Alexandri Magni, Octauiani sydus Capricorni insculptum habebant. Ita Germanis usitatiores fuerũt nummi, propter serræ notam serrati; ita Romanis à bigis bigati, à quadrigis quadrigati, & sicut in illis imago duorum equorum currui iunctorũm, ita in his quatuor equorum submissorum expressa fuit, ita à uictoria Victoriati. Fuerunt enim & olim non minus atq; hodie singulis gentibus sua symbola & typi cum inscriptionibus, ueluti Persis stateres Dareici. In Philippeis erat bouis imago. In Alexandreis mulę currui iunctæ. In Atticis noctuæ signum uidebatur, Nę multa occidẽtalibus, & meridionalibus Germanis tales nummi propter mutua commercia in proxima uicinia frequentiores erant, & præsertim argenteos, cum sint communiores in emptionibus & uenditionibus; & εὐρύτεροι magis adamabant. Verùm Germani interiores, hoc est, qui nobis sunt citra Rhenum ad Vistulam usq;, rerum permutatio in usu fuit, cuius usus in plærisq; locis nondum in desuetudinem abiit, & plerumq; aut *gwahr umb wahr*, hoc est, merces pro mercib. aut *stich vmb stich*, ut uereri emptionis ut arbitror, ritu nominant. Ad hunc modum Homerici reges non pecunia, non ære signato, sed mercibus, uinum, æs & ferrũ coemere consueuerunt. Sic enim Iliad. α canit.

ἔνθεν ἄρ' οἰνίζοντο κάρηκομόωντες Ἀχαιοί·
ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἰθωνι σιδήρῳ,
ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ' αὐτοῖσι βόεσσιν,
ἄλλοι δ' ἀνθρώποισι· τίθεντο δὲ νῆα θάλασσαν.

Huius & Aristoteles in politicis meminit, & maximopere eam commendat. Negat quoq; Germanis ferrarias fodinas esse, & colligit, quia Germanorũ tam pedituin quàm equitum tela parum ferri habent. Itaq; obiter eorundem armaturam paucis recenset, in qua primum septem telorum genera numerat, quorũ primùm est gladius, quo cincti, & cæsim & punctim feriunt, lãcinant, & hostem petunt. Rariores tamen Germanis propter ferri inopiam gladios tribuit, Alterum est telum lancea maior, id est, hasta oblongior, qualis erat Phalangi Macedonicæ sarissa, longo ferro in mucrone munita, & multis est lancea à latitudine ferri dicta. Est quidem teli genus longissimum, & Gellius ex Varrone dictionẽ Hispanicam & non latinam asserit, & qui milites lanceam gerunt, Lãcearij sunt. Tertium est framea, quæ ipsa hoc loci est hasta sed breuior, quasi dimidiata sarissa, à nobis hodie dicitur, *ein halb stange*, & uerè est spiculum, id est, lancea breuis, cuius ferrum erat, sicut & hodie triangulum anciarum nomen, & hoc est, Græcis λόγχη nobis *ein lonch*. Hastile autem pedum penè sex, interdum & octo est, & cum sit quoque missile iuxta Vegetium, prudenter hic telum esse ait, quo & cominus & eminus, magis tamen punctim quàm cæsim pugnatur Hic tamẽ cũ ferri copia desit, λόγχην breuem & angustam fecit, atq; frameas à Germanis

uocari

uocari tradidit, cuius nomen esse reliquum nobis nondum audiui, nisi quis stylum prælongum cultellis affixum similitudine quadam, quem etiamnum, *Ein pfreym*, nominamus, intelligere malit. Malè cum Rhomphæa quæ ingentis erat longitudinis apud Latinos grammaticos confertur, & ab ea deriuatur. Hic enim protsus Germanicam dictionem esse affirmatur. Solebant quoq; Germani in experimentis, & tyrocinio adolescentulos suos frameis, & scuto exornari. Quartum est scutum, quod equiti tribuitur tanquam familiarius telum. Ita Romani ferè peditibus clypeos, & equitibus scuta dederunt. Deinde in eodem colores uarij distinguuntur, sicut Græci frequenter ruffatis, Carthaginenses albis, Corinthij rubris utebantur, Sed hic tantum colores lectissimi habebantur, Græci quoq; diuersa insignia addiderunt & numina, uel Neptuni, uel Gorgus, uel Mineruæ. Agamemnon caput leoninum, Alcibiades Cupidinem cum sagittis retinebat. Nota sunt scuta Achillis apud Homerum, Herculis apud Hesiodum Aeneæ apud Virgilium. Sunt & cetrati, cum cetræ sint scuta, ex loro rhomboide, sicut peltati, cum pelta sit scutum breue lunæ instar, & tales erant in principijs milites ὁμότιμοι. Lucani quoq; scuta, ex uimine contexta corijs tegebant. Verùm hodie Sarmatarum & Turcarum scuta, ex neruaceis partibus concoctis, & compactis, corio obducta sunt, in quibus plerunq; uolucres & uoraces, quæ sunt Homero οἰωνοί, depictæ sunt, & sicut Alexander Macedo suos scutatos ab argenteis clypeis ἀργυράσπιδας, ita Alexander Seuerus χρυσάσπιδας nuncupauit. Quintum, missilia complectitur, uetustioribus βέλη tela, ut sagittæ, lapides, iacula erant, sed hodie, cùm ænea tormenta inuenta sunt, longè alia & missilia sunt, uelut ex sclopetis glandes, ex bombardis globi ferrei plærunque centum libras plus minus graues in hostes eorumq; mœnia mittuntur. Sextum loricas, id est, tunicas strictas olim ex loris, hodie ex ferreis annulis intertextas continet, & sunt pectoralia, Græci θώρακες, sicut Homero sunt λινοθώρακες, hoc est, lineo thorace induti. Scythæ hodie ex bilice, cui gossipium cum frustellis uitreis suffarctum est, tessellatim & angustius consuunt, *ein pantzer*. Septimũ, est galea, quæ & cassis est, atque paucos Germanos esse galeatos propter ferri defectum pronunciat. Verùm de Germanorum armatura, si quis desiderat, eundem Tacitum libro secundo annalium & alibi passim legat, uoti sui compos erit. Porrò isthæc, sicut sua memoria author usu comperit, scripta reliquit, ut qui non penitus Germanis metalla denegarit, sed perstringit eorum studium aliquanto negligentius. Dicit enim, quis nam uenas auri, & argẽti scrutatus est? Plinius tamen æraria metalla inuenta fuisse suo tempore testatur. Verùm hodie Dei opt. max. beneficio uix ulla in toto terrarũ orbe regio est, propter metallorum, & diuersorum copiam Germaniæ conferenda. Siquidem passim metalla plumbaria, æraria, ferraria, argentaria, auraria, & alia id genus, uidelicet iuxta Noricas alpes, iuxta Iurassum, iuxta & intra Sudetos, iuxta Carpathum, iuxta Suittonum montana hodie celeberrima sunt, quorum nomina si quis cupit, & uetera, & noua, Georgij Agricolæ intra metalla nati, & rei metallicæ, si quis alius, peritissimi, egregia scripta perlegat. Quid quod & in nostra uicinia apud Lygios, quos hodie Silesios nominamus, in ea parte, qua est Saganum, Sorabium, Sprottum, & Gorlicium tanta ferri copia est, ut lapides passim sub summo cespite inueniantur, & quod mirum est, imperio, ut ijsdem in locis illi ipsi renati sint, sicut ferri copia perpetua suppeditaret. Tertio aũt ab hinc anno dũ Corruduno usq; ad Maringos, id est, Cracouia, quæ minoris Poloniæ, & regia & caput est, usq; ad ducatum Opalienſem Vratislauiã uersus iter feci, metalla plũbaria, & argentaria admodum insignia uidi, ut Vlcoschi, quod Cracouia tercium usq; ad lapidem distat, & Tarnobij, circiter VIII. M. P. ab Opalio, cuius mœnia & arcem Viadrus noster interluit, dissidentis metalla argentaria eaq; feracissima,

ex

ex quibus aliquot puri argenti pondo non semel eruta sunt, & inde omnia numismata in tota Sarmatia excudantur & signantur, atq; inter hæc duo oppida, si quis trita, & publica uia deuiauerit, in loco æquiore atq; pratensi, multos puteos cum scalis pensilibus, & machinis tractoriis, sed tum propter diffidiam diuersarum nationum, tum propter ἀταξίαν (nam neq; præsides, neque leges metallicas habent) tum propter magnam aquę confluentis uim, desertos reperiet, & sub id tempus plæræq; metallicę operæ in Nordtuuegiaca metalla confugerant. At quę apud nos exigui fluuij sunt auriferi ad montium quorundam radicem. Non quod eorum arenæ auri feraces essent, cum ijsdem neq; uenæ, neque commissurę, neq; fibrę sint, ex quibus metalla nascerentur, sed illud ipsum aut ex imbrium aut amnium, aut riuorum ab auriferis montibus impetuosa fluxione abreptum affertur, undè Latinis sunt à radendo ramenta, Græcis ψήγματα quasi auream quis scobem diceret, quę in lotione arenę istorum locorum corraditur, & colligitur. Milites quoq; Germani sunt, uel nudi uel sagulati, id est, sagulo militari indúti: Idipsum, ut essent expeditiores, factum esse non dubito. Hodie eorundem uestes ita sunt dissectę, ut ubiq; facile adhęreant, taceo ut nihil brumali tempore calefaciant. Nudos autem sic, ut non sint aut tunicati, aut sagulati, accipio, quales etiamnum plęriq; omnes esse consueuerunt, cum fœmoralibus & tibialibus coniunctis ornati sunt, id est, caligati. Veteribus autem caliga calciamenti genus ad mediam usq; tibiam fuit, in cuius superiori parte caput quoddam Leonis apparuit, & sępe ferreis clauis multiplicibus munita, & ab hac milites caligari nominantur, & tales in tapetijs, & antiquis marmoribus, Vlysses, Hector, Aiaces, Achilles, & alij Heroes adhuc uidentur. Notum est prouerbium de Maximini apud Iulium Capitolinum, & de Epicratis apud Ciceronem caliga.

EQui non forma, non uelocitate conspicui, sed nec uariare gyros in morem nostrum docentur. In rectum aut uno flexu dextros agũt, ita coniuncto orbe, ut nemo posterior sit. In uniuersum æstimant plus penes peditem roboris, eoq; mixti præliantur, apta & congruente ad equestrem pugnam uelocitate peditum, quos ex omni iuuentute delectos ante aciem locant. Definitur & numerus, centeni ex singulis pagis sunt, idq; ipsum inter suos uocantur, & quod primò numerus fuit, iam nomen & honor est. Acies per cuneos componitur. Cedere loco, dummodo rursus instes, consilij quam formidinis arbitrantur. Corpora suorum etiam in dubijs prælijs referunt. Scutum reliquisse præcipuum flagitium, nec aut sacris adesse, aut concilium inire ignominioso fas, multiq; superstites bellorum, infamiam laqueo finierunt.

X.

DE EQVITATV ET PEDITATV

Germanorum, atq; acici instructione.

SI quis hic attentius animaduerterit omnem gloriam rei equestris non minus adimit, atq; Iulius Cęsar, qui in 4. Gallici belli libro ait. Germanos, neq; iumentis importatis uti, sed quę apud ipsos praua & deformia nata sunt, & turpissimũ apud eos ephippiorũ usum haberi adiecit, ita in equis neq; spectare formam

mam neq; uelocitatem, neq; gyrorum rationem asserit, sed agitationis formam exprimit, quæ Græcis est καπάσια, quæ fit aut in dextram, aut in sinistram conuersione, quæ est & σφοφὴ, de qua sic Xenophon πέφυκεν, inquit, ὁ ἵππος εἰς μὲν τὰ δεξια σφεφόμενος τοῖς δεξιοῖς ἀφηγεῖσθαι, εἰς εὐώνυμα δὲ τοῖς ἀριστεροῖς, quod est, si equus in dextram conuersus fuerit, dextris quoq; procedit, sin autem in sinistra, sinistris. Germanis autem flexus in dextrum usitatior fuit, sicut ueteribus Romanis in sinistrum. Est & πέδη, quasi concatenata agitatio, qua per utramq; buccam agitantur, de hac sic Xenophon: καπασίαν δ' ἐπαινοῦμεν τὴν πέδην καλουμένην, ἐπ' ἀμφοτέρας γὰρ τὰς γνάθους σφέφεσθαι ἐθίζει, καὶ τὸ μεταβάλλειν τὴν καπασίαν ἀγαθόν, ἵνα ἀμφότεραι αἱ γνάθοι καθ' ἑκάτερον τῆς καπάσιας ἰσάζωνται, hoc est, eam agitationem collaudamus, quæ πέδη dicta est. Siquidem sic assueſcunt equi, in utranq; buccam conuerti, & agitationis permutatio confert, nimirum, ut utraq; bucca utrinque in agitatione adæquetur. Quoniam in utranq; partem conuertere rectum est, & nisi oris contumacia sit impedimento, paris facultatis esse solet. Est & alia, quæ cum sit ueluti catena altera parte, itaq; laxior & magis producta. Est & κυκλοτερὴς, circularis aut gyrata. Nam gyrorum apud ueteres, sicut & ex Virgilio liquet, exquisita ratio & ars magna habebatur. Est & ὀρθόδρομος cum ea in directum fiat cursum, non in alteram partem conuersa. Est & ἀπόκαμψις, cum agitatio flexuosa sit, de quibus ita Xenophon, ἐπαινοῦμεν δὲ καὶ τὴν ἑτερομήκη πέδην μᾶλλον τῆς κυκλοτεροῦς, ἥδιον γὰρ ὕτως ἀναστρέφοιτο ὁ ἵππος, ἥδιον πλήρης ὢν τὸ ἐνθέος, καὶ ἀναστρέφεται τε ὀρθοδρομεῖν, καὶ τὸ ἀποκάμπτειν ἄμαμελετήτως ἄγει. Ita Germanis fuit, equorum circumactio, aut in dextrum, aut in rectum. Nam eam, quæ in orbe fit, Romanis usitatiorem prorsus neglexerunt. Flexuram autem ab agilitate & prõptitudine, ut arbitror (Sunt enim isthæc uerba mihi adhuc subobscura, & in uarios sensus torqueri possunt, quos Lectori permitto. hæc autem ita passim habẽtur, uno flexu dextros agunt, ita coniuncto orbe, ut nemo sit posterior) collaudat. Cæterùm Tacitus peditatui quàm equitatui, contra Strabonis sententiam, plus tribuit. Nam penes peditem plus roboris fuisse scriptum reliquit. Quapropter in prælijs faciundis pedites equitibus permisti erant, eosq; in equestri pugna ante aciem ordinant. Itaq; pedites & iuuenes delectos propter corporis integritatem, & uelociores esse oportebat. Ita prima frons in acie florem iuuenum pubescentium ad militiam habebat, atq; hi sunt antesignani, cum ante signa & circa signa: nec non etiam in prima acie dimicent, ita principes, hoc est, ordinarij, cæteriq; principales nominantur. Quid si ijdem apud Liuium in 8. ab Vrbe cond. antipilani essent? Et cum Germania sicut & hodie iuxta Cæsarem Heluetia, in pagos diuisa fuit, ueluti Sueuis, Semnonibus iuxta Albis ripam, usque ad Sueuum, (ubi hodie Marchia media, & in hac Hexapolis Prignitia, & Episcopatus Hauelbergianus) centum erant pagi, ut infrà planum faciemus. Pagi autem nomine quasdam unius regiunculæ oras, & plagas ad unum fontem sitas capimus. πηγὴ enim & Dorice πάγα, est unde nobis Germanis adhuc est, *ein pach*, uelut fons & fluuius. Itaq; Pagani & hi sunt, qui in utraq; ripa fluminis cohabitãt, atq; aut binorum, aut ternûm millium uirorum esset ditiuncula; *ein gebit*; uel *ein marck*, uel *ein ort*, interdum & XX M. hominum, ut minimum continebat. Ideo pagi modò angustiores, modò pro hominum accolentium multitudine habebantur ampliores, Ita & apud Cæsarem Morinorum pagi leguntur. Ad hunc modũ quis in Marchia, qua nunc uitam uiuimus, quatuor pagos constituerent, iuxta Albim, ubi est antiqua, iuxta Sueuum, ubi est media, iuxta Viadrum, ubi est noua Marchia, & denicq; iuxta Vcarum lacum prægrandem, ubi est à Primislao Sarmatarum rege Primislaum, uulgò *Primslau*, situm & hodie Vcaria Marchia, id est pagus Vcarius nominatur. Sic & tota Germania in aliquot districtus per singulas nationes ferè fluuij insignioris accolas discernebatur. Vndè est nobis à Rheno

no *Rhingou*, (Sic enim pagum *ein gow* appellant.) Sunt & ab incolis quibuslibet pagi admodum celebres, ut à Rhetis *Rhetigou*, ab Almannis *Almangou*, à Tigurinis *Zürchergou*, & sic de alijs iudicandum est. Quarè Germani milites conscripturi ex singulis pagis centenos euocabant, atque sic centenarij sunt, uulgò *das cent*, seu apud Francos Contones, quorum præfectus erat non alius, atque Romæ Centurio, isque primarius, tanquam primi pili ductor, atque Liuio est idem primipilus, nobis hodie est *Centgraffe*, id est, centum militum euocatorum comes & præfectus, atque in Francia, Otthonis sylua, & Palatinatu tales præsides etiamnum appellantur, ex rusticis delecti, & ab officio comites ceu Landgrauia. Itaq; nomen dignitatis esse, & non numeri in militum delectu Tacitus asserit. Verùm eorundem acies est cuneata, cum ea aduersariorum ordines cuneat, id est, scindit & diuidit. Est enim eius acumen angustius & cuneatius, & subinde magis atque magis latior procedit. Confert autem hęc instructio, quòd à pluribus in unum locum tela mittantur, cuius typus uidetur apud Aelianum. Erant quoque ijsdem sua signa bellica, & sicut plærique aut tutelares dei, aut quorundam animalium ferè terribilium effigiem habebant, ut Thebani sphinga, Persæ auream aquilam supra oblongam hastam patentibus alis, quod est signum Cæsaribus Germanis militare; interdum fuit & Solis simulachrum, aut sacer & æternus ignis. Porus Indorum rex Herculem, Cyrus aureum gallum lanceæ affixũ, Cymbri æneum taurum, Osyris canem, Eumenes Cererem & Alexandrũ. Neoptolemus Mineruam pro bellico insigni gerebant: Ita Germani effigies lucis detractas præire iubebant, non aliter ac Aegyptij pictis tabellis animalia quę colebant. Erat & in aggrediundis hostibus consuetudo, non tantum Germanis, sed & Gallis, ut congressu militari suum, de quo antea plura, barritum seruarent. Solebant & Germani non prius acies committere, quàm per matres familiâs, (quas non secus castris educebant, ac Dionysius suas mulieres thyrsigeras) sortibus & uaticinio prædictum erat. Erat & ijsdem quædam in conflictu disciplina, ut loco cederent, & rursus pro consilio instarent, id'que sæpenumero fiebat, quoties milites dissipati in suos mox ordines cedendo rediren̄t, ut coacto exercitu omnes uno impetu in hostes incursionem facerent, & magno ardore pugnam repararent, cuius sanè consilij afferuntur & aliæ causæ, nimirum ut equites dimissis equis sese peditibus æquato omnium periculo immiscerent, ut spe fugæ erepta pedestri prelio acrius instarent, ut ui in hostes iam sparsos & incompositos uiam facerent, sic & transfugis nullus locus concedebatur. Neque alia Romanis in suis cuneis & phalangibus fuit ratio. Itaque consilium salutare potissimum in magna animorum consternatione, rebusq; accisis, desperataq; salute profuit. Verùm qui hæc Taciti uerba, inter quos est & Annius Viterbiensis, repetunt, sic legunt, consilij magis quàm formidinis arbitrantur, alioqui eclipsin eiusdem aduerbij quis statueret. Erat ijsdem & mos perinde ac heroibus Homericis, ut corpora uel potius cadauera suorum in castra referrent. Nam & Homero ignominiosum est, αὐτὸς esse ἑλώρια κύνεσσιν, οἰωνοῖσί τε πᾶσι, id est, corpora (Sic enim αὐτὸς pro σώματα hoc loci accipimus) à canibus & auibus carnuoris, ueluti sunt, corui & uultures, dilacerarentur. Dici nequit, quàm religiosè Turcę eam consuetudinem adhuc mordicus retineant. Postremo sunt & illis mulctę militares, ueluti ῥιχάσιδας cum tanta infamia notarent, ut penitus excommunicati, hoc est, à sacris & concilijs, uidelicet à publico cœtu diuisi & separati essent, cum capite diminuti iudicentur. Verum in transfugas, & patriæ aut ciuium proditores capitali pœna animaduertebant, hodie laqueo uitam finiunt, cum in crucem ferè agantur. Ita & Iuba rex sui loci desertores cruce affixit, eorundem autem Ausidius & Cassius & manus & pedes detruncauit. Tales & olim fustuario plectebantur, quod & hodie Pannonibus inferioribus in usu est, & suo uocabulo

Haram paltza, id est, tribus fustibus dignum, ueluti quodam prouerbio clamãt. Legitur quoq;, ut Alexander Magnus quendam castelli custodiæ præpositum propter desertam stationem nece punierat. Ridicula & Dacorum fuit consuetudo, ut male pugnantes capita loco pedum ponerent, atque γυναικοκρατούμενοι, id est, ministeria uxoribus præbere cogerentur. Solebat quoque Aphricanus posterior transfugas bestijs obijcere, Paulus Aemilius elephantis, & Germani arboribus suspendere, & imbelles paludi submergere consueuerunt. Pro stipendio autem ijsdem erant (si uero consentaneum scribitur) epulæ & largiora conuiuia. Fuit & tumultuaria castrorum munitio etiamnum usitata, cum pro uallo dispositos currus mutuo nexu habuerant, unde *eyn Wagenburg* nominatur, atque in obsidione diuturna propter telorum faciliorem impulsionem aggerem iacere (qui ipsis hodie est *eyn polwergk* uel *eyn schantz*) & ex terra effossa & lignis contra murum extollere soliti erant.

REges ex nobilitate, duces ex uirtute sumunt. | Nec regibus infinita aut libera potestas, & duces exemplo potius quàm imperio, si prõpti, si conspicui, si ante aciem agant admiratione, præsunt.

XI.

DE GERMANORVM REGIBVS,

ducibus, eorumq; potestate.

SIcut magistratus Germanorum summus erat rex, ita respublica eorundem regia: Reges autem & duces officiorũ sunt nomina, qui subditos aut ciues aut milites regunt & ducunt: illi quidem Germanis *Kõningk* sunt, nimirum quod *kõndigk*, hoc est, periti, prudentes & sapientes, & sicut in capite est τὸ ἡγεμονικόν, ita in rege reliqua membra subdita, gubernante prudentia sapientiaq;, potissimum collaudantur: Hi uerò *Hertzogen* nominantur, cum dictio sit integra *Hertzog*, hoc est, duces uel exercitus, uel militum. Regnum autem non erat hæreditarium sed arbitrariũ, cum ex nobilitate unus aliquis deligebatur, & ab officio regio rex salutabatur, & non à cognatione & sanguinis successione. Quæ consuetudo & hodie multis nationibus, quas barbaras plærique nuncupant, relicta est. Verùm nobilitas non ex sanguinis propagatione, sed ex rebus præclarè gestis censebatur, alioqui eius aut Noeus, aut eius filius nobilitatis primus author fuisset, sicut non pauci sentiũt, quis non omnes homines ex hoc stẽmate nobiles iudicaret. Rectius facerent, si Nimrotum fortem uenatorem constituerent Babyloniorum regem, qui αὐτοκράτορος δύναμιν id est, plenam & summam potestatem primus affectabat. Quare nimis excelsam turrim, ne naufragiũ timeret, ibidem exædificauit. Cęterum in principio reges uel Babylonij, uel Persici, uel Syriaci, uel Aegyptij uel Iudaici ex gregarijs hominibus propter uirtutes singulares delecti erant. Non ne Saul ex pastore armentario? Non ne Dauid ex opilione? Nónne Romulus & Remus ex pastoribus reges creati sunt? & reges Germani ex officio magis quàm ex cognatione nobiles erant? Deinde ijsdem uisum est, ut reges non essent αὐτοκράτορες, & ἀντεξόσιοι ueluti quibus esset merum imperium, qui essent sui iuris, suæq; potestatis & arbitrij absque controuersia, id consilij ad uitandam tyrannidem & insolentiam, quæ in regia republica frequentior esse consueuit, prudentissime intendebant. Ad hunc sane modum duces ex uirtute potissimum militari ab ipsis regibus sumebantur, si tales subditis magis exemplo quàm imperio præessent. Exemplum uerò sumebatur, si probi, si mo-

rigeri

rigeri, si bellicosi, uel in prima acie fuerunt. Hi quoque non sui iuris & arbitrij erant, sed regis iussa exequebantur. Quare ijdem aut exercitui, aut prouincijs præficiebantur, unde nunc duces militum die Heuptleute, nunc duces prouinciales, der landtschafften furer vnd Heuptleute.

CÆterum neque animaduertere, neque uincire, neq; uerberare quidem, nisi sacerdotibus permissum, non quasi in pœnam nec ducis iussu, sed uelut Deo imperante, quem adesse bellantibus credunt, effigiesq; & signa quædam detracta Lucis in prælium ferunt. Quod'que præcipuum fortitudinis incitamentum est, non casus nec fortuita cõglobatio turmam, aut cuneum facit sed familiæ, & propinquitates, & in proximo pignora, unde fœminarum ululatus audiri, unde uagitus infantium, hi cuique sanctissimi testes, hi maximi laudatores. Ad matres, ad coniuges uulnera ferunt, nec illæ numerare aut exugere plagas pauent. Cibos'que & hortamina pugnantibus gestant.

XII.

DE SACERDOTVM MI-

litarium officio.

VEl ex Mose, Sacerdotes aut domi, aut bello, sed propter doctrinam fuisse constat, quorum priores, utpote domesticos domi docẽtes Romanorum more togatos, & posteriores sagatos tanquam bellicos doctores nuncupabimus. Verùm Germanorum sacerdotum bellicorum non est aliud munus, atque lictorum Germanorum. Nam illis uerberare, uincire, in uincula conijcere, & punire, solis permissum erat. Hic tamen discernuntur à lictoribus, quòd illi tanquam Dei, & non magistratus alicuius iussu imperioq; sibi tribuerunt, nimirum ut ex religione, ignauis & conscelleratis terrorẽ incuterẽt. Incredibile est, ut religio etiam gentilis, si quid aliud, homines & in officio retineat & mansuefaciat. Itaq; eiusmodi sacerdotes plusquam satis imperij sibi sumpserunt, sicut Iouis sacerdotes in Meroe ea superstitione animos implerunt, ut interdum misso nuncio regi Aethiopię necem demãdarint, cuius dominium nemo detrectare ausus est, usq; ad Egranem regem, qui ad unum omnes sacerdotes interemit, sacerdotiumq; totum sustulit. Cæterum ut religiosiores essent præliaturi, ut non suis uiribus, sed Dei beneficio uincerent (est & hoc sacræ scripturæ consentaneum, quæ manifeste docet uictoriam à Deo donari. Item Deũ manus ad prælium docere & dirigere) statuas & simulacra deorũ, uel Martis, uel Herculis, uel ferarum terribilium, quarum ora propter terrorem incutiendum hiabant, lucis, id est, nemoribus alicui diuorum consecratis detracta ferre solebant, ut uel solo effigiei conspectu mouerentur, eiusq; auxilium expeterent, sacerdotesq; summa obseruantia uenerarentur. Itaq; sacerdotum castigatio tãquam Dei uindicta iudicabitur.

XIII.

DE CVNEORVM GERMA-

nicorum constitutione.

POrrò ut maiori tum fide, tũ constantia contra hostes decertarent, non quoslibet & gregarios milites, aut in turmam, aut in cuneum, sed propinquos familiares,

milliares, atq; adeo ipsos liberos condecuriabant. Nam sic mouebantur, atq; mulierum lugubri ululatu atq; infantum uagitu anima eorum ad constantissimum conflictum procellebantur & inuitabantur, cumq; iam pro uxoribus & liberis, & pro focis, ut dicitur, & aris pugnandum esset. Hinc uel laudabantur strennui milites, uel ignaui uituperabantur. Erant autem hic prælij facti testes & laudatores ueri non adulatores, sed ipsi familiares, atq; adeò propinquissimi. Quare neque matres neq; uxores uulnera, aut filiorũ aut maritorum dinumerare, & propter ueram testimonij dictionem, & propter iustam laudationem, puduit. Fuerunt & in officio, quoties suis pugnantibus cibos afferebãt, quoties eosdem exhortabantur. Sunt enim hic hortamina πρὸς κελεύσματα & παραξυντικὰ & παρορμητικὰ ueluti talia hortamenta, quibus pugnantes iubentur, incitantur & impelluntur, cuiusmodi exemplum in Cymbrico bello, iuxta Florum & Plutarchũ in Mario propositum legitur. Mulieres autem lanificium colus & fusus decet, sicut & Homerus canit, sicut olim consuetudo fuit, ut sponsa etiam nuptiarum die colum comptam, & fusum iuxta cum stamine ad maritum deferret. Verùm hic matronas lanæ admouere manus. aut calathum, aut pensa tractare, non aliter atque apud Persas probrosum uidetur. Romana quoque disciplina militaris mulieres castris interesse uetuit. Neque permittebatur ijsdem, ut castra sequerentur, cuius consuetudinis & in Gallo Virgilij fit aliqua mentio. Atque Scipio Aphricanus maximus imperator in bello Numantino, multa millia scortorum expulit, atque milites stantes prandere, nihilq; cocti uesci coegit. Hodie ita impuri sunt milites, & Germani & Hispani, ut nihil propter fœdam libidinem istis sit turpius. Hoc autem loci honestæ uxores exercitui adhibentur, tum ut ignauis animum adderent, tum ut commeatum suppeditarent, tum ut aciem inclinatam restituerent.

MEmoriæ proditur, quasdam acies inclinatas iam & labantes à fœminis restitutas, constantia precum & obiectu pectorũ, & monstrata cominus captiuitate, quàm longè impatientius fœminarum suarum nomine timẽt, adeò ut efficacius obligentur animi ciuitatum, quibus inter obsides puellæ quoq; nobiles imperantur. Ineſſe quinetiam sanctum aliquid & prouidum putant, nec aut consilia earum aspernãtur, aut responsa negligunt. Vidimus sub diuo Vespasiano Velledam diu apud plerosq; numinis loco habitam. Sed & olim Auriniam, & cõplureis alias uenerati sunt, non adulatione, nec tanquam facerent deas.

XIIII.

DE FOEMINIS GERMANORVM.

NOn tantum erant in pugna exhortatrices uxores Germanorum & commeatuũ curatrices, sed & acierum inclinatarum instauratrices duplici ratione, una est inuocatio & conflictatio. Nam in ea fuerunt sententia, ut non nisi ijs inuocatis uincerent. Quarè & nobis in more positum est, ut prælium facturi sint & Christiani & Caroli. Christiani quidem cum Deum, tumq; auxiliatorem in belli causa honesta defensorem longè præstantiorem, atq; est Aiacis septemplex scutum inuocent. Caroli autem, cum benè armati fortiter contra hostes digladiantur, sicut Charolos, hoc est uiros fortes & strennuos decet. Ita & fœminę Germanorum aciei inclinationem tum pijs precibus, tum forti & constanti cõflictatiõe cõfirmabant. Altera est præsentis periculi ueluti capitiuitatis ἀπόδειξις

Nam

Nam alioqui eam propter uxores sibi unicè charas, sicut infrà de matrimonio planius fiet, ualde timebant. Nam & in obligationibus pactorum cum alijs ciuitatibus, non alij obsides ob fidem iuxta Festum, quàm nobiles puellæ repetebãtur. Sciebant enim istos non tam subito à fide obligationis recessuros esse, ut in corpora adeoq; uitã earum sæuiẽdi alicui potestas fieret. Verùm cum in ijsdem sanctum, & ob diuinandi artem prouidum quiddam esse iudicarent, neq; consilia earum repudiabant, neq; responsa tanquam oracula negligebant, cuiusmodi Velleda apud Bructeros, & Aurinia apud Cattos fuerat. Illius quidem multa sunt uaticinia & responsa in 21 annalium Taciti. Huius uerò nomẽ adhuc apud ueteres Saxonas reliquum est. Sic enim sagas, quæ incantationibus præsagiũt, Aurin tanquam diuinatricem *eyn warsagerin*, cum fatidicæ sint, appellant, atq; hodie multarum rerum euenta, aut ex cera in labrum aquæ plenum affusa, per certa carmina uarijsq; modis effigurata, aut herbarum quarundam consecratione, aut alijs & monstrosis rationibus diuinant. Velledam uerò Tacitus, qui Galliæ Belgicæ præfuit, in proxima uacinia Bructerorum, id est, bona ex parte Vuestphalorum uidit, atque se sub Vespasiano uixisse manifestè testatur, uidelicet anno à nato Christo 75. Id autem ueri simile mihi uidetur. Nam ad id tempus historia illius Augusta pertinet, & in eius fine erga Vespasianum, Vetus inquit, mihi ob seruantia, & cum priuatus esset amici uocabamur: Verùm quibus eundem sub Aelio Hadriano Augusto floruisse placet, annũ à Christo nato 120 statuunt, atq; sic 46. anni intersunt, quod tẽpus non tanti momenti in hoc dissidio esse iudico.

DEorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoq; hostijs litare fas habent. Herculem ac Martem concisis animalibus placant. Pars Sueuorum & Isidi sacrificat. Vnde causa & origo peregrino sacro, parum comperi, nisi quod signum ipsum in modũ Liburnæ figuratum, docet aduectam religionem. Cæterum nec cohibere parietibus deos: neq; in ullam humani oris speciem assimulare, ex magnitudine cœlestium arbitrantur. Lucos ac nemora cõsecrant, deorumq; nominib. appellant, secretum illud, quod sola reuerentia uident.

XV.

DE DIIS GERMANORVM, *eorumq; religione.*

QVanta sit mentis humanæ cæcitas, iam tum suapte uoluntate, tum sathanæ perpetui salutis hominum hostis impulsione, uel ex hoc loco liquet. Nam iste sic homunculos deuincit, ut non nisi ipse tanquam uerus Deus ab ijsdem excolatur. Quid nam igitur hic aliud uides, quàm turpissimam Germanorum ἀπολογιαν, & Sathanæ odiosissimam malitiam. Numerantur quatuor dij ijsq; præcipui, Mercurius, Hercules, Mars & Isis. Hi sanè communes toti Germaniæ fuerunt, alioqui singulis penè Marchijs sui erant dij. Quarè Teutonibus, de quibus paulò post, Teutanes erat ipse Mercurius. In quibusdam & Solẽ, Vulcanum & Lunam coluerant. Quid multis? hos deos iudicarant, à quibus multũ beneficij cumulatum est. Illis quoq; suæ ceremoniæ in sacrificando fuerant. Nã Mercurio homines mactabant, sicut Græci in ipsa inuocatione suos sacrificabãt liberos, ueluti Iphigenia ab ipso Agamemnone propter secundioris uenti uotũ immolata fuit. Alijs uerò dijs bruta tantum mactabant. Aras quoq; singulis alijs per certam effigiem, sicut & hinc ex Iside pater, dedicabant, easq; frontibus ornabant

nabant dijs ipsis familiaribus, ut Iouis aram esculus, Apollinis laurus, Mineruæ olea, Veneris myrtus, Bacchi hædera, Panos pinus, Ditis aram cupressus expolliebat. Victimæ quoque erant ἄρρικαι, ἄτομαι, μὴ ἔμπυρα quas & Solon ἀφελεῖς nũ cupare consueuit, hoc est, ut eædem integræ, infectæ, immutilatæ uel synceræ essent. Neque uerò omnibus interesse sacris qualibuscunque licuit. Quarè suprà eos à sacris exclusos tanquam, ut hodie loquuntur, excommunicatos, qui in acie scutum amiserant. Neque polluti ad eorum sacra propter impuritatem admittebantur. Itaque non secus ac Græci sacra adituros τις τῶνδε, hoc est, quis nam hic rogabant, sed referebatur πολλοὶ καὶ ἀγαθοὶ, id est multi & boni. Siquidem impuram uitam uiuentes semper à sacris arcebantur. An uerò Germani in uictimis colorem, certumq; gestum mactandi Homerico modo, mihi incertum est. Scythæ quoque nonnihil prudentiores iudicarentur, qui Marti suo non homines, sed quaslibet bestias hoc ritu sacrificabant, ut uictimæ primi pedes ligarentur, & ea ad aram sistebatur, quam per laqueum collo iniectum, & per baculum circumductum strangulabant. Sic & Lacedæmonij Marti suo humana uicti ma litabant, atque Aristomenes Messenius eò dementiæ peruenit, ut tercentos homines, inter quos & Theopompus fuit, uno sacrificio mactarit. Quapropter tantam truculentiam Romani perferre noluerunt, Senatusconsulto cautum fuit, ut nullus homo, nullus humanus sanguis porrò litaretur. Tantum Sathan apud suos potest, ut non nisi humani cruoris dispersione placaretur. Hic autem imposuit quadam imitatione Hebræorum sacrificiorum, quorum gentiles uelut simij non aliter ac Romanenses sacrifici, imitatores & spectatores sunt. Isida quoque Aegyptiacam in Germaniam uenisse ex nauigio coniecturam Tacitus facit. Nam ex Luciani dialogis non est obscurum, ut nauigationi præfuerat. Seruius autem ex ea Terram facit. Plutarchus, & ante eum Diodorus Siculus, Lunam esse fingit. Itaque iuxta Plutarchum est κεράσφορα, id est, corniculata Lunæ modo, μελανόσολος pulla stola ornata propter eius occultationem & inumbrationem præsertim in Solis coitu, & eius sacerdotes lineas uestes induti erant. Itaque poętis est dea linigera, ut Ouid.

Nunc dea linigera colitur celeberrima turba
Idem: Vidi ego linigeræ numen uiolasse fatentem
Isidis, Isiacos ante sedere focos.

Eiusq; pompam & metamorphosis Ouidiana fusissime explanat, eaq; τιθήνη id est, nutrix, & πανδέκτης id est, generatiõis omnium rerum nutrix & susceptrix dicitur. Quarè in basi eius templi talis erat, autore Plutarcho inscriptio, ἐγὼ εἰμὶ πᾶν τὸ γεγονὸς καὶ ὂν καὶ ἐσόμενον, καὶ τὸ πέπλον ἐμὸν οὐδεὶς τῶν θνητῶν ἀπεκάλυψεν. Hic uerò eandem apud Sueuos Semnonas cultam fuisse subijcit, hoc est, Albis accolas, in quorum uicinia est Luneburgum ciuitas admodum insignis, & humanitatis studiosa, ubi idolum Isidis, hoc est, lunæ etiamnum in arce excelsa suprà montem calcariu m conspicitur, uidelicet esse cornutæ qualis luna solet ferè triduana, eiusq; effigiem deauratam, & hodie senatores Luneburgenses petentibus commonstrant. Ego uerò sententiam meam permutaui. Nam ipse quasi Leoninum πύργον esse contendi, cum ibidem & insignia Leonis habeantur, atque Saxonica dialecto leo *ein luy* nominatur. Quarè ibidem uicinas ciuitates à septem Planetis, quos olim coluerant defensas esse affirmãt, ut Hamburgij Iouem Hammonem, & alia quę isthic ceu certissima esse narrantur. Volunt ab Isidem Isnam, Isenachum, Eisslebergum deriuare, sed incertæ sunt coniecturæ, cur non potius apud Cattos nostrates sicut adhuc Germanica lingua retinet Marckpurg, tanquam pyrgum Marchię, hoc est. distrĩctus & oras. Certum est Cattos propriam sedem hodie non retinere, sicut suo loco planum fiet, Attende sit ne apud Hermunduros Marsipurgum idem quod purgum Marchium, id est, limitaneum. Neq;

um. Neque Germani ſuis dijs templa exædificauerunt, nec̃ ſtatuas fabricarunt, cum res cęleſtes multò digniores ſint, quàm ut hominis imagine effigurarentur, quarum conſuetudinem & Chriſtiani imperatores ſæpius ſecuti ita ſunt, ut à multis εικονομάχαι dicti ſint. Quarè pro templis illi lucos & nemora cõſecrata retinuerant, in quibus ceremoniæ certæ per ſacrificia habebantur. Vidimus & eã conſuetudinẽ adhuc reliquã Niemonis, id eſt, hodie uocati Memelij accolas obſeruare, nõ longè à Regiomonte Boruſsię, ubi hircos potiſsimũ mactãt. Quarè Germanica lingua *bockheiligen*, hoc eſt, hircorum cultores plærunque uocantur, eos tamen illuſtriſs. dux Albertus Marchio Brandenburgenſis, ſtudiorum ſingularis Mœcenas, ad ueram pietatis Chriſtianæ formam reducere conatus eſt, ñq̃ ſunt ueri in illis partibus Boruſſi, quorum lingua non eſt Vandelica & admodum peregrina, ſed Græca deprauata, ſicut Gallica & Hiſpanica ex Latina corrupta ferè nata eſt, ſicut ipſe uſu comperi, quoties Græciſſando illis locutus ſum, ut qui patriæ meæ uicini ſunt.

AVſpicia, ſortesq̃ ut qui maximè obſeruant. Sortium conſuetudo ſimplex uirgam frugiferæ arbori deciſam, in ſurculos amputant, eosq̃ notis quibuſdam diſcretos, ſuper candidam ueſtem temere ac fortuito ſpargunt. mox ſi publicè conſultatur, ſacerdos ciuitatis, ſin priuatim, ipſe paterfamiliæ precatus deos, cœlumq̃ ſuſpiciens, ter ſingulos tollit, ſublatos ſecundum impreſſam antè notam, interpretatur. Si prohibuerunt, nulla de eadem re, in eundem diem conſultatio: Sin permiſſum, auſpiciorum adhuc fides exigitur, & illud quidem etiam hic notum, auium uoces, uolatusq̃ interrogare. Proprium gentis, equorum quoque præſagia, ac monitus experiri: publicè aluntur ñſdem nemoribus ac lucis, candidi & nullo mortali opere contacti, quos preſſos ſacro curru ſacerdos ac rex uel princeps ciuitatis comitantur, hinnitusq̃ ac fremitus obſeruant. Nec ulli auſpicio maior fides, non ſolum apud plebem, ſed apud proceres, apud ſacerdotes. Se enim miniſtros deorum, illos conſcios putant. Eſt & alia obſeruatio auſpiciorum, qua grauium bellorum euentus explorant. Eius gentis cum qua bellum eſt, captiuum quoquo modo interceptum, cum electo popularium ſuorum, patrijs quenque armis committunt: uictoria huius uel illius, pro præiudicio accipitur.

XV.

DE SORTIBVS, ET AVſpicijs Germanorum.

VEteribus erat μαντικὴ id eſt, certa diuinandi futura ratio ex uarijs reb. Germanis enim uſitatiores fuerunt ſors & auſpicia, ex quib. fiebant diuinationes & humanorum euentuum prædictiones. In ſortibus quidem & prophanis eſt cauſa, ſed ea quæ ab alijs cauſa eſt per accidens, ut apud Ariſtotelem fortuna dicta. Sed hęc parum faceret, niſi tum ſpiritualis cauſa, cuius ui phantaſia mouetur, & manus ſortiẽtis impellitur, tum ſpiritualium miniſterium acceſſerit. Quã-

obrem ante sortitionem, sacrã propter spirituum sortes dirigentium inuocatio-nem præmittebant. Sortes uerò iaciebantur, aut uirgulta diuersis notis signata, aut talorum iactus, aut tessararum impulsus, aut carminum, seu Homericorũ, seu Virgilianorum seu Psalterij occursus. Sortilegus autem in causa uel publica sacerdos ciuitatis fuit, uel priuata, paterfamilias, qui & ipse domi suę sacerdotij officio fungitur. Verùm quando sortitiones licitæ sunt, quando non, in sacris literis iusta solet fieri explanatio. Id tamen obseruandum est, ut sortes diurnæ, hoc est, quæ in unum diem durabant, ijsdem erant, sicut hodie multa Astrologorum uaticinia eò uergunt. Quare Germani subinde sortiebantur, quod si uno die prohibuerant, altera eandem experiebantur. Neque tamen sola sorte, cum aliquid fieri fœliciter permiserat, contenti erant, sed & auspicia, propter rerum futurarum certitudinem accesserunt. Germanis autem auspicia præcipua iudicabantur tria, quorum primum ex auium, aut uolatu, aut uoce, sicut Romanis præpetes & oscinæ erant, illud quidem oculis, hoc uerò auribus innotescit. Alterum est ex equorum hinnitu, quos de more in lucis & candidos, & ἀζύγους nondum curru iunctos publicè in hunc usum alebant. Itaque auspices uel rex uel princeps eosdem non nisi sacro curru prosos, & iunctos propter eorum & hinnitus & fremitus obseruationem comitabãtur. Hoc autem auspicij genus apud omnes maximi fiebat, adeò ut sacerdotibus adęquarentur. Siquidem sacerdotes deorum ministri, & equi conscij diuini consilij iudicabantur. Tertium est in monomachia. Nam in singulari certamine, & captiui, & unius alicuius ex suis, uter illorum superior in eodem erat, animaduertebant, inde eidem parti uictoriam tanquã rem præiudicatam pollicebantur. Fuit aũt Germanis eadem, consuetudo quę Romanis, ut nihil inauspicatò facerẽt. Fuerũt uerò uetustiorib. auspicia aut pedestria, quæ ex quadrupedibus capiuntur, aut uolucria, aut cœlestia, quæ bona ex parte μετεωρολογικὰ, utpote cum ex tonitruis & fulminum formis petãtur, iudicari debeant, aut sacra, uidelicet ex sacrificijs collecta. Ita Michael Scotus, si quid barbaro scriptori fidei est, & auguriorum decem genera enumerat, quæ cum sint gentilia, & à Christianismo dissentanea, prudens omitto. Sic & singulis gentibus certæ aues futura præsagiebant. Vnde Græci cum aquila ex dextra parte uolarat, & maxime stridentibus alis, omen bonum indicabant, atque læta, & magna portendere dicebant. Inde & prouerbium natum est, Aquila uolat. Sic & Athenienſibus sua erat noctua, cuius uolatus, semper fuit uictoriæ auspicium. Quid multis? & singulis penè principibus & imperatoribus, peculiaria ex auibus erant præsagia. Non'ne aquila Tarquinio Prisco, cum pileum in sublimi detraxerat, & rursus capiti imposuerat, regnum ominabatur? Nonne & Alexandro Babyloniam ingressuro, & Ciceroni corui inuolantes & obstrepentes imminens periculum, extremasq; ærumnas prædixerunt. Ratum autem auspicium esse contendebat, si coruus à dextra, & à sinistra cornix aut picus apparuerat. Id quod & Melibœus Virgilianus intellexerat, si poetæ genuinus uersus est, eum querulus sic canit.

Sæpe sinistra caua prædixit ab ilice cornix.

Verùm ista hæc tam auspicia quàm auguria, & plæraque diuinationum genera Christianus homo aspernabitur, etiamsi quis signa esse contenderet, sed idolatrica. Id quoque certum est, uel ex Plutarcho in Cæsaris uita, ut mulieres Germanorum sortilegę fuerãt, quarum consilio nullum prælium ante nouilunium ipsi fecerunt. Idem & Iulius Cæsar repetit.

DE minorib. rebus principes consultant, de maiorib. omnes, ita tamẽ ut ea quoq; quorum penes plebem arbitrium est, apud principes pertractentur. Coeunt, nisi quid fortuitum & subitum inciderit certis

certis diebus, cum aut inchoetur Luna, aut impletur, nam agendis rebus hoc auſpicatiſſimum initium credunt. Nec dierum numerum ut nos, ſed noctium computant. Sic conſtituunt, ſic condicunt, nox ducere diem uidetur. Illud ex libertate uitium, quod non ſimul, nec iuſſi conueniunt, ſed & alter, & tertius dies cunctatione coeuntium abſumitur. Vt turbæ placuit conſidunt armati, Silentium per ſacerdotes, quibus tum & coercendi ius eſt, imperatur: Mox rex uel princeps, pro ut ætas cuiq;, pro ut nobilitas, pro ut decus bellorum, pro ut facundia eſt, audiuntur, autoritate ſuadendi magis, quàm iubendi poteſtate. Si diſplicuit ſententia, fremitu aſpernantur, ſin placuit, frameas concutiunt. Honoratiſsimum aſſenſus genus eſt armis laudare.

XVI.

DE CONSVLTATIONIBVS *Germanorum.*

Sicut Græcis militibus ſuum erat συνέδριον, ita Germanis erat conſultatio, in qua primùm attenduntur cauſæ & negotia in ſenatum relata, eaq; ſunt uel minora uel maiora. De illis principibus ſolis deliberare licuit, ſed de his non itē. Deinde ſenatores adſunt, & principes, & plebei, de controuerſijs deliberantes. Poſtea & tempus conſultationis præſcriptum eſt, tum lunę, (hac enim increſcēte, & plena, deliberationis tempus oportunum eſt) & dierum quos à noctis principio, ad alterū uſq; ſupputant, tum, cū ijſdem tanta ſit libertas tarditatis, uel intra triduum conuentus. Adhæc in conſultationibus, non niſi armati, & taciturni adſint. Nam cum per ſacerdotes ſilentium indictum eſt, conſident. Poſtremò in hoc ſenatu reges uel principes magis ſunt ſuaſores quàm iuſſores, ne quid Germanicæ libertati derogetur. His autem uel ſuffragantur, uel refragantur ſymbolis quibuſdam, illic quidem framearum concuſſio, hic uerò fremitus erat. Conſultationis autem nomine ſenatum, comitia, & concilia intelligimus, in quibus actiones ſunt de rebus, uel minoribus, quorum iudicium eſt penes principes, eiuſmodi eſſent cauſæ forenſes, priuatę, & lites & contentiones leuiores, quas illi citra negotium componerent, uel maioribus, ueluti eſſent publicę totius aut ciuitatis, aut reipub. Hę enim eiuſmodi ſunt, ut omnium ordinū in publica coronatum auſcultare, tum componere interſit. Nam quod commune eſt, & publicum, neq; facilè, neq; tutum citra aliorum arbitrium eſt dijudicare. Quapropter id conſilij in controuerſijs componendis potiſſimum placere debeat, atq; etiānum in plęriſq; ciuitatibus eadem conſuetudo obtinetur, ut iudex uel pedaneus leuiores cauſas penſitet & ſolus, ſed cum res ardua periculoſa, totiq; reipublicę onerоſa, aut tota ciuitas, aut eius nomine ſępe uiginti quatuor uiri conuocantur. Neq; tamen id prudentia caret, quod plebiſcitorum cenſura per principum placita, id eſt, ſenatuſconſulta præſertim quoties non è republica fuerant, retractabantur. Id uerò horrendum, ut non niſi armati coacto concilio interſint. Tyrij prorſus obſeruarunt contrarium. Nam apud illos nemo cum telo concilium ingrediebatur, uel pœna capitis. Hic quoq; erat aut diſſenſus, qui murmure, & fremitu ſignificabatur, aut ſuffragium, cum frameas, & tela concuterent, ſonoq; armorum & tripudijs approbarent. Quę conſuetudo fuit, & Macedonibus, qui

cum in publica consultatione quidpiam improbarent, hastis scuta quatientes obstrepebant & auersabantur. Et sicut Belgis silentium altissimum placuit in senaculo (Nam si quis aliquo concionante fremeret, parte uestis mulctabatur) Ita Germani sæpè tumultuabantur, & non nisi per sacerdotis edictum tacebant. Erant & illis peculiares mores in rogandis sententijs. Nam sicut Syracusis nemo rogatus sententiam dixit, sed ut quisq; ætate honore anteit, ita sua sponte, quid sibi consilij sit, in medium affert non rogatus, aut si omnes tacent, sorte dicere eo guntur, quibus in usu erat, ut in concionem prodituri per literarum elementa educerentur, ita Germani pro ætate, & nobilitate primi audiuntur, sententias autem rogabat senatus princeps. Mirum est cur non Persas imitati sint, qui probè poti & uino incalescentes, uel de rebus grauissimis consultabant. Ridiculum & hoc est, quod Germani & Lacedæmonij publicis consilijs mulieres admiserant, illasq; frequenti curia in exequendis negocijs socias assumpserant, multaq; fœminarum arbitrio decreuerant. Sic & Celtæ & Galli quicquid erat contentionis & intestinorum odiorum per fœminarum interuentum composuerant. Rursus Athenienſibus lex fuit, ut nulla fœminarum publicis consilijs aduocetur, nulli neq; suffragium ferre, neq; concionibus uirorum interesse liceret. Quid quod & Romani etiam pueros certis de causis excluserunt. Tempus uerò consultationis fuit luna, aut increscente aut plena. Sic enim cuncta felicius succedere arbitrabantur, iuxta astrologorum placita, quæ & Turcam commouerãt, ut is sub initium nouilunij prælium faciat, atq; inter insignia eiusdem imago lunæ tridua næ perspicitur, atq; adeo Viennam Ostriæ ante paucos annos, repetere conatus est, quod in D. Stephani turri sit eadem luna deaurata. Is tamen conuentus solet esse tardior propter libertatem. Nam ut stata hora, aut die iussu principum conuenirent, non concesserunt suæ libertatis studiosissimi. Quarè sæpe trinoctium citius extrahebatur, quam conuenirent. Est autem illis temporis supputatio, nõ à diebus sicut Romanis fuit, sed à noctibus. Nam diem suum post occasum solis, id est, noctem auspicabantur non aliter atq; Iudæi. Quapropter illis in more positum adhuc hodie est, ut noctes pro dierum multitudine substituant. Atq; hinc quis uideret, ut libertatem suam mordicus tenuerant, cum suasores consiliorum principes tantum fuerant, & non præceptores & iussores, cuius uestigia passim sunt reliqua, ueluti cum princeps pro sua libidine quoduis tentare non audeat, neq; illi permittitur, nobilitatem totam conuocat, ad eius rei, uel iudiciũ, uel consultationem, talemq; conuentum plærunq; *ein ritterbanck*, hoc est, equestris ordinis concessum nominant, & quicquid ibi decretum fuerit, per nobilitatem, huius & princeps arbitrio aut probat aut renuit.

LIcet apud concilium accusare quoq; & discrimen capitis intendere. Distinctio pœnarum ex delicto. proditores, & transfugas arboribus suspendunt, ignauos & imbelles, & corpore infames, cœno ac palude, iniecta insuper crate, mergunt. Diuersitas supplicij illuc respicit, tanquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi. Sed & leuioribus delictis pro modo pœnarum, equorum pecorumq; numero conuicti, mulctantur. Pars mulctę regi uel ciuitati, pars ipsi qui uindicatur, uel propinquis eius, exoluitur.

XVII.

DE POENARVM IVDICIA-lium discriminibus.

VErùm cum in eodem concilio & crimen alicui facinoroso intendere liberum erat, aut pœnæ, aut mulctæ militares habebantur, quædam maiores; utpote, quæ capitis supplicio luebãtur, quædam minores, prout uel grauiter, uel leuiter peccatum esset. Cautũ enim est apud luriscõsultos, ut non sit maior delicto pœna. Itaq; desertores, seditiosos, fugitiuos, aut si loco, stationeue, præsidio ue cessissent, tergaq; dedissent, aut ex castris aufugissent, tanquam pessimo facinore astrictos capitali pœna plectere solebãt. Hic autem eadem exprimitur, cũ in crucẽ agebantur, atq; imbelles, atq; ignaui submergebãtur. Sic & Iuba rex asper et durus fuit, cũ desertores, qui loco amisso in castra aufugerant, cruci affixerat, eosdẽ Aphricanus posterior bestijs, Paulus Aemilius elephãtis obiecit. Hodie quoq; in iusta militum ordinatione tales securi percutiuntur, aut dum iter faciunt per taxiarchos, & prefectos isti damnati in aliorum militum hastas, & iacula currere coguntur, quod illi dicunt, *durch die spiß lauffen*. Mulctæ uerò non erant pecuniariæ, sed aut equinæ aut pecuariæ, quarũ una pars uel regi, uel ciuitati cessit, altera ipsis uel eorum propinquis, qui uindicabantur. Adijcit & sententiã, de supplicionum usu. Nam sic scelera, hoc est, grauia & enormia delicta publicè puniuntur, ut sit alijs conscelleratis grauius terriculamentum. Verùm in flagitijs, hoc est, leuibus erratis aliquantulum conniuendũ est. Quare Romani leuiori pœna seuiebant, ueluti cum pro frumento hordeum dederant, aut extra uallum, siue tentorijs reliquerãt, aut districtis gladijs distinctos destituerant. Sic enim uarijs ignominijs affecti, & his contumelijs coerciti diligentius mandata exequuntur. Cæsar uerò utiq; in alijs rebus conniuere solitus, sed seditiosorũ & desertorum acerrimus fuit inquisitor, & punitor maximus. Nota est Sertorij in eadem disciplina seueritas, cũ cohortem propter morum obscœnitatẽ, & immodicas rapinas ad unum interfecerat. Erat quoq; censio hastaria, quoties milites hastas dare iubebantur. Nam nõnullis propter probra ignauiæ, & luxuriæ hasta adimebatur. Siquidẽ sicut gloriosum erat, quoties uiri fortes pura hasta donabantur, ita ualde ignominiosum iudicabatur, quoties ignauis, & contumacibus adimebatur, tanquã ipes merendi stipendia illis adempta foret; ita non pro leui noxa, sed pro acri delicto hæc animaduersio habebatur. Vetusti quoq; solebant aut militiæ gradu deijcere, aut exautorare, aut equũ illi adimere, aut uirgis cedere. Quid multis? quisq; ducum sua disciplina, eaq; familiari contentus erat, ueluti cum Tiberius, & prætorianum militem ob subtractum pauonẽ capite punierat, cum & Pescenius Niger ob surreptum gallinaceum ea epulones effecerat ignominia, ne porrò illis furtum facere liceret, neue quid cocti obsonij sumerent, sed pane, & frigidis uescerentur, adeò multis Principibus, & furta militum displicuerunt. Itaq; legibus militaribus prudentissimè eiusmodi cauere consueti erant. Dici nequit, ut Hispani iuxta cum Germanis sint furacissimi, aut propter imperatorum negligentiam, aut propter legum militarium (uulgò *die Artikels brieffe* in quo articuli, & puncta earundem adnotata sunt) contemptum.

ELiguntur in ijsdem concilijs, & principes, qui iura per pagos, uicosq; reddunt. Centeni singulis ex plebe comites, consilium simul, & autoritas, adsunt. Nihil autem neq; publicæ, neq; priuatæ rei, nisi armati agunt. Sed arma sumere non ante cuiquam moris, quàm ciuitas suffecturum probauerit.

XVIII.

DE PRINCIPVM ET COmitum electione.

ECquis hic non uidet alios Germanorum ueterum fuisse principes atq; nũc extare perspicimus, cum hodie iuxta cognationem sic salutantur, quasi & uirtus in posteritatem semper propagaretur. Olim autem principes, id est, uel principatum habentes, uel præcipuum locum ab officio, quod erat per pagos, & uicos iura reddere, erant, & non hereditarij, sed concilij arbitrio, & consensu electi. Eadem & cum comitibus ratio habebatur, qui, hîc alij non sunt, quã principum uicarij, cum hi tot pagis, & uicis impares in iure dicendo essent: itaq; principibus singulis, ex plebeio ordine centeni comites, propter delegati muneris executionem adijciebantur, ut ijsdem eadem iuris reddẽdi uicatim potestas, eademq; consilij dignitas esset, quę ipsis Principibus, cuiusmodi sunt nostra memoria, quos more Græcorum *Vogte* nominamus, sicut illi βουβὸς, id est, principum sic electorum auxiliares ministri sunt. Quare eorundem officium, & illis est βουβεία, & nobis *die Voithey*. Deinde in singulis uicis sunt, & hodie iudices, quos à debito, *Schultheißen*, exigendo uidelicet obligationis, nuncupamus. Polybius quoq; more Romanorum τὰς πρίγκιπας, sed in aciei instructione agnoscit. Nam post hastatos principes, sequebantur uiribus, & ætate fortiores, & principes ordines ducebant, tanquam ætate robustiores, & usu doctiores ab hastatis per interualla diuisi, proxime eos tertij uexilli triarij substituebantur. Sic & in theologia gentili principes dij colebantur, qui sunt magni, & duodecim numerantur. Alij enim tanquam inferioris notę communes dicti sunt. Laudanda autem est imago apud Lacedęmonios, & iudicum sine manibus, & principis sine oculis in foro proposita, ut in reddendo iure, nullis munusculis, nullisque affectibus permoueantur.

TVm in ipso concilio, uel principum aliquis, uel pater, uel propinquus scuto framea q; iuuenem ornant. Hæc apud illos toga, hic primus iuuentæ honos, ante hoc, domus pars uidentur, mox reipublicæ. Insignis nobilitas, aut magna patrum merita, principis dignationem etiam adolescentulis assignant. Cæteris robustioribus, ac iam pridem probatis aggregantur, nec rubor inter comites aspici.

QVORVM NAM IVDICIO adolescentuli arma sumebant.

PRudentissimè ne quis temere sibi arma quęlibet sumeret præcipuè ad excitandos, & erigendos animos adolescentulorum, cauerunt. Quæ ratio est, & in Scholis, quoties propter ordinem discendi, & docendi authoritatem, & ut animi aliorum exemplo candidatorum confirmentur, & imitentur, aut magistri, aut doctores renuntiantur. Neq; diuersa fuit consuetudo Romanis in uestitu. Nam multo honoratiores erant, quibus donabatur toga, ita & hîc in publico cõcilio uel princeps, uel pater, uel propinquus armis, cuiusmodi sunt scutũ, & framea, tales adolescẽtulos ornabãt, ut porrò nõ domus propter hereditatẽ pars esset, sed reipublicę, cui eundẽ sic ornatũ inseruire oportebat. Atq; hodie nobilitatĩ idẽ est mos, cuius liberi dũ aliquot annos, uel principi, uel Episcopo seruierint eorundẽ iudicio ijdẽ armis digni pronũtiantur, quod illi dicũt, *eynẽ werhafftig machẽ*,

hoc est, dignum armis æstimare potissimum, cum rei bellicæ specimen quoddã præbuerat. Insignia quoq; incitamenta honoris addebant, quorum unum est dignatio apud principes. Hi enim tanti faciebant illos, ut paternorum meritorum laus ijsdem assignaretur, & sic hæc nobilitas esset, & ingenita, & parta. Alterum est consuetudo, quæ licita fuit illi cum senioribus, & bene approbatis militibus. Tertium est conuictus, quo illi uel inter comites absq; ullo pudore uiuere licuit.

GRadus quinetiam, & ipse comitatus habet, iudicio eius quem sectantur. Magnaq; & comitum æmulatio, quibus primus apud principem suum locus, & principum, cui plurimi, & acerrimi comites. Hæc dignitas, hæ uires, magno semper electorum iuuenum globo circundari, in pace decus, in bello præsidium. Nec solum in sua gente cuiq; sed apud finitimas quoq; ciuitates id nomen, ea gloria est, si numero, ac uirtute comitatus emineat, expetuntur enim legationibus, & muneribus ornantur, & ipsa plerumq; fama bella profligant. Cum uentum in aciem, turpe principi uirtute uinci, turpe comitatui, uirtutem principis non adæquare. Iam uero infame, in omnem uitam, ac probrosum, superstitem principi suo ex acie recessisse. Illum defendere, tueri, sua quoq; fortia facta gloriæ eius assignare, præcipuum sacramentũ est. Principes pro uictoria pugnant, comites pro principe.

XIX.

DE COMITVM ORDI-

nibus, & studio.

ETHic prudentia Germanorum collaudanda est, quòd honoribus uoluerãt sua esse incitamenta, quæ præstantiora non sunt, quã in comitum esse æmulatione & ordine, & eò digniores iudicabantur, quo is quem sequebantur, præstabat. Nam & Latinis sunt comites à comitando, principes enim quorum operæ destinati sunt, comitantur, & ut hic dicit, sectantur. Neq; parũ refert quibusnam quispiam inseruiat. Neq; defuit principibus sua æmulatio, qui comites sibi esse & plurimos, & acerrimos affectabant, etsi ambitio quædam uideatur, tamẽ ad honorem est incitamentum. Verùm ut altius etymum nostratis uocabuli (*der Grauen*) exquiratur, pauca ex Romanæ reipublicæ statu repetam. In hac sanè fuerunt senatores, uel seniores ipsi patres, non quòd senes fuerant, sed quòd tum senili prudentia, tum paterno affectu ad reipublicæ gubernacula sedebant. Ad hunc modum Galli & Germani senatores suos comites, *die Grauen*, hoc est, seniores aut profectos, aut iudices, aut *Bonhzs* nuncuparunt. Verùm cum authoritatis senatoriæ uis minuebatur, & Cæsares in suspicionem tyrannidis uenerant, nomẽ patrum aut senatorum Romæ in desuetudinem abijt, in quorum locum comites surrogati sunt, qui Cæsaris initium sententiamq; sequebãtur, quibus etiamsi cõsultatio cum Cæsarib. fuit, tamen inferioris dignitatis censebantur, ne socij, sed comites essent. Quare Cæsares quibusdam regiones quasdã commisit, quæ comitatus nomen receperunt. Ita apud principes Germanorum eodem fuerunt loco, & ipsi comites, quorum comitatus nõ erat hæreditarius, sicut factus post Caroli Magni tempora. Nam antea uno comitum demortuo mox alter huic præfecturæ

ſturæ aptus eligebatur: Atq; ſub rege duces erant, & principes, qui ſæpe nobiles duces nuncupatur. Siquidem comites loco iudicum habebantur, & alij præfecti nobiles hæroes nominantur, Verùm quando ſub Othone imperiũ Romanum Gregoriana lege ad Germanos uere translatum erat, mox comitibus, & principib. in altiorem dignitatis gradum ſubuectis ditionum, quibus præfuerant hereditas uenit, & ſicut olim abſq; omni adulatione filij principum *iungherrē*, hoc eſt, minores heri uocabantur. hodie uel ruſtici nobilitatis ſibi uendicare audent, quibus uix quippiã aut impurius, aut ignobilius eſſe poteſt. Hinc fit, ut hodie uarij comites, ut Palatinus, *der Pfaltzgraff*, Prouincialis, *Landtgraff*, Marcæ, id eſt, limitis, aut certi diſtinctus, *Marckgraff*, Caſtrenſis, *ein purggraff*, atq; ita comitatum fuiſſe βουλεύσιν quandam ſatis dilucidè patet, atq; hinc intelligi poteſt illud Iuriſconſulti, ut Matematici, id eſt, magi & præſtigiatores, neq; ſub Cæſare, neq; ſub Auguſto, neq; ſub eius comitatu ferendi non eſſent. Tales autem comites apud Germanos in ſummo honore habebantur, modo legati, & ibi (ut fieri ſolet uel hodie) multis muneribus ornabantur, modo bellatores tanti, ut etiam eorum fama hoſtes profligaret. Itaq; & eorundem præcipuum fuit munus, ut ipſi pro principe decertarent, & ſicut turpe fuit principi non uirtute excellere, ita comitibus ſummum dedecus fuit, cum non uirtutem cum principe adæquarent. Quarè cũ tantopere pro principis ſalute dimicarant, ſuperſtitem mortuo principe permanere ualde ignominioſum iudicabatur. Sic & eorum ſacramentum militare urgebat, ut principem defenderent, tutarentur, & egregia facinora non ſibi, ſed uituti principis adſcriberent. Huc ſi quis uellet, mutationem imperij afferret, totamq; Germaniam in duces, in Landtgrauios, in Marggrauios, in Burggrauios, in Palatinos comites, in comites Liberos, in Barones, in nobiles: in Epiſcopos, in abbates, in præpoſitos, qui & olim fuerũt ἀρχιμανδρίται, in ciuitates imperiales, in ſocios ciuitates maritimas diuiſam inueniet, cum magnorum titulorũ, ſi deo placet, acceſſione.

SI ciuitas in qua orti ſunt longa pace & ocio torpeat, pleriq; nobiliſum adoleſcentium petunt ultrò eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt, quia & ingrata genti quies, & facilius inter ancipitia clareſcunt, magnumq; comitatum non niſi ui belloq; tueantur, exigunt enim à principis ſui liberalitate, illum bellatorem equum, illam cruentam uictricemq; framea m. Nam epulæ, & quanquam incompti, largi tamen apparatus, pro ſtipendio cedunt. Materia munificentiæ per bella & raptus. Nec arare terram, aut exſpectare annum, tam facilè perſuaſeris, quàm uocare hoſtes & uulnera mereri. Pigrum quinimo, & iners uidetur ſudore acquirere, quod poſſis ſanguine parare.

Quoties bella non ineunt, non multum uenatibus, plus per ocium tranſigunt, dediti ſomno, ciboq;. Fortiſsimus quiſque, ac bellicoſiſſimus nihil agens, delegata domus & penatium & agrorum cura, fœminis ſenibusq; & infirmiſſimo cuiq; ex familia. Ipſi habent miram diuerſitatem naturæ, cum ijdem homines ſic ament inertiam, & oderint quietem.

XX.

GERMANI NON SVNT OCIOSI, *sed bellis assueti, & dediti.*

BEllacès Germanos fuisse uix unquam fuit, qui in dubium uocarit: Nam id non solum plurimæ historiæ, sed & experimenta per multa secula usq; in hunc diem contestantur. Nota est sententia, ad quam & Tacitus alludit. Oportet homines, aut literis: aut bello inclarescere. Ita cum Germanis quies ingrata erat, aut comitatum præfecti ui & bello, sicut decet, defendebant aut irrumpebant. Itaq; etiamsi Romani omnes regiones sibi prouinciales esse optabant, tamen Germaniam totam nunquam uicerunt. Quare iuxta Senecam Romanorũ pax est usq; ad Germanos. Cæsar Ariouistum cum Germanis ex Belgico citra Rhenum repulit, sed cum primum Sueuos exercitum conscripsisse ad persequẽdum audierat, mox refracto ponte iterum abijt. Bellicosos fuisse Germanos & Drusus sub Augusto imperator designatus usu cõperit suo triennali bello, in cuius locũ Quintilius Varus successit, cuius tanta clades fuit, ut præ ægritudine animi caput parieti impegerat, & clamauerat. O Quintile Vare legiones refer. Etiamsi Tyberius Drusi frater, in principio felicior fuit, tamen tandem discedere cogebatur, suamq; fortunam post Tyberiũ & Vespasianus in Germania experiri uoluit, quadraginta prælijs tantam cladem acceperat, ut diffugeret. Traianus donis Germanos sibi placauit. Ita quis per historias, & temporum seriem usq; ad Valentinianum & deinceps pergeret. Non desunt, qui sibi ueluti à deuicta prouincia, ut creditur, Germanici titulum sibi uindicarint, ut Drusus uix eam partẽ, quæ est in ulteriori ripa Rheni, nobis ad Mosellam, in prouinciam redegit, ilico scilicet Germanicus salutari uoluit. Quantula quæso hæc est portio ad Germaniam totam? Adeò suum comitatum tutari studiosissimè laborarunt, aut alijs pugnantibus auxilio fuerunt, quoties apud eosdem stipendia fecerant, ueluti apud reges, apud Imperatores, & alios, quorum res gestæ non sunt obscuræ, aut erant Cæsarum & Regum σωματοφύλακες, id est, corporis custodes, quales & hodie Galliarum rex, & Romanus pontifex sibi conducit, aut factæ sunt, ab ijsdem in Italiam, in Thraciam, in Galliam, in Hispaniam, in Aphricam irruptiones, sicut & hodie eorundem nomina in ijsdem partibus audiuntur. Optarem, cui plus ocij esset, ut bellorum Germanicorum historias, & annales, usque ad Carolum quintum, uel in tanta barbarie quispiam conscriberet, atq; sic Germanos belli auidos iuxta Senecam affirmaret, atq; sic Germanis esse robusta corpora, primoq; impetu contra hostes congredi iuxta Iosephum approbaret, atq; sic ipsos cum finitimis bella gerere, causas eorum ex libidine accersere, neque imperitandi, neque prolatandi, quæ possidendi studio (Nam ne illa enixè quidem colunt) sed ut circa ipsos quæ iacent, uasta sint, prælijari iuxta Melã assereret, atq; sic eosdem mulieres bellicosissimas fuisse, iuxtà cum Strabone confirmaret. Si quis uerò illorum morum causas rimaretur, Galenus in 2. de temperamentis eos iracundos facit, audaces & præcipitis consilij: Nam naturalis calor in uiscera confugit, ubi dum agitatur, premitur, efferueleit. Quarè subito irascuntur, & sese in pericula conijciunt, neq; diu de euentu rerum futuro consulũt. Multum quoq; facit quod sic à teneris unguiculis educati, sic instituti sint. Cæterum stipendiũ alijs atq; alijs nationibus est nimis diuersum. Germani epulas & apparatus, non ita lautos, & delicatos, largos tamen pro stipendio recipiebant, alioqui propter principem armis donabantur, ut equo bellatore, ut uictrice framea, ut deauratis armillis, aut phaleris, & id genus alijs. Id tamen precipue ad comites principũ qui pro horum salute dimicabant, referendũ esse indicarẽ. Ita olim Aegyptij suis militibus

militibus præter prædas panis tosti pondera definita carnis bubulæ minas, uini sextarios quaternos singulis dabant. Quare Germani milites non erant, sicut hodie conducuntur mercenarij, sed ijsdem munificentia erat, si bello & raptu uictum sibi pararent. Bello quidem propter prædam, Raptu autem propter latrocinia & furta, Nam Cymbri & Germani, etsi duri sint, atque laboriosi, tamen latrocinijs, & raptnis quarum nullam infamiam putant, à puericia dediti erant. Sic & Aegyptij furta legibus inulta reliquerunt. Itaq; Lycurgus furta impunita esse uoluit, ut ingenia magis exacuerentur, animoq; solertiore essent. Sic & apud Persas Cardaces non nisi raptis bonis uincebant, sicut & Tauroscythæ iuxta Herodotum. Honestius esset, ut stipendijs suis conducti milites in iusto bello decertarent. Noluit Solon eam licentiam permittere Atheniensibus, ut quid quod non potuisset, tolleret, sed ut improbus pœnas lueret, legibus cauit. Draco autem multò seuerior fuit, cum omnes ab alieno manum abstinere decreuerat, & uel eum, qui stercorandi causa stercus bubulci abstulisset, aut olera, capitis supplicio afficeret, eumq; furem iudicauit, qui inuito Domino aliorsum, quàm quo utendum acceperat, deduceret. Id quod & furti definitio, & tractatio manifestissimè apud iurisconsultos exigit, atq; Draconis legem maximè explanat. Hinc factum est, ut non tantam agriculturæ operam dederint, quantam rei bellicæ. Maluerunt enim uictum sibi sanguine, quàm multis laboribus comparare. Itaq; Cæsar Germanis miram, & inopiç, & egestatis, & patientiç consuetudinem fuisse memoriæ prodidit, neq; agriculturæ studuisse, sed maiorem uictus partem in lacte, caseo, carne constitisse, nec agros proprios habuisse, sed ut magistratus in annos singulos designassent, ita permutatis uiribus habitasse, & coluisse, ne uidelicet assidua consuetudine capti, belli gerendi studium agricultura permutarẽt, neue qui latos fines parassent, humiliores possessionibus summouerent. Postremo ne qua oriretur pecuniæ cupiditas, qua exre factiones nascuntur. Verùm cum Mela Germanos uictu asperos esse, & ita incultos, ut cruda carne, uel recenti, uel renouata uescantur, posteris scriptum reliquerat, id non Germanis, nisi extremis iuxta Berosi sententiam, ad Tanaim accolis conueniet, ubi Scythæ propter uiciniam Germanis permisti erant, & inter Scythas sunt, & Tractari, quibus hodie est nomen Tartarorum, & hi etiamnum carne cadaueroſa uictitant, sicut ipse plus millies in arce Cracouiana, in Massobia, in Russia, in Borussia (ubi compedibus uincti iussa herilia exequuntur) uidi. Contrà ubi Germani sunt ocioſi, & neq; prælia faciunt, neq; uenantur (Siquidem hæc natio uenationi dedita est, & si quis eorum studia, atq; artificia in uenationibus attenderet, Xenophontea consilia derideret, indulgent & gulæ, & crapulam edormiunt. Nam cura uel infirmissimis ex familia rerum, & agrestium, & domesticarum, uel senibus uel fœminis delegatur. Ipsi uerò aut bella crepant, aut otio immoderato uitam extrahant. Merito igitur Tacitus eorum naturæ diuersitatem admiratur, ut pacati inertiam adeo adament, & uiceuersa quies ijsdẽ sit odiosissima. Hinc colligitur, ut bellum Germanis erat contra inertiam, contra gulam, & contra torporem, & soporem remedium præsentissimum.

MOs est ciuitatibus ultrò, ac uiritim conferre principibus, uel armentorum, uel frugum, quod pro honore acceptum, etiam necessitatibus subuenit.

XXI.

DE LIBERALITATE CIVItatum in principes.

MAgis consuetudine, quàm lege aut diuina, aut humana adductæ ciuitates Germanorum erant, ut principibus tanquam legitimo magistratui propter

pter tutelam, propter administrationem iusticiæ, & honestatis custodiam, ultro & uiritim aliquid pensitarent. Fuerunt autem tria pensitationum genera, canon, oblatio & indictio. Canon quidem portoria, uectigalia, tributa (quæ tributim à singulis proportione census exigebantur) & decimas frugum complectebatur. Ita oblatio plerumque uel ex mercimonijs, cum aliquid ex uino aut heminatim aut cuppatim, aut culeatim diuendito, uel à negotiatoribus seu solidarijs qui res integras & solidas uenditant, seu mumiti, ut qui sunt & propolæ, colligitur. Indictio uero est collatio, quam & Cicero collectam, Græci ἔρανον & interdū symbolum uocabant, non nisi extrema necessitate permittebatur. Itaq; olim erat breuiarium principale, quod ferè summam aulicarum expensarum etiam uoluptuarium, utpote auitij & equitij continet. Meminerimus ut ultro & uiritim collationes fiebant, nam tunc subditos etiamsi tondere integrum fuerat, tamen de glubere principibus non licuit, neq; tot indictionibus illos onerabant, uolentes igitur conferebant. Hodie multæ superindictiones nonnullis principibus non satisfaciunt cum suarum rerum negligentissimi sint, cum nullum breuiarium uel primarium uel secundarium supputent, cum harpijs insatiabilib. multa donent, quasi hoc modo liberalissimi essent. Quare fit, ut subditi omnino exugantur, & utrobique ceu pertusa dolia reliqua esse uideantur.

GAudent præcipuè finitimarum gentium donis, quæ non modo à singulis, sed publicè mittuntur. electi equi, magna arma, phaleræ, torquesq;. Iam & pecuniam accipere docuimus.

XXII.

DE MVNERIBVS QVIBVS gaudent Germani.

Verum est quod ille cecinit.

Munera crede mihi placant hominesq; Deosq;
Flectitur iratus Iuppiter ipse datis.

Germani uero cum milites fuerant, multo gratiora habebant dona militaria, cuiusmodi erant, electi equi, illustria arma, phaleræ & torques, uerùm postea accesserũt munuscula & aurea & argentea, quibus animi etiã constantissimorum uirorũ nonnihil frangi solẽt, neq; alia ratione sibi Germanos Traianus retinuit, quàm eiusmodi donis. Verum est illud Euripidis.

—πέφευγε δῶρα κοὐθεὸς λόγος
Χρυσὸς δὲ πρείσσων μυρίων λόγων βροτοῖς.

Quapropter subiecit Tacitus, iam & pecuniam accipere docuimus, ubi bigatorum & ferratorum suprà facta erat mentio. Et cum haud multo ante indicarat comites legationibus gaudere, & ea munera innuere uidetur, quę lautiorum appellatione comprehenduntur, siquidem Plutarchus ἐκαλεῖτο, inquit, λαύτια τὰ πεμπόμενα τοῖς πρεσβεύσι ξένια, hoc est, lautia, quæ olim & Daucia iuxta Festũ nominabantur, munera legatis exterarum gentium dono mittenda, cuiusmodi apud Liuium Attalo fuerant decreta. Quibus uerò aut nihil donabatur, aut stipendia eradebantur in Panegyrico Pliniano, erasi appellabantur, qui mos & in militum lustratione obseruatur, quoties nonnullorum nomina certis de caussis, quæ tamen sæpe odio conceptæ sunt, expunguntur.

NVllas Germanorum populis urbes habitari satis notũ est, ne pati quidem inter se iunctas sedes. Colunt discreti ac diuersi, ut fons,

ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant non in nostrum morẽ connexis & cohærentibus ædificijs. Suam quisq; domum spatio circundat, siue aduersus casus ignis remedium, siue insciția ædificandi.

Ne cementorum quidem apud illos aut tegularum usus. Materia ad omnia utuntur informi, & citra speciem aut delectationem. Quędã loca diligentius illinunt terra ita pura & splendente, ut picturam & liniamenta colorũ imitetur. Solent & supterraneos specus aperire, eosq; multo insuper fimo onerant, suffugium hyemi & receptaculum frugibus. quia rigorem frigorum eiusmodi locis molliunt. & si quando hostis aduenit, aperta populatur, abdita autem & defossa, aut ignorãtur, aut eo ipso fallunt, quod quærenda sunt.

XXIII.

VETERIBVS GERMANIS TANTVM

ciuitates & uici fuerunt, & non urbes.

Id admodum probabile est, ubi olim in Germania non fuisse, cum ipsa in pagos & comitatus per principes & reges diuisa erat, neq; certitudo possessionis aut in agris, aut in ædiculis ea de caussa, quã ex Cæsare attuli, constituebatur. Quare ciuitas illis fuit, non quęlibet hominum multitudo collecta, sed & ea quę ad statum rerum suarum tuendum per se sufficiebat, & quę legum uitæq; consensu coniuncta esset. Itaq; uel iuxta Rodulphi finitionem ciuitates Germanorum sunt, confœderationes & facta, quam ligam barbari solent appellare. Itaq; apud Cæsarem est, ciuitas Heluetiorum, Heduorum, Neruiorum, Rauracorum & aliorum, sicut ex illius commentarijs satis liquido constat, cui suę erant leges, instituta, mores, & agri, & sic Germanis est, Vel *Eidgnossen*, uel *ein gericht*, uel *ein gemeinde*. Atque totam Marchiam Brennopyrgensem recte Cęsariano more ciuitatem Marchicam nominaremus. Ita & pagos tum numerarunt tũ nuncuparunt, aut à puteo, aut fonte, aut à campo, aut à nemore, sicut suprà eorum mentio facta est, in quibus uici ædificijs non cohærentib. cõstructi erant. Romanis enim connexa, eaq; perpetua iuxta uirorũ Latinorũ descriptionem exædificata placebãt. Duas autem causas subnectit Tacitus interuallorum intra domus uel propter incendium uitandum, uel propter exruendi insciția, utraq; tamen non esset usq; adeo à ueritate aliena. Siquidem & hodie apud Lygios multi uici aliquot M. Pass. longi reperiuntur, in quib. domũcularum magna sunt interualla, & singulis sua prędia adiũcta. & huius consilij caussam incendio prætendunt. Deinde etiamsi insignes tũ affuissent artifices, & mechanici, tamen cum materia extructionum defit, nihil profuissent. Fateor in uillis & uicis multas casas ex paucis lignis, argilla seu limo contectis adhuc uideri, sed cementorum & tegularum copiam illos nõ desideraſſe arbitror, ut qui & simplicitate & mũdi rudimento contẽti erant. Nónne Tacite tua Roma, domos rudi cemento constructas scandalis aut robusteis aut stramenteis urbem contectam per quadringẽtos annos usq; ad Pyrrhi bellũ habebat? Nónne Galli domicilia pluteis & cratibus intexabant? Nónne Britãni in tugurijs una cum armentis stabulantur? Nónne Ligures montani spelũcas & uastissimos specus aut cubilia modica sub obscura incolebant? Nónne Dardani foueas subterraneas & sordidas ædes inhabitabant? Nónne Mardi in specus montanos se coniuges & liberos receptabant? Ita rudissima erant & ubique

non

non tantum architectonices, sed & omnium artium atque scientiarum rudimenta. Alia cum Sabęis & alijs Arabibus, alia cum Corcyręis, ubi & Alcinoi domus ab Homero laudatissima fulgebat, alia cum Persis, alia cum Iudis, alia cum Spartanis, alia cum alijs Gręcis, à quibus & architectura & aliæ artes iuxtà cum uicijs in Italiam promanarunt, ratio erat. Vidimus tamen & in Pannonia utraq;, & in Morauia hodie sic dicta, antra tum rusticorum tuguria, tum frugum receptacula forsan propter assiduam hostium incursionem excauata.

TEgumen omnibus sagum, fibula, aut si desit, spina consertum. Cætera intecti, totos dies iuxta focum atq; ignem agunt. Locupletissimi ueste distinguuntur, non fluitante, sicut Sarmatę ac Parthi, sed stricta & singulos artus exprimente. Gerunt & ferarum pelles, proximi ripæ negligenter, ulteriores exquisitius, ut quibus nullus per commertia cultus. Eligunt feras, & detracta uelamina spargunt maculis, pellibusq; beluarum, quas exterior Oceanus, atq; ignotũ mare gignit. Nec alius fœminis quàm uiris habitus, nisi quòd fœminę sępius lineis amictib. uelantur, eosq; purpura uariãt, partęq; uestitus superioris in manicas nõ extẽdũt, nudę brachia ac lacertos. Sed et, pxima pars pectoris patet;

XXIIII.

DE GERMANORVM VESTITV.

VEterum Germanorum stolam, siquis cum præsente contulerit, plærasq; eius partes simplicissimas & pauperrimas utique usitatas comperiet. Vestis autem erat sagum uillo crassiore contextum militiæ aptum contra cœli intemperiem, si quando necessitas urgebat, quieti utile, & cum plerunque strictum esse soleat, conserebatur, id est, connectebatur circa pectora, uel fibula, quæ ferè aut ossea aut metallica esse consueuit, uel eius loco spina & aliud ligni trusti illũ aduncum, ut facilius sagum conserereretur. Reliquis uero partibus non sunt recti cum illis neq; fœmuralia, neq; ocreæ, neq; calcei fuerant. Rationemq; Tacitus affert: Totos inquit dies ad focum sedent & ad ignem. Talis uero uestitus adhuc apud Roxos inter plebeios ubiq; uidetur, & Sagum non est, quod armis super inducitur, sicut Gręci περιβωμίδια nominarunt, sed frequentius uestis militaris, quæ & Græcis est ἐσθὴς στρατιωτικὴ, atq; hic est uiatoria, imo quotidiana, nos Sagum uocabulo à uilli crasissimi cõtextura, & uelamine compositio *ein filzmantel*, sicut & fibulam *ein heft*, nominamus. Hodie tamen plerique cingulo lato, sub quo marsupia consuta sunt, succingũtur. Verum ditiorum stola, ut credibile est, fuit aliquanto comptior, & sic stricta, ut artus maiores in ueste extuberantes conspicerentur. Mirum est ut cuncta sint inuersa. Nam hodie Sarmaticæ sunt strictæ, nobis fluitantes, admodum & sinuosæ & complicabiles. Sunt quoque Germanis usitatores rhenones, sicut eosdem illis Cæsar tribuit, qui sunt uestes pelliceæ maxime ferinæ in usum humanũm redactæ, quorumq; etymum rectius Græcum est ἀπὸ τῶν ῥινῶν id est à pelle, quàm ab renibus quasi hos solos calidos retineret. Hic uero quis in dubium uocaret duo aduerbia negligenter & exquisitius. Aut est negligenter pro raro, & exquisitius, pro eo quod est frequẽtius. Sic apta est ratio subdita. Quia nullus per comertia illis solet esse cultus. Solent & nouarum & excultarum uestium rationes mercatores magis, atq; milites excogitare,

aut eſt negligenter idem, quod impolitè, non artificioſè, exquiſitius idem, quod excultius, artificioſius, ſicut utrobiq; uocum propria natura eſt. Sic Rhenani, hoc eſt, qui proxime Rhenum habitãt, exquiſitiorem haberent cultum, atq; interiores Germani, cum ijſdem nulla per mercatores conſuetudo ſit, negligentiorem. Rhenones autem ex pellibus animalium detractis & excoriatis, quas uarijs coloribus ſpargunt, id eſt, tingunt, & pellibus belluarum ſubducunt. (Nam hic ſpargendi uerbum autlargius ſumendum eſſe, aut aliquid deeſſe iudico) cuiuſmodi, luporum, uulpium, leporum, cuniculorũq;, aut urſorum, unde ſunt ueſtes lupinæ, uulpinæ, leporinæ, cuniculinæ, urſinæ, & aliæ id genus. Quid quod & præſtantiſſimæ pelliculæ non ex mari ignoto, quod Cronion eſſe dicitur, ſed ex terris Balthico ſinui adiectis deinceps & Boream & ortum uerſus ad Rha fluuium, hodie Volga dictum, quo loci degunt Boruſsi, Liuonij, Moſchi, Lituani. & Tartari nonnulli, quibus maxima iſtiuſmodi eſt pellium copia, & præſertim muſtellarum genera, quorum aliquot ſua habent nomina, ut Martes Marciali, ſed hodie eſt uulgò Mardrus, & hoc multo præſtantior Zobellus, & pelliculæ inde Zobellinę. Quare in capitibus ciuitatum Sarmaticarum publica & celebria illarum pellium negociatione emporia ſunt, Vilnæ equidem celeberrimum, & id quotidianum, ſolo die Dominico excepto, uidi in medio foro, ubi eiuſmodi pelliculæ in domo magnifica & huic negociationi apta uenundantur, utpote ex lupis canis, ex leporibus albis, ex muſtelis, ex uiuerris, ex muribus, uel Pontícis, uel Noricis, uel Pannonicis, uel ſylueſtribus, & ex alijs compluribus feris, quæ tamen & Lublini in Maſſobia, Boſonaniæ in maiori, Crocauiæ in minori Polonia, Dantiſci, Regiomonte, Torunni in Boruſsia proſtant, ſed per certos mercatus. Quare factum eſſe non dubito, quod Vilnæ platea integra latericijs ędibus conſtructa à Germanis mercatoribus, & Germanica hodie dicta ſit. Vix Tacitus & Lappones intelligit ſuo tempore non ita notos, ſed reuera iſthinc & ab uicinis accolis ſinus Finnonici, (qui eſt extrema Balthici ſinus uſq; ad Boream) & prędioſæ pelles, & plurimæ ueluti ex Phocis. ex ſuibus per mercatores afferuntur, ſed & belluarum uerbum ijſdem aptius quadraret. Græcis quoq; antiquiſsimis pelles leonum, pardorum, ouium, & caprarum, & luporum à principio in ueſtitu uſitatiſsimas fuiſſe uel ex ipſo Homero colligitur. Neque Mauri, leonum, pardorum, urſorum tergora propter ſtolam repudiabant. Scythæ olim uulpium & murium uelaminibus detractis operti incedebant. Hiſpanis primũ fuit & ſagulum, & mox ſtolas & togas à Romanorum conſuetudine receperũt, unde ſtolati togatiq; dicebantur. Horrendum eſt quod Gelonij ex hoſtium cutibus ſibi ueſtes conſuerant. Verùm hinc non liquet, an fuerint more Gallorum, Medorum & Scytharum & brachati, cùm Tacitus cætera intectos dixerat. Hęc uero ſunt de ueſtitu uirili ſimpliciſſimo, & humillimo, à quo nõ ita diuerſus fuit muliebris. Nam harum uelamina non erant uilloſa, ſed linea, & purpureo colore depicta abſq; manicis. Quare brachia & lacertos nudæ deſcribuntur, & cum circa collum ueſtis circumciſa erat, ſuperior pars pectoris patebat, quæ conſuetudo uix intra quadriennium in Sarmatia & in Sileſia exoleuit. Hinc quoq; ſaga fuiſſe manicata quilibet coniecturam faceret.

QVanquam ſeuera illic matrimonia. Nec ullam morum partẽ magis laudaueris. nam prope ſoli barbarorum ſingulis uxorib. contenti ſunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, ſed ob nobilitatem plurimis nuptijs ambiuntur. Dotem non uxor marito, ſed uxori maritus offert. Interſunt parentes & propinqui, ac munera probant. munera non ad delitias mul iebres quæſita, nec quibus noua nupta co-

matur

matur, sed boues & frenatum equum, & scutum cum framea. gladioq; In hæc munera uxor accipitur. atq; inuicem ipsa armorum aliquid uiro affert. hoc maximam uinculum, hæc arcana sacra, hos coniugales deos arbitrantur. Nec se mulier extra uirtutū cogitationes, extraq; bellorum casus putet, ipsis incipientis matrimonij auspicijs admonetur, uenire se laborum periculorumq; sociam, idem in pace, idem in prælio passuram ausuramq;. hoc iuncti boues, hoc paratus equus, hoc data arma denunciant. Sic uiuendum, sic pereundum. accipere se, quæ liberis inuiolata ac digna reddat, quæ nurus accipiant, rursusq; ad nepotes referant. Ergo septa pudicitia agunt, nullis spectaculorum illecebris, nullis conuiuorum irritationibus corruptę.

Literarum secreta uiri pariter ac fœminæ ignorant.

Paucissima in tam numerosa gente adulteria, quorum pœna præsens & maritis permissa. Accisis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem uicum uerbere agit. publicatę enim pudicitiæ nulla uenia, non forma, non ætate, non opibus maritum inuenerit. Nemo enim illic uitia ridet, ne corrumpere & corrumpi, sęculum uocatur. Melius quidem adhuc eæ ciuitates, in quibus tantum uirgines nubunt, & cum spe uotoq; uxoris semel transigitur. Sic unū accipiunt maritum quo modo unum corpus, unamq; uitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tanquam maritum, sed tanquam matrimonium ament. Numerum liberorum finire, aut quenquam ex agnatis necare flagitium habetur. Plusq; ibi boni mores ualent, quam alibi bonę leges.

XXV.

DE RELIGIONE MATRIMONII, DE *sponsis, dotibus, & adulteriorum pœna.*

Sicut & Germanis matrimonia seuera, non dura, non tristia, non acerba sed propter religionem & fidem matrimonij summa adhibetur seueritas, id est, grauitas ὠσεμνότης. Itaq; eandem tantam Tacitus facit, ut uix ullam morum partem magis laudandam esse censeat, ἀλλολογία est, quia non sunt neq; bigami neque πολύγαμοι, hoc est, non simul ducunt, aut duas, aut plures uxores, quales in ueteri Testamento fuisse leguntur, sed certa, ut uidetur, caussa. Sed Deus Opt. Max. primus matrimonij author uolebat duos esse in carnē unā quod est masculum & fœminam inter se committere, deuinci, ut esset indiuidua, & indissolubilis, dum uterque in uita superstes relinqueretur. Siquidem non quęlibet coniunctio matrimonij caussa est, sed quæ est & diuina & legitima, utpote iuxta Dei ordinationem & legum honestarum constitutionem. Erant tum polygami non libidine, sed nobilitate adducti. Verùm sponsalia non prius certa erant, quàm dos à marito offerebatur in parentum & propinquorum conspectu, quorum iudicio dos approbatur. Hæc autem quatuor rebus constabat non sine mysterio, ut

boues,frenatus equus,framea & gladius,scilicet munera,uel προτέλεια uel ἀπαύλια dicta,non ita muliebria,hoc est, quibus sponsa exornaretur.Contrà & sponsa sua attullit dona,quippe arma. Hisce sane ceu diis nuptialibus, uel ut D. Augustinus appellat coniugalibus fit inauguratio.Sic est τέλειος Iuppiter,τέλεια Iuno,sic Venus, sic est πάλος, id est Suadela, sic est & Diana nuptialis. Hos enim quinq; deos Romani in connubijs inuocare soliti erant, quibus interdū Talassus,qui est Græcè Hymenæus,adiūgebatur,Cęremonia autem dotis nihil aliud significabatur (est enim in hac aut misterium, aut τὸ ἀλληγορούμενον) atq; uxorem esse & pacis & belli sociam,& calamitatum & fortunarum participem,ita ut uere inter hos συζυγίαν obseruaret, sicut boum nomine res pecuaria & domestica paxq; ipsa: ita telorum bellicum studium, defensio tutelaq; mutua in quacūq; fortuna adumbratur.Siquidem ut boues,ne seu irtutum œconomicarum cogitationibus,studijs,& conatibus:ita tela,ne à bellorum periculis exclusam putaret uxor,erant quędā commonefactiones & symbula. Societatis igitur ad utramq; fortunam mutuæ,atq; inter sese deuinctæ istis sponsalibus argumentum est.Sic enim aut uiuendum, aut pereundum erat,cum dotis eius ad posteritatem usque successio propagaretur.Neq; Deus adiutorium uxorem appellasse aliter uidetur,atq; cuiuslibet fortunę sociam. Etsi uerò priscis ęculis uxores nunquam essent indotatas usum erat,præsertim Iulia lege,dotis tamen nodum definierunt.Itaque Romanis in principio æs graue fuit,mox decem millia æris,postea moribus corruptis dotes ad quadragiuta millia supergressę sunt.Cautum quoq; erat, ut tenuioris fortunę puellę pro natalibus publico dotarentur.Ad hunc modum Athenienses Aristidis filias propter paupertatem ære collato, conubio locabāt. Huic autem malo Solon & Lycurgus medicinam daturi, ne qua uiris dos daretur,legibus uetuerant.Porrò sponsę probè educatę fuerant.Nam neq; spectaculis,neque conuiuijs tanquam corruptelis easdem frequenter interesse olim uoluerant.Verum est illud Menandri,& à D.Paulo citatum,Bonos mores prauis colloquijs corrumpi. Siquidem ut in spectaculis obscœna, & dicta & gesta in pulpito proferuntur.Ita in conuiuijs,lasciuæ saltationes iocationesque ineptæ, maximè honestis puellis obsunt. Quare Paulus eas δικυρας esse uoluit,tanquam suæ domus custodes, non domestica tim nouarum rerum cupidæ ultro citroq; cursitantes, sed domi tanquam sub limace telam & lanam tractantes quasi septę sedeant.Id tamen sub id tempus, aut propter inscitiam rude & difficile,aut certa de causa inutile uidebatur,ut puellæ literas condiscerent.Verùm suprà ostendimus,ut tardius ad Germanos per Gallos & per Imperatores quosdam Germanos literarum cognitio peruenerat.Itaq; non est mirum,ut tam uiri quàm fœminę inertes redarguantur.Talis autē puellarū æducatio multò laudabilior est atq; Thracica,Nam Thracibus in more positum fuit,nō asseruare uirgines,sed cum quibus libitum erat, commiscere licebat. Cæterum de fide matrimonij & nuptiarum erat sua quoque Germanis ratio.Nam in adulteras,quas tamen paucas fuisse asserit,uel in ipsa propinquorum corona ipse maritus animaduertit.Adulteram enim coma præcisa domo expellebat, & uicatim flagris cædebat lictoris uicem fungens, quæ etiā iuuenis etiam formosa,etiam opulenta propter profligatam pudicitiam contemnebatur. Tanta enim seueritas & potius σεμνοτης, id est,ueneranda quædam grauitas, cum austeritate coniuncta Germanis fuit, ut uitia non uideant,id est, conniuendo, more Gnathonico collaudent,ut in corruptis moribus sæculum, id est, sæculi deprauati consuetudinem non causentur. Ita Lacedæmonij, cum nulla nouerant adulteria,nullam quoque legem Lycurgi in adulteros receperunt. Verùm Solon ut adulteria refrenaret, lupanaria instituit. Tenedis autem lex fuit, ut adulteri, & mas & fœmina capite plecterentur. Pisidæ equo insidentes circumducebant. Aegyptij nasum præcidebant.

Romani

Romani sæpè uirilia excecabant. Didymus tibicen testiculis suspensus est. Attici suos raphano torquebant, cuius & apud Aristophanem mentio fit. Arabibus semper placuit, ut adulteri pœna capitis afficerentur. Valeant Indi, Aethiopes, Massagetæ & Barbaræ nationes, quibus adulteria impunita fuerũt. Quid uerò lex Iulia sibi Romæ uoluerat, notius est, quàm ut repetatur. Iuxta Mosem uerò mœchi lapidibus adobruebantur. Fuit & quibusdam ciuitatibus, quæ hic sunt διοικήσεως, consuetudo, ut in matrimonio tantum κορίδιαι, id est, quæ adhuc uirgines nuberent, sic & sponsi essent κορίδιοι, nempè adolescentuli, qui antea uxorem nullam duxerant. Sic enim utriusque hæc coniunctio, non tantum corpore, sed & animo, erat indiuidua. Experientiam enim multorum matrimoniorum damnasse uidentur. Quarè uiduæ mortuo uiro non ultra cogitabant, non longius nouas nuptias expetebant, sed semel & sperabant & uouebant ita uitam uiuere. Quam tamen consuetudinem & Romani agnouerunt. Nam ex nuptiarum multitudine animum intemperantem colligebant. Adhæc nimis stultũ fuit quibusdam gentibus numerum liberorum definire, cum is potius naturæ cursu absoluatur & desinat, quàm legum constitutione. Prudentissimè autem Qu. Metellus Numidicus Cęsar, Deinde Iulius Cæsar, Postea & Augustus legem de maritandis ordinibus tulerunt, eosq; ad progeniem propagandam præmijs & immunitatibus inuitarunt. Siquidem patri trium liberorum, erat muneris uacatio, cui plures, libertas donabatur. Sic & Lacedæmonij parentem, cui tres erant liberi à custodia & excubijs, cui quatuor, ab omni onere immunem fecerunt. Romani quoque parentibus plurium liberorum magistratus & honores designabant. Quid multis? stultum est & hic naturæ modum per leges præscribere. Est quoq; flagitiosa agnati alicuius internitio, quasi aut alicubi pia esset, aut parricidia impunita iudicanda essent. Pium quidem fuit apud Indos, ut liberi senio cõfectos parentes, sed ex aeris temperie longè optima uiuacissimos interimant. Sed dè homicidio, eiusq; pœna haud multò post plura subdemus. Habetur inquit Tacitus, non quod legibus quippiam cautum fuisset, sed bonis moribus approbatum erat. Mores autem ut plurimum sunt leges non scriptæ, sed consuetudines iudicio & consensu rectè sentientium, iuxta legem Dei cordibus inscriptam lõgoq; usu receptæ. Boni quoq; iudicantur, cum ad honestatis & societatis hominum conseruandæ normam adæquantur & referantur. Laudatur igitur Germanorum resp. à morum bonitate, quę plus ualet, atque ἐυνομία, id est, iusta & bona legum cõstitutio. Itaq; Antiphanes bonos mores iudicauit esse κειμήλιον pręciosiss. hoc uersu. τρόπος δίκαιος, κτῆμα ζωμιώτατον. Hinc est quod Perithous bonos antepositos fuerat mores legibus. Nam illos immutabiles, cum sit iuditium Dei istiusmodi tabulis cordium nostrorum insculptum perpetuũ esse asserit: leges per Oratorum eloquentiam subinde figuntur & refigunrur. Cuius autem Senarij hi sunt.

τρόπος ἐσὶ χρηςὸς ἀσφαλέςερος νόμε
νόμ μὲν γὰρ ἔνιοις διαφέρεσθαι ποτὲ
ῥήτωρ δύναιτο. τὸν δ' ἄνωθε κἀκ κάτω
λόγοις τεράσσων, πολλάκις λυμαίνεται.

IN omni domo nudi ac sordidi, in hos artus, in hæc corpora, quę miramur, excrescunt. Sua quenq; mater uberibus alit, nec ancillis ac nutricibus delegantur. Dominum ac seruum nullis educationis delicijs dignoscas. Inter eadem pecora, in eadem humo degunt, donec ætas separet ingenuos, uirtus agnoscat. Sera iuuenum uenus, eoq; in exhausta pubertas: nec uirgines festinãtur, eadem iuuenta, similis proceritas, pares ualidęq; miscentur, ac robora parentum liberi referunt.

XXVI.

DE LIBERORVM EDVCATIONE.

VAria ſemper fuit apud diuerſas nationes infantum ex utero matris egeſtorum ratio, uariaq; inſtitutio. Galenus quidem Germanos ſolitos infantē recens natum in frigidum humorem immergere memorię prodidit, idq; duplici de cauſa faciunt, Priori quidem, ut de naturæ uigore periculum facerent, Poſteriori autem, ut corpus ipſum (Nam per externum frigus calor internus adaugetur) confirmaretur. Hinc uehementer in Germanos inuehi ſibi permittit Galenus, eosq; propter hanc educationem barbaros appellare non ueretur. Lacedæmonij quoq; Lycurgi legibus edocti idem factitarūt. Nam infantes iam iam editos rigidiſſima aqua, propter corporum confirmationē, fouebant, nudos in patientia laboris enutriebant, nihil ſomni cauſa ſternebant, cibi potusq; modū præſcribebant, conuictum ſobrium cum æqualibus præſcribebant, in eodem ſodalitio & ſtudiorum ſocietate, humiliq; cultu educabant, dura & horrida diſciplina, ſeueriſſimisq; moribus aſſuefaciebant. Neq; diuerſus fuit Germanorum educationis modus, quo tamen per faſcias deligaturam infantum adhibuiſſe neceſſe eſt, qua membra & artus bene formarentur, ut in tanta corpora (ſuprà enim ex Ioſepho, magna & robuſta tribuimus) alijs nationibus puſillis admiranda ſuccreſcerent, etiamſi non bene culti, non bene loti humi iacerent. Deinde infantes nutriuntur ab ipſis matribus, quod negocium neq; ancillis, neq; nutricibus creditur. Id ſanè Plutarchus & triplici ratione approbat. Vna eſt, ex dilectionis uinculo, quæ maioris diligentiæ & attentionis in nutriendo quàm in conductitijs nutricibus erit, cauſa iudicaretur. Altera eſt ex ipſius naturæ ductu, quæ cuilibet animantiū generi lactis quoq; copiam ſuppeditauit, eiusq; tanta fuit prouidentia, ut pro gemellis natis & duos fontes lactis procrearit. Vltima eſt ex amoris proprietate. Sic enim multo magis ſuos adamabant. Medicis uerò ſunt & aliæ rationes, quas Gellius, Macrobius, & alij complures repetere non dubitarūt. Inter has autem non infirma eſt cauſa, ne ſubito nutritio ipſa permutetur, cum eodem lacte uel ipſo utero enutriti ſint. Idē eſt Quintiliano, & quibus non prudentibus atq; peritis conſilium? Neq; uerò diuerſa educationis in adoleſcentia forma, ſi quidē ſeruilis ab ingenua nutritione uix diſcernebatur. Quapropter Germanis non ſecus ac Cretenſibus curę fuit, ut pueri ab ineunte adoleſcentia calores & frigora pati aſſuefcerēt, ut uilibus amicti amiculis hyeme pariter atq; æſtu nempè eodem ueſtitu incederent. Iuuenes penè militię per ætatem patientes, nō delitijs, quæ animos hominum frangunt, ſed laborioſis exercitationibus, ueluti curſu, tactu diſci, algore, ęſtu, inedia, & ſitis tolerantia, arduarum & difficilium uiarum peragratione, pugnarum ſimulacris, ſubinde exercitabantur. Quamobrem educatio, uel inter pecora cōmunis eſt, etiamnū in Sarmatia, Lithuania, & Ruſsia uſitatiſſima, quibus ſtabula, cœnacula, etiam uaporaria eadē ſunt, quæ tametſi ſit barbara, tamen ætate & uirtute ingenui à ſeruis citra negociū diſcernūtur. Generoſa enim indoles, quę eſt Græcis εὐφυΐα non poteſt diu eſſe obſcura. Fatemur & hic opus eſſe, ut ad naturā ratio, quæ eſt diſciplina, & conſuetudo, quæ eſt exercitatio accedat, ſi iuſta inſtituendę pueritię ratio ineunda eſſet. Nota eſt hiſtoria, ut ex duobus catellis à Lycurgo aliter atq; aliter edoctis in publicā coronam Lacedęmoniorū propoſitis, educationis uim & mores ueluti intento digito ille demōſtrarat. Poſtea ijdē pubeſcentes, ſumma cura à Venere arcētur, quę nimis quoq; uires eneruat, & rectè ille dixit, ſi infirmior eſſe cupis, Veneri iu dulge. Libet & huc conſilium admodum ſalubre, quod de puerorum procreatione Ariſtoxenus Pythagoricus intendit, adnotare.

καθόλου.

καθόλεμεν φυλάττεσθαι τὸ καλόμενον προφερὲς ὅτε μὲν τῶν φυτῶν, ὅτε δὲ τῶν ζώων ἐνίοις πρὸ τὰ προφερῆ γίνεσθαι, ἀλλὰ χρόνον τινὰ προπαρασκευάζεσθαι, τῆς καρποφορίας ἐφ' ὧν ἐνισχύσαντα καὶ τετελεσφορηκότα τὰ σώματα, παρέχειν τὰ τε σπέρματα καὶ τοὺς καρπούς διαδίνηται, πολλὰ δὲ εἶναι, ἐν οἷς ἡ ὀψιμαθία δεῖ βελτίων, οἷον καὶ τὸ τῶν ἀφροδισιάζειν πρᾶγμα. δέον δὴ οὕτω καὶ διὰ ταῦτα ἄγεσθαι διὰ τῶν σωμάτων ἀσχόλους, ὥστε μὴ μόνον μὴ ζητεῖν, ἀλλ' ἐὰ δύνασθαι μηδὲ εἰδέναι τὴν τοιαύτην συνουσίαν ἐνὸς τῶν εἴκοσιν ἐτῶν, ὅταν δὲ καὶ εἰς ἄνδρα ἀφίκηται ἀπαρνίοις εἶναι χρήσιμον τοῖς ἀφροδισίοις, οὕτω μὲν πρόσεστι τὴν τῶν γεννητῶν, &c. Quod est, In uniuersis præcox Venus est cauenda. Siquidem neque in plantarum, neque in animalium genere, quæ præcocia sunt, fœcunda fiunt, sed certo tempore, ad fructificandi facultatem præparantur, ut corpora ipsorum roborata, & perfecta, semina & fructus perferrent. Sunt quidem multæ res, quas serius didicisse conueniret, & inter has est Veneteum opus. Quarè sic pueri corporibus exercendi, & alijs negocijs obruendi sunt, ut non modo Venerem non quærant, sed & pro uirili illam ipsam intra uicesimum annum ignorent, cum & hac ætate rarior esse debeat. Hoc enim tùm ad parentum, tùm ad generandæ prolis bonam habitudinem multum conducit. Laudandi igitur sunt ueteres Germani, ut qui in educatione liberos suos, neque ἀπολάστους, id est, libidinosos, & intemperantes, neque ἀκρατεῖς, hoc est, incontinentes esse uolebant. Itaque σκιατροφίαν, quod est umbratilis, mollis, & delicata educatio, nimis odiosa ijsdem fuit. Noti enim & hi uersus:

Balnea, uina, Venus, corrumpunt corpora nostra,
Sed uitam faciunt, balnea, uina, Venus.

Itaque Germanis consultissimum fuit, ut uirgines non festinarentur, hoc est, non cito ad coniugium raperentur. Exspectabatur enim ætas generationi apta, quæ & firma est, cum omni ex parte sibi consistat, & integris uiribus existat. Et cum Aristoteles gignendi finem in maribus quidem annum septuagesimum, in mulieribus autem quinquagesimum statuerat, magis firmæ ætatis ratione, & communi quadam experientia, quàm reipsa, ita facilè erit initium coniugandi constituere, nimirum ut puella octodecim annorum nuptui detur, & masculus triginta trium ducat, cui & Hesiodus suffragatur, cum sponsum tricenarium plus minus fecerat. Quarè hic in utroque sexu non erit dissimilitudo, neque ætate, neque statura. Amicitia igitur iusta inter coniuges conciliabatur, ueraq; συζυγία, propter æqualitatem statuebatur. Verùm est illud Aristotelicum, αἱ ἀνομοιότητες τῶν ἠθῶν ἀκίσαι φιλικόν. Siquidem dissimilitudo morum, dissidij & contentionum mater est. Sit igitur iuxta Pythagoram amicitia æqualitas, Postremò liberos parentum corpora retulisse, quàm prudentissimè subdit. Nam in cunctis animalibus, nunc iuueniles partus penè imperfecti sunt, nunc fœmellæ crebrius quàm masculi (cum genitura masculina iuxta Hippocratem nondum sit integra) gignuntur, nunc minoris staturæ homunculi procreantur, ijsq; admodum imbecilles, nunc puellæ non ita paucæ partu propter ualde teneram ætatem, & imbecillitatem intercidunt. Quarè Trœzenijs responsum datum recte huc quadrat, ὡς πολλῶν διαφθειρομένων διὰ τὸ γαμίσκεσθαι τὰς νεωτέρας, hoc est, quàm multæ pereunt, cum iuniores nubant. Taceo ut ex immaturo, & intempestiuo matrimonio liberi ferè degenerent, ut illud ipsum sit incontinentiæ signum. Prætereo & multas easq; iustas causas medicis notas, Et γενεᾶς, id est, temporis ad procreationem apti ætatem Censorinus adnotauit. Germanis quoque est prouerbium dextrè intellectum à ueritate nihil dissidens, *Kinder machen kinder*, quod est, homines pueriles, nimirum ætatis adhuc infirmæ, alios liberos, quàm infirmos gigne non possunt.

SOrorum filijs idem apud auunculum, qui apud patrẽ honor. Quidam sanctiorem arctioremq; hunc nexum sanguinis arbitrantur, & in accipiendis obsidibus magis exigunt, tanquam ij & animum firmius, & domum latius teneant. Hæredes tamen successoresq; sui cuiq; liberi, & nullum testamentum. Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione fratres, patrui, auunculi. Quanto plus propinquorum, quo maior affinium numerus, tanto gratiosior senectus, nec ulla orbitatis pretia.

XXVII.

DE SORORVM FILIIS, ET *de hæredum institutione.*

Id magis usu, & σοφῇ φυσικῇ receptum est, quàm legibus & tabulis, uidelicet, quod filij sororum in eodem sint honore apud auunculũ, quippe matris fratrem, quo apud patrem. Est quidem connexio penè in ciculum abiens, multò arctius affinitatem copulans, Quarè adhuc tales filij auunculos suos, *die Vettern*, ueluti patres, ut arbitror, appellant, uetustatis auitæ uestigia retinentes, non nisi propter honoris æqualitatem, paterno nomine uix per primæ uocalis, uel immutationem, aut inclinationem molliorem significatam. Itaq; factum est, ut propter illud arctissimum affinitatis uinculum Germanis usitatius, libentius aliæ nationes filios sororum in obsides acceperint. Germanis quoq; nullum fuit testamentum, neq; nuncupatiuum, neq; scriptum, sed ratum erat illis, & longo usu receptum, utiq; à naturali iure non alienum, ut hæredem instituerent, id est, post mortem aliquem suorum bonorum dominum facerent. Primum, ex linea descendente, ut liberos: Deinde cum orbitas fuerat, ex transuersali linea hæredes successerunt, ueluti fratres, patrui & auunculi. Contrà Romani hæredes primos ascendentes, alteros descẽdentes, tertios transuersales, atq; extraneos fecerunt. Siquidem hæredes triplices præscribuntur, quarum alij sunt necessarij, cuiusmodi serui uolentes, post mortem domini, & libertate donantur, & ijsdem hæreditas uenit. Alij sunt sui, & necessarij, quales Germanis fuerũt filij, & filiæ, atq; propinqui proximi. Alij sunt extranei, ut qui iuri testatoris subiecti non sunt, quos Germanis fuisse non est ueri simile. Siquidem si qua alia, hæc præsertim natio gignendis liberis operam dedit, & multitudine tam agnatorum, & cognatorũ, quàm affinium etiamnum gaudet. Quarè affinitatis nomen apud nos tusissimè spargitur, ut gradus nulla ratione subducerentur, adeò arctissimam inter se utraque de causa connexionem esse affectant. Itaque orbi, id est, quibus nulli erant, aut propinqui, aut liberi in nullo precio habebantur, atq; hoc modo cœlibatus ualdè odiosus fuit. Quæ consuetudo, & ueteribus Romanis, quoties maritis, & congiaria, & donaria tanquam ad nuptias illectamenta, ab Imperatoribus constituta fuerant, ita Romæ plerisq; diuites uxores non ducebant propter uitanda matrimoniorum onera. Quarè cum hi nullos liberos, nullosq; hæredes tollerẽt, mox hæredipetæ alij successerunt, & alieni. Quam uerò rem, cum reipublicæ damnosa esset (Nam & legitima prole ciuitas destituebatur, & testamenta multa improba, inofficiosa, & inhumana fiebant) lege Papia de ordinibus maritandis, id est, in matrimonium locandis correxit, cum multiplicia præmia, immunitates atque honores ijs, qui uxores haberent, atque ex ijs liberos,

statuerat.

ſtatuerat. Cœlibatum uerò atq; orbitatem uiciſſim pœnis ſubiecit, quæ omnes ad locupletandum ærarium inſtitutæ atq; excogitatę erant. Fecit autẽ id, ut inuidiam ſubterfugeret, ex diui Iulij commentarijs edoctus. Quamobrem Suetonius D. Auguſtum leges quaſdam retractaſſe teſtatur: maximè tamen de maritandis ordinibus, quam cum recuſarunt potiſſimum equites, perferre, hoc eſt, ad finem ſeu ad plenum decernere non potuit, utiq; teſtimonio quodam muto, cum Germanici liberos accitos receptoſq;, partim ad ſe, partim in patris gremiũ oſtentauerat, manu uultuq; ſignificans, ne iuuenis exemplum imitari grauarentur, inſtaurauit aũt, & ſanxit, quod antea ampliſs. Qu. Metellus cenſor conatus eſt, de quo ſic Florus. Qu. inquit, Metellus Cẽſor cenſuit, ut ducere uxores omnes omnino cogerentur liberorum creandorum cauſa. Huius quoq; orationem Auguſtum in ſenatu recitaſſe Suetonius ait, cuius & Gellius 1. cap. 56. meminit, cuius ſumma fuit, ut ciuitas ſine matrimoniorum frequentia conſiſtere non poſſet, quam & Tacitus in 3. lib. repetit. Proinde cum Germanis orbitas odioſiſſima fuerat ſed affinium, & propinquorum numerus magna animi contentione requirebatur, bona eorum non erant caduca, quæ cum ſint uacantia, ad ærarium pertinebant, ſicut apud iuriſconſultos, de caducis tollendis, præſcribitur.

SVſcipere tam inimicitias, ſeu patris, ſeu propinqui, quàm amicitias neceſſe eſt. Nec implacabiles durant. Luitur enim etiam homicidium certo armentorum, ac pecorum numero, recipitq; ſatisfactionẽ uniuerſa domus, utiliter in publicum, quia periculoſiores ſunt inimicitiæ iuxta libertatem.

XXVIII.

DE INIMICITIARVM ET HOMICIDIJ EXPIATIONE, ET MULCTATIONE.

SIcut bonorum hæreditas propinquis uenerat, ita & amicitiarum, & inimicitiarum. Nam qui amicus patri teſtatori fuerat, idem & hæredibus fuit, & e diuerſo, qui hoſtis patris fuit, & hæredibus hoſtis. Erant tamen tales hoſtes, ut eſſent placabiles. Nam iraſci & diſſidere facilè, ſed mãſuetum eſſe longè melius eſt, ſicut ſtuporis eſt ἀοργησία, & furoris ὀργιλότης, præſertim pertinax, ita mediocritatis eſt placabilitas, & πραότης. Obſeruabant, & Germani in homicidij pœna ſuam rationem. Conſtat ſanè ex Gorgia Platonis duplicem puniendis peccatis eſſe cauſam, unam cõmonitionis, alteram animaduerſionis. Commonitio quidem fit propter delinquentẽ, ne porrò peccare pergat, ſed ut ad bene honeſteq; uiuendum promptior, & emendatior fieret, curabatur. Animaduerſio uerò fit, non eius qui pœna afficitur gratia, ſed aliorum, ut metu pœnæ ab eadem noxa deterrerentur. Sic Germanis homicidium certo pecorum numero luebatur. Leuiora uerò crimina pecoris, uel equi damno. Ita Romani reges homicidij conſcios arietis damno mulctabant, quem in ſacrificijs deorum expendere conſueuerunt. Priſca enim paupertas ante argenti, & auri uſum ex noxiorum bonis ſacra dijs exhibuiſſe fertur. Quare ſupplicia dicta ſunt, & cautum fuit, ne quis mulctam indicendo, bouem prius quàm ouem nominaret. Neq; Romæ mulctari quemquam grauius decebat, quàm triginta bobus, & duabus ouibus. Bos quidẽ cẽtuſſib. ouis uerò decuſſib. æſtimabatur. Quapropter & mulctę pecuniariæ iuxta hanc æſtimationẽ modus præfiniebatur, ut maxima mulcta eſſet triũ millium & uiginti aſsiũ. Atq; ex ſuperioribus patet, ut gregibus armentorũ & pecorũ tanquam

tanquam gratissimis opibus sese Germani oblectarunt, ideo ex ijsdem mulcta decernebatur, cum pecuniæ usus ubicq; non tantus erat. Hac autẽ pœna toti domui, id est, familiæ interfecti in publicum satisfiebat. Nam si quis ex eadem familia neglectus fuisset, sicut Germanis semper magna fuit libertas, eiusq; studium extremum, noua exorta fuisset contentio, ex non plena satisfactione. Quarè in utilitatem publicam totius domus mulcta pecuaria distribuebatur.

CONuictibus & hospitijs non alia gens effusius indulget. Quẽcunque mortalium arcere tecto, nefas habetur, pro fortuna quisq; apparatis epulis excipit. Cum defecere, qui modo hospes fuerat, mõstrator hospitij, & comes, proximam domum non inuitati adeunt, nec interest, pari humanitate accipiuntur, notum ignotumq; quantum ad ius hospitis, nemo discernit, abeunti, si quid poposceris, cõcedere moris, & poscendi inuicem eadem facilitas. Gaudent muneribus, sed nec data imputant, nec acceptis obligantur. Victus inter hospites comis. Statim è somno quem plærunq; in diem extrahunt, lauantur, sæpius calida, ut apud quos plurimum hyems occupat. Lauti cibum capiunt, separatæ singulis sedes, & sua cuiq; mensa.

XXIX.

DE GERMANORVM *hospitalitate.*

MAgna fuit ueteribus hospitum obseruantia. Nam in defensionibus primum locum parentibus tribuerunt, secundũ hospitibus, tertium seruis, sicut apud Gell. in 5. cap. 13. memoriæ scriptum est. Sic & Penelope ad Antinoum dixit, Odis. φ.

—ὁ μὲν καλὸν ἀτέμβει, δὸς δὲ δίκαιον,
ξεῖνος τελεμάχοισιν τὰ δὲ δώματ' ἴκηται.

Sic & Telemachus Mineruam, quæ sese Mentæ Taphiorum regi assimularat, hospitẽ tam diu foris perstitisse indignabatur, mox ipse prorupit, illius dextram cepit, & hastam eandẽ salutauit, atq; inter suos amicos recensuit, atq; prius cibis saturari, quàm negotium suum expedire iussit. Quid multis? laudatissima est omniũ uirtutum apud Homerũ hospitalitas, cui non temere, uel ipsum louẽ ξένιον dictũ, præfecerũt. Ita Germanis ius hospitij sanctissimũ fuit, ut nullũ hominẽ suis tectis arcerent. Hoc enim pessimũ flagitiũ iudicabatur. Deinde eosdem hospites prolixè, sed pro facultate accipiebãt liberalissimè. Liberũ quoq; fuit, in aliam domũ diuertere, si prior hospes defecerat. Solent enim hospitij esse non tantũ monstratores, sed & comites, cum illos in proximã domum deducunt. Postea lo ponebantur discrimine. Tũ celebri more hospites cibo potuq; refertos, aliquo munere ceu symbolo amicitiæ ornare solebant, atq; hæc munera, ξένια dicebantur. Ad hũc modũ apud Hom. loti, pasti, saturi, ὡς ταρπόμενοι φίλον ἦτορ offerebãt donum τιμῆεν, μαλὰ καλόν, ὅτοι κεφάλιον ἔσαι ἐξ ἐμεῦ δῖα φίλα ξεῖνοι ξείνοισι διδῶσιν. Ab altera uerò parte dicebatur, σοὶ δ' ἄξιον ἔσαι ἀμοιβῆς, ita numeranti renumeratur. Germanis tamen mos fuit, ut in datis muneribus, nulla esset imputatio, & in acceptis nulla obligatio, imò esset mutua quædam seu liberalitas, seu munificentia

munificentia. Adhęc uictus, qui hic est uiuendi consuetudo, & familiaritas, non asper, non malignus, sed comis & benignus, atq; facilis. Postremò hospites, in multam usq; diem dormiunt, & loti Homericorũ hospitum more sic comedũt, ut singulis suæ sint, & sedes, & mensæ. Quæ consuetudo etiamnum mordicus, in multis Germanorum partibus obseruatur. Familiarius tamen ijsdem fuit, ut se non in balneis, sed fluminibus lauarent. Itaq; nandi periti, & summi uiri natatores habiti sunt. Si quando tamẽ balneis lauarent, calida, frigidior enim aura est, utpote ad Boream inclinata, & uergens, sicut cum cõplura testimonia autorũ, ut Cæsaris, Taciti, Melæ, sustragantur, tum ipsa experientia iuxta mundi climata, quàm manifestissimè contestantur) abluebantur, lautiq; uescebantur. Eadem hospitalitatis apud Lucanos fuit ratio, ubi lege cautum erat, ut si quis sole occidente, diuertentes hospites notos ignotosq; domo exigeret, κακοξενίας teneretur, mulctamq; eo nomine pendere cogeretur. Laudatur & Calabrorum hospitalitas, qui hospites comiter, & benignè inuitare, pyra illis affatim apponendo, solebant. Quid dicã de Corinthijs, qui uel captiuos tam leniter habuerant, ut illos ueluti hospites tractarent, & sine precio dimissos λαμυξενους appellarent.

TVm ad negotia nec minus sæpe ad conuiuia procedunt armati. Diem noctemq; continuare potando nulli probrum. Crebrę (ut inter uinolentos rixę) raro conuitijs, sæpius cæde, & uulneribus transiguntur. Sed & de reconciliandis inuicem inimicis, & iungendis affinitatibus, & adsciscendis principibus, de pace denicp ac bello, plerunque in conuiuijs consultant, tanquàm nullo magis tempore, aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat. Gens non astuta, nec callida, aperit adhuc secreta pectoris, licentia ioci. Ergo detecta, & nuda omnium mens, postera die retractatur, & salua utriusq; temporis ratio est. Deliberant dum fingere nesciunt, constituunt, dum errare non possunt.

XXX.

DE GERMANORVM *conuiuijs.*

HAbent & suam conuiuandi rationem Germani, quam prorsus militarem esse arbitror, præsertim si quis hoc loci quinq; capita adnotarit, quorũ primum est, ut conuictores armati conueniant. Nam Germanis familiare est, & in seriis negocijs, & in conuiuijs armatos adesse, sicut ordinem militarem decet, & hodie à præcipua nobilitatis parte eadem consuetudo retinetur. Alterum est in strennua potatione dies & noctes, qua sese & Græci oblectabant, dum in primis epulis breuioribus poculis utebantur, & in fine laxiora adhibebant. Quarè Græcorum more bibere, est capacioribus poculis haurire, quibus lex data erat, ut in sympostjs, aut biberent aut abirent, unde & prouerbium inter potores natum est, sicut apud Scythas est Scythissare, idem quod intemperantius bibere. Potationem autem hanc magis circa Rheni accolas, quorum mores Tacitus præcipuè uidit, usitatam fuisse, quàm in tota Germania iudico. Verùm hodie cum passim, & uineta coluntur, & aliunde alia, atque alia uini genera afferuntur,

incredibi-

incredibilis ubicq; temulentia, qua mirum in modũ inter ſeſe potiſſimum ſic iuuentus conflictatur, ut non malè ab alijs nationibus Germani ebrioſi incuſentur. Tertium eſt de rixis ſanguinarijs. Nam uino excalefacti, & bile commota efferuefacti, iam armati, non conuitijs inter ſe certant, ſed aut mutuis uulneribus aut cæde digladiãtur, ſicut Centaurorum, & Lapithatum cõuiuia hic cerneres. Quartum eſt de ſermonum conuiualium materia quintuplici, aut de reconciliatione inimicorum tractatio ſuſcipitur. Liberaliora enim in bene potis quibuſdã ſolent eſſe ingenia, atq; ita placabiliora. Solent & nunc non cyathos, ſicut olim Romani, amicitiæ præbibere, ſed magnis crateribus eam nunc, aut renouatam, aut inchoatam confirmare: Aut de iungendis affinitatibus. Tunc enim inter bene potos per affinitatem amicitia conciliatur, & de filijs collocandis felicius conſultant: Aut de ſuſcipiendis principibus, quos olim (ſicut ſuprã indicauimus) electitios, non hæreditarios habebant. Itaq; de principum eiuſmodi, quibus erant centum comites adiuncti uirtute, authoritate, & peritia differebant: Aut de pace, agebatur: Ant de bello ſuſcipiendo, & inferendo. Hæc enim conuiualium conſultationum præcipua capita erant, uel quòd in probè potis mens nihil reconditi habeat. Ebrietas enim operta recludit. & ille uerè pronunciauit: Vinum, hoc eſt, ebrietatẽ eſſe mentis ſpeculum, uel quod poti eſſent, ad res magnas obeundas multo, & calidiores, & promptiores. Eſt enim gens Germanorum non aſtuta, non fucata, non ſubdola, ſed candida, aperta, neq; aliud dicit, atq; ſentit, neq; aliud cor in lingua eſt atq; in pectore, imò omnia eorundem, & cogitata, & dicta aperta abſq; fuco exiſtunt. Et quod mirum eſt, dũ liberaliſsimè iocantur, ſeria tamen depromunt, adeò ut uel iocando nihil diſſimulare poſsint. Vltimum eſt de conſiliorum, & ſenatus conſultorũ iſtiuſmodi retractatione. Siquidem ebrij, dũ nihil fingere poſſunt, deliberant, Sobrij, dum mentis ſuæ compotes aberrare nequeunt, conſtituunt atq; decernunt. Etſi neq; inter Xenophontem & Platonem propter ſympoſiorum certam formam conueniat, imò quædam, eæq; indubitatæ diſſenſiones comperiantur, tamen ſi quis utriuſq; authoris ſcriptum ad Germanorũ, & ueterum, & noſtra magis ſympoſia, quã conuiuia contulerit longè maiorem diuerſitatem dinoſcet. Verùm de his conuiuijs, & eorum cæremonijs in noſtris ſympoſiacis quæſtionibus plura inuenies.

POtui humor ex ordeo, aut frumento in quandã ſimilitudinem uini corruptus. Proximi ripæ, & uinum mercantur. Cibi ſimplices, agreſtia poma, recens fera, aut lac concretum. Sine apparatu, ſine blandimentis expellunt famem. Aduerſus ſitim, non eadem temperantia: Si indulſeris ebrietati ſuggerendo quantum cõcupiſcunt, haud minus facilè uitijs, quàm armis uincentur.

XXXI.

DE GERMANORVM VICTV.

VIctus hic & potum, & cibum cõplectitur. Potus aũt eſt uinum, aut natiuũ, aut factitium, quod illud miris modis imitari affectat: Nam & Suidas Zythũ uinum uocat ordeaceũ, quod ſit cereuiſia ex ordeo cocta uicẽ natiui uini gerens, etſi illud ipſum Sophocles, & Aeſchylus βρύτον, quã ζυθὸν appellare maluerint. Eius quoq; authorem primùm apud Aegyptios plericq; omnes, aut Dionyſium Hammonis filium, aut Oſyridem, quem ille ſibi in filium adoptauit, cuius uxor Iſis fuit, ut eſt apud Diodorum Siculum, ad unum fatentur. Quarè à loco

primæ

primę inuẽtionis Peluſiacus à Peluſio, Nili Aegyptiaci oſtio potus nominatur, & ad alias nationes, ut fieri ſolet, ubi uini natiui copia deeſt, propagatus eſt, alia atq; alia recepit nomina, ueluti Hiſpanis eſt Cerꝛia, Gallis Berius, Germanis Bierus, paſsim tamen Cereuiſiæ, ſiue à Cerere frugum inuentrice, ſiue ab alia ratione dictæ nomen frequentius eſt. Ariſtoteles quoq; οἶνον nuncupauit, nempè uinum ordeaceum, quo temulentos aut pronos decumbere, aut ſupinos idem poſteris ſcriptum reliquit, atq; ita eiuſmodi uinum, ex frumento decoctum Græcis eſt πυρογενὲς. Hellanicus quoq; ex oryza, ſicut & Athenæus ex milio fieri teſtatur, ſicut in commentarijs noſtris, in Georgica Virgilij, fuſius expoſitũ eſt. Nunc uerò docendi gratia cereuiſiam appellabimus, quàm communẽ toti penè Germaniæ, aut ordeaceam aut triticeam facimus, & utriq; plus minus lupuli uulgò dicti, qui ab aliquibus lupus ſalictarius apud Plinium eſſe putatur, accedit. Nã huius flores ac capitula in coctura cereuiſiæ adijcere ſolent, non alia ratione quàm ut obſtructionem à frumento præſertim à tritico factam tollant. Meatus enim apprime, uel obſtructos in uiſceribus reſerare poſſunt. Hęc ſunt de materia, ex qua & temperamentum colligendum eſt. Siquidem ex aqua nullum habet, præſertim ex ea, quę non medicamentoſa, ſed potabilis eſt. Nam in coctura quamlibet rerũ aliarum qualitatẽ recipit, & in alterã naturam ſeſe transformat, in qua autem, ſi ordeum coxeris, erit apud Galenum, aut κριθινὸν ὕδωρ, aut τὸ περὶ θερμοῦ obis ordeacea aqua eſt in febribus, neſcio an quid uſitatius? Hęc refrigerandi, & exiccandi facultatem obtinet, & abſtergendi non ita magnam. Itaq; cũ febrientes uehementius exiccati iam exiccantur, exiccationẽ uuis paſſis, & glycyrrhiza, & ſeminibus frigidis obtundunt, & quodam modo opprimunt, ut potiò refrigetaret, & humectaret, Sin autem in eadem triticum coctum fuerit, potus erit calidus iuxta tritici naturam, & non parum, cum ſimplex permaneret, meatus ſuo glutino obſtrueret. Quare in triticea cereuiſia plus florum lupi ſalictarij incoquitur, qui cum ſint calidi & ſicci ſunt, incidendi quoq;, aperiendi, abſtergendi, mundificandi ſanguinem, euacuandi humores biliioſos potiſſimum arcendi putrefactionem uim obtinent.

Quapropter ſi lupi flores cum tritico coctos attenderis calidam cereuiſiam, & ſiccam pronunciabis. Namq; alia erit temperatura ordeaceę cereuiſię. Etiamſi natura ordei frigefaciat, tamen præparatione quadam aliam induit qualitatem, Siquidem frumenta prius macerántur, ut ſit Hippocratica βρόχη, propter putrefactionem quandam introducendam, & reſiccata torrentur, toſta mola franguntur prius, quã cum aqua concoquãtur. Iam uerò uel ex putrefactione uix inchoata, & ex toſtione, quę eſt aduſtionis forma, cunctas res incalescere non eſt dubium. Itaque eius temperamentum eſt, calidum & ſiccum, ſiue triticeæ, ſiue ordeaceę, ſed utriuſque gradus, uel intenduntur, uel remittuntur pro materię cereuiſiarię multitudine. Nam quo plus materię incoctum fuerit, eò calidior, & ſiccior erit, cui ſuffragantur in potantibus faciei rubor corporum atque potiſſimum capitis calor, & rubor, atq; ebrietas ex halitu calidorum fumorum, in caput ſubleuatorum nata idem approbat. Quę cuncta fieri non poſſent, niſi calefaciendi facultas in cereuiſia præſens adeſſet. Calida enim rubore, calorem, & ebrietatem efficiunt. Quare eorum ſententiam confirmare nequeo, quibus placet omnia cereuiſiarum genera, in uniuerſum frigefacere, & magis multo potu incaleſcere homines, & inebriari, quàm eius temperamento dijudicant. Boni uidelicet homines, ἐμπύρευμα, in ordeo permutare qualitatem innatam non uident. Deinde cum cereuiſia ſitis remedium eſſe ſtatuatur, mox ei refrigerandi, & humectandi uirtutem tribuunt? Non'ne & uinum humectat, & è diuerſo exiccat? non'ne idem ſitim reſtinguit, ſed alia atque alia ratione, ut in diuerſis locis Galenus differit? Verùm

ſi quis

si quis utriusq; ἐντελέχειαν urget, quis non utrunq;, & refrigerare, & humectare pronunciaret? Sin autem δύναμιν, aliud te sentire necessitas, tum propter causas, tum propter effectus compellet. Proinde temperamenti, in cereuisijs quibuslibet indicium non aliud est, atq; cuiuslibet decocti in pharmacopolijs etiã exquisitissimum. & suapte natura cereuisias calidas esse, & per accidens refrigerare, non aliter ac uinum, pronunciabitur. Quare & inter recentiores Græcos medicos Phucam (sic ipse Zythum appellabat, nisi sit potius Aeginetæ φῦσκα, quæ à posca plurimum differt) simplicem, frigidum & compositum siccum, & calidum esse pronunciat, atq; Galenus Zythum ordeo esse acriorem non dubitat. Verùm hic ab optimæ notæ scriptoribus medicis, nos dissentire oportet. Nam illi constanter, ad unum omnes ex eadem renes, & neruos lædi, membranis cerebri noxium flatum inferri, mali succi esse, elephantiasin gignere scriptũ reliquerunt: Id uerum est, cum eorundem cereuisia ex sola aqua & ordeo solo cocta fuerat, mox exacescebat, & ex acore eiusmodi morbos præcipuè in neruosis partibus nasci dubium non est. Hodie autem istęc incommoda, per florum lupi accessionem commodam, tolluntur & emendantur. Hi enim & tormina, & flatus discutiunt. Si quando meninges in capite distenduntur, id non fit nostrate cereuisia, sed potius ebrietate, & crapula, quæ causa & ex uini ingurgitatione oritur. Quare non statim ex ueterum authorum dictis utcunq; in medium prolatis, cuiuslibet sententia temere damnanda est, cum utrobiq; non sit eadem, & materia & præparatio seu confectio. Hæc sunt obiter de cereuisiæ temperamento obseruata, addendę sunt porrò, & cereuisiarum differentiæ apud Germanos notissimæ, quarum prima est ex modo coctionis: Nam una est ex cruda seu malè cocta, certis de causis, hæc flatulentum uentriculum efficit, renibus & uesicę obest, non secus ac curmi Dioscoridis, cum lupuli flores iuxtà cum capitulis non sint probè concocti. Eadem incommoda conficit, cum non ritè deferbuerit. Alter est bene percocta, quæ ijsdem malis non est obnoxia. Secunda uerò differentia est, ex consistentia, uel tenuiori, uel crassiori, uel mediocri, pro materię multitudine, tum pro coctura, ad certas partes ratione. Tenuiora autem esse magis διαχορητικὰ, & crassiora στύφοντα, ex Philosophiæ elementis non est obscurum. Hinc & alimenti, seu copiosioris, seu paucioris, & cõcoctionis, seu tardioris, seu uelocioris, coniectura facienda est. Tertia est ex colore. Siquidem ordeacea subalba fere esse consueuit, sicut subrubra triticea. Quid multis? tum ex maturis lupi salicarij floribus & multis, tum ex tostionis modo intenditur uel remittitur, atq; ex colore caliditatis coniecturam facere non est ineptum propius pensiculanti. Quarta est ex sapore. Est enim alia dulcis, alia acris, & alterius saporis, qui non aliunde, quàm ex materia, & coctura nascitur. Quinta est ex odore, qui & natiuus nõ aliter, ac sapor, & factitius est potissimum, ex aromatum, & rerum conditanearum congerie. Sexta est ex ætate: Nam recens turbulentior esse consueuit, & minus defecata. Aetas & hic non minus, atq; in uino partes aquosas ablumit. Ecquis non uetustam esse calidiorem hic assereret? Septima est ex dolijs seu uasis, quæ uariant, aut ex diuersis lignorum formis, aut ex præparatione quadam, cuiusmodi sunt picata, quæ etsi diutius cereuisiam conseruant, & excalfaciant, tamen capita tentare imbecillia non cessat. Hic obiter notandæ & sunt rationes, cur nonnullæ cereuisiæ diutius perdurent, modo ex lupuli quantitate, modò ex cocturæ tempore, modò ex aeris ambientis temperatura, modò ex cellę cereuisiariæ loco, uel profundo, uel frigido, modò ex dolijs. Sæpe tamen fit, ut cereuisię sint uitiosę, uel à materia, cuiusmodi habuit & Manardus Budę, sicut ex eius Epistola apparet, parum & accuratè, & medicè de cereuisia scribens, uel à cocturę modo, ueluti cum fit per ministrorum coquentium negligentiam, aut non satis percoquitur, aut propter ignem immodicum, & agitationem decocti

cocti intermissam adustionem sapit, quod nos dicimus, *Es brandenzt*, aut propter ineptam materiem inarenda m, fumum & fulginem resipit, *Es schmecht rauckrigk*, aut propter non satis aptum & cõmodum feruorem. Hinc enim dulcedo admodum ingrata membris nutritionis, & flatulenta conciliatur, aut propter uasa nõ apposite loto & expurgata per negligentes famulas alienum saporem recipit, uapescunt, exolescunt, cum uasa non probè obturata fuerint. Efficiunt & hinc non minus atque in uino suam loram, quæ & λευτεφίκ nonnullis est, & secundariam cereuisiam nuncupant. Sunt & cereuisiæ, non eadem per omnia & uni eadem commoda, quæ si quis diligentius adnotaturus esset, librum conscriberet, uel de sola uini & cereuisiæ collatione, & commoditatibus. Proinde cereuisia est Tacito humor ex ordeo aut frumento, in similitudinem uini corruptus. Affectat enim esse uinum ex aquæ humore, atque uel ordeo uel tritico macerato, tosticcato, tosto, & crassius molito concoctum. Verùm riparij Germani, hoc est, qui ad Rheni ripam accolunt, & uina mercantur. Hodie autem ex ijsdem locis Rhenanis maximus uini numerus in multas Europę partes distrahitur. Cæterùm cibus Germanorum est admodum simplex & frugalis. Victitant enim aut agrestibus pomis, aut ferina, eaq; recenti, aut lacte concreto, quod est Græcis πηκτὸν. Addit Plinius & pultem auenaceam. Cruda autem carne eos uesci iuxta Melam, Tractaris idipsum conuenire rectius iudico. In his quoque obsonijs non sunt neque aromata, neque blandimenta Saccharacea aliundè petita, sed sola simplicitas ijsdem placet. Quàm optanda esset & hodie eadem nobis & frugalitas & parsimonia, quã & temperantiam nuncupat, eandem tamen in siticulosis Germanis exposcit. Ignorat Tacitus, ut cereuisiæ magis quàm uina nutriant. Nam bibentes cereuisiam minus sunt uoraces, cum ex eadem plurimum alimenti subministretur. Deinde ex eiusdem usu corpora multo & crassiora & robustiora passim reperiuntur. Bibacitatis quoq; notam Germanis impingit, siquidẽ si tantum uini indulseris, quantum concupiscunt, citius ebrietatis uitijs, quàm gladio uincũtur. Ridiculum est, quod nonnulli bibones Germanos esse propter Aquilonem constringentem & corpora hominum exhaurientem, atq; resiccantem, patrocinentur, quasi bibacitas resiccitatis à Borea corporibus mederetur. Digna sanè ratio bibulis scriptoribus, ut operculum patella uerè dignum inueniatur. Miror cur non potius caliditatem corporum propter meatus cutaneos à boreali frigore obstructos, atq; ita magis intrinsecus excalefactam caussentur. Sed quid hic morer? cum educationi & consuetudini, tanquam alteri naturæ rectius id uitij acceptum ferendum sit, alioqui bibacitatis causæ naturales tum ex mundi inclinatione, tum ex temperamentis cuiuslibet hominis præter educationis uitium petendę sunt. Habentur & cereuisiæ conditaneæ, ueluti est, à rosa rosacea, à pulegio glechonites, ab absinthio absinthites, à saluia saluiates, ab hyssopo hyssopites, ab helenio nectarites, ab origano origanites, ex asaro asarites, ex baccis iuniperi archeutides, à satureia Thymbrites, à thymo thymites, à dictamno dictamnites, à cunila herba Conyzites, ab aromatibus aromatites. à malis cydonijs cydonites, à marrabio prasites dicitur cereuisia, & ut plurimum herbæ maceratæ naturam recipit, ex qua & de eadem exactum iudicium faciendum est, sicut in factitijs uinis fieri solitum est.

GEnus spectaculorum unum atque in omni cœtu idem. Nudi iuuenes, quibus id ludicrum est, inter gladios se atque infestas framcas saltu iaciunt. Exercitatio artem parauit, ars decorum, non in quęstum tamen aut mercedem, quamuis audacis lasciuiæ, precium est uoluptas spectantium.

Aleam, quod mirere, sobrij inter seria exercent, tanta lucrandi perdendi ue temeritate, ut cũ omnia defecerunt, extremo ac nouissimo iactu de libertate ac de corpore contendant. Victus uoluntariam seruitutem adit, quamuis iunior, quamuis robustior, alligari se ac uenire patitur. Ea est in re praua peruicatia, ipsi fidem uocant. Seruos conditionis huius per commertia tradunt, ut se quoque pudore uictoriæ exoluant.

XXXII.

DE GERMANORVM SPECTACULIS & ludis.

PORRÒ apud Græcos fuit σφαιρομαχία, qua qui uicerat rex salutabatur, & uictus asinus, atq; uictoris iussa exequebatur. Hæc autem quantopere inter exercitia conferat, inter alios præcipuè Galenus docuit. Ira Spartanis fuit palestra quæ & Athenienſibus usitata fuit, sed huic ἀποβάτην aut ἀποβατοιν certum ludum equestrem adiunxerunt. Alijs quoq; fuerunt petauristæ, alijs ἄλτηρες, quorum & Galenus subinde meminit. Verùm Germanis πυκτὴ pugillatus certus etiamnum arridet, quo certa est ictus tam excipiendi quàm dandi ratio, atq; inter & super gladios strictos choreas quasdam sibi ducere permittunt, *ein schuerttantz*, id est, choream gladiatoriam frequentissimè nuncupant. Solent & sese inter gladios & infestas frameas iactitare, illasq; transilire illæsi. Nam sic longa exercitatione assuefacti ἕξιν sibi comparant, & ex hac decorum & ornamentum, quæ ratio in omnium & ludorum genere, & artium tum usitatissima, tum admodum necessaria est. Perspicitur sanè in hoc spectaculo magna iuuenum procacitas, qui non propositis illustribus brabijs, ut in certaminibus fieri solitum est, sed sola uoluptate spectatorum addicti, idipsum exhibent. Verùm ludi Germanorum appellatione aleæ comprehenduntur, cuiusmodi numerantur latrunculi, ex quibus Scachia luduntur, tali, tesseræ, astragali, taxilli, pilæ, & id genus ludorum fortuitorum, in quibus erant & sobrij, & attentiores, uel ad lucrandi uel perdendi temeritatem, qua cum omnia lusissent, & nihil pecuniarum superesset, in lusu extremo de libertate contendebant, uictusq; in alea in seruitutem uictoris adiudicabatur, cui ueluti mancipium adducebatur, citra omne tum ætatis, tum firmitudinis discrimen. Eam autem pacti magis peruicatiam, quàm constantiam illi fidem appellant, & hodie subinde repetunt, quoties dictis, & promissis stare expetunt, *auff glauben vnd trewe*, quo ceu elogium & ueritatis & fidei promulgant. Verùm istiusmodi seruos in commercijs diuendebant, cum seruos istos mercibus permutabant, unde sese rubore suffusi propter uictoriam aliquando exoluerent & liberarent.

CÆteris seruis non in nostrum morem descriptis per familiam ministerijs utuntur. Suam quisq; sedem suos penates regit. Frumenti modum dominus, aut pecoris, aut uestis, ut colono iniungit, & seruus hactenus paret. Cætera domus officia uxor ac liberi exequuntur. Verberare seruum, ac uinculis & opere coercere, rarum. Occidere solent non disciplina & severitate, sed impetu & ira, ut inimicum, nisi quod impune. Liberti non multum supra seruos sunt, raro aliquod momentum in

tum in domo, nunquam in ciuitate, exceptis duntaxat ijs gentibus quæ regnantur. Ibi enim & super ingenuos & super nobiles ascendunt. Apud cæteros impares libertini libertatis argumentum sunt.

XXXIII.

DE SERVORVM MINISTERIO ET LIbertorum & libertinorum dignitate.

Sicut Thracibus in more positum erat, seruos sale commutare, qui eã ob causam πρὸς ἅλὸς ἠγορασμένοι ueluti sale coempti & comparati nominabantur ita & Germani alea uicti reddebantur, ceu ἀλώνητα δηλαδή, id est, seruili sale empti censebantur in uictoris seruitutem prorsus adiudicati. Ne multa: ex tanta aleæ peruicacia uicti mancipia reddebantur. Verùm alij Germanorum serui non ita ἀνώνητοι erant, hoc est, contempti, quasi uilissimo precio coẽpti, sed quasi domini contra Romanorũ consuetudinẽ, quibus erant oẽs homines aut liberi, aut serui. Illis quidem est facultas eaq; naturalis eius quod cuiq; facere libet: Hi uerò ex constitutione iuris gentium alienis dominijs contra naturam (Nam natura nullum est personarum prorsus discrimen) subijciuntur. Tales autem eueniunt, aut ex ancillis, aut ex captiuitate, aut iure gentium, aut spontanea uenditione, aut iure ciuili. Ita serui prorsus inter sese olim nihil discernebãtur, nisi propter quandam seruitutis causam. Liberi autem differunt. Alij sunt ingenui, utpote ex matre, quæ libera fuit, tempore, aut conceptionis, aut medio, aut partus, nati. Alij sunt libertini, ut qui ex iusta seruitute manumissi sunt. Nam hic manumissio nihil aliud est, quàm libertatis datio. Cæterum Germanorum serui, ueluti coloni esse uidentur. Siquidem ijsdem non tantũ domus certa credebatur, sed et annona & armentorum & pecorum greges, atq; ex his dimensum seruile numerabatur, atq; in his seruorum ministerium & obedientia uisa est. Nam reliqua negocia domestica non à seruis, sed ab uxore & liberis conficiebantur. Itaq; Germanorum seruitus, non fuit dura, sed admodum tolerabilis. Romanis, Hebræis, & alijs nationib. non item. Neq; erant sicut Thessalis à paupertatis ratione serui πενέσται neq; apolides, neq; lasciarij, tanquam extra ciuitatem in insulas propter perpetuum opus publicum deportati, neq; mesaulij, quos & mediastinos esse non dubitamus, ut qui abiectissima munera inter seruos obibant, cuiusmodi in aulis sunt lignarij, bacularij, qui omnib. uel ad digituli crepitum parere cogũtur. Itaq; apud Germanos dominis non erat in seruum aut uitæ, aut mortis, atq; adeò omnium bonorum potestas, eam ob causam disciplina seruilis rara fuit, cum neq; uerberabantur, neq; in uinculà conijciebatur. Horrenda tamen fuit interritio & impunita, quoties seruore iracundiæ facta fuerat. Nam tum non seruus, sed inimicus & hostis iudicabatur. Porrò liberti, cum sint & libertini, sed non sine patrono, seruis penè pares erant, tam in domo & familia, quàm in ciuitate uix alicuius momenti erant. Verùm ubi regium erat imperium, ibidem & ingenuis & nobilioribus anteponebantur, & præferebantur. Itaq; impares, sed apud cæteros, quibus non est regia respublica pares (Sic enim legendum esse iudico, & nõ impares, sicut constanter exemplaria retinent, atq; hic ὑποδιάσολὴν statuendam esse iudico) sunt, hoc est, non alicuius dignitatis & æstimationis, supra seruiles homines censentur, & subdit, libertini libertatis argumentum sunt, quod est, nisi fallor, cum libertini esse malint, libertatem Germanis & gratam esse iucundã, satis arguit. Dici enim nequit, ut uel hodie pro libertate asserenda dimicent, & digladientur.

FOenus agitare & in usuras extendere ignotum, ideoque magis seruatur, quàm si uetitum esset.

XXXIIII.

GERMANI NON

erant usurarij.

QVàm multò laudabiliores ueteres Germani fuerunt etiam gentiles, nondum Christo per prædicationis Euangelicę sementum lucrifacti, atq; hodierni. Illis enim usura ignota fuit, his uerò nihil ea usitatius & frequentius, cũ illicitam esse eandem Christiani probè teneant, cum ex mutuo nihil sperandum sit. Incredibile autem est, ut nostra memoria, & principum & subditorum bona per fœneratores exhauriantur, ita ut passim præter illos τυράννους dominetur. Est quidem usura inter formas rei comparandæ excogitatas præcipua, sed contra naturam, itaq; uituperanda & detestanda est. Siquidem nummus inuentus est, non ut nummum gignat, sed ut sit medium in contractibus, ut Aristoteles inquit, ὅπερ ἐγγυήτης tanquam fide iussor. At cum in usura numus gignat numum, Græci τόκον ἀπὸ τῆς τίκτειν appellare non dubitarunt, nimirum à partu, sicut Latinis fœnus est à fœtu. Nam ista helua argentum numerosiore fœtura gignit. Vsura enim nõ est ex fructu, hoc est, ex re naturali non oritur, sed ex alia causa, id est, noua quadam obligatione. Miseri igitur, qui ab usurarijs fœnerãt, & Phinei similes, cui Harpyæ uictum detrahunt. Sæpè enim uorsuram ex uorsura facere coguntur. Verùm de hac sic Aristoteles in politicis memoriæ prodidit, cuius uerba cũ sint & utilissima, & authoritatis plena, adscribam. εὐλογώτατα, inquit, μισεῖται ἡ ὀβολοστατική, διὰ τὸ ἀπ' αὐτοῦ τοῦ νομίσματος εἶναι τὴν κτῆσιν, καὶ οὐκ ἐφ' ὅπερ ἐπορίσθη. μεταβολῆς γὰρ ἐγένετο χάριν. ὁ δὲ τόκος αὐτὸ ποιεῖ πλέον ὅθεν καὶ τοὔνομα τοῦτ' εἴληφεν, ὅμοια γὰρ τὰ τικτόμενα τοῖς γεννῶσιν αὐτά ἐστιν, ὁ δὲ τόκος γίνεται νόμισμα νομίσματος, ὥστε καὶ μάλιστα παρὰ φύσιν οὗτος τῶν χρηματισμῶν ἐστιν. quod est, lure habetur odio usura. Nam per eam quæritur numus numo, cum ad hoc non sit institutus. Est enim propter commutationem. Vsura autem seipsam auget unde & nomen fœnoris accepit. Quoniam genita sunt similia gignẽtibus, & in fœnore numus numum gignit. Itaq; hæc ratio comparandæ pecuniæ maximè est præter naturam. Quapropter cum malum ualde exitiabile Romam primis statim temporibus inuasit & uexauit, & fœneratorum auaritia ciues primum pecunijs sic exhausit, ut etiam nexi debitores creditoribus traderentur. Hinc ingentes sæpè seditiones coortę sunt, adeò ut fœnebrem licentiam legibus constringere necesse fuerit, ne soluta aclibera in maxima pericula rempublicam præcipitaret. Quare in principio fœnus unciarium, deinde semunciarium institutum erat, & cum ne sic quidem illud tollerari posset, L. Genutius ad plebem tulit, ne fœnerare liceret. Eidẽ & Cæsar modum imposuit, ut pecuniæ creditæ ad possessionum modum astringerentur, ne cui plus crederetur, quàm ex eius bonis redigi posset, unde etiam beneficium cessionis bonorum promanauit, debitoribus lege Iulia concessum, cuius & Tacitus alibi meminit. Interea inquit, magna uis accusatorum in eos irrupit, qui pecuniam fœnore auctitabant contra legem dictatoris Cæsaris, qua de modo credendi, possidendiq; intra Italiam cauerat. Tyberius uerò, ut fœnus omnino tanquam pestis republicæ tolleretur, millies sestertium per mensas dispossuit, & cauit, ut singulis facultas creditum accipiendi in triennium sine usuris fieret, si debitor in duplum populo cauisset. Porrò non Germanis tantùm fœnus ignotum fuit, sed & Indis, & plærisque gentibus, quæ inexpiabili odio illud prosecutæ sunt, nimirum cum furem dupli, fœneratorem quadrupli cõdemnauerant.

nauerant Laudādus est Lycurgus, qui è tota Sparta usuras exterminauerat. Laudandus est & Agis Athenienſiū dux, cui ita fœnus exosum fuit, ut omniū fœneratorum tabulas igne ſuppoſito in foro concremarit, quo igne nullum clarius ſe uidiſſe Ageſilaus aſſeruit. Laudādus est & Cato, qui ex tota Sicilia fœneratores exegit, illamq; ære alieno obrutam in priſtinū decus reſtituit. Huc afferto quid ſit σεισάχθεια & χρεοκοπία apud ueteres, quantum'que operę poſitum ſit in tollendo fœnore, illinc agnoſces. Hodie autem apud nos uel Chriſtiano nomini addictos, uſuræ audiuntur annuæ, diurnæ & menſtruæ. Sunt & hic qui ad Strepſiadis Ariſtophanici exemplum lunam cœlitus detractam cupiunt, ne fœnus cū ſit ἔνη καὶ νέα exoluere cogantur. Sunt & hic quibus magnopere uel ἀνατοκισμὸς arridet. Incredibile est quantum uſurarij nunc ſibi ſumunt, Chriſtianorum autem principum intereſſet, rem tum diuina authoritate reprobatam, tum multis exemplis pernitioſam à Chriſtiana Eccleſia tollere. Nam ſi quis noſtris temporis mores obſeruauerit, quæ de antiqui fœnoris magnitudine conſcripta ſunt, ludum, & iocum iudicaret.

AGri pro numero cultorū ab uniuerſis per uices occupantur, quos mox inter ſe ſecundum dignationem partiuntur, facilitatem partiendi temporum ſpacia præſtant: Arua per annos mutant, & ſupereſt ager. Nec enim cum ubertate & amplitudine ſoli labore contendunt, ut pomaria conſerant, & prata ſepiant, & hortos rigent, ſola terræ ſeges imperatur. Vnde annum quoq; ipſum non in totidem digerunt ſpecies. Hyems & uer & æſtas intellectum ac uocabula habent, Autumni perinde nomen ac bona ignorantur.

XXXV.

DE AGRORVM MVTANDORVM VICISSItudine, & tribus tantum anni diſcriminibus.

HAud multò ante certitudinē poſſeſſionis & in agris & in prædijs confirmauimus, quæ & hic aliquanto fuſius explanatur, cuius ratio & antea expoſita eſt longè alia, atq; Aegypti fuit poſt Nili inundationem, quæ geometriæ, cuius pars eſt geodeſia, anſam præbuit. Talem autem & annuam agrorum permutationem & Cæſar Germanis conceſsit. Nam in ſexto lib. comme. Germani, inquit, non ſtudent agriculturæ. Item, Neq; longius inquit, anno remanere uno in loco incolendi cauſa licet. Sueuos tamen collaudat, quos Semnonas abſq; dubio, ut quibus centum erant pagi, iuxta bonorum authorum fidem capit. Nam apud hos neque belli rationem, neq; agriculturæ intermitti, memoriæ prodidit, eisq; oppida fuiſſe ꝯmemorat, de quibus iuſſi ſunt, miſſis nunciis poſt habitū concilium, demigrare. Sed quid quæſo hic oppida conducerent, ſi non longius anno reſidere liceat? En hic hiſtoricorum Romanorum interdum ſupinā quandam negligentiam? En ut Cæſar ſibi ipſi uel in hac ſententia diſſideat? Præterea Mela Germanos in agricultura ignauiores agnoſcit, cum eoſdem bellorum causas ex libidine accerſere tradat, neque imperitandi, prolatandiq; quæ poſsident (Nam ne illa quidem enixe colunt) ſed ut circa ipſos quæ iacent, uaſta ſint. Tacitus quoq; paulò ante Germanorū terram in uniuerſum eſſe ſyluis horridā, eſſe paludib. refertam, eſſe humidiorē Galliis, eſſe uentoſiorem, quā Noricū & Pannoniam aſpicit, eſſe fatis feracem, eſſe frugiferarum arborum impatientem, eſſe

pecorum fœcundam obſeruauit. Itaq; uel hinc liquet, ut agriculturę non tantum olim ſtuduerint. Idem Capitolinus affirmat, ſemel cum ait, ingreſſus Germaniam Transrhenanã per trecenta uel quadraginta millia, barbaricí ſoli uicos incẽdit, greges abegit, prædas ſuſtulit, & niſi Germani per amnes & paludes, & ſyluas cõfugiſſent, omnem Germaniam in Romanam ditionem redegiſſet. Iterum paulò poſt: Peruenimus inquit, ad ſyluas, niſi altitudo paludum nos tranſire non permiſiſſet. Ad hunc ſanè modum plerique omnes ueteres Germaniam ſyluoſam, & paluſtrem, & montibus aſperam faciunt. Quarè agricultura non in tanto precio fuerat, cui acceſsit & ipſa annuatim agrorum per uices permutatio, in qua ſunt agri occupatorij, ſed non more Romanorum. Nam his ager occupatorius eſt, quod in tempore occupatus ſit à uictore populo, territis & fugatis colonis, cuius & Melibœus Virgilianus meminit.

Impius tam culta noualia miles habebit,
Barbarus has ſegetes, en queis &c.

Verùm hic ager occupatur per aſſignationem & diuiſionem, quæ tamen fiebat ſecundum dignitatem & æſtimationem. Credo & illos per ſtrigas & ſcamna diuiſiſſe, atque aſſignaſſe. Siquidem ager ſtrigatus eſt, qui à ſeptentrione per longitudinem in meridiem decurrit: Scamnatus autem qui eodem modo ab Occidente in Orientem creſcit, atq; ita ager limitatus decumanus, id eſt, ab orientali in occidentem limite, & cardinibus, id eſt, à meridie in ſeptentrionem decurrit, contineri ſolet. Aſſignantur autem hoc loci agri, cum ſint ingentia camporum ſpacia, quã largiſſimè, ita ut ſuperſint ſubſeciua dicta, ſiue maiora ſiue minora. Nam tanta eſt agriculturæ negligentia, ut agros neque conſitos, ideo nulla ſunt pomaria, neq; paſcuos, ideo nulla ſunt pratorum ſepta, neq; floridos, ideo nulla eſt rigandorũ hortorum ratio, curaſſe uidentur. Solos enim agros frumentarios curabant. Itaq; primam unicam agriculturæ partem olim Germani exercebant, cũ eius ratio his quatuor agris, ſicut ex Virgilio liquet, abſoluatur & perficiatur. Eius autem negligentiæ nullam aliam cauſam eſſe uideo, quam annuam illam agrorum ſine poſſeſſionis certitudine permutationem. Quarè ſubdit, ſola terræ ſeges imperatur, quod eſt, ſoli agro frumentario propter ſegetis comparandæ copiam dant operam, reliquos tres agros repudiant. Quarè factum eſt, ut ijſdem tria ſint anni diſcrimina, cùm alijs ſint quatuor iuxta puncta & ſolſticiorum & æquinoctiorum. Siquidem autumnum ignorant, cùm illis non ſint agri conſiti propter uineta, & pomaria & arbores frugiferas, quarum inopiam & Pomponius Mela in Germania fuiſſe profeſſus eſt. Fructus igitur autumnales, qui rectius ὀπωρινοὶ nominantur, cum ὀπώρα uerè ſit tempus, quo fit ὀπωρισμος, id eſt, exaborib. fructuum collectio, & quaſi uindemia quædam. Alijs uerò tempora fuiſſe quatuor, non eſt ignotum. Virg. in Georg.

Temporibuſq; parem diuerſis quatuor annum.

Eadem Græci modo καίρους, modo ὥρας. Sunt qui interdum τρόπας non tamen ubiq; ſatis appoſitè nuncupantur. Verùm de horum ſingulorum initio, medio, & fine longior eſt controuerſia, quàm ut hoc loci componatur. Veriſimile tamẽ eſt paſcuos & agros & illis uſitatos fuiſſe, cum tota regio ſit pecoroſa & armentoſa, forſan illud ſugillatur, quod in tanta copia agrorum per ſepta limites non deſignabantur.

FVnerum nulla ambitio. Id ſolum obſeruatur, ut corpora clarorum uirorum certis lignis cremarentur. Struem rogi, nec ueſtibus, nec odoribus cumulant. ſua cuiq; arma, quorundam igni & equus adijcitur. Sepulchrum ceſpes erigit. Monumentorum arduum & operoſum honorem,

honorem, ut grauem defunctis aſpernantur. Lamenta ac lachrymas cito, dolorem & triſtitiam tardè ponunt. Fœminis lugere honeſtum eſt, uiris meminiſſe.

XXXVI.

DE FVNERANDI MODO, SEPVLTVRA, ET *luctu funebri apud Germanos.*

VErùm ut ſimplicitas in ueſtitu & in aliis rebus Germanis gratior fuit, ita & funeratio, in qua nullus ſtrepitus, nulla ambitio, nulla pompa uidebatur. Erat tamen illis pyræ extruendæ ratio pro dignitate & honoribus, quibus quis in uita functus erat, & quo ampliorem magiſtratum geſſerat, eò maiorem pyram extruxerunt, in qua contra legem XII. tabularum, qua cautum erat ne ex lignis politis ædificaretur, certa ligna requirebantur. Græci pyram cupreſſo ad uitandum grauem cremati corporis nidorem, ne tetro odore proximè rogũ ſtantes ædificabant, abigerentur. Soliti & erant nonnulli, præter arida ligna & papyrum, quo facilius cremarentur, & crocum cum uino propter odorem adijcere. Germani uerò per pollinctores tãquam funerum miniſtros corpus igne ſuppoſito cremabant, nulla ornamenta, nullas armillas, nullas zonas, nullas bullas, nullum mundum muliebrem, nullas uittas uirginalis comæ, nullos retortos crines, nullos torques, nulla thura, unguẽta, & odoramenta in pyram coniecerunt. Solebant olim & nonnulli ea cremare, quæ defuncto chariſsima, inter quæ fuerunt luſciniæ, aues & alia animalia ad rogũ trucidata, ſic & Germani arma, uelut ſcuta, gladios, frameas, & ſæpe dilectum equum, ut una cum defuncto cremaretur, igni tradebant. Neq; Germanis fuerunt ſepulchra operoſa, ut grauia defunctis, itaq; humili condeban tur tumulo. Multò clariora fuerunt Aethiopib. Ditiorum enim monumenta ex auro fiebant, tenuiorum ex argento, inopes autem fictilibus condebantur, quod poſtremum & Germanis uſitatius fuiſſe oliæ fictiles ceu urnæ, in quibus adhuc cineres interdum cum annulis reperiuntur, paſſim & in multis regionibus inuentæ conteſtantur. Cyrus uerò apud Xenophontem nec auro nec argento condi, ſed terræ corpus reddi uoluit, tanquã matri. Quàm uerò ardua Aegyptijs ſepulchra fuerant, hinc conſtat, unum præcipuũ erat & maximi ſumptus, quod argenti talento æſtimabatur, medium minarum uiginti, humile ex leui materia minimæ impenſæ. Atq; ſicut Demetrius rex ſepulchris modum ſtatuit, ſanxitq; ſuper defuncti erigi colũnellam Græcis σήλην dictam, quæ ultra tres cubitos non extaret, ita Germanis loco eius ceſpes fuit. Vbi nam hic tituli honorum inſcripti? Vbi nam ſunt ἐπιϖδία ſiue ἐπιτάφιας? Prudenter Lycurgus defuncti eius nomen tumulo adſcribi uoluit, qui fortiter pro patria occubuiſſet, & qui operam in bello rei publicæ nauaſſet. Poſtremo eſt luctus funebris, non per nænias & præficas, non per ueſtium lugubrium colorem aut cæruleum, aut Phœum, ſed per triſtitiam & dolorem. Lachrymari enim, ſicut uiros decet, cito ceſſabant. Luctus quidem mulieribus tanquam decorum cõcedebatur, ſed uiris memoria & recordatio defuncti. Hic non ſunt funebres orationes, hic non ſunt Threſcio more, cantus, luxus, & laſciua geſticulatio, hic non ſunt tibiæ breues lugubre canentes more Phœnicum.

Quid multis? candor, ſimplicitas, amorq; recti Germanis arriſit.

POSTERIOR

PARS LIBELLI, QVO FIT SINGVLARVM IN TOTA GERMANIA nationum enumeratio.



AEc in commune de omnium Germanorum origine, ac moribus accepimus. Nunc singularum gentium instituta, ritusq́, quatenus differant, quæ nationes è Germania in Gallias commigrauerint, expediam. Validiores olim Gallorum res fuisse summus autorum diuus Iulius tradit, eoq́ credibile est Gallos in Germaniam transgressos. Quantulum enim amnis obstabat: quo minus, ut quæq́ gẽs ealuerat, occuparet permutaretq́ sedes, promiscuas adhuc & nulla regnorum potentia diuisas?

Igitur inter Hercyniam syluam, Rhenum & Mœnim amnes Heluetij, ulteriora Boij, Gallica utraq́ gens tenuere. Manet adhuc Boiemi nomen, significatq́ loci ueterem memoriam, quamuis mutatis cultoribus

I.

DE FREQVENTI LIMITIS GERMANIAE OCCIdentalis mutatione, & de Celtarum appellatione.

HActenus Germanorum mores, sed communes & uniuersẽ descripsit, nũc singularum nationum in tota Germaniæ amplitudine catalogum subijcit in quib. interdum uix uno aut altero uerbo, quæ familiaria & propria, adeoq́ natiua sunt, adnotare cõsueuit, Ordinem uerò eum obseruat, qui & Dionysio, Melæ & alijs Geographis usitatior est. Ab occasu enim initium facit, in ripa Rheni sinistra, quæ fuit & Gallica olim, ad occasum, cui & alteram dextram quæ est Germanica subnectit, à quarum utraq́ septentrionales, quos antea Vigæuones nuncupauimus, enumerare pergit, atq́ eis proximos Hermiones, nimirum Sueuos aquilonares facit, iuxtà cum australibus. Postremò orientales usque in Sarmatiam & Pannoniam porrectos recensẽt. Cæterùm de occidentali limite semper controuersia fuit. Siquidem interdum Galli uicini potentiores, sicut & Cæsar in 6. Commen. tradidit, Rhenum transgressi sunt. Nam iuxta Strabonem in 4. ex Belgis, qui ferre arma poterant, tanquam bellatores CCC M. censeri dicebantur. Quarè Galli Italiam inuaserunt, Romam conbusserunt, Macędoniam deuastarunt, Asiam exuperarunt. Notum quoq́ est, ut Tarquinio Prisco Romæ regnante Celtæ, quorum imperij summa penes Biturigas fuit, qui Ambigatum regem Celtarum designarunt, sed cum in Gallia ingens hominum multitudo excreuerat, nouas sedes, quas dij auguris dedissent, quæsiuit, & sororis filios Bellonesum & Sigouesum duces delegit, atq́ Sigoueso sortibus datos esse Hercyneos saltus: Liui. in 5. ab urbe condita conteſtatur. Ita Tectosages ex Gallia Narbonensi, sicut Augustus Cæsar diuisit, nõ tam propter bellorum libidinem, quàm

quàm propter hominum multitudinem, agríq; inopiam trans Rhenũ colonias miserunt, & ut Beatus Rhenanus arbitratur, Nicri, qui & Neccharus est, ripam accoluerunt, ubi arx Deccensium ducum uidetur, & Teck nominatur, Nihil dicã de Heluetiorum, de Boiorum, de Gotthinorum in Germaniam transitu, qui ab aliis summa diligentia obseruatus est. E diuerso quot non sunt in Gallias & alias regiones Germanorum irruptiones? Prudenter igitur Tacitus causam istius permutationis in angustos limites transtulit. Parum enim Rhenus obstabat, ut non subinde sedes promiscuæ permutarentur, ut non regna toties confunderẽt. Siquidem ex Cæsare liquet, quàm subinde Germani cum suo Ariouisto in Gallijs sedem fixerint, & contra quàm sæpe numero citra Rhenum Romani iuxta cum Gallis eosdem repulerint. Tacitus libro 20. historiæ Augustæ, sub Cerealis persona Germanos sæpè in Gallias transcendisse asserit. Neq; aliam transeundi eis fuisse causam, quàm libidinem, auaritiam, & mutandæ sedis amorem, ut relictis paludib. & solitudinibus suis, fœcundissimum Gallię solum unà cum Gallis possiderent. Sic Strabo Commune, inquit, est omnibus, qui hunc tractum incolunt, ut aliò facile migrent, & propter uictus tenuitatem, & propter agrorum colendorum ignauiam, & propter pecuniarum inopiam, &c. Quarè factum est, ut Celtarũ appellatio utriq; nationi & Germanicæ & Gallicę sit communis. Etsi in principio Narbonensis prouinciæ Gallos à Græcis hominibus appellatos Strabo scribat, tamen ijdem postea uniuersos Gallos Celtas nominarunt, idq; partim ob eorum claritatem, partim quod id nominis à Massilienſibus Græcis hominibus, & doctis uicinioribus mutuati uidẽtur. Quæ & causſa esset, cur Rhodanus etiam à Græcis Eridianus uocaretur, sicut ex ζ. ἁλιευτικῶν Oppiani perspicuè liquet. Alludit quoq; Strabo ad significationem. Celtarum, cum hos ab autoritate διὰ τὴν ἐπιφάνειαν nominatos esse scribit Nam lingua Celtarum (quę Germanicã, nisi quod admodum paucis dialectis sit quoddã discrimen) est Gelter, quod multum ualeat. Gelten quoq; idem est quod Latinis ualere, unde & apud eosdem Gelt est ipsa pecunia Græci autem rectius γ Galatas scribunt, quàm Romani per κ Κέλτας. Patebat tum id nominis tam late, ut non tantum uniuersam Galliã, sed & uniuersum occidentem occupasse Strabo affirmat, à quibus tam Celtiberi (Sunt enim quasi Celtæ & Iberi, id est, Hispani) quam Galatæ ad pontum Euxinum, ad quos D. Pauli scripta est Epistola, originem referunt, & etiam num porta Galli nominatur. Quòd uerò Celta & Germanum & Gallum apud Græcos significet, & quod Romani Germanos Gallos etiam uocitent, uel ex his argumentis patet. Siquidem seruum publicum ad Marium in carcere Minturnano clausum, ut occideret eum, missum, tũ Plinius, tum Florus Gallum fuisse scribunt, quem tamen Velleius Paterculus, & Valerius Maximus Germanũ, ac in Cymbrico bello captum ferunt a Mario, ideoq; à seruo dominum statim agnitum, & impune dimissum. Contrà Eutropius lib. 5. de Cymbrico bello, & Orosius lib. 5, tum Cimbros tum Teutonas Gallorum uocabulo notat. Itaq; sub inde & Galli nomen sicut & Celtæ utranq; gentem, quãuis diuersam promiscuè significabat. Idq; factum non alia de causa est, quàm ut fines circa Rhenum subinde cõmutati utrinq; sint, quàm ut sese fratres in bellis & rebus seriis uocarint, quàm ut lingua & moribus magnam hæ duæ nationes communionem habuerint. Nam Celticam fuisse Germanicam linguam multis rationibus confirmari potest, sicut neq; hodie Belgica ab illa admodum dissidet. Solę tãtum & hæ pauçę discrimen faciũt dialecti Germanis non ignotę. Nã & Cęsar, qui cũ Gallis per interpretẽ est, locutus differentiã obseruauit, quę etiamnũ obliterata est, & penè talis est, qualis inter Misenensium & Saxonũ linguas attenditur. Nam ubi Celtis est s, ibi Belgę more Attico t substituũt, &wasſer, &water, das, &was, dat, &wat, ich, mich, dich, ick, mick, dick, & sicut superiores Germani, non aliter olim Celtæ diphtongos passim

recipiunt,ita inferiores,inter quos sunt & Belgæ iuxta cum Saxonibus easdem respuunt. Quarè cum & illis *wein,mein,fein*, est, hi *wyn,myn,fyn* dicunt. Eadem ratio est & in alijs diphthongis, ex quibos prior uocalis ferè abijcitur. Illam quoque linguam Plinius,qui & ipse Gallus Cisalpinus fuit,ut Romani loquũtur, haud ignorauit,sicut ex diuersis eiusdem authoris locis citra negocium quis comprobaret. Hodie quoq; & Germanica lingua bona ex parte ibidem dominatur, quibusdam tamen Gallica,quæ est Latina,sed deprauata familior est, cum frequẽtius Romani & bella gesserant,& præsidia contra Germanos habuerant. Verũm utriusq; nationis sedes subinde permutatas esse ex Heluetiorum & Boiorum, qui & Galli fuerunt commigratione confirmat. Nam quicquid terrarum inter Hercyniam syluam Rhenum & Mœnum amnes fuit, id totum Heluetij ex Gallia profecti tenuerunt, sicut ulteriora, id est, quæ potissimum ad ortum uergunt Boy, à quibus etiamnum Boihemia,tanquam Boiorum domicilium inter Sudetos montes sita uocatur, atq; Cæsar trans Rhenum Boios,atq; eosdem in finibus Heduorum consedisse testatur. Strabo quoq; Hercyniã syluam prius ab eis inhabitatam,quæ eandẽ ob causam nostra quoq; memoria Boiohemica nominatur,asserit, qua de re Beatum quoq; Rhenanum consulendum esse iudico. Id tamen non est sic accipiendum,quasi Galli prorsus relicta sua terra sedes mutarint,sed quæ nam esset eius uera sententia ex Cæsare,quem hic citat,certa colligeretur. Virtute inquit,Gallorum factum,ut trans Rhenum colonias mitterent,& sicut mox Volscarum, Tectosagum exemplum subiungit: Ita Cornelius Heluetiorum & Boiorum meminit. Quę (malum) dementia fuisset, ut terra relicta, sicut Cæsar tradit, meliori, in uastitatem & in ingentẽ solitudinem sese totos transferrent? Veros autem Heluetios usq; ad Geneuæ pontem pertinuisse,& iura monte occasum uersus terminasse, in commentarijs suis Cæsar affirmat, & hi colonias citra Rhenum iuxta nostrum situm deduxerunt, ubi & Ptolemæo Heluetiorum Eremus est. Verũ si Tacito tanquam non ubiq; diligenti inuestigatori credendum est, tunc Heluetij omnem tractum intra Schaffhusiam, Norícam urbem, Herbipolim & Heidelbergam occupasset, ipsa uera Heluetia lõgè ampliorem possedissent (nisi quis forsan uastitatem à Rheno ad Noricam usq; urbem pertinuisse prætẽderet) id non à ueritate abhorrere mihi uideretur. Neq; esset pœnitenda natio, si spacium à Rheno ad Nicrum usq; duntaxat extenderetur. Sic & Boij diuersas sedes habuisse leguntur. Fuerunt enim in Norico circa Danubij loca, item ante Cæsarem aliquot sæculis, circa Padum consederint, ut ex Liuij lib 5. ab urbe condita apparet, & lib. 1. de bello Punico. Boihemos uerò esse Boios, à quibus & Bauaros, qui sunt & Boiarij, descendisse sentiunt. Cęterũ latè patuisse Herciniam syluam uel ipse Cæsar indicat. Nam in diuersas regiones per uaria cornua, & tractus dispergitur, & ibidem sua recipit nomina. Quarè eius nomine absq; controuersia Eremum Heluetiorum, Gabretam syluã, Lunę syluam, Sudetas, atq; meo iudicio Semanam syluam, Abnobũ & Meliboeũ mõtes cõplecteremur. Diuidit enim totam Germaniam usq; ad Rhiphæos mõtes & paludes Meotidis, non secus ac Asiam Taurus, Mauritaniam Atlas, Italiã Apœninus. Est autem Hercinia nomẽ Germanicum à resina, quæ nobis est *harz*, undè apud Ammianum & alios huius imitatores rectè Hartzinia syluа nominatur, quæ corruptè alijs est Marciana. Videmus autem syluam, quæ est nobis *wald*, Romanos omisisse, & ad resinam tantum respexisse. Facilem quoq; lapsum ex H. in M. quis agnoscereut Martianum nemus sit ex Hartziano factum. Verisimile tamen est & quosdã Germanos crassius (ut in pleriscq; uocabulis fieri solitum est) Horz pro Harz pronũciasse. Quarè Erotosthenes Orciniã nominauit. Sic & Baceuis nomen corruptum esse non est dubiũ. Mouit nescio quid Volaterranum, qui Barcenin in Cęsare legere maluerit, ut sit Barz pro Harz, propter eandem

elementorum

elementorum affinitatem. Germani tamen uel noſtra memoria ubiq; non unã retinent appellationẽ. Siquidem prope Friburgum Briſgaudiæ *Swartzwald* quòd ſit nigra ſylua à pinorum opacitate, ſed propè Heydelbergam Otthenis, qui ibi frequentius uenari conſueuit, ſylua (Germanicẽs *Otthenwald*) ita prope Herbipolim, & à pauonis monte Babenbergam dictam ardua ſylua (Germanicẽs *Steygerwald*, & Attende ſit nè Gabretæ uox apud Strabonem in ſeptimo hinc nata) prope Confluentiã, *Weſterwald*, id eſt, occidentalis ſylua, prope Francophordiam cis mœnum, & Magontiacum, *Spyßhartz*, id eſt, picearia ſylua. Nam & Germani picem *Pech* nominant, à qua in comitatu Mansfeldiano dicitur, *vff dem hartz*, à Thyringis Thyringiaca, à Boiehemis Boiehemica, ubi & Sudetæ nominãtur.

SEd utrum Arauiſci in Pannoniam ab Oſis Germanorum natione, an Oſi ab Arauiſcis in Germaniam commigrarint, cùm eodem adhuc ſermone, inſtitutis, moribus utantur, incertum eſt: quia pari olim inopia ac libertate, eadem utriuſq; ripę bona malaq; erant.

11.

DE LIMITIS AVSTRALIS *permutatione.*

QVemadmodum in limite occidentali iuxta Rheni utranque ripam nationum & mutatio, & confuſio facta eſt, ita & in limite meridionali iuxta Danubij utramq; ripam, ſedes nationum ſubinde transferebantur. Siquidem ut in ulteriori ripa eiuſdem fluminis Arauiſci, ita in citeriori Oſi habitarunt: Illi quidem Pannones inferiores hodie Hungari dicti: Hi uerò Germani fuerunt, ſed inter utroſq; tanta commigratio contigit, ut utri ab alteris diſceſſerint, ab utraque ripa pro certo non habeatur. Nam utrobiq; idem eſt uſus ſermone, inſtitutis, moribus, & communi fortuna propter utriuſq; ripæ proximam uiciniam, infra tamen Oſos ex Pannonica lingua non eſſe Germanos arguit. Arauiſci autem in Pannonia inferiori iuxta Ptolemęum maximè, ad Septentrionem, ſicut Scordiſci ad meridiem pertinent. Sic enim ait, ἀρκτικώτατοι μὲν ἀραβίσκοι, μεσημβρινώτεροι δὲ σκορδίσκοι. Quarè Arauiſci hodie qui Flauiani quorum iuxta Petronellam eorundem ruinæ uidentur, hodie eſſent qui Gauriį (*Die von Rab*) qui Strigonij (*Die von Gran*) nominantur, ubi & linguæ Germanicæ præſertim iuxta dialecton Oſtriacam apud Mercatores, & quoſdam ciues plurimos uſus eſt. Oſi uerò cum ripam Danubij ſeptentrionalem contra Arauiſcos habitent, ſicut hinc coniectura fieri poteſt, erint hodie nonnulli Moraui, Poſoniates (uulgò Presburgenſes, & intra Vagam atq; Granum accolæ, uſq; ad Baccienſem epiſcopatum, atq; inter hoc etiamnum uerè Germanica lingua, & eccleſiaſtas in templis docere audiui, & in foro res promercales diuendi eiuſdem linguæ uſu uidi.

TReuiri & Neruij circa affectationem Germanicæ originis ultro ambitioſi ſunt, tanquam per hanc gloriam ſanguinis à ſimilitudine & inertia Gallorum ſeparentur.

III.

DE TREVIRIS ET NERVIIS.

TReuiri sanè in Gallia Belgica numerantur, sed illi sicut & Neruij sese Germanos esse affectant. Treuiri quidem à Trebeta duce ex Babylonia per Semiramidem nouercam nouercantem expulso, orti sunt. Hic enim per mare, si uerum est quod scribitur, in Rhenum, & ab hoc, in Obrincam, quæ est Mosella, nauigauit, ubi condita est Trebaris circiter Abrahami tempora utpote mille & trecentos annos Romana urbe antiquior, & eam Maternus D. Petri auditor Christi per Euangelicam doctrinam lucrifecit, quater deuastata uix instaurata est, eiusq; Episcopus inter septemuiros Romani imperij electores recensetur. Cæterùm iuxta Ammianum Treuiri inter Belgas fortissimi iudicabantur, neq; aduē titijs delitijs effœminabantur, neq; Germanis Transrhenanis in certando cedebant, apud quos P. R. curia in causarum cognitione fuit, cuius & in Floriano Vopiscus meminit. Neruios uerò plæriq; omnes Tornacenses appellant, à Treuiris Boreā uersus uergunt apud Ptolemæum sunt νερόνιοι, eosq; ambitiosos facit adeò, ut à Gallis separari uoluerant. Hos enim inertes & molles plærunq; alij iudicabant. Verùm si quis Neruiorum descriptionem apud Cæsarem diligentius obseruarit, quantam animi magnitudinem frugalitas pariat, & é diuerso quantā mollitiem, ignauiam, & malorum agmen luxus secum trahat, facilè cognoscet, atq; uerum esse comperiet, ut de Hannibalis exercitu, postq; uino Campano madebat, scortisq; indulgebat, actum erat.

IPsam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt, Vangiones, Treboci, Nemetes. Vbij quidem, quanquam Romana colonia esse meruerint, ac libentius Agrippinenses conditoris sui nomine uocentur, origine erubescunt, transgressi olim, & experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non ut custodirentur.

IIII.

DE VANGIONIBVS, TREbocis, Nemetibus & Vbijs.

HOdie constans est opinio multorum doctorum uirorum, & consensus, à quo non ita temerè discedere affecto, Vangiones esse Vuormacienses, & subditos eiusdem Episcopatus, quorum etymum est, von geun, id est, à terra seu campo, id tamen sicut neq; approbamus, ita neq; magnopere damnamus. Arbitror tamen à Brotomago Vangionum capite Vuormaciā esse, ut fieri apud Germanos solet deflexio, atq; inscriptio quæ est in turri Pauonia, dicta uidetur, specula Vangionum. Sunt qui & Guarmatiam nuncupant, sed id fit iuxta superiorum Germanorum consuetudinē, qui ex duplici uu, prius in g, uertunt, sicut ex Vuolffgango Guolffgāgus, & Vuilhelmo Guilhelmus deriuatur. Sunt qui eādem in concilijs, & canonibus Vermeriam eandem appellatam contendunt, ab Attila Hunnorum rege deuastatam, Francici reges instaurarunt, & Ottho Cæsar hanc Germanico imperio, tum propter multas Synodos, tum propter cōplurium regum inhabitationem admodū celebrem dedicauit. Ad hunc modum Nemetas Spirēses esse contendunt. Vtriq; tamen Ariouisti regis partes secuti sunt, apud Cæsarē, atq; uel eosdē Germanos fuisse cōiectura fit. Quod si quid Ptolemaicæ,

maicæ, & tabulę & picturæ credendum sit, tunc neq; Nemetes Spirenses, neq; Vangiones Vuormacienses. Siquidem is sub Tribocis Vangiones, & Nemetas sub Vangionibus collocat. Quarè ordine penè inuerso hæc duo uocabula expo nenda esse facilè quis uideret, & Ptolemęus Nemetis Nęomagum, & Ruffianã tribuit. Neq; hoc latet, ut Græcis ἀπάρχαι, sit cohors, & sicut olim cohors prætoria na illic fuit, ita hodie cameræ Imperialis iudiciũ. Tribocci autem apud Ptolemę um recta sub Rauracis ad Rhenum locantur. Straboni idem sunt Tribocchi. Multi enim à tribus fagis Dryadibus nymphis consecratis eosdem dictos (*Tribucchen*) esse autumant, & eosdem esse Argentoracenses, passim hodie Strasburgenses uocatos eorum nomine plerique omnes accipiunt, sed mihi non sit uerisimile, si quid Ptolemæo creditur. Hic enim Borbetomagum, & Argentoratũ Vangionum urbes facit, sic τριβόκκων, Breucomagum & Elcebũ, quod non pauca certa quadam cõiectura est Slestadium. Quarè uide, sint'ne sub his potius Alsatij intelligendi? Eosdem autem Germanos fuisse Strabo scriptum reliquit, atq; addit, ut relicto natali solo traiecto q; Rheno sedes posuerint. Fabulã quoq; esse credo Argentoratum, quod Attilas Hunnorum rex dirutis mœnibus sibi uiam fecerat, Strasburgum nominatum fuisse. Neq; Argentinam ideo nominari censeo, quod argentum propter militum stipendia Iulius & Augustus eò miserint. Colonienses quoq; Vbios esse uix est ullus qui refragatur, & sic Ptolemęus sub Nemetis Agrippinensium coloniam, quam ille ἀγριππινήσιον uocat, ad Rhenum substituit. Tacitus enim eum ordinem seruauit, qui est à meridie, ad Boream iuxta ripam Rheni Gallicam. Vbij autem sunt Romanis scriptoribus Transrhenani, itaq; eosdem Marcellinus in secundam Germaniam reponit, etiamsi eos Gallos Sex. Aurelius fecerat. Est autem Agrippina colonia (hodie cõlen) ab Agrippa, qui Vbios (ut Strabo ait,) ad interiorem Rheni ripam deduxit, dicta, aut si quis mauult iuxta Tacitum lib. 12. annalium, nomen inditum illis est, ab Agrippina Augusta Claudij Cæsaris ex uxore Germanici filij Agrippę nepti apud Vbios nata. Hæc enim à marito Claudio eò ueteranos coloniamq; deduci impetrauit, atq; hinc Agrippinenses coloni uocari malunt, atq; Vbij, & illos Trãsrhenanos (Eos enim olim transgressos, & super ipsam Rheni ripam collocatos esse scribit, ut Germanos incursionem facientes arcerent, non ut à Romanis custodirentur) facit, cui sententiæ, & Colonienſium chronica suffragantur, atq; ueteris aluei uestigia apud D. Pantaleonis ac undecim millium uirginum templa cernũtur, & in alteram ripam, nimirum sinistram, Colonia translata esse uidetur. Non satis aptè Volaterranus defendi potest, qui Marchicos Badenses sub duce Cliuensi ex Vbijs constituit.

OMnium harum gentium uirtute præcipui Batani, non multum, ex ripa, sed insulã Rheni amnis colũt. Cattorũ quondã populus & seditiõe domestica in eas sedes trãsgressus, in quib. pars Romani imperij fierent. Manet honos, & antiquę societatis insigne. nã nec tributis conteruntur, nec publicanus atterit, exempti oneribus, & collationib. & tantũ in usum præliorũ sepositi, uelut tela atq; arma bellis reseruant.

V.

DE BATAVIS.

CVr hi Hollandi, cum sit uox Germanica, regionicq; apte respondens, uocẽtur Germanis, nõ potest esse obscurũ. Hic aũt à Tacito, atq; sic à Romanis

tanquam

tanquam socijs eorundem imperij propter uirtutem bellicam commendantur. Insulares uero sunt, cum intra Rheni ostia, & Mosam, atq; Oceanum Germaniæ cum sint concluſi. Is enim tractus Mosaulia à Mosa, & Vahali fluminibus nuncupatur. Ad hos quoq; Catti Germani propter domesticam seditionem pulsi sese contulerunt, qui & ipsi socij Romanorum fuerunt. Quare immunitas & libertas ijsdem concessa fuit, cum non erant tributarij, cum neque publicanos, quorum auaritia non parum subditi torquebantur, habebant, cum nihil muneris ijsdem imponebatur, cum nihil exactoribus pensitabant. Horum enim usus non alius fuit atque telorum, & armorum, quæ sepositа in armamentario præliorum tempore depromebantur. Qui plura scire cupit, totamq; historiam Taciti libros, in annalibus, & tricesimum, & secundum, & uicesimum perlegat. Prouerbium quoque Erasmi Roterodami Batani, quod est auris Batana, non negligat. Hinc uestigia eiusdem historiæ etiamnum reliqua esse agnoscet. Quid enim Battenberga aliud est, quàm Cattorum Berga? Quid nam Nomarum pars inferior Hessi montis appellatione, & hodie celebris sibi uult? In Batauia quoq; est episcopatus Traiectensis, von Vtricht, ubi & quædam Geldriæ pars constituitur.

EST in eodem obsequio, & Mattiacorum gens. Protulit enim magnitudo populi Romani ultra Rhenum, ultraq; ueteres terminos imperij reuerentiam. Ita sede finibusq; in sua ripa mente animoq; nobiscũ agunt, cætera similes Batauis, nisi quod ipso adhuc terræ suæ solo, & cœlo acrius animantur.

VI.

DE MATTIACIS.

NOn est quod quis Ptolemæi Mattiacum huc referat propter locorum dissitorum longitudinem. Deinde ultra Rhenum dum dicit, ambiguum est. Nam aut ultra Rhenum aut ad Septentrionem respicit, tunc absq; controuersia Zelandi ipsi sunt Matthiaci. Nam parum abest, quin illi sint Batauorum socij, & proximi uicini ad ostia Rheni positi, Germanis dicti quòd eorum terra sit in mari, aut ultra Rhenum ad ortũ accipitur. Sic Mattiaci Geldrenses iuxta cũ Cleuensibus iudicabantur. Cæterùm ex Plinio liquet, qui Mattiacos fontes, admodum calidos esse, eorumq; hauſtum triduo feruere memoriæ prodidit. Fons autem ille est Visebadę in platea, cuius aqua non solum oua coquit, sed etiam alites magno feruore deplumat, & setosas sues depilat, uel immersione, uel pfusione. Huic aũt in secunda Germania certus locus designatur. Tacitus quoq; eoldẽ riparios, id est, ripę Rhenanę accolas facit, tanquam Romani nominis socios. Quare eos cũ Romanis mente & animo agere subdit, habentq; eandem immunitatẽ, & priuilegia, quæ Batauis à Romanis data sunt. Animosiores tamen, tum propter naturam soli, tum propter cœli, id est, uel aeris uel stellati orbis qualitatẽ, asserit, cuius aliquot causę ex Hippocrate de loci, saere, & aqua peti possunt.

NOn numerauerim inter Germaniæ populos, quanquam trans Rhenum Danubiumq; cõsederint, eos qui Decumates agros exercent. Leuissimus quisq; Gallorum, & inopia audax, dubiæ possessionis solum occupauere. Mox limite acto promotisq; præsidijs, sinus imperij, & pars prouinciæ habentur.

Ex ripa Rheni dextra.

DE

VII.

DE DECVMATIBVS AGRIS.

NOndum pro certo habetur, cur decumates istiusmodi agri nominati sint, an à limite Decumano, cuius ab ortu ad occasum cursus est, qualis est Danubius meridiem uersus, an quòd illinc decimæ per decumanos, id est, publicanorum principes ibidem exigebantur, an quòd decimæ legionis præsidia ibidē constituebantur, licut secundam, sextam & septimam ab ordine, & numero legionum dixerunt Romanorum more. Agreste autem exercitium, cuiusmodi esse solet in agricultura Tacitus agnoscit, maximè per Gallos, quorum leuitas, inopia, audacia, & extrema egestas nota & perspecta fuit. Erat utiq; pars prouinciæ Romanis. Quarè ut ad decumani agri naturam alluderetur, & limitis ulterius recti & promotorum præsidiorum meminit, undè cōiecturam de illorum appellatione faciendam esse iudico, cuiusmodi fuit & in Gallia Narbonensi Decumanorum colonia. Hi uerò sunt prope eremum Heluetiorum, ubi est hodie ducatus Wirtembergensis cum Rhetiæ prouinciæ aliqua parte.

VLtra hos Catti initium sedis ab Hercynio saltu inchoant, non ita effusis, ac paluſtribus locis, ut cæterę ciuitates, in quas Germania patescit, durant siquidem colles, paulatimq; rarescunt, & Cattos suos saltus Hercynius prosequitur, simul atq; deponit. Duriora genti corpora, stricti artus, minax uultus, & maior animi uigor. Multum (ut inter Germanos) rationis, ac solertiæ, præponere electos, audire præpositos, nosse ordines, intelligere occasiones, differre impetus, disponere diem, ualluare noctem, fortunam inter dubia, uirtutem inter certa numerare, quodq; rarissimum, nec nisi ratione disciplinæ concessum, plus reponere in duce, quàm in exercitu, omne robur in pedite, quem super arma ferramentis quoq;, & copijs coonerant. Alios ad prælium ire uideas, Cattos ad bellum rari excursus, & fortuita pugna. Equestrium sanè uirium id proprium, citò parare uictoriam, citò cedere. Velocitas iuxta formidinem, cunctatio propior constantiæ est. Et alijs Germanorum populis usurpatum, rara & priuata cuiusque audentia, apud Cattos in consensum uertit, ut primùm adoleuerint, crinem barbamq; summittere, nec nisi hoste cæso exuere uotiuum obligatumq; uirtuti, oris habitum. Super sanguinem, & spolia reuelant frontem, seq; tum demum precia nascendi retulisse dignosq; patria, ac parentibus ferunt. Ignauis, & imbellibus manet squalor. Fortissimus quisq; ferreum insuper annulum, ignominiosum id genti uelut uinculum, gestat, donec se cæde hostis absoluat. Plurimis Cattorum hic placet habitus. Iamq; canent insignes, & hostib. simul, suisq; monstrati, omnium penes hos initia pugnarum. hæc prima semper acies, usu noua. Nam ne in pace quidem ultu mitiore mansuescunt. Nulli domus, aut ager, aut aliqua cura, prò ut ad quemq; uenere

aluntur,

aluntur prodigi alieni, contemptores sui, donec exanguis senectus tã duræ uirtuti impares faciat.

VIII.

DE CATTIS, ET DE NATIONUM apud Tacitum iusto ordine.

ALteri sunt in eadem ripa Rheni, post agros decumates Catti, qui Ptolemæo sunt, χάττιοι: Nam is χάττας, Meliboci montis accolas constituit, qui nobis sunt Hessi, & ijdem sunt Catti Meliboci nobis, *Catzenellbogen*, non ab ancone, id est, cubito, sed à Meliboci uoce corrupta. Quare si quis ordinem exponendi, apud Tacitum ab Austro ad Boream usq; iuxta Rheni ripam Germanicam probè attenderit, nullam mihi temeritatis, cum à tanto eruditorum uirorum cõsensu discedere audeam, notam impinget. Siquidem, sicut post Eluetiorum Eremum, sunt Ptolemæo Caritni, his proximi Vespi, post quos Tingeri, Busactori parui & Phrisij, ita Tacito sunt, in eadem ripa agri decumates, Catti, Vsipij, Tencteri, Bructeri, & Phrisij, & hi omnes sunt Istæuones. Sic citra negocium quis omnia scripta, ad amussim quadrare, & non toties sedes nationum mutatas causari oportere uideretur. Est quoq; in appellationibus perspicua allusio. Etsi Ptolemæus & Cornelius eodem penè tempore scripserint, tamen eadẽ nomina non ubiq; eadem, sed modicè inflexa indita sunt. Credimus Ptolemæum, ab alijs scriptoribus antecessoribus nomina recepisse. Cornelium autem sui temporis statum Germaniæ, sicut tum ipse & uiderat, & audierat, descripsisse. Proin de mihi dubium non est, sicut & cuilibet rectius obseruanti talem ordinem utrobiq; retinendum esse, nisi quod Ptolemæus à septentrione in eadem ripa usq; ad austrum nimirum, ad alpes pergens, è diuerso autem, ab his incipit, & in parte Boreali desinit. Postea uterq; à borea incipit. Sic enim Ptolemæus, μετὰ δὲ τοῦτους, inquit, καῦχοι οἱ μικροί, μέχρι τοῦ ὀυισούργιος ποταμοῦ, quod est, Post Phrysios sunt Chauci parui, usque ad Visurgin fluuium. Sic & Cornelius ait. In Septentrionem ingenti flexu redit, ac primo statim Chaucorum gens, &c. Sunt igitur Catti non Hessi, sicut hactenus sibi persuaserunt, sed qui Marchiam Badensem, & Heilprũnam, Heydelbergam, & uicina loca Otthonæ sylue, quæ Hercinij saltus pars est, incolunt. Catti, uel Caritni describuntur, nunc à loco habitabili. Nam his non sunt loci palustres, ut in alijs Germanorum partibus, sed ibidem montes modò sunt alti, modò decliues. Illic quidem durant, & arui sunt, hic uerò humiliores, & rariores sunt, circa Hercynium saltum cuius portiones sunt Heluetiorum eremus, & Abnobij montes perpetui cohabitant. Nunc ab habitu corporis notantur: Sunt enim illis duriora corpora, membra tamen angusta, & astricta: Nunc à uultu, & habitu animi, quia uultu minaces, quia uegetiori, & alacriori sunt animo: Nunc ab ingenio eiusq; sagacitate, & solertia, cuius argumenta sunt, uel in alijs honorandis, quia electos, atque uirtutibus insignes cæteris præponunt, uel in obedientia, quia suum Magistratum audiunt, uel à prudẽtia, quia ordines rerum norunt, atque perpendunt, uel à prouidentia, quia occasiones non negligunt, sed intelligunt, uel ab abstinentia quia impetus & iracundiam differunt, & differendo cohibent, uel ab laboribus, quia diem in certa negocia disponunt, & ordinant, noctemq; uallant, id est, quasi uallo propter quietem firmant, & muniunt, uel rerum iudicio, quia in fortuna dubium euentum, sed in uirtute certitudinem cum in ea sit εὖ ζῆν εὖ πράττειν, εὐδαιμονεῖν τὸ καλῶ ἀγαθῶν λαχεῖν, ὕπατον ἀγαθὸν ἔχειν, iuxta Aristotelis sententiam. Nunc à prœliandi ratione, tam in peditatu, quàm equitatu, quia duci tanquam

Leoni

Leoni confidunt, quàm exercitui, præsertim in quo sunt cerui. Peditatus quoq; gratior est, qui non tantum armis, sed & rerum bellicarum copijs & ferramentis onerantur. Magis tamen bellum adamant quàm prælium, id est, pugnam atque ipsum conflictum. Itaq; grauatè incursiones faciunt, pugnæq; euentum fortunę acceptum ferunt. Cæterùm equestribus copijs, aut cito uictoriam parant, id'que formidinis, aut cito cedunt, idq; constantiæ cuiusdam argumentum est. Laudabunt igitur cunctatorem Fabium, quàm temerarium & insolentem Minutium. Cupit tamen solum tacitè fugillare & notare cũ iuxtà dicit, & propior quasi non sit uera formido, ueraq; constantia. Nam ab ornatu capitis, menti, & digitorum, qui etsi alijs Germanis ferè competebat, ut cuiusq; est audentia, eaq; raro, sed apud Cattos, quasi consensu familiaris & proprius fuit, nimirum nemini aut capillitium detondere, aut barbam radere licebat, nisi prius hostem confecerat. Quarè super hostem prostratum frons reuelabatur, id est capillitium præcidebatur, & barbitium deradebatur, atq; ideo ignaui, intonsi & barbati in uita permanebant. Neq; ijsdem annulum ferreum, tanquam rem ualde huic nationi ignominiosam deponere concedebatur, nisi prius hostem interemerint. Nunc à canitie, quia cani & insignes uirtute bellica, & hostibus, & ipsis Cattis minoribus, tanquam παραδείγματα ostendebantur & proponebantur. Hi enim tum prælij initium fecerunt; tum in prima acie dimicarunt, quibus semper uel in pace altissima uultus non mitis, non mansuetus sed minax & asper, & terribilis erat. Nũc à fortuna Catti adumbrantur, quia nemini quippiam proprium erat, suorum bonorum contemptores aliena concoquebant, usq; ad extremam senectutem, quæ exangues & exuccos reddit uiros, atque ita imbelles, itaq; uirtuti bellicæ impares.

PRoximi Cattis certum iam alueo Rhenum, quiq; terminus esse sufficiat, Vsipij ac Tencteri colunt. Tencteri super solitum bellorum decus equestris disciplinæ arte præcellunt. Nec maior apud Cattos peditum laus, quàm Tenctero s equitum. Sic instituere maiores, posteri imitantur. Hi lusus infantium, hæc iuuenum æmulatio, perseuerant senes, inter familiam & penates, & iura successionnm, equi tradũtur, excipit filius, nõ ut cętera maximus natu, sed prout ferox bello, & melior.

I X.

DE VSIPIIS ET TENCTERIS.

VSipij sunt Vsipetes & Ptolemęo Vispij, Appiano Sypetes Cattis id est, Caritnis proximi ad septentrionẽ, & ipsi Rheni, qui limes Germanię occidẽtalis est, accolæ: cuiusmodi hodie essent in agro Francophordiano atq; Confluentino, atq; in locis uicinis cohabitantes. Ita Tencteri, qui alijs sunt Tenchtheri, Appiano Tancheri, Plutarcho τενκτερίδες Ptolemęo τίγγεροι Lani & Luppiæ & Rheni accolæ, ubi plericq; Hessi hodie sic nominati, & nonnulli Franci degũt. Hi sanè non parum à uirtute bellica, præsertim ab equitatu commendantur. & si cut Caritni peditib. ita hi equitibus magis præstant, Causa uerò alia non est atq; ipsa educatio, & à prima ætate institutio. Nam in omni ætate talia sunt ijsdẽ exercitia atq; in successione hæreditatis equi legantur, non maximo natu tãquam primogenito, cui alioqui & passim multum iuris & potestatis cõceditur, sed ferociori & bellaciori. Neq; hodie ab ijsdem moribus adeò Hessi, Franci, & quidam

dam Iuliacenſes receſſerunt equitatu, eius'que diſciplina, quæ Græcis eſt ἱππικὴ plurimum gaudentes.

IVxta Tencteros Bructeri olim occurrebant, nunc Chamauos & Angriuarios immigraſſe narrat, pulſis Bructeris ac penitus excīſis, uicinarum conſenſu nationum, ſeu ſuperbiæ odio, ſeu prædæ dulcedine, ſeu fauore quodam erga nos deorum: nam ne ſpectaculo quidē prælij inuidere, ſuper ſexaginta milia non armis telisq; Romanis, ſed quod magnificentius eſt, oblectationi oculisq; ceciderunt. Maneat quæſo, duretq; gentibus, ſin non amor noſtri, at certè odium ſui, quando urgentibus imperij fatis, nihil iam præſtare Fortuna maius poteſt, quàm hoſtium diſcordiam.

X.

DE BRVCTERIS, CHAMAVIJS & Angriuarijs.

HI ſunt Ptolemęo Buſactori, hodie Luppiani & Monaſteriēſes, uſq; ad Oſenbrugum, quod ab ijſdem forſan nomen accipit, ubi & quædam Hercyniæ ſyluæ maximè circa Haſsiam pars, de qua eſt illud Claudiani

Bructerus Hercyniæ uenit accola ſyluæ

Chamani uerò intra Melibocum montem & Albin iuxta Ptolemęum conſiſtunt, ubi ſunt nonnulli Miſeni, ſicut Angriuarij ſunt contra Sueuos Semnonas quos Albis tantum dirimit, poſiti, ubi hodie Magdeburgenſes, & ueteris Marchiæ incolę. Hi autem duo populi expulſis & exciſis ueteribus Bructeris in eam partem commigrarunt, idq; uicinarum gentium cōſenſu atq; ſuffragio, uel quia ijſdem Bructeri odioſi erant, uel quia prædæ dulcedine capiebantur, uel quia dij Romanis propicij id ipſum ſic deſtinabant. Siquidem neq; dij inuidebant prælij ſpectaculo. Nam ſupra ſexaginta millia ceciderunt, non armis, non telis Romanorum, ſed domeſtica diſcordia, quæ & Romanorum oculis ita grata fuit, ut eadem ſe non parum oblectarint. Quarè ut Romani eſſent pacatiores, Germanis perpetuam inter ſeſe diſcordiā eſſe cupit atque uouet, ſic ut ex annalibus Taciti, Druſum, eiusq; filium Germanicum idipſum unicè ſtuduiſſe liquet. Ecquid hodie ſit in tanto & principum, & ciuitatum diſſidio aliud, cogitandum eſt? Quapropter Bructeri erint Luppiæ accolæ & Oſtuali, & Vueſtuali plerique, ubi eſt & Angria & archiepiſcopus Colonienſis ſe Angriuariorum ducem ſcribere ſolitus eſt *die Engern in Vueſtphalen*, Neque id quempiam lateat uel hodie oppidum, cum inſigniori & editiori arce, in qua eſt ſacellum multis gemmis ornatum, Caroli quarti, niſi fallor, opus (quod & incolæ *Carolls capell* nominant) & dicitur Angermundum, tanquam Angriuariorum oſtium in ueteri Marchia, quæ ſeptem urbibus conſtat, primum in Albis ripa, quæ illis citerior, nobis ulterior eſt. Ridicula autem etyma quorundam non tanti facio, neq; t littera in capite dictionis appoſita me mouit. Nam id factum eſt, propter alterius in Marchiæ media in ripa Viadri oppidi poſiti, Angermundi uocati diſcrimen.

ANgriuarios & Chamanos à tergo Dulgibini & Charij cludunt, aliæq; gentes haud perinde memoratę, A fronte Friſij excipiunt,

Maioribus

Maioribus minoribusq; Frisijs uocabulum est, ex modo uirium, utræque nationes usque ad Oceanum Rheno prætexuntur, ambiuntq; immensos insuper lacus, & Romanis classibus nauigatos. Ipsum quinetiam Oceanum illa tentauimus, & supereſſe adhuc Herculis columnas fama uulgauit, siue adijt Hercules, seu quicquid ubiq; magnificũ est, in claritatem eius referre consensimus. Nec defuit audentia Druso Germanico, sed obstitit Oceanus in se simulatq; in Herculem inquiri. Mox nemo tentauit, sanctiusq; ac reuerentius uisum, de actis deorum credere, quam scire. Hactenus in Occidentem, Germaniam nouimus.

XI.

DE DVLGIBINIS, CHAsuarijs & Frisijs.

DVlgibini Ptolemæo sunt Δαλνόμνιοι, id est, Brũsuicenses, Halberstadienses & Hildesheimẽses. Casuarij aũt, alijs sunt Cattuarij, Ptolemęo Casuarij πάλιν, inquit, ἀπ' ἀνατολῶν τὴν ἀυνοβάλων ὀρῶν, ὑπὲρ τὰς συήβους κατοίκοι quod est ab orientali parte iterum Abnobiorum montium supra Sueuos Anglos Casuari habitant, ubi hodie est Casella, forsan à casuarijs dicta Shmalcaldia. Hi duo à tergo, uidelicet ab occasu Angriuarios & Chamanos claudunt & retinent, ne toties in alias partes incursiones faciant. Porrò Frisij adhuc ueterẽ obtinent appellationem, de quibus sic Ptolemæus ὑπὲρ τὰς βρουκτέρους οἱ φρίσιοι, μέχρι τῶν ἀμισίου ποταμοῦ, quod est, supra Bructeros Phrisij sunt, usq; ad Amisium (qui & hodie sed, ut fit, corruptè die Ems nominatur) fluuium. Sunt autem Phrisij duplices, aut maiores aut minores. Illi quidem forsan sunt intra Amisium & Visurgin uulgò de die Weser, ubi est Groningensium ager & ciuitas. Hi uerò sunt intra Visurgin & Albim, ubi est Bremẽsium tractus, qui essent & Busactori maiores, quibus adnumerarentur Vuerdenses & Mindenses. Phrisij tamen & Orientales & Occidentales Angriuariorum & Chamanorum impetum excipientes & sustinentes iuxta Oceanum, & id est à Ptolemęo dictum, τὴν παρωκεανίτιν κατέχουσιν. Occidentales autem magis Rheno prætexuntur, atq; in eorum uicinia sunt aliquot insulæ, ad aquas classis Romana aliquoties peruenit. Tentarũt & Romani Oceanum Phrysiacum maris Germanici partẽ, sed deterriti sunt atq; frustra conati. Nam Hercules quidam, quem Teutonicum esse ueri simile est, eò usque peruenit & substitit atque ibidem stelas, quæ ab authore Hercule, non aliter atque apud Gaditanos Herculeæ dictæ sunt, constituit. Solebant enim ueteres heroes, uel columnas, uel aras tanquam certas peregrinationum & laborum metas collocare. Eius autem tentationis, & in annalibus Tacitus meminit, sicut arbitror, & Vespasiano factæ, & antea à Druso Germanico, ut Suetonius & alibi Tacitus meminerunt. Sed huic non minus atque olim Herculi, quisquis ille fuit, Oceanus fluctuãs obstitit. Quarè nemo idipsum porrò tentare ausus, tanquam per fata ἀδύνατον. Hinc factum est, ut isthæc credere maluit, quã explorare. Id tamen non est negligendum, hodie Phrysiorum ditionem ita amplam esse, ut ueterum Cauchorum tam paruorum quàm magnorum agros occuparint.

IN Septentrionem ingenti flexu redit. Ac prima statim Chaucorum gens, quanquam incipiat à Frisijs, ac partem littoris occupet, omniũ

quas expoſui gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos uſque ſinuetur. tam immenſum terrarum ſpacium non tenent tantum Chauci, ſed & implent, populus inter Germanos nobiliſsimus, qui'que magnitudinem ſuam malit iuſtitia tueri, ſine cupiditate, ſine impotentia, quieti ſecreti'que, nulla prouocant bella, nullis raptibus aut latrocinijs populantur. Id præcipuum uirtutis ac uirium argumentum eſt ut ſuperiores agant, non per iniurias aſſequuntur. Prompta tamen omnibus arma, ac ſi res poſcat, exercitus plurimum uirorum equorum'que, & quieſcentibus eadem fama.

XII.

DE CHAVCIS.

HActenus Occidentem (ut ipſe appellat) id eſt, Occidentalem Germaniæ limitem, in utraque Rheni parte ſibi notum explicuit. Nunc & Septentrionem, id eſt, limitē borealē, ubi deſignantur Ingæuones, per flexum maris Germanici ſubiungit, inter quos primi obuij ſunt Cauchi, quos Ptolemæus ſicut minores intra Amaſium & Viſurgin conſtituit, ubi ſunt Phriſij Groningenſes hodie ita maiores intra Viſurgin & Albim, ubi ſunt nunc Bremenſes, Luneburgēſes ad Hamburgum uſq;. Sunt autem eius uerba, καῦχοι οἱ μικροὶ, μεχρὶ δὲ τοῦτος γιος ποταμοῦ, οἱ μείζους, μεχρὶ τοῦ ἄλβιος ποταμοῦ. Hodie tamen ijdem ferè Phriſiorum nomine continentur. Initium autem Cauchorum à Phriſijs, qui erant intra Vidum & Amiſum, uel ipſius Ptolemæi ſententia, atque ijdem ſunt aut Vingæuone, aut Ingæuones tum ampliſſimi. Nam hi maritimi nationibus hactenus numeratis prætenduntur, adeo ut in Cattorum tractū uſque inſinuentur. Hic nemo eoſdem Cattos intelliget, quos Ptolemæo Caritnos eſſe iudicauimus. Nam eo uſque non implicantur, atque uix uero conſentaneum, etſi quis uel Ptolemaicos Cattos iuxta Melibocum montem, uel ipſos Cattuarios acciperet. Itaq; non eſt dubium in Cattorum appellatione Tacitum nimis uariare, tum nobiliſſimi ſunt & propter iuſtitiam & propter innocentiam, quæ illam non ſecus ac umbra corpus comitatur. Sunt quieti, ſunt & ſi res poſcit, bellaces.

IN latere Chaucorum, Cattorumq; Cheruſci nimiam ac marcentem diu pacem illaceſsiti nutrierunt, idq; iucundius quam tutius fuit, quia inter impotentes & ualidos, falsò quieſcas, ubi manu agitur, modeſtia ac probitas nomina ſuperioris ſunt. Ita qui olim boni æquiq; Cheruſci, nunc inertes ac ſtulti uocantur. Cattis uictoribus fortuna inſapientiam ceſſit. Tacti ruina Cheruſcorum & Foſi contermina gens aduerſarum rerum ex æquo ſocij ſunt, cum in ſecundis minores fuiſſent.

XIII.

DE CHERVSCIS & Foſis.

CHeruſcos Albis accolas eſſe ex Ptolemæo ſatis perſpicuè patet, quos tamē plericq; omnes (quod equidem ſciam) eruditi ad cōfluentem Salæ & Albis urbem

urbem, cui Cerueſt nomen eſt (niſi quis à Ceruecis deriuare mallet) adſcribunt cum toto comitatu Anhaldinenſi. Sub his & nonnulli Tyringi comprehenduntur Chamanis uicini. Laudantur à nimio pacis ſtudio, quo per ocium homines marceſcunt, ſed rurſus damnantur, quia id non tutum fuit, etiamſi iucundũ fuerat. Ait enim inter impotentes, hoc eſt, ualde potentes quieſcere non ita bonum eſt, cum uictores iudicẽtur modeſti & probi. Quemadmodum Cheruſci ęqui & probi fuerunt, ſed per altiſſimam pacẽ iã inertes cenſentur. E diuerſo Catti, cum ſint bellaces, & per fortunam uictoriosi, ſapientes habentur: Ita hodie commendantur Martiales, & contrà pacati & pacificatores uituperantur, atque adeò utrorumque aut Philoſophi, aut Theologi ſcilicet, ſi pacis ſtudioſi ſunt, ſalutantur. Verùm de horum moribus & bellis, & Taciti annales conſulito. Collocantur autem hîc Cheruſci, ueluti inter Cauchos & Cattos. Hos enim habent meridionales, ſicut illos boreales. Viciniam quoque arguit, quod cum Druſus Cattos ex improuiſo adortus fuiſſet, Cheruſci hos iuuare cupientes, à Cecinna prohibiti ſunt. Sed legitur è contra ut Catti poſt Cheruſcos ſubactos cum Hermunduris ob Salæ flumen, quo loci ἅλας Saxonum hodie cernimus, contenderint. Poſi autem Chæruſcis proximi uicini ſtatuuntur in rebus aduerſis, ſocij æquales fuerunt, ſed in ſecundis inferiores.

EVndem Germaniæ ſinum proximi Oceano Cimbri tenent, parua nunc ciuitas, ſed gloria ingens, ueteriſq; famę latè ueſtigia manent utraq; ripa caſtra ac ſpacia, quorum ambitu nunc quoq; metiaris molem manuſq; gentis, & tam magni exitus fidem. Sexcenteſimum & quadrageſimum annum urbs noſtra agebat, cum primum Cimbrorũ audita ſunt arma, Cæcilio Metello ac Papirio Carbone COSS. Ex quo ſi ad alterum imperatoris Traiani conſulatum computemus, ducẽti fermè & decem anni colliguntur, tam diu Germania uincitur.

XLIII.

DE CIMBRIS.

DE his ſic Ptolemæus, πάντων δὲ ἀρκτικώτεροι κίμβροι, quod eſt, Cimbri inter omnes Vingæuones magis ſunt Septentrionales, à quib. Cherſoneſus tota Cimbrica dicta eſt, olim parua fuit ciuitas, ſed hodie magna. Nam quicquid terrarũ eſt inter Lubecum & Hamburgum uſque ad eius Cherſoneſi extremum angulum, Cymbrorum nomine continentur, ubi ſunt Holſati, Dani, Iutlandi, ubi à forma cunei à Germanis Saxonibus *ein kil* appellatur. Enconium quoque eorundem inſeritur, modo à gloria propter bellum, quod inde Cimbricum nominatur, modo à ſitu, ut ſit bimaris non aliter ac Corinthus. Nam ab una parte Occidentale, uulgo *die Weſtſehe*, ab altera eſt Orientale, uulgò *die oſtſehe*, modo ab amplitudine. Nam admodum ſpacioſa in ambitu totius Cherſoneſi eſt, cui tantę commigrationis in alias nationes fides accedit, ex qua certo conſtat, ut ſit natio admodum copioſa, innumeriſq; populis referta, qui & in Illyricum uſque inuaſerant. Turbas autem Cymbrorum inſurgentium contra Romanos Plutarchus in Mario, Iuſtinus in 1. lib. Paterculus deſcribunt. Hos tamen exuperauit C. Marius, ut eſt apud Florum de Cimbrico bello, ſicut poſtea Stilicon in eadẽ Cherſoneſo Getas, qui ſunt & Gotthi, uicit, ut eſt apud Claudianum. Fuerũt cum γετικοὶ dicti, à quibus ſinus primum Getanus, deinde Godanus, poſtea Gedanus à

Lubeco usque ad Dantiscum porrectus, quod & inde Gedanum nominatur à situ appellationem recepit, modò à perpetuo belli studio commendantur, siquidem circiter ducentos & decẽ annos Cimbrorũ arma audita sunt, atque inter hos uinci cœperunt. Siquidem tot anni colligũtur à COSS. C. Cæcilio Metello Caprario & C. Papyrio Carbone qui posterior in Illyrico à Cimbris uictus & fusus est iuxta Florum Anno ante natum Christum 111. uidelicet anno mũdi 3851. circa quem Cleopatra ueneno, quod filio Griphoni parauerat, hausto, uitam cũ morte cõmutauit, & circiter tertium ab hinc annum Iugurtha Adherbalem interemit, Cirtham per deditionem accepit. Colliguntur autem usq; ad alterum Vlpij Traiani Criniti consulatum (nam sexies consulatum egerat) cuius collega fuit Cocceius Nerua Augusti, Ferme autem adiecit. Siquidem recte supputanti tempora sunt ducenti & nouem anni.

MEdio tam longi æui spacio multa inuicem damna Non Samnis, non Pœni, non Hispaniæ, Galliæ ue, ne Parthi quidem sæpius admonuere. Quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis quam cædem Crassi, amisso & ipse Pacoro infra Ventidium deiectus Oriens obiecerit?

XV.

DE GERMANORVM VIRTVte bellica digressio.

COllatione quadam per calamitatum acceptarum & præliorum factorum enumerationem Germanorum uirtutem bellicam collaudat. Fuit autem Samniticum bellum primum ab urbe cõdita 413. COSS. M. Valerio Coruino, A. Cornelio COSS. ante natum Christum 339 anno: sicut alterũ fuit ab urbe cõdita 430. COSS. L. Furio Camillo 3. D. Iunio Bruto Sceua, ante natum Christum 312. Punicum autem primum bellum fuit, ab urbe condita 489. COSS. Ap. Claudio Pulchro. Q. Fuluio Flacco, ante natum Christum 261. Secundum fuit anno ab urbe cõdita 536. COSS. P. Cornelio Scipione, T. Sempronio Lõgo, ante natum Christum 216. Tertium fuit ab urbe cõdita 604. COSS. L. Quintio Flamminio, M. Acilio Balbo, ante natum Christum 147. Hispaniæ autem deuictæ sunt, uel expulso Pœno à Scipione ab urbe condita 548. COSS. L. Veturio Philo, Q. Cæcilio Metello, ante natum Christum 203. uel quando Metellus in Hispaniam missus, cui & Pompeius adiunctus erat, aduersus Sertorium ab urbe condita 677. COSS. M. Aemilio Mamerco, D. Decio Bruto Iuliano, ante natum Christũ 74. uel quando Cæsar Augustus totam Hispaniam subegerat, ab urbe condita 730. COSS. C. Cæsare Octauiano, C. Norbano Flacco ante natum Christũ 21. Gallicum uerò bellũ unum fuit ab urbe condita 527. COSS. P. Valerio Flacco, M. Atilio Regulo, ante natum Christum 225. Alterum quod Cæsar gesit, de quo eiusdem commentaria leguntur, fuit anno ab urbe cõdita 696. COSS. L. Pisone Cæsoniano, A. Gabinio ante natum Christum 55. Sic & Parthi cum Romanis sub idem tempus bellum gesserunt. Cum Gallos Florus inquit, per Cæsarem in Septentrionem debellar, interim graue uulnus à Parthis P.R. accepit. Nec de fortuna queri possumus, caret solatio clades, aduersa & dijs & hominibus cupiditas consulis Crassi, dum Parthico inhiat auro, strage undecim legionum, & ipsius capite mulctata est, quod Tribunus plebis Metellus exuntem ducem hostilibus diris deuouerat, Parthi autem quorum rex Arsaces fuit acres, sicut clades Cras-

des Crassiana testatur, sed liberi Germani multò acriores sunt. Siquidem Parthi, eorumq; magistratus Romanis quid nam quam cædem Crassi obijceret, cũ ipsi maiorem cladem etiam rege Pacoro amisso per P. Ventidium M. Antonij legatum acceperant? Siquidem Ventidius Labieni copias, ipsum Pacorum & omnem Parthicum equitatum, toto inter Orontem & Euphratem sinu late prostratum, uiginti amplius millium fuit. Ita inquit Florus, Crassianam cladem Pacori cę de pensitauimus. Item a Tacito in annalibus, à Floro, ab Appiano lib. qui Parthicus inscribitur. Plutarch. in M. Antonio. Pergit igitur nunc miro compendio Germanorum uictorias contra Romanos tanquam uno fasce enumerare, & sunt duodecim, quorum prima est, ut C. Papyrius Carbo à Cimbris, qui nunc in Danos & Holsatos abierunt, uictus sit, cum in Illyricum, Romanorum prouinsciam uenerant, iuxta Florum in epitome Liuiana lib. 63. Id autem accidit, Anno

Ab urbe condita,	*Ante natum Christum,*	*Mundi,*
641.	111.	3851.

Altera fuit cum L. Cassius in finibus Allobrogum (quos hodie Sophoios nũcupant) à Tigurinis Gallis sub id tempus pago Heluetiorum cum exercitu cæsus erat, Anno

Ab urbe condita,	*Ante natum Christum,*	*Mundi,*
647.	107.	3857.

Tertia fuit, cum Aurelius Scaurus à Cimbris captus à Bolo rege Cimbrorũ interfectus erat, Florus libro 57. Anno

Ab urbe condita,	*Ante natum Christum,*	*Mundi,*
648.	105.	3858.

Tunt autẽ coss. erant C. Attilius Seranus, Q. Seruilius Cæpio. Verùm quarto ab hinc anno M. Iunius Syllanus infelicissime contra eosdem decertauit.

Quarta fuit, cum C. alijs autem, inter quos est & Tacitus est M. Manlius (falso Manilius legitur) Q. Seruilius Cæpio à Cimbris uicti, & castris exuti fuerãt, proximo ab hinc anno coss. P. Rutilio Ruffo, C. Manlio Maximo. Ita Cimbri quinque Consules, atque totidem consulares exercitus Romanorum more uicerunt. Belli autem occasio hæc fuit, quod à Cimbris primis authoribus Cimbri cum, à Teutonis Teutonicum, à socijs Tigurinis Tigurinũ nominatur, cũ Cimbrorum terras Oceanus inundasset, nouas sedes toto orbe quærere coacti erãt, sed ex Gallia & ex Hispania exclusi in Italiam sese contulerunt, legatosq; in castra Syllani, inde ad senatum miserunt petentes ut Marrius populus aliquid sibi terrę daret quasi stipendium: Cæterum utuel let, manibus atque armis suis utere tur. Verum ijdem sibi Tigurinos & Turegos adiunxerunt, & contra Romanos conspirarunt, atq; in conflictu Syllanum, Mãlium, & Cæpionem, & nisi Marius uictoriosus Imperator subuenisset Cimbri uel ipsam Romã uicissent. Is enim Cimbros in Gallia Narbonensi cis Rhodanum iuxta aquas Sextias (hodie Aix) circiter 360000 interemit, & sub id tempus iũctis curris mulieres Germanorum diu Romanis reluctatæ sunt, tantisper dum nouo mortis genere perterrefactæ, ueniam petierant, qua denegata suos ipsorum filios interfecerunt, & se gladio confoderunt. De hoc autem bello Florum, Plutarchum in Mario, Appiannm, Strabonem in septimo. Valerium Maximum libro quinto, capite octauo lege. Erat autem exercitus diuisus, cuius una pars Germanorum cũ Tigurinis in Gallia Narbonensi prostrata est, quorum rex fuit Teutobochus ibidem interẽptus. Altera pars in Italia cum Beleo rege pessundata est.

Quinta fuit sub Octauiano Augusto, eius'que imperij anno quinquagesimo altero

Ab urbe condita,	*Post natum Christum,*	*Mundi,*
762.	12.	3973.

Fuit autem in Germaniam ab Augusto Quintilius Varus ablegatus atq; imperator designatus, atq; tribus legionibus ultra (nobis citra) Rhenum profectus Germanos à Druso uictos & domitos, nouitate legum figendarum & refigendarum plurimum ursit. Sed Germani libertatis semper cupidi, ducem belli Arminium (qui est nobis *Hardtman*) crearunt, eiusq; opera & consilio tres legiones interemerunt. Multorum quoq; captiuorum oculi effodiebantur, alijs manus, alijs pedes dissecabantur. Varum dissectum in fluuium conijciebant, urbes à Romanis conditas propter limitum tutelam diruebant, & cuncta ad Rhenum usq; munimenta demoliebantur. Augustus uerò propter hanc cladem acceptam plurima tristicia affectus est, eiulans & clamans, Quintili Vare legiones, reducito, eiusq; clades μνημόσυνον annuum esse constituit, sicut apud Suetonium legitur & Paterculum, Florum & Orosium. Strabo quidem in 7. prælium factum apud Cheruscos non longe ab Albi esse testatur: alij uerò, inter quos sunt Ottho Frisingẽsis & Nauclerus, iuxta Augustã Vindelicorũ locũ prælij designant. Est & de hac re Vdalrici Hutteni dialogus, qui Arminius inscribitur admodũ elegãs.

Sexta fuit eodem tempore, quo Cimbri Italiã deuastare cœperunt, eosdemq; Marius perculit, propterea Romani magis terrebantur, quàm secundo Punico bello Hannibalis aduentu, sicut Eutropius & Orosius meminernnt.

Septima fuit sub C. Iulio Cęsare, qui primus singulare imperiũ affectauit, post Galliam deuictã Germanos aggressus est, eosq; ex Gallia iuxta cum rege Ario uisto (quem antea Ernuestum, uulgo Ernestum nominauimus) repulit, sicut ipse libro primo Gallici belli contestatur, & tunc uxores flentes suos maritos orabant, ut forti & constanti animo pro libertate asserenda, contra Romanos conflictarentur. Quarè Cęsar ira percitus, parum uiriliter & mulieres & pueros interemit, & sub id tempus Vbij (quos intra Confluentinos & Colonienses habitasse non est dubium) à Sueuis Albis accolis plurimum diffidebant, & illi fœdus feriebant cum Cæsare contra Sueuos. Quapropter Cæsar iuxta Vbios Rhenum ponte iungebat, exercitumq; per illum cis Rhenum ducebat, Germanorum prædia incendebat. Sueui copijs collectis infesta sic signa frebant, ut eundem fugientem sequerentur. Proinde re comperta Cæsar retrocessit ultra Rhenum, pontemq; extructum destrui curabat, ne quam cladem à persequentibus Sueuis acciperet, coss. L. Pisone Cęsoniano, A. Gabinio, Anno

Ab urbe condita, *Ante natum Christum,* *Mundi,*

696. 49. 3907.

Octaua fuit sub Octauiano Augusto, Drusus Nero Cæsaris Augusti priuignus, Tyberij Cæsaris frater imperator contra Germanos creatus primos domuit, ut inquit Florus, Vsipetes inde Tencateros percurrit & Cattos, hoc est, quosdam Rheni accolas inopinantes uicit, sed mox per Sueuos uictor insolens repulsus est. Nam uiginti centurionibus crematis, hoc ueluti sacramento sumpserant bellũ, adeò certa uictoriæ spe, ut prædã in anteceſſum pactione diuiserint. Cheruſci equos, Sueui aurum & argentũ, Sicambri captiuos eligerent, & iam de Romanorũ copijs actum fuisset, nisi superbientes & securi fuissent. Si quidẽ exercitu collecto, Drusus inopinantes adortus est, plurimosq; prostrauit, sed non sine magna suorum clade. Nam & mulieres iuxtà cum liberis grauissime contra illos decertarunt, & cum cam Germaniæ partem, quæ est in ripa Rheni Gallica, in prouinciã redegerat, utpote à Mosella usq; ad Rauracos, ubi hodie est inclyta Basilea, circa cuius tractũ sexaginta arces tanquã munimenta & præsidia contra Germanorũ incursiones extruxerat, Germanicus scilicet à deuicta Germania salutabatur. Qua de re Florũ in 4. cap. 12. consulito Mortuus autẽ est uulneris à Germanis accepti dolore, atq; hunc Oceanum tentasse ad Herculis exemplum Tacitus antea scriptũ reliquit. Inuasit aũt Cattos anno Christi 17. De

cuius

cuius rebus gestis, si quis scire expetit, ex primo & secundo annalium libris petat necesse est, quarum & Suetonius meminit. Fuit & alter Germanicus Drusi Germanici filius contra Arminium, qui Cheruscorum dux circiter nonum annum nati Christi floruit, ad abolendam infamiam propter Varianam cladem pugnare studuit, atq; idem triumphauit, circiter uicesimum nati Christi annum, de quo Strabo in 7. consulendus est, & in 2. annalium Tacitus. Rectius tamen quis fecerit, si hoc loci Germanicum cum Druso Nerone coniunxerit, id quod & Tacitum uelle arbitror. Vicit autem ad Visurgim Cheruscos, & Stertinio Angriuarij sese dediderunt. C. Silius Cattos, & Marsos fudit, Anno

Ab urbe condita,	*Post natum Christum,*	*Mundi.*
768.	17	3978.

Nona fuit sub Caligula imperatore, cuius fuit in Germanos expeditio, sed nihil egregij egit etiam minacissimus, ut apud Suetonium, Eutropium, Tacitum & in annalibus, & in uita, Agricolæ, Paterculum, aliosq; complures legitur, Anno

Ab urbe condita,	*Post natum Christum,*	*Mundi.*
792.	41.	4002.

Porrò ad sua tempora Tacitus respicit, uidelicet post Caligulam fuisse ocium & pacem cum Germanis tantisper, dum occasione captata propter dissidia bellorum intestinorum & ciuilium, uel in Gallias Germani sese contulerant. Quare colligit magis triumphatos, hoc est, de illis multos triumphum egisse, quàm uictos, cui & Florus astipulatur. Difficilius inquit, est prouincias obtinere, quã facere, uiribus parantur, iure retinentur. Igitur breue gaudiũ id fuit. Quippe Germani uicti magis quàm domiti erant, moresq; nostros magis, quã arma sub imperatore Druso suscipiebant. Proinde Germanici saluabantur, non tantum Drusus, sed & Domitianus. Nerua, & Tiberius filium suum Germanicum uocari iussit, non propter uictoriam, cum nunquam tota Germania deuicta sit, sed propter robur, animi magnitudinem, fidem & constantiam Germanorum expetendam, aliisq; proponendam sic nominabantur. Ad hunc modum quis adferret bella aliorum imperatorum, tam Romanorum quàm exterorum, cõtra Germanos suscepta, ueluti in tabula enumeraret. Nonne Tiberius triennium, & quindecim legionibus contra Germanos pugnauit, sed sæpe ita infeliciter, ut tãdem sese propter Sueuorum impetum in fugam coniecerit? Nonne T. Vespasianus post quadraginta prælia facta exercitu pene fuso domum miser redierat? Nonne Traianus Germanos pacatos habuit, non armis, non prælijs, sed mansuetudine, comitate & affabilitate, atq; haud leui indulgẽtia? Afferto & exteros reges, quid nam quæso Alexãdro Magno maius fuit in Asia & Aphrica, atq; bona Europæ parte, sed quando Germanos sollicitauit & tentauit, suamq; secundiorem fortunam experiri uoluit? Sic Darius & Cyrus Persarũ Monarchæ, ad Tanain usq; peruenerunt (qui olim Germaniæ ueteris orintalis limes fuit) nunquã Germanos petierunt. Sic Lysimachus apud Danubiũ uictus & à Germanis & à Rochemeto Germanorum rege captus est. Iterum redito ad Romanos imperatores M. Antoniũ: uerùm in extremos paupertatis limites redactũ propter bellũ Germanicum fuisse cognosces. Huius loci sunt, ut Maximinus sub Alexãdro Seuero propter infelicitatẽ belli in Germanos illati in ordinem redactus sit, ut Decius Germanos in Thraciam depopulantes aggressus perierat, ut sub Valeriano ex Italia 30000 Germani ingentem prædã abduxerãt, ut Aemilianũ prope Moguntiacum uicerant, sic pergito à Probo, Constantino, Iuliano, Valente, usq; ad nostra tempora, rhythmum Germanicum uetustum à uero non ita alienum esse uidebis, qui est

Welcher im krieg wil vnglück han,
Der fah es mit den Teütschen ahn,

Mit den Teütſchen mach du freündtſchafft,
Vnd fleuch darbey ir nachbarſchafft.
Die Teütſchen ſind Beeren mit vernunfft,
Darumb frewe ſich keiner irer zůkunfft.

Quid multis? Neq; hodie uicti ſunt, & ſi quis rerum potitur in quibuſdã Germaniæ partibus, id non propria ſit, ſed ipſorum Germanorum, quorũ auxilia expetuntur uirtute, & arte in tanto diſſidio, ubi ſubiugãdæ Germaniæ occaſio quæritur & captatur. Vincuntur quidem Germani, ſed non niſi per Germanos.

NVnc de Sueuis dicendum eſt quorum non una (ut Cattorũ Tencterorum'ue gens) maiorem enim Germaniæ partẽ obtinẽt, propriis adhuc nationibus nominibusq; diſcreti, quanquam in commune Sueui uocentur. Inſigne gentis, obliquare crinem, nodoq; ſubſtringere. Sic Sueui à cæteris Germanis, ſic Sueuorum ingenui à ſeruis ſeparantur. Sic in aliis gẽtibus ſeu cognatione aliqua Sueuorum, ſeu (quod ſæpe accidit) imitatione, rarum & intra iuuẽtæ ſpacium, apud Sueuos uſq; ad caniciem horrentem capillum retro ſequuntur, ac ſæpe in ipſo ſolo uertice religant principes, & ornatiorem habent. Ea cura formæ, ſed innoxiæ. Neq; enim ut ament amentur'ue, in altitudinem quandã, & terrorem adituri bella compti, ut hoſtium oculis ornantur.

XVI.

DE SVEVIS.

SVprà Sueuum fuiſſe Germanorum regem obſeruauimus, à quo & Sueuis nomen inditum eſt. Sueuia autem duplex eſt, uetus & noua. Vetus quidem à Tacito deſcripta, quorum alij ſunt aquilonares, ut Semnones, Langobardi, Reudigni, Auiones, Angli, Varini, Eudoſes, Suardones, Nuithones. Alij auſtrales, ut Hermunduri, Nariſci, Marcomanni & Quadi. Alij ſunt orientales in Pannoniam & Sarmatiam porrecti, ut Ligij, Arij, Heluecones, Manimi, Elyſij, Naharuali, alij ſunt pene aut in ipſo Oceano, aut eius littore, ut Gothones, Rugij, Lemouij, Suiones, Aeſtij & Sitones. Ex quibus uniuerſis liquet, quanta ueteris Sueuiæ amplitudo olim fuerat, ex quibus more Taciti & Plinij, quis alios Hermiones, alios Ingæuones, alios Iſtæuones more ſuprà dicto faceret, atq; de his Sueuis ſunt ueterum authorum ſententiæ, ut Cæſaris. Sueuorum gens eſt longe maxima, ut Strabonis, Sueui ſunt populoſiſsimi, ut Oroſij, qui maximam gentem fecit, atq; eorum quinquaginta gentes fuiſſe memoriæ prodidit. Breuiter totam Saxoniam, & ueterem & nouam Sueuia olim complectebatur. Noua uerò eſt, hodie ſic appellata, ubi antea Vindelici, & nonnulli Rheti habitarunt. Verùm ut ſedes eorum permutata ſit, uix dum certæ coniecturæ (quod equidem ſciam) reliquæ ſunt. Verùm à prioribus mare dictum eſſe Sueuicum, & uetuſtiora bella Sueuica nominari, uix quiſpiam tam bardus & ſtupidus eſt, ut in dubium uocaret. Ita ab ijſdem Saxoniæ principes, & dynaſtæ, ſicut ſpeculum Saxonicum conteſtatur, nobilitatem ſuam acceperunt, eosq; intelligit, qui Saxoniam & Albim tenebant, non qui aut Lycum, aut Danubium, aut Nicrum, etiãſi ijſdem Alemãniæ olim uocabulũ tributum fuerat. Sueui aũt ab alijs Germanis, & gentiũ tam numero, quã certis appellationib. & inſigni ornatu differũt. Siquidem

dem calamistro intorquent, & in uertice ferè nodo comã colligant, qui tanti sit, ut per hunc personarum discrimina statuantur. Sic enim serui ab ingenuis separantur, ut uel cani religentur in ipso uertice. Reliqui uerò Germani, dum Sueui cum ornatum imitantur, eum tantùm spacio iuuentutis retinent. Cultus tamen Principum propter & honorem & dignitatem multò excultior est. Ita formæ, & pulchritudini studuerunt, non ut essent fœminarum, quæ uenustæ esse student, more comptæ (Siquidem amorem nauci faciunt) sed eodem ornatu bella uel in hostium conspectu in altitudinem dignitatis, & excellentiæ uictoriosq, ut arbitror, & in terrorem hostium, adeunt.

VEtustissimos se nobilissimosq; Sueuorum Semnones memorant. Fides antiquitatis religione firmatur. Stato tempore in syluã auguriis patrum & prisca formidine sacram, omnes eiusdem sanguinis populi legationibus coeunt, cæsoq; publicè homine celebrant, barbari ritus horrenda primordia. Est & alia luco reuerentia. Nemo nisi uinculo ligatus ingreditur, ut minor, & potestatem numinis prę seferens, si forte prolapsus est, attolli & insurgere haud licitum, per humum euoluuntur, eoq; omnis superstitio respicit, tanquam inde initia gentis, ibi regnator omnium Deus, cætera subiecta atq; parentia. Adiicit auctoritatem fortuna Semnonum, centum plagis habitatur, magnoq; corpore efficitur, ut se Sueuorum caput credant.

XVII.

DE SVEVIS SEMNONIBVS.

NVnc distributione κατὰ μερισμὸν, Sueuorum nationes ordine enumerat, inter quos primi sunt Semnones, quorum situs sic à Ptol. statuitur, καὶ τὸ τῶν συήβων τῶν σεμνόνων, οἵτινες διήκουσιν μετὰ τὸν ἄλβιν ἀπὸ τῆς ἑρμωδύρου μέρους πρὸς ἀνατολὰς μέχρι τοῦ συήβου ποταμοῦ, id est. Post Angelos Sueuos ad septentrionem usq; ad medium Albis fluuij protensos, Sueui Semnones post, Albin à prędicta parte, ad ortum usq; ad Sueuum fluuium habitant. Siquidem sicut in orientali Albis ripa Sueui Semnones, ita in occidentali Angriuarij, & Langobardi. Eos autem Tacitus primùm ab antiquitate collaudat, idq; antiquitate religionis cõfirmat. Nam hac adducti statо tempore lucum ingressi, hominem publicè mactant, & quod sacrificij genus, non nisi ualde antiquum esset. Mirum est, ut Sathan hominũ mentes excæcauerat, ut non aliter atq; hominis mactatione placaretur, quod & multis nationibus non uticq; barbaris, sed & Græcis fuit usitatum: Sicut Agamemnon suã ipsius filiam Iphigeniã, ut Dianæ iram in ista nauigatione placaret, ad arã mactauit, ut est apud Euripidẽ in Iphigenia Comœdia, apud Lucretiũ Iphionassa dicta. Fuit & hęc cõsuetudo olim Syris, Arabibus, Aegyptijs, & uix ante sexaginta annos in Indię insulis tales idolatræ per Lusitanorum nauigationem inuenti sunt. Est quidem hęc ceremonia admodum horrenda. Fuit & Sueuis altera ceremonię forma quã lucũ ingredientes obseruabãt. Nam uincti ibant siquidẽ uinculũ humilitatis & obseruãtię, atq; religionis symbolũ quoddã erat, atq; si uinctus prolapsus erat, non erigebatur, nõ subleuabatur, sed per humũ uoluebatur. Id aũt eo consilio factũ est, ut hac superstitione esset quædã ibidẽ eiusdem gentis primam originem esse Deum optimax. significatio. Itaq; cætera uolebant

bant ita subiecta esse, ut parere discerent, & scirent. Quare istis rationibus & antiquissimi, & propter antiquitatem, & dominium ex ipsa origine prima nobilissimi iudicabantur. Laudantur, & à fortuna secundissima atq; potentia. Nam illis fuerunt centum pagi, id est, diaceses, Germanis à γέα Geu & à pago (Nam Græcis est, πηγὴ sed Δωρικῶς παγὰ) eim pach, nominatur. Est enim pagus ueluti ditiuncula, binûm aut ternûm millium uirorum, & alibi 20000 hominum pagus complectebatur. Ita apud Cæsarem, & horum Sueuorum totidem pagi sunt, sicut aliquot Morinis concessit. Itaq; totum corpus efficitur propter tot pagos, & tam numerosum populum, ut se & caput, & metropolim aliorum Sueuorum esse sibi persuaserant. Eo autem loco est Episcopatus Hauelspergensis, Prignitium, quod sex urbibus hodie constat, & quam regiunculam Hauellæ (uulgò dat Hauelland) nuncupant, ubi & Ratenanum, Brandenburgum, & quędam oppida uisuntur iuxtà cum comitatu Rappinensi.

COntrà Langobardis paucitas, nobilitasq; quod plurimis ac ualentissimis nationibus cincti, non per obsequium, sed prælijs, & periclitando tuti sunt.

XVIII.

DE SVEVIS LANGOBARDIS.

PTolemęus hic nonnihil uariat, Nam Langobardos Rheni accolas facit, de quibus idem sic, κατέχουσι, inquit, τῆς γερμανίας τὰ μὲν παρὰ τὸν ξηνον ποταμὸν ἀρχομένοις ἀπ' ἄρκτου διτε βασάκτεροι οἱ μικροὶ καὶ οἱ σύγγαμβροι, ὑφ' οὓς εἰσὶ σύηβοι λαγγοβάρδοι, ἑξατάγγεροι. quod est: Obtinent Germaniam quę circa Rhenum fluuium sunt, incipientibus à septentrione, Busactori parui (Sunt enim & magni non ita à Visurgi dissiti) & Sycambri. Sub quibus (Is enim à borea ad austrum rationem ordinis fere subducit) sunt Sueui Langobardi, deinde Tingeri. Eos uerò facilè quis cum Brabantis, qui Gelrensibus uicini sunt, conferret, eosdemq; esse & certis rationibus pronunciaret. Itaq; eos propter longius à Sueuis Semnonibus interuallum hoc loci non accipiemus, cum Ptolemæus eosdē Sueuos esse uoluerat, & uix ab ullo defendi potest. Nam Sueuorum tractus & eorundē pagi eousq; nunquam pertinuerant. Deinde apud eundem sunt λακκοβάρδοι quos absq; controuersia Tacitus intelligit, cum sint ualentissimis nationibus, ut Chaucis, Cheruscis & Cattis cincti, cum & ordo atq; gentium enumeratarum consecutio hic instituta idipsum urgeat. Postea ijdem Langobardi tuti sunt, nō quod subditi essent, sed quod in cunctis periculis uicinorum socij, & auxilia fuerant. Verba autem Ptolemaica hæc sunt, καυχῶν δὲ τῶν μειζόνων καὶ τῶν σύηβων, ἀγγιουάροι, εἶτα λακκοβάρδοι, ὑφ' οὓς δουλγύμνιοι. quod est, Cauchorum autem maiorum & Sueuorū sunt Angriuarij, deinde Laccobardi, sub quibus Dulguniuij. Quare Longobardi Ptolemaici Rheni sunt accolę, & Laccobardi ipsius Albis, ubi est hodie Episcopatus tam Magdeburgensis quā Halberstadiensis. Sunt & apud eundem λογγιβάρδοι, sicut Græca cōstanter habent exemplaria, his uerbis, τῶν δὲ ἐντὸς καὶ μεσογείων ἐθνῶν, μέγιστα μὲν ὄντα τὰ τε τῶν σύηβων τῶν ἀγγείλων, οἱ εἰσιν ἀνατολικώτεροι τῶν λογγιβάρδων ἀνατείνοντες πρὸς τὰς ἄρκτους μέχρι τῶν μέσων τε ἄλβιος ποταμοῦ, hoc est: Hardtmiones mediamq; terrā interiorem incolentes Sueui sunt Angli, qui magis orientales sunt quàm Longobardi, dum illi ad Septentriones usq; ad mediū Albis fluuij extendunt. Hic reuera Lōgibardi sunt, quos antè Lāgobardos Rheni accolas fecit, atq; sic cūcta ꝓbe respōdere cōperies, Itaq; uocabulum

bulum subinde permutatum esse agnoscimus, cum planè sit Germanicum, nimirum à promissa barba, quam fouebant, iuxta Germanorum dialecton ijdem dicti sunt. Hi autem Langobardi Saxones duce Alboino Italiam intrarunt, dū Pannoniam Hunnis Attilæ reliquijs, à quibus Pannoniæ nomen in Hungariā mutatum est, reliquerant, Vincentiam, Veronam, Mediolanum, breuiter Insubres per deditionem acceperunt. Idq; factum esse Paulus Aemilius lib. 1. à nato Christo 568 anno, asserit, sed Blondo 8. lib. decadis 1. annus est, à salute nostra restituta per natum Christum 579. Habuit autem Langobardorum rex Alboinus in copijs suis Sueuos (absq; dubio uicinos intelligit Semnonas bellicosissimos) & Saxonas circiter uicies mille, quibus admiscebantur, & uxores, & liberi, in primo congressu Venetiam exuperauit, mox & Insubres, qui postea à uictoribus, & possessoribus Langobardi appellati sunt, atq; etiānum idem nomen retinent, uulgo & corrupte dicti Lombardi, de quorum rebus gestis multa lectione digna Paulus Diaconus adnotauit, Alboinus autem dum Veronæ libentius habitabat, & uoluptuabatur, Rosimundam uxorem suam, ut ex craneo patris sui interfecti Chunnundi aureis fulcris ornato biberet, coegit: hæc irata postea fidem matrimonij soluit, adulterū Peredeū adamauit, adeò ut eiusdem opera Alboinum maritū, & regē uel dormientē interemerit, circiter annum Christi 574. & ad Longinum ducem Romanorum, qui Rauennę degerat, cum adultero Peredeo, qui alijs est Helmelchildis confugierunt, cuius suasu (Nam regnū Langobardorum ambibat) Rosimunda Helmelchidi ueneno post balneū mortem parabat. Hic uerò insidias intelligens, accepto potu & reginam, ut reliquias ebiberet cōpulit, ita ambo uno die ultimū traxere spiritum. Longinus Alboini thesaurum cū filia Alsuinda ad Tiberiū imperatorē Romanorū 57. Cōstantinopolim misit, qui sicut felicissimus in prælio Persico, ita in Langobardico infelicissimus fuit. In locum autem patris Alboini Clophis successit, anno post natum Christū 579. & primo imperij Tiberij Constantini, is multas urbes Italiæ cepit: Galliam penè Cisalpinam, ut Latini tradunt scriptores, occupauit, sed in Romę obsidione à suis interfectus est iuxta Aemilium & Blondum, ubi triginta interreges in tēpus aliquod creati sunt, quos uarijs rationibus Clotarius Gallorum rex sollicitauit, sed nonnihil spe sua frustratus est, & surrogatus est, in patris Cleophis mortui locum Antharius filius, qui nominatur, & Flauius, post natum Christum 591. Ne multa ab Alboino usq; ad desiderium ultimum regem circa Caroli Magni tēpora, ter centū annos has regiones retinuerunt, in quib. & 23. reges successerant.

REudigni deinde & Auiones, & Angli, & Varini, & Eudoses, & Suardones, & Nuithones, fluminibus aut syluis muniuntur, nec quicquam notabile in singulis, nisi quod in commune Hertum, id est, terram matrem colunt, eamq; interuenire rebus hominum, inuehi populis arbitrantur. Est in insula Oceani Castū nemus, dicatum in eo uehiculum ueste contectū, attingere uni sacerdoti cōcessum. Is adesse penetrali deam intelligit, uectamq; bubus fœminis multa cū ueneratione prosequitur. Læti tunc dies, festa loca, quæcunq; aduētu hospitioq; dignatur. Non bella ineunt, non arma sumunt, clausum omne ferrum, pax & quies tunc tantū nota, tunc tantū amata, donec idē sacerdos satiatam conuersatione mortalium deam templo reddat, mox uehiculum & uestes, & si credere uelis, numen ipsum secreto lacu abluitur.

Serui

Serui ministrant, quos statim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror, sanctaq; ignorantia, quid sit illud quod tantum perituri uident. Et hęc quidem pars Sueuorum in secretiora Germaniæ porrigitur.

XIX.

DE REVDIGNIS, AVIONIBVS,

Anglis, Varinis, Eudosibus, Suardonibus & Nuithonibus.

HIc opus & labor est, ut ueteribus Germanis certus designaretur locus, tum quod nulla sit uocum allusio, tum quòd nulla pictura tabularum geographicarum situm aliquem commonstret, tum quòd apud nullum authorem possit Tacitum eorundem fiat mentio, qua per coniecturas quasdam recentiorum nationum cum ueteribus collatio fieret, ut tandem aliquando illarum appellationum unus aliquis usus esset. Quare factum est, ut tãta bonorum authorum hoc loci sit dissensio. Auiones in Euonios insulares abierunt, etiam ordine non obseruato, cum Sueuorum aquilonarium ortum uersus sit ènumeratio. Itaq; nunquam Reudigni in Boiaria essent Vendigni, nunquam Nuithones in Auenticẽsem tractum reponerentur, nunquam Suardones in Misenam statuerẽtur. Neq; desunt, qui coniecturis quibusdam, forsan ex ordine, quem Tacitus instituit, adducti, proximos Sueuis Semnonibus, & Langobardis ad septentrionem Megalopyrgenses illarum nationum appellatione comprehendi uoluerant. Quare ijsdem sunt Reudignorum tractus Megalopyrgensium ducatus est, ubi olim Pharodyni Obotritæ, Heruli & Heneti, qui sunt & Vandali (sicut etiamnum eorundem duces Herulorum & Vandalorum domini salutantur) habitarunt, supra quos Teutones, id est, comites Rappinenses degunt, ijsdem & Suardones propter exiguam allusionis formam sunt Suerinenses. Verè huc Strabonis sententia afferretur, qua emigrationes assiduas septentrionalium Germanorum fuisse testatur, propter belli studium, propter uictus tenuitatem, cum neq; agriculturam exerceant, neq; negociantur, sed bona uictus pars est, ex pecoribus, κοινῶς inquit, δ' ἐσὶν ἅπασι τοῖς τοιούτοις (Septentrionalem partem intelligit) τὸ πεφυκὸς μὲν ἀγαθὸν εἰς εὐμαρὲς, διὰ τὴν λιτότητα τοῦ βίου, καὶ διὰ τὸ μὴ γεωργεῖν, μηδὲ θησαυρίζειν, τροφὴν δὲ ἀπὸ τῶν βρεμμάτων μόνων. Verũ cum in plerisq; alijs uocibus Germanicis, Latini & Græci suas flexiones ἐγκλίσεις dictas seruarunt, quæ & in causa subinde sint, cur non ubiq; eædem appellationes retineantur, sicut in Carinthnis, & alijs Rheni accolis, apud utriusq; literaturæ authores nõ parua diuersitas dignoscitur, ita hoc loci & si quis ex Rudignis Ptolemaicis ῥοδινλείους, ubi hodie Cassubi Dantiscanis uicini, ex Auionibus, ἀλαιώνας, ubi sunt Poloni, & Borussi nonnulli maximè, qua parte Conicium strage Polonorum, & Borussorũ oppidũ celebre situm est, sic ex Varinis aut ὀυιρόνους, ubi nunc sunt Marchiæ nouæ incolæ, quibus Sidenorum regio septentrionem uersus (uulgò *Dat Stetinerland*) uicina est, aut occasum uersus Pharodynos, id est, Megalopyrgenses, aut ortum uersus Varinos, quos & interdum Varinios nuncupant, non ita longe ab ostio Vistulæ dissitos, ubi Dominica est Ecclesia Vuarmia dicta (uulgò *die Frauen stadt*) à qua totus Episcopatus Heylspergensis (sub cuius diocæsi, & mea patria est Reselium) nomen habet, qui est fere Vuarmiensis, cum esset, aut Vuarinensis, aut Vuarmiensis, Verùm has coniecturas neque ipse, cum non sint adeò σοφίσματα, tanti facio, ut doctorum uirorum iudicio, & iusto consensui anteponerem. Sueuos autem Anglos Ptolemæus inter Amasin, & Visurgin fluuios constituit, quorum latus occidentale Sicambri, meridionale Casuarij, boreale Chemę, &

& orientale Dulgumnij, & Camani claudunt, sed apud Tacitum quis nõ boreales atq; adeò Ingæuones, ex ordinis consecutione, in enumeratione Sueuorum uidetur? Constituendi autem Angli, Sueui & mediterranei, quos Ptolemæus habet, & maritimi inter Vitas, id est, Iutas, uel hodie Iutlandos & Saxonas ueteres habitarunt, sicut apud Bedam Anglosaxonem legitur, & hi sunt à Britannis euocati, ut Scotos atq; Pictos eijcerent, sed Angli duce Vortergerno totam Britanniam, olim Albionem dictam sibi uendicarunt, cuius primus rex fuit Eggebertus à nato Christo 97. Caledoniam quoq; à Germanis ortã esse, & ipse Tacitus profitetur, postea in Scotiæ nomen abijt. Cęterùm ut primum illi Angliæ nomẽ iudicũ erat, ut antea in septem regna diuisa erat, ut à Dacis accepta, & tributaria facta erat, ut à Francis, & à Scotis uastata erat; ut Pontifex eos in suam fidẽ receperat, ut à Scotia per uallũ diuisa erat, ut libertas ijsdem concessa erat, ut Christo tota insula lucrifacta erat, ut lingua Anglica sit Saxonica, sed corrupta, sicut & bona ex parte Scotica est, aliaq; id genus quàm plurima in historia Anglorũ fusius explicãtur. Quid multis? Ita facilè ea coniectura adducti Endosas, Suedonas & Nuithonas intra Sueui iuxta ueterum sententiam, & Vistulæ in Gedani uicinia ostia in parte septentrionali, ad Oceanum collocarent, cum his insulã Oceani Tacitus proximam ordinat, cum idem hanc partem Sueuorum in secretiora Germaniæ, hoc est, ad Ingæuones porrigi pronũciet. Sed quis nam quęso ijsdem certa designaret loca in tanta locorum, & commigrationum confusione? Vides ne intra Viadrum, & Vistulam iam non Germanos, sed Vandalos, Polonos ferè nominatos cohabitare, & quantum ueteri Germanię occasum uersus accessit, tantum ab ortu per Vandalorum incursiones, & irruptiones decessit. Collaudat tamen has nationes, tum à munitione, præsertim naturali, quę hic per flumina, & saltus significatur, tum à religione. Siquidem his Sueuis aquilonaribus communis est dea Terra ipsa, quam Erde Germani appellant, & postea Latinorum inclinatione Hertum factum est. Terram tanquam custodem negociorum humanorum aspectricem fecerunt, sicut de suis dijs, & senserunt & iudicarunt. Quare dum aut iusticię, aut uirtutis alicuius ad studium Poetę exhortantur deos cunctarum hominis actionum inspectores atq; obseruatores constituũt. Eodem modo Hesiodus magistratum commonefacit, quo Solomon in Prouerbijs, ut omnes homines sint tam in administratione, quàm in negociatione iusti; Nam Statera bilanx iudicium DOMINI sunt, omnia põdera eius sunt: Ita & Hesiodus deos in cœtu hominum oberrare, & uersari, & opera hominum animaduertere, ne qua porrò licẽtia peccandi impune cõcederetur. Sunt aũt eius uersus:

ὦ βασιλῆες ὑμεῖς δὲ καταφράζεσθε καὶ αὐτοί
τὴν δίκην· ἐγγὺς γὰρ ἐν ἀνθρώποισι ἔοντες
ἀθάνατοι λεύσσουσιν, ὅσοι σκολιῇσι δίκῃσι,
ἀλλήλους τρίβουσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες.
τρὶς γὰρ μύριοι εἰσὶν ἐπὶ χθονὶ πολυβοτείρῃ
ἀθάνατοι Ζηνὸς, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων,
οἱ ῥα φυλάσσουσίν τε δίκας, καὶ ἔργα κατίσα
ἠέρα εἰσάμενοι, πάντῃ φοιτῶντες ἐπ' αἶαν. quod est,

O uos qui regitis terras, aduertite mentem,
Huc ad iustitiam, quoniam superi propè nos sunt
Dij qui cuncta uident, & eos qui per mala iura
Defraudant alios, spreta ratione deorum
Ter numerum exuperant cœlestia numina, terram
Quæ nobiscum habitent, in tutelam data nostrũm
Illáq; quid iuste obseruant, quid fiat inique
Aere tecta, omnem pedibus peragrantia terram.

Ita Sueui Hertum quippe terram deam omnium actionum humanarum præsentem inspectricem esse arbitrantur, ut hoc modo ad honestæ, & piæ uitæ studium incitarentur, eiusq; cultum subdit & cæremonias. Nam ut alij dij curru uehuntur, ita terræ suum est uehiculum arquatum & ueste contectum, quod nemini attingere alij licuit, atq; sacerdoti. Mirum est cur eius simulachrum neglexerat: Siquidem supra Isidis erat in modum Liburnæ, & Iuppiter Labradæus cum securi pingebatur; Apollo uerticosus in pyramidem exurgit, Paphiæ Veneris imago initium seu basin informem & latiorem habuit, metę in modum fastigiatum. Hercules quoq; apud Celtas cognomēto ὄγμιος, imagine decrepiti senis, capite incompto, pelle rugosa, dextra clauam tenens, sinistra protentum arcum, multos mortales catenis uinctos ducens: Ita terræ simulacrum cum claui fingebatur, sed hoc loci nullum est. Et sicut currum Veneris columbæ, Bacchi tigrides, ita terræ boues fœminæ satis pro decoro trahunt. Colebatur autem in luco, quem Castum, forsan ob deę reuerentiam, nominarunt, in Oceani absque dubio Baltico insula, cuius nomen & Tacito incertum est. Feriæ quoq; eidem dicatæ sunt, quarum obseruantia nihil rerum agebatur, cuncta erant tranquilla non aliter ac Romæ, cum Iani templum clausum erat. Postea consuetudine hominum sacerdos interiore quodam lacu, & deam & uehiculum cum uestitu abluebat, sed lacus ministros de more statim in ipso lauacro hausit, quod prorsus Sathanicum est, in tantis tenebris mentis, quę puritate & doctrinæ & religionis non perfoliebatur. Lacus igitur haurientis causas ignorant, utiq; uenerantur, ἐιδωλομανεῖς. Tantus est Sathanæ furor in humanum genus, & tanta hominum naturæ tum deprauatio, tum cæcitas.

PRopior (ut quo modo paulo antè Rhenum, sic nunc Danubium sequar) Hermundurorum ciuitas, fida Romanis, eoq; solis Germanorum non in ripa comertium, sed penitus atq; in splendidissima Rhetiæ prouinciæ colonia passim sine custode transeunt, & cum cæteris gentibus arma modo castraq; nostra ostendamus, his domos uillasq; patefecimus non concupiscentibus. In Hermunduris Albis oritur flumen inclytum, & notum olim, nunc tantum auditur.

XX.

DE HERMVNDVRIS.

HActenus limitis & occidentalis quippe Rheni, & septentrionalis Oceani accolas recensuit. Nunc & australes à Danubio ceu meta meridionali initium faciens enumerare pergit, quorum primi sunt Hermunduri, qui prope Albim cohabitant Danubium uersus. Itaq; iuxta Tacitum in Hermundurorū tractu Albis oritur, & iuxta Paterculū Sueuorū Semnonū, quos Marchicos Brādēburgenses fecimus intra Albin, & Sueuum incolentes, & Hermundurorum fines Albis præterlabitur. Sunt igitur Hermunduri partim Boiohemi, in quorum tractu non ita longe à Bardeuico eius fons est, partim Miseni, ad Sueuorū Semnonum usq; fines pertinentes, à Misena eius ciuitatis capite, & sede Marchionū dicti. Quapropter adhuc apud ueterum Saxonum scriptores istiusmodi nō Miseni, sed Sueui principes nominantur, tam quod Sueui sunt iuxta Taciti authoritatem, quàm quòd Hermunduris Sueuis imperarint, atq; hi sunt, qui cum Cattis propter Salam fluuium gignendo sali aptum, & ubi sunt etiamnum Hermun-

durorum

durorum ἄλσε splendissimæ uisuntur, magno prælio decertarunt. Catti autem sunt partim Vestfali, partim Helsi & quodammodo Tyringi, quos utilitatis magnitudine inuitatos esse & progressos, ut salinas occuparẽt, credibile est. Siquidem & Strabonis sententia Hermunduri ad Albin incoluisse constat. Coniectura autem est forsan Mysos ueteres in bello Gotthico apud Pannonas eò peruenisse, & iuxtà cum illis Tyrigetę, à quibus (si quid istiusmodi coniecturæ tribuitur) Turingorum Mysis uicinorum appellatio nata est, ubi est Semana sylua, hodie Turingiaca. Laudantur autem à iustitia & societate Romani nominis. Itaque non armis, non bellis agitabantur ut alij Germani, sed ijsdem per Rhetiam sub id tempus Romanorum prouinciam negociari liberum fuit. His enim non petentibus ianuæ patefiebant. Tanta erat societatis cùm Romanis fides.

IVxta Hermunduros Narisci, ac deinde Marcomani & Quadi agunt. Præcipua Marcomanorum gloria uiresq́, atque ipsa etiam sedes pulsis olim Boijs uirtute parta. Nec Narisci Quadi ue degenerant. Eaque Germaniæ uelut frons est, quatenus Danubio pergitur. Marcomanis Quadisue usque ad nostram memoriam reges mansere unt ex gente ipsorum, nobile Marobodui & Tudri genus, iam & externos patiuntur. Sed uis & potentia regibus & autoritate Romana; raro armis nostris, sæpius pecunia iuuantur.

XXI.

DE NARISCIS, MARCOmannis & Quadis.

HIc iterum Ptolemæus nomen Nariscorum permutauit. Habet enim Variscos & facillimũ lapsum inter N & V literas apud Latinos (quorũ sonum et ἔκλισιν illum secutũ esse credo) nemo est qui non uidet. Verba autem illius hęc ὑπὲρ τὰ σόυδητα ὄρα τευριοχαιμοι (forsan hic legendum est τυριοχαιμαι ut Tyringorum appellationi curioso indagatori conueniret) ὑπὸ δὲ τὰ ὄρα βαρισοι, quod est, supra Sudetos montes, id est, Boiohemicos (uidelicet ad Boream) sunt Teuriochæmi, sed sub montibus (austrum uersus Suditorum ratione) Varisti, Quapropter Teuriochæni Salæ fluuio uicini esse uidentur, & Narisci, Voidtlandi usque ad Pabebergam, Noribergam, Ambergam, Calmutium citra Ratisponam & Passauium. Est autem Voidtlandia à præfectura dicta. Nam tam Græcis quàm Germanis Voidt est, nimirum præfectus, & landt regio, ita ut sit præsidis uel præfecti regio. Marcomanorum autem uox omnino est Germanica, de quorum situ sic Ptolemæus ὑπὸ τὴν γαβρίταν ὕλην μαρκομανοι, quod est, sub Gabreta sylua Marcomani. Gabreta autem sylua Boiohemicorum montanorum, ad austrum partem complectitur, circa quam habitarunt olim Marcomanni, id est, Moraui, qui per Olmuntium, Brunnam usque ad Posonium, id est, hodie Presburgum in ripa Danubij situm oppidum apud Pannonas superiores pertinent, quorum magna gloria fuit, & multa prælia ab ijsdem cõtra Romanos facta sint Antoninorum præsertim tempore, quib. rex Maroboduus fuit. Id tamen certum est in tota, quæ nunc sic dicitur, plures fuisse incolas, sed per partes montium ad mundi cardines fere distinctos. Itaq́ cum Marcomanni tales ad eosdem habitẽt, nimirum ad eorum partem Gabretam syluam apud Paterculum altero lib. Boiohemum sedem Marcomannorum fuisse recte intelligetur, atq́ in eadem sentẽ-

tia fuit Strabo, cuius uerba hæc sunt, ἐν οἷς δὴ καὶ ὁ Βοίημον ὁ Μαροβόδου βασιλεύσας ἐς ὃν ἐκεῖνος τόπον ἄλλους μετανάστας πλείους καὶ δὴ καὶ τοὺς ὁμοεθνεῖς ἑαυτῷ Μαρκομάνους, quod est: In illorum tractu est Boiemum Marobudi regia, qui in eum locum cõplures alias gentes transtulit, atque adeò Marcomannos sibi conterraneos. Hi quoq; Mediolanũ anno à nato Christo 272 uastarũt, & ad Placentiam uicti erãt, ut author est Vopiscus. Verùm de his quiplura scire expetit, Strabonem in 7. Tacitum in 2. annaliũ, & Velleium Paterculum 2. lib. consulet. Atq; hinc quoq; apparet Boiorum ueterum amplitudo, & sicut Hermunduri in eorundum montium parte boreali, ita Marcomanni australi habitarunt. Cæterum Quadi sunt Ptolemæo sub Hercynia sylua, ὑπὸ δὲ ὀρκύνιον, inquit, Ἀρυμόν, καὶ Δίους. Hi enim intra eundem saltum, qui est Boiohemicorum montium ortum uersus pars, & Sarmaticos mõtes habitabant. Quare sunt partim Morauí inferiores, ubi est legerfdorffium, Glocium, & alia uicina loca, partim Silesij, circa Sueynicium pene ad Carrodunum uergunt, quo tractu hodie Polonia minor collocatur, & ducatus Teschensis. Quare Iulius Capitolinus Hermunduris & Marcomannis Sarmatas coniungit, de quibus haud pœnitenda apud Ammianum Marcellinum leges: & hi in uarijs locis tum propter frequentes migrationes, tum propter assidua bella uixisse leguntur. Quare modo in Pannonia prima, ubi Narrabo (uulgo *die Rab*) prope Gaurium, unde est Episcopus Gaurienſis, *der Bischoff von Rab*, in Danubium sese exonerat, cuius rei testimonium ex Ammiano afferret, sedes fixerunt, modo in Heluetia habitasse leguntur, sicut ex Eutropij libro sexto conjectura fit. Verùm Ptolemæus addit ὑφ' οὓς τὰ σιδηροῦχεῖα, id est, sub quibus sunt ferri fodinæ, imo hodie ibidem sunt auraria, argentaria, æraria, & plumbaria metalla quẽadmodum intra Crocontiadas & Opalienſes, & in Silesia prope Zuchemantelum & alios locos uicinos in parte Boiohemicorum montium australi ad Subsolanum & Vulturnum usque ad Sarmaticorum montium radicem, ubi hodie metalliferæ urbes sunt Cremnitium, Semnitium, Sola, & uetus & noua, et antea metalla ducatus Opaheſis, & uicinorum locorum quodãmodo sed paucis pro loco adnotaui. Hæ autem nationes à parte meridionali cis Danubium frontem, hoc est, aut σωγλοχικῶς caput, aut translatè initium Germaniæ Cisdanubianæ constituunt, quarum tanta uirtus est, & rei militaris peritia, ut à Romanis nunquam auxilia petierint, sed pecunia tantum illis ab his numerata sit.

NEc minus ualent retro Marsigni, Gothini, Osi, Burij, terga Marcomanorum Quadorumq; claudunt, è quibus Marsigni, & Burij sermone cultuq; Sueuos referunt. Gothinos Gallica, Osos Pannonica lingua coarguit nõ esse Germanos, & quod tributa patiuntur, partem tributorũ Sarmatæ, partem Quadi ut alienigenis imponunt. Gothini, quo magis pudeat, & ferrum effodiunt, omnesq; hi populi pauca campestrium, cæterum saltus & uertices montium iugumq; infederunt. Dirimit enim scinditq; Sueuiam continuum montium iugum, ultra quod plurimæ gentes agunt, ex quibus latissime patet Lygiorum nomen in plures ciuitates diffusum. Valentissimas nominasse sufficiet, Arios, Helueconas, Manimos, Elysios, Naharualos. Apud Naharualos antiquæ religionis lucus ostenditur. Præsidet sacerdos muliebri ornatu, sed deos interpretatione Romani Castorem Pollucemq; memorant. Eius numinis nomen Alcis, nulla simulachra, nullum peregrinæ

superstitio-

superstitionis uestigiũ, ut fratres tamen, ut iuuenes uenerantur. Cæterũ Arij super uires, quibus enumeratos paulò ante populos antecedũt, truces, insita feritate, arte ac tempore lenocinantur. nigra scuta, tincta corpora, atras ad prælia noctes legunt, ipsaq; formidine atq; umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hostium sustinente nouum ac uelut infernum aspectum, nam primi in omnibus prælijs oculi uincuntur.

XXII.

DE MARSIGNIS, GOTHINIS, OSIS,

Burijs, Lygijs, Arijs, Helueconibus, Manimis, Elysijs, Naharualis.

NVnc uerò nationes Germaniæ, easq; adhuc Sueuicas recensere ad ortum, nimirum ad Pannoniam, Sarmatiamq; usque pertinentes pergit. Itaq; in principio Corneliani Marsigni non sunt Ptolemaici Maruingi, Nam illi quidẽ Marcomannorum & Quadorum terga claudãt (cum hi in occasum prospectãt, & more Poetico pars borealis ijsdem dextra, & australis sit sinistra) atq; ita Marsigni, Gothini, Osi & Buri in ortũ intra Carpathum & Sarmaticos montes, nempe ab ea Danubij parte usq; ad Vistulam protendũtur. Hi uerò Ptolemaici sunt intra Sudetos & Abnobios montes, sub Dandutis, qui Casuarijs proximi sunt uicini. Quare sic scriptum reliquit, ὑφ' ἓς τέρφνοι, καὶ μαρσινγοι, quod est, sub Dãdatis sunt Tutoni & Maruingi. & paulo pòst ὑπορτὰ τὰ σόδητα ὄρη, τευριοχαῖμοι ὑπὸ δὲ τὰ ὄρη ἀπαρισοι, ἔπαγάβρητα ὕλη, καὶ ὑπὸ μὲν τοὺς μαρσίγγους κουρίωνες, quod est: Super Sudetos montes sunt Teuriochæmi, sed sub montibus Varisti, deinde Gabreta sylua, & sub Marsungis Curiones sunt. Quare cùm illis propter situs magnam diuersitatem conferri nequeunt, atq; ita Marsigni & Gothini sint nonnulli Silesij & hodie Vngari proximi, Zepusijs uicini erint, atq; sicut Osi nonnihil ex Danubium occasum uersus tẽdunt, inter quos & Arauiscos sæpe de limite meridionali Germaniæ controuersia fuit, de qua in principio nonnulla adnotaui, ita Buri ab ipsis Silesijs Vistulam uersus pertinent. Verùm ex sermone & cultu discrimen facit, quarum utraq; notatio inter nationes esse consueuit, atq; ex utraque Marsignos & Burios Sueuos esse pronunciat, cum illis erat sermo, & cultus Sueuicus. Verùm cum Gothinis Gallica lingua & Osis Pannonica fuerit familiarior Germani esse nequeunt. Accedit & tertia notatio, nimirum quod sint tributarij. Siquidem tributorum partem Sarmatæ, partem Quadi exigunt, ita Gothini sunt terræ ferrariæ fossores forsan Quadorum operæ aut conductitiæ, aut quasi in seruitutem redactæ. Hi autem omnes accolæ sunt Carpathi, qui à Sueuis Sueuus dictus est, & Sarmaticorum montium. Ita quosdam intra Vngariæ terminos Danubium uersus habitasse apparet, cum illud iugum Sueuicum easdem partes disterminat, in cuius latere septentrionali Lygij cohabitãt, qui sunt ipsi Silesij, quorum nomen olim fuit, amplissimum. Siquidem ab hoc iugo & à Quadis usq; ad Vistulam eiusq; pene ostium pertinebãt, ubi hodie degunt Odoracei Poloni, & qui mediam, ubi oppidum, sed per conuentum hæroum Polonicorum admodum celebre Peterconium est, & qui magnam, ubi degunt Heneti Bosini, à quibus nominatur Posanania cum episcopatu Guisnensi & Curiensi. Itaq; multarũ ciuitatum inter Lygios appellationes extructæ sunt propter Henetorum, quos & Vuindos & Vãdalos nuncupamus, incursionẽ &

occupationẽm. Nam eo loco ueteres Germanos eosq; Lygios habitasse nõ est obscurum, & cum horum nominum neq; allusiones habeantur, neq; certi situs in tabulis Ptolemæi inueniantur, haud facile quis recentes nationes Polonicas, cũ uetustis Lygiorum Sueuorũ appellationib. appositè conferret. Subiungit Naharualorum superstitionem, qua sacerdos muliebri stola ornatus iuxta Romanorum interpretationem, geminos nimirum Castorem & Pollucem in lucu coluit. Ipsi uerò illud numen, non geminos, nõ διοσκόρους Græcorum more appellarunt, sed Alcin, aut à robore, ἀλκὴν, aut ab ætate, ἀλδὴ. Hunc enim iuuenes ut fratres in summa concordia coluerunt. Contrà Arij hostibus terriculamenta esse cupiebant, propter nigrorem. Itaq; & eorum corpora & arma atrata conspiciebantur. Sic enim lenocinabantur, id est, uel exquisitiorem elegantiam, uel delinimentum addebant, atque hæc est causa, cur nocturna prælia fieri maluerant. Quid multis? nigerrimi uolebant uideri, ut hostes perterrefacerẽt, ceu alteri Diaboli. Nigrore enim oculi maxime perturbantur, & corda exhorrescunt.

TRans Lygios Gothones regnantur, paulo iam addictius quàm cæteræ Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. Protinus deinde ab Oceano Rugij, & Lemouij, omniumq; harum gẽtium insigne, rotunda scuta, breues gladij, & erga reges obsequium.

XXII.

DE GOTHONIBVS, RVgijs & Lemouijs.

PTolemæus sub Venedicis montibus in ulteriorem Vistulæ ripam quippe Orientalem, Gythonas constituit, à quibus & sinus forsan nomen accepit Codanus, etsi olim fusius patebat, tamen hodie nonnihil est arctior, unde ibidẽ urbs celeberrima Godanum uocatur & deprauate, priori syllaba detracta, Danum & Dãtiscum nominatur. Vrbs autem est amplissima, non ita uetusta, ut uulgus arbitratur. Neq; Plinius refragatur, & cum Germanorum genera connumeret, & cum ibidem succinum tribui memoriæ prodat. Verùm an ijdem sint, qui Getæ & Gothi nominantur apud scriptores, hoc loco non exquiram. Id tamen affirmare licet, insulam intra Borussiam & Suionum terram sitam, Gutlandiam uocatam, ab ijsdem ortam esse, decem milliaria longam, & circiter septem latam magnificis ædibus in nonnullis urbibus ornatam, sed propter emporium aut neglectum, aut aliò translatum, uastam & desolatam. Sinum uero Germani eyn haff appellant, & in Balthico mari tres præcipuos numerat. Pomeranicus iuxta Viadri ostium, Dantiscanus, qui est Godanus, Venedicus, quem hodie Curiensem à Curiorum regione (uulgo *Curlandt*) nuncupant. Porrò Rugij atque Pomerani sunt non ita longe à Viadri ostio, atq; hodie ueterũ appellatio mansit (*Rugenlandt*) quorum quanta uirtus fuerit in militia & animi magnitudine ex historicis facile liquet. Intra hos deniq; atq; Sitonas Lemouios habitasse arbitror, ubi nunc Colbergum, Stolpium, Laupurgum uisuntur, itidem Pomerani, qui sic à Vandalis (Nam & hi eandem partem per incursionem diu detinuerunt) nominati sunt, quod essent Heneti aut Vandali, prope mare Poloni, aut hodie aliquanto durius Pomerzanos uocant, idem utique etymum secuti. Est autem Pomeranorum insignis laus ab obedientia erga Magistratũ, & ab armorum formis. Erant enim scuta rotunda & gladij breues, Romanis quoque magis addicti erant, sed ita ne quid libertati Germanicæ decederet, cuius etiamnum, si qua alia natio conseruandæ, studiosissimi sunt.

Suionum

SVionum hinc ciuitates, ipso in Oceano, præter uiros armaq; classibus ualent, forma nauium eo differt, quod utrinq; prora paratam semper appulsui frontem agit, nec uelis ministrantur, nec remos in ordinem lateribus adiungunt. Solutum ut in quibusdam fluminum & mutabile, ut res poscit, hinc uel illinc remigium. Est apud illos & opibus honos, eoq; unus imperitat, nullis iam exceptionibus, non precario iure parendi, nec arma apud cæteros Germanos in promiscuo, sed clausa sub custode & quidem seruo, quia subitos hostium incursus prohibet Oceanus, ociosa porro armatorum manus facile lasciuiunt, enimuero neque nobilem, neque ingenuum, ne libertinum quidem armis præponere regia utilitas est.

XXIII.

DE SVIONIBVS.

HOs esse Suedos, qui & Suedones sunt, uel & ipsa ordinis consecutio urget & situs, siquidem in Balthico sinu cohabitant. Horum autem descriptio, nunc à nauium forma: siquidem in his non sunt neq; uela, neq; scalmus, neq; puppis, cum sit utrobiq; propter appulsionem prora. Itaq; solutis uidelicet citra remigum operam illic nauigabatur, nunc à moribus. Nam & hi opulentos tum adamant, tum magnifaciunt, atq; hodie metalla ferri & argenti feracissima ibidem habentur, nunc à magistratu. Vnum enim qui imperat subditis, agnoscunt, cuiusmodi est nostra memoria Gustauus liberalissimus Mecœnas, nunc ab armamentario, quod etsi probe instructum sit, tamen eius custodia seruo demandatur cùm propter Oceanum impetum & incursionem non admodũ timeant, nũc ab ocio. Rariora enim ijsdem sunt bella & prælia, nunc à personarum discrimine, cuius neglectus regi magnopere conferre hic scriptum relinquitur. Est autẽ regnum ualde montanum Heluetiorum tractui non ita dissimile, in quo sunt militaris artis inter scopulos peritissimi, qui ab ijsdem *Dalekarli*, id est uegetiores, & integriores uiri (est enim nomen iuxta Saxonicum dialecton compositum) nominatur. Qui uerò Suetiæ & picturam, & pleniorem descriptionem nostris temporibus respondentem cupit monumenta Iacobi Zigleri Bauari perlegat.

TRans Suionas aliud mare pigrum, ac propè immotum, quo cingi cludiq; terrarum orbem hinc fides, quòd extremus cadentis iam solis fulgor in ortus eluxerat, adeò clarus, ut sydera hebetet. Sonum insuper emergentis audiri, formasq; deorum, & radios capitis aspici persuasio adijcit. Illic usque & fama uera, tantum natura.

XXIIII.

DE MARI MORTVO.

POrrò si quis ordinem & situ obseruat, non intelliget, autà Cimbris Cimbricum, aut à Balthia immensæ magnitudinis, quam Pythias Basiliam nomi-

nat,atq; hæc reuera Schondauia, Balticum,aut à sinu Borussiaco Codaneū, sed id quod est ultra Suionas boream uersus. Hinc enim uerè competit, quod sit pigrum & immotum, quia hac parte limes totius cardinis septentrionalis constitutus erat,qui tamen ante Augusti tempora non ita notus erat. Nam eius auspicijs maior illius terræ portio,per nauigationem perspecta fuit & perlustrata. Siquidem cum ad Cimbros usq; nauigatum erat,non nisi immensum mare septentrionem uersus uisum erat, cuius argumento olim & eam terræ partem circumnauigabilem contendebatur,sed colligebatur,idipsum non ita esse nauigationi aptum propter nimium frigus. Nam hæc ora septentrionalis longius ab orbita solis recessit. Quare & ibidem sphæricorum magistri zonam arcticam, eamq; frigidam collocarunt. Itaque Hæcatæus Amalchium illud appellauit, quod lingua Scythica congelatum significat,ita Philemon Mori morusam,id est,mortuum mare à Gymbris nominari asserit. Ne multa, Geographi passim & Poetæ & scriptores illud & Cronium à Saturno, qui κρόνιος est dictum, tradunt & describunt. Cæterum an marina aqua congelari possit, Disarius Macrobianus fusissime disputat, neq; ut longius hoc loci, cum esset pene παρεργον & non ἔργον repetere operæ precium esse iudico. Desideratur & hic autorum quorundam diligentia,cum eandem partem nondum satis perlustrarint,sicut paucis ab hinc annis Colomannus Austriacus insignis Mathematicus eandem aliquanto diligentius inuestigauit,suamq; obseruationem si cubi adhuc superstes sit in publicum proferet. Verùm apud Ptolemæum ultra sexagesimum tertium latitudinis gradum, ubi Thyle locatur ultima,non pergitur,cum hodie sit ultra septuagesimum gradum eiusdem interualli exporrecta,ubi & in frigida zona Ingroualandi & Plappenlandi,quorum de situ,moribus & uictu recentiores geographi non pauca memoriæ prodiderunt. Sunt & hic Gotthi (qui essent ueterum Getarum reliquiæ & à quibus est Gotthicum bellum) tam orientales, qui rectius Ostgotthi,quàm propter linguæ Germanicæ inscitiam Ostrogothi,quàm occidentales, qui male Visigotthi,sed rectius Vuestgotthi nominantur,& horū rex fuit Ericus, quem Gottthici belli scriptores Genserícum nuncupant,cum ignorent Kônigk nobis esse regem & Ericum proprium nomen Eren reich,ueluti gloriæ diuitem. Hoc autem uere est cosmographicum quod sol æstiuus apud eosdem non ita occidit, ut hydera essent conspicua. Quare splendor solis uel in ortum ipsum perdurat. Id autem,ut rectius intelligatur, paralleli cum climatibus & umbris per certa loca ex sphęricis statuendi sunt. Sit igitur hic clima sextum decimū & parallelus tricesimus tertius, mox uerticem borealē esse ad 66 cum 6 parte gradus sublatum,ibiq; primos periscios esse. Solem non occidere(cum sit horarum 24)dignosces. Ita paralelus 34 totum mensem solem semper uideri, & nunquam occidere circiter solstitium æstiuum uerticem 67. S. altum esse manifeste indicat. Ita in 35. parallelo 17. clima uerticem ad 69 cum semisse grad. sublatum, diem esse duorum mensium deprehendes. Ia in 36 est trimenstruus dies in climate per Pilappos ducto. Ita in 37 climate per mare glaciale 17 designato,dies est quatuor mensium in 38 quinque,& in 39 semestris spacij, ubi est clima 19, atque hinc septem periscij numerabantur. Sonum uerò Oriętis solis ibi exaudiri falsum est, & à sphęrica doctrina alienissimū, etiamsi apud Stabonē Posidonius idipsum asseueret. Cæterum spectra ibidem passim & apud Suionas,& Noruegios & Islandos uideri, & historici, ut Albertus Crantzius & Saxo Grammaticus,alijq; testantur, & nautæ etiamnum bona fide narrant. Neque eiusmodi in Anglia iuxta Patricij purgatorium spectra desunt. Quare stultum uulgus Christianæ religionis ignarum deos esse, & eorum capita irradiare propter diuinitatem arbitratur. Eaq; ueritati consentanea esse subiungit, & natura & ueritate famę.

Ergo

ERgo iam dextro Sueuici maris littore Æstiorum gentes alluuntur, quibus ritus habitusq; Sueuorum, lingua Britannicæ propior. Matrem Deum uenerantur, insigne superstitionis, formas aprorum gestant. Id pro armis omniumq; tutelã, securum deę cultorem etiam inter hostes præstat. Rarus ferri, frequens fustium usus. Frumenta cæterosq; fructus patientius quàm pro solita Germanorũ inertia laborant. Sed & mare scrutantur, ac soli omnium succinum, quod ipsi Glesum uocant, inter uada atq; in ipso littore legunt. Nec quę natura quæue ratio gignat, ut Barbaris, quæsitum compertum'ue, diu quin etiam inter cætera eiectamenta maris iacebat, donec luxuria nostra dedit nomen, ipsis in nullo usu, rude legitur, informe perfertur, preciumq; mirantes accipiunt. Succum tamẽ arborum esse intelligas, quia terrena quędam atque etiam uolucria animalia plerunq; interlucent, quę implicata humore, mox durescente materia, cluduntur. Fœcundiora igitur nemora lucosque, sicut Orientis secretis, ubi thura balsamaq; sudantur, ita Occidentis insulis terrisq; inesse crediderim, quę uicini solis radijs expressa atque liquentia in proximum mare labuntur, ac ui tempestatum in aduersa littora exundant. Si naturam succini ad moto igne tentes, in modum tædæ accenditur, alitq; flammam pinguem & olentem, mox ut in picem resinam'ue lentescit.

XXVI.

DE EFFLVIS SVEVIS.

TIbidem mare Sueuicum esse dictum ab accolis Sueuis, uix quispiam ambigeret, cum & hodie Suedicũ à Suetia, quæ Suionũ Sueuorũ fuit regio, nominatur, in cuius littore Effui, uulgo *Liffländer*, quasi Effluorũ regio prope sinum Venedicum, qui nunc est Curiensis, in cuius finibus sunt Suidini, quorum opera in eodem littore succinum legitur. Est autem elegans Effluorum descriptio, modo à morib. qui Sueuicus est, modo ab habitu seu cultu, qui ab alijs Sueuis nõ uariat, modo à lingua & dialecto, quæ proxima Britannicæ fuit, & hæc bona ex parte atque hodie Germanica est, sed per uicinas nationes, & transmigrationes corrupta, modo à religione, cum aut terram aut Cybelem deorum matrem colunt. Itaque in hostium terrorem & superstitionis argumentum formas aprorum hiantium in galeis gestant, quod præstantissimum & amuletum & propugnaculum in ipso prælio iudicabatur, modo à telorum genere, cum ibi non sint ferraria metalla, fustibus sudibusq; præustis decertare malunt, modo ab agriculturæ studio, in quo maiorem operam, quàm alij Germani, quos & inertes fecit Tacitus, ponere consueuerunt, modo à nauigationis usu. Nam cum sint maritimi, cur non alio propter mercimonia nauigarent? modo à rerum genialium copia, quę ferrarijs, argentarijs, & aurarijs metallis, si quis dignitatem & utilitatem recte æstimet, longe præstat.

COMPENDIOSA PRO LOCO SVCCINI HISTORIA.

HIC uerum est quod ferè dicitur. Non omnis fert omnia tellus. Siquidem arbores, frutices, herbæ, & cũcta ex terris nata natales situs uel uti naturæ suæ accommodatiores sibiq; familiariores uendicant, in quib. consentiente loci genio lętiores prosiliunt. Ita & diuina prouidentia hanc terrarum partem borealem succino donauit, quod alibi largius non emanat atq; ibidem. Eius autem succi neq; causas, neq; effecta, aut Effluí, aut Venedí, tanquam barbari explorarunt. Itaq; tanquã maris eiectamentum nauci faciebant, cuius usus protsus ignorabatur. Est enim ignoti, ut dicitur, nulla cupido. Verùm per diligentiores indagatores Tacitus â Barbarie etiã Romanus de fendi nequit, ut qui eius materiã succini resinatarum arborum, sicut et Plinius sub idem tempus contendit, esse uolebat, nullaq; alia ratione, quàm ut animalcula uaria in resina fluente, & per frigus aquę marinę densata concluderẽtur. Quare illius sententia, erit arboris resinatę alicuius uel lachryma, uel gumi, uel succus. Nam discrimen hic nullum cõstituit Romanus scriptor, ne suam ipsius insciti am proderet. Argumento quoq; est, ut quàm facillime in picis uel resinæ modum succendatur. Quapropter causa conficiens est sol, lachrymas in arboribus concitans & liquefaciens, qui sic in Oceanum delapsus indurescit, atq; fluctib. impetuosis in aduersa littora eiicitur. Hinc collatione quadam partes & Orientis & Occidentis commendat. Nam sicut in Arabia, quę uerè & multis rationibus etiam olim non satis cognitis, est Græcis ἐυθλαίμων sunt thura, atq; sicut in Syria, cuius pars est Iudæa, balsama, eaq; natiua & laudatissima, sicut & ipse Tacitus prętер alios authores complures in annalibus contestatur, ita in Oriente succinorum copia in cœlum usq; efferri debet. Cum igitur ueteres Sueui eorundem utilitatem & naturam, non probe tenuerant, non est mirũ cur repudiarint: curabant autem, sed non nisi propter precium mercatorum. Constat enim ut olim usq; ad Illyricum uenundatum sit, atq; in Venetiam, regionesq; Italiæ ut cinas. Quare fictum est eadem in Eridano, qui & Padus est, nasci. Cęterum cum calumniatores in me inuehi tacite intra priuatos parietes non desinant propter Succini ignorantiam, quam mihi impingant, pauca de eodem argumenta subiiciam sed modestissime, ut à quo altercandi studium semper fuit alienum. Fateor quidem me esse Borussum, eumq; Resellianũ sub episcopatu Varmiensi, qui est & Heylpergensis, sed post parẽtum meorum mortem statim in prima ætate, uix dum quatuordecim annos natum, in Marchiam Brennopyrgensem, ubi est Frãcophordiana Academia, peruenisse: ubi post mediocrem primarum dicẽdi artiũ & matheseos cognitionem ad Phyliologiam animum adiunxi, qua uerò fœlicitate, iudicium penes alios esto, atq; de more eiusdem Academiæ magister renũciatus, Bucolica Virgilij enarrare incepi', atq; cõmentaria qualia cunq; sub prælo excusa sunt. In quibus cum locus de electro explicandus esset, multosq; meos ciues consului, ut ueritatem pro uirili adumbrarem. Siquidem eam partem nunquam in uita mea uidi, cum ne partes quidem meę patrię satis pro dignitate perlustrarim. Ibi autem, ut legitur, historiam succini aliquanto propius, ac priores scriptores tardidi, præfectum operarum adduxi, Sudinos piscatores citaui, precium urinatorum falem esse commonefeci, aliaq; historica minime neglexi, sed de materia succini nihil adhuc tentabam, propter iudicij in hac ætate & tãto ueterum authorum consensu tenuitatem. Quare adhuc subdubitans à tot & tantis

autoribus

autoribus recedere non audebam in tanta cenſuræ imbecilitate. Videant igitur quales in me ſint & ſeueriores æquo iudices, dum clamitent, Iodocus eſt Boruſſus, & ſuccini naturam non probe deſcripſit, atq; deliniauit, qui ſi æquiores eſſent, meam operam & conatum potius de meliori nota commendaſſent. Verùm poſt aliquot annos noua ſcholia in eadem Bucolica pro auditoribus, & breuiora recudere cœpi, in quibus ut ſententiam mutaram, utiq; nihil plane aſſeuerãs, aliorum iudicium expectans, omnib. legentib. conſtat. Nam ipſe probe noueram rationes quaſdam, quibus quis adductus non reſinam eſſe, ſed aut bitumen, aut eius puriorem, atq; ita meliorem partem Naphtham eiuſdem materiam pronunciaret, tum ex colore. Siquidem iuxta bituminis fluxum ex uenis idẽ plurimum uariat, id quod in reſina nunquam conſpicitur, tum ex incendio & odore. Suauius enim redolet, adeoq; ipſum bitumẽ, quàm reſina, etiamſi utrũq; facilè ſuccendatur, tum ex nigri ſuccini, quod Gagates eſt, uenis, quibus effodi-
tur, tum ex concluſis beſtiolis, aut alijs rebus, nunquã tamen folia pineæ arboris continet, tum ex facultatibus, quæ in bitumine & ſuccino prorſus eędem ſunt. Hęc ſunt argumenta & alia nonnulla, quibus ab omnium (quod equidem ſciam) ſcriptorũ ſententia ſeceſſionem facere mecũ decreui. Verùm cũ experiẽtiſsimus rerum naturę & metallorum amicus meus in primis charus Georgius Agricola de induſtria propter certa argumenta & phyſiologica, & hiſtorica, idipſum confirmaret, ipſe animo infracto idem ſaxum mox uoluebam, acceſsit & quędã eui dens eiuſdẽ rei comprobatio. Nã prope Neomandram (quam nouã appellamus Cellã, hinc circiter tria miliaria diſtantẽ) lacus eſt ingens, in cuius ripa ſuccinum phalernum reperitur, cuius fruſtum non tantùm uidi, ſed & in ciſtula repoſitum conſeruo, eiusq; maior ibidem eſſet copia, ſi iuſtior indagatorum, qui uel ſcintillantem flammam ſæpe in aquis ſeſe uidiſſe autumant, adeſſet diligentia. Proinde paucis meam ſententiam contra obtrectatores & bona fide planam faciã nominem ſugillans, primùm de eius appellationibus nonnulla dicam. Deinde ſuccini cauſas & differentias explorabo. Poſtremo eius temperaturam, atq; ex hac tanquam matre facultates & commoda recenſebo. In principio quidem Romanis ſcriptoribus eſt ſuccinum, ut qui arboris alicuius ſuccum eſſe cenſuerat, atq; eadem cauſa alijs eſt & Græcis ἤλεκτρον, alijs ὀπὸς alijs χυλὸς, alijs gummi, cum nihil pro certo de eius origine & cauſis habuerant. Græcis eſt ἠλεκτρον quod & in Latinorum coloniam abijt, uel à ſole, qui apud Nicandrum, Euripidem, alios que Poetas Græcos ἠλέκτωρ quod ſol exoriens homines dormientes à lecto ad operas excitet, forſan aut cum eius interdum colorem referat, aut colore ſolari in uenis terræ liquefit, & exudatur, aut quia Phaetonte, qui & Chimicis ſol eſt, atque à Martiale, cum eius artis uix dum fundamentum iactum erat, hoc diſtricho ſic accipitur,

Quum Phaethontea formica uagatur in umbra
Implicuit tenuem ſuccina gutta feram.

Atque Ouidius ex lachrymis Phaetontiadum ſuccinum enatum cecinit circà Padum ad cuius oſtium Ariſtoteles Electrides inſulas collocauit. Sed hæc falſa eſſe Lucianus uſu comperit. Siquidem is miraculi uidendi gratia ad Padum ſeſe contulit, fatetur ibi neque populos eſſe, neq; ſuccino collachrymaſſe. Sic enim diſſerit, ibi nullam ſuccini eſſe materiam, utpote neq; populos, neq; harum lachrymas. Succinum igitur ibidem gigni non poterat, quod Dioſcoridi placuerat, aut eſt electrum, à colore electri metallici, cum ſit aurum, ſed quinta ſui parte argentum, cuiuſmodi in aula Menelai Homerici uiſum eſt. Habetur & alterũ ex tribus auri partib. & una argenti. Straboni aũt eſt auri purgamentũ ex prima coctura, quod ex ſulphuroſę cuiuſdam cretę comitatu fit. Dicitur & lyncurium quaſi ex lyncis urina natũ, quã animal inuidens aggeſta pedib. terra obruit. Itaq;

uel masculum utpote ex maribus lyncibus collectum, quod ferè fuluum & igneum, uel fœminium, uidelicet è fœminis, quod est cādidum atq; languidum. Sed id genus urinæ an sit in rerum natura, multis sæculis super hoc controuersum est, cum sit prorsus fabulosum. Bene igitur Dioscorides & illam sententiam dānat, atq; idem cum electro facit, & Ouidius nonnihil subdubitat 15. Metam.

Victa racemifero Lyncas dedit India Baccho
E quibus (ut memorant) quicquid uesica remisit
Vertitur in lapides, & congelat aere tacto,

Sunt & aliæ rationes, quibus Lincurium à succino nihil differre comprobaretur, quibus de industria breuitati studens supersedeo, atq; sententia Teophrasti lib. de lapidib. facile refelli potest, cum lyncurium neq; colore, neq; duricia, neq; facultatib. neq; essentia à succino dissideat. Adde quod & Theophrastus ibidem Lyngurio succini colorem inesse, & spiritu trahere propinquantia, dolores renū sedare, regio morbo mederi dilucide doceat. Dicitur & Græcis ἀρπαγὴ à raptu. Nam ἁρπάζειν est rapere & attrahere. Est enim uirtus ἁρπακτικὴ, qua non tantum frondes & acus sed æris ferriq; bracteolas, ut Diocles & Theophrastus scriptū reliquerunt, rapit, cuius causa est succini atritus, qui spiritus in eodem ingeniti incalescunt res leniores uel frustila magnetis ad se rapiunt, atque id Plutarchus uoluit, dum excitata ui caloris floccos, stramenta, atque uestium fimbrias, & quæcunque leuia sunt ad sese allicere asserit, præter ocymum & alia oleo imbuta, quæ aut respuit, aut à sese abigit, etsi quis, ἀντιπάντειαν causaretur, sed & ratio est, quod succini spiritus, cum sit calidus & siccus non nisi res siccas ad se pertrahat, atque humidas, oleo'que imbutas renuit, non secus atque magnes ad se ferrum non amplius trahit, si allio perlinatur. Dicitur & apud Arabas atq; uulgares scriptores Karabe ab antractu palearum, floccorum, & filamentorum sententia Auicennæ dictum, quomodo & Græcis est πτερυγοφόρον. Germanis uerò est, aut *Bornstein*, cum lapidem ex succo arborum natum esse crediderant atque cremabilem. Siquidem cum accensum tædæ modo ac nidore flagret, facta est appellatio uel Plinij atq; Taciti consensu, posterior tamen à priori nō admodum differt. Nota enim est V & B literarum apud ueteres Germanos affinitas. Esset quoq; fucati cuiusdam pigmēti, quod uulgò Vernix nominat, cum ex succino & lini semine, ad mensarū, parietum, & aliarum rerum uenustādos colores comparatur, atq; ita est res factitia ex gummi quod Arabib. & Sandaraca sandaros & Carabe appellatur, & cum eo quod est apud Galenum βερενίκιον, cum sit nitrum ab oppido Troglo ditarum Berenica dictum, sicut creditur, conferri nequit: Dicitur & glessum ipsius Taciti testimonio, sed ea uox nobis uitrum notat, nisi quis huius appellatione ualde perspicuum & translucens succinum intelligeret, ita ut translucendi respectu primo appellatum sit, quomodo & Græci ὕαλον accepisse uidentur. Vox autem *Agisteyn* ab agate deflexa & deprauata est. Cæterūm, ut cum succino conueniat Ambarum, quod & Ambra & Ampar profertur, ex Aetio non est obscurum, qui & materiam eius subindicauit, cum illud multis in locis, aut sulphuris, aut bituminis modo scaturire pronunciet, & Selachiticum à municipio quodam Indię uocatum, ubi scaturit, cū ibidem sit sub albidum, alijs anteponat, in officinis Indicum ferè ambra grisea, nostra uerò citrina appellatur. Gallis etiamnum eadem consuetudo permansit. Hæc de communibus appellationibus succini satis sunt, in quibus & nostra & ueterū de materia eiusdem satis manifesta est, quam tamen fusius aliquanto explanabo, ut tota res propius intelligatur, olim quidem tot tantorum autorum pertinacia à succo arborum prędenso succinum, sicut & nomen testatur, gigni constanter uel inuitos coegit, cuius sententiæ fuit & Ouidius de Phaethontiadum lachrymis sic canens.

Inde

Inde fluunt lachrymæ, stillataq; sole rigescunt
De ramis electra nouis, quæ lucidus amnis
Excipit, & nuribus mittit gestanda Latinis.

Hic materia est lachryma arborum, ut pote populorum: conficiens causa, una quidem est sol stillatim ex arboribus suo calore liquefactum succum eliciens, altera uerò est frigus aquæ, aut Marinæ, aut Padanę. Postremo & eius unus aliquis usus subiungitur. Siquidem fœminæ Transpadanæ succina monilium uice decoris gratia gestabant. Ad hunc modum & alij Poetæ tam Græci, quàm Latini, iuxtà cum rerum naturæ scriptoribus ad unum omnibus atq; medicis, docuerũt quorum numero sic Aegineta ait, ἤλεκτρον τὸ τῆς λευκῆς λαπεύον φάσι κατὰ τὸ ἠρίδανον ποταμὸν ἀπορεόμενον, καὶ πηγνύμενον χρυσοειδὲς, quod est, succinum albę populi lachrymam esse dicunt, iuxta Eridanum fluuium effusum, & coagulatum aurei coloris. Hic quoq; satis dilucide apparet, ut magis aliorum sententia steterat, cẽq; sua, colliquationis & concretionis causam subindicans. Ne multa, plericq; omnes magno consensu idem memoriæ prodiderunt, quibus & nautarum quorundam narrationes accedunt, qui resinatas arbores in aduerso littore esse quã plurimas, atq; harum succo per calorem solis effuso, & condensato per gelu marinę aquæ succina gigni, atq; ijdem esse succinum τὸ ὑγρὸν πῆκτον asseuerant. Quare nonnisi in tractum Curiensis littoris, aut per Circum, aut per Corũ in aduersam partem per tempestates impelli coniiciunt. Verùm cum argumenta tantum cõiecturalia sint, neq; adhuc satis certa, sicut paulo antè quędam refellimus, nemi nem pro certo habere cogent. Quare alias causas quęrere oportet, & aptiores & ueriores. Est autem materia aut bitumen, aut naphtha, quod apud Plutar. est ξῆμα, apud Dioscoridem περίφυμα bituminis, & sicut illic uox, ad fluxum communior est, ita hic ad fluendi modum contractior est, atq; adeò bituminis non tantum colamen, sed flos esse uidetur, non aliter ac reliqui sulfuris candidũ sulfur, & ex specu hiatuq; ui caloris, tam interni quàm externi nimirum solaris magis excolatur, quã sua ipsponte fluere uidetur. Quapropter Alexander Magnus, post deuictam Babylonem naphthę fluorem, si quid aliud admiratus est, de quo sic Plutar. πότε χάσμα, inquit, πυρὸς ἐμβατένοις ὥσπερ ἐκ πηγῆς συνεχῶς ἀναφερόμενον, καὶ τὸ ῥεῦμα τῆ ναφθᾶ λιμνάζοντος, ὅπου τὸ πλῆθος τὸ πορρῶ τοῦ χάσματος ὥστε ἄλσει μὴ ἀσφάλτῳ προσεοικέναι, q. e. In Echatanis (Babylonicę regionis parte) ignis hiatus ex quo uelut ex fonte ignis perpetuus sustollitur, & fluxus naphthę etiam stagnũ, aut paludem facientis propter copiam non procul ab hiatu, ita ut cætera bitumini similis sit, &c. de qua Galenus sic inquit, Est liquide liquidum bitumen, sicut hiacinthinum, & quod à Babylone affertur, ibi quidem & candidum gignitur, liquidum est & Apolloniaticum, quæ omnia Græci πισσάλφαλτον, ex picis, & bituminis argumento appellant. Gignitur & pingue liquorisq; oleorum in Sicilia, Agragantino fonte inficiens riuum: Incolæ id arundinum panniculis colligunt, citissime sic adhærescens, quo ad lucernarum lumina olei uice utũtur. Est quoq; bitumen, & in mari mortuo, quod est stagnum salsum in Cœlosyria, & ab bitumine aspaltite nominatur, quo loci olim Zedomæi & Gomorrhei habitarunt, sicut ex sacris literis liquidò patet. Ad hunc modum in quibusdam locis & nigrum bitumen inuenitur, idq; fossile, unde Gagates, qui est nigrum succinum nascitur. Itaq; iuxta bituminis colorem & hic magna uarietas perspicitur. Est enim aliud candidum præcipuè ex naphtha productũ, quod Posidonius sulphur candidũ esse uoluit, aliud huic proximũ, utpote in cinereo candidũ, aliud est fluuum, quod Callistratus χρυσόλεκρον. Aegineta χρυσοειδὲς nominat, alijs est & χρυσοφόρον, aliud est rufum, aliud cæreum, aliud melleum, aliud phalernum, quippe cęræ, mellis decocti & uini similitudine, aliud nigrũ, aliud in nigro rufum, aliud pene cęruleum. Proinde succinũ, ex bitumine, uidelicet ex succo lento, & præ-

pinguj

pingui,atq; adeò inflammabili, per calorem tam internum quàm externum in hiatu liquabili, & per frigus aut aquæ,aut alterius rei appropinquantis congelabili (Frigus enim & condenſat & exiccat) uerè naſcitur, & ſicut in alijs rebus claritas & perſpicuitas ex materia dignoſcitur,ita hîc ſi hæc pura fuerit, eo candidiora & puriora prodibunt ſuccina:Contrarium in ea quæ nuptura eſt attenditur,id quod ex Galeno colligitur.Bitumen inquit,ex ijs eſt quæ in aqua marina proueniunt,& in alia quapiam,quæ non eſt marinæ diſſimilis,ut in Apollonio Epiri,& per alia id genus loca multa aquis ſponte naſcentib.ceu ſpuma quę dam innatans,hoc medicamen reperitur,& molle quidem eſt,dum innatat,poſtea uerò reſiccatum pice ſicca durius efficitur.Ita abſq; dubio in Sudinorum regiuncula (quæ olim & Sudauia & Auſtrauia dicebatur) uarij coloris ſuccinum reperitur,cum ibidem ſit hiatus abſq; controuerſia,etiamſi is non pateat ſenſui, Siquidē æſtuaria ibidem nunquam eſſe ſolent, tum cum ueluti ſcintillans ſulphur ab accolis ad lunam in mare proſilire ſubinde uideatur,quis non bitumen, uel naphtam nimio calore liqueſcentem iudicaret? Itaq; uentis aduerſis magis ex occaſu quā ſeptentrione ſpirantibus,tum per fluctus in altum & littus attollitur,iam ab ipſo gelu concretum,& condenſatum, & mox Sudini,cum ſint & piſcatores & urinatores, reticulis magnam ſuccini copiam iuxtà cum alga exhauriunt,atq; hæc collectio ſeu piſcatio ſuccini ijſdem tum longa exercitatione tum neceſſitate uel famis (Nam pro menſura ſuccini capti à præfecto pondus ſolis rependitur,cum ſint piſcatores,& piſcatio tantùm uictitant)uel obediētię, cùm iubenti magiſtratui in hac re parere cogātur,eſt quàm expeditiſſima. Hęc ipſa de cauſis ſatis perſpicua & certa eſſe ſagaci,& prudenti lectori arbitror,nūc & odoris & ſaporis ratio habenda eſt.Nigrum enim grauis odoris, candidum iucundi,reliqua medio modo ſe habent.Ita nigrū eſt quōdāmodo ſubamarū cādidum in pingui dulce,& medij coloris quædā ſunt modice acria, Accedit & eſſentia,quæ non ſemper ex æquo denſa,ſed ſæpe ſubrara. Siquidem ſuccina denſiora ſunt,quę tum oleoſa,tum pinguia,in quibus, cum ſint elaborata & polita, (Rudia enim ſunt adhuc corticoſa) fluor lentus alius atq; alius affluens & conglutinatus liquido cernitur,& talia ſunt terreſtris naturæ,atq; de his uerū eſt Auicennæ dictum,ut ex terreis partibus,ijſq; ſubtilibus,& aqueis ſed exiccatis cō poſita ſunt,& hæc quoq; grauiora ſunt. Contra alia nonnihil aeris continent, qui meatus eorum replet,leuia reddūtur. Quapropter ex libratione manifeſtiſſime alia ſuccina ad candida bis tanto grauiora eſſe deprehendes,atq; in candidis propter ſubſtantiā aeream,adeoq; igneam cum terrea exiccata dominari, & in alijs quandam craſsitudinem eſſe ipſe dijudicabis. Proinde ex his uniuerſis formam ſuccini,quæ & harmonia & temperatura eiuſdem eſt,colligere cuilibet promptum erit,quę ex materia,ſapore & odore (Nam colore, & tactu hîc parū promouimus) deprehenderetur, aut ſit calidę, & ſiccę naturę plus minus iuxta eius naturam ex prioribus notis collectam, & uniuerſè in utraque qualitate ſecundus ordo conſtituetur, non ſecus ac in bitumine, quod iuxta Galenum, & Aeginetam ſiccat & calefacit in ſecundo ordine, atq; ſic illi erit uirtus reſiccatoria, & calefactoria,à quorum ſententia neq; Auicennas recedit. Sic enim ait: eſt calida parumper,& ſicca in ſecundo:qui tamen ſibi non parum diſſidet,cum nucis Romanę, id eſt, populi gummi eſſe tradiderat. Eius inquit, gummi eſt ultima in calefaciendo. Incertus igitur fuit tam materię, quàm formę ratione, quemadmodum naphtha Dioſcoridis facultates, ἀφεγμαντον, κολλητικὴν, διαφορητικὴν μαλακτικὴν habet, hoc eſt, inflammationes arcet, glutinat, diſcutit, & emollit. Eligendum igitur eſt ſuccinum, quod grauius eſt & craſſius, atque ita minus calidum, & hoc quam commodiſſime loca inflammata mitigat, ſic in glutinādo idē;quod eſt aut pinguius,& ualde oleoſū, aut multo ſiccius & craſſa

rum

rum partium. Hoc enim modo melius glutinat, cum sit ἐμφρακτικόν: Sic in discutiendo candidum deligatur succinum, cuius partes non sunt tam crassæ. Siquidē hoc non nisi ex tenuissimis halitibus intra hiatum sursum elatis, & ad superiora saxa in tenuem liquorem resolutis, qui postea per cauernas & uenas, atq; commissuras terræ fontium modo scaturit, & frigore aquæ congelantur & condensantur. Nam pro uaporum ratione, ut & meteorologica testantur, non parua erit iuxta materiam differentia. Sic pinguius magis indurata emollit. Quare prudentissimè iuxta diuersas actionum formas succinorum delectus faciundus est, & non ubiq; temere pronunciandum cum Auicenna est, ut restringendi uirtutem habeat. Non diffiteor nimium sicca & astringentia quoq;, sed longe alia ratione meatus quoldam recludere, sed hoc quot & quanta incommoda sæpe secum afferat, hoc loco nihil dicam. Emolliturus igitur pinguius succinum, ita conglutinaturus, oleosum, dulce, & ponderosum, crassarumq; partium, discussurus cancidum, leue, subtenuium partium eligat, & caplat. Etsi id discriminis in confectionibus, quas Barbaras olim appellarunt, ueteres non obseruarunt, tamē Methodum & componendi remedia, & utendi secutus, neutiquam negliget. Itaq; dum reiectationem sanguinis, dum hæmorroidas apertas & nimium fluentes, dum dysenteriam sistit, id non fit aliter ac glutinando, cum sit κολλητικόν, & sic id succinum capiendum est, huic consilio intento appositum. Rationem quoq; singulorum euentorum exquisitam tenebit iuxta cū experientia, quæ ex secundiore successu medicandi sumpta est. Huius igitur delectus non ita negligendus, illa tamen ratio in amuletis, quæ & hic sunt more Hippocratico περίαπτα desiderantur. Nam contra lymphationes, contra incantationes, contra febres, contra uenena nonnulli eodem utantur, atq; hoc modo calidiores abscessus curare sibi Auicenna permittit, atq; ita in uulneribus conglutinandis id erit aptius, quod est ponderosius, & sic crassarum partium. Hoc enim modo uulnera prius exiccantur (Est autem uulnerum curatio ipsorum exiccatio) & sua pinguedine oleosa suffarcit & conglutinat & inflammationem arcet. Quid quod & ædemata suo calore discutiat, & siccitate humorem absumat, sed hic candidum magis accommodatum, non ita oleosum, non ita graue, non lentum, sed nonnihil λεπτομερες, propter aut aereæ, aut igneæ substantiæ dominium & odore acti. Hoc igitur modo istis uel naphtha uel succinum candidum auxiliabitur. Porro ex his probè cognitis & perspectis citra negocium attenditur, ut sit cephalicum, dum grauedinē discutiendo, & exiccando potius, quàm glutinando tollit, dum præsertim fit fuerit acri odore sternumentum, atq; ita est ptamcium remedium, concitat, dū comiciali morbo correptos, adeoq; in ipso accessionis momento suffitus eius excitat, non minus atq; odor rutæ naribus appositus, sicut & quotidiana experientia contestatur. Quare de exēplari Dioscoridis non semel dubitaui. ubi de naphtha, sic hodie legitur, ἐλέγχει καὶ ἐπιλημπτικοὺς ὑποθυμιᾶ δεῖσα καθάπερ ὁ γαγάτης λίθος, quod est: gagatis lapidis more comitiales morbos deprehendit, ubi uerius cum ratione, tum experientia ἐγείρει, quàm ἐλέγχει, legendum est, cum magis decumbentes excitat quàm deprehendat, Non tamē ignoro quasdam medicinas esse, quæ sacro morbo laborantes, ἐλέγχειν, id est, deprehendere explorare, inuestigare, adeoq; interdum conijcere, eiusmodi uere esse epilepticos deprehendunt. Non ne suffitus galbani, aut myrrhæ, aut ungularum caprinarum eōsdem detegunt? Nonne idipsum iecur uel hircinum, uel caprinum cōflum præstat? Odontalgicum quoq; est, dum dētibus, ex destillationē capitis laborantibus eius decoctum cum rebus calidioribus admistis, in aqua eluēdo meretur, sicut ex eodem aphtas gargarismus curat. Quis non quęso hoc loci aut cā didum succinum, aut certè naphtam ipsam præferret præsertim uetustissimū. Siquidem, & ætas diuturna ipsum ita exiccat, ut non tantum color nonnihil permuterur,

mutetur(Fere enim albescunt) sed etiam ut digitis conteri propter raritatem, & partium tenuitatem possit. Contra uerò quando thoracicum, ueluti cũ hæmorrhagiam in qualibet parte cum sanguinis reiectationem compescit (Tribuũt enim omnes scriptores illi uirtutem sanguinem sistendi) recentius succinum, oleosum, dulce & graue requiritur. Est quoq; stomachicum, cum uentriculum præsertim frigidum & humidum, unde fastidium & nausea nascitur, quia calefacit, atq; exiccat, iuuare soleat: atq; hoc modo cephalalgiam ex flatibus hinc surrectis per consensum natam sedat, atq; cardalgiam, quoties ostiolum uentriculi, quod Cardiar Græci nominant, lipothymias causa malè affectum isthoc modo reficitur, atq; sic cardiacon medicamentum censetur. Est & iecorarium, cum uesicæ bilis obstructionem aufert cãdidum succinum, uetustũ & in pollinis modũ redactum. Est & nephriticum & cysticum, cum urinam ciere, & calculum cõterere soleat. Est & historicum, cum facultatem cito pariendi, quæ Græcis est ὠκυτοκία, eius quippe candidissimi & leuissimi pollen cum aristolochia epotus promoueat, Sicut & suo suaui odore ὑστερικὰς πνίγας & πρόπτωσις, id est, uteri strangulatus, & procidentiam per sua loca accommodata curat. Idem & secundas expellit, alterum uerò pinguius & glutinosius menses redundantes (& è diuerso retentos eosdem alterum irritat) Hæmorroidas apertas nimiumq; fluentes, cruentamq; urinam sistit & compescit. Ita ex his non difficile succini uim pro necessitate exacuere, quod & Galeno & ὀξύνειν & παροξύνειν, cum eiusdem facultatis aliorum medicamentorum accessio iusta fieret, quales apud celeberrimos authores sunt confectiones barbaræ dictæ, linctus & pastilli Αἱ πλεκτοί. Notandus est & hic præparandi, ne hac in parte studiosis adolescẽtibus desim, modus. Siquidem multum refert ut in usu contritum fuerit. Siquidem medicamẽta quæ per uenarum oscula absq; ullo impedimento, & in partes corporis digerenda sunt, exquisitissime conterenda, tenui incerniculo ita cribranda, ut tenuissima sint. Contrà quæ in uentre hærere debent, minus conterantur & cribrantur, atq; hoc modo Galenus dispoliticon ad urinas mouendas sumebat, tenuissimum, & minutissimum pollinis modo erat, cum idipsum per aluum ducere uolebat, crassius relinquebatur. Ita in discutiendo, & promouẽdo, fit puluisculus succini subtilissimus, contra in conglutinando crassior non tenui cribro excretus. Confícitur hodie & ceum succini opera Chymistarum, siue id in capitellum sursum uersus feratur, siue in uas subiectum mox defluat, & sicut illic est distillatio per ascensum & sublimationem, ita hic per descensum hodie dicta. Sunt qui in oleo communi maceratum, insolatum & incoctum de integro in puluisculum subtilissimum redigunt, qui in alio conteritur & liquescit: Id quoq; cum oliua erãt oleum sacratum, præsertim cum sacrum morbum, id est, comitialem, dum naribus illinitur, sedat. Postea & ulcera, resolutaq; membra recreat, atq; si quis pila metallica id conclusum fuerit, aut huic in nares distillauerit, aut tãtum olfecerit, mirifice spiritus animales recreat, & capitis morbos mitigat. Hæc sunt quæ in locũ Taciti pro occasione, paucis adnotare mihi uisum, maximè ut alios commonefacerem, quo cuncta diligentius rimentur. Optimum enim, & hic aliorum fruí insania, & quisq; cui mica est candoris, hunc conatum boni consulet.

SVionibus Sitonum gentes continuantur. Cætera similes, uno differunt, quòd fœmina dominatur, in tantum non modò à libertate, sed etiam à seruitute degenerant. Hic Sueuiæ finis.

XXVI.

DE SITONIBVS.

VErùm cum Sitonas Suionibus continuos, & perpetuos esse dicit, & ipse ortum uersus pergit, absq; dubio Sitonum regiuncula erit Finlãdia, quæ Germanis à regionis pulchritudine sic dicta est, cui Einnigia, Germanis Eynigh, quod propter eximiam fertilitatem singularis sit terra. Eos aũt per omnia Suionibus similes facit, sed γυναικράτησθαι contra naturam, id est, uxorium imperiũ hos ab illis discernit, quo fit ut non solum libertas sit amissa uix unquam recuperanda, sed etiam à seruitute Germanorum, de qua suprà nõnulla adnotauimus, degenerarunt. Hic licet in gynecratiam inuehi, & debacchari, quam & olim non pauci scriptores tam sacri quàm prophani damnarunt, sed pro dolor quas non terrarum partes occupauit?

PEucinorum, Venedorumq;, & Fennorũm nationes Germanis an Sarmatis adscribam dubito, quanquam Peucini, quos quidam Bastarnas uocant, sermone, cultu, sede, ac domicilijs, ut Germani agunt; sordes omnium ac torpor, procerum connubijs mixtis nõnihil in Sarmatarum habitum fœdatur. Venedi multum ex moribus traxerunt. Nam quicquid inter Peucinos Fennosq; syluarum, ac montium erigitur latrocinijs pererrant, hi tamẽ inter Germanos potius referuntur, quia & domos fingunt, & scuta gestant, & peditum usu, ac pernicitate gaudent, quæ omnia diuersa Sarmatis sunt, in plaustro equoq; uiuentibus. Fennis mira feritas, fœda paupertas, non arma, non equi, non penates, uictui herba, uestitui pelles, cubile humus, sola in sagittis spes, quas inopia ferri ossibus asperant. Idemq; uenatus uiros pariter, ac fœminas alit. Passim enim comitantur, partemq; prædæ petunt. Nec aliud infantibus ferarum hymbriumq; suffugium, quàm ut in aliquo ramorum nexu contegantur, huc redeunt iuuenes, hoc senum receptaculum. Id beatius arbitrantur, quàm ingemere agris, illaborare domibus; suas alienasq; fortunas spe metuq; uersare. Securi aduersus homines, securi aduersus deos, rem difficillimã assecuti sunt, ut illis ne uoto quidem opus sit.

XXVII.

DE PEVCINIS, VENEDIS, Fennis, & Bastarnis.

HActenus Sueuorum nationem amplissimam, & ualde numerosam explicuit, nunc prius Sarmatas ultra Vistulam Cornelianę Germaniæ recenset, quã totam eius descriptionem claudat. Ita Peucini Sarmatæ uticq; ex uicinia Germaniã Peuca monte, qui Carpatho septentrionem uersus adhæret dicti, cuius accolæ sunt, ubi hodie degunt Poloni cum Lithanis usq; ad Moschos ad Borysthenem, quem illi Neper nominant. Ita Venedi sunt quoq; in Sarmatia, sed

Germanis

Germanis adnumerati iuxta Ptolemęum uidentur esse, qui intra Vistulam & Chronon non longe à Regiomonte cohabitãt, ubi est & Venedicus sinus, quẽ hactenus Curiensem non sine causa nuncupauimus, in quorum uicinia, uidelicet à ripa Chroni atq; Rubonis ripam Sudini electro geruli Ptolemaici uitam degunt. Ita Finni eodem authore sunt uersus meridiem à Guytthonibus statuuntur, ubi hodie Torunnæi sunt cum Graudentinis usq; in Massobiæ ducatum, quo loci est, & episcopatus Plocensis. Verũ ab ijs ne an Venedis Finlandia propagata sit alij diuinabunt, mihi tota appellatio est Germanica. Finnis aũt proximi Cistoboci, per quorum tractum etiamnum fluuius Bocus (cuius nomẽ prioribus syllabis, ut fit apud Germanos est corrupta) in Vistulam sese exonerans, sicut ipse uidi, fluit. Neq; à Peucinis ita longe Bodini, quorũ regio hodie est Podolia, dissident, maximè ubi est Camminiecensis episcoparus, nisi quodam modo eorundem propter Tractatorum incursiones sedes commutata esset. Postremo Bastarnæ sunt Rutheni (Nam Moschi sunt quoq; Rutheni sed albi) intra Axiacem & Tyram fluuios, & hic hodie Nester nominatur, ad quem Leopolis, quam nos Ruthenium Lempergum nuncupamus, sita est. Verùm Tacitus incertus de istarum nationum discrimine. Nam Peucinos, & Bastarnos esse quorundam sententia asserit, qui si sermonem, si uestitum, si sedem, si domiciliorum structuras spectas, Germani sunt. Sin autem sordes & adulterina connubia, Sarmatæ sunt, quorum mores, & Venedi referunt. Nam latrocinijs uictitant, sed ex domorum exædificatione, ex armorum genere, ex pedestri aciei forma & uelocitate Germani sunt. Ab his Venedis, Schlauos, ipse iuxta cum alijs deducerem & Vandalos nuncuparem, nisi Vandalos Germanos tum habitu, tum lingua fuisse tenerem. Quare ex Alia Henetos esse eosdem, nisi & hic quædam argumenta essent impedimento, iuxta quorundam opinionem affirmarem. Fenni autem notantur, modo à moribus, quia feri sunt homines, modò ab aduersa fortuna, quia pauperrimi sunt, inermes & ἄνιπποι, modo à uictu, quia herbis uictitant, modo à uestitu, quia rhenonibus ornantur, modo à lecto genitali, qui terra est, modo à telorum genere, quia sagittis, quarum fastigia exasperata, cùm ferrũ desit, ossibus sunt, modò ab affectatione, quia uenationi utercq; sexus studet, & prędæ partem sibi uendicat, modò à domicilio, quod illis ex ramorum connexu fieri consueuit. Tales sunt & hodie Vuildelappi & Engrouelandi ultra Suetiam.

CÆtera iam fabulosa. Hellusios & Oxionas ora hominũ uultusq;, corpora atq; artus ferarum gerere, quod ego ut incompertum, in medium relinquam.

XXVIII.

DE HELLVSIIS ET OXIONIBVS.

HEllusios Plinius Helleuiones nuncupat, eosq; Insulares facit in Codano sinu. Si hæc uera sunt, tunc erit Peninsula, quæ non longẽ à Gedano sinum efficit, hodie dictum Pucicum, & à nobis forsan propter discrimen mihi ignotũ Borussiacum Heilum uocatur, hinc recta flante austro, in Schondauiam nauigatur. Ita ex Solino liquet, Oonas in Scythicis insulis boream uersus cohabitare appellatos, quòd ouis marinarum auiũ uictitant. Est enim notum ut ὠὸν fit ouũ, ibiq; monstrosos homines olim constituisse uidentur, cuiusmodi sunt ἱππόδες, ut quibus est facies humana, sed ij in equinos pedes desinunt. Tacitus autem ista hæc fabulosa, & sibi incomperta in medio relinquit. Verùm in ijsdem partibus tales

tales non uidentur, neque in Sarmatia, neque in Scythia, quam hodie Tartari inhabitant. Atque ipse eadem oras peragraui, præsertim legatus, nunquam uidi, nunquam audiui eiusmodi homines alicubi degere. Monstrosas aut in Africa, & Asia figuras plerique omnes adnotarunt. Cæterum monstra marina ipsos uidisse arbitror in Italia insuetos, quorum aliquot faciem hominis, imò & nonnihil uocem referunt, quæ cum uiderant Itali ex ijsdem homines finxisse uidentur. Hilleuionum autem potentia tum ex bello contra Carolum Magnum, tum ex quingentis pagis manifestissima est.

SVEVI FLVMINIS CONTRA *omnes Geographos Historia.*

PTolemæus in totius orbis descriptione, prudenter recentioribus historijs magis credendum esse uoluit, uel quia propter magnitudinem non satis probe cuncta deprehensa sunt, uel quia non semper eodem modo se habent, uel quia fabulatores historias nescio quas fingunt. Quare consultissimum est per certam indagationem nouissimis historijs libentius fidem adhibere. Eius autem consilium secutus & historiam antiquam Sueui fluminis non negligam, ut ueritas certior eluceſcat. Sueui iuxta Ptolemæum ex Asciburgio monte ortus, sed eius ostium iuxta Laciburgium est, quod est in montanis, quæ per Silesios usq; ad Polonos Cracouiam uersus, (eam amplitudinem sub Asciburgio monte capimus) exporrecta sunt, Sueui fons est, sic ostium iuxta Laciburgium, quod rectius Rostochium quàm Sundinum, est. Nunc attendendum est, ut recens historia cum illa conueniat. De fonte quidem tantam controuersiam non commouebimus. Oritur hodie supra Budissam ad *Bautzen.* austrum circiter duo miliaria Germanica, eaq; communia in pago, cui & à fonte Sueui nomen inditum, & *Spreunbergk* dictum est, quod Latinis est mons Sueui. *Spreuberg.* Germani autem ferè Sueuum sprenum corrupte nuncupant, ubi rustici agricuturam exercere nequeunt propter montium asperitatem, sed lignis sectis uictũ quæritant, & multas scandulas diuendunt. Sunt enim in Silesia domus pleræq; *Schindeln.* scandulatæ. Hinc igitur ortus Budissæ intra sex oppida superioris Lusatiæ numeratæ mœnia allabitur, & hinc Cotbusium petit, ubi iuxta arcem molam & insignem & utilem agit. Postea est ingens tum latitudine tũ longitudine sylua, Cotbusio Lubenum usq; extensa, à Sueuo Sueuica dicta ibi sese diffundit, ibiq; plurima sunt alneta, mox Lubeni mœnia relinquens, traiectum recipit, qui neq; ho- *Der Spreywaldt.* die nomen amisit, etiamsi ibidẽ põte iunctus sit maximaq; eadem parte est eiusdem flexura, quare curuum Sueuum nuncupant, quousq; Bescanum perueniat, *Fürſtẽwaldt* & ab hoc Furstenualdum, ubi Dominicæ Ecclesiæ locus est, sed per indoctos *Beſcaw.* homines pene disertus, inde per Coppenicum confluit Berlinum, ubi coloniam *Coppenick.* & Berlinũ disterminat, arcemq; magnificentissime extructam Illustriss. Marchionis electoris nostri sedem allabitur, illinc circiter duo milliaria circa arcem Spondauiensem in Hauellam sese exonerat, nomenq; eius intercidit. Cæterum Hauella fluuius ueteribus prorsus fuit ignotus, in Marchia non longe à Sedenico, ubi iusto alueo ad istius oppiduli murum confluit, ut illinc recta petit ad meridiem à septentrione Spandauij arcem & natura, & arte munitissimam ab oppido segregat, Sueuumq; excipit, atq; Hauella ibidem regiunculam ab eo dictã con- *Die Hauel.* ficit. Quare ad austrum uergens Brennopyrgum totius Marchiæ ciuitatis & me- *Zedenick.* tropolim, & caput allabitur, mox inde per Rathanum oppidum non longe ab *Spandaw.* Hauelburgo prope arcem celeberrimam Lentizium dictam in Albim confluit. *Brandẽburg* Hæc est historia tum compendiose tum uere obseruata. Falsi autem sunt ueteres *Leutzen.* & Hauellæ nomine & negligenti in parte Boreali indagatione, eosq; non sine

contumelia recentiores ſecuti ſunt. Equis non hic perſpicit, ut nõ ſit Sueui oſtium prope Laciburgum, cum Sundinenſi agro nullus ſit fluuius, & Roſtochij eſt alius fluuius Varna nominatus, ubi & eius oſtium Varnemundt circa eius urbis mœnia cernitur. Verùm de colore aquarum & hic pauca adnotãda ſunt. Statuantur autem docendi gratia quinq; cauſę communes, quibus & ſuę, ut fieri ſolet, partes includuntur, & ſunt alueorum terrę, arenę, calculi, ſaxa & ſtirpes. Terra quidem alueorum in eluuione multiplex eſt, uel Alba, uel lutea, uel fulua, uel rubra, uel uiridis, uel glauca, uel nigra, uel ſanguinea. Tot colorum differentiæ in aquarum coloribus ferè uiſuntur, & ſi quis ſingulorum cauſas rimaretur, longior æquo eſſet. Sit autem eius exemplum. Alba aqua fit aut creta, aut terra candida, qualis eſt argilla, ut eſt Danubiana aqua, aut candido gypſo, aut alumine, aut ſulphure. Ita albedo aquæ ex rerum quas alluit, & lambit, miſtura ſtatim dijudicaretur. Eodem modo uiridis eſt, uel arborum uel graminum in ripa ſeu alueo præſiſtentium irradiatione, uel ubi ſunt æraria. Sic lutea eſt, ubi ochra redũdat. Sic nigra eſt ſeu atramenti ſutorij, ſeu melãteriæ permiſtione, ſeu ſtirpiũ paluſtrium inſitione. Iam uerò Sueui aqua nigricat, eiusq; cauſam unam eſſe ex ſuperioribus neceſſe eſt. Terra quidem alueorum non eſt, cum hæc paſſim ſit ſubrubra, cuius ratione citius rubeſceret, neq; arenæ alterius ſunt coloris, neq; calculi hic ſunt aut ſaxa, quibus ramenta metallica adhærerent, à quibus aqua inficeretur. Sæpe coctione idipſum explorare uolui in uaſe cui eſt operculum, ut fit in diſtillatione, per nares aqua exhalat & abſumitur, non aliter ac partes aquæ, aeris & ignis intercidere ſolent, animaduerti ut in fundo uaſis aut nihil, aut certe parum ſubſedit, ut id exiccatum lento igne eximeretur & dijudicaretur, atramẽtum ne eſſet ſutorium, an melanteria, etſi multis modis uel prima lingua deguſtãdo experiri tantaueram, mox ad aliam cauſam animum meum applicui, & ex arboribus nigreſcere ſtatui. Si quidem in hoc flumine multæ ſunt alni, quarum cortice aqua denigratur, ſicut idipſum in baptica officina dilucide cognoſcitur. Eſt enim ſylua Sueuica (interluit enim eãdem Sueuus) alias & betulis refertiſsima, ſicut ipſe experiens, hæc cuncta loca perluſtraui. Nam plus tricies circiter M. Paſſ. uſq; ad arcem & loco & arte munitiſsimã Lubenaniam dictam, quam uere nobilis & pietate, & genere Schulenburgiorũ familia incolit, lintre & monoxylo pernauigaui. Quare aliæ rationes non erant obſcuræ, cur piſces, præſertim gobiones, eſſent nigriores, cur propter uirtutem aſtrictoriam ijdem cute & carne eſſent denſiore, atque ita multorum palato ſapidiores. Eadem eſt ratio in Varta flumine, quod à Viadro prope Coſtrinenſem arcem excipitur, itaq; Boiemi Vartæ malunt lupos, quàm Viadri. Poſſunt & uiſu, cum ſint nigriores, & quibuſdam maculis inſignes, & tactu, cũ durior & carnis & cutis ſint, dignoſci. Quare ijdem cocti, palato nobis tanto gratiores eſſe ſolẽt. Hæc ſunt quæ obiter de Sueui fluminis fonte, oſtio & colore, & ſapidioribus piſcibus contra Geographos tam ueteres quàm recentiores ad ueritatem certius explorandam obſeruare uolui.

FINIS

COMMEN-

COMMENTARIOLVS DOCTISSIMI VIRI HENRICI GLAREANI IN P. CORNELII TACITI DE MORIBUS, & populis Germaniæ libellum, uetera eius uocabula paucis explicans:

IOANNES FROBENIVS ZING. SVO S. D.

VVM Libellum Publij Cornelij Taciti, de moribus & situ Germaniæ populorum, typis nostris excudere cœpissemus, commodum ex amicis nostris quidam commentariolum nobis exhibuit, in quo paucis aperitur, quorum ueterum populorum, qui noui populi sedes hodie teneant. Equidem mihi sic uidetur, eos, qui priscæ illius antiquitatis scriptores duntaxat legunt, præteritis ijs qui mediam antiquitatem scriptis suis complexi sunt, in multis rebus necessariò labi. Nam quantas tu rerum mutationes à morte Iulij Cæsaris factas arbitraris? Vt concedere cogamur non tam illius commentariorum, qui certe & fide & stilo summam laudem merentur, quàm Spartiani, Vopisci, Trebellij Pollionis, Amm. Marcellini, Eutropij, Procopijq; lectionem esse necessariam. Quod si rediret ex inferis hodie Cæsar, nihil hic propemodum agnosceret. Adeò gens genti mixta est, populi partim penitus deleti, partim aliò translati (& ut summatim dicam) mutata omnia. Proinde cum commentariolum studiosis usui futurum, tibi uolui dicare, qui norim te hoc genus delitijs animum oblectare solere, quoties ex altioribus studijs obrepsit fastidium. Hanc eandem rem agunt, ut antiquitati lucem asserant duo Heluetiorum decora, Henricus Glareanus summus amicus noster, & Ioachimus Vadianus præcipue in commentarijs suis, in Pomponium Melam, quos doctis omnibus probari magnopere gaudeo. Bene Vale.

COMMENTARIOLVS, VETVSTA GERMANIAE POPVLORVM VOCABVLA PAVCIS explicans, & obiter alia quædam, HENRICI GLAREANI.

IN primis admonendum lectorem putamus, in ueterum descriptionibus non ad usuum, quod aiunt, omnia statim esse exigenda, uelut exempli causa, si quæ de Sueuis in hoc libello scribit Tacitus, uelit quispiam istis tribuere, quos hodie Sueuos dicimus, tota aberrabit uia, cum prisci illi Sueui ad Albim fluuium habitarint, quam regionem hodie

Saxoniam appellamus: isti uero Rhetiam inferiorem occuparint. Nec est ulla propemodum hodie natio, quæ ueteres suas sedes inconcussa teneat. Quæ de re si quis dubitat, legat ex antiquis Spartianum, Vopiscum, Marcellinum, Orosiũ Eutropium, Procopium, & Agathium: ex recentioribus Reginonem, Luitprandum, Annonium, Sigebertum, & peculiareis nationum Chronographos. Nam dici non potest, quantis mutationibus, & regna & populi mutati sint. Igitur amice lector, siue ueterum, siue recentiorum euoluas monumenta, non statim, ut ante diximus, ad uiuum rem exigas, sed etiam atq; etiam circunspice quo tempore scriptum fuerit, quod legis, à quo, & de quibus, deinde confer noua cum ueteribus, aut econuerso, mutationum semper memor. Hanc monitionem nostram si secutus fueris, magno opere te senties in historijs adiutum.

Germania omnis] Mirũ cuipiã uideri possit, quod hic astruit Cornelius, Germaniam uidelicet à Gallijs Rheno separari: cum tamen ipse fateatur Vãgionas, Trebocos, Nemetes haud dubie Germanorum populos ipsam colere Rheni ripam, quinetiam Treuiros & Neruios Germanicam originem affectare. Sed antiquam Germaniam descripsit, & ueteres illius fines, non eam quæ ante ipsius etiam tempora Belgicæ Galliæ bonam partẽ sibi usurpauerat. Nam quis nescit quanta sit Germaniæ facta accessio? posterioribus seculis bona, ceu diximus, Galliæ parte tota Rhetia, tota Vindelicia, Scythia, Sarmatia, Pannonia subactis, & occupatis. Nec quicquam uetat uerè Germanos in Gallia habitare. Equidem Procopius Græcus autor, qui Iustiniano Cæsari à libellis fuit, & eidem in omnibus bellis comes adhęsit, his uerbis Germanos testatur, in Gallia regnasse, quæ lubitũ est hic referre, quòd ad Germanorum laudem non parũ facere uideantur.

Lib. 3. de bello Gothorũ.

GAlliarum (inquit) partem suæ quondam ditionis effectam, in huius belli principio Gothi Germanis tradiderant, cum minus se posse existimarent, Romanis simul, ac Germanis resistere. Id sanè factũ non solum nil prorsus Romani interpellarunt, sed ut Gallias sibi Germani haberent, Iustinianus ultrò permisit. Non enim illi has tuto se possessuros rebantur, nisi & Imperator, ut suæ ditionis futuras perpetuo confirmasset. Quo factum ut eo ex tempore principes Germanorum Massiliam Phocensium quondã coloniam, & cætera circa id mare loca tenuerint, totiusq; eius oræ maritimę potiti imperio sint. Vnde & Arelate nunc residentad certaminis equestris spectaculum. Aureum numum, è natiuo Galliarum metallo hĳ cudunt, non Romani Imperatoris ut cæteri solent, imagine, sed sua impressa. Persarum siquidem Imperator etsi ad arbitrium argenteum nomisma facit, auro tamen nõ illi fas est, suam, ut indat effigiem, nec barbarorum princeps alius quisquam id facere ausit.

Hactenus Procopius,

Cui Græcus item author Agathius his uerbis astipulatur.

FRancorum, inquit, natio Italiæ proxima est, & terminis iuncta. Veteres tamen hos esse Germanos dixere, quod utiq; ex eo sat liquet. Nam circa Rhenum hĳ habitant, & huic propinquas incolunt partes, Galliarumq; maximam possident partem non propriam, sed ui

ui & in posterum occupatam. Habent præterea Massiliam urbem Ionum olim coloniam. Hanc enim Phocenses quondam per Medos sedibus suis abacti incoluere, Dario Hidaspis filio rege Persarū regnante, nunc uero Græca ex urbe, reddita iam barbara est. Nam patrio illo reiecto, & prisco uiuendi modo, imperantium utitur institutis. Tametsi hoc tempore uideatur non admodum pristina dignitate defectior, nimirum cum Germani haudquaquam sint (ut plurimi barbarorū) pastores, sed Romanorum politia & alijs institutis, & multis utuntur. Hisdemq; legibus uiuunt, & cæteris item, ut in conuentibus faciendis & nuptijs medelisq; eadem statuunt. Sunt quippe omnes hij Christiani, & rectissimæ inter cæteros omneis opinionis. Habent præterea per ciuitates antistites sacerdotesq;: Festos insuper haud secus ac ipsi nos peragunt dies. Et sane hi mihi, etsi cætera barbari, moribus tamen uidentur quàm optimis præditi, & maximum in modum ciuiles. Nec quicquam habere quod à nobis hos faciat alienos præter uestitus barbariem, & uocis innatæ sonum linguæq;. Quos equidem cum ob eorum uirtutes, tum ob in cęteros æquitatem, inter seq; concordiam, mirum in modum admiratione ac laudibus prosequor, & magnifacio.

HAec Agathias, qui item Iustiniani temporibus scripsit. Atq; horum sane scriptorum testimonia ipsis illorum uerbis commemorare uisum est operę pretium: cum quia libello de Germanis tractanti, hæc quę posteriorib. temporibus acciderunt, plurimum quadrare uidebantur, tum ut grauium uirorum autoritate Germaniam asseramus, eos qui hodie lingua Germanica utuntur semper fuisse Germanos ostendendo, quando uerbis apertissimis scribit Agathias. Galliarum illos maximam possedisse partem, non propriam, sed ui & in posterum occupatam. Transtulerunt igitur Galliam in Germaniam, partim submotis, partim occisis habitatoribus, id quod diuus Hieronymus in epistola ad Gerontiam his uerbis clarissime testatur: Remorum, inquit, urbs præpotens, Ambiani, Atrebatæ, extremiq; hominum Morini, Tornacus, Nemetæ, Argentoratus, translati in Germaniam. Hieronymo subscribit Eutropius qui Arrabatas, Ambianos, Menapios, Veromanduos, Atuaticos, Conduenses, Eburones, suo æuo Germanos fuisse uocatos testatur. Idem autor est Augustum CCCC M. captiuorum ex Germania transtulisse, & supra ripam Rheni in Gallia collocasse. Cæterum unde Germanorum uocabulum sit ortum, ab autoribus uariæ afferuntur rationes. Quidam fabulantur, Troianorum reliquias mari aduectas in ripa Rheni pulsis Gallis consedisse, eosdemq; Germanos fuisse uocatos à Romanis, qui item in Troianos originem suam referunt, quasi fratres, affinitatis uidelicet gratia. De hac tamen re nihil uspiam extat in literis, excepto Iordano Osnaburgio. Nec Iulius Cæsar tanti momenti rem silentio uidetur præteriturus fuisse, magnificus ubique ostentator. Sed ut Liuianum illud immuratis paululum uerbis proferamus, datur hæc uenia antiquitati ut miscendo fabulosa ueris primordia populorum augustiora faciat. Receptior opinio est eos qui primum in Gallorum finibus transito Rheno consederūt, ab inita quadam affinitate Germanos à Latinis fuisse nuncupatos, unde deductum uocabulum omnibus postea commune factum fuerit, quod etiam Cornelius Tacitus

docet. Non omittendum hoc loco quod Erasmus Roterodamus in suis in Hieronymum scholijs scribit, exponēs Germanum esse quod Græci γνήσιον appellent, hoc est, genuinum, cuius contrarium sit νόθον, hoc est, adulterinum. Nec, inquit, absurdum sit, Germanorum gentem hinc appellatam uideri: quos si cum reliquis conferas nationibus, minimum fuci, plurimum antiquæ synceritatis ac fidei & rusticanæ (ut dici solet) ueritatis obtinent. Porro Alemanorum uocabulum recentius esse. Flauius Vopiscus his uerbis in uita Proculi testatur. Alemānos, inquit, qui tunc adhuc Germani dicebantur, non sine gloriæ splendore contriuit. Fuerunt autem Alemanni dicti non à Lemanno lacu, sed quod esset collectitia diuersorum hominum multitudo, *allerley man vys allenlanden mann*. Id quod Agathius ex Asinij Quadrati autoritate nos docuit, sic scribens: Alemanni inquit, si Asinio Quadrato uiro Italicensi fides præstanda est, qui res Germanorum diligenter perscripsit, aduenticij sunt, & ex uaria hominū colluuione conflati, quod sane eorum cognomento præfertur. De uictoria quam ab Alemannis pugna longe accerrima ad Tilbiacum oppidū commissa Franci reportarunt, lege Paulum Aemilium libro primo. Denicq; Germaniæ uocabulum apud autores etiam plurative reperies usurpatū quod multiplex sit, superior uidelicet, & inferior, Cisrhenanā & Trāsrhenana, prima quoq; & secūda Am. Marcellino: sic enim Germanias dicimus, sicut & Gallias, Rhetias & Pannonias. Scribit autē Ammianus ita diuisas Galliæ Germaniæq; prouincias. Prima Germania Moguntiaco, Argentoratoq; nobilis. Secunda Germania in qua Agrippina & Tungri. Prima Belgica, Mediomatrices & Treuiros habens: tum secūda, Remos Sequanos, Ambianos complexa. Hinc Lugdunensis prima Senones, Bituriges, Lugdunū, Augustodunum. Secunda Botomagum. Mediolanum, Tricaspinas Alpes continebat. Eodem modo & Aquitaniæ fines distincti. autor Alciatus.

A Gallis] Res est annotatu dignissima, quod ueteres Romani Gallos omnes et Germanos Gallorum uocabulo nuncupabant. Quemadmodum item & Græci cum Gallis tum Germanis Celtarum appellationem accommodarunt. Hęc res non animaduersa, multis errandi causa fuit. Refert à Celtis aditum Alexandrum magnum in Gethis tum agentem. Strabo, haud dubie Germanos intelligens, ut recte uertit Arriani interpres, hanc quoq; rem commemorantis. At perperam multi: Scribit Appianus carnificem illum qui ad occidendum Marium in carcerem fuerat ingressus, Celtam fuisse. Gallum reddidit interpres. Cum tamen Velleius historicus latinus Germanum fuisse dicat, sic scribens. Ad quem interficiendum missus cum gladio seruus publicus natione Germanus, qui fortē ab imperatore eo, bello Cymbrico captus erat, & c. Præterea scribit Herodotus in Celtis oriri Danubiū, quem tamen constat ex suprēmis Herciniæ syluę montibus profluere, ceu mox dicturi sumus.

Rhetijsq;] Idoneis autoribus esse Rhetia uidetur, quam hodie Sueuiam uocamus. Nam Ptolemęus Taxagetum, Brigantium, & Campodunum hoc est, ut quidam uolūt, Rotuuilam seu Rotūdamuillam, Pregnitium & Campodunum, in Rhetia ponit. Quidam Austrios etiam Rhetorum uocabulo cōprehendi uolūt. Et extat hodie tractus in Sueuis, qua Noricum spectant, à Rhetis appellatus, *im Rhyes*. Vtcunq; sit, uerisimile est Rhetorum aliquos in Illyricum penetrasse, qui hodieq; Rhetzeni uocantur, *die Rhetzen*, Bellis equestrem nauant operam, & Parthicum quiddam referunt, celerrimis utentes equis, in speciem quidem turpibus, sed ad cursum promptis & laborum patientibus. Rhetos hodie uocamus, qui Curiensem Episcopum agnoscunt. Dicta autem fuit Curia Rhetiæ, propterea quod illic olim causæ cognoscerentur. Rhetici uini meminit Suetonius & eo delectatū Augustū scribit, *Veltliner wein*. Arguit autem Rhetiarū uocabulum uariam fuisse Rhetiam superiorem, inferiorem, planam, Alpestrem, & Cisalpinam &c.

Et Pan-

Et Pannonijs] Numero multitudinis usus est. Nam superior est, & inferior. Superiorem, Austriam hodie uocant. Inferiorem, Vngariam. Velleius ubi Pannonici belli narrationem exorditur. In omnibus, inquit, Pannonijs non disciplinę tantūmodo, sed linguæ quoq; noticia Romanæ, plerisq; etiam literarum usus, & familiaris erat animorum exercitatio. Porro uocatam Austriam ab Austrasia Gallica, Paulus Aemilius autor est.

A Sarmatis] Sarmatia duplex est. altera Asiæ quæ hodie Tartaria dicitur: Europæ altera, quam Poloniam appellant. Schytarum olim regio fuit.

Rheticarum Alpium] Vt studiosi iuuentur, ac melius historicos intelligere possint, oportunum uisum est hoc loco referre, quæ de uarijs Alpium uocabulis And. Alciatus Mediolanensis uir impense doctus in annotationibus suis in Tacitum scribit his quidem uerbis: Locus hic, inquit, admonet, ut uaria Alpium nomina attingam, quandò eorum qui de his scripsere etiam de recentioribus diligentiam non satis probem. Igitur Alpes Pœnas ipse eas esse opinor, per quas ex Druentia flumine, rectà in Italiam tenditur Brigantionem uersus & Ferietā, quæ uia nostro quoq; tempore est frequens. Graias uero esse, quæ & maritimæ, qđ per eas Hercules iuerit: ubi etiā Monœci portus illi sacer, ut autor est Amianus lib. 15. Coctias autem existimauerim, qua à Sugesio oppido per Centronas itur, tametsi recentiores: ut Paulus Diaconus & Georg. Merula, Coctias esse existiment, in quibus Bobium urbs est, quod antiquis autoribus non est probabile. Sed & Coctias appellatas quandoq; etiam Iulias, non falso fortasse aliqui tradunt quod in eas per Tricaspinos eatur. Bellouesum autem per Tricaspinos in Iulias Alpes uenisse, Liuius est autor. Sed & nō male Iulias Tacitus appellat alpes, quæ uersus Carnos sunt, unde & Iulium Carnicum, & forum Iulij, qua ex Venetia in Noricum itur: cui sententiæ ex recentioribus adstipulatur Sabellicus in Aquileiense Historia. Sunt & Rheticæ Alpes quibus in Rhetos uadimus, quos uulgo Chrisones uocant. Incipiunt ab Adya monte Straboni corrupte legitur nunc adula, nunc aduela, id est, inaccesso, uernacula simplicitas monte Bralium nuncupat in Volturena, seu ut imperiti, in ualle Tellina, & in Venetiam protenduntur, donec Ocra subeant. Leopontiæ adhuc seruant nomen, sunt in Suitensibus qua Claronam ex Bilitionis castro rectà tendimus. In Alpibus, quas Cæsar in Comment. Summas appellat, cum cæteris conuenio. Sunt inter Sedunos & Veragros & ubi Octodorus est pagus, quē sancti Mauritij uocant. Cæterum quamuis, hæc nostra sententia uideatur plurimis autoribus congruere, non arbitror omittendum esse etiam qui refragentur, quando Ptolemæus inter Adulam & Ocram Pœnas Alpes collocet, quo in loco esse Rhetica iuga ipsa prodidit: uerum ex Plinio illius sententia confutatur, qui de Graijs & Pœnis in Salassos descēdere tradit: ut fortasse Pœninæ Alpes illic incipiant, & desinant in maritimas, si Amianū sequimur. Est & adhuc Suitensib. qui uulgo eorum sermone Alpes *Grey* dicatur mons, qua Friburgum tendimus. Ipse inter ueteres non omnino constitisse harum nomenclaturam existimo. Nam & Plinius in Lepuntijs dissidere fere uisus est, qui cum Coctiana iuga Cētronibus uicina tradidisset. Graijs Alpibus aut easdem, aut certe contiguas Lepuntias mauult, quod non probo cum longè grauior sit autor Cæsar, unde nostra sententia fulcitur: & Plinius non affirmet, sed aliorum relatione ex etymo innuere uideatur. Hęc Andreas Alciatus.

Alpes Pœnæ. *Graiæ.* *Coctiæ.* *Iuliæ.* *Rheticæ.* *Adya mons* *nunc adula.* *Leopontiæ* *Summæ.*

Danubius,] Andreas Alciatus Mediolanēsis, in annotationibus suis, quas in Cor. Tacitum scripsit, hunc locum cum castigans, tum exponens sic scribit: Danubius præcipiti & excelso montis Arbonæ iugo oritur. Ausonius ignotum Danubij fontem esse scribit: Danubius penitis caput occultatus in oris. Apollon. ab Hyperboreis nasci eum cecinit manifesto commento: sed omnino Ta-

citi uera est sententia, si non Arbonę, sed Arnobi legatur. In eius enim radicibus oriri iam notissimum est prope Hercyniam syluam, uulgo sylnæ nigræ nomen seruat, ex ad aduersa Rauracûm, quorum oppidū est Basilea. Arnobi Plin. Ptolemæusq; meminit. de hostijs quoq; non eadē sentiunt autores. Hactenus ille. Sed quando ortus Danubij nobis paulo compertior est, à quo non ita multum absumus, quod tamen cum Alciati uenia dictum sit, & scriptorum, quos secutus est, Plinij præcipue lectorem admonitum uolumus, recte scripsisse Cornelium, ex molli enim & clementer ædito mōtis Arbonæ iugo scaturit. Vbi uidetur Cornelius totam eam Hercinij nemoris regiūculam, quam hodie uocamus, *vff der har*, montem Arbonā appellare: nullus autem illic mons est paulo altior, colles tantum sunt terreni. Cultores rem rusticam exercent, & alendis bubus cum laude uacant. Nec fugit nos Arbonæ nomenclaturam oppidulo cuidam ad lacū Constantiensem tribui: sed uerisimile est hic tractum illum in quo Danubius oritur Arbonæ uocabulo signari, Germanica uulgatæ appellationis allusione suffragante. Oritur aūt apud uiculum quem appellant Eschingiacum Danubij, *Dunaschingen*. De hostijs quibus in mare se exonerat, uide Pomponium Melam, Solinum, Strabonem, & alios. Omnes autē Europæ fluuios magnitudine superat, accessione sexaginta fluminum nauigabilium auctus. Ab undarum strepitu seu sono nomen sibi inuenit, ut curiosis placet. Ingreditur mare Euxinum.

Tuistonem Deum.] De Tuistone Deo, qui Germanis omnibus nomen dedit, & huius filio Manno, rursum huius tribus filijs Ingæuone, Hermione Istæuone, uide Berosum libro secundo.

Ingęuones.] Hos uolūt esse Cimbros & Teutonas autore Plinio, Hodie Daci fuerint Sarmatarum nonnulli. Lege Solinum & Berosum.

Medij Hermiones.] Hermionum gentes recēset Plin. Sueuos, Hermunduros, Cattos, Cheruscos. Videntur esse Saxones hodie, aut certe Pomerani.

Istęuones.] Hos quidam putant esse reliquos Germanos ad Rhenum uergētes. Vide Plinium.

Marsos.] De Marso Hermionis filio & huius filio Gambiurio & nepotibus Sueuo Vandalo, lege Berosum. De uicis Marsorum meminit Tacitus libro 1.

Tungri.] Hos in secūda Germania ponit Marcellinus cum Agrippinensibus. Siti sunt inter Ebu[illegible]rones, Rhenum & Mosam. Extat adhuc oppidulū hoc nomine. Tungrorum oppidum esse Attuaticum scribit Ptol. Apud Tungros olim sedem Episcopalem fuisse memorant, quę post ad Leodium fuerit translata.

Asciburgiumq;.] In hoc Asciburgio nomine, sicut & in multis alijs, ab omnib. Cosmographię expositoribus erratum est. Non enim (ut putāt,) est id oppidum quod hodie *Emmerich* uocitat, in Cliuensi ducatu: sed uerus huius Asciburgij ciuitatis locus uisitur in comitatu Morsensi, eodē adhuc nomine gaudēs, olim super Rhenū, quem tunc illic prętefluxisse certum est, situs, quando Morsatiorum, ut Plin. uocat, erat insula. Vbi adhuc ab agricolis plurima sub terra murorum, nummorum, & antiquitatis reperiuntur uestigia. Alibi Tacitus Asciburgij meminit lib. uigesimo sic scribens: Rapiunt in transitu hybernæ alæ Asciburgij sita.

Vidimus sub diuo Vespa. Velledā.] Hæc uirgo gentis Bructeræ fuit, & amplā apud Germanos administrabat ditionem, id quod his uerbis lib. uigesimo Tacitus explicat, Munius Lupercus legatus legionis inter dona missus Velledæ. Ea uirgo nationis Bructerę, late imperitabat, uetere apud Germanos more, quo plerasq; fœminarum fatidicas, & augescente superstitione arbitrentur deas. Tūcq; Velledæ autoritas adoleuit. Nam prosperas Germanis res & excidium legionū prædixerat. Meminit eiusdem rursus libro uigesimo primo circa finem.

Hercyniam syluam.] Arbitrantur hanc syluam à pice seu resina, quam Germani *Harę* uocant, nomen inuenisse, quę in Heluetijs initium accipiens ad Dacos usque

usq; porrigitur, uarie accolarum uocabulis appellata, cum tamen eadem sylua sit. A Thuringis Thuringica sylua, à Bohemis sylua Bohemica, Bacenis. Hercyniã sylua nouem dierum spatio putat Cæsar expeditum emetiri posse. Multo plurib⁹: Mela: Nec negat Cęsar.

Mœnim.] Hunc fluuium quidam Moganum, quidam Mogum uocant. Oritur in montibus orientalis Franciæ & Francofordiã nobilissimũ Germaniæ emporiũ præterlapsus, apud Moguntiã rheno miscetur. Vnde & ei ciuitati nomen.

Heluetij.] Ostẽdit Tacitus ueterum olim Heluetiorum partem è Gallia rhenũ transgressam, eas incoluisse regiones, quæ Comiti Palatino, Marchioniq; Badẽsi & Spirensi Episcopo hodie parent. De Heluetijs nemo melius scripsit Cęsare. Non uidetur alienũ propter mediæ antiquitatis studiosos, cuius cognitio haud scio an difficilior, an magis necessaria, hoc loco comemorare, quare de Heluetijs Andreas Alciatus Mediolanensis in suis annotationibus in Tacitum, prodidit: Eutropius, inquit, Heluetiorum sedes à Quadis occupatas satis ostendit, ut suspicer omnes deletos, cum Quadi Marcomaniq; sub Aureliano in Italiam prorupere. Extat adhuc in eis uallis Marcomana nomine, periere & illi, atq; ab Alemannis (colluuies Germanorum erat) superati, in eorum nomen concessere: à Theodorico, deinde Gottho uicti, Frãcis ex fœdere dediti sunt: aucti demum Saxonum accessione, quos ob uiolatam pluries fidem sedibus eiectos Carolus Magnus in Alpes coniecit, Suitenses cœpere dici. paruere deinde regibus Germanorum. Centum fere anni sunt, cum se cæsis præfectis in libertatem asseruere cum cæde repressis Cæsaribus. Hac ætate prima illis peditatus gloria. A' Philippo Vic. quod deletis cohortibus dedecus subierant, frequentibus nunc uictorijs recuperauere, nisi quod & memorabili prælio sua inter se perfidia in suburbanis Mediola. à Francisco Frãcorum rege cæsi, superbos titulos deponere rursus coacti sunt. Hæc Andreas Alciatus. Qui tametsi diligẽter euoluerit historias, etiam eorum qui mediam antiquitatem utcunq; monumentis illustratũt: manifeste ramen labitur, cum inquit, Heluetios paruisse regibus Germanorum, ut de uindicata libertatis tempore taceamus, nisi regum nomine duces Austriæ intelligat, aut de quibusdam oppidis, Berna, Turrego, Schafhusia loquatur, quæ Romanum quod uocant, imperium & agnouerunt olim, & adhuc reuerenter agnoscunt. Nam cum hæc proderentur, de electione noui imperatoris qui in demortui Maximiliani Cæsaris locum substitueretur, ad Põtificem Romanum & electores Germaniæ principes, non ciuitates modo, sed & pagi omnes Heluetiorum, habitis apud Turregum comitijs, concordi uoluntate literas scripserunt, in quibus à corpore Romani imperij, quod uocant, se nullo modo separãt. Porro quid sibi superborum titulorũ mentio uelit, quos deposuisse Heluetios scribit, ut ingenue fateamur, haud intelligimus, cum modestiam Heluetiotum prædicẽt omnes, & his sit peculiare non uerbis, sed factis gloriari. Verum multis dolet aliena fœlicitas. Alciato subscribit Ioachimus Vadianus Heluetiorum in literis decus, in commentarijs suis in Pompo. Mela m hijs uerbis, Heluetiorum tractum hodie habitant ex Germanis illuc profecti, &c. Paulus Aemilius Transiutanorum uocabulo uidetur Heluetios significare, cum inquit lib. primo. Transiurani ferox genus hominum Burgundionibus, ante rerum potientibus attributi, nunc sui prope iuris effecti, &c.

Vlteriora Boij.] Boij in Germaniam olim transgressi, incinctos Hercynię sylua cãpos incoluerunt, quæ regio propter antiquos cultores Boios Boienheym dicta est à Germanis quasi Boiorum olim patria: nam *heym* Germanica dictio patriam significat. In eam regionem expulsis Boijs, Quadi & Marcomani immigrarunt. De Quadis mox Tacitus. de Marcomanis testatur Velleius, sic scribens Sentio Saturnino mandatum, ut per Catthos excisis continentibus Hercyniæ

ſyluis legiones Boiohœmum (id regioni quam incolebat Maroboduus nomen eſt) duceret. Fuit autem Maroboduus eodem autore teſte, Marcomanorum princeps. Hanc deinde regionem poſt Marcomanos & Quados, quos in Heluetijs cõſediſſe ſcribit Alciatus patrijs ſedibus relictis, Dalmatarum populus quidam cum Sarmatia, quam Poloniam uocant, occupauit: & etiamnum hodie tenent. Priſcum tamen manſit: nam Bohemiam adhuc uocant à Boijs illis Gallicis. Dij boni, quæ rerum, imò regnorum uiciſſitudines?

Auariſci.] Auariſci Pannoniæ populi fuerunt, ut multi uolunt, inferioris: quorum hodie ſedes Hungari tenent, olim Vnni dicti. Oſi uero Germaniæ partem coluerunt, quos una cum alijs populis quibuſdam, Marcomanorum Quadorumq; terga claudere Tacitus ſcribit. Ei igitur regioni uicini fuerunt, quæ hodie Morauia dicitur, uerſus Sleſiam & Poloniam. Taciti uerba ſic Picus carmine complexus eſt, in Stauroſticho.

Oſus Auariſco dubium deductus ab illo,
An genus antiquum referat.

Treuiri & Neruij.] Neruij legendum eſt non Neruili, quemadmodum codices impreſſi habent. Sunt autem Neruij populi Menapijs, hoc eſt, Iulia cenſibus uicini, quorum oppidum eſt Tornacus, *Die in Tornayer biſtumb, nit wit von Flandrē.* Porrò Treuiorũ antiquitas uulgo quoq; nota eſt. Sed nõ eſt nũc ociũ fabulas narrãdi.

Vangiones.] Vangiones populi ſunt ad Rhenum habitantes, quorum oppidum eſt Vuormacia illa diutinis ſacerdotum ſuorum litibus & multis belli incommodis totam ætatem noſtram miſere diuexata. Vangionum nomenclaturam à Germanico uocabulo *Sungow* ortam putant.

Treboci.] Treboci ſunt qui circa Argentoratum habitant. Vnde ea ciuitas *Strasburg*, quaſi Treboch uulgo uocatur, detorto nonnihil uocabulo, ceu fieri ſolet. Nam quod tradunt poſt Attilæ deuaſtationem hoc uocabolum adeptam, fabulæ ſimillimum eſt. Erat enim perexiguum oppidum. Et inſignis iſte Pyrgopolinices, ac πολιορκητὴς: alias complures urbes deleuit, in quas æquius hoc nominis competiſſet.

Nemetes.] Hos eos eſſe putant, qui hodie Spirenſem agnoſcunt antiſtitem, quorum caput eſt Spira.

Vbij.] Vbij ſunt qui circa Coloniam Agrippinam Rhenũ accolunt, qui Germanos conſanguineos ſuos uocant in oratione, qua Tencteris reſpõdent apud Tacitum, libro uigeſimo.

Batui.] Hos Hollandos eſſe uolunt. De Batuis in Cornelij hiſtorijs multa. Silius libro ſecundo.

Iam puer auricomo perfomidate Batauo.

Mattiacorum gens.] Mattiacos hodie Selandos putant. Mattium fuiſſe caput Catthorum, ſcribit Tacitus libro primo. Eſt pilarum Mattiacarum apud Martialem mentio, quibus ſaponem innuit, ut annotauit Hermolaus.

Vltra hos Catthi.] Catthorum regionem quidam hodie Turingos colere uolunt, quidam Heſſos & Francones, Silius:

Hæc eſt quæ uictis parcentia fœdera Cattis. Martialis,
—Ex Catthis gloria tota eſt. De Domitiano loquitur.

Vſipios.] Hos Catthis uicinos ad Oceanũ habitaſſe uolũt, deinde uero à Sueuis actos, in Galliã ſe cõtuliſſe: ,,pterea ſunt qui hos Iuliacẽſes interpretẽtur aut Cliuẽſes. Vocat hos alibi Tacitus Vſipetes, cũ inqt, lib. 1. Exciuit ea cędes, Bructeros, Tubãtes, Vſipetes. Ex quo etiã colligere potes, quib. populis uicini fuerint.

Ac Tencteri.] Tencteros olim alteram Rheni ripam coluiſſe, quæ ex aduerſo eſt Vbiorum, Tacitus auctor eſt de Vbijs loquens libro uiceſimo. Igitur Tencteri Rheno diſcreta gens. Hos ferunt in Galliam poſt tranſgreſſos, cum à Sueuis affligeren-

affligerentur, iuxta Menapios consedisse.

Iuxta Tencteros Bructeri.] Bructeri, quos olim Tencteris uicinos fuisse scribit Tacitus, hodie Pruteni, & Prussi uocantur. Forsan à Tencteris pulsi, in Sarmatiam concessere. Sidonius.

Bructerus ulmosa quem uolucer abluit unda.] Vlmigeri quoq; dicti sunt. Habitasse eos ad syluam Hercyniam, qua ad Germanicum mare porrigitur, Claudianus autor est, dum inquit.

Venit accola syluæ, Bructerus Hercyniæ latisq; paludibus exit. Cymbrus.

Nunc Chamauos.] Hos olim ueteris, ut hodie uocant, Marchiæ regionem coluisse ferunt.

Et Angriuarios.] Hos item Brunsuigenses aut Saxones faciunt.

A tergo Dulgibini & Casuarij.] Hos hodie quidam Thuringos interpretantur.

Chaucorum gens.] Chaucos maiores, Saxones esse uolũt, minores, Phrisios.

Cherusi.] Cheruscos olim Saxoniæ partem, & partem ueteris Marchiæ tenuisse, uerisimile est. Nam ad Albim fluuiũ habitarunt. Vnde Claudianus canit.

Et ingentes Albim liquere Cherusci.

De hijs populis deuictis, quos hic recensuit Tacitus, triumphum eodem autore Germanicus Cæsar egit, sic enim scribit libro secundo, C. Cælio, L. Pomponio consulibus Germanicus Cæsar ad VII. Calen. Iunias triumphauit de Cheruscis, Cattisq; & Angriuarijs, quæq; aliæ nationes usq; ad Albim colunt.

Proximi Oceano Cimbri.] Cimbrorum loca uidentur hodie tenere Saxonũ ultimi, & alij quidam ad mare populi. Cymbricam Chersonessum Daciam appellant. Græci Cimmerios uocant, & inter Sauromatas ponit eos Strabo.

Nunc de Sueuis.] Sueuos cum utranq; Albis fluuij ripam coluerint, horũ qui hodie Saxones appellantur, haud dubie loca tenuerunt. Lucanus,

Fundit ab extremo flauos aquilone Sueuos.

Albis.] Hi deinde Rhetiam inferiorem inuasere quam adhuc tenent, hodie Sueuiam à se nominatam. De Sueuorum & Saxonum bello meminit Paulus Aemilius libro primo.

Sueuorum Semnones. Semnonum regionem quibusdam hodie Lusatij colere uidentur. Horum fines Albis præterlabitur Velleio teste, cuius hæc sunt uerba. A Rheno usq; ad flumen Albim, qui Semnonum Hermundurorumq; fines præterfluit Romanus cum signis productus exercitus.

Contrà Longobardis.] Misnensium hodie regionem, Longobardorum regionem olim fuisse quidam uolunt. Vuestualiorum alij, quod hos non procul à Rheno ponat Ptolemæus. De his Paulum Vuarnefridum lege Hos Velleius ferocissimos fuisse testatur: Fracti, inquit, Longobardi, gens etiam Germana feritate ferocior. Longobardos Sueuis attribuit Tacitus, cum inquit lib. 2. Sed è regno etiã Marobodui Sueuę gentes Semnones ac Longobardi defecere ad eũ.

Reudigini, deinde & Auiones.] Hi populi, quos hic commemorat Tacitus, quando quidẽ ipso teste, in secretiora Germaniæ porriguntur, eas regiones uidẽtur olim tenuisse, quas hodie uel Mechelburgẽses, uel Pomerani possident. Varinorum meminit Plinius. Hodie Varnos uocant. Liuoniæ populus est.

Anglij.] Ea Saxonum gens est, quæ post à Britannis cũ Scotorũ Pictorumq; bello uexarentur, pacta mercede excita, ubi illorum audaciam coercuisset, Britannos, à quibus accersita receptaq; fuerat per causam, quod stipẽdia cum fide sibi nõ persolui diceret, fortunis exiuit, postremo indignitate coegit eos nouas in Gallia sedes spectare. Auctor Paulus Aemilius, cuius uerba retulimus. Ab his nominata Anglia.

Hermũdurorum.] Hermunduros iuxta Albim habitasse autorũ cõsensus est.

Præterfluit

Prætersluit Hermundurorum fines Albis inquit Velleius, imò in Hermunduris Albis oritur, ut scribit Tacitus. At constat ex eo Hercinij nemoris saltu, quæ hodie sylua Bohemica dicitur, Albim oriri. Igitur sub Bohemicam syluam ad Albim fluuium olim Hermunduri habitarunt. De Hermunduris populis meminit Aulus Gellius noctium Atticarum, lib. 16. cap. 4.

Rhetię prouinciæ Colonia.] Forsan eam ciuitatẽ signat, quæ hodie Augusta Vindelicorum dicitur. Olim Rhetiæ ciuitas erat inferioris uidelicet, hodie Sueuiæ caput.

Narisci.] Narisços Marcomannos, & Quados haud dubie ea loca tenuisse putamus, ubi nunc agunt Morauí, *Merrher landt*. De Marcomannis nemo dubitare potest, qui Velleium legerit, sic scribentẽ. Nihil erat iam in Germania quod uinci posset, præter gentem Marcomannorum, quæ Maroboduo duce excita sedibus suis, atqꝫ in inferiora refugiẽs, incinctos Hercyniæ syluæ campos incolebat. Vides igitur eos ex ea quæ hodie est Morauia, in Bohemiam expulsis Boijs penetrasse. Nam paulo post Velleius apertè testatur Bohemiam eos habitasse, cũ inquit, ut duceret legiones Boiohemum, id regioni quam incolebat Maroboduus, nomẽ est. Preterea Marcomãnorum regionem idem autor pulchre describit his uerbis. Eratqꝫ etiam eo timendus, quod cum Germaniam ad leuam, & in fronte, Pannoniam ad dexteram, à tergo sedium suarum haberet Noricos, tanquam in omnes semper uenturus, ab omnibus timebatur. Loquitur autem de Maroboduo Marcomanorum rege. Quados in Heluetijs pòst consedisse subinnuit Eutropius. Cæterum, ut hic curiosi simus, ab equis nomen adepti uidentur Marcomani. Nam equum lingua sua marcam Celtæ, hoc est, Germani uocabant, Pausania teste. cuius hæc sunt uerba, τὸτο ὀνόμαζον οἱ σύνταγμα τριμαρκισίαν τῇ ἐπιχωρίῳ φωνῇ, καὶ ἵππων οἱ ὄνομα εἶσω τις μάρκαν ὄντα ἀπὸ τῶν κελτῶν, Hoc est, Huiusmodi trium equitum ordinem Galatæ patrio uocabulo, *dry march*, appellant. Atqꝫ sciendum equorum esse uocabulum marcam apud Celtas. Loquitur autem de Brenno qui Græciam euastauit. Quę uerba cum perpenderemus nuper, in mentem nobis uenit, quem equitem auratum Latine uocamus, olim *ein Dritter* dictum, ob duos adiunctos equites, quemadmodum pluribus uerbis illic Pausanias uetustum morem explicat: quem hodieqꝫ Franci obseruant, deinde uero *Ritter* d littera expuncta. Quod nisi uereremur ne lectori prolixitas molestiam afferret, Pausanię uerba citaremus in medium, sed quando codex excusus est, qui uolet, illic requirat. A Marca quod equum significat, equorum seu stabuli magistrum *Marcstaller* etiamnum appellamus, & equitum prefectum, *ein Marckgrauen*. Militaris enim dignitatis & officij nomen est utrunqꝫ. Porrò hodiernum Morauię uocabulum, *Merrhenlant*, equorum regionem significat, cum equas uulgo *Merrhen* uocemus. Extant adhuc in Saxonibus duarum Marcarum nomina, ueteris & nouæ, quibus forsan equestris militia huius appellationis causa fuit. Videntur enim equis olim Marcomani ualuisse, quemadmodum hodie Franci. Corripuit penultimam huius dictionis Silius.

Quę modo Marcomanos post horrida bella, ferosqꝫ Sauromatas.

Nobile Maroboduí.] Velleius pulcherrimis laudum elogijs Maroboduũ immortalitati consecrauit, sic scribens: Maroboduus genere nobilis, corpore prędualens, animo ferox, natione magis quã ratione barbarus, nõ tumultuariũ, neqꝫ fortuitum, neqꝫ nobilẽ, & ex uoluntate parentũ constantem, inter suos occupauit principatũ: sed certũ imperiũ uimqꝫ regiam cõplexus animo, statuit auocata procul à Romanis gente sua progredi: ubi cum potentiora arma refugisset, sua faceret potentissima. Occupatis igitur (quos prędiximus) locis, finitimos omneis aut bello domuit, aut conditionibus iuris sui fecit. Corpus suum custodia, tum imperium perpetuis exercitijs penè ad Romanę disciplinę formam redactum,

redactum,breui in eminens & nostro quoq; imperio timendum perduxit fastigium, gerebatq; se ita aduersus Romanos,ut neq; bello nos lacesseret,sed tamẽ ostenderet si lacesseretur,superesse sibi uim ac uoluntatẽ resistendi.Legati,quos mittebat ad Cæsares interdum ut supplicem commendabant, interdum ut pro pari loquebantur.Gentibus,hominibusq; à nobis deciscentibus erat apud eum perfugium,totumq; ex male dissimulato agebat æmulum, exercitumq; quem LXX.milliũ peditũ,quatuor equitũ fecerat,assiduis aduersus finitimos bellis exercendo, maiori quã habebat opera præparabat.Hactenus Velleius.Sed quæ tãdem ultima Marobodui fortuna fuerit,Tacitus his uerbis ostendit libro secundo.Maroboduo undiq; deserto, non aliud subsidium quam misericordia Cæsaris fuit,transgressus Danubium,qua Noricam prouinciam præfluit: scripsit Tiberio,non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortunæ:nam multis nationibus clarissimum quondam regem ad se uocantibus Romanam amicitiam præstitisse.Responsum à Cęsare, tutam ei honoratamq; sedem in Italia fore si maneret; sin rebus suis aliud conduceret,abiturum fide qua uenisset.Cęterũ apud Senatum differuit;non Philippum Athenienſibus,non Pyrrhum aut Antiochum populo Romano perinde metuendos fuisse. Extat oratio qua magnitudinem uiri,uiolentiam subiectarum ei gentium & quam propinquus Italię hostis,suaq; in destruendo eo consilia extulit. Et Maroboduus quidem Rauennæ habitus:& si quando insolescerent Sueui quasi rediturus in regnum ostẽtabatur,sed non excessit Italia per duodeuiginti annos,consenuitq; multum imminuta claritate ob nimiam uiuendi cupidinem.Hęc Tacitus apud quem alibi Maroboduum fugacẽ appellat Arminus, præliorum expertem, ac Hercinię latebris defensum.Porro ut rursus curiosi simus.Maroboduum dictum putamus quod equi corpus referret,à Marck,quod equũ significat,& boden,corpus: hoc enim uocabulo quidã populi adhuc utuntur.De Anglis satis constat.Hinc enim Marchardi quoq; nomen deductum arbitramur,quemadmodum Berẽhardi,Leuuẽhardi,ab equi uidelicet ursi & leonis robore.Sed de hac re satis nugatum supra. Marobodui meminit etiam Suetonius, Marobodum eum appellans: quę uox Germanicam originem germanius refert.Eius hęc uerba sunt in Tiberio,Quosdam per blanditias atq; promissa extractos ad se nõ remisit,ut Marobodũ Germanum,Trasypolum Thracem, Archelaum Cappadocem, [illegible]ius etiam regnũ in formam prouinciæ redegit.

Marsigni, Gothini.] Hi populi quos hic nominat Tacitus, Marcomanis & Quadis uicini fuerunt,horũ sedes partim Schlesij,partim Poloni tenere uidentur. Gothinos Gallica lingua conarguit.] Ex hoc loco colligi potest etiam olim aliam Gallorum fuisse linguam,aliam Germanorum.Sed quę fuerit Gallorum, non constat.Nam linguam qua hodie utuntur, certum est esse nouam, à Romanis,qui post Iulium Cęsarẽ in illis prouincijs assidue uersati sunt plurimis ubiq; deductis Colonijs,dubio procul acceptam.Vnde Gallorum multi,linguam suã etiam hodie Romanam uocant, *bon Romayn*. Itaq; uidetur interijsse prisca Gallorum lingua.Siquidem Plinius de quibusdam Gallorum uocabulis loquens, ad antiquam Gallię descriptionem respexisse uidetur: quam tamen iam inhabitare Germani cœperant, suam loquentes linguam:aut certe Celtarum uocabulũ, quod Grœcis & Germanum & Gallum significat,Gallis uertendo tribuit,quod Germanorum erat,qui lapsus multis sane accidit.Et notum est satis,Plinium Grœcorum & Latinorum commentarios exscripsisse. Nisi si quis hic per Gallicam linguam,pronunciationis modum intelligere uelit,hoc est,ipsum Gallismum,ut ita dicamus.Sed hoc foret coactius.

Arios,Helueconas, Manimos.] In horum populorum sedes Pomeranorum populi immigrasse uidentur.

Trans

Trans Ligios, Gotthones regnant] Sarmatiæ populi fuerūt, ubi sunt hodie Pruteni.

Rugij & Lemouij] Extāt etiamnum Liuonij, quorum Metropolis est hodie Rugensis ciuitas. His imperant Teutonici, qui se sanctæ Mariæ fratres appellāt, à quibus sunt ad fidem Christianam conuersi.

Suionum] Suiones & Sitones uideri possunt, quos hodie Suedos appellant.

Eluorum gentes] Horum sedes hodie tenent Pomeranorum ultimi.

Peucinorum] Peucinorum, Venetorum, & Phennorum loca, hodie Pruteni & Lituani possident. Sarmatiæ populi sunt. Venetos hos alij Venedicos appellant, & Venedicum sinum.

Helluſios] Helluſij uideri possint, quos Plinius Helleuioros uocat. Insulares populi sunt.

HISTORIAE.

HActenus Germaniæ populos utcunq; explicuimus una atque altera hora dictantes per lusum non scribētes. Et animus erat nihil ultra attingere. Sed quando formularius questus fuit, non esse sibi satis annotationum, quò pagellas omneis impleret, adiecimus uelut auctarium de historijs, quarum Cornelius meminit in hoc libello, pauca quædam.

Sexcenteſi, & XL.] De hoc tempore, Tacito Velleius astipulatur sic scribens: Tum Cimbri, & Teutoni transcendere Rhenum, multis mox nostris suisq; cladibus nobiles. Causam indicat L. Florus, quòd terras Cimbrorum inundasset Oceanus. Vnde coacti sint nouas cùm in Gallia tum in Hispania sedes quærere, sed cum neutrobiq; reciperentur, Italiam tandem adierunt, missis ad senatū legatis, qui terram peterent quasi stipendium, quam habitarent.

Non Samnis] Samnitas Romani quinquagīnta annis per Fabios, & Papirios patres eorumq; liberos ita subegerunt, ac ruinas ipsas urbium diruerunt, ut hodie Samniū in ipso Samnio requiratur, inquit L. Florus in Epitome sua, quē lege, si de horum cum Romanis bello plura scire cupis.

Non Pœni.] De bellis Punicis primo, secundo, & tertio, uide Florum. Marcellus Claudius primus deuicit Africam, Regulus nono ferme anno primi punici belli, sed post [illegible]iij. ann. P. Scipio Aemilianus eruta Chartagine, ab hinc annos clxxxi. Africam in formulam redegit prouincię, ut scribit Velleius.

Non Hiſpaniæ] In Hispanias, inquit Velleius, primi omnium duxere exercitus Cn. & P. Scipiones initio secundi belli Punici, abhinc annos ccl. Inde uariè possessa, & sæpe amissa partibus, uniuersa ductu Augusti facta stipendiaria est. De rebus in Hispania gestis multa commemorat Florus.

Gallie' ue] Gallias primum à Domitio Fabio nepote Pauli, qui Allobrogicus dictus est, intratas cum exercitu, magna mox clade nostra sæpē & affectauimus & amisimus. Sed fulgentissimum C. Cęsaris opus in ijs conspicitur: quippę eius ductu auspicijsq; infractæ, pene idem quod totus terrarum orbis ignauum conferunt stipendium. Hęc Velleius. De bello Gallico lege Florum.

Ne Parthi quidem] Belli Parthici meminit Florus, de quo mox plura.

Quip. reg. Arsacis] Hic Arsaces uir sicut incertę originis, ita uirtutis expertæ, solitus latrocinijs, & rapto uiuere, cum prędonum manu Parthos ingressus, præfectum eorum Andragoram oppressit, sublatoq; eo imperium gentis inuasit. Hæc ex Iustino. Hunc Arsacem non frigidis laudum elogijs ornat Suidas, addens eum Persas imperio Parthorum subdidisse ejectis Macedonibus, quos uicerat: unde Persarum reges Arsacidæ uocentur. Obijt ex ictu lanceę, quem acceperat in pugna. Porrò hunc honorem (referente Iustino) Arsacis memorię Parthi tribuerunt, ut omnes exinde reges suos Arsacis nomine nuncuparint, quod

quod ipſe Parthis non ſecus, ac Perſis Cyrus, Alexander Macedonibus, Romanis Romulus regnum conſtituerit:

Q. e. a. n. quam cædem Craſſi] Hic locus uidetur non carere mendo: nam hæ duæ dictiones, & ipſę, ſuperuacaneæ ſunt, & errore librarij repetitæ. Itaq; malim ſic legere expunctis illis. Quid enim aliud nobis quàm cædem Craſſi, amiſſo & ipſo, & Pacoro, &c. Porrò Craſſum cum undecim legionibus interfecit Parthorum rex Orodes.

Et Pacoro] Pacorum Orodis Parthorum regis filium Vētidius exercitus Romani Imperator, magis fortiter quam prudenter belligerātem, unà cum uniuerſa Parthorum manu fudit. Meminit huius rei Iuſtinus.

Deiectus oriens] Orientis nomine Parthorum hic intelligit imperium: nam Parthi uelut diuiſione orbis cum Romanis facta, orientis imperium tenebant.

At Germani] Quod hic Tacitus narrat, ſcribit item Velleius, Effuſa immanis uis, inquit, Germanorum gentium, quibus nomen Cimbris ac Teutonis erat, cum Cepionem Manliumq; COSS. & antè Carbonem, Sillanumq; fudiſſent fugaſſentq; in Gallijs, & exuiſſent exercitu, Scaurumq; Aurelium COSS. & alios celeberrimi nominis uiros trucidaſſent, populus Romanus non alium repellēdis tantis hoſtibus magis idoneum imperatorem quàm Marium eſt ratus. Vide Florum.

Varum treſq; legiones] Occiſi Vari trucidatarumq; trium legionum à Cheruſcis Arminio duce, meminit Florus. Sed hanc pugnam nemo copioſius candidius ue retulit in literas quam Velleius Paterculus, qui ultra treis legiones, totidem alas, & ſex cohortes addit. Vltimam, inquit, impoſuerat Pānonico ac Dalmatico bello Cæſar manum, cum intra quinq; conſummati tanti operis dies, funeſtæ ex Germania epiſtolæ cæſi Vari trucidatarumq; legionum trium, totidē alarum & ſex cohortium adlatæ ſunt. Deinde Varum depingens, Varus, inquit, Quintilius inluſtri magis quàm nobili ortus familia, uir ingenio mitis, moribus quietus, & corpore & animo immobilior, ocio magis caſtrorum quàm bellicæ adſuetus militiæ, pecuniæ uero quā non contemptor, Syria cui pręfuerat, declarauit, quam pauper diuitem ingreſſus, diues pauperem reliquit. Is cum exercitui qui erat in Germania pręeſſet, conceptt eſſe homines qui nihil prēter uocē mēbraq; haberent hominum, quiq; gladijs domari non poterant, poſſe iure mulceri, &c. Poſtremo talem deplorationem ſubiungit, Exercitus, inquit, omnīū fortiſſimus, diſciplina, manu, experientiaq; bellorum inter Romanos milites princeps, marcore ducis, perfidia hoſtis, iniquitate fortunę circumuentus ad internēcionem trucidatus eſt, &c. Fuit autem eodem autore, duci hoc eſt, Varo plus animi ad moriendum quā ad pugnandum, quippe paterni auitiq; ſucceſſor exempli ſe ipſe transfixit.

Etiam Cęſari, hoc eſt, Octauio Auguſto, niſi ſi cui libet Cęſaris nomine Tiberium intelligere. nam is erat deſtinatus Octauij Auguſti ſucceſſor. Et Cęſar abſolutè nonnunquā dicitur Auguſti hęres, ut uerbi gratia, ſi Carolus Hiſpaniarum Rex uiuente etiamnum Maximiliano Auguſto fuiſſet ab electoribus Romani imperij rex Romanorum, ut uocant, electus, Cęſar dici poterat, aut ſi Carolo (quod breui futurum ſperamus) electo & Pontificijs pedibus coronato, nā auguſtum alioqui uulgus non cenſet, electores Ferdinandum eligerent regem Romanorum, poſſet hoc modo Cęſar uocari Ferdinandus. Sic Velleius Tiberio Cęſaris titulum non tribuit, niſi iam per Auguſtum adoptato, contentus eū Neronem appellaſſe quod gentis nomen erat. Sed ſimplicius eſt Auguſtum intelligere, Abſturunt enim quinq; conſulares olim exercitus Germani populo Ro-

lo Romanò libero adhuc & ſuis uiuenti legibus. Deinde poſt imperij conſtitutionem imo tyrannidis Cęſari Varum & treis legiones abſtulerunt.

C. Marius in Italia.] Nam hic citra alpeis in campo cui nomen erat Raudis, ipſe cos. & proconſul Q. Lutatius cum Cimbris fortunatiſſimo decertauere prelio. Cæſa aut capta amplius. C. hominum milia. Velleius author. Vide Florum.

Diuus Iulius in Gal.] Germani primum in Gallia cum Cæſare concurrentes, tantum terroris Romanis incuſſerunt, ut teſtamenta paſſim in caſtris ſcriberentur. Lege Cæſarem & L. Florum. Hoc tum factum eſt cum Arioui ſtus Germanorum rex, legatis Iulij Cæſaris dicentibus, ut ad Cæſarem ueniret, magno animo reſpondit: Quis eſt autem Cęſar? Et, ſi uult, ueniat. Et, quid ad illum, quid noſtra agat Germania? Num ego me interpono Romanis?

Druſus.] Hunc Druſum Claudiũ, Tiberij Neronis fratrem intra Auguſti penates enixa fuit Liuia. Cuius hijs uerbis meminit Velleius, Cura deinde atque onus, inquit, Germani. i belli delegata Druſo Claudio fratri Neronis adoleſcenti, tot tantarumq; uirtutum, quot & quantas natura mortalis recipit, uel induſtria percipit, cuius ingenium utrum bellicis magis operibus an ciuilibus ſufficerit artibus, in incerto eſt, morum certò dulcedo ac ſuauitas, & aduerſus amicos æqua ac par ſui æſtimatio inimitabilis fuiſſe dicitur. Nam pulchritudo corporis proxima fraternæ fuit. Sed illum magna ex parte domitorem Germaniæ, plurimo eius gentis uarijs in locis profuſo ſanguine, fatorum iniquitas Conſulem agentem annum triceſimum rapuit. Meminit Druſi geſtorum in Germania L. quoq; Florus.

Ac Nero.] Non intelligas hic Neronis uocabulo Nerorem Claudium Cæſarem, qui poſt Claudium Romano præfuit imperio, portentum humani generis, ſed Tiberium Neronem Tiberij Neronis F. qui Diuo Auguſto proxime ſucceſſit à quo fuerat adoptatus. Quem huiuſmodi laudum præconijs uehit Velleius: Tiberius, inquit, Nero cœleſtium præceptorum diſciplinis innutritus iuuenis, genere, fortuna, celſitudine corporis, optimis ſtudijs maximoq; ingenio inſtructiſſimus, qui protinus quantus eſt ſperari poterat, uiſusq; prætulerit principem, quęſtor unde uiceſimum annum agens capeſcere cœpit Rempublicam, &c. Huius idem Velleius ab adoptione triennalem in Germania militiam alibi commemorat. Cæterum apparet hunc aliquanto fuiſſe meliorem antequam eſſet ſummus, ut plerunq; non conuenit probitati cum immodica poteſtate: Et ueriſſimum eſt illud: Magiſtratus uirum oſtendit.

Et Germanicis.] Hic Druſi naturalis, Tiberij Cæſaris adoptiuus fuit filius, cum eſſet ex fratre nepos, de huius geſtis priores Cornelij libri te multa docebunt. C. Cæſaris] Caligulam intelligit, cuius expeditionem in Germanos ſtultam, & contra Oceanum magis ridiculam, ne Craſſus quidem ille agelaſtos citra riſum legat apud Tranquillum ſpectatiſſimæ fidei ſcriptorem.

GLAREANI COMMENTARIOLI FINIS.

VOCABV-

VOCABVLA
REGIONVM ET GENTIVM,
QVAE RECENSENTVR IN
hoc libello Tacití, Ph. M.

RHETIA, Longus tractus eſt ab Alpibus inter Rhenum, Danubium & Lycum, Von Etſchland bis gen Nörlingen, ubi hæſit appellatiõ in extrema ora, quæ uocatur, das Rieß, Etſi autem Rhetos Germanicam gentem fuiſſe non dubium eſt, tamen Romani diſcernebant eos à Germania, quia Rhetia erat peculiaris prouincia Romani imperij occupata ſub Auguſto, cum uicina Germania nunquam perdomita ſit.

Pannonia, pars Auſtriç inferior, & bona pars Hungariæ, olim Pæonia dicta, eſtq; nomen uetuſtę nobilitatis indicium. Nam & apud Homerũ ſunt Pæones, orti ab Herculis Socio Pæone, qui à triumphis nomen habuit: Nam Pæan ſignificabat triumphale carmen. Hæc natio etiam his recentioribus temporibus uirtute merita eſt decus ueteris appellationis, quæ una uelut in ſtatione fuit pro reliqua Europa, aduerſus Turcas, quos ſæpe fortiſſime repreſſerunt ac profligarunt Hungari.

Daci, Vualachi & haud dubie uicini Tranſyluani in Hungaria, qui uocantur Sibenburger, Germanica lingua utentes. Exiſtimantur enim eò à Carolo deducti coloni, ſed ego arbitror, ueteres reliquias eſſe Gothicæ gentis, quæ ſe in Daciam & Pannonias infuderat.

Danubius in ſylua Martiana, quam uocant Suartzwaldt in Sueuia, ut nunc appellatur, exiguo fonte oritur. Abnobam uocat locum fontis, quod nomen uiderur eſſe factum ab eo, quod Germani ein Aw dicunt, hoc eſt, uallem cultam inter montes aut ſaltus. Ab der Aw. In ueteribus codicibus ſcribitur Arnobæ, quod magis probo, & iudico factum à Barnouu. Nam ille locus ſaltus uocatur, in der Baar. Herodotus ait Iſtrum oriri, ex pyrene urbe: Eius nominis ueſtigiũ, ſi quis putat eſſe uocabulum Baar, fruatur ſane hac opinione. Reuerentia & caritas locorum auget uidetur, cum ueterum prædicatione celebrantur. Ideo me quoq; delectant hę coniecturæ, in quibus ueterum autoritas, ad ornandam patriam non inſulſe citatur.

Tuiſco. Omitto fabulas, quę ſunt apud Beroſum de ortu Tuiſconis & aliorũ. Illud admodum credibile eſt, Gomer filium Iaphet, fuiſſe autorem gentis Cimtię, quę eſt Cimbrica, quę bonam partem lateris ſeptentrionalis compleuit. Et ab hoc ortos eſſe Germanos opinor. Fuit ei filius Aſcanes, ad hunc referunt ludæi noſtram originem, ſecuti affinitatem nominis. Nam prima ſyllaba articulũ continet, Tuiſcones, Die Aſcanes. Reliquas etymologias omitto. Cęterũ rectè diuinat Rhenanus, Ingeuones dictos à Wonen. Germanos dictos arbitror ab Herman, id eſt, à militibus, quos Romani ſic audiebant appellari milites, Nec ualde repugnabo, ſi quis prorſus latinam uocem eſſe contendet, qua Romani nos appellauerint, etiam ſi nobis ignotum eſſet hoc uocabulum. Illud optarim mores noſtros cum honeſtiſsima appellatione conuenire, nosq; uerè germanitatẽ ſinceritatem, & concordiam tueri.

Marſi. In Germanicis hiſtoriis haud dubie hęc appellatio Germanica eſt, non nihil inflexa ad latinam terminationem à Romanis. Eſtq; à Marca, quod ſignificat limitem. Et paſsim populos in limitibus uocabant Mercker, ſeu Marchiones,

ut hodie multæ sunt in Germania Marchiæ. Scribitur & in Harminñ historia pá ruisse ei Marsos, quos fuisse arbitror uicinos ducatus Bergensis.

Gambriuñ à Gomer, ijdem qui Cimbri, Dani, & Holsacienses.

Sueui, cognatarum gentium appellationes fuerunt. Suiones, Sueui, Suedi, sor tassis ab uno aliquo generis autore sic nominati. Adfingere autem etymologiã, sine aliqua probabili coniectura, non satis uerecundi ingenij est.

Vandalos recensent inter Germanos Plinius & Cornelius, ideoq; sunt qui cõ tendunt, Vandalos nequaquam esse Slauos, seu, ut uocant, Wenden. Et Procopi us ait, Vandalos esse Gothicam gentem. Gotthos autem usos esse Lingua Ger manica, & oriundos fuisse à Germanis, plurimis persuasum est. Equidem suum cuiq; iudicium permitto, sed tamẽ Ptolemæi descriptione moueor, & ipsa appel lationis uetustate, ut Vandalos gentem Sarmaticã esse existimẽ, quos uocamus Wenden. Nec mirum est etiam antiquissimis temporib. Sarmatas, qui sæpe muta re sedes solebant, in uicinam effusos, Germanis admixtos esse. Sunt aũt uariæ il lius unius gentis appellationes, quarum aliquę sono non multum discrepant, Venedi, Fenni, Vandali, alibi Sclaui uocantur. Vniuersam hanc gentem ab He netis ortã esse iudico, quos Herodotus affirmat ex Asia egressos in Illirico conse disse. Ab his Henetis & ora Italiæ Venetia dicta est. Egressi aũt uel ex Illirico, uel ex ipsa Asia compleuerunt uicina loca ad septentrionem, ubi nunc sunt Po loni. Quare adhuc aliquid humanitatis Asiaticę referunt, & plurimum differũt figura corporum, ingenijs, moribus, uictu, à uicinis Scythis, cum quibus perpe tua bella gerunt. Nequaquã igitur illis assentior, qui affirmant seu Polonos, seu Vandalos, seu Venedos, seu Sclauos Scythicã gentem esse, sed ab Henetis propa gati regnarunt, & in Illirico & in Sarmatia, & respub. magno consilio constitue runt. Magna eorũ in re militari industria, magna uirtus est, nec deest eis scientia domi regendę reipub. in imperijs iusticia & æquitas, amor religionis, & pudici tiæ, in pactis fides, ingenia habent sane gręcũ quiddã referentia, eo quod in A sia uicini lonum, in Illyrico Gręcarum fuerunt disciplinarũ capacia, & in primis arguta. Colunt studia literarum etiam nobiles, earumq; cognitionem in laude ponunt, & magno sibi usui esse in repub. ducunt. Quid cogitari dissimilius na turæ Scythicę, aut Tartaricę potest, quam hęc sunt, quę recensui? Credamus igi tur his argumentis, quę testantur Venedos ab Henetis ortos esse. Et admodum probabiles coniecturæ sumuntur à nominib. & linguis, hic & nomen & lingua congruunt cũ illius gentis in Illirico appellatione & lingua. Quare eadem ori go est. Dicuntur autem Heneti Antenore duce ex Asia educti esse.

Tungri sępe celebrantur in historijs, nec dubiũ est, quin tenuerint tractũ in Bel gico, in Leodiensi dioecesi, ubi hodie reliquum est oppidũ eius nominis, Tungern.

Asciburgium alij intelligunt esse Embricam in ducatu Cleuensi in ripa Rheni. Alij, Doesburg, in Geldria ab ὀδυσσεὺς, paucis mutatis literis. Nam πύργος altera pars uocis, quę crebro usurpatur à Germanis, haud dubiẽ Grecã habet originẽ significat enim turrim, sic olim uocabant arces, seu propugnacula.

Noricum, Bauaria inferior, Dioecesis Salsburgensis, & pars Austrię & Stiriæ.

Harcynia sylua apud Cornelium non discernitur à Martiana, cum post Corne lij tempora discernantur. Et Harcynia uocatur hęc, quæ latus Thuringiæ & Sa xonię claudit inde usq; à Bohemicis porrecta montibus, & alibi uocatur saltus Thuringicus, in Saxonia uerò der Hartz, à Piceis arboribus.

Sed in Sueuis sylua, quę nunc appellatur Swartzwualdt, à Romanis dicta est, Mar tiana sylua, arbitror hæc ipsa uocabula etiam à pice ducta esse, sed nonnihil de prauata peregrina pronunciatione.

De Boijs & Heluetijs breuiter & si obscurè loquitur Tacitus sed illud con stat, Heluetios ad Rheni ripas ꝓgressos esse, nõ ad Menũ. Hinc uerò Boios de scendisse

scendisse ab Alpibus in loca plana & cultiora uicina Meni fontibus. Tenuerũt autem Boij Alpes uicinas Mediolano usq; ad Rhetos, hoc est, usq; ad Athesim. Sæpe domiti & repressi à Romanis, tandem à Iulio Cæsare pulsi, quę siuerunt sedes in Germania, & nomen dederunt Boiemię, ac ut est consentaneum, etiã Bauariæ. Extat igitur appellatio Boiemiæ apud Tacitum, & apud Paterculum.

Auariſci uicini Hungariæ fuerunt circa Cremniciam, aut paulo inferius.

Osi in Morauia fuerunt.

Treuiri, populi, quorum metropolis fuit urbs, quæ hodie retinet nomen, *Trier*, olim Augusta Treuirorum uocabatur, celebrata ab Ausonio poeta, & multorum aliorum scriptis.

Neruij nunc Tornacenses sunt, uicini Flandris.

Vangiones, Vuormacienses, quasi *vom Genu*, Hæc enim appellatio etiam nunc est eius uiciniæ circa *Oppenheim*.

Nemetes, Spirenses. Existimo autem nomen recens Spire Græcum esse. Nam urbs Spira à Constantio condita aut ornata est, qui, quia ibi erat cohors prætoria, ut in Aula seu Regia, nuncupauit urbem à cohorte σπείρᾳ, honestissima appellatione, quasi eam urbem uellet speculam quandam esse totius uiciniæ. Quę nunc quoq; sedes est iudicij imperatorij.

Triboci, hodie sunt Strasburgenses seu Argentoratenses.

Vbij, Colonienses.

Batauí aliqua pars Geldriæ & Hollandiæ.

Mattiaci, uicini seu Geldrenses seu Cleuenses. Sicambri Geldrenses, sed horum hic non fit mentio.

Decumates agri, uicini fuerunt limiti Rhetiæ prouinciæ, ubi fuerunt populi à Ptolemæo dicti Charitini, hodie ducatus Vuirtebergensis est, cuius duo latera uere ambiunt Danubius & Rhenus.

Catti, Hessi, ut & appellatio, & alia multa perspicua testimonia indicãt. Nam T geminatum solet in S uerti, & aspirationem nostri homines agrestiores pronunciant sono Græcæ literæ χ. Fuit igitur uetus appellatio *Hetten*, fortasis ita dicti, quasi patres. Qui limites olim fuerint, nequaquam affirmari potest. Ad occidentem consentaneum est limitem fuisse *Catten Elnbogen*, id est, Cattorum Anconem. Deinde complexa est partem Franciæ nostrę ac Turingię. Sonat & nomen *Oden waldt* quasi *Hatten waldt*. Sed ut finiũ regũdorum iudicium fugiamus, Vicinas gentes fuisse dicimus olim Vsipios, deinde Cattos, sub utrisq; Tẽcteros. Vsipij & Catti partim Franciam nostram & Hassiam tenuerunt. Tencteri deinde ripã Rheni dextram usq; ad Coloniam Agrippinam aut Tungros, etsi has duas appellationes confundi uideo, sicut etiam cognatæ sunt sono. Superiorem partem nostræ Franciæ, quam uocant Montanam, usq; ad Noribergam, non dubito Nariscos esse, de quibus postea dicemus. Fuerunt Nariscis uicini Hermunduri, id est, Voitlandi & Mysnenses. Hos inquit Tacitus, cum Cattis dimicasse de fontibus Salis. Et credibile est de illis ipsis Salinis certatum esse, quę sunt uicinę Mysniæ ad Salam, ubi nunc est urbs, quam uocant Halam Saxonicam. Porrò ueterem militiæ & uirtutis laudem adhuc Catti tuentur.

Cheruſci, populi Hercynię & aliqua pars Turingorum.

Bructeri deinceps sub Goslaria, ubi hodie est *der brockersberg*, bonam complexi partem eius regionis, quæ nunc dicitur Saxonia, circa *Hildesheim* & Brunsuigam. Claudianus, —Venit accola syluæ Bructerus Harcyniæ.

Longobardi, Saxones supra Bructeros circa medium Albis, ubi nunc sunt Madeburgum, *Halberstat*.

Lucones in utraq; Albis ripa, ut inquit Ptolemæus, tractus per Anhaltensem ditionem ad Cheruscos, id est, ad Harcyniam, seu comitatum Stolbergensem.

Angriuarij, *Engern* in Vueſtphalia, Chamaui pars Vueſtphalorum.

Cauci ſub Vueſtualia tractus ad Bremam & Friſios, continens ducatum Luneburgenſem.

Dulgibini, pars Longobardorum, ut ſignificat Ptolemæus.

Cattuarij, à Cattis dicti, pars Cattorum, aditus Vueſtualiæ ſub Caſella.

Friſij, nota eſt appellatio.

Cimbri, *Holſteen, Denmarck.*

Nunc redeamus ad ripam ſeptentrionalem Albis, à Marchia initium faciẽtes.

Sueui magnam partem Marchiæ & Pomeraniæ tenuerunt, et flumen Sueuum interpretantur *Spream.*

Senones pars Sueuorum, uicini Longobardis. Ergo Senones tenuerunt ſedes è regione Madeburgi in Marchia, ſupra reliquos Sueuos, uicinas Luconibus, & Hermunduris.

Teutonum appellatio etiã hæſit propriè in illo loco in dioccœſi Hauelbergẽſi.

Burgundi uicini Teutonum & Senonum fuerunt circa Roſtochium & Sund non procul à Rugijs, qui Heruli in hiſtorijs etiam appellantur.

Deinceps Pomeraniam & Pruſsiam tenuerunt populi, quos hic nominat Tacitus, Rugij, Auiones, Angli, Varini, & reliqui, quorum diſcerni ſedes multo minus poſſunt, quàm cæterorum Germanorum. Nam præcipuè hæ gentes ab Albi ad utranq; Viſtulæ ripam propter aſſidua bella paſsim uagantes, ſubinde mutarunt ſedes. Et propemodum Arctoæ gentes, omnes has continuas migrationes propter bellandi ſtudium & conſuetudinem, ut ego arbitror, amarunt. Sic & Strabo de Germanis, inter Albim & Viſtulam, dicit, κοινὸν δ' ἔσιν ἅπασι τοῖς τὸν τοπον τὸν τὰς μεταναστάσεις ἐυμαρὲς, διὰ τὴν λιτότητα τοῦ βίου, καὶ διὰ τὸ μὴ γεωργεῖν μηδὲ θησαυρίζειν, τροφὴν δὲ ἀπὸ τῶν θρεμμάτων ἔχειν ῥᾴδιον, id eſt, commune eſt omnibus populis in ea regione facile mutare ſedes, quia nõ poſſident magnas opes, neq; exercent agriculturam, neq; negociantur, ſed uictum habent ex re pecuaria.

Teſtantur autem hiſtoriæ, bellicoſiores nationes citius è finibus ſuis egreſſas eſſe. Sueui tẽpore Auguſti iam magnam partem regionis intra Albim & Rhenum occupatam tenuerunt, poſtea cum Imperium Romanum ſub Valentiniano tertio dilaceraretur à Gotthis, Vandalis, Francis: ingens mutatio in uniuerſa Germania facta eſt. Franci & Burgundi tranſierunt in Gallias, Sueui conſederunt in Rhetia, pars etiam Gotthis adiuncta in Hiſpaniam profecta eſt, Rugij Duce Odoacro in Italiam uenerunt. Longobardi cum inuaſiſſent Pannonias, inde euocati in Italiam contra Gotthos, potiti ſunt magna parte Italiæ, quæ ab illis hodie nomen retinet. Has tantas mutationes cum legimus, cumq; multas nationes uel deletas, uel pulſas patrio ſolo audimus, ſubeat animos noſtros cogitatio, de inconſtantia rerum humanarum, & præparemus nos ad excipiẽdos omnes caſus, ac fortunæ iniurias, ac meminerimus, non certam, non tranquillam ſedem ullis uſquam eſſe, niſi pijs in illa æterna & immortali uita, ad quã nos Chriſtus uocat. Vbiq; terratũ omnibus ſæculis, omnes gẽtes, omnia imperia, imò priuatæ familiæ, uelut Euripi, ſubinde nouis & calamitoſis mutationib. diſſipantur.

Hermunduri populi in aditu Bohemiæ & ea regione, quæ nunc Myſnia & Voitlandia dicitur. Nam Tacitus clarè affirmat, Albim oriri in Hermunduris, et ad Albim fuiſſe ſedem Hermundurorũ, inquit Strabo, qui uicinos attribuit Lõgobardos, de quibus ſupra dixi. Velleius attribuit uicinos Senonas, ſed hi in ripa Albis ſeptentrionali fuerunt. Tacitus ſcribit, Cattos cũ Hermunduris de Salis fontibus dimicaſſe. Credibile eſt enim Cattos, cum aliquam partem Turingiæ tenerẽt progreſſos, utilitatis magnitudine inuitatos eſſe, ut armis occupare Salinas nobis uicinas conarẽtur. Sed ſiue hoc loco, ſiue ad aliam Salæ fluminis partẽ pugnatum eſt, haud dubiè Hermunduri inter Albim & Salam & Sudetes mõtes

ſedem

sedem habuerunt. Hunc trigonum hodie uocamus Myſniam, à Bohemicis mõtibus inter Albim & Salam uſq; ad eorum confluentem.

Multa ſunt huius regionis inſignia ornamenta, de quibus copioſe dicere non eſt huius noſtri inſtituti, & cum ſit hæc natio admodum ferax bonorum ingeniorum, multos habet doctrina & eloquentia excellentes uiros, qui patriam magna cũ laude illuſtrare poſſunt. Agrẽti uenas olim celebrauit Albertus Magnus. Sed hũc longe uicit Georgius Agricola Medicus, qui recens eas deſcripſit luculeto Opere, in quo plurimum eſt recõditæ eruditionis. Et ad hanc adiunxit ſummam orationis uenuſtatem. Ego, quod mei inſtituti eſt, de recenti appellatione Myſniæ, meas coniecturas recenſebo. Non dubium eſt, bonam partem Myſniæ occupaſſe Henetos. hoc eſt, ut uulgò dicimus, Venedos *die Wenden*, effuſos ex Vicinia, & Hermunduris admixtos eſſe. Exiſtimo autem Myſos, quia ultimam oram Germanię ad Carpatum attingebant, unà cum cęteris Venedis uicinis in hæc loca peruenisſe, cum Gothi Pannonias occuparent, & uicina loca Dacię ac Myſiæ: Erant enim præſertim in illis regionib. Geticis, Sarmaticis & uicinis cõtinuę & turbulentiſsimę migrationes. Inde uelut ex equo Troiano exercitus ingentes alibi in Pannonias & Italiã, alibi in Germaniã effundebantur. Nec Germani quieſcebant, qui multo ante, Francico bello laceſsiti à Romanis Imperatorib. arma ceperant, & Gallias inuaſerant. Quare cum populi Rheno propiores, alij in Gallias tranſirent, alij Rhetiam inuaderent, auxilia eduxerunt ultimarum gentium ad Albim. Ita harum ſedes facilè ab Henetis uicinis occupatæ ſunt.

Nec in illa fatali migratione incredibile eſt, etiam aliquos Germanię populos maiorum ſede armis expulſos eſſe. Ac fuerunt Myſis prope Daciam, uicini Tyregetę, à quibus Tyringorum nomen eſt. Quare ſimul in hac ora Germaniæ duas uicinas gentes Myſos & Tyregetas conſediſſe arbitror.

Ornat autem Homerus Myſos honeſtiſsimo elogio, cum uocat hominum iuſtiſsimos. Huius tantæ laudis poſſeſſionẽ non amiſit poſteritas. Videmus enim ciuitates Myſorum noſtratium admodum bene moratas eſſe. Hermunduris etiã tribuit iuſtitiã & humanitatem Tacitus, inquiens, Romanos non grauatim permiſiſſe, ut in media prouincia Rhetia ſine cuſtodib. negotiarẽtur. Itaq; laudandi ſunt Myſi noſtri, quod maiorum ſuorum diſciplinam imitantur. Limites conſtitui non ſatis certò poſſunt. Sed cum Longobardi fuerint uicini, conſentaneum eſt noſtram Myſiam fuiſſe Hermundurorum ferè totam. Sed ripa Albis dextra, ubi ſunt Viteberga, deinde *Iuterbock* fuit Senonum.

Nariſci à Voitlandia tractus uſq; ad Bambergam, & Noribergam cõplectens Aegram, *Neuuenmark*, Ambergam, Coburgam. Et uidetur appellatio reliqua eſſe à Nariſcis, *das Norcaw* non procul à Noriberga. Fuiſſe Nariſcos uicinos Marcomannis, id eſt, Bohemis, indicant multa teſtimonia ſcriptorum, qui coniungunt has gẽtes tanquam uicinas, Ptolemæus ad montes Sudetes, id eſt, Bohemicos, duas uicinas gentes collocat. Tyriohemos & Variſcos, ſic enim ibi pro Nariſcis ſcribitur. Tyriohemorum autem appellatio ualde affinis eſt uocabulo Turingorum, ſed tunc Tyriohemi erant tantùm populi uicini Salæ. Ditio Ierenſis, *Salfeld*, Iena, Naumburg.

Marcomanni haud dubie tenebãt magnam Boiemiæ partem, ut hoc loco Tacitus oſtendit, & alicubi Velleius nominat Boiemũ, & teſtatur ſedẽ Marcomannorum fuiſſe, ſicut & Strabo inquit. ἐν ὅις ἐστὶ καὶ τὸ Βοίεμον τὸ δὲ Μαροβόδου βασίλειον; εἰς ὃν ἐκεῖνος τόπον ἄλλους τε μετανέστησε τῶν πλείους, καὶ δὴ καὶ τοὺς ὁμοεθνεῖς ἑαυτῷ Μαρκομάννους, id eſt, In quibus eſt & Boiemum, Marobodui regia, in quam regionem tranſtulit & alias gentes, & Marcomanos, apud quos natus erat. Non igitur una tãtum gens Boiemiam tenuit, ſed reliquiæ Boiorum aliquam partem incoluerunt: ad occaſum in aditu fuerunt Hermunduri: Sed Marcomãni ſedes habuerũt

in ea parte,quæ ſpectat ortum,uerſus Morauiam & Auſtriam. Enituit autē ultimus Marcomanorum in multis aſperrimis bellis,in quibus patriam aduerſus Romanos fortiſsime defenderūt.Nunc alia natio, uidelicet pars Henetorum incolit Boiemiam.Dixi autem ſuprà,Henetos non eſſe annumerandos feris & Scythicis gentibus. Nam origo eſt Aſiatica, ubi inter humaniores gentes nati, cum eſſent uicini Ionum, referunt eorum humanitatem. Itaque Heneti,qui nunc tenent Boiemiam,non cedunt uirtute ueteribus colonis.

Fit hic mentio Marobodui,de quo ſcribunt alibi copioſius Tacitus & Velleius.Eſt autem & ipſe inter exempla recenſendus,quæ nos de fragilitate & inconſtantia fortunæ admonent.Nam cum ſæpe Romanos exercitus fudiſſet,& cum magna gloria patriam defendiſſet,tādem diſcordijs domeſticis regno expulſus profugit ad Romanos, & Rauennę, poſtquam ibi exul ac uelut captiuus annos duodeuiginti degiſſet, inglorius extinctus eſt.Ita fortuna exercet Tyrannidem ſuam,etiam in ſummos uiros, ut Miltiadis, Themiſtoclis,Alcibiadis,Pompeij, & aliorum innumerabilium exitus oſtendunt. Quare memores tantæ inconſtātiæ rerum humanarū præparemus animos ad omnes caſus excipiendos, noſq; doctrina & pietate inſtruamus,ad ferendas & mitigandas fortunæ uices,

Quadi tenuerunt Morauiam & aliquam Sileſiæ partem.Nam quod poſtea occupaſſe Auſtriam ſcribuntur, id accidit diu poſt Taciti ætatem. Sed patria & antiqua ſedes Quadorum fuit in Morauia & aliqua Sileſiæ parte.

Buri extremi Sileſiorum uerſus Viſtulam.

Oſi uicini Morauis,aut paulo inferius in ripa Danubij.

Gotthini Gotones,partes ſunt Gotthicæ gentis,quæ late cōpleuit littus Balthici maris,& utramq; ripam Viſtulæ Hic enim obſeruent lectores olim Germaniæ fines longe alios fuiſſe,quam qui modo conſtituuntur.Non annumerabantur Germanis Brabanti & Flandri Belgicum totum ad Galliam pertinebat:Sed ad orientē multo longius erant prolati,fines Germaniæ quā modo.Complectebatur enim latus Carpathi montis & utranq; Viſtulę ripā.Eſt autem Carpathus mons qui nunc Poloniam & Hungariā dirimit. Hunc olim uocabant Sueuum montem.Collocat autem multas gentes ad Carpathum,& in utraq; ripa Viſtulæ,uidelicet,quandam Sueuorum partem,& Lygios. Deinde Gotthicas gētes. Harum ſedes nonnatis diſcerni poſſe arbitror,propterea quod paſſim uagabantur,illud tantum meminerint ſtudioſi,circumfuſas fuiſſe Gotthicas gētes Viſtulę,& incoluiſſe utramq; Viſtulæ ripam, quæ nunc habet Poloniæ nomen. Inde progreſſæ uerſus orientem acceſſerunt propius Thraciam,ubi Getæ uocantur. Nec enim dubium eſt, Getas eſſe Gotthos,ſeu à Gotthis oriundos. Audio in Cherſoneſo Taurica hoc noſtro tempore reſtare Gotthorum reliquias, qui ſe Gotthos appellant, & loquuntur Germanica lingua. Itaq; cum Getæ ſeu Gotthi Thracū uicini eſſent,nō mirum eſt, Græcis notos fuiſſe.Herodianus & Thucydides teſtantur,eorum ſedes inter Iſtrū & Thraciam fuiſſe. Quare Strabo Alexandrum etiā ueniſſe in Geticam regionem ſcribit.Proximi Getis uerſus Hungariam fuere Daci,qui nunc Valachi dicuntur. Fuerunt ſupra Euxinū Pontum uicini Getis & Cimmerij. Vt aūt olim in illa ora ſeptētrionis illæ tres gentes habitarunt,ita exiſtimo uagatas eſſe toto Balthico littore, & earū reliquias etiānū eſſe eas gentes,quæ tenent Cimbricā Cherſoneſum,uidelicet,Cimbros,Danos Gotthos. Et aſſentior Conrado Celti,qui Gedanum,quod nunc uocant Dantiſcum,inquit à Getis ſeu Gotthis dictum eſſe,Codanum ſinum,quaſi Gotthinū à Gotthis.Nā & Græci à Getis,gentile nomen fecerunt γετικοί. Celtis ſic ait.

Sed quondam Gedanum, Gotthorum à nomine dictum.
Hincq; Sinus Codanus nomina clarus habet.

Hæc libenter recenſui, & quia aliquid lucis afferunt Tacito,& ut gentium ſl-

larum

latum Cimbricæ & Gotthicæ antiquitas à studiosis consideretur, præsertim cũ Gotthica gens non solùm fortitudine excelluerit, sed etiam moderatione & ciui libus uirtutibus. Et utile est illas stupendas gentium errationes ac dispersiones diligenter considerare. In his enim uel maxime conspicitur, quàm sint res humanę instabiles ac fugaces.

Lygij uicini Quadis, non procul à Pannonijs abfuerũt. Nam Tacitus ait, Prę fecto Pannoniæ mandatum esse, ut contraheret exercitua ad arcendos Lygios. Sonus appellationis alludit ad Slesiæ nomẽ, etsi hic Tacitus etiã Elysios nominat. Sed arbitror cognata uocabula esse, & ab hac gente Slesios seu Lusatios ortos esse, quorum sedes aliqua ex parte sunt in ueterũ Lygiorũ regione. Reliquæ appellationes cum ipsis gẽtibus extinctæ sunt. Arij, Heluecones, &c. Naharuali dicti uidentur, quasi *Nortwallen*, hoc est, qui migrarint ad septentrionem.

Lemouij, Pruteni, qui progressi uidentur nomen dedisse Liuoniæ.

Effui, Liuonij.

Suiones sunt, quos nũc Suecos seu Suedos appellamus. Apparet autẽ ex descriptionibus in hoc libello, & cognatas gentes, & affinia uocabula fuisse Suionum, Sueuorum, & Sitonum. Ac mare Sueuicum hoc loco uocat uicinum Sueciæ. Et opinor Sueuos ex ultimis oris Pomeraniæ deduxisse colonias in Sueciã. Mira enim fuit cupiditas ueteribus occupandi Insulas, credo ut quæretent tanquam secessus, loca tranquilliora.

Postremò, Tacitus miscet ultimos Germanos uicinis Sarmatis, ultra Liuoniã & Lituaniam. Nam hæ fuerunt extremæ regiones Germaniæ. Deinde cinxerũt Germaniam Sarmatæ. Annumerant autem scriptores Henetos Sarmatis, quos tamen discerni oportuit. Nam Heneti gẽs Asiatica, origine, lingua, moribus & uitę institutis longissimè differunt à Sarmatis, id est, à Tartaris. Ergo Germanos Heneti proximi cinxerunt, hoc est, Moscouij & Ruthenι. Vltra hos deinde sunt Tartari. Et quanquam nunc Heneti utramq; Vistulæ ripã tenẽt, dederuntq; illi regioni nomen Polonię, tamen olim ea loca ad Germaniam pertinebãt. Postea pulsis Germanis, Heneti soli illis potiti sunt. Sed passim in ultimis finibus, Germanis fuisse admixtos Henetos, apparet ex appellationibus. Hic nominantur Venedi, & Fenni, quos arbitror ab eadem gente, scilicet, Heneta ortos fuisse, etiamsi linguam mutarunt, ut hic significat Tacitus. Inde & Venedicus sinus, dicitur mare Liuonienſe. Nam hi Venedi haud dubiè Liuonienses sunt: & fortasse, ab his nomẽ est hodie regioni *Finland*, in Cimbrica Chersoneso. Ptolemęus enim pro Fennis dicit Finnos.

Peucinorum appellatio indicat, miras fuisse errationes gentium in illa ora septentrionali. Non enim dubium est, πεύκην esse insulam Istri, paululum supra Byzantium in Triuallis, hoc est, in Rascia, unde nunc dicuntur *die Rheyen*. Eamq; insulam tenuisse Getas, inquit Strabo, & Syrmum regem Getarum ait se eò recepisse, gerentem bellum cum Alexandro. Vbi cum ab insula arceretur Alexãder, donis Getarum acceptis, pacem cum eis fecit. Errantes igitur seu Gotthi, seu alij, qui ex hac Peuce oriundi fuerunt, nomen Peucinis etiam alibi dederũt. Tacitus admiscet Peucinos Bastarnis. Tenuerunt igitur Fenni, Peucini, Bastarnę, Lituaniam. Est autem cõsentaneum, insulam πεύκην à piceis arboribus sic appellatam esse, à uicinis, apud quos passim Græcę linguæ usus fuit. Hæc breuiter collegi adolescentulorum causa, ut eos ad antiquitatis & historiarum studium inuitem, quod & moribus utile est, & eruditionem alit.

Aliàs autem quædam hic annotata, distinctiùs explicabo.

FINIS.

GERMANIAE

EX VARIIS SCRIPTORIBVS BREVIS EXPLICATIO,

Authore Bilibaldo Pirckeimero Consiliario Cæsareo.

ILLVSTRI AC GENEROSO DOMINO HERIMANNO NEVENARIO COMItiac Præposito Colonienſi, &c. Bilibaldus Pirckeimerus, S. D.

IN tibi comes illuſtris Germaniã noſtram σκεπτικὴν in qua nil certius affirmo, quàd nihil ferè affirmo, attamen anſam fortaſsis tam tibi, quàm eruditis reliquis præbuero, ut exactius, quàm nos fecimus, Germaniam noſtram illuſtrent. Quid enim abſurdius, quàm Germanos orbem deſcribere uniuerſum, patriam tamen interim propriam nequaquam ex obliuionis uindicare barathro? Proinde quod Germaniam ultra Viſtulam et ad Tanaidam uſq; extenderim ex ſcriptorum priſcorum authoritate feci, ac ideo calumniam parui pendo: nec Germanis uitio dari poterit, quòd tam latas amiſerint, ſeu potius reliquerint prouincias, quum pro cœlo inclemẽti, aruisq; ſterilibus tam fœlices adepti ſunt regiones, ueluti Gallias, Hiſpanias, imò, Italiam ipſam, ut interim de Africa, ac quicquid in Aſia à populo illo actum eſt, ſileatur. Hoc planè conſtat. ſi Germanis obres magnificè geſtas pares euenisſent ſcriptores, quod nullis gentibus factis clariſsimis poſteriores fuiſſe legerẽtur. Cæterum, quid tua parturiat generoſitas, auide expectamus, quum illam nil niſi delitias parere ſciamus, Tua interim bene ualeat claritudo, & nos (ut facit) amare non deſinat. Nurenbergæ Kalendis Iulij. Anno ſalutis M.D.XXX.

GERMANIAE EX VARIIS SCRIPTORIBVS *breuis quædam explicatio.*

ADMODVM difficilè eſt, ueteris Germaniæ ſtatum ac conditionẽ explicare, non ſolũ ob priſcorũ ſcriptorum incuriã, ſed quia ſerò tãdem tota peragrata ac cognita eſt: etenim cũ ueteres Germani bellis potiùs quã literis operã impenderint, nil mirũ, ſi res præclarè ab eis geſtæ interciderint, aut minùs fideliter ab exteris relatæ ſint ſcriptoribus. Quid enim Græci præter fabulas de Germania ſcripſerunt? Romani uerò, quoniam ubiq; ferè propriè ſtuduerunt gloriæ, non tã geſta ſua maximis extulerũt laudibus, quàm incõmoda à Germanis accepta callidè texerunt. Quis enim eorum clades à Carbone, ſeu L. Caſsio, aut Scauro Aurelio, uel Seruilio Cœpione ſiue M. Mãlio acceptas exactè recẽſet, quas tamẽ breuiſsimè Tacitus refert, & Cęſar Caſsiũ Cõſulẽ occiſum, exercitũ uerò eius pulſũ eſſe nequaq; diſſimulat. Quin & nulla præterquã Paterculi nuper inuenta extat hiſtoria, quę Quintilij Vari cũ legionibus internetionem explicat. Vnde non ab re ſuſpicari licet tam Plinij de bellis Germanicis libros, quàm Cornelij ac aliorum ſcripta ab inuidis eſſe ſuppreſſa, ne Germanorũ gloria plus æquo excelleret, accedit quòd Romani et Græci ſcriptores ut plurimum ob ignorantiam locorum aberrarunt, non ſolum ij, qui nunquam ad Germaniã acceſſerunt, ſed & qui res in illa geſſerunt. Cuius rei uel præcipuũ documentũ eſſe poteſt, quod Cæſar flumen Scaldę in Moſam influere ſcribit, ac Strabo Lupiã et Viſurgim ad Amaſiũ in unũ deferri refert, accedit q& nomina gentiũ, locorũ ac ciuitatũ, ubiq; ferè, ob pũnciationis difficultatẽ, depraua ſunt & inuerſa. Demũ uerò uniuerſalis Germanorũ trãſmigratio omnia cõfudit ac ita perturbauit, ut in quibuſdã potius coniecturã ſequi neceſſe ſit, quàm quòd aliquid certi aſſeri poſſit: nihilo minus tamẽ operã dabimus, ut breuiſsime

& ſi non

& si non omnia, at quædam saltem loca tanquam è cœcis eruamus tenebris, nil in hac re doctioribus præiudicãtes, sed libenter, ubi melius quàm nos senserint, herbã porrigentes. Proinde licet scriptores plerunq; Germaniam à Gallia, per Rhenum fluuium diuidi asserant, constat tamen Romanos eam quoq; prouinciam, quæ ultra Rhenum est, primam ac secundam appellasse Germaniam: quod profectò minimè fecissent, si Germanis quicquid ultra Rhenum est, auferre uoluissent, qui pridem ac ante Romanorũ aduentum in Galliam transierant, illãq; incolebant. Vnde & lingua & legibus à Gallis, ut Cæsar refert, differebant. Ab ea igitur Germaniæ parte initium faciemus, quæ ultra Danubium sita, & à Romanis olim subacta est, indeq; ad Rhenum ac inferiorẽ accedemus Germaniã, demumq; ad Germaniam transgrediemur magnam. Verũ sub initium hoc scire refert, Romans Rhetiam, Vindeliciam & Noricum ab Augusti tempore usque ad Odoacris irruptionem, hoc est, per annos circiter quingentos possedisse, qui cum Italiam occupasset, omnes ferè Romani nominis incolas in Italiam reduxit, ne irruentibus Germanis cederent in prædam.

RHETIA.

RHetiæ igitur nomine continebatur olim, quicquid terrarum inter Rheni fontes, nec non montem Adulam, & Aenum fluuium iuxta alpes cõtinetur præterea inter Danubium & Italiam, Veronam usq; & Comum, ita ut & alpes, qui nunc Curienses & Athesim uocantur, Tridentum, Tyrolenses quoq; & Oeni Vallis incolę omnes sub Rhetorum nomine comprehendẽtur, excepta Vindelicia, quę propriũ est fortita nomẽ, hanc Rhetiã licet iam multi acuarij inhabitent populi, maxime uerò Alpestres ac Sueui, illaq; pluribus, & uarijs ornata sit ciuitatibus, paucissima tamen Romanę antiquitatis restant uestigia, licet aliqua supersint, & primum. Iuxta Rhenum & nõ longe ab illius fontibus.

Curia *Cur.* certum.
Bregetium *Bregnitz.* certum.
Sublauio *Brixen.*
Abusiacum *Fuessen.* certum.
Matreio *Matran.* certum.
Campodunum *Kempten.* certum.

Iuxta Danubium uerò,

Targetium *Stulingen.*
Bracodurum *Pfulendorff.*
Dracuina *Ehingen.*
Viana *weyssenhorn.*
Pheniana *Laubing.*

In mediterraneis,

Drusomagus *Memmingen.*
Rostronemania *Mundelheym.*
Tarodunum *Riedling.*
Arę Flauię *Nordling* uel potius *Heydẽheym*
Rinsiana *Giengen.*
Alcimoens *Werd.* coniect. uel Eystauia, aut Albus Burgus. Et hęc omnia con.

VINDELICIA.

Vindelicia adhęret Rhetię, uel potius illi inclusa est, terminatur autem ab ortu flumine Aeno, à meridie Alpibus, ab occasu Lico fluuio, à Septẽtrionib. Danubio, hanc iam potissimũ incolũt Bauari, tũ inferiores, tum superiores. Iuxta Licũ uerò Sueuorum pars. Strabo Licatios, seu Clautenatios & Vẽnones inter Vindelicos fortissimus esse dicit: Ciuitates aũt antiquę in illa sunt, Augusta Vindelicorum. *Augspurg.* certum.
Damasia *Diessen.* cert. iuxta lacũ Ambrę.
Ambra *Amper*, apud lacum & fluuium eiusdem nominis. certum.
Parthanum *Parten irch.* certum.
Inutrium *Mitten wald.* certum.
Cambodunum *Kemma.* certum.
Pontes Scaphonij. *Scheffelern*, nunc monasterium super fluuio *Isara* certum.
Carrodunum *Kreynberg* iuxta *Wasserburg.* certum.
Vallatum *Feilenbach.* certum.
Fruxinum *Freysing.* certum.
Isnisca *Isen*, iuxta Frisingam.
Mocenia *Motzing*, certum.
Pisonium *Wischelburg.* certum, inter Straubingam, & *Deckendorff.*
Medullum *Melding*, apud *Muldorff.* certum.
Attilia *Altenburg.* certum, non

longe à Neuburgo iuxta Danubium.
Cæsarea *Reschnig.* certum, non longè ab Ingolstadio.
Sumuntorio *Hohenwarth* monasterium, certum.
Abudiacum Danubianum. *Abach*, cert.
Auriſium *Rot.* certum.
Abuſina *Abenſperg.* certum.
Epona *Epenburg.* certum, ſupra nouam ciuitatem.
Artobriga iam *Veltenburg.* Monasteriũ ſupra Ratiſponam, certiſſimũ ex magnis ædificiorum ruinis.
Abudiacum *Happing.* iuxta *Roſenheym.*
Tigurina metropolis Norici, uel Auguſta Tiberij, ſeu Regino *Regenſpurg.* certum.
Regium *Rocking*, non lõgè à Ratiſpona.
Vetera caſtra *Pfecteren.*
Auguſta Acilia *Straubing.* nempe ciuitas antiqua, quæ & hodie *Azelburg* uocatur. certum.
Quintianis uel Quintianorũ colonia, *Kuntzing* iuxta *Filſhouen*, certiſſimum. Bocodurum, uel Bocodurum, uel Bolodurum, uel Batabis, Ptolemæo Poëdicum *Paſſau*, certiſs. propter confluentiã Aeni in Danubium.

NORICVM.

Noricum incipit ab Aeno fluuio, protenditurq; ad ortum Panoniam uſque ſuperiorem, à meridie autẽ terminatur monte Caruanca, & alpibus Noricis, ad Italiam uſq;, à Septentrionibus aũt Danubio: nunc uerò inhabitant occaſum uerſus Bauari. Ad ortum autẽ eſt puincia, quæ *Ens*, ex fluuij Anaſi nomine uocatur, & Auſtrię pars, ad meridiẽ autem Styria. In Alpibus uerò habitãt Carnici, partimq; Croati, gens Sclauonica, comprehenditurq; Norici nomine, Comitatus Goricenſis & Zilienſis regionesq; adiacentes.

CIVITATES IN Norico.

Pontes Oeni *Oeting.* certum.
Bidaio *Lauffen.* coniect.
Bedacum *Burckhauſen* coniect.
Iuuauium *Saltzburg.* certum.
Teurnia uel Berunum, *Pernau.* certum.
apud lacum *Kemſee.*
Aredata *Linz*, coniect.
Gamanodurum *Braunau.* coniect.
Ouilabas *Lambach.* monaſterium iam ſuper flumen *Ens.* certum.
Lauriacum *Lorch*, monaſterium iuxta ciuitatem *Ens*, certum.
Geſſodunum *Ips.*
Claudinum *Melck.* certum.
Cetio *Zeyſſelmaur.*
Auguntum *Neuuenſtat*, uel prope: quia nomen repugnat.
Vacorium, uel ut aliqui putant, Sacarbantia. *Gretz.* coniect.
Pedicum *Bruck*, ſuper flumen Mura coniect.
Virunnum *Iudenberg.* coniect.
Zelia *Cili.* certum.
Iulium Carnicum *Villach.* certum.

PANNONIA SVperior.

Pannonia terminatur ab occaſu Norico, ab ortu uerò, Pannonia inferiori, à meridie parte Iſtriæ, ac Illyridis, à Septentrionibus autem Danubio: nunc uerò illam inhabitant Auſtriæ populi, ac Styri, nec nõ Sclauorũ gentes, Croati & Carni.

In ea ſunt ciuitates

Iuliobona uel Vindobona, ſeu Vindomana, aut Fauianis. *Vienna.* certum.
Sabaria, colonia diui Claudij. *Stain am anger.* certum.
Carnus *Preſpurg.* coniect.
Muriola *Mureck.* coniect.
Bregetium *Rab.* certum. propter confluentiam Rabonis uel Arabonis in Danubium.
Carnunto *Peternell.* coniect.
Petouium ſiue Patauium. *Petau.* certiſſimum.
Nouidurum *Laybach.* coniectura.
Et ſub Norico Pannoniæ, Emona Clemona. certum.

PANNONIA INferior.

Habitatur iam ab Hungaris, Sclauis, Siculis, Iazigibus, Hunis, Cunis, Septem

ptem castrensibus Germanis, & plerisque alijs nationibus. Hungari tamen prædominantur.

Ciuitates eius,

Vimundria *Agran.* coniect.
Salinum *Ofen*, coniect.
Teutoburgium *Senna Erdet*, certum. propter confluentiam Dari in Danubium.
Milatis *Vilach*, certum.
Sirmium *Simach*, certum.
Taururum Alba Græca. certum propter confluentiam Danubij, & Saui.
Hermonactus Kilia, coniect.
Zeugma *Clausenburg*, coniect.
Zarmis Gethusa, domus uenationis Zarmidis regis: nunc corona apud Septem castra.

Reliqua propter uariarum gẽtium incursiones coniectore indigent.

Nunc uerò transcenso Rheno ad Heluetios peruenianus, licet Heluetiorum deserta in Cisrhenana ponantur regione.

HELVETII.

Heluetiorum nomine cõtinebatur, quicquid nunc Suitenses & confœderati possident, Rauracos usque & Basileam.

Ciuitates horum,

Lacus Brigantinus, in quem Rhenus influit, nunc lacus Cõstantiæ est, hunc Ceretos & Vindelicos Strabo attingere refert.
Arbor felix *Arben*, certum.
Gammodurum Constantia, coniect.
Vitodurum *Winterduer.* certum.
Turegum, uel pagus Tigurinus. *Zurich*, certum.
Auanticum *Bibelspurg.* certum.
Solaturum. *Solotoren*, certum.
Vindonissa, uel Vindonis, *Windisch* apud monasterium *Kügsfelden*, in quo est sepultura comitum de *Habspurg.* certum.

Et uersùs Sequanos & Heduos, nũc Burgundiam & Lotharingiam.

Visontium *Bisantz.* certum.
Tollium *Doll* certum.
Nasium *Nanse*, certum.

Post Heluetios habitabant Rauraci, quorum caput Augusta Rauricorum, *Augst*, pagus nunc supra Basileam milia re unum. certum.

Basilea, creuit hęc ex ruinis Augustę. *Basel*, coniect.

Strabo deinde Mediomatrices ponit: post quas Tribochicam tenebant terrã quæ nunc Alsacia dicitur, ad Sequanos usqꝫ, & Hunorum tergum. Siquidem dum Huni rerum potirẽtur, quicquid ad ortum possidebant *Osterreich* nominabant, quicquid autem ad occidentẽ, *westerreich*, his Strabo Triusgros adiacere refert, apud quos tum temporis Romani Imperatores pontem supra Rhenum ędificabant.

Mõte Brisiaco, uel Breucomagus. *Breysach*, certum.
Argentoratum *Straßburg*, certum.
Tabernæ *Zabern.*

Non desunt qui Argẽtoariam *Colmar*, Elcebum uerò *Schletstat* esse putant, sed fallunturnam supra Rheni ripam Argeatoariam & Elcebus erant.

Sequuntur Vangiones, nunc Spirenses, quamuis usus obtinuit, ut Vangiones Vuormatienses, Nemeti uerò Spirenses dicuntur, sed præposterе.

Berbetomagus. *Speyr.* coniect.

Ptolemæus uerò Argentoratum Vangionibus attribuit.

Hærebant his Nemeti, quorum fines ad Treuiros usqꝫ extendebantur.

Ciuitas cuius,

Rufiniana *wurms.*
Neomagus *Oppẽheym*, uel Spira potius.

Quamuis non desint, qui Rufinianã *Speyr.* Neomagum uerò *wurms* esse putant Bauconiam autem *Oppenheym.*

His iuncti erant Treuiri occidentem uersus quorum olim fines latissimi erant: nam à Rheno ad Mediomatrices usqꝫ extendebantur, pariter & ad Menapios & Mosam: ita ut quicquid hodie à Moguntiaco per Treuirensis episcopi ditionem & Mosellę montes: seu Obrinci tractum, ad Arduennam, & ultra, necnon quicquid per prouinciam nunc *Vuesterreich*, & Lucelburgium

continetur, id omne Treuirensis erat ditionis.

Ciuitates uerò iuxta Rhenum sunt,

Mogontiacum *Menz*, certum.

Bingium, uel Vingio, hîc Naus fluuius in Rhenum exit, *Pingen*, certum.

Legio Traiana, *Drechshüsen*, quasi Traiani domus.

Vosauia, aliàs Ficelia *Ober wesel*, ibi cęsa & sepulta est Mannea mater Alexandri Imp. certum.

Bodobriga *Poparten*, certum.

Confluentes *Coblentz*, ibi Rigodolum est oppidum Ammiano, quamuis etiam non longe à Treuirorum Augusta pagus sit, qui hodie quoque *Rigol*, appellatur.

Et hic erat limes Germaniæ superioris, quem Obrincus fluuius dirimebat, inde Germania sequebatur inferior.

In mediterraneis autem ciuitates,

Augusta Treuirorum *Trier*, certum.

Nouomagum superius. *Nümagen*, pagus circa *Bercastel*.

Pontes Sarni *Sarpruck*, certum.

Et uersus Mediomatrices.

Durocortorum *Arencort*, iuxta portũ S. Nicolai.

Matricorum siue Dinodurum *Diedenhofen*, in ripa Mosellæ à Francis Theodonis uilla uocata, regia Caroli Magni. certum.

Cæterùm non parua est disceptatio, quis sit fluuius Obrincus, quem Ptolemęus supra Moguntiacum statuit. Quidam enim illum Naum, qui iuxta Bingium in Rhenum defluit, esse putant. Alij etiam Rhenum transgressi Mœnum esse censent, sed proculdubio Mosella est, licet Ptolemęus in eius situ (forsitan ex aliorum relatione) deceptus uideri potest. Equidem si Naus esset, sequeretur, quòd Mosella penitus à Ptolemæo fuisset obmissa, quod planè incredibile est, quòd fluuius adeò insignis fuisset neglectus, & longe minor, Naus nempe, recensitus, qui & ipse non supra, sed infra Mogontiacum labitur. Mœnum uerò per Obrincum designari, planè ineptum uideri potest, quòd in descriptione superioris, & inferioris Germaniæ, transcenso Rheno, Mœnus describi, & quasi humeris ultra Rhenum transportari deberet.

Ripuarij dicti sunt, qui in Treueris, ad Mosellæ habitarunt ripam, nec non inter Mosellam Rhenum, ac Mosam, à Francis Ripuaria uocata est Neustria, & Austrasia.

A confluentibus uerò Vbiorum incipiebat ditio, quorum fines ob fidem egregiam, mirum in modum à Romanis fuere aucti. traduxit hos Agrippa ad ripam ulteriorem, sed non inuitos, ut Strabo ait. Horum urbes erant. Autunaco, uel Autiniacum, *Andernach*, certum. ibi conditum est corpus Valentiniani Imperatoris: sed forsitan potius in Treueris, quàm Vbijs est ponendum.

Rigomagus, hîc Arar *Reinmegen*. certũ. Rhenum influit.

Bonna, *Bon*, certum. ex cuius opposito Genosia est, ubi Drusus, teste Floro Rhenum ponte coniunxit.

Agrippinensis Colonia, Colonia, certum. Vbiorum caput.

Nouesium, Tacitus in Legnis quemadmodum & Geldubam esse scribit, *Neuß*, certum.

E m mediterraneis,

Marcodurum, *Duren*, certum.

Duromagus, *Durnegen*, certum.

Iuliacum, *Iulich*, certum.

Corioualum ad Menapios, *Ach*, uel prope, certum. pertinebat potius, quam Vbios.

Lugodunum, *Seuenburg*.

Gelduba nunc diruta, pagus adhuc uocatur Gelbum, iuxta arcem Linem Episcopi Colonienſis.

Vbijs uersus occidentem hęrebant Menapij, quorum fines olim latissimi erant, ad Castellum enim protendebantur oppidum, eratq; sub ditione eorum tractus ille, qui iuxta montes sunt quos nũc Eyflìam appellamus, ac quicquid inde est usq; Morinorũ terminos, nec

necnon Comitatus Namurciæ, Ducatus Lymburgensis & *Falkenburg*, ac trans flumen Mosam pars Hannoniæ ad Picardiam usque & Eburones, habitarunt enim utramq; Mosę ripam, authore Cæsare & Tacito. Paludes uerò Menapiorum, quorum & Strabo meminit, inter Eysliam, & Limburgensem sunt ducatum. Regio hodie Alta palus uocata, hominibus fere inaccessa, & uix structis quibusdam semitis permeabilis. Sunt & circa Geldriæ cõfinia, Menapiorum paludes, in ea regione quæ hodie uocatur, *Die Vogtey von Gelderen*, iuxta *Venlo*, & *Kempen*. Strabo hos nouissimos ad utramq; fluminis ripam esse dicit. Menapijs adhęrebant Morini quorum portus Gessoriacum, nunc *Cales*.

Castellum *Kessel*, iuxta Mosam oppidum dirutum.

Vagamum oppidum non procul à Castello. *Wagenheym*.

Tongeren ciuitas.

Namurcum *Namur*,

Leodium *Luttich*,

Atuacum, uel Atuacutum, certum.

Samobrina *Cameracum*, certum, uel potius S. Quintinus.

Taruana *Terwan*, certum.

Tornacum *Tornach*, certum.

Gessoriacum nauale *Gent*, certum.

Lugodunum *worcken*, uel mons S. Gertrudis.

Icius portus, uel Gessoriacum *Cales*, certum.

Deinde Batauorum sequebatur regio. Obtinebãt autẽ Batani, quicquid à sectione Rheni inter Mosam, & Rheni comprehendebatur ostia. Cęterum hoc prætereundum non est, quòd licet Ptolemæus tria Rheni ponat hostia, Tacitus tamen nisi duorum mentionem facit: unum ubi Mosæ commiscetur, & Vahalis uocatur, alterum uerò qua Germaniam prętereuehitur, donec Oceano misceatur. Strabo quoq; duo ostia Rheni ab Asinio tradi refert, eosq; accusandos, qui plura dicunt, idemq; Pomponius Mela sentire uidetur, nostro autem æuo tria Rheni ostia esse scimus, quorum tertium Insula uocatur. Vtrum igitur tertium illud Taciti tempore haud fuerit, sed posteriore eruperit tempore, indagatione nequaquam indignum uidetur. Duę nanq; iam insulæ inter Rheni sunt ostia, Batauorum & Cane nefatum, quorum altera Velania dicta est. Retinet & tertiũ ostium insulæ nomen, estq; regio ea pars Geldriç, & diœcesis Traiectensis nuncq; insula superior appellatur. Cõprehenditur, & magna pars Holandię sub Batauia, necnon ea terræ portio, quæ patrum nostrorum ætate ab Oceano est submersa. Tacitus Batauos uirtute inter Germanos fuisse præcipuos refert, & Chattorum olim populum, ob seditionem in eas sedes trãsgressos. Proinde licet Batauia hoc tẽpore multis ornata sit ciuitatibus, paucis tamen antiqua remanent nomina, ex quibus sunt: Traiectum quod inferius appellatur, nunc *Vtricht*, certum.

Portus Manarmanis uel Naualia *Campen*, certum.

Vetera *Santen*, certum.

Tiberiacum, non longè à *Santen*, *Berick*, quamuis aliqui putent Tiberiacum inter Coloniam, & Iuliacum esse situm, & forsitan esse, *Bergheym*.

Bagaoum, quod retinet nomen antiquum, *Bagenheym*, ubi habitabant Arenarij.

Neomagus *Neumegen*.

Colonia Traiana *Keysers werd*.

Calciaci Calcar. Tacitus,

Tametsi ciuitates istę supra insulam Batauorum sunt sitæ, & ad Belgas pertinebant.

Inde per miliaria duo distabat Batoduorum, nunc penitus excisum, extat tamen arx nomine *Pattenberg*.

Dorderacũ prętereа & *Briel*, hodie portus admodum famosi sunt.

Post Batauos, & ultra Rhenum Busactori parui, quos quidam Bructeros esse uolunt, à Ptolemæo ponuntur, tenebant ij eam Germaniæ terram, quæ iuxta Rhenum est, & uersus Boream tendit, hodie Frisiæ pars est.

Horum

Horum iam urbes sunt,

Daventria *Deuenter.*
Suollis *Suoll.*

Inter Busactores & Phrisios Vidrus fluit fluuius, ac in mare exit Phrisium, hodie nigra appellatur unda, estq; nauigabilis.

Supra hos iuxta Rhenum habitabāt Sycambri, à quibus Franci ortum sum pſere, quod quidem multis argumentis ostendi potest, nugenter Gallici scriptores quicquid uelint de Troiana gentis origine, & ciuitate illa magna Sycambria appellata, meris mendacijs constructa, omnia enim illa fabulosa existunt. Horum pars sub Octauiano Cæsare in citeriorem Rheni translata est ripam, qui uerò remanserunt posteriori tempore Franci sunt dicti, & eam occuparunt terram, quæ hodie appellatur Franconia, seu Francia orientalis, unde & per Franckfordiam, hoc est, Francorum Traiectum, Galliam inuaserunt, quam & hodie tenent. Horum ciuitas erat Asciburgium; nunc *Aſpuech*, locus ruinis tectus, terra uerò illa Montensis nunc ditionis est.

Post hos Sueui habitabant Longobardi, hodie pars Marchiæ comitatus, & Mōtensis ducatus terra illa fuisse uidetur. Per horum & Sycambrorum ter tam tria labuntur flumina, quæ omnia in Rhenum exonerant. Luppia *die Lip*, quæ apud Vuesaliam cum Rheno cōmiscetur, extatq; hodie castellum super illius ripam a Romanis fundatum Lupia nomine, ac *Terlipp* uocatur. Secundus amnis Rura, hoc est, *die Roer*, appellatur, in Cattorum montibus ortum sumens, ac in Rhenum iuxta *Roerhort* influens, Adranus ut coniecturare licet, à Tacito uocatus. Tertius fluuius Angra, hoc est, *der hanger*, & apud *Mangerhort*, Rheno admiscetur.

Postea Tengeri degebant, & Ingriones, inter Rhenum & montes, ubi hodie pars Hassiæ cum Rheno coniungitur, dicta *Hochrug*, ditiones comitum de Nassau, *Konigstein*, &c. *Vuederauia*, & sylua occidentalis, hoc est, *der Vuesterwald*, Franckfordiam usque, per horum fines insignis labitur fluuius, qui magnam Hassiæ partem interluit, Lona nomine, ac iuxta oppidum, *Lonstein*, in Rhenum exit, quidam Luppiam esse uoluerunt, sed falluntur. nam Luppia hodie nomen suum retinet, ac longissimo spacio infra Lonam in Rhenū labitur, & ideo dubium est, num Lona Romanis scriptoribus cognita fuerit. Tacitus Tengeris equestris disciplinę laudem tribuit, quemadmodum Cattis pedestris.

Postea erant Intuergi, ubi hodie est ditio Palatini, *Heydelberg*, & *Bergstrass*. His iuncti erant Vangiones, ubi nunc Franconia, quæ orientalis uocatur, esse putatur, cum Diocœsi Vuirtzbergensi.

Sequebantur Charitini, nunc Ducatus Vuirtenbergensis, cum adiacente sibi Sueuiæ parte.

Sub his erant Vespi, hodie Marchionatus est Badensis, cum prouincia, quā Brisgaudiam uocant.

Inde Heluetiorum erant deserta, nūc sylua nigra, cum regionibus sibi annexis.

Iuxta Oceanum uerò supra Busactores Phrisij colebant tam occidentales quàm orientales, gens hodie longissimè protensa, non solum enim usq; Amasium protenditur fluuium, ut Ptolemęus refert, sed ad Albim usque pertingit: in horum finibus Amasius, uel Amasia, qui *die Ems*, in Oceanum exit.

Horum hodie urbes sunt,

Lewerden.
Groningen Ciuitas insignis.
Embden.
Phabitanum *Bremen.* coniect. Tecelia.

Supra hos colebant Cauchi, qui appellabantur parui, usque ad flumen Visurgim. Deinde ad Albim usque Cauchi habitabant maiores, nunc Saxoniæ pars ac Ducatus Lunenburgensis esse censetur, nec non Episcopatus Bremensis & Hildesheymensis. Tacitus hos ad Chattos usq; deducit, ac inter Germanos nobilissimos uocat, & singulari iusticia excellere scribit.

Deinde ad collum Cymbricę Chersonesus

foneſus Saxones, quemadmodum & nunc habitabant.

Ciuitates eorum hodie ſunt,

Treua *Heymburg.* conject.

Lirimeris *Lubeck*, ciuitas inſignis, uel *Mulheym*, conject. quia *Lubeck*, nouiter eſt condita.

Leuphona *Mollen*, uel *Hanofer*, conject.

Sequitur Cherſoneſus Cymbrica, quæ hodie eſt ducatus Holſatiæ, & Schleſuicenſis, habet nunc epiſcopatũ Schleſuicenſem, Ripenſem, Viborgenſem, & Archuſienſem. Ciuitates uerò quàm plures, ueluti *Haderßleuen*, *Elenſporg*, *Schleſuuic*, &c. Plinius Cymbris mediterraneos quoque adiungit Cymbros.

Poſt Saxones à Chaluſo amne, qui hodie *Drauenna*, eſſe cenſetur, ad flumen Sueuum, nunc *die Spre*, habitabant Pharodini. Horum ciuitates erant,

Laciburgium *Sund*, conject. ſunt qui *Roſtock* putent.

Aliſus *Neu Brandenburg*, conject.

Zwiſmer.

Mollen.

Roſtock, Ciuitates nouæ à Sorobis Sclauis conditæ, nunc terra illa Saxoniæ, & ducatus Megaloburgenſis pars eſt. Hunc totum tractum maritimum, ad Viſtulam uſq; cum magna parte prouinciarum mediterranearũ, olim Sclauini, Sorabes, ac *Vilzi* occuparunt, cum quibus & Carolus Magnus, ac Daniæ poſtea reges multa geſſerunt bella, ab his maior pars ciuitatum, quæ nunc florent, eſt condita. ſuperſunt adhuc reliquiæ illorum, magna gens, & plane miſera, ac contempta, ab omnibusq; oppreſſa.

Sueuus uerò fluuius iuxta ciuitatem Sundenſem, in mare exonerat Germanicum, quæ marionis altera cenſetur.

Deinde erant Sideni ad Viadum ſeu Gutadum uſque fluuium, qui hodie eſt *Odera*, amnis inſignis, & qui non minorem ſuſcipit fluuium Neuſſam nomine iuxta Caminum ciuitatem epiſcopalem in mare exit Germanicum, hodie pars eſt ducatus Megaloburgenſis ac Stetinenſis.

Ciuitates uerò ibi ſunt,

Limoſaleum *Lebus.*

Iouincium *Bernaw.*

Virunum *Angermund.* conject.

Stetin ciuitas.

Gripſwaldia, nunc ciuitates inſignes.

Sub his Rutichij incolebãt, ad Viſtulam uſq;, hodie *die* & excl.

Ciuitates horum ſunt,

Rugium *Camin.* certum, propter exonerationem Viadi.

Sturgun *Graudnitz*, conject.

Kolperg.

Stolpe.

Louenpurg.

Vltra uerò Viadum, hodie ducatus eſt Pomeraniç & ditio antiquorum ducum Saxoniç, qui appellantur de *Louenburg*. Et iuxta exonerationem Viſtulæ in mare Dantiſcum, hodie Emporiũ celebratum.

Internarum autem gentium maximam eſſe Sueuorum Angillorum Ptolemęus ſcribit, hi fuere qui poſterioribus temporibus inſulam Britanniam, nunc ab illis Angliam dictam occuparunt, erant hi magis orientales Sueuis Longobardis, qui poſtea in Italia conſederunt. hos Tacitus paucos, ſed nobiles & bellicoſos eſſe ſcribit.

Iuxtà erant Sueui Semnones, ubi nũc eſt *Marchia*, Brandenburgenſis dicta, & ad Albim uſq; protendebantur, ac ultra illum etiam habitabant, uſque ad Sueuum fluuium, hi poſtea omnes populariter demigrarunt, ita ut ne ueſtigium ullum Sueuorum ibi remanſerit.

Poſt hos gens erat Burguntorum Plinius Burgundiones uocat, qui & ipſi emigrantes in Gallia conſederunt. Vnde & ab eorum nomine *Burgundia*, appellatur.

Cæterũm inter Cauchos paruos atque Sueuos incolebant. Buſactores maiores, & ſub his Chemæ, & deinde Angriuarij, quorum reliquiæ hodie quoq; ſuperſunt. Epiſcopusq; Coloniẽſis ſe ducẽ Angriuariorũ appellat

nunc

nunc Oſtphali & Vueſtphali ibi degũt, & Monaſterienſes, necnon Badẽbornenſis & Bremenſis eſt epiſcopatus. Vltra Viſurgim uerò epiſcopatus Hildesheymẽſis, & comitatus Raueſpurgenſis, ubi poſteriori tempore habitarunt Nortmanni, qui Galliam uehemẽter afflixerũt, & id ex uetuſto Germanico authore diſci poteſt, qui ſe ex ea gente originem habere gloriatur, quicquid de his ſomnient ſcriptores Gallici, & eos à Dania ueniſſe autumẽt, Angriuarios & Chamannos à tergo Dulgibinis & Caſuarijs claudi Tacitus ſcribit, à fronte autem Phriſijs excipi. Per Vueſtphaliam Amiſus fluit amnis inſignis, ac in mare Phriſium iuxta Emdã labitur. In hoc Druſus Bructeros nauali uicit prælio, Strabo Hamaſiam appellat.

Ciuitates uerò eorum ſunt,

Mediolanum, *Monaſterium*, coniect.
Teuderium *Padeboren.* coniect.
Situanda *Oſſenbruck*, coniect.
Et ultra Viſurgim ducatus Brunſuicenſis.
Hildesheymenſis ciuitas.
Tuliſurgium, *Brunſuick*, coniect.

Poſtea erant Lacobardi, ſub quibus Dulingi, ubi nũc eſt Marchia antiqua, & epiſcopatus Meydeburgenſis.

Ciuitates uerò ſunt,

Meſouium *Meydeburg*, uel *Melden.*
Halberſtadienſis epiſcopatus.

Inter Saxones, & Sueuos Teutonari & Virunni erant.

Horum ciuitates nunc,

Treua *Hauelburg.* coniect. ciuitas & epiſcopatus.
Welſenach.

Poſtea Teutones & Anarpi.

Quorum ciuitates nunc ſunt,

Berlin & Brandenburgenſis ciuitas.

Inter Rutihios autem, & Burgũtos habitabant.

Elueones. *Horum ciuitates nunc ſunt,*
Scurgum *Graudmitz.* coniect.
Aſcaricadis *Toren.* coniect.

Sub Semnonibus habitabant *Ilingæ*, nunc pars eſt *Lauſniciæ.*

Sub Burguntis autem Luti Omani, & Luti Diduni, ubi nunc eſt *Stargadia*, in Pomerania.

Sub Ilingis ex utraq; parte Albis degebant Calucones, ubi nunc eſt, *Hertzperg*, & pars Miſniæ circa *Cerbſt.*

Cheruſci inter Albim fluuium habitabant, & Viſurgim, dirimebãturq; ab Angriuarijs, ut Tacitus ſcribit, lato agere, quem illi extulerant, quo à Cheruſcis dirimerentur, & quum Druſus Germanicus Cheruſcos adgreſſus fuiſſet, Arminius cum illis trans Viſurgim inſtructa acie ſtetit, is enim Romanos, & Cheruſcos interfluebat. Vnde planè conſtat, Cheruſcos eam inhabitaſſe terram, quæ hodie Saxoniæ pars eſt, cum Duringia uniuerſa. Saltum uerò Teutoburgenſem, in quo Varus cũ Romanis legionibus cæſus eſt, haud procul ab Amiſia, teſte Tacito, abfuiſſe conſtat. Druſi uerò Trophea, Ptolemæus quaſi ad ortum Viſurgis ponere uidetur. Id ſi uerum eſt circa Fuldenſe fuerunt monaſterium. nam & Strabo refert Druſum, quum inter Salam fluuium, & Rhenum belligeraret, oppetijſſe.

Camanni autẽ eam tenebant terram, quæ nunc eſt Miſnia, uſq; ad Melibochum montem.

Verſus ortum autem Albis habitabant Benochemæ circa *Cottowitz* & *Dreſen.*

Supra hos erant Batini, ubi nunc eſt ducatus Sagenſis.

Et adhuc ſuper hos habitabant Corconti ſub monte Aſciburgio, ubi hodie *Gerlitz* eſt, & *Pautzen*, cum reliquis ciuitatibus, uſq; ad Poloniam.

Luti Buri uerò uſq; ad Viſtulam protendebantur, hodie Sleſia eſt, ubi & Bratislauienſis ciuitas, quæ Budorgis cenſetur, & Poloniæ pars, uſq; ad fluuium Viſtulam.

Inde Sidones erãt, ubi nunc ducatus Oppolenſis. Poſtea Cogni, ubi hodie ducatus eſt Teſchenſis.

Demum uerò Visburgij ſupra ſyluã Hercyniam, nunc pars eſt Moraviæ circa ciuitatem Olmicenſem.

Rurſus ſupra Sueuos, Ptolemæus Caſuarios,

ſuarios, Nertereanos, & Danduros ponit, ibi forſitan, ubi hodie ditio Comitum de Hemenberg eſt. & regiones quæ uocantur *Puchen* & *Ron*, cum ciuitatibus Smalcaldia, *Koberga*, Egra & reliquis.

Sub his aũt Turones & Martũgis colebãt forſitan, ubi hodie ea regio eſt, quę uocatur Palatinatus ſuperior, circa Ambergã, uſq; ad ſyluã Bohemorum. Verũ hîc nil certi affirmamus. Iterum ſub Camanis Cathę, ſiue (ut Tacitus appellat) Cati, Cheruſcis ad occaſum cõtigui fuere ac propinqui. nam ut Tacitus ſcribit, quum Druſus ex improuiſo Cattos inuaſiſſet, Cheruſcis in animo fuiſſe ut Cattos iuuarent: ſed à Cecinna prohibitos eſſe. Quapropter abſq; dubio patet Cattos uicinos fuiſſe Cheruſcis, & eã habitaſſe prouinciã, quæ hodie eſt Haſſia: nã ut Cornelius inquit, apud illos colles rareſcere incipiunt, nec terra adeo paluſtris eſt, quãadmodum in Germania inferiori, hi ſuccedẽte tẽpore Cheruſcos ſubegerunt, indeq; cũ Hermidurís ob Salis flumẽ cõtendentes, penitus cæſi fuerũt, quũ uictores diuerſam aciem Marti & Mercurio ſacraſſent, & forſitan ob illos Salis fontes pugnatum eſt, qui hodie apud Hallenſes in Miſnia cernuntur.

Horum ciuitas erat Stereontium *Caſſel coniecturaliter.*

Pheugarũ, *Marpurg.* con. Tacitus refert Matium caput genti fuiſſe, quã & ſummis laudibus attollit. Supra Catthos habitabãt Tubanti, hodie ea regio *Eſsfeld* cenſetur, & *Syluaharę*. Inde ad Sudetos montes erant Theurochemę, iam Foytlandia eſſe putatur. At ſub montibus erant Variſci, ubi nunc ciuitas eſt Babenbergenſis, & montana, quæ Babenbergenſia uocãtur, cum oppidis *Holfeld*, *Kulmbach*, *Peyrreut*, *Hoff*. Cęterum nec hoc prętereundum, in hac regione montem eſſe Piniferum dictum, ex quo quatuor inſignia & nauigabilia oriũtur flumina, quæ ad quatuor mundi tendunt plagas. Aegra enim ad ortum fluit, & in Bohemia cũ Albi miſcetur. At Nabus uerſus Auſtrum fluens in Danubium tandem exit, Sala autem ad Septentriones labens, & ipſa ab Albi excipitur, Mœnus uerò uerſus occaſum in Rhenum exonerat. Sub Martungis erant Curiones, inde Chetuari & Parme campi, ubi hodie Auſtriæ pars eſt Cis danubianæ, iuxta *Krembs*, *Znaem*, & *Nielaſpurg*. Inde habitabant Marcomãni: hodie regio illa Morauia eſt, quæ ſe ad Sudinos extendebat, & Danubium uſq;, ubi hodie ciuitas eſt Preſpurgium. Geſsit hæc gens maxima bella cum Romanis, præcipue Antoninorum tẽpore, ciuitates nũc habet inſignes, Olmicẽſem, Eburũ fortaſſis & Brunenſem.

Sub ſylua autẽ Hercynia Quadi erant, ubi nunc ſunt oppida *kam*, *kalmunt*, *Grafenau*; uſq; ad Lunã ſyluã, apud quos ut olim, hodie quoq; ferri perdurat minera.

Sub ſylua uero Luna, ſeu potius inter ſyluam Lunam gens magna erat Bęmorum, qui & Boiohæmi uocabantur, ac undiq; claudebantur ſyluis, eam regionẽ Morabudus obtinebat, Romanis olim bellis clarus, ſub quo tum (ut Tacitus refert) Sueuicę etiã gentes, Sennones & Longobardi, necnon Marcomanni erant, ad quos ab Arminio pugna deuictus conceſſit. Sed Sclauinorum poſtea gẽs, cũ multitudine ſua totam ferè inundaret Europam, eam inuaſit terram, ac expulſis ueteribus colonis uniuerſam occupauit, & licet illi hodie quoq; Bohemi uocẽtur, nequaquã tamen Germanica, ſed Sclauonica utuntur lingua, quæ & ueterẽ illorũ redarguit originem: nunc in regni formã eſt redacta, ac multis urbibus inſignita, diues frumenti, pecoris, piſcium, ac minerarum, admodumq; populoſa, necnon potentiſsimis Baronibus magnaq; nobilitate decorata, huius regionis ciuitates eſſe cenſentur. Coridorigis & Mediolaniũ, forſitan nunc Praga & Pilſa. Hi hodie ad Danubiũ ferè extenduntur, ac ideo Teracatrias & Racatas quoq; occuparũt. Proinde plures alias Germanicas gentes Tacitus ponit, inter quas Marſos recẽſet. Scribit enim quũ Druſus Germanicus Marſos adoriretur, quas & magna clade affecit, quòd exciuerit Bructeros, Tubantes & Viſipetes, ut ſaltus, per quos exercitui regreſſus patebat, inſiderẽt. unde liquet has gẽtes omnes

uicinas,& haud longe à Rheno abfuiſſe,licet Ptolemęus Tubantes etiam ſupra Cattos ſtatuat. Porrò Marſorum reliquiæ adhuc in Germania permanent, nam Saxonũ inſulę,ubi Albis in mare exonerat,hodie à Dietmarſis,hoc eſt,populoſis Marſis habitãtur,& à Marſorum nomine appellantur. Bructeri à Ptolemęo haud nominãtur, niſi quis Buſactores paruos pro Bructeris accipere uelit.hos Druſus pugna nauali in fluuio Amiſio deuicit:in horum terram immigrarunt Chamani & Angriuarij pulſis Bructeris. Pręterea & Mattiacos Tacitus recenſet,qui & ipſi à tributis,quemadmodum & Batauí exempti erant,ac ſolùm ad uſum reſeruati bellorum. Viſipios & Tencteros,Cattis proximos eſſe ſcribit Tacitus.Viſipiorum uero Ptolemæus nec meminit. Hermunduros non refert Ptolemæus,ſed Tacitus Albim quoq; in Hermunduris oriri ſcribit,id ſi uerum eſt,pars erunt Bohemiæ. Iuxta Hermunduros Nariſci à Tacito ponũtur, à tergo uerò Marcomannorum & Quadorum Marſigni Gotthini, ſiue Gutones,qui & Gotthi. Ariorum, Helueconarum, ac reliqua priſca Germanorum nomina nunc penitus exoleuerunt. Peucinos autem & Baſtarnos, Plin. Dacis conterminos eſſe dicit.Superſunt & hodie in Tranſyluania,quę Sibenburgenſis appellatur,Germanorũ reliquiæ.utrùm uerò poſtea illac migrarint, aut ſemper ibi habitarint, nil certi quod affirmem habeo. Sanè Rugorum terra & hodie nomen retinet, pluresq; principes de titulo Rugorum contendunt, ueluti Marchiones Brandenburgenſes, Megelburgenſes, & Pomeraniæ duces. Supereſt & inſula Rugorum, ex oppoſito fluuij Sueui, ubi in mare exit.Hi poſterioribus temporibus magnum nomen ſortiti ſunt. Suionũ deinde ciuitates Tacitus ponit,quos claſſe etiam ualere ſcribit,forſitan hodie Sueti ſunt & Dani, poſt quos mare eſt glaciale, id Tacitus pigrum uocat. Siquidem & Plin.refert immẽſas inſulas non pridem à Germania cõpertas,quæ proculdubio Suetia,Dania & Noruegia ſunt,quę longiſſimo terrarũ tractu ab ortu in occaſum excurrũt, ita ut ab Vislandia,quę gradus ſeptem in lõgitudine habere creditur, uſq; ad gradus ſexaginta tres protendatur. In latitudine uero à gradibus quinquaginta quinque uſque ad gradus ſeptuaginta duos ſint cognitæ, cum inſulis adiacentibus, uelut Iſslandia,ſiue glaciali, Finlandia, Vermenlandia, Gronlandia,uſq; ad homines ſylueſtres, qui ob mores feroces *wildlapmanni* uocantur. Vltimus uero limes Chriſti cruce ſignatus eſt,quẽ nemo abſq; regis licentia trãſcendere poteſt,& cũ comitatu magno. Et is limes continet in latitudine gradus ſeptuaginta circiter. Inde non longe erecta eſt arx,quę uocatur *warthaus*,uel domus præſidij. Veniũt tamen quotidie à Septentrionibus,terraq; incognita,ac à mari glaciali homines quidam barbari, Caroli uocati,mercimoniorum gratia in Gronlandiã cum magno exercitu,& ut pro cõperto habetur,ex altera parte poli Septentrionalis,hos planè cõſtat,Suetiã continentem,& non undiq; mari circumfluam eſſe. Noruegię ciuitas principalis & emporiũ hodie eſt *Bergen*, quę habet in longitudine gradus 24.16. in latitudine uero grad.61.15. Suetię aũt ciuitas præcipua eſt *Stockholm*, quę continet in longitudine gradus 24.38. in latitudine gradus 60.30. at Daniæ caput regni eſt Copenhagia.longitudine gradus 35.24.latitudine 56.30.obtinẽs.

Inter inſulas uero Danię Gotlandia hodie quoq; nomen retinet,ſuntq; in illa ciuitates,Eccleſia Pharenſis,& ciuitas Veſpu.

Supereſt & inſula Schandia uel Scania,quę hodie quoq; Scholandia uocatur, cum aliis inſulis quamplurimis ad regnum Danię pertinẽtibus. Deinde Effluorũ gẽtes,in dextro Sueuici maris littore habitare Tacitus ſcribit, hos Prutennos eſſe liquet,quia apud illos nunc,ut olim ſuccinum colligitur. Inde Sitonum requuntur gentes,& hũc finẽ Sueuię eſſe Tacitus refert,forſitã hodie Eyflãdia eſt. Põponius Mela Hermiones ultimos Germanię eſſe dicit. Cęterũ Ptolemęus ultra Viſtulã Sarmatiã auſpicatur Europeam, quam eo quoq; tempore, quemadmodum

modum & nunc multæ Germanorum habitabãt gentes, ueluti Gythones, Alani, Rugij, Scyri, Vandali, & cunctę alię Gotthorũ nationes, post quorũ transmigrationẽ, Sclauini, ut dictũ eſt, ingreſſi ſunt, & terras illas occuparũt, aut etiã aliquos expulerũt, gẽs multitudine ſua numeroſiſsima, & quę hodie pręter Poloniam totã Ruſsiã cũ Moſcouia uſq; ad mare glaciale, & Tanaim, ac ultra illũ etiã multa poſsidet. Cæterum ſinus Venedicus cũ magna parte mediterraneę regionis, quę hodie Pruſcia eſt, necnõ Liuonia uniuerſa, q̃ olim fuit Gotia oriẽtalis uſq; ad Naruã fluuiũ, qui in ſinũ exit Venedicũ, hodie militię Teutonicę ſanctiſsimę uirginis Marię paret. Suntq; ibi Eccleſię cathedrales quã plurimę, ueluti Sãbienſis, Rigẽſis: Hapſelẽſis, & ultima Riualiẽſis. Ciuitates uerò, *Elbing*, Armel caſtrũ Marię, Borgus, Mõs Regalis, Riga ciuitas, *Pornow*, *Hapſel* ciuitas, & demũ ciuitas Renalia, quę habet in poli altitudine grad. 62. In mare autem exeũt poſt Viſtulã Chronus hodie Paſſaria, deinde Pregora uel *Cherchin* poſtea Armele fluuius magnus *die Memel*, uocat & *Niemen* Slauonicè, per Muſcouiã fluẽs, ac in mare Pruteni cũ tribus oſtijs exonerans, quidã hũc Chronũ eſſe putãt. Inde Hillige fluuius, Rubonis fortaſſis. *Poler* deinde, Turnutius forſan, poſtea fluuius ingẽs, qui Duna & Zuina ac *Binda* uocat, ex Moſcouia oriẽs, apud Rigã in mare erũpit, forſitã Cher ſinus eſt. Inde iuxta Riualiã Anna fluuius exit, demũ aũt Narua fluuius magnus, & ipſe ex Moſcouia fluẽs ac in Oceanũ Sarmaticũ iuxta Flautenã exonerat, Liuoniãq; ex Moſcouia diſterminat. oſtia fluuij huius in eleuatione polari, gradus habẽt 64, uel circiter. In mediterraneis aũt & haud longè inde ciuitas magna eſt, Nouogardia dicta, quę graduũ eſſe fertur 66, nõ multũ à mari glaciali. Eſt hoc tempore Moſcouia cũ terra illa uniuerſa magno duci Moſcouiæ ſubiecta: cuius dictio quũ uerſus occidẽtẽ à Mari Baltheo incipiat, per quingẽta miliaria Alemanica, & magna quidẽ oriẽtẽ uerſus ſe extẽdit, quẽadmodũ Moſcouitę p certo affirmãt, ita ut lõge Tanaim, necnõ Volgam hoc eſt *Rha* fluuiũ ſupet, & per Aſiaticã Scytiã excurrat. Ioãnes enim pręſentis ducis Baſilij pater multa ſuo adiecit imperio, ueluti terrã quę Permeskã nominatur, necnõ Correlã ac ultimã Iuhrã, ex quã olim egreſsi ſunt Hũgari, qui in Pãnonia ſedes fixerũt: quod nõ ſolũ ex cõmuni patriæ liquet nomine, ſed q; & lingua eade utũtur, qua Hũgari, licet incõptiori. Sũt uero prędictę gẽtes, no ſolũ Barbarę, ſed & ferinę ac beluinę, pane carent, & ſolũ ex uenatiõe ferarũ & piſciũ uiuũt, & quia nihil aliud poſsidẽt, tributi nomine nil niſi animaliũ pelles, & piſciũ dẽtes magnos Moſcouię duci ſoluũt ex qbus cultellorũ fiũt manubria, pręcipueq; apud Turcas in precio habẽtur, ſed & Tartari Koſanẽſes, qui iuxta Caſtrũ Koſã, q; ſupra flumine *Volha* ſitũ eſt, habitãt undè & nomẽ ſortiti ſunt. Moſcouitæ ſubſunt Imperio, ac illius iuſſu bella capeſſunt. Moſcouię uerò ad ortũ Tartari adiacent Sauolhenſes, necnõ Tartari Nohaiẽſes Sabolẽſes, qui ſe cęteris pręſtare putãt, ad mare ſe extẽdũt Caſpiũ, at Nohaiẽſes admodũ ſunt ſeptẽtrionales, & quotidie Moſcouiã ſuis infeſtãt incurſionibus à ſeptẽtrionibus uerò Moſcouia Oceano terminatur glaciali, à meridie aũt uaſtiſsimis cãpis, necnõ Lithuania & Ruſcia, à qua noſtris tẽporib. Ioãnes dux Nouogardiẽſem ducatũ cũ ciuitate eiuſdẽ nominis maxima, necnõ Mozaiſenſem ducatũ abſtulit. Pręſens uerò dux Baſilius Ploskouiẽſem & Smolẽſem ducatus, cũ pluribus alijs Lithuanis & Rutenis ademit. Vtũtur Moſcobitę ac Ruteni lingua Sclauonica, ritũq; obſeruãt Grecũ: reliquis uerò gentibus, quibus Moſcouitę & Lithuani imperãt, ſingulis proprius eſt ſermo. Ciuitas, in qua dux ipſe ut plurimũ degit Moſcouia, quẽadmodũ & regio ipſa appellatur, fluitq; per eã nominis eiuſdẽ fluuius uaſtus. Vrbs eſt ingẽs, ſed tota ferè lignea, pręter caſtrũ & palatiũ ducis, quę ex lapidibus ſunt cõſtructa, diſtatq; à ciuitate Smolenſi, quę in Ruſſia eſt poſita cẽtũ miliaria Germanica. Smolẽſis uerò ciuitas à Vilna ciuitate ingẽti Rutenorũ abeſt miliaria cẽtũ uiginti. ac Vilna à Cracouia regia ciuitate Polonię p miliaria cẽtũ, ita ut à Cracouia uſq; ad Moſcouiã trecẽta & uiginti ſunt miliariã

liaria Germanica magna à Nurenberga aũt Cracouiã miliaria sunt centũ & aliquid plus. Sunt aũt gentes illę incõptę, & admodũ barbarę, & extremę prętereaq; seruituti subiectę, ita ut omnia quę admodũ inter Turcas dominorũ propria esse cẽseãtur. Princeps Moscouię cãctarũ rerũ proprietatẽ habeat, usum fructũ uerò subditis utẽdũ relinquat, nõ diutius tamẽ, quã sibi placet. Moscouitarũ terra pars est Sarmatię Europeę ubi Ptol Hyperboreos & Basilicos ponit Sarmatas, necnõ Modocas, à quibus forsitã Mosci sunt deriuati, prętera Hyppophagi Sarmatę ibi degebãt, necnõ Zacatę, Suardeni & Asei, & iuxta Borealẽ Tanaidis inflectionẽ Perierbidi, gẽs magna. Iuxta australẽ uerò Taxamatę, ultra Tanaim uero, quo se lõgissime Moscouia extẽdit, Sarmatia incipit Asiatica, & deinde Scythia est iuxta *Rha* fluuiũ, ubi à Ptol. Phthirophagi & Materi, cũ alijs quã plurimis ponũt gẽtibus. Deinde erat terra incognita, ubi hodie Permeska Corella, & Juhra, uel Vngaria prisca fuit, quę cũcta Moscobitę sunt subiecta. In Moscouia oritur fluuius, *Edel*, id est, *Rha*, uel Volga necnõ Tanais ex terra plana ac palustri, cũ multis alijs, ueluti Zuina, Moska, Ocha, Mimula, &c. Lituania Moscouię uersus Boream est cõiũcta ad occasum uero, ubi regio est Samagithia, Liuonię & Prussię adnectitur, ab ortu autẽ fluuijs terminat *Oskol*, Iugra, & *Donyez*, qui oẽs in Tanaim exonerãt, at meridiẽ uersus, Polonię & Ruscię adiacet. Hęc gẽs superioribus annis admodũ obscura, & Ruthenis subdita fuit: uerũ quũ succedẽti tẽpore duces nacta esset bellicosos ira preualuit, ut totã Russiã suo subijceret imperio, quin et Liuoniã, Pruscią, & Poloniã assiduis infestauit incursionibus, adeò, ut nisi milites Cruciferi, cũ aliorũ Christianorũ principũ subsidio, illis obuiã iuissent. tã de Polonia quã de Prussia actũ fuisset. Nec tamẽ ita reprimi potuit, ut nõ maximas clades Christianis inferret, pariter & acciperet, durauitq; bellũ infestissimũ multis annis, donec tãdẽ deficiẽte regia stirpe Polonica, Iagellus magnus Lithuanię princeps, fidẽ Christi unà cũ regno Polonię & relicta Ludouici regis filia Heguide accepit, ac post susceptũ baptismũ, Vladislaus est uocatus. Cõtingere hęc sub annũ salutis, 1380. Ab eo tẽpore Lituania, Samagitia, & Polonia in stirpe illa permãsit. Subsunt aũt magni ducis Lithuanię imperio gẽtes multę, & principes quã plurimi, tã Lithuani quã Ruthẽni. Ciuitas principalis Vilna est admodũ magna, ad fluuiũ eiusdẽ nominis cõdita. Oritur in Lithuania fluuius Boristhenes, qui deinde per Russiã fluẽs, in mare exit Ponticũ. Lingua gẽtis quadripartita est, paulatim tamen lingua subintrauit Polonica, necnon Germanica. Sequitur Lithuania & Samagithia ritum Ecclesię Romanæ. Ptolemæus Galindos, Bodmos, Seuinos, Amaxobios & Carines ibi posuisse uidetur. Russia siue Roxolania, & ipsa in Sarmatia posita est Europea, ea duplex est, Alba & Rubea, seu inferior à solis ortu flumine terminatur Tanaide & paludibus Meotidis, à Septẽtrionibus aũt Moscouiæ & Lithuaniæ adiacet, à meridie uero Valachia, Moldauia & Carpato mõte disterminat, ad occasum aũt Poloniã & Masouiã contingit. Eã regionẽ olim inhabitarũt Massagetę, qui & Alani & Hamoxobij ac per totũ latus Meotidis laziges & Roxalani, necnõ Chuni ad occasũ uersus Peucini & Bastarnę, Amanedoci & Nauari, Tyrãgitæ, Sauromatæ & Gythones, cũ alijs nationibus Gothicis: siquidẽ ex his regionibus emigrarũt Gotthi, Alani, Scyri, Gepidę, Heruli, Taiphali, Carpi, & reliquæ cũctæ gẽtes Gothicæ quẽadmodũ ex certissimis historijs ostẽdi potest, nã Alani & Roxolani in uastissimis cãpis ad Tanaim usq; habitarũt: qui hoc tẽpore ob Tartarorum incursionibus penitus sunt desolati & inculti. Ad fluuiũ uero *Deneper*, qui est Boristhenes & *Denester*, qui & Tiras Gothi residebant. Vnde digressi in duos diuisi sunt populos: nã qui ad solis ortũ sunt progressi, ac Thauricã Chersonesum cũ multis alijs occuparunt locis. Ostragotthi, hoc est, oriẽtales Gotthi sunt dicti. Qui uerò occidẽtẽ uersus perexerũt, Visogotthi, id est, occidẽtales Gotthi sunt appellati. In horũ locũ Sclauini successerũt, quemadmodũ patet ex lingua. Cæterũ hoc tẽpore Russia, magno

duct

duci Lithuaniæ,& principibus qui sub ipso sunt,est subdita præterea,quæ Moscouitæ abraserunt. Sanè etsi regio illa pecoris,frumẽti & mellis sit fertilissima, præcipue ea quæ Potolia nũcupatur, per Tartaros tũ ac Turcas admodũ est uastata. Tartari enim Præcopẽses, qui & Vlani,ex Thaurica, Chersoneso quotidie illã inuadũt & spoliãt. Turcę uero postquã nostra ætate Bialogrod,siue Nigrum castrũ, ubi Tiras, hoc est, *Deneſter* in põtũ influit, necnõ *Kiliã*,hoc est,Albũ castrũ nõ lõgè à Danubij ostijs occuparũt, nunquã ab infestatiõe Russię cessarũt. Sed & Tartari Præcopẽses munitionẽ citra Boristhenẽ extruxerũt,nomine Ozarkõ, ex qua Russiã inuadunt & spoliãt. Rutheni enim licet olim supra flumine præsidia quæda cõstituissent,per quę Tartari trãsgredi prohibebãtur,ea tamẽ propter auaricią reliquerũt. Vnde iã Tartaris liber patet aditus. habet & Russia ciuitates quamplures insignes,quæ magna ex parte uastatę sunt,inter quas erat Chiouia urbs amplissima ad Boristhenis fluuiũ sita,forsitã Olbia seu Barischenis à Ptolemęo & Strabone uocata, iã pridẽ à Tartaris euersa,in illa residebat Ruthenorũ Metropolitanus,cui subditi fuere oẽs Russię,Lithuanię,Moldauię,& Valachię Episcopi,hodie Leopolis principalis est ciuitas,deinde Halitz,ambæ iuxta fluuiũ Tirã sitæ,cũ plerisq; alijs,nã Smolẽsis necnõ Gimnesis & Nouigradẽsis ducatus,cũ ciuitatibus suis Ruthenis,ut dictũ est, per Moscouitas sunt adẽpti. Rutheni Sclauonico loquũtur sermone,& ut plurimũ Græcorũ fidẽ sequũtur. inhabitãt & Russiã Armeni,qui magnas exercẽt mercaturas,nã ad Aegyptũ,Persiã, & Indiã usq; penetrãt, inter Turcas enim & Machumetanos libere,& ubiq; sine uectigalibus negotiãtur,ita enim lege sua Machometes cõstituit, quoniã ab Armenis educatus,& multis beneficijs affectus fuit. Cęterũ quia Thauricę Chersonesi facta est mẽtio. Sciẽdũ est quod Ostrogoti illã post primã occupationẽ usq; ad hodiernũ diẽ inhabitant,nã licet imperatores Græci peninsulã illã aliquando possederint,Ianuẽsesq; Caffam,quæ est Theodosia,occuparint, Tamerlanusq; decãtatus Tartarus illã ceperit, à quo tẽpore eã Tartari Vlani,qui & Præcopenses,seu Grimuẽses,ex oppidi nomine ita uocati possiderũt ac inhabitarũt,qui & ipsi postea à Turcis fuerũt subacti,& ad tributũ soluẽdũ coacti. Ostrogothi tamẽ semper mõtana, licet sub tributo possederũt; loquũtur aũt Germanice,qua lingua oẽs Gothi,utpote Germani sunt usi. Superfuere ad ætatẽ usq; nostrã duces Gothorũ nobilissimi de *Mankup* dicti, qui castrũ *Mankup* semper à Tartarorũ ui defenderũt,donec *Mackumet* Turcarũ imperator *Caffam* expugnauit. Tartarosq; ac peninsulã suo subiecit imperio,tũ & castrũ *Mankup* cepit, ac duos duces fratres de *Mankup* gladio percussit,in quibus & tota Gothorũ illorũ nobilitas cessauit. Gothi uerò qui adhuc in mõtibus supersunt, ut plurimũ uineas colunt,& inde uitã sustentant. Proinde & hoc sciendũ,quod ex omnibus nationibus Gothicis nulla amplius in Germania supereſt, exceptis Scyris qui adhuc quoq; Stirij uel Stirenses appellantur,& Turci lingis,qui & Turingi. Sed nec hoc ignorandum est,eã gentẽ,quæ hodie Turcarũ appellatur nomine,à Tartaris ortum sum pſisse,quòd non solũ una & eadẽ lingua,ritus,uictus & uestitus,sed & equitandi ac bellandi usus, necnõ fraudes, perfidia,& innata barbaries ostendit & feritas. Falluntur igitur qui Turcarũ gentẽ antiquissimã,aut Turcimanos esse putãt,cũ parũ plus sint,quã trecenti anni, ex quo primùm Tartarorũ nomen,antea penitus incognitũ sit auditũ,post quorũ aduentũ Otomannus se à Tartaris seiunxit, ac cũ suis Turcarũ nomen assumpsit. Tartaricq; hodierna die Turcas clientes suos esse dicunt,ac Dẽũ ob peccata eorũ Turcas sic extulisse cõqueruntur,quũ antea non solũ illorũ fuerunt subditi,sed rustici etiã,idq; Tartarũ nomine significare asserunt. Proinde gentes Sclauonicæ non solũ magnã Europæ,sed & Asię partẽ occupauere,supersuntq; hodie in mõtibus Iberiæ ac Albaniæ. Et uersus mare Hircanum Circassi, gens bellicosissima, quæ longo tẽpore Aegypto cum Syria sub seruorum nomine imperauit. Habitant & ibi Gazarorũ gentes, quæ hodie

Abgazari & Abgazelli à Græcis uocantur: necnon Mengrelli, apud has gentes Tartari Sauolēſes tela & alia comparant neceſſaria. Et hi omnes ex Selauorum gente originem ſumpſere, linguaq; loquuntur Sclauonica, ac Chriſti fidem ſecundùm ritum Græcum ſequūtur: quin per totam Turchiam, præcipue milites, Sclauonica in uſu eſt lingua, ita ut Cōſtantinopolis ipſa tā nō amplius priſco nomine, ſed Cęſaris domus Sclauonica uocet lingua, ſed & pauloante in aula Soldani Aegypti, milites, utpote magna ex parte Circaſsi, Sclauonice loquebantur.

Supra mare Hircanum & meridiem uerſus Zagathai habitabant Tartari, non amplius iam in campis, ſed ciuitatibus lapidibus cōſtructis, ex quibus præcipua eſt Samarcāda, quā Laxartes maximus Sogdianæ fluuius interluit, qui & in mare Caſpium exonerat: huius conditor Tamilanus fuiſſe dicitur, cum quibus dum Sophi rex Perſarum bellum noſtra gereret ætate, à Selymo Turcarum imperatore inuaſus & uictus eſt, qui illi & quicquid in Armenia poſsidebat, unà cū Tauriſio regni caput ademit. Cęterum qui Vinulos ſeu Vendos, reliquam'ue Sclauorum gentem Vandalorum nomine honeſtare contendunt, planè falluntur. Conſtat enim claſſicorum ſcriptorū authoritate, Vandalos ex Gotthorum ortos eſſe gente, quemadmodum & Sciros Gepidas, Alanos ac reliquos Gotthicæ nationis populos, inter quos nihil præter ſolam interfuit nomenclaturam, eiſdem enim inſtitutis eademq; utebantur lingua Germanica, nempe quemadmodum (ut dictum eſt) ex reliquijs quoq; Gotthorum qui mōrana Taurice Cherſoneſi præſenti adhuc ætate obtinent, diſcere licet, quum Sclauorum, Vendorum & Viltzorum loquela penitus à Germanica ſit diuerſa: quin & d u antequam Sclauorum nomē eſt auditum, Vandali populariter cum liberis & uxoribus è patria emigrarant, tamq; Luſitaniæ parte tenebāt, ac in Africam tranſcientes, Chartaginem cum uniuerſa illa prouincia ſuo ſubiecerant imperio. Sed & tam Oſtrogothi quàm Viſigotthi Chriſtianam tum ſuſceperant fidem, quum Sclaui ſub initium omnis religionis fuerint expertes, quorum tanquam nouorum hoſtium nomen, ſub Mauritio primum auditum eſt, incurſionesq; eorum à Iuſtiniano nō parum ſunt repreſſę, donec immenſa multitudine ſuperantes, magnam Europæ & Germaniæ quoq; occuparint partem, quod quidem Procopij aliorumq; pluriū authorum cōſtat teſtimonio. Egreſſi autem ſunt ex Scythia, quemadmodū multę alię Barbarę nationes, & (ut Solinus Græcus ſcriptor refert) ex profundo Berſiliæ, dominatiq; ſunt omni peruiæ terræ, uſq; ad mare Pōticum, Gazari ſub initium a Græcis appellati, quemadmodum & hodie à Saracenis uocantur. Nihil igitur Vandalis ac Vendis, præter nominis tantum conſonantiam quādam unquam commune fuit licet Vorabi, Viltzi, Vendi, ac reliquæ Sclauorum gentes à Vandalis derelictam occupauerint terram, quēadmodum & multas alias regiones ſuo ſubiecerunt imperio, prioribus expulſis habitatoribus, ſiquidem nulla unquam gens è Scythia egreſſa tam copioſo numero ut Sclaui habitabilis terræ partem inūdauit Nam quicquid eſt, à mari Sarmatico & Baltheo, ad Pontū uſq; & Adriaticum mare, necnon à Tanaide fluuio, uſq; ad umbilicum Germaniæ, cum tota Sarmatia Europea ac magna parte Aſiaticæ, necnon Boemia, Dalmatia, & Illyria ſua repleuerunt multitudine. Quòd ſi eiſdem artibus, quibus regna parantur etiam conſeruarentur, proculdubio omniū gentiū eſſent potentiſſimi: Verum quemadmodum homines, ciuitates, regna & nationes, ſua habent incrementa, ita etiam cum ad fatalem deueniunt periodū, ruſus decreſcere & peſſumire incipiunt, quoad tandem penitus deficiant ac euaneſcant. Nihil enim in hac mundana machina firmum, aut perpetuò ſtabile eſſe poteſt.

MONTES ET SYLVAE IN GERmania Vltrarhenana.

EX montibus Ptolemæus primum ponit Sarmaticos qui nunc Hungariam Poloniam, ac Germaniam diſterminat, uocanturq; Cremnitz & Semnitz. Montes

Montes uerò qui ſupra caput Danubij ſunt, hodie pars exiſtunt ſyluæ nigræ, iuxta oppidum *Villingen*.

Heluetiorum heremus, hodie ſuperior pars eſt ſyluæ nigræ, cum ſylua Bregẽtina, quæ ad Alpes uſq; pertingit.

Abnobi montes uaria ſortiuntur nomina, multoſq; extendunt ramos, à ſylua enim nigra, per ditionem Marchionis Badenſis, & ducis *Wirtenbergenſis*, Niceriq; fluminis ripas excurrentes, per Sueuiam uſq; ad fluuium Cocerum, ac inde ad Tubarim progrediuntur, hinc Franconiam uerſus ac Babẽbergã tendentes, ſyluam ſaltuoſam, hoc eſt, *Steygerwald* conſtituunt, à Nicero uero ad amnem Mœnũ, *Ottenwald*, ac ultra illum *Weſterwald* nominantur. Dehinc ad Cattos, hoc eſt, Haſsiã pertingunt, à quo etiam Franconiam diuidunt, ibiq; *Speſshart* appellantur, & uſq; ad *Weſtphaliam*, necnon Rheni ripas Coloniam uſq; ſe extendunt.

Melibocus uero mons inde initium ſumit, & ad ortum tendit, nunc *Hartzwald*, & montana ſunt Miſnenſium, cum argentifodinis, planeq; appendix eſt Abnoborum montium.

Deinde ſylua eſt Semana, hodie Sylua Turingorum:

Sub montibus autem Subdetis Gabreta eſt ſylua, nunc Bohemorũ dicta, quoniam Bohemiam undiq; per gyrum circundat & claudit.

Aſciburgij uerò montis nomine, montana illa continentur, quæ per Sileſiam ad Poloniam & Cracouiam uſq; ſe extendunt.

Sudeti montes eſſe cenſentur, qui nunc montana Babenbergenſia uocantur, & ditio Marchionum Brandenbergẽſium, ubi ciuitates ſunt *Holfeld*, *Culmbach*, *Peyreu*, *Hoff*, cum Foytlandia.

Sub his montibus prædicta Gabreta eſt ſylua, quæ ipſa pars eſt ſyluæ Bohemicæ.

Sed & ſylua Hercynia inter hos & Sarmaticos ſumit montes, quæ immenſo prætenditur tractu: nam Cæſar ſcribit neminem huius Germaniæ eſſe, qui ſe audiſſe aut adijſſe ad initium huius ſyluæ dicat, etiam quum itinere quadraginta dierum præceſſerit, aut quo ex loco oriatur acceperit, latitudine uerò nouem dierum itinere expedito patere, multarumq; gẽtium fines propter magnitudinem attingere. Hanc olim, ut ex uarijs patet ſcriptoribus, Germani inhabitarũt, fuitq; ibi Germania magna, ſed illam poſtea occuparunt Poloni gens Sclauonica, eãq; hodie cum Moſcouitis, & Lithuanis tenent.

Luna ſylua, & ipſa pars eſt ſyluæ Bohemicæ uerſus meridiem, uſque ad Danubium pertingens.

In Rhetia & Vindelitia.

Adula monte, latus occidentale Rhetiæ terminatur, hodie Alpes ſunt iuxta Curiam & loca circumiecta.

Graiæ uerò ſunt Alpes, Atheſini, & Oeni uallis dicti, quæ Italiam uerſus extenduntur. Pœnæ autem ſunt iuxta principium Lyci amnis.

Ocra mons hodie Alpes ſunt circa Iuuanum, hoc eſt Salisburgium.

In Norico.

Cecius mons in Norico eſt, hodie Scyrorum ſiue Styrenſium montana.

Caruancæ montis nomine hodie Carnorum, Croatenſium ac Gorcenſium Alpes continentur.

Cæterum hoc quoq; ſcire refert, Germaniæ montes ac ſyluas, licet diuerſis appellentur nominibus, ab Alpibus tamen omnes incipere, ac poſtea ſemper cõtinuo quaſi tractu hinc inde diſcurrere, rurſusq; in ſeipſos reflecti, ac magna ex parte ad montana Bohemiæ, & ſyluam illam concurrere.

Cæſar Bacenim ſyluã infinita magnitudine eſſe ſcribit, & inter Sueuos ac Cheruſcos diſcurrere; ex quo patet Bacenim eſſe, quam Ptolemæus ſyluam Semanam,

nam,hoc est,Duringorum syluam uocat.is enim eo tempore Sueuos Albis fluuij accolas à Cheruscis dirimebat.

Vltra Rhenum uerò sunt.

Iura uel Iurassus mons,cuius nomine Suitensium hodie continentur Alpes,usque ad Allobroges.

Vogesi montana sunt, quæ hodie per Hunorum tergum, ac Lothoringiam extenduntur.

Arduena olim latissima patebat,hodie Eyflia pars illius existit.Strabo ait:Arduenam Morinos,Atrebates,Eburones,& Menapios attingere.

Riphei aũt &Hyperborei montes,de quibus prisci tã multa scripsere,nusquam hodie comparent,licet tota Europea & Asiatica Sarmatia undique à Germanis, Polonis,& Moscobitis sit peragrata ac cognita:sed omnia sunt plana, nisi iuxta mare glaciale,ubi colles quidam eminẽt admodum mediocres.Amnes uerò maximi,ueluti *Rha*,qui est Volga,Tanais & Duna,quæ & Zuina ex syluis,terra plana ac palustri & nequaquam ex montibus aliquibus oriuntur.

DE FLVMINIBVS *Germaniæ.*

FLumina uerò Germaniæ sunt quàm plurima,quæ partim in Rhenum,Danubium, Albim & Vistulam exeunt: quædam & sine aliorum incremento in Oceanum exonerant Germanicum.Athesis uero,licet in Alpibus & Germania oriatur,in sinum tamen influit Adriaticum.

In Rhenum igitur influunt amnes insigniores,Illa non longe à *Felthkirchio*:postea Ara,Lymacia,& Rusia,flumina rapidissima,ac Eluetiorum montibus ortũ sumentes.

Deinde Nicerus siue Necarus fluuius celebris,in quem decurrunt Cocerus & Iagesta,necnon alia quędam flumina ignobiliora.Postea Mœnus,uel(ut quidã appellant) Moganus in Rhenum ex opposito Moguntiæ exit, fluuius magnus & nauigabilis.Verum priusquam exonerat,multos alios recipit amnes:& primũ Regnesum, qui & Radiantia & Tramaricus uocatur, is postquàm Pegnesum per Nurmbergam fluentem suscepit,per Babenbergensem labitur urbem,à qua haud longe miscetur Mœno.ab hoc flumine Carolus Imperator,qui magni nomen est sortitus,fossam in Almonẽ,qui in Danubium influit,ducere est aggressus, ac integram æstatem exercitum in opere detinuit, ut hoc pacto à Rheno in Mœnum,ac ex illo in Regnesum,inde per fossam in Almonem,& ex eo in Danubium,& ita à mari in mare nauigari possit.Verum ob ingruentes(ut fertur)ĩẽ pestates,ab opere cessare est coactus:manent tamen adhuc manifesta tanti conatus uestigia, inchoataq; fossa pluribus in locis cernitur, præcipue tamen iuxta Burgum Album,nunc *weyssenburgam.*

Deinde Rubera in Rhenum cadit,non parui nominis amnis.

Postea Naus,multis alijs auctus fluminibus,iuxta Bingium in Rhenũ incidit.

Exinde Mosella,quę(ut superiùs est ostensum.)Obrincus est,apud Confluentes in Rhenum exit.Verum prius Sarum fluuium magnum supra Treuirẽsium suscepit urbem,qui Sarus antea Blijssa & Nida quoq; augetur.

Arar quoq; ex iugis Treuiricis,hodie Eyflia exortus,multis & ipse auctus torrentibus & fluuijs,supra Rigomagum in Rhenum euoluitur.

At ex alia Rheni parte Lona amnis insignis per Hassiã fluit, & multis auctus fluuijs,iuxta oppidum *Longstein* in Rhenũ excurrit Sequitur deinde fluuius Angra,deinde Rura,uel Andranus:& demũ Lupia apud Vesaliã Rheno admiscet.

Nouissimè uero Mosa Rheno coniungitur, Rhenus uero diuiditur in *Vnachalim*,hoc est,*den Vual*,& insulam,nunc *Dysel* uocatur,necnon in Lecũ,id est,*den Lech*,

& per

& per hęc tria ostia maxima exonerat, in Oceanum Germanicum, totāq; inundat Selandiā, Holandiam, & Frisiā.

Amnes uerò, qui in Danubiū influunt, insigniores hi sunt.

Illera die Iller

Bernicus die Wernitz.

Lycus fluuius ingens & rapidus, ac multis auctus amnibus, iuxta Lechsmūd, haud longè ab Augusta Vindelicorū, Danubium irrumpit.

Almonus fluuius, quo in tota Germania nullus pisculentior est, iuxta Kelham exit.

Nabus uerò ex monte pinifero oriens, ab Vilsum assumens, iuxta Ratisponam exonerat, pariter & Regnus in quo reperiuntur conchæ margaritas producentes.

Arlsara fluuius rapidus & ingēs, ab alpibus per totam labens Bauariam, cū multos alios accepit amnes, iuxta Filsbuen Danubium influit.

Oenus uerò fluuius maximus, ac rapidissimus, quum per Oeni uallem & Bauariam fluit, ac per Iuuarum uel Salzam, & multos alios auctus amnes, tandem iuxta Boedorum, nunc Parauiū, cum tali impetu in Danubium ruit, ut per longissimū spacium cursum suum seruet, nec Danubianis admisceatur aquis, quemadmodum perspicuè exundarum colore apparet.

Ilza Ilz.

Traura Traun.

Enesus Ems.

Igla Die Igel.

Leyta Leyta.

Marchia uel Moraua Marck.

Arabon Rab.

Swag fluuius.

Grana fluuius.

Daras uel Drauus, die Trab: qui Muram uel Murum, die Mur suscipit, fluuius ingens. Inter hunc & Danubium Turcarum Imperator Ladislaum Hungariæ regem deuicit.

Tybiscus Die Teyß, uastum flumen.

Saus Die Sau, amnis maximus, is iuxta Taururum, hoc est, Albam Græcam, Danubium influit. Sequitur inde,

Moschus.

Rhabosus.

Ciabrius.

Alutas Forsitan Baralat, & Secretius amnis.

Hierassus nunc Pruth fluuius.

In Oceanum exeunt post Rhenum.

Vidrus hodie Vnda nigra, in Catthorum montibus oriens.

Amasus seu Amasia, nunc die Ems, in hunc fluuium Strabo Visurgim & Lupiam deferri scribit, errore manifesto; cum Lupias in Rhenum, Visurgis uerò longè supra Amasum in Oceanum exeat.

Visurgis Wesera fluuius insignis hic Fuldam, Ederam, weram, & Nidam, amnes suscipit, per Saxoniam, & iuxta Mindēsem, Vuerdensem, Gotingensem, ac Bremensem, labens ciuitates, tandem in Oceanum exonerat.

Albis Die Elb, magnus Germaniæ fluuius, in montibus Bohemiæ oriens, suscipit aūt Multam flumē magnū, quod Pragensem præterlabitur ciuitatē, deinde Egram, ex monte pinifero, ut dictū est, fluentem, postea Salam, ac Ortellā, demum ciuitatem Hāburgū præter labens, in Oceanum Germanicum uasto euoluitur ore. Ad huius exitum Saxonum insulæ sunt positę, quas, ut dictū est, hodie Dietmarsi inhabitant, gens indomita, & multis uictorijs contra Danię reges Slesuicenses duces, & nobilitatem clara.

Chalusus fluuius Eidorus esse censetur.

Sueuus die Spre, ortus & hic amnis ex Bohemiæ montibus, ac iuxta Sundensem ciuitatem hoc est, Laciburgum in Oceanum exit.

Viadus, hodie Odera, fluuius magnus, in hunc Meusa, quæ per Slesiam & Varatislauiensem labitur ciuitatem, fluit: Tandem apud Caminum in mare erumpit.

Vistula, quę & Istula, seu Iustula, aut Vādalus appellat, fluuius ingēs, & ultra quem Ptolemęus Sarmatiā Europeā auspicatur, oritur in montib. Sarmatiæ, & Cracouiā alluit, inde per Poloniam fluens, Drauanitz fluuium,

quem quidam Drauennam esse uolunt, suscipit. Deinde duobus ostijs, & apud Dantiscum, & Elbingen in sinum Codanum exit.

Post hunc Chronus, qui Passaria esse censetur, in mare fluit.

Inde Pregora fluuius, post quem Nemula amnis magnus, qui & Niemen uocatur, in Lithuania oriens, in mare erumpit Prutenicum.

Postea Hilge fluuius, deinde Poler fluuius, sequitur hunc Duna, quæ & Zuina ac Binda, ingens fluuius, qui & ipse in Lithuania oritur, ac iuxta Rigam ciuitatem in mare erumpit. forte apud Ptolemæum est Chersinus.

Inde Anne fluuius, tandem Narua supra ciuitatem Reualiensem iuxta Flauttennam in mare exonerat. Limes hic est inter Liuoniam, quæ crucigeris paret, & Moscouiam. ostia fluuij huius in eleuatione polari graduum, 62. esse feruntur.

IN PONTVM AVTEM *Euxinum fluunt.*

TIras, *der Nester*, qui iuxta castrum nigrum in mare exit.

Boristhenes, *der Neper*, in Lithuania ortum sumens, & per medium ferè Russiæ labens.

Tanais. *Don*, oritur in Moscouia, ex terra plana, & nequaquam ex montibus.

Rha fluuius maximus, oritur in Moscouia, quumq; sub initium uersus Septentriones fluat, mox ad orientem flectit, longeq; Tanaim ambit, tandem ad meridiem conuersus, per Sarmatiam Asiaticam, & campos planissimos Tartarorum uagatur, ac per uiginti quinq; ostia maxima in mare Caspium, quod nunc mare de Bachan uocatur, exonerat, iuxta ciuitatem *Derbet*. Oriuntur autem in Moscouia, præ cæteris tria maxime flumina, nempe Zuina, Tanais & *Rha*. Proinde mercatores Germani, tria maxima flumina eodem uocant nomine, nempe Danubium, uel Istrum, Dunam, quę & Zuina, ac Tanaim, & cùm se de longinqua peregrinatione iactitant, tres se Danubios uidisse asserunt. Proinde in his omnibus nihil certi affirmamus, nisi ubi ueritas se ipsam manifeste prodit. Quis enim in re tam dubia, & ubi propter uariarum gentium trãsmigrationem omnia sunt immutata, non aliquando aberraret? planè enim constat numeris haud cõfidendum esse, quos Ptolemæus in his oris nequaquam ex obseruatione certa, sed ex aliorum scriptis aut dictis, uel per instrumentum quoddam Mathematicum seu iuxta coniecturam assignauit, quod & ipsemet ingenue fatetur. Porrò in Germania inferiori nequaquã absurde à fluuiorum aliquando situ credibilis sumi potest coniectura: at in Germania superiori, nullus à scriptoribus recensetur fluuius (præter Danubium, Mœnum & Oenum, licet multi alij sint, & insignes) cuius adminiculo, uel parumper ad ueritatem accedi possit: ubicunq; igitur coniectura potius quàm ulla nitimur certitudine, ita tamen, ut nemini legẽ præscribamus, ne à nostra discedat opinione, nam quicunq; ostendere poterit, se nobis rectius sentire: huic non solum non repugnabimus, sed etiam gratias habebimus gratissimas, si nos melius informare ualebit. Ego enim ita in plerisq; me dubium esse fateor, ut ignorem etiam, cui nam genti patriam meam Nurenbergam, quæ Segodunum esse censetur, ascribere debeam, hoc tamen pro compertο habeo, Noricos quum à Romanis expellerentur, ultra Danubium & in hanc regionem concessisse, quæ & hodie ab his nomẽ retinet, & Norica uocatur, quã cõtinetur quicquid ab exitu fluuij Almonis in Danubiũ Norenbergã usq; protẽditur, ita, ut Albusburgus, nũc *Weyssenburg* in Noricis esse dicatur, sed & procul dubio Norinberga quasi mõs Noricus, à Norica regiõe nomẽ accepit, Traiectus q; amnis Regnicij per miliare unũ à Norinberga distans, Germanice *Furt*, in Norico agro reputatur, à quo deinde occasum uersus ac Septẽtriones Frãcia orientalis seu

Franconia

Franconia ortũ auſpicatur. Sita eſt autẽ Norimberga, nõ ſolum in Germaniæ, ſed & totius Europæ umbilico. tãtum enim diſtat à flumine Tanaide, quantũ à Gadibus: ab Oceano quoq; Germanico, quãtum & à mari mediterraneo, altitudo eius polaris gradum eſſe cenſetur, 49½. uera autem longitudo graduum 27. minut. 22. quæ quidem longè diſcrepat à deſcriptione Ptolemęi.

Regionum & ciuitatum quarundam nomina.	
olim	Nunc.
Rhetia	*Suenia transdanubiana, iunctis Alpibus.*
Vindelicia	Bauaria.
Noricum	Landt an der Ens.
Pannonia ſuperior	*Auſtria.*
Pannonia inferior	*Vngaria.*
Marcomanni	Merhern.
Cimbrica Cherſoneſus	*Ducatus Holſatiæ, & Schleſuicenſis.*
Sicambria	*Moltenſes hodie ibi degunt.*
Batani	*Geldrenſes iuxta Rhenum, & Wahalim, ac etiam Holandi.*
Arduenna	hodie dicitur *Ardenna.*
apud Namurcum, ac magna pars eſt, dioceſeos Leodicenſis, & pars ducatus Lucemburgenſis, ac Iuliacenſis, uſq; Coloniam, uide Cæſarem.	
Gallia Narbonenſis	*Prouincia.*
Gallia comata	*Francia.*
Lutecia	*Pariſium.*
Remi	Reims.
Sequani	*Burgundiones comitatus.*
Hedui	*Burgundiones Ducatus.*
Allobroges	*Subaudienſes, cis & ultra Lemanum lacum.*
Aulertij	
Ambia	*Aurelianenſes.*
Atrebates	*Amiens.*
	Aters, ciuitas Epiſcopalis, nomen hodie tenet.
Bibractæ	
Alexia	Beurai.
Gergouia	*Alſetum.*
Genebum	Claromont.
Gebenna	*Orliens.*
Arar	*Genff.* certum ex Cęſare.
Turones & Veneti	*Sagona.*
Lacus Lemanus	*Britannia.*
	Lacus Loſanen. certum.
Britannia inſula	*Anglia. Scotia.*
Hibernia	*Hodie dicitur Hibernia inſula uerſus occidentem Britanniæ.*
Dania	Denmarckt.
Noruegia	Nortwegen.
Suetia	Schueden.
Gotia	*Gotlandia inſula.*
Scandia	Schonlandt.
Luſitania complectitur	*Portogalliam, regnum Murſiæ, ac partem Granatæ.*
Gallatia	Galitia.
Tarraconenſis	*Cathelania & Arragonia.*
Betica	*Caſtiliæ pars magna, ac pars etiã Granatæ*
Hiſpalis	Sybilia.
Triballi	Bulgari.
Miſia ſuperior	Boſna.
Dalmatia hodie dicitur,	*Dalmatia, & Sclauonia, pars eſt Liburniæ & Hiſtoriæ.*
Illyrij	*Boßinenſes & Dalmatæ.*
Miſia inferior	*Seruia & Raſcia.*
Getæ	*Tranſyluani.*
Datia	Valachia.
Tracíæ pars maxima	Romania
Macedonia	Albania.
Boetia cum Phocide	Ducatus.
Attica & Megarenſis ora	Setina.
Hellas cum Locride	Vlachia.
Etholia	Deſpocatus.
Ambratia	Larta.
Peloponeſus	Morea.
Iſtmus	Heximilium.
Sparta	Miſiſtratum.
Licia	Briqua.
Ionia	Quiſcum.
Aeolia	Folia.
Pontus	Trapezus.
Berithum	Barut.
Epiphania	Alepum.
Memphis	Cayrum.
Babylon	Tach.
Spinica	Barbaria.
Tunici	*Tuniſi prope Carthaginem.*
Cumania	*Tartaria inter Rha fluuiũ, & Tanaim*
Gedroſia	*Tarſe, Guzerat, & Cambeia.*
Caramania & Aria	*Turqueſte & Duilcindæ regnum.*
Iberia & Albania	*Colchis & Comaniæ pars.*
India intra	*Gangen, nunc Melibar, uel Zulmando, continet Regnum de Decã, Calequut, Cochin, Coulam, nec non Narſingæ, & Otiſſe regnum.*
India extra	*Gangen Mazin, Regnum Bangue læ, Eracangui, Pego, Aua, Damaſian, Ternaſuri, uſq; ad Cherſoneſum Auream.*
Inſulæ Fortunatę	Cannariæ.

Inſulæ

Insulæ Hesperidum *Caput Viride.*
INDIA *coniecturaliter.*
Ptolemæus *Nunc.*
Prassum promontorium *Nonsambic.*
Rapta *Quiloa.*
Tonica *Mombaza.*
Apocopa *Melinda.*
Zingis *Caput de Guarda fu.*
Aromata *Zeila.*
Mosylum *Cauaquin.*
Dire *Babel Mendap.* ubi sunt angustię rubri maris, nunc Strictum de Mechia.
Ab alia uerò parte maris rubri.
Arabia felix *Leaman* usq; ad *Adem.*
Badeo *Gyda.*
Muza *Maha.*
Ozelis *Adem.*
Syagros *Caput fartaq;.*
Armuza *Ormus.*
Alambater *Diu.*
Mongolssum *Goa.*
Simyla *Calecut*, uel *Choſin.*
Comaria promontorium *Comaria*
Colchi *Cael.*
Aurea Chersonesus *Malaqua.*
Sinæ *Schin.*
Postea est Regnum de *Cusch*, & *Zampa*, deinde *Cathalo.*

Cæterùm quia multi contendunt insulas nuper ab Hispanis inuẽtas, omni ętate fuisse incognitas, libuit hîc adiicere, quid Aristoteles in libro de admirandis in natura auditis, de illis scripserit, quæ talia ferè sunt.

Aiunt etiã Phœnices illos, qui ultima Gaudium incolunt, quũ trans Herculis colũnas per dies quatuor enauigassent, uento maximo Apeliote tracti, applicuisse tandẽ ad loca quędã inculta prorsus ac deserta, uerũ plena multa illuuie, & cõtinuo penè cõquassata motu, ea ubi cessauerit æstus, facilè cõspici posse: sed rede unte immergi, in quibus inuenisse eos affirmant incredibilẽ quandã thymorũ multitudinem, magnitudine quidẽ, & amplitudine admirabili. Tũ uerò ab his parari laqueos cœpisse, quibus cũ caperentur, captos aũt mẽbratim concidere, atq; eorum carnes desiccare paulatim cõsueuisse, ac demũ in uasis recõditos, deferre Carthaginẽ. Verũ à Carthaginẽsibus nõ amoueri amplius è ciuitate, sed potius eos inter se cõsumere, ob eam quã ferunt huiusmodi pisces in cõuiuijs dignitatẽ & excellentiã de se præstare. Hanc tymorum multitudinem palã iam cernere est in insula Madera, & insulis quę *Faial* seu Noua Flandria appellantur. Proinde in eodem libello Aristoteles ita quoq; scriptum reliquit. Trans Herculis columnas in eo mari quod Athlanticum dicitur, inuentã quandã insulã à Carthaginẽsium mercatoribus olim fuisse inquiunt, à nullis ante id tẽporis habitatam, præterquã à feris, & propterea sylueſtrẽ admodum, & multis refertã arboribus alioquin fluminibus plurimis ad nauigandũ aptissimis plenã, ac incredibili quadã omniũ rerum nascentium ubertate profluentẽ, sed remotã, à cõtinenti plurium dierũ nauigatione: ad quam cũ nõnulli Carthaginẽsiũ mercatores forte accessissent, captiq; eius loci fertilitate ac aeris clemẽtia, ibi sedem fixissent, cõmotos ob id Carthaginenses ferunt, statim cõsilio publico decreuisse, morte indicta, ne qs post hac illuc nauigare auderet, & qui iam erãt iussisse statim interfici, ne ipsius insulæ fama peruenire, ad alias nationes, submitterenturq; alicui fortiori imperio, ac fieret quasi oppugnaculum quoddam aduersus eorum libertatem.

Proinde cõpertum est, ex obseruatione eclypsis, quæ fuit in mense Septembri anno Salutis, 1494. Hispaniã insulã, quatuor fermè horarum interstitio ab Hyspali, quæ Sibilia est, distare, hoc est, gradibus 60. qualium est circulus maximus 360. medium uerò is sulę cõtinet gradus 20. circiter in altitudine polari. Nauigat aũt spacium illud cõmuniter in diebus 35. altitudo uerò cõtinentis oppositi, cui Hispani sanctę Marthæ nomen indidere, circiter graduũ est 12. Darieni uerò terra, & sinus de Vraca gradus quasi tenent 7. ½. in altitudine polari, unde lõgissimo tractu occidentem uersus terra est, quæ uocatur Mexico, & Temistitan, à qua etiam non longe remota est insula Iucatan cum alijs nuper repertus.

FINIS.

HENRICI

HENRICI BEBELII IVSTINGENSIS SVEVI, VIRI SVA AETATE doctißimi,

1 Oratio ad regem Maximilianum Cæſarem, de eius atq; Germaniæ laudibus.
2 Demonſtratio quod Germani ſunt Indigenę.
3 Apologia contra Leonhardum Iuſtinianum Venetum, Imperatoris nomen extenuantem, eiusq; coronationem deridentem.
4 Imperator Germanus iurè debet dici Chriſtianiſsimus.
5 De laude, antiquitate, Imperio, uictorijs, rebusq; geſtis Veterum Germanorum.
6 Epitome laudum Sueuorum.

Oratio Henrici Bebelii Iuſtingensis SVEVI AD AVGVSTISSIMVM ATQVE SACRATISS. Roman. Regem. Maximilianum, de eius atque Germaniæ laudibus.

SI POMPEIVM Magnum Cæſar illuſtriſsime, ob hoc laudauit antiquitas, quòd ad eum faciles aditus eſſent etiam priuatorum, quantis tu mitiſſime Imperator preconijs laudari mereris, qui omnibus etiam humilimis facilimum das acceſſum,, ut neq; te Moſes apud Hebræos, neq; Titus Veſpaſianus apud Romanos, uel facilitate uel manſuetudine uincat. Qui, ut cunctos mundi principes dignitate exuperas, ita nulli etiam ex infimis comitate debes exiſtimari inferior. Mihi igitur te adeunti ſacratiſs. rex, inceſsit & lætitia & timor: Lętitia quidem uel incredibilis, quòd ego adoleſcens infimæ conditionis humilimoq; loco natus, tanti uiri affandi copiam ſim nactus, regis ſcilicet terrenique dei, quique talis & tantus tus ſis, ut omnium iudicio non ſolùm præſentes orbis terræ reges, & in hunc uſque diem uiuentes animi magnitudine, diſciplina militari, ſingulariq; prudentia longè excellas: uerùm etiam in omni genere laudis, & gloriæ, omnes ſuperiores reges quacunq; tandem hij ætate floruerint, ſi non exuperaueris, æquaſſe tamen omnino, adeò ut clementia Cęſari, iuſticia Traiano, pietate Antonino, grauitate Alexandro Seuero nunquam cedas. Neq; inter reges tantùm, uerum etiam inter illuſtres uiros (ut de Pyrrho tradit Iuſtinus) nec quenquã te uno, aut uitæ ſanctioris, aut iuſtitiæ probatioris inuentum iri poſſe contenderim Cuius item domi militiæq;, tanta tamq; prędara ſunt facinora, ut ne inimici quidẽ queri, niſi de magnitudine & prudentia tua audeant, has ego tuas uirtutes animo complectens diuinamq; maieſtatem tuam coram aſpiciens, totus contremiſco, titubat lingua, tremunt labia totumq; corpus in compoſito quodam modo uacillat,

cillat. Nec id quidem immeritò, nouisse enim debebam coram florentissima maiestate tua, hoc eminentissimum dicendi genus cõsequi posse neminem, nisi qui sit summis eloquentiæ uiribus, Tulliano q; flumine instructus, quiq; memoria prope diuina præditus, in primisq; eruditione singulari, atq; doctrina insignis, atq; exercitatus. Quod in me nemo desiderare debet, qui in ociosis tãtum philosophorum rhetorumq; scholis uersatus, nũquã in publicum progressus sum, nedum orauí in corona principum. Sed recreat me ac æquiori animo esse iubet Cæsar, quidam dulcissimus afflatus, de tuo illo benignissimo procedens uultu, finitq; me paulo erectiùs loqui, in medium q; quod institui effundere. Scio itaq; imperator sacratissime moris esse eorum, qui apud te oratorio munere funguntur, ut longa serie maximo uerborum ambitu, grauissimisq; & ampullosis sententijs te cohortentur, ad pacem Germaniæ uniuersalisq; Ecclesiæ Romanæ componendam. Quiq; persuadeant expeditiones, in Turcarum ferocissimam gentem, quaq; oportunitate, & quibus adminiculis id fieri possit, tua mansuetudine euecti, iongius ęquo effusiusq; oratione euagantur, à quibus in præsentia longè est mihi aliena mens, ne ego (ut est in prouerbio) Mineruam docere uelle uidear, neue mihi adolescenti accidat, quod euenit Phormioni iam grandis ætatis Philosopho. Nam (ut scribit nobis Cicero) cum Hannibal Carthagine expulsus Ephesum ad Antiochum ueniisset exul, proq; eo, quòd eius nomen erat magna apud omnes gloria, inuitatus esset ab hospitibus suis, ut Phormionẽ eum quem dixi (si uelit) audiret, cunq; se nõ nolle dixisset, locutus esse dicitur homo copiosus aliquot horas, de imperatoris officio, & de omni re militari. Tum cæteri qui illum audierant, uehementer essent delectati, quærebant ab Hannibale quid nam ille ipse, de illo philosopho iudicaret? Hic Pœnus non optime Græcè, tamen liberè respondisse fertur, multos se deliros senes sæpe uidisse, sed qui magis, quã Phormio deliraret, uidisse neminẽ, necq; me hercle iniuria. Quid enim aut arrogantius, aut loquacius fieri potuit, quàm Hannibali qui tot annos de imperio cum populo Romano omnium gentium uictore certasset, Græcum hominem, qui nunquam hostem, nunquam castra uidisset, nunquam denique minimam partem ullius publici muneris attigisset, præcepta dare de re militari? Hoc mihi omnes isti facere uidentur rex Maximiliane, qui tibi præcepta militaris disciplinæ dare cupiunt, in quibus à puero usq; in hunc diem cum summa laude tua uersatus es, tantaq; & tam eminentissima, de te strategemata imperatoria priuatiq; militis animosa opera præstitisti, ut non solũ cum Hannibale, aut Alexãdro magno, sed cum omni antiquitate in omnium bellicarum rerum, & peritia & uirtute possis certare quàm glorioſissimè. Hoc idem mihi facere omnes isti uidentur, qui te longa oratione cohortari instituunt, ad pacem Christianam, aut armare in funestissimam Turcarum gentem, cum tu cunctis principibus Germanis dormitantibus, solus & idem diu noctuq; uigilantissimus, ea quæ ad statum publicum pertinent, optime prouideas, & solertissime pensites, qui nihil antiquius ducis, quàm consulere communi omnium bono, quàm prospicere publicè Christianorum omnium utilitati, & gloriæ eaq; sequi atq; amplecti, quæ Romano imperio, & ornamento, & splendori futura credas. Nec quicquam credo tam in abdito esse eorum omnium quæ uel profutura sunt imperio uel obfutura, quod tibi cogitanti, non sit in promptu, quod est rex Maximiliane nobis Germanis necessarium in primis, nam dum singuli principes posthabitis rebus publicis, uel commodo priuato studeant, uel dum eorum quidam simultatibus, & intestinis seditionibus solummodo sunt intenti, reliqui uoluptatibus tantùm indulgent, quæ sunt uel prima instrumenta, per quę multa oppida, nationes ualidissimæ, amplissima regna atq; imperia corruerunt, breui futurum timeo, nisi tu Cæsar, qui labentem iam pridem rempubl. Germanam, ab occasu restituisti,

auspica-

auſpicatiſsima tua ſolertia & prudentia adſis, ut totum hoc florentiſsimum imperium, quod maiores noſtri uirtute, multo ſanguine & rebus glorioſiſſime geſtis nobis pepererunt, per ſocordiam & negligentiam amittamus, inq; turpiſsimam ſeruitutem redigamur, quod tamen te ſoſpite nunquam pertimeſcemus, dum hoc unum nõ neglexeris, quod Virgilius monuit. Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos. Exacta enim nocte uidere uidebar in ſomnijs, uetulæ muliebris imaginem humana grandiorem, & auguſtiorem laceris tunicis & habitu omnino deformi, adeoq; macie & ſqualore confectam, ut nemini non horrorem cum miſeratione moueret, cæterũm ita conſpicuo capite, ut tanto ex fulgore uiſus hebetaretur, & quantum uidere potui, ſerto laureo cinctum erat. Ego itaque tanto ex capitis fulgore, cæterorum aũt membrorum putredine, & horrore exanimis cecideram, namq; calor oſſa reliquit (ut cum Virgilio loquar) & uox faucibus hęſit, niſi illa me apprehendiſſet, filiumq; inclamans conſolata eſſet. Ego ex his uerbis paulatim reſumens animum agnoui matrem eſſe Germaniam, qua ſalutata, & de tam uaria membrorum ualetudine, atq; cõditione quæſita, illa ſingultu diu uerba impediente, tandem hæc fatur lachrymans. I celer Bebeli ad regem meum & filium chariſs. Maximilianum, non enim priuatorum dedignatur acceſſum, narra conditionem meam, narra deformitatem, narra lachrymas & aſſiduum luctum in quo tabeſco penitus, dic ipſum unicum eſſe matris refugiũ & ſolamen, in quo omnem ſpem, ab eo tempore quo ex utero materno produxi repoſuerim, ipſum item omnium filiorum eſſe caput florentiſsimum, cætera membra omnia marceſcentia, dic bono animo ſit, nec deſperet meliore lapſus, ut qui ſua uiriditate, & uigore plura adhuc membra reficere, ac recreare poſsit: ea uerò quæ nimium putrent omnino reſcindenda curet, nec aliam ſalutis ſpem reſtare, niſi medicina medullitus adhibeatur, dic diſplicere mihi in primis conuenticula nobilium & procerum, qua ſe ſubtrahant à ſancta obedientia. Dic ſecum reputet, quæ cauſa Perſas Macedonas, Græcos pariter, & Romanos ſubuerterit, inueniet profectò proprium cuiuſq; ſtudium, commodum priuatum, & inteſtinas ſeditiones, quibus omnibus maximè noſtri laborant, omnium regnorum fuiſſe deſtructionem. In ſumma dic regem meum eſſe eum, qui confeſſo omnium ſit fortiſſimus, iuſtiſsimus, Chriſtianiſsimus. nemo illum uoluptati deditum, nemo libidini, nemo ocio accuſat, nemo à recto iuſtoq; deuiãtem. Sola clementia eius tanta eſt quæ ad commodum & gloriam Germaniæ damnari debeat, nam adeò obſtinatæ ſunt omnium aures, ut non clementia ſed tyrannide opus ſit. Hæc locuta protinus euanuit. Ego autem ne (ut præfatus ſum) ſus Mineruam docere uidear, paucis dixiſſe contentus ſum, cum mihi de his rebus non ſit inſtituta oratio, ſed longè alia proſequar, cũque obiter quædam & eadem pauca ſim dicturus ſacratiſs. rex, de incredibilibus ijſdemq; immortalibus tuis uirtutibus, longè etiam mihi aliena mens eſt, ac cæteris. Pleriq; enim omnes in principum laudibus recenſendis, ad longum hærent in enarrandis maiorum ſuorum nobilitate, rebus geſtis, diuitijs, honoribus, cæteriſq; id genus, quę ego etſi unus omnium maximè de te poſſem prædicare qui es ex ea familia Auſtriæ ſcilicet natus inclyta, & florentiſsima, quæ tot regum atq; imperatorum mater, ſæpe etiam Pannoniæ, ſæpe Boemiæ, quandoq; Poloniæ reges dedit, omnia tamen miſſa facio, ne aliena iactare in te uidear, nẽue aliorum laudes tibi uſurpare iudicer, quem omnium laudum, & ampliſsimarum quarumq; uirtutum, ueluti exemplar intuemur, nec item de rebus tuis glorioſiſsimè geſtis, in præſentia nobis ſermo futurus eſt: Si enim fœliciſsimos tuos triumphos, fauſtiſſimaq; trophea, quæ ſummo cum honore tuo de Francis, Eburonibus, Sycambris, Batauis, Morinis, Priſijs, Hungaris reportaſti, & ſi libere per globum cæterarum terum fortiter à te geſtarum peragrare uellem, non eſſem parua oratione contẽ-

tus.

tus,ſed perpetuo quodam hiſtoriarum contextu, tua excellentiſſima præconia poſteris demandarem. At ſi me audire uis rex Maximiliane,multi inueniuntur, qui ignem inferant urbibus, qui inexpugnabilia ſæculis & per aliquot ætates tuta proſternant,qui æquum arcibus aggerem attollant, & muros in miram altitudinem adductos arietibus ac machinis quaſſent, multi ſunt qui ante ſe agãt agmina,& tergis hoſtium graues inſtent,& ad mare magnum perfuſi cæde gentium ueniant. Sed hij quoque ut uincerent hoſtem cupiditate uicti ſunt, nemo illis uenientibus reſiſtit,ſed nec ipſi ambitioni crudelitatiq; reſtiterant. Tũc cum agere uiſi ſunt alios,agebantur,agebat in fœlicem Alexandrum furor aliena deuaſtandi, & ad ignota mittebat. Non ergo te maximè rex laudo,quia magnos duxeris exercitus,hos enim & Cambyſes (ſcribit Seneca) furioſus ac furore fœliciter uſus habuit,ſed ob egregiam animi moderationem,continentiam, temperantiam,munificentiam manſuetudinem,comitatem,religionem cæteraſq; uirtutes propè infinitas,& (ut cum Pſalmographo loquar) dilexiſti iuſticiã,& odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ cõſortibus tuis. Atq; ut animi mei ſenſum omnino aperiam,idẽ mihi de te optimo iure prædicare conceſſum eſt,quod Plinio de Traiano imperatore. Enituit aliquis in bello,ſed obſoleuit in pace, alium toga ſed non & arma honeſtarunt, reuerentiam ille terrore,alius amorem humanitate captauit, ille quæſitam domi gloriam in publico, hic in publico partam domi perdidit poſtremò adhuc nemo extitit cuius uirtutes nullo uitiorum confinio læderentur. Tu autem hæc omnia coniunxiſti omnium iudicio, ut inter ſe de excellentia certare uideantur, & quod cui præferatur,ſit iudicatu difficillimum. Sed quid ego adoleſcens omnium rerum imperitus,tuas explicare laudes conor? de quibus honeſtius eſt tacere, quàm pauca dicere,quas & de te prædicari ſola conſcientia cõtentus minimè exigas, & mihi de hijs non ſit inſtituta oratio, utpote minimè idoneo. At glorioſiſsime rex,ut tandem flectatur oratio ad inſtitutum noſtrum,omnis nobis ſermo apud ſacratiſſimam maieſtatem tuam habendus eſt, de laudibus Germaniæ, deque inopia ſcriptorum apud eoſdem. Libet itaque lamentari & deflere iniquam maiorum noſtrorum cõditionẽ, quòd apud Germanos reperti ſint qui egregia facerent plurimi,qui ſcriberet nullus. Hoc conqueror apud te Imperator,hoc me in lachrymas prorumpere cogit. Si enim ſcriptorum beneficio illuſtria foris domiq; geſta Germanorum,ad poſteros tranſmiſſa eſſent, eſſetq; in recenti memoria ea fortitudo animi,ea ſtrenuitas, ea in rebus gerendis peritia, quas de ſe præſtiterunt Caroli, Ludouici, Lotharij,Fœderici, Othones,Henrici, Conradi, Rodolphi, Alberti cæteriq; Germaniæ Imperatores. Non ſemper Græcia mendax ſuos, Theſea, Themiſtoclem, Periclem, Miltiaden, Cononem, Epaminũdam,Codrum,Pauſaniam,Alcibiadem cæteroſq;. Roma uerò ſuos Curios,Fabios, Cæſares, Flauios, Scipiones, Horatios, Regulos & alios ad omne uirtutis exemplar opponerent,quos noſtri non ſolum æquarunt rerum magnitudine,uerumetiam longè ſuperauerunt, ex hoc uel maximè, quòd hijs non æquitas, aut ulla uirtutis ratio quærebatur,ſed ſola regnandi libido. Noſtrorum autem omnes labores, omnia pericula,omnis denique militia ſuſcepta eſt, pro Deo,pro fide,proque augenda Chriſtiana religione. Quia ſi nullus eſt defunctis (uti non dubitamus) ſenſus, profecto horum manes ingemiſcere credendum eſt, cum tot labores incaſſum ſibi fuiſſe ſuſceptos intelligant,& tot nequicquam egregia opera,non ſolum pro noſtra patria,ſed etiam pro totius Chriſtianæ religionis conſeruatione & defenſione, ſint non ſolum aggreſſi, uerùm etiam ſumma cum laude confecerint,ut cum ſuis ipſi ſudoribus,& auſpicijs Romanę Eccleſiæ pepererint tale incrementum,quale non Macedo Alexander ſuis,uel Cæſares,Pompei,Scipiones & cęteri ambitioſo Roma. imperio. Atramẽ

omnes

omnes oratorum,poëtarum,hiſtoricorum & philoſophorum denicꝫ libri referti ſunt,Romanis & Græcis ad omnem poſteritatis æmulationem.Nemo mẽtionem faciat Fœdericorum,Carolorum & Othonũ cęterorumcꝫ, quibus ad omne neporum exemplar nihil reperitur omnino expreſſus.Non eſt alia cauſa,quã quod res eorũ geſtę ſcriptorum penuria uenerunt in obliuionem.At ſi pro rerũ dignitate laudari debet Germania, inuenies eã eſſe regionem, quę de omni genere laudis ac uirtutis,cũ quauis non modo earum,quę hac tempeſtate præclaræ habẽtur atcꝫ celebres, uerũ cum omni antiquitatis memoria contendere poſſit.Quicquid enim uirtutis peculiare eſt cuiuſcꝫ regionis,hoc totũ noſtri ſibi uẽdicant,ut non immeritò dicere poſsimus:Sola Germania habet laudum quicquid omnes poſſedimus.Germani igitur quales ſint,ipſum nomen liquidò oſtẽdit,quoniam nulla eſt gens ex omnibus terrarum regionibus,quarum habitatores hiſtoria cognoſcuntur,uel quorum memoria ad noſtra uſcꝫ tempora ſcriptorum beneficio peruenerit,quæ tale nomen etiam cum rerum pondere ſortita ſit, quod (nec ab re) non ſolùm corporis,ſed etiam animi bonitatem complectitur. Dicimur enim Germani uel à Germinando Germania enim,teſte Solino diues uirorum, terra frequens populis numeroſis & immanibus,quorum corpora & procera ſunt & candida & pulchra,ſumuscꝫ bellicoſi à natura.Et quod ſine noſtrorum laude nunquam meminiſſe poſſum,Germani dicimur quaſi fratres,nũquam enim tanta laborarunt maiores noſtri inteſtina ſeditione, quin nõ aduentantibus externis hoſtibus,ſumma concordia & fraternitate,ut ita loquar,coadunati,fortiter & unanimes hoſtibus congrederentur,& manum conſererẽt. Nec Strabonem(parcat mihi homo Græcus & qui non uidit)in hoc loco admittam, qui uoluit nos dictos quaſi fratres Gallorum , quod proceritate corporum,forma & moribus & uiuendi ritibus, illis eſſemus ſimiles,quos ſemper proceritate & pulchritudine corporum,in omnicꝫ uirtute atcꝫ præſtãtia militari longè ſuperauimus.Id quod exteri exhibent.Agrippa enim rex Iudæorum laudans Germanos à fortitudine,Gallos non à fortitudine ſed à diuitijs commendat. Cęſar autem dicit,Germanos multum conſuetudine Gallorum differre, cum eorum uita omnis in uenationibus atcꝫ in ſtudijs rei militaris conſiſtat à paruulis,duriciei ac labori ſtudentium,Gallos autem molles eſſe dicit.Nam ut(inquiens)ad bella ſuſcipienda Gallorum alacer ac promptus eſt animus, ſic mollis ac minime reſiſtens, ad calamitates perferendas mens eorum eſt, quos alibi infirmitatis idem accuſat.Et alio loco.Galli paulatim aſſuefacti ſuperari multiscꝫ uicti prælijs, ne ſe quidem ipſi cum Germanis uirtute comparant.Confirmat & Cornelius Tacitus. Treuiri & Neruĩ circa affectationem Germanę originis ultrò ambitioſi ſunt, tanquam per hanc gloriam à ſimilitudine & inertia Gallorum ſeparentur. Qui Galli, etſi hodierno die ſint noſtrum genus & à Germanis maiori ex parte deſcenderint: adeò tamen degenerauerunt à nobis, forſan ex mitiori cœlo, ut fratres nobis,nec à bonis corporis,nec animi poſſint iurè cenſeri:prẽterpleroſcꝫ Belgas,qui in noſtrum nomen & iuriſdictionem penitus tranſierunt.Belgarum enim clariſsimi Treuiri,item Heluetĩj, Rauraces,Triboces,Nemetes & Vãgiones,& plęrique Belgę ignominię loco acciperent ſe Gallos uocari.Nec Cornelio Tacito aſſentior,qui Germaniæ uocabulum recens eſſe dicit, tantùmque eos dici Germanos,qui trans Rhenum pulſis Gallis cõſederint,ita enim inquit:Cętèrum Germanię uocabulum recẽs & nuper auditum,quoniam qui primi Rhenum tranſgreſſi Galos expulerint, ac tunc Tungri,nunc Germani uocati ſunt, ita nationis nomen eualuiſſe paulatim, ut omnes primum à uictore ob metum, mox à ſe ipſis inuento nomine, Germani uocarentur.Primùm quod antiquitùs Germania uocitata eſt, quæ nunc Francia dicitur.Ita refert diuus Hieronymus; Inter Saxones quippe & Alemannos gens non tam lata quàm ualida , apud hiſtoricos

storicos Germania, nunc uerò Francia uocatur. Et Iulius Cæsar ueros Teutones, qui duce Ariouisto Rhenum transgressi sunt, nominauit Germanos. Recens etiam nomen nego, quantum enim historiæ uel antiquissimæ tradunt, & ab eo tempore quo lingua latina in exteras nationes uagari cœpit, dicta est hæc regio Germania. Antiquitus que Germanos Rhenum traductos Belgarum in finibus consedisse comperimus. Et Titus Liuius Germanorum meminit tempore Brenni & Senonum in Italia, unde & eius deriuatio explodi potest, nos uerum dedimus Germaniæ interpretamentum. Et ut dicam quod sentio Cæsar augustissime. Quæ est natio alia sub cœlo, ubi tanta tanque syncera nobilitas principum sit, uti apud Germanos? ubi tot generosi proceres? ubi tot fortissimi equites? tot que animosi milites? nec est item ex uniuerso terrarum orbe alia natio, ubi sit tanta populi multitudo, ubi sit tantum roboris atque animi, id quod etiam remotissimis à nobis gentibus est in aperto. Silentibus enim nobis confirmat (teste Iosepho) Agrippa rex Iudæorum in contione. Quis uestrûm (inquit) non audiuit multitudinem Germanorum? uirtutem quoque & magnitudines corporum, ut arbitror, sæpe uidistis. Sed illi quidem ita ingentem spacijs regionem incolentes, spiritus autem maiores corporibus gerentes & animam quidem contemptricem mortis, indignationes autem uehementiores feris, &c. Ecce quanta laus ab externis. At quid pluribus moror in re aperta, cum longe maiora restent. Quę est demum gens alia, quę suos fines adeò longe lateq; in omnes mundi angulos protulerit, ut nostra? Germaniæ enim fines, uti ueteres rerum scriptores prodiderunt, ab oriente Vistula fluuius & Hungariæ limes fuerunt, ab occidente Rhenus, à meridie Danubius, à Septentrione Oceanus & mare Baltheum quod & Sueuicum appellant. Nunc quantum extra hos terminos, non solum uictrici manu uagati simus, quod cum pluribus populis & regibus potest nobis esse commune, uerum etiam adhuc possideamus, & ea conditione, ut se aliud esse genus à nobis penitus ignorent, non obscurè datur intelligi. Ab oriente sæpe cruento marte Hungaros percussimus, nostra est ultra Hungariam regio septem castrorum, ut uulgo dicitur, cuius gentes Iazigas Methanastas, uel communiori uocabulo Dacos appellitauit antiquitas. Quod si meridiem uersus procedas. Rhetos, Vindelicos, Noricos hoc est, Boioarios atque Alpestres circum iacentes. Austriam, Stiriam quondam Alpesq; possidemus usque in gremium Italiæ progressi, magnaq; ex parte Histros & Liburnos, quorum regionem (ut multi existimant) hodie Carni Croatini & Carinthiani obtinent, in ditionem nostram redegimus. Sæpe item Ligures & Insubres, nunc Longobardos. Denique quæ est & gens à nobis Sueuis originem ducens iuxta Cornelium Tacitum, qui Longobardos inter Sueuos annumerat. Sæpè Thuscos, Siciliam, Græcos, totamq; Italiam cruenta manu contudimus. Nónne maiori ex parte Germani fuerunt, de quibus scribit diuus Hieronymus ad Heliodorum. Horret animus temporum nostrorum ruinas prosequi. Viginti & eo amplius sunt anni, quod inter Constantinopolim & Alpes Iulias quotidie Romanus sanguis effunditur. Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Thessaliam, Dardaniam, Achaiam, Epiros, Dalmatiam cunctasq; Pannonias, Gotthus, Sarmata, Quadus, Alanus, Vandali, Marcomanni uastant, trahunt, rapiunt. Longobardi item de quibus suprà diximus, Germani, quid egerint in Italia & Gallia (cuius adhuc partem possident) neminem latet, & qui ipsi Pannoniam olim occupasse prædicantur, expulsis prius Hunorum populis fortissimis. Ab occidente nemo est qui nesciat quàm late nostrum nomen protulimus, nostri sunt ejectis Gallis quondam Heluetij, nostri Rauraces, nostri Triboces, Nemetes, Vangiones, Treuiri, Neruij, Condrusi, Menapij, Mediomatrices, Vbij, Eburones, Batani, Morini, Leopontij, Aduatici,

duatici, Friſij, Ambiuariti, Maguntiaci, Allobroges, Bethaſij, Leuci, Seduſij, Segni, Sueſij, Nantuantes, Tulígni, noſtra eſt Britannia, quam Sueui Angli quorum meminit Cornelius Tacitus, poſſidentes, Angliam nominauerunt. Et Ptolemæus inter Sueuos Anglos ponit. Dicunt alij eſſe Saxones, uti maior pars recentiorum, ſed quibus refragatur uenerabilis presbyter Beda, & ipſe Anglicus in hiſtoria Anglorum, referens Anglos habitaſſe inter prouincias Vitarum & Saxonum, quorum ager in eorum egreſſu diu deſertus manſerit. Hanc hiſtoriam ſi legeris, inuenies luculenter, aliud genus eſſe Anglos à Saxonibus, aliquot'que genera Anglorum. Picti item & Scoti Germani ſunt populi, quod ſi dempſeris Francos & Burgundiones, qui fuerunt Germani, & Germanis oriundi, nomen & terræ dederunt: totam penè Galliam ſuſtuliſti. De cuius calamitatibus ita loquitur noſter Hieronymus: Gens Theutonum ex ultimis Oceani atque Germaniæ profecta littoribus, omnes Gallias inundauit, ſæpius & cæſis Romanis exercitibus, apud aquas Sextias Mario pugnante ſuperata eſt. Idem innumerabiles & ferociſſimæ nationes uniuerſas Gallias occuparunt, quicquid inter Alpes & Pyreneum eſt, quod Rheno Oceanoq; includitur. Quadus, Vandalus, Sarmata, Halani, Hipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & ô lugenda reſp. hoſtes Pannonij uaſtarunt. Magontiacum nobilis quondam ciuitas, capta atque ſubuerſa eſt. Vangiones multa obſidione deleti. Remorum urbs præpotens, Ambiani, Atrebatæ, extremiq; hominum Morini, Tornacum, Nemetæ, Argentoracum translatæ in Germaniam. Aquitaniæ, nouemq; populorum Lugdunenſis & Narbonenſis prouinciæ, præter paucas urbes populata ſunt cuncta. Quid dicam de Hiſpania? quæ Germanorum fortitudinem multis cladibus ſenſit. Nónne & Sueui noſtri ſub Archadio & Honorio, uaſtatis Gallijs Pyreneoq; ſuperato, Hiſpanias ingrediuntur, omnia uaſtantes ac dilaniantes, tandem in Galecia conſederunt, ibiq; ſeptem per ordinem reges habuerũt? Si autem pergas ad ſeptentrionem, noſtra eſt Pruſsia, cuius habitatores antea Hulmerigros uel Bructeros dictos, ex manibus infidelium detrahẽtes, nobis & Chriſtianæ reipublicę ciues fecimus. Sunt præterea Cimbri, quos nunc Daunos uel Dacos uocamus. Sueti, Norueguj & Gotthi, in ultimis orbis regionibus ſiti, per bellicoſam Germaniam Chriſtianitati donati, quos tamen omnes Germaniæ finibus contineri, conſultiſsimos coſmographis perſuaſum eſt. In Balteo enim mari (quod melius Sueuicum à Sueuis & Sueuo mónte, ut poſt dicam, diceretur) inſulæ ſunt multæ, ipſius Germaniæ & præſertim Scandinauia omniũ clariſſima, unde Gotthos exiſſe, omnes eruditi inter recẽtiores ſcriptores affirmant, & Gotthia ipſa uel hodie dicitur, uel quod magis credibile eſt, cum incompertæ ſit magnitudinis, pars Scãdinauię eſſe poteſt. De inſulis igitur Sueuici maris, uerba Plinij adducemus lib. 4. Nat. hiſto. dicentis: Incipit in de clarior aperiri fama ab gente Ingeuonum, quæ eſt prima. Inde Germanię Sueuus, mons ibi immenſus, nec Riphæis iugis minor, immanem ad Cimbrorum uſq; promõtorium efficit ſinum, qui Codanus uocatur, refertus inſulis, quarum clariſsima, Scandinauia eſt incompertæ magnitudinis, portione tantum eius quod ſit notum Hilleuionum gente, quingentis incolente pagis, quæ alterum orbem terrarum eã appellat, nec minor eſt opinione Eningia. Quidã hæc habitari ad Viſtulam uſq; fluuium à Sarmatis, Venedis, Scyris, Hyrris tradũt. Sinum Clylipenum uocari, & in oſtio eius inſulam Latrin. Mox alterum ſinum Lagnum, contermínum Cimbris, promontorium Cimbrorum excurrens in maria longè, peninſulam efficit, quæ Hauſtiſus appellatur, 23 mille paſſuum. Inde inſulę Romanis armis cognitę. Earum nobiliſsima Burcana, Fabaria à noſtris dicta, à frugis ſimilitudine ſponte prouenientis. Item Gleſſaria, à ſuccino militiæ appellata, à barbaris Auſterania, præterq; Actania. Toto autem hoc mari ad Scaldin uſq; fluuium

Germaniæ incolunt gentes. haud explicabili mensura. Hæc Plinius. Ego, ut ad institutum redeam, Liuonij maioribus etiam incogniti, in fidem Christi & Teutonum dominium concesserunt. Quod si in uniuersum nostrorum illustria facta recēsere libet, paucæ sunt gentes in uasto terrarum orbe, quæ non aliqua ex parte Germanicum martem sunt expertæ, uel saltem nostrum nomen non formidauerint aliquando. Romani uerò terrarum domitores, etsi nobis sæpe fuerint superiores, nunquam tamen hos sine cruenta & luctuosa uictoria domum remisimus, quos & sæpe uicimus, & memorabili clade affecimus. Testis est nobis Cornelius Tacitus, non Germanus sed Romanus scriptor. Sexcentesimum & XL. annum (inquit) urbs nostra agebat, cum primùm Cimbrorum audita sunt arma Cecilio Metello, ac Papirio Carbone cos. ex quo si ad alterū imperatoris Traiani consulatum cōputemus, CC. ferme & XX. anni colliguntur, tamdiu Germania uincitur, medio tā longi æui spacio multa inuicem damna, nō Sānis non Pœni, nō Hispaniæ, Galliæue, ne Parthi quidem sæpius admonuere. Quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis quā cedem Crassi amisso & ipso Pacoro infra Ventidium deiectus Oriens obiecerit. At Germani Carbone & Cassio & Scauro Aurelio, & Seruilio Cepione M. quoque Manlio fusis uel captis quinq; cōsularibus exercitibus. Po. Ro. Varum tresq; cum eo legiones etiam Cæsari abstulerunt, nec impunè C. Marius in Italia, Diuus Iulius in Gallia, Drusus ac Nero & Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. Inde ocium donec occasione discordiæ nostræ & ciuilium armorum expugnatis legionum hybernis, etiam Gallias affectauere, ac rursus pulsi, inde proximis temporibus triumphati magis quàm uicti sunt. Quare Florus bene dixit: Germaniam quoque utinam uincere tantum non putassent Romani, magis turpiter amissa est quàm gloriosè acquisita. Nónne & Lollius ab Augusto in Germaniam missus, maxima cum infamia bello uictus est. Et Vannius à Druso Cæsare Sueuis impositus turpiter trucidatus. Quid sub Galeno & Valeriano imperatoribus factum est. Germani in omnes Romanorum fines inuehuntur. Alpibus Rhetia, totaq; Italia penetratis. Rauennam usque perueniunt. Alemanni Gallias peruagantes etiam in Italiam transeunt. Quadi & Sarmatæ Pannonias depopulantur. Germani ulteriores abrasa potiuntur Hispania. Hæc Paulus Orosius ad Augustinum. Sed quid de Vandalis & Gothis, quæ ambæ gentes fuerunt Germaniæ, habueruntq; ueram originem à Germanis, quiquid in Gallia, Hispania, Sicilia, Illyride & in Pannonia egerint bellicosa manu, nemo est qui nesciat. Hij toti Italiæ, Romanæq; urbi (quam sæpius captam spoliauerunt diripueruntq;) iugum imposuerunt, quin potius lacerarunt miserrime. Græcia, Macedonia, Pontus & Asia, Gotthorum inundatione deletur. Pannonia item & Mœsia, & omnis Illyris occupatur. Hunicq; ab his uicti Vandali autem omnia per utrasque Mauritanias Numidiamq; populati sunt. Carthago ab his capta, Immo & tota Africa Aegyptum usq; & Aethiopiam ab ijsdem late dominantibus occupata. Huni siue mauis Hungari postremum longe lateq; prædicantur nec immerito, quorum nomen barbarusq; exercitus, toto terrarum orbe formidabilissimus fuit. Tædet dicere quas clades, quæq; detrimenta Illyrijs, Thracibus, Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, etiam Germanis, cæterisq; nationibus intulerint, sed à quibus quæso non semel & iterum, uerum sæpius uicti sunt quam à Germanis. Carolus Magnus suis eos in sedibus, hoc est, in Hungaria (sunt enim ab origine Scythæ ut uolunt) percussit atque superauit, Pipinus eius filius iterum rebellantes in deditionem recepit. Ottho primus iuxta Augustam Vindelicorum ad internitionem penè deleuit. Conradus primus dux Sueuorum Sclauos quos dicunt & ipsos Hunos compescuit, cuius anno primo Huni à Sueuis & Boioarijs iuxta Rhenum uincuntur. Heinricus rex Alemannorum eosdem

apud

apud Merſpurgum, memorabili ſtrage affecit. Heinricus dux Boioariorum capta Aquilegia, Hunos Italiam inuadere conatos prope luſtinopolim prælio bis commiſſo profligauit, atq; in Hungariam redire compulit. Heinricus ſecundus Sueuus in propriis ſedibus uicit atq; hijs regē dedit. Nec te lateat, apud me eoſdem eſſe Hunos & Hungaros, uti etiam Blondo uiſum eſt, dum inquit. In hoc uerò fœliciores Huni, quod ſoli ex omnibus ſcilicet populis per terras hinc armata manu uagantibus, prouinciæ quam obtinuerunt ſuum dedere nomen. Pro Pannonia enim uidemus ſemper poſtea Hungariam eſſe dictam, nec hoc incōgruum, nam cum dicātur Huni, facile eorum regio in Hungariæ nomen cenceſſit, quod niſi ita eſſet, hæc tantum de Hungaris dixiſſe uolo, quos conſtat ferociā animi, Scythicaq; crudelitate atq; ſucceſſu rerum Hunis nunquam fuiſſe inferiores, qui & ipſi Scythæ ſunt. Et Huni ſiue poſteriori & altero exercitū Scythia profecti, ſiue paulatim (ut fit ſæpe) mutato paulū, ut dixi, uocabulo ſic dicti: prio res autem Huni una cum Gepidis ſuis à Longobardis Germanis uicti, Pannonia exterminati ſunt, quam illis præcariò poſtea Longobardi inhabitandā conceſſerunt. Quadi & Turingi primos Hunos ſuaſu Oſtrogothorum ſuperarunt filios Atilæ duos fratres, qui terrore concuſſi in Scythiam refugerunt, & patriam ſuam. At longum eſſet referre omnino, ut redeam unde digreſſus, quas intulerint Romanæ reip. moleſtias atq; clades Germani, qui etſi Romanorum fortunæ & fœlicitati aliquando ceſſerunt, poſtea tamen & ipſi de Romanis, de Gallis, de Hiſpanis, de Hungaris atq; alijs diuerſis gentibus ſæpenumero triumphauerunt. Nec Romani cum rerum potirentur res magnas ſine Germanis auxiliantibus peregerunt. Qui enim alij quàm Germani uicerunt Pompeium illum Magnum? qui Alexandri Macedonis, Herculis, Liberi Patris acta ſuperaſſe prædicatur. Citetur Lucius Florus qui de bello Philippico ait. Nā cū diu æquo marte contenderent Pompeius & Cæſar, iuſſuq; Pompei fuſus à cornu erupiſſet equitatus, repente à Cæſare ſigno dato, Germanorū cohortes tantum in effuſos equites fecere impetum, ut illi eſſe pedites, hij uenire in equis uiderentur, hanc ſtragem fugientis equitatus leuis armaturæ ruina comitata eſt. Et ſi liceat ueritatem dicere Imperatores Romani, candidiſſimi triumphi loco duxerunt Germanos Rheno tenus prohibere potuiſſe, ne, ut ſæpiſſime factum eſt, Germani in fines Gallorum Hiſpaniarumq; & ipſius Italiæ prorumperent. Nam trans Rhenum nemo eos impunè laceſſiuit, nec quiſquam externus fœliciter diu apud eos, quātacunq; potentia & multitudine ſtipatus fuerit, regnauit. Obijcietur, ſcio, ſtatim mihi Cæſar qui res magnas in Germania geſiſſe prædicatur. At uideamus quid geſſerit, inueniemus ſe ipſe referente & ſolos Sycambros adortum fuiſſe, qui cū fugiſſent Cæſarem paucos dies in eorum finibus moratum omnibus uicis ædificijſq; incenſis, frumentis ſuccenſis ſe in fines Vbiorum recepiſſe. At quid contra Sueuos geſſerit referet ipſe idem Cæſar, Vbijs auxilium ſuum pollicitus, ſi ab Sueuis premerentur, hæc ab his cognouit, Sueuos, poſtquam per explatores pōtem fieri comperiſſent, more ſuo conſilio habito, nuncios in omnes partes dimiſiſſe, uti de oppidis demigrarent, liberos, uxores ſuaq; omnia in ſyluas deponerent, atq; omnes qui arma ferre poſſent, unum in locum conuenirēt, hūc eſſe delectum, in medium fere regionum earum, quas Sueui obtinerent. Hic Romanorum aduentum expectare, atq; ibi decertare conſtituiſſe. quod ubi Cæſar comperit, omnibus hijs rebus confectis, quarum rerum cauſa traducere exercitū cōſtituerat, ut Germanis metum inijceret, ut Sycambros ulciſceretur, ut Vbios obſidione liberaret, diebus omnino 18. trās Rhenum cōſumptis ſatis, & ad laudem & ad utilitatem perfectum arbitratus, ſe in Galliam recepit, pontemq; reſcidit. Accipio igitur Cæſarem in teſtem & requiro eius ſcripta quid fecit in Germania laudè dignum? fecit pontem per Rhenum multis diebus, ſumma difficultate &

maximis impensis, ut afflictis Vbijs auxilium ferret contra Sueuos. At bone Cæsar ubi audiuisti Sueuos esse congregatos, Romanorum aduentum expectare, atque cum his decertare constituisse, fugis in Galliam celeriter pontem rescindens, ne te insequi possent. O miserum auxilium quod fers Vbijs, quos in summa omnium rerum difficultate atque anxietate reliquisti. Nūc uerum esse experiris quod prius dixisti, Sueuorum esse gentem longe maximam & bellicosissimam omnium Germanorum, nunc crediturus es Tencatheris qui apud te dixerunt, sese unis Sueuis concedere, quibus ne dij quidem immortales pares esse possint, Reliquum quidem in terris esse neminem, quem non superare possint. O qualem metum, quàm paruum iniecisti Germanis cum ista tua exercitus traductione. Quod si Cæsar de se ipso hæc fatetur, quid si quispiam ex Sueuis interfuisset, rem que ad posteros transmisisset, ô quàm in multis dissentiret à Iulio? Nemo enim est qui non magnifice de suis rebus loquatur, multo magis scribat, & aduersariorum quantum possit extenuet. Quare Augustissime rex, iustissimè conqueror Germanis nunquam animos sed scriptores defuisse. At Cæsar conscientia forsan rerum antea trans Rhenum parum magnificè gestarum, iterum pontem fabricat atque exercitum traducit, ipse huius reddit causam esse, quod Germani auxilia contra se Treuiris miserant, tandem reperit à Sueuis auxilia missa esse. Postquā Sueuos audit esse in armis, atque aduentum Romanorum expectare, rem frumentariam prouidet, castris idoneum locum deligit, Vbijs imperat pecora deducant, sua omnia ex agris in oppida conferant, sperans barbaros atque imperitos homines inopia cibariorum adductos, ad iniquam pugnandi conditionem posse conduci. At ubi desperauit eos insidijs circumueniri posse, reducto exercitu (ut ipse inquit) partem ultimam pontis, quæ ripas Vbiorum contingebat in longitudinem pedum ducentorum rescidit, atque in extremo ponte turrim tabulatorum quattuor constituit, præsidiumq; cohortium duodecim pontis tuendi ponit, magnisq; eum locum munitionibus firmat. Ecce Vbijs in summo discrimine positis, ipse rescindit pontem ex una parte, & ex alia ne Sueui subsequi possint, præsidium locat. Vnde factum reor ut successu temporis Vbij à Sueuis oppressi & detriti, in ulteriorem Rheni partem concesserint uti nemo dubitat. Quare uerissime dicit Aeneas Siluius, Terrarum illi calcator omnium, & orbis domitor Iulius Cæsar, quāuis subactis Gallis sæpe Rhenum transiuerit, bellicosam tamen & asperam Sueuorum gentem dimisit indomitam. Augustus Octauianus, cui & Parthorum & Indorum reges munera miserunt, qui unus omnium Romanorum fortunatissimus est creditus, ille inquam fœlicissimus imperator, nec alibi teste Suetonio, nisi apud Germanos succubuit, nam Lollianam & Varianam cladem in Germania perpessus est. Lollianam maioris infamię quàm detrimenti. Varianam pene exitialem tribus legionibus cum duce, legatis que & auxilijs omnibus cæsis, unde adeò consternatum ferunt fuisse Augustum, ut per continuos menses barba capillo que summisso caput interdum foribus illideret, uociferans. Quintili Vare legiones redde, diemq; cladis quotannis mœstum habuerit ac lugubrem, quod si uiginti bellorum libri extarent Plinij Secundi, quæ gesserunt cum Romanis Germani, pro confesso habeo multa & innumerabilia posse reperiri, quæ ad nostrum decus & ornamentum non mediocriter facerent, quæ omnia intercepit temporum iniuria. Postremò si fidem uolumus adhibere sicuti non immerito possumus Goffredo Viterbiensi in suis chronicis, & quibusdam alijs fide dignis scriptoribus, Sueui Senones quorum meminit Ptolemæus, Strabo, Cornelius, Tacitus, & alij cum Transrhenanis Germanis in Belgarum finibus habitantibus, anno ab Vrbe condita septuagesimo quarto, supra tricentesimum duce Brenno, qui & idem Sueuus erat Italiam ingressi sunt. Ro-

mam

mam uaſtauerunt. Subiugatis tamen antè Gallis & conditis à ſuo nomine Gallis Senonibus (Scimus enim pleroſque Gallos eſſe ortos à Germanis, Rhenúmque traductos antiquitus, & propter loci fertilitatem ibi conſediſſe) in partem etiam militiæ receptis. Romam incendit pars atque in Italia conſedit, pars eorum Illyricos ſinus per ſtrages Barbarorum penetrauit & in Pannonia conſedit, alij Græciam, alij Macedoniam omnia ferro proſternentes petiuere. Hij ſunt Senones qui poſtea Gallogræci, poſtremò Gallatę dicti ſunt. Eos autem fuiſſe Germanos luculentum dat argumentum diuus Hieronymus libro ſecundo, in epiſtola ad Galatas, qui dicit, Galatas excepto Græco ſermone quo omnis oriens loquitur, propriam linguam eandem pene habere quam Treuiros. Conſtat autem & haud obſcurum uideri debet, Treuiros longo tempore ante diui Hieronymi natiuitatem tranſiſſe in nomen nationemq; Germanicam. Hoc primum uidetur probare Iulius Cęſar, qui ſcribit pleroſq; Belgas ortos eſſe à Germanis, Rhenum antiquitus traductos, propter loci fertilitatem ibi conſediſſe, Gallosq; qui ea loca incolerent, expuliſſe. Aſtipulatur & Suetonius qui dicit, Auguſtum Sueuos & Sycambros ſeſe dedentes traduxiſſe in Galliã atque in proximis Rheni agris collocaſſe. Cornelius item Tacitus. Treuiri & Neruij (inquit) circa affectationem Germanicę originis ultro ambitioſi ſunt. Et idem ipſam Rheni ripam haud dubiè Germanorum populi incolunt, Vangiones, Triboci, Nemetes & Vbij, quibus omnibus proximi ſunt Treuiri. Et Ammianus Marcellinus qui ante Hieronymum ſub Iuliano floruit, Coloniam Agrippinam & Treuerim, urbes eſſe Germaniæ prodidit. Et Cornelius alibi libro decimonono, tempore Vitellij Treuiros fuiſſe Germanos luculentiſſime oſtendit, his uerbis. Et uictę legiones ne manente adhuc ciuili bello ambiguè agerent per Illyricum diſperſę, in Britanniã inde & Hiſpanos, nuncios famamq; in Galliam Iulium, Calenum tribunum, in Germaniam Alpinum montanum præfectum cohortis, quòd hic Treuir, Calenus Heduus, uterque Vitelliani fuerant, oſtentui miſere. Nec ego accedo hijs qui ſcribunt Sueuos Seninones. Senones enim in uetuſtiſsimis libris atq; etiam in noua impreſſura reperio. Quod autem Liuius & eius ſequaces tantum meminerunt Gallorum, mirum nemini uideri debet, quoniam & eo tempore notiores, & proximiores erant Romanis Galli, & Sueui Senones iampridem ingreſſi Galliam ibi ſedem locauere. At ego adoleſcens ne contraire temere Liuio latinorum hiſtoriographorum facile principi uidear, referam ad ſcholam eruditorum, contentus ea dixiſſe, quæ non aliena uidentur à ueritate, ueluti & pleriſque hiſtoricis non ita recentibus uiſum fuiſſe ſcio. Sed ne hiſtoriam facere uelle uidear, neue tuas aures longis ambagibus detineam Cæſar ſacratiſſime, de bellis Germanorum plura dicere ſuperſedeo, quæ non unam & eandem paruam orationem, ſed grandia uolumina expeterent. Et ne quid nobis deeſſe uideatur, uideo pleraſque urbes & populos origine & uetuſtate gloriari, in quo genere laudis noſtros in primis excellere liquet, nos enim (ut quidam de Athenienſibus dixit) præter incrementum, etiam origine gloriamur, & honeſtiſsimis initijs. Quippe non aduenę, neque paſſim collecta populi colluuies originem Germanis dedit, ſed in eodem nati ſolo quod incolimus, & quæ nobis ſedes, eandem origo eſt, hoc Cornelius Tacitus confirmat, ipſe eorum (inquiens) opinionibus accedo, qui Germanię populos, nullis alijs aliarum nationum connubijs infectos propriam & ſynceram, & tantum ſimilem ſui gentem extitiſſe arbitrantur. Quod ſi de uetuſtate quæris inuenies Germanos à Tuyſcone filio Noë quem alienigenę Ianum uocitant ortos & plantatos. Inde Teutones dicti uulgo Tuytſch à Tuyſcone, teſtis eſt antiquiſſimus ſcriptor Beroſus ſacerdos Babilonicus, qui refert Noë Ianum dictũ ab exordio regni Babilonici, qd cœperat anno à diluuio, CXXXI. miſiſſe Tuyſconem

sconem in Europam ibiq; regem fecisse, addit etiam primum Babilonici regni Saturnum dictum Nymbrotum, quem nos Nemrod uocamus, regnare cœpisse anno à diluuio, CXXXI. & regnasse annis LVI. cuius imperij anno XXV. Tuysco Gygas Sarmatas maximos populos fundauit, legibus'que formauit apud Rhenum anno quarto Nini, qui nepos fuit Nymbroti. Regnauit autem Tuysco annis CLXIIII. ad cuius temporis medietatem non peruenerunt Babilonici reges, quia uiri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos, ut testantur sacræ literæ. Ex eiusdem igitur uerbis non obscurè intelligemus Alemannos ab Hercule Alemanno uel à Manno filio Tuysconis dici, quasi ab alueo hoc est, fluuio Manni, Ale enim Scythicè & alue interpretantur, alueum docti Talmudestæ, ut dicit Ioannes Annius. Alemanni igitur nuncupamur, tanquam habitantes cis alueum, & fluuium Manni, & hic est fluuius Rhenus. Id quod idem testatur, Berosus apud Rheni Sarmatas (inquit) regnauit filius Tuysconis Mannus, Sarmatiam autem Germania in se comprehendit, eodem dicente. In Europa regem Sarmatiæ fecit Ianus Tuysconem à Tanai ad Rhenum, nec his accedo qui uolunt nos dictos Alemannos à Lemano fluuio, quoniam hic non in Germania, sed in Gallia Celtica fluit non longe à Rhodano, de quo nihil ad Germanos, Cæteri Alemannos ex ala magna, nonnulli ex uulgari Alman deriuantes temere hallucinati sunt. Nec minus illi qui à Limago Heluetiorum (qui sunt Galli) flumine Alemannos deriuant, aut quæ conuenientia Alemannorum cum Limago ? somniare profecto uidentur, qui tam imprudenter hæc confingere audent, nisi Limagum prius Lemannum dictum uelint, nulla tamen ueterum auctoritate freti. At sunt Cæsar & debent meritò parua existimari, quæ diximus omnia, quoniam pessimis quibus'que hæc contingere possunt. Sed laus optima dicenda est quæ à uirtute proficiscitur, in qua nos cunctis gentibus præstare palàm est, quæ est enim gens alia seruantior æqui omnis'que iustitiæ ? quæ constantior, quæ tantæ tamque synceræ fidei ? quo autem nostri amore & ueneratione diuinum cultum Christianamq; religionem prosecuti sint, testantur non solum templa Christi sumptuosissima, Cœnobia utriusque sexus castissima, aræ innumerabiles, uerumetiam illustria facta maiorum nostrorum & bella domi foriscq; pro Christiani nominis conseruatione & incremento suscepta. Quod si quis æquus rerum existimator secum reputet, quoties pro Romana Ecclesia, pro fide catholica, pro communi denique omnium Christianorum salute nostri imperatores per totam Europam uagati fuerint, quoties Asiam ingressi eam celebribus ijsdem'que crebris uictorijs amplecti fidem coegerint, gentilitatemq; & infideles conculcauerint & depresserint ? quæ opp ida, nationes, regna & imperia Christianitati donauerint ? quoties Hierosolymas & terram sanctam ex hostium fauce uindicauerint ? quoties schisma de medio Ecclesiæ sustulerint ? quoties Tyrannos & summis pontificibus rebelles domuerint, & iugum seruitutis imposuerint ? iudicabit profecto nullam ex omnibus terrarum regionibus gentem quæ cum nostra de omni laude & meritis in rempublicam Christianam ulla ex parte contendere possit. Ne autem uerbis tantummodo contendere uideamur, pauca nostrorum merita libet in medium afferre, si prius excusauerim quosdam imperatores, pontificum fulminanti censura notatos, quod factum esse tradunt homines non minus fide quàm grauitate spectati, non tam imperatorum culpa quàm pontificum auaritia atque ambitione. Nam si his imperatores, quos suo imperio deturbare studuisse existimantur, imperium totius Italiæ permisissent, nunquam essent sententia excommunicationis fulminati, quod Blondus alioquin multa pontificibus blanditus, in secundo Fœderico ostendit, cuius coronationem (ut inquit) Innocentius

centius tertius ea ratione renuit facere, quòd is magno uir animo, sicut Othonẽ prius, hunc quoq; pariter quæreret Italia deturbare. Carolus igitur qui à rerum à se gestarum magnitudine nomen accepit (teste Vrbano secundo, rerum experientia omnibusq; fide dignis scriptoribus) natione & imperio Germanis simul, & rex Francorum, Saxoniam magnam Germaniæ partem, & latam atquè Phrysiam prius gentilitatis ritu uiuentes, ad fidem compulit. Idem multos Pannoniæ populos sponte, ad se uenientes baptizari fecit, idem Hispaniam quæ per id temporis perditis scelerati Mahumeti sectatoribus seruiebat occisis, & deletis Aphris infidelibus Christianitati donauit: Et Carolus Marcellus illius auus Saracenos ad trecenta millia, & amplius interemit. Conradus secundus, Fœdericus primus, Henricus quintus Sueuorum duces, & imperatores copiosissimos exercitus pro terra sancta recuperanda, ex Alemania conflauerunt, quibus gentilium terras sæpè ferro igniq; uastauerunt, ac in deditionem compulerunt. Præ omnibus autem imperatoribus formidabilissimus fuit hostibus Christianorum Fœdericus primus, eiusq; interitus toti Christianæ Ecclesiæ fuit luctuosissimus, cuius ductu fœliciſsimo (nisi mors immatura interueniſſet) impia Turcarum & Saracenorum perfidia, toto orbe ut sperabatur, constantissimè fuisset uicatim ne dum regionatim eliminata. Secundi autem Fœderici imperatoris, animi magnitudine præstantissimi conatus, ideo fuerunt irriti, quoniam (ut spectatis scriptoribus, & qui istiusmodi ætate uixerunt uisum est) Asianam expeditionem maximo apparatu exercituq; instructissimo meditantem, factiosa illa Italia, modò hunc modò illum fouere, subitóque destituere assueta, uel potius ipse pontifex imperium Italicum agitans, rebusq; imperatoris, & iuribus, ut dicitur insidiatus, coegerit non solum à pijssimo proposito absistere, uerùm etiam saluti rebusq; propriis summis uiribus consulere. Sicut alijs nonnullis contigisse scribitur, quorum uires, & conatus ad maiora ampliorâque aspirantes: Italia rebellans detinuit, uariáque hinc inde factionum studia eneruarunt. Nam ut tantùm dicam, de Fœderico illo, de quo mihi iam sermo est: Huius nomen adeò celebre fuit, terribileq; omnibus gentibus, ut Sultanus ipse Aegyptiorum imperator, dum ille instructo exercitu terram sanctam, à manu infidelium asserturus mare traijceret, nondum uiso tota Iudæa excederet, illamq; sola formidine ductus Fœderico libere, & sine sanguine traderet, eo tamen fœdere apposito, ne Aegyptiorum fines ulterius progrediendo inuaderet. Quare accepto fœdere, Fœdericus Hierosolymis totius Iudææ rex est declaratus, & coronatus; adeò gloriosè, ut cum Cæsare non incongrue dicere potuisset, ueni, uidi, uici. At dum (proch dolor) hæc Hierosolymis agerentur, pontifex imperatorem absentem contemnens. Siciliam, & Apuliam eius imperio subditas subiugare, inque suam ditionem redigere annixus est, & ut iure aliquo, & iusticia facere uideretur, illius cum Sultano fœdus (quod tamen saluberrimum Christianæ reipublicæ fuit) turpe inq; suum caput machinatum (quàm uerè Deus nouit) criminatus est. Ea de re Fœdericus, cum maxima sua, & totius populi Christiani iactura, & ludibrio, Iudæa hostibus relicta coactus est redire domum, propriaq; tutari. Nec me quisquam hæc commentum esse existimet, sed coætaneos Cæsaris uiros grauissimos, hæc & maiora scripsisse non dubitet, de quibus rebus, & nos aliquando plura ædemus, nunc ad reliquos pergemus. Quid præterea prædicem de Ludouico Caroli filio, qui præter alia Christianissimi imperatoris opera regem Danorum una cum suis, ad fidem induxit. Idem regem Bulgarorum una cum sua gente, ad fidem capessendam induxit, nonne & Henricus primus de Saxonum genere, pro fidei Christianæ incremento plurimas gentes conculcauit, præcipuè Normannos, & Danos. Et ut in summa

dicam quod Liburni Illyrij, Dalmatæ, Morani, Poloni, Hulmerigti Christianũ cultum susceperunt, & omnem idolorum cultum abiecerunt, nonnisi strenua imperatorum Germanorum uigilia & opera effectum est, nec (si omnia prosequi uellem) oratione parua, sed densissimis codicibus opus esset, quod non obscure intelliges, si cogitabis imperium Roman. ob sola in Ecclesiam Christiana merita, ad Germanos esse translatum, quod ad singulare nostrorum decus & ornamentum accedit. Nam etsi Assyrios: Mædos, Persas, Græcos & Romanos aliquando sibi usurpasse constet imperium, sola tamen libidine regnandi, & uiolentia sunt adepti, & ut turpiter acquisierunt, ita turpiter amisere, inq; uilissimam seruitutem sunt postea redacti. Nostri uerò uirtute, ac laboribus pro Deo susceptis, digni uisi sunt, uel uniuerso Ecclesiæ Ro m. senatui qui imperiũ orbis agerent, quiq; quod uirtute acquisierunt te rege, te auspice in æternum seruabunt. Tanto igitur superioribus nationibus superiores existimandi sumus & dignores, quanto præstat uirtus, & religio uitijs, & iniquitati. At illorum gloria sunt omnes referti libri, nostros aũt omnes penè, & eorũ gesta tenebræ occupauerunt si tusq; obduxit, quod si quædam ab externis, & alienigenis obiter sunt perstricta, scriptorum tamen affectus, amor, odium, metus, adulatio & id genus alia, quin multa addiderint, multa subtraxerint, nemo asserere dubitauit: nec lõge repetamus exempla, libet referre quod tempora nostra uiderunt. Scripsit ante paucos dies quidam historias regum Franciæ, nec quicquam in medium protulit, nisi quod ornaret illos, nec ullam eorum mentionem fecit, quæ tu rex augustissime, uel in tenera ætate contra eosdem fœliciſſime confeciſti. Cur item nõ repleat omnes annales hoc glorioſiſsimum facinus, omnibusq; sæculis memorabile, dum tuo ductu & auspicio, subq; tuis signis, uix quingenti milites, & hi quidem nudi, hoc est, leuis armaturæ, quos nunc Hastarios uocitant, iuxta Salinas Sequanorum tuæ ditionis urbem, impetum non solum tulerint quatuor, uel ut alij uolunt, sex millium loricatorum regis Franciæ, quos Cataphractos nuncupamus, uerùm etiam in turpiſſimam fugam conuerterint, multis eorum occisis, partim uulneratis. At nos quasi de industria nostris rebus inuidentes, omnia silentio transimus. Quid quòd alius nomine Iacobus Bergomẽsis monachus, parum probè descripsit bellum inter ducem Austrium Sigismundum patruelem tuum, & inter Venetos, quos dum plus æquo laudare studet, læsit omnino ueritatem, & supplantauit. Est enim adhuc recenti in memoria quantũ gloriæ, quantum ue splendoris ampliſsimo nomini suo pepererit Sigismundus ille dux inclytus eo bello, dum parua manu paucisq; leuis armaturæ militibus memorabili strage affecerit Venetos, ingentiſsimas eorum copias partim ferro delens, partim in turpiſsimam fugam conuertens, adeò ut dum quidam fuga salutem quærunt, inter quos fuit, & dux militiæ, quem capitaneum uideo à nostris uulgò dici, in flumen Athesim irruentes perierunt. Fuit autem dux Robertus Seuerinas, uirtute, ut dicitur, & rei militaris disciplina inter suos spectatiſsimus: in cuius marmoreo sepulchro Tridenti (ubi corpus fuit conditum) legitur. Ter proceres Veneti bello petiere Tridentum. Ter uicti & uictus, ecce Robertus adest. Taceo quæ igne uastauerit dux clariſsimus, haud inferior illo Machabeorum luda fortiſſimo, qui parua manu, & inferioribus longè uiribus innumerabiles illius Antiochi exercitus toties conculcauit & deleuit. Et Blondus Flauius, adulanter, ne dicam mendaciter Fœdericorum gesta, cæterorumq; imperatorũ qui res magnas in Italia egerunt, uel extenuauit, uel transeunter effudit. Taceo de alijs multis. Deus igitur tandem gloriæ, & rebus nostris singulari quodam beneficio consulens, dedit te nobis in lucem Maximiliane rex auguſtiſs. cuius ductu & auspicio nostræ res speciosiſsimæ post longam rubiginem, & squalorem tandem claritudine, & splendore decorabuntur. Nam & uigent studia,

proferunt

proferunt se ingenia & ostentant, magnumq; prouentum poetarum tua munificentia excusitat, quia literatos amas, quia eruditis suffragaris. Nec immerito, hij enim tibi cumulatissimam gratiam referre queunt de te scribentes, & tua præclara facinora celebrantes. Quod si beatos existimauit antiquitas quibus deorum munere datum est, aut facere scribenda, aut scribere legenda, beatissimos uerò quibus utrunq; : iure te beatissimum simul, & laudatissimum prædico, qui præter tot res fortiter gestas, inter tot curas, negocia, tot domesticas, & externas rerum maximarum occupationes, audire uis quotidie quippiam historicon, ac memorabile, immo uerò tu ipse dicendo conscribere historias, & illustrationem Germaniæ summo studio meditaris, non inferior Iulio illo Cæsare, quem uel ideo summis laudibus effert antiquitas, pluriſque quàm alios imperatores, ac principes fecit, quòd præter publica imperatoria q; negocia animum etiam scientiarum studijs adhibuerit, quod & tu egregie de te præstitisti. At ut aliquando finem orandi faciam, ne nimium tuas pientissimas aures lędam, rex sacratiss. tua cognita longè lateq; humanitas, atq; beneuolentia, in omnes studiosos me inuitauit, ut nonnihil à tua maiestate uenian petiturus, hoc unum scilicet, ut sim maiestati tuæ commendatus, quod si consecutus fuero, me Crœsi diuitias habere existimabo. Et tibi (tam etsi nullam aliam remunerationis uicem exigas) hoc de me polliceri poteris rex optime, ut si quid mea carmina unquam possunt, semper nomen tuum laus, & gloria maneant, & nunquam intermoritura. Dixi: Ex Inspruck. M. D. I.

AD SACRATISS. ROMANO. REGEM DIVVM MAXIMILIANUM, εὐχαριστικόν, hoc est, gratiarum actio Henrici Belij Iustingensis poetæ laureati.

DONASTI Lauro rex augustißime uatem,
Hinc tibi deuinctum mecq; perenne facis.
Vnde tuam laudem, si me dignabitur ullo
Nomine posteritas, sęcula nulla silent.
At quoniam tenui nequeunt tua facta referri
Carmine, quæ poscunt ex Helicone deas.
Et uix Meonides posßit describere cunctas,
Virtutesq; tuas martigenamq; manum,
Sufficit in præsens meritas tibi dicere grates,
Versibus incultis, imparibusq; modis.
Attamen hæc meritò tibi nos debere fatemur,
Vt tibi sit compar nullus in orbe ducum.
Iustus Aristidem, superas bonitate Metellum,
Pace Numa, in bello Iulius alter ades.
De cunctis certare libet uirtutibus uni,
Romulei cedant Argolicique duces.
Viue, uale, gaude, βασιλεύς, fortißime Regum,
Et tibi cuncti potens uota secundet, Amen.

IN ASOPHVM PSEVDOpropheten, H. B. Carmen.

DEsine falsidica uulgum seducere lingua,
O Asophe, occultum non tibi dij referant.

Alla tra

Allatras populum gaudens miranda profari,
Vt sis conspicuus famigerumq; decus.
Et nisi mentita est scriptura Theologa cuncta,
Iudicium extremum dicis adesse breui.
Declamas publicè mendax & Pseudoprophetes,
Vt sis de cœlo præcipitatus heri.
Imperium senas intra Germania fortis,
Perdet olympiadas, fronte seuerus ais.
Quod si non intra hoc tempus deperdet, habebit
Mille annos ultra uel ruere ipse nego.
Vnde superstitio hæc, aut spiritus iste profanus
O Asophe inflatur, demonicusq; furor?
Namq; suis Christus momenta, & tempora scire,
Non, ait, est uestrûm, scire nec ullus habet.
Consiliumq; Dei nec perscrutabile cuiquam est,
Vt bene Scripturæ te docuisse solent.
Iamq; diu sancti mundo cessere prophetæ,
Queis cum dijs soleant mystica uerba loqui.
Nunc nisi merdosi nascuntur in orbe prophetæ,
His pluto inspirat, præstigiosa sagax.
De imperio dicam, meritis uirtuteq; partum est,
Consensuq; pari Catholiciq; gregis.
Et quod relligio peperit, quod deniq; uirtus,
Hoc durare quidem posse perenne reor.
Assyrios, Medos, Persas, uel regna Philippi,
Allegas frustra, cum Cecrope Aeneadas.
Quos non relligio traxit, sed uana libido,
Regnandi & sortis luxuriantis opes.
Interitum quòd si nobis fortuna minari
Posit, & ignaui seditione duces.
Hoc tamen incertum est cunctis mortalibus, unquam
Immineat, uel quo posit adesse die.
Vade cacatum igitur false, & merdose propheta,
Elleboro & merdis ablue sæpe caput.
Insuper immemorem non esse decere memento,
Mendacem, uerbis uerba quadrare decet.
Stare diu imperium iam narras posse apud ipsos,
Teutonicosq; uiros Teutonicamq; domum.
Affore qui pridem supremi iudicis horam
Dixti, dic possunt quæ ædificare fidem.

IN DETRACTOREM regiæ maiestatis. H. B.

DE sine mordaci regem taxare camœna,
Detraxisse caue stulte poeta precor.
Rex meus est fortis, est seruantissimus æqui,
Virtutum splendor imperijq; decus.
Quid memoras consulta patrum, quid uerba senatus,
Qui proprijs semper consuluêre bonis.
Qui si respicerent regis quoq; commoda regni,
Et si quod debet Cæsar habere, datur.

Tum

Tunc aquila inuicta ad Seres penetrabit & Indos,
Sic consulta patrum rite iuuare queunt.
At sua dum cuncti procurant commoda, cuncti &
Velle suum soleant legis habere loco.
Inq; sinu foueant predones atq; latrones,
Legibus excußis Cæsaris atq; iugo.
Dumq; aquilam implumem temnunt, dum quisq; laborat,
Extrahere huic pennas, & spoliare macram.
Non tibi sit mirum (namq; efficit omnia non rex
Solus) si totum concidat imperium.
Vis priscum reuocare decus si sancte sanatus,
Pellere uis hostem finibus ipse tuis.
Redde prius pennas, sed quas Iouis ales habebat,
Dum stetit imperium, consulere inde potes.

AD DOCTISSIMVM SIMVL DISERtißimum uirum Petrum Iacobi Arlunensem, Ecclesiæ collegiatæ Backnaugensem præpositum Canonicumq; Stutgardianum Henrici Bebelij Epistola.

CVm nuper ad nostram orationem regiam plurima addidissem Petre, utte parcissime laudem Germanorum omnium disertißime, inter cætera adieci, & Germanos esse indigenas, quòd, cum peliegissem Aeneam Syluium in sua Europa, & quasdam alias triuiales, & plebeias historiolas, inueni in illis Francos esse gentem aduentitiam & Saxones, quòd nostræ omnino non quadrat historiæ. Quare congruum putaui nonnihil ad defensionem meam super hoc cõmentari, ne à quo quam mendacij & historiarum ignarus incusari possim. Non licebat aũt orationi adiungere, crescereret enim tandem in magnum uolumen, nec cõhęrent adeò quę addimus uel etiam antè addidimus. usq; adeò nihil est, quod nõ aduentitia mixtione non corrumpi soleat. Tibi autem pręcipuè dedicauimus; eo animo, ut examines, & iudices, rectè nec ne sententiam de istis, quos dicam populis, cum sis multi iugis studiorum exercitamentis eruditissimus, & qui iam diu primas omnium suffragio parties in eloquentia, historijs exteris q; humanis & tersioribus literis uendicasti, perspicuum hinc argumentum quod ad Hispanias, Britannias, cæteros q; reges clarissimos à Cæsare nostro Maximiliano sum ma cum laude tua orator mitti soles. Oro igitur atq; obsecro, pro tua insita in studiosos humanitate, tuo corrigas iudicio quæ minus bene, & perperã nobis obre pere potuerunt, nescio enim quo modo, ut Ambrosius scribit, propter imprudentiæ caliginem, quę nos circumfundit, unumquemq; fallunt sua scripta, & aurem prætereunt, atq; ut filij etiam deformes (quis enim filius non formosus matri? iuxta Quintilianum) delectant sic scriptorem indecores sermones sui palpant. Quare tu iusto libramento trutinabis has nostras lucubratiunculas, & erro tes cultissima tua eruditione exterminato. Vale.

AD EVNDEM, EIVSDEM ELEGIDIVM.

IVris & æquarum uir consultißime legum,
Petre inter raros connumerande uiros.
Eloquij princeps, & quem facundia grandis,
Conciliat ducibus Cæsarioq; uiro.
Quod si nil nisi limatum, uel Apolline multo
Excultum, & si sit posteritatis opus,

Iure tuas poſsit doctas accedere ad aures,
Cui niſi doctorum ſcripta probata placent.
Attamen ad ſacras nunc affero Apollinis ædes,
Primitias tenuis quas mihi Muſa dedit.
Quas Helicon, ſi non ex omni parte poliuit,
Et deſit ſcriptis lima ſeuera meis:
Aßiſtens rogo, ſi fas eſt maledicta tueri,
Te gere Ariſtarchum, peßima quæq; ſecans.
Dicito (nam noſti) critico incurſante ſeueris,
Morſibus, ô caueas oro quietus abi.
Flaccus nónne refert Venuſini gloria ruris,
Vndiq; perfectum uidimus eſſe nihil.
Dormitare bonus quandoq; uidetur Homerus
Marco Arpinati. Zoile ſæpe tibi.
Semper & haud uigilem ſcripſiſſe Platona magiſtrum,
Sentit Ariſtoteles, philoſophoſq; ſenes.
Sic ego uel merear non omni ex parte repulſus,
Teutonica ſaltem à poſteritate legi.
At noſtras aliquid nugas ſi tu eſſe putabis,
Iudice te uel non barbarus auctor ego.
O mihi quàm multum tribuam, quàm pectore læto,
Efferar, & coccyx laudis amore canit.
Namq; probari dulce mihi eſt, ſed deq; probato,
Si mea iudicio Muſa probata tua eſt.

GErmanos eſſe autochtones, hoc eſt, indigenas, præter cæteros affirmat, Cor. Tacitus, qui dicit. Ipſos Germanos indigenas crediderim, minimeq; aliarum gentium aduentibus, & hoſpicijs mixtos, quia nec terra olim ſed claſsibus aduehebantur, qui mutare ſedes quærebant, & immenſus ultra (utq; ſic dixerim) aduerſus Oceanus raris ab orbe noſtro nauibus aditur. Quis porrò præter periculum horridi & ignoti maris Aſia, aut Aphrica, aut Italia relicta Germaniam peteret, informem terris, aſperam cœlo, triſtem cultu aſpectuq;, niſi ſi patria ſit? Hodie tamen ô Corneli Germania eſt, non ſolum non informis terris, & triſtis aſpectu, uerùm etiam cultiſsima, uinetiſq;, & omni fructuum ſegetumq; genere & conſpicua & fœcunda, unde habitus quoque corporum, quanquam in tanto hominum numero idem, omnibus truces, & cerulei oculi, rutilę comæ, magna corpora, &c. Hęc ille. Soli igitur penè ſumus ex omnibus terrarum nationibus, qui ſine aduenarum mixtura regnauimus, & à conditis monumentis ſine iugo ſeruitutis externorum late regnauimus, atq; uicinis circumquaq; imperitauimus, quod uix ullis populis à condito euo per totum terrarum orbẽ cõtigit: nam ut paucos annumerem. Vmbri olim à Tyrrhenis eiecti, Tyrrhenis Gallis, Galli à Romanis. Romani à Longobardis (& ut Seneca dicit) ad Albinam de conſolatione. Totum Italię latus quod inferiori mari alluitur, maior Græcia fuit. Tuſcos Aſia ſibi uendicat, Tirij Africã incolunt, in Hiſpania Pœni, Græci ſe in Galliam immiſerunt, in ſe Græciam Galli, Pyreneas Germanorum tranſitus omnino inhibuit, uix deniq; inuenies ullam terram quam etiam nunc indigenæ colant, hæc ille. Aſſyrij inſuper, ut oſtendam omnium gentium præter Germanorum imperia corruiſſe, licet olim imperium habuerint. Mœdi item Perſæ, Macedones & Græci, reſque magnas, & egregias geſſerint, paulo poſt tamen in ſeruitutem ſunt redacti. Immo & hodie immaniſſimę Turcarum libidini, & dominationi ſunt expoſiti Romani quondam domini dominorum

norum, hodie serui, & seruo seruorum sunt subiecti. Totaq; cum illis Italia. Vãdalorum, Gotthorum, Longobardorum, & cęterorũ qui Italiã ingressi sunt quasi posteritas. Gallorũ nõ imperium, & potentia modo, uerumetiam nomen deletũ est, atq; in Frãcos Germanos translatum. Soli Germani (in quo singulariter gloriari possumus) à nullis nationibus pulsi patria, nullis cedẽtes, nullius exteri dominium passi, nullum occupatorem sustinẽtes semper regnauimus. Quod si ali quando fortunæ cesserimus, nemo tamen apud nos diu fœliciter regnauit, & nostræ inuicem simul fœlicitati, & uirtuti cesserunt omnes aliæ gentes. Hoc Romani præsertim Iulius & Augustus gentium domitores, terrarumq; domini cũ sua iactura didicerũt, hoc Drusus Germanicus, qui à Germania (ut ipsi dicunt) deuicta nomen accepit, rescq; omnium præclarissimas atq; fœlicissimas apud Germanos confecisse famigeratur, morte expertus est. Quare elegantissimẽ simul, & uerissime cecinit Claudianus poetà.

Nobilitant ueteres Germanica fœderà Drusos,
Marte sed ancipiti, sed multis cladibus empta,
Quis meminit uictum sola formidine Rhenum.

Hoc item Huni seu Hungari potius immanissima toto terrarum orbe gens, ad internitionẽ in Germania deleta cognouit, hoc omnes experti sunt quicũq; Germanis bella inferre attentarunt. Quæ cum ita sint, nemo persuadebit mihi à tempore Cornelij Taciti aliquam exteram gentem, prioribus incolis deturbatis Germaniæ incubuisse. Nunc mihi certamen est cum quibusdam plebeis Francigenarum historijs, & quibusdã alijs assentatoribus, ut uidetur, qui uel Germanorum laudi inuidentes, uel uetustæ originis cupidi, ut fert mortalium ambitio, Frãcorum ortum à Troianis auspicantur, quibus nulla fides, nulla recepta historia suffragatur, quoniam Francorum nulla omnium historicorum mentio fit, nisi in finibus Germanorum. Nullo igitur modo probatur mihi Aeneas Siluius in sua Europa. Primùm quòd nullam de Sueuis, uel pauciss imam facit mentionem, quos Orosius maximam & ferocissimam dicit esse gentem. Cornelius Tacitus maiorem Germaniæ partem obtinere, proprijs adhuc nationibus nominibusq; discretos. Iulius autem Cæsar, gentem esse longè maximam, & bellicosissimam Germanorum omnium, & quorundam item aliorum Germaniæ populorũ, & quidem præstantium non meminit. Secundò refragor omnino eius opinioni, dum longam connectit fabulam de Francis, dicẽs esse Troianos ab origine, qui deleto Ilio duce Priamo Priami ex sorore nepote, per pontum Euxinũ, ad Męotidos paludes in Scythiam peruenerint ibiq; ciuitatem ædificauerint. Sycambriã uocitantes, ex qua dicti Sycambri fuerint, demum tempore Valentiniani Cæsaris Germaniam intrasse, & Francos appellatos, quod Attica lingua siue feroces siue nobiles sonat. Et alibi, Saxones Græcam sobolem esse affirmant, ex Macedonia classibus aduectam, quæ Turingos multis bellis defatigatos paternis agris eiecerit, quod mihi (inquit) non fit uerisimile. Est enim uetustissimum in Germanica terra Saxonum nomen, cuius omnes ueteres meminere. Turingos nemo antiquorum nominat, qui Germanicas gentes enumerant, in aduẽtu primo Francorum, qui tempore Valentiniani Cæsaris Germaniam intrauere. Turingos nominari reperio, hæc Siluius. Cui ego non detractionis, aut gloriæ cupiditate, sed amore cui nihil non debeo patriæ ductus, contradicam, & à quo patria me Germania iure meritissimo pro sua defensione dissentire postulabit, cui non nihil laudis detraheretur, si hæc quæ relata sunt uera essent. Primùm nemo scriptorum, quod ego sciam, ullam facit mentionẽ Sycambrorũ apud Męotidos paludes in Scythia, nec item Francorum, nec Francus esse existimo Atticam dictionẽ, quoniã præter cętera Attici nõ habent f literã. At ne Eoles quidẽ illius literę inuentores utuntur: Vnde Gręcũ esse uocabulum non facilè inducar. Alij

Francos

Francos dicũt, quasi feroces, integrè loquendo quod paulo tolerãtius esset. Francia etiã nostra orientalis dicitur, hi aũt qui in Gallia cõsederunt, non Franci sed Francigenæ potius essent nuncupandi, uti eos appellat Rosuita monialis Saxonica, uel Franci occidentales. Quod aũt genus Troianorum sint Franci, ex Scythiaq; progressi, cõmentum anile, sordidãq; fabellam existimo, & excogitatum ab hijs, qui de magnis maxima loquuntur, & in fauorẽ illorum qui suam originẽ uetustissimam atq; etiam quondã nobilissimam uolũt prædicari. Quod, etsi quidem Manethon Aegyptius antiquissimus dicat, uel ut alij existimant à quibusdam in errorem suum deprauatus fingatur dixisse, Francum Celtis imperasse ex Hectoris filijs, attamẽ nihil mihi obesse debebit. Præter enim hoc quod nec Vincẽtius Gallus parum diserтus historicus cõcordat Aneę Siluio, nec hic cæteris, nec cæteri inter se. Illud est nemini obscurum, Francum, etsi regnauerit apud Celtas aliquando, nunquẽ tamen in gentem Celtarũ nomen suum transfudisse, posteritatiq; indidisse, quoniã nullus nec Græcus nec Latinus, aut cosmographus, aut historicus (quantũ ego legisse potui) Francorum meminit in Gallia, nisi tum demum illorum, qui Germania profecti totã Galliam inundarunt circa Valentiniani tẽpora, adeò ut inter Francum illum qui Celtis imperasse dicitur, & Francorum in Galliã transitum, anni plus quã mille & quadringenti sunt exacti. Dimissis igitur fabulis Blondo Flauio assentior homini non Germano, sed Italo, q dicit (sicut & pleriq; alij) Francos, Vandalos, Burgundiones omnes uetustã originem habere ex Germania, deq; quibusdam Plinij citat in quarto naturalis historiæ, ex traditione Agrippæ dicentis, Germanorum genera esse quinq; Vandalos, quorum pars Burgundiones, ubi nunc perperam Vindelici legitur, & malè meo iudicio, quoniam paulo ante idẽ Plinius. Vindelicos alpium accolas extra Germaniam collocat, hisq; conterminos Rhetos non meminit inter Germanos sed Alpestres. Germania ẽm omnis teste Cornelio Tacito, à Gallis Rhetijsq;, & Pannonijs, Rheno & Danubio fluminibus separatur. Vnde extra Germaniam Vindelicos habitasse perspicuum est. tametsi iam diu & multis antè seculis in nomen nationẽq; transiuerint Germanicã, sicut & Rheti. Sunt aũt Vindelici (quos hodie Algoios uulgo nominamus uel potius Algeos ut alibi dixi) ad quos (ut Strabo dicit) Brigãtij pertinent. Quod aũt dicit Siluius, esse uetustissimum in Germania Saxonum nomẽ, cuius omnes ueteres meminerint. Turingos aũt tempore Valentiniani primũ nominatos nõ me riualẽ, & coassertorẽ habebit, quoniã Saxones nõ legi nisi tum demum tẽpore Diocletiani, uel sub Vespasiano, ut meminit Egesippus. Turingi aũt, teste Cornelio Tacito, in exercitu fuerunt Vitellij Ro. imperatoris, qui Germanicas legiones habebat in Gallia, à quibus & imperator salutatus est, antè Saxones nominati. Cum igit nec aduentus ullus Francorũ sciatur, quippe quos cõstat eruditorũ iudicio esse indigenas Germaniæ, nec de Sycãbris historia Aneę quadret, quoniam quidem nullosq; unquã legimus fuisse in Scythia, & item illud nomen sicut omniũ fermè Germanorũ recens sit: nemo mihi persuadebit gentẽ esse aduentitiã, sicut nec alios Germaniæ populos, quorũ pariter nomen recẽs est. At quod plus de Francis & alijs fabulatur, fecerunt bella eorum plurima, quæ gentẽ maximè recentis famę extollere, & nobilitare inprimis solent, quoniã prius ignota, & humilis in magnã homines admirationem adducit. Merum igitur cõmentum existimo, & eo libentius etiã. quoniam nullus est fere populus, excutiendo etiã ueteres historias, qui non uetustam, uel à lõginqua aliqua regione (& in primis Francigenæ qui uel superbissimi existimantur) originem prætendere gaudeat. Præsentia etenim sordent usq; adeò, ut nulla ferè sit nobilitas apud Italos hodie, quę nõ suos maiores Germania oriundos prædicet, ecõtrariò nobilissima quæq; familia Germanorum, suũ ortũ à Romanis auspicatur. Sed quod Germania quondã, nũc ut existimat

mat Hieronymus) Francia uocitetur, mirandũ non eſt, cũ nulla natio ex tota Germania (quãuis plurimas enumeret Plinius, Strabo, Ptolemæus, Cornelius Tacitus & alij) ſuum nomen antiquũ retinet, præter unos Sueuos, & Friſios, quos poſteriores Plinius & Tacitus celebrarunt, & nemo, quod ego ſciã, uetuſtior. Vnde uenerunt quæſo, quos hodie uulgò Hegoios Algoios uel Algeos, Vuirtenbergenſes, Badenſes dicimus? unde Briſgaudij, Briſacogeani melius, Sũgaudij? unde Miſnenſes, Sleſitæ, Heſſi, uel Haſſones, ut nunc dicimus, unde Vuedreſsi, Vueſtuali, Pomerani, Luſatij, & alij non pauci? quorũ nemo ex ſcriptoribus meminit. Vnde perſpicis maximam eſſe in Germania nominũ mutationem, quod fere ſolet fieri, dũ gens aliqua, etſi primò tenuiſſima & humilima, poſtea tamen rapinis, prædationibus, uel iuſtis etiam bellis cantata, accipit uel à caſtro, oppidóue aliquo humili, ubi primum ſe continuit, uel à duce eius nomen, ſicut Vuirtenbergenſis hodie florentiſsimus apud Sueuos ducatus, à montana & unica arce nomen accepit, uel potius arx & tandem regio ipſa, à regulis nobiliſsimis tamen cognominata eſt. Sicut Marchionatus Badenſis ab oppido *Baden*, & Miſnẽſis à Miſna, apud maiores adeò uetuſtos, in nullo nec nomine nec memoria, Sicut etiam Alpeſtres illi, quos uulgò Suiceros uocamus, ſedes ut uolunt, Helueticorum habitantes, à *Suitz* agreſti uiculo uidentur non obſcurè appellati. Nam quod ad Suedos populos ſuã originẽ referunt, nihil mihi fabuloſiùs exiſtimatur. Ante ducẽtos etenim annos in nulla exiſtimatione habiti ſunt, uerũ paucos ante annos, à cęde ſuorũ dominorum, famã uel potius infamiã auſpicati, in magnam gentẽ & potentiã coaluerunt, poſt hoc aliįs laceſſiti bellis egregiè reſtiterũt. Nec mirũ uideri debet, maximis enim fluminibus altiſsimiſq; & natura munitiſſimis montibus ſepti, expugnari difficillimè poſſunt, & ſicut aſperã, inclementem & triſtiſsimã maiori ex parte habent regionem, ita gens eſt effera, agreſtis, pertinax. Saxones autẽ fuiſſe Macedonas quis credat? quis enim Græcia relicta Germaniã peteret? At non perſiſto ulterius in multa refutatione, quoniã & ipſe Aeneas cõtradixiſſe uidetur, & credibile non eſt, tantã tamq; ampliſsimam Saxonũ nationem, & tam multa ditione prędità, linguã tam citò moresq; Germanos induiſſe. Hinc etiam quod Frãci, Turingi, Saxones & poſtremũ Boioarij, quos nũc Bauaros uocamus, & alij ſint indigenę, illud eſt non omninò leue argumentum, quòd nullũ penitus monumentum, nulli annales, nec ullius alterius linguę, quam Germanicę ſignum uel ueſtigium appareat per Germaniam. Nec Bauari mihi ab Auaribus deſcendiſſe uidentur, ſed potius à Bois nomine, unde & Boiemi, quãuis mutatis cultoribus, ut Tacitus dicit. Boij enim in deſerta Noricorũ conceſsiſſe prædicãtur. Et Roſuita monialis, quę tẽpore Ottonis ſecundi claruit, Bauaros appellitauit Baioarios, & Hungaros hodie Auares ſicut & Otho Sueuus, hiſtoricus clariſſimus. Nec hoc abſonum, facilimè enim Baioariorum in Bauarorum nomen, cauſa breuitatis uel corruptione potius, eſt mutatum. Sunt igitur Saxones ut à diuerticulis redeã, origine Sueui (quos cõſtat citrà & ultra Albim fluuiũ ſedes habuiſſe) qui & ipſi Saxones, paulatim (ut fit) in proprium nomen & potentiã coaluerunt, ſicut & nunc Vuirtenbergenſes. Nec hoc incongruum, aut à ueritate alienum uideri debet: quoniã credibile non eſt, tantam innumeroſiſſimamq; Sueuorum nationem, uno aliquo nomine fuiſſe contentã, quę hodie multo arctioribus clauſa limitibus, multa priuata habeat nomina, apud priſcos ignota, id quod obſcurum eſt nemini. Volo aũt eſſe Sueuos, ex hoc maximè fundamẽto, cũ Saxones ſint indigenæ habitatores antiquorũ Sueuorum, quis dubitat, ſicut ex Germanis (teſte Hieronymo) Franci cognominati ſunt, ita ex Sueuis Saxones factos, à duce uel familia, præſertim propter differẽtiam hodiernæ Sueuię. Vnde ego plura dicere ſuperſedeo, contentus uera & uetiſimilia non figmenta dixiſſe. Vale candide lector, Ex Tubinga.

APOLOGIA HENRICI BEBELII, CONTRA LEONHARTVM IVSTINIANVM VENETVM

Imperatoris nomen extenuantem, coronationem regum nostrorum incessentem, atq; Germanos barbariæ ob id insimulantem.

CLARISSIMO VIRO ET IVRISCONSVLTO PRVDENTISSIMO,

Gregorio Lamparter, Cancellario illustrissimi principis nostri, Henricus Bebelius Salutem dicit.

SI omnium uel gētilium suffragio, eos summis celebrat laudibus antiquitas, certissimumq; illis in cœlo locum definitum uult, qui pij in patriam consilio, uel armis remp. sunt tutati, si item non tā testimonio scriptorum quàm ratione fortiter pugnandum pro patria uideatur, si postremò mors omnium speciosissimā prędicatur, imò gloriosa & beata (ut Cicero dicit) eorum, qui pro patria mortem obierunt, & Codrus rex Athenienſium, duoq; Decij, innumerabilesq; alij maximis ideò efferuntur laudibus, quod se patriæ saluti deuouerint. Si contrariò, hi qui in patriam deliquerint, atque conspirauerint, impij parricidæq; summa cum ignominia appellitantur, in eosq; durissimis legum censuris fœdissimoq; cruciatus genere est animaduersum: quis iurè hoc meum factum improbare poterit? quod patriam meam Germaniam iniurijs prouocatā, defensare conabor. Cum igitur Leonhartus Iustinianus Venetus (cuius nec mores, nec uitā, nec eruditionem, carpere mens est) in Germaniam, imperatorumq; Germanorū amplitudinem, & coronationem intemperanter inuehatur: quis non mihi Germano concesserit? quis conuenire non uiderit? quis postremò hoc à me patriam meam iurè repetere posse neget? ut eo pro uirili portione eius honorem atq; maiestatem tuear? nemo ita desipit, ut non credat. Quare cum sim in eam uocatus conditionē, ut dij immortales potius occasionē quā mentem armis defendendi patriam negauerint, ut pius, ut gratus in illam non obscure iudicer, quicquid & quantulumcunq; est in me ingenij & eruditionis (quod sentio perquam exiguū esse) ad eam non ab iniuria modo uindicandam, sed ornandam etiam, si possum cunctis uiribus conabor. Quòd si hic uel alibi contra Venetos uel Francigenas Germaniam incessentes, paulò commotiùs scripsero, Deus immortalis sit mihi testis, me id non studio mordacitatis aut propriæ laudis, uerùm solius patriæ amore (cui me omnia debere superius declaraui) feciſſe, & esse aggressum. Hoc enim possunt considerare omnes hi, qui nouerint me scripsisse contra Venetos, & Parisianos, quibus me in omni liberali disciplina, omniq; genere eruditionis, non solum non æquandum existimo, sed etiam non nisi longissimo interuallo eorum uestigia consecuturum spero, non enim tātum mihi arrogo, ut in classes illorum uirorum referre cupiam. Vnde stultissimè facerem, si me laudis & gloriæ aut mordacitatis etiam libidine illis opponerem, quibus me in prædam, malæ fretus causa, obijcerem. Nam dum ad gloriam niterer, omnibus essem futurus ludibrio, sed iustissimę causæ meritis & ueritate innixus & fretus, nullam inuidiam non subeundam, nullas inimicitias declinandas, dum patrię consuluero, existimo, nec sine exemplo. Nam ut Cicero eleganter dicit, quis est tam tenui cogitatione

tatione præditus, cuius animus tantis inuidię angustijs continetur, qui non hunc hominem studiosissimè laudet, & sapientissimũ iudicet, qui pro salute patrię, pro incolumitate ciuitatis, pro reip. fortunis, quamuis magnum atq; atrox periculum studiosissimè suscipiat & libenter subeat? Vtinã si quis rescribere uelit, me uiuo faciat, ubi defendendi tam mei quàm causę facultas tribueretur. Sed spero constanter, hoc meo exemplo plures in Germania æmulationis studio iri excitatum, qui hoc meum honestissimum propositum, & Germanię defensionẽ & patrocinium sint suscepturi, ut non tam facile passim quilibet absq; rerũ meritis, in nos Germanos illotis buccis debacchetur. Tibi aũt Cancellarie, nõ tam iuris utriusq; quàm omnis eruditionis cõsultissime, hanc nostrã apologiã singulariter conse crandam putaui atq; dedicaui, ut non solùm eruditione tua incredibili, qua q; præ cæteris es famigeratus, hoc pijssimum propositum defendendi patrię honoris adiuuares: uerum etiam cum pro tuis in me meritis amplissimis humanitateq; singulari, omnia me tibi debere intelligam, uolui te his meis chartaceis muneribus honorare, ut intelligas me pro uirili mea paratum tibi gratificari, in quibus cunq; rebus mihi possibilibus te delectari existimem, cunq; non mediocriter ames humaniores istas literas, nec sis alienus à Gratijs atq; Musis ut est in prouerbio ueterum, tibi dedicaui hanc apologiam; quam dum nihil agere & feriari uolueris à maximis & ducalibus negocijs (quibus dij boni summa cũ integritate, ingenij acrimonia, singulari memoria atq; prudẽtia præes) legito, & me commendatam habe. Vale. Tubingæ, Kalendis Iulijs. M. D. VIII.

APOLOGIA HENRICI BEBELII PRO DEFENSIONE IMPERATORVM CONtra Leonhartum Iustinianum.

IMPERATOR nunc est, qui summam habet & absolutam potestatẽ, & cui monarchia ascribitur. Nec sum nescius, Imperatorẽ appellari solitum à senatu olim Romano, ut Cicero in Philippicis testatur, qui mille aut duo millia externorum hostium occidisset. Scio præterea, r ductores exercituum & præfectos copiarum militarium, imperato es fuisse ab historicis appellatos: Ita tamen, ut semper imperator inter suos maximus esset. Sed nunc, sicut regna & imperia (sicut omnia in mundo patiuntur uicissitudinem) ita nomina etiam magistratuum mutantur. Et imperatorem uocamus, cui summa rerum cõmissa est. At Leonhardus Iustinianus Venetus, hanc imperatoris summam potestatis appellationem improbans, excandescenter & acerbissime inuehitur in Germanos imperatores, in epistola ad Cyriacum suum dicens: admiratum te dicis, in hoc nouo Sigismundi principis aduentu, quod qui ante coronationem se regem scriberet Romanorum post coronationẽ uero qua si maius quiddam & dignius exprimere uolens, imperatorem se nuncupabat; non regem, quod tu perperam factum arbitraris. Itaq; te id reprehendisse ais, & quæris à me, num idem sentiam quod tu, an contrà putem. Ego uerò in his & in alijs permultis, plurima quotidie mihi uideor errata cognoscere. Sed utor Democriti regula, rideo enim illa non fleo. Quid enim mea refert, quemadmodum barbari loquantur, quos neq; corrigere possum si uelim, neq; magnopere uelim si possim. De rege tamen & imperatore idem sentio quod tu, & iam pridem ridens barbariem istam, hoc ipsum notaui atq; redargui. Tres enim gradus maiorum dignitatum apud Romanos, de quorũ principe loquimur, fuere: Rex, Dictatoꝛ

ctator, Imperator. Ex his suprema omnium potestas rex est, post regem uerò secũdum tenuit dignitatis locum dictatura, post dictaturam imperium. Imperium tertio gradu consequitur. Post multas rationes quas adducit, tandem concludit: quare hanc barbariem quæso cum sua ignorãtia ualere sinamus, & nos antiquis doctissimorum uirorum scriptis, quod unicum est refugium, oblectemur, non curiosi quid agant isti, aut quemadmodum loquantur, hæc ille. Eodem in errore uersatur Robertus Valturius de re militari, & Antonius Florentinus, historicus parum disertus, uitæ tamen probatioris, cuius uicem ego non parum doleo, quod non tantum cum superioribus erret, uerum etiam (nescio incuria'ne an odio) stomachosus egrè ferat, Italos esse tam ignauos, ut suum sibi imperium nõ uindicent, quasi in libertatem deturbatis Germanis, dum scire debebat optimus pater, Germanos nõ esse inuasores imperij tyrannicè, sed legitimè, maturaq; deliberatione atq; sano consilio Romanæ Ecclesiæ electos esse, Romanumq; imperiũ obtinuisse. Sed ut huic solùm acerbissimę inuectiuę paucis respondeam, si omnia ad antiquitatem uis redigere Leonharde, immeritò ut alia prętercam, uocas reges modernos aut serenissimos, quoniam nec septem reges, nec apud Iulium aut Ciceronem inueneris, aut modernus aut serenissimus rex, sed mitto ista. ¶Secundò, si error est dicendus, imperatorem esse summæ & regalis potestatis: non incusabis Germanos, sed Romanos & Grecos. Post Iulium etenim non inuenies, quenquam Romanum principem se regem aut dictatorem nuncupasse, sed Cæsarem, Augustum & imperatorem. Cur Caligula & Nero, intoleranda superbia atq; luxuria notati, si tam humile nomen est, non se reges potius? aut quod optimè fuisset concessum, dictatores nominauere? qui sibi diuinitatem arrogare non erubuerunt? nam cum Caligula diadema regium, teste Suetonio, sumere, seq; regem esse proposuisset: nónne admonitus se regium fastigium excessisse, diuinam maiestatem ex eo asserere sibi cœpit? Sed tu omnia ad priscam denominationem reuocare uis, nec Cæsares dici admittis Romanorum imperatores, quod ante Iulium nemo pro summa potestate posuit. Sed ab ipso Iulio, omnes Romani principes sic se appellari uoluerunt, cum nihil faciat ad regiam potestatem Cæsar, & ab uno Augusto, omnes Augusti, cum pariter Augustum, id est consecratum, non multum conueniat cum regno. Quare si admiseris, sicut cogeris, scriptorum ferè omnium suffragio, Cęsarem & Augustum appellari eũ, cui summa & absoluta sit potestas, cur non Imperatorem? qui elegantissime, significanter & merito iure ab imperio Romano, uti à doctissimis dicitur, imperator nominari debet? præsertim cum huius significatio conformis sit & illorum uiolenter per solum populi consensum ad hoc trahatur. Si dixeris, quia Romulus & alij successores sex, nunquã reperiuntur ita nominati. Cur ergo uocas Neronem, Domitianum, Vespasianum, & alios uel Cæsarem uel Augustum? At si Cicero eloquentiæ fons, si alij eloquentissimi historici atq; iurisconsulti dicunt Romanum imperium, non uel rarò regnum Romanum, quasi excellẽtius sit imperium: cur non imperator ab imperio descendẽs, supremus in imperio sit? Sed quod imperator suprema sit potestas, testis est Plinius in liminari epistola naturalis historię, ubi Titum Vespasianum alloquens, suauissime imperator, dicit, & ne offenderet patrem Vespasianum excusat se, quod nominauerit imperatorẽ, quoniam ita salutatus sit in castris à militibus. Nã dum Titus dux & (ut ita dicã) capitaneus fuerit in exercitu Syriæ, frustra fuit salutandus imperator, si non maius nomen & supremam potestatem designare uoluisset. Idem lib. 2. inquit, nam ut in duodecim diebus utrunq; sidus quęreretur, & nostro æuo accidit imperatoribus Vespasianis, patre tertio filio iterũ consulibus. Plin. iunior ad Traianum: Imperator in titulis & imaginibus & signis, cæterum modestia, labore, uigilãtia, dux & legatus, & miles. Idem, ut reuersus imperator qui priuatus exierat.

Et sæpe

Et ſæpe ad eundem Frontinus lib.1.ſtrategematôn, Imperator Cæſar Domitianus auguſtus, Germanicus eo bello,quo uictis hoſtibus,cognome Germanici meruit, Cornelius Tacitus in 12.literas mittit in hũc modũ,po.Romani imperatoribus,magnarumq; nationũ regibus,& ſępe aliâs,ſicut & Suetonius,qui oẽs ſuos Cæſares eo nomine honorat,quiq; Cæſarẽ ſcribit ex decreto, prænomine imperatoris uocitatũ eſſe,dicẽs,perpetuã dictaturã pęrfecturãq; morũ. Inſuper prẽnomen imperatoris, cognomẽ patris patrię,ſtatuã inter reges ſuggeſtũ in orcheſtra,ſed & ampliora etiã humano faſtigio decerni ſibi paſſus eſt. Ita etiã Gręci, Plutarchus,Herodianus,Ioſephus Gręcè loquẽs.Iulius Firmicus,ſolus imperator ſtellarũ nõ ſubiacet curſibus,& ſolus eſt,in cuius fato ſtellę decernendi nõ habẽt poteſtatẽ,cũ enim fuerit totius orbis imperator & dominus,fatũ eius Dei ſummo iudicio gubernatur.Et Lactãtius in prologo Inſtitutionum:quod opus nũc nominis tui auſpicio inchoamus,Cõſtantine imperator maxime.Et Iuſtinus in prologo epitomatis ſui: qđ ad te Antonine imperator,nõ tã cognoſcẽdi quã emendandi cauſa,trãſmiſi.Nonne & Firmus imperator,teſte Vopiſco,in edictis ſuis mandauit ſe uocari αὐτοκράτωρα, id eſt imperatorem, & cũ qui per ſe ipſum poteſt. Ita Cyprianus, ita Ambroſius, Tertullianus, Oroſius, Auguſtinus,eloquentiſſimus Hieronymus,Ruffinus,Euſebius Gręcus & alij Eccleſiaſtici ſcriptores, nominitant Romanũ principẽ, habentẽ & exercentem ſummam poteſtatẽ,non regẽ,non dictatorem aut conſulẽ.Ita etiã Iuſtinianus ubiq;,itemq; iuriſcõſulti,multò elegãtiores Iuſtiniano.Aurelius iuriſcõſultus ff.de offi.prę.prę.le.prima:Ad uicẽ magiſtri equitũ,pręfectos prętorio antiquitùs inſtitutos eſſe à quibuſdã ſcriptoribus traditũ eſt. Nam cũ apud ueteres dictatoribus ad tempus ſumma poteſtas crederetur,& magiſtros equitũ ſibi eligerẽt,qui aſſociati principali curę,militię gratia ſecunda poſt eos poteſtatẽ gererent, regimentis reip. ad imperatores perpetuò translatis, ad ſimilitudinẽ magiſtrorum equitũ,præfecti prętorio à principibus electi ſunt,data eſt eis plenior licentia,ad diſciplinę publicę emendationẽ. Hic apertiſſimè diſcis,ſummã eſſe poteſtatem deuolutã ad imperatores, extinctis dictatura & alijs magiſtratibus.Ita accipiũt,Domitius,Vlpianus,Sceuola,Florẽtinus,Caius,Põponius,Modeſtinus, Paulus & alij imperatorẽ,qui legibus moderandis & omnibus rebus præſit, ſitq; dominus mundi. Ita etiã accipit Victruuius, eruditus & eloquens ſcriptor,ad Auguſtũ Cæſarem ſcribens:Cũ diuina mẽs tua & numẽ,imperator Cęſar,imperio potiretur orbis terrarũ,inuictaq; uirtute cunctis hoſtibus ſtratis, triumpho uictoriaq; tua ciues gloriarenẽ,&c.Ita Ruffus Feſtus,ita Vegetius de re militari,ita Plin.ad Traianũ ita Nazarius,Mamertinus,Latinus Pacatus,ita Ammianus Marcellinus,ita Helius Spartianus, Iulius Capitolinus,Lãpridius,Vulcatius Gallicanus, Trebellius Pollio, Flauius, Vopiſcus,Eutropius,Paulus diaconus, Aurelius uictor, qui omnes ad unũ ad imperatores,& imperatoribus rerũ potitoribus ſcribentes,imperatores ſcribunt Cęſares,atq; auguſtos nunquã reges,conſules uel dictatores. Et ut paucis dicã,nónne ex ui nominis multò plus eſt,lautiùs,atq; magnificenti us imperare, unde Imperator, quã dictare, unde Dictator? quã regere,unde rex eſt?teſte Auguſtino lib.5.de ciuitate) quã cõſulere,unde conſul? Et Conſul olim ſuprema fuit apud Ro.poteſtas, hi tamen conſules eo etiã tẽpore, rebus ſcilicet florentibus & conſulatu, Imperatores dicti ſunt,niſi Saluſtius, egregius auctor, hiſtoriarumq; pater mentiatur,qui dicit:poſt ubi regiũ imperiũ,quod initio conſeruandę libertatis atq; cauſa augendę reip.fuerat,in ſuperbiã dominationemq; ſe conuertit, mutato more, annua imperia, binosq; imperatores ſibi fecere:niſi Auguſtinus etiã,Chriſtianorũ doctiſsimus,mentiat,qui hoc idẽ Saluſtij repetẽdo confirmat. Conſulatus igitur,qui tẽpore regum nullius erat nominis & precij,ſi tẽpore creuit in ſummũ,& poſtea ſub imperatoribus ſolũ inane nomen re-

manſit, quoniã imperatores & dabant & adimebant illũ, quis non latinè fieri credat, ut imperator exui propria ſummus dicatur? præſertim cũ conſul, captiuo quodam ſenſu, pro eo dicatur, qui principem ſe gerit. Nónne dictator (cuius nomen ſub regibus nunquã auditum erat, atq; poſt Cęſarẽ omnino obſoleuit) olim magiſter populi dicebatur, ut dicit Põponius ff de origine iuris? Benè igit̃ dicit Liuius: Cõſules nunquã fuerãt, regibus exactis creati ſunt. Dictatoris nec imperiũ nec nomẽ fuerat, apud patres eſſe cœpit, Tribuni plebis, Aediles, Quęſtores nulli erãt, inſtitutũ eſt ut fierẽt. Decẽuiros legibus ſcribẽdis intra decẽ hos annos & creauimus, & è rep. ſuſtulimus. hęc ille: Nónne etiã qui olim ſub regibus tribuni celerũ, ſub dictatoribus magiſtri equitũ, tandẽ ſub Cęſaribus prętecti prætorio dicti ſunt, ut dicit Feneſtella? & Aurelius iuriſcõſultus, ut ſupra dixi, auctoritas quoq; præfecti prætorio maximè creuit, nã de illo Feneſtella ita loquitur: Poſt adeò paruis orta principijs creuit auctoritas, ut cũ aliquo tẽpore à prętectis prętorio prouocare liceret. Extãt quoq; exẽpla maiorũ, quo pacto ab his prouocaſſent, lecta poſtmodũ à principijs ſentẽtia, à profecto prętorio prouocatio ſublata eſt. Creuit & nũc ſub Chriſtianis ſummi põtificis auctoritas, creuit & epiſcopi auctoritas & ſignificatio, qui quid ſignificet, & quãtũ ſit infra ſacerdotis dignitatem, ex impoſitione nominis nouimus. Cur igitur nõ Latinis (nõ nobis Germanis, quibus ego quoq; nullã aut cõcedo aut concedendã eſſe puto latinitatis locupleriandę uel mutandę auctoritatẽ) liceret uel mutare, uel augere imperatoris maieſtatẽ? cui præter populi cõſenſum etiã ſignificatio ad hoc quadret: cũ non in nominibus ſolũ magiſtratuum, uerũ etiã in alijs ferè omnibus, multas paſſa ſit à primordio lingua Latina mutatiões. Hoc Polybius Græcus nõ obſcurè probat, in ſecundo hiſtoriarum, dicens: primum fœdus inter utrunq; populum initum eſt, ſtatim poſt electum urbe regiũ nomen, quod fœdus, quantò diligentiùs fieri potuit interpretati ſumus. Tanta enim facta eſt mutatio Romanæ linguę, ab ea tẽpeſtate in hodiernũ diẽ, ut etiã qui antiquitatis peritiſſimi ſunt, pleraq; nõ niſi difficulter intelligãt, & ſcilicet Cic. teſtatur, hanc inde locutionẽ ſua ætate maxima ex parte euerſam fuiſſe. Nónne & idẽ Cicero, Catonis uerba nõ aliter excuſat, niſi quod tũc ita loquerentur? Nã & M. Varro, undecũq; doctiſſimus, ut ait Terẽtianus, dicit: cõſuetudo loquendi eſt in motu, & in poſtremo addit: Verba perperã dicta apud antiquos aliquos, propter poetas ſua ætate dici rectè, & quæ prius ratione dicta erãt, poſtea perperam dici. Et idẽ: Quotuſquiſq; iã ſeruus habetur priſcis nominibus, quæ mulier ſuũ inſtrumentũ ueſtis atq; auri ueteribus uocabulis appellat. Et Plautus in Epidico: quid iſtę ſcilicet mulieres, quę ueſtis quotannis nomina inueniunt noua. Et Sextus Cecilius, teſte Gellio dicit, nam longa ætas uerba atq; mores oblitterauit. Et Seneca epiſtola CXIII: adijce nũc quod omnino certã regulã nõ habet, conſuetudo illã ciuitatis, quæ nunquã diu in eodẽ ſtetit, uerſat. Idẽ præterea notat eũ, quẽ nos dictatorẽ dicimus, & in hiſtorijs ita nominari legimus, apud antiquos magiſtrũ populi uocatũ, deinde tranſit ad ea, quæ conſuetudo ſęculi mutauit, &c. Et Sceuola iuriſcõſultus ff. de ſup. le. l. labeo nec mirum eſt moribus ciuitatis & uſu rerũ, appellationẽ eius mutatam eſſe &c. Diomedes poſtremo Grãmaticus ita ait: pręclarè dixit Terentius, nihil dictũ quod non ſit dictum prius, ſed iniecit poſtera ętas manũ, & ueluti diſciplinam priſtini ſęculi, ita & ſermonẽ faſtidire cœpit, & noua uelut parturire uerba, quę iuuenũ ritu ipſa modo florent & uigent. Nónne, ut iſtam mutationẽ uarijs modis probẽ, appellatio domini atq; dominationis, apud ueteres tyrannum atq; tyrannidem deſignabat. Quare Auguſtus dominũ dici ſe uetuit, non ob eã cauſam, quã Tertullianus aſſignauit in apologetico, & poſteriores acceperunt. Nã Domitianus, ut dicit Euſebius, Suetonius, Oroſius, Aurelius Victor, ſe Deum & dominum edicto appellari iuſſit, ad exemplum etiã Caligulę. Vnde Martialis

aſſentatus

assentatur. Edictū domini deiq; nostri, & idem in octauo ad Domitianū, omnes quidem libelli mei domine, quibus tu famam id est uitam dedisti, tibi supplicant &c. Nōne & Labeo iurisconsultus ff. ad l Rho. de iactu l. deprecatio, dicit: domine imperator Antonine, naufragiū facientes in Italia deiecti sumus à publicanis, Cyclades insulas inhabitantibus. Antoninus dixit En demoni, Ego quidem dominus mundi. Itē Caligula & Domitianus se deos appellari iussērūt, & Diocletianus se ut Deum adorari iussit, ut scribit Eusebius, præter aliorum morem. Si illi regem magnificentiùs quā imperatorem existimassent, etiam se reges appellari mandassent, Imperatorisq; nomen spreuissent: nec populum timuerūt, quoniā domini nomen Romanis fuit inuisum præ cæteris. Postremò, si nolueris admittere noua magistratuum uocabula, etiam Latina & Græca, non dices Papa: at ita locutus est Hieronymus & alij Ecclesiastici, non dices episcopus, non cardinalis, non patriarcha, non acolutus, non subdiaconus, diaconus & cætera prope infinita. Tolles itaq; omnino fidei Christianæ magistratus & dignitates, atq; omnino ad gentilitatem nos reuocabis. Christianus enim populus, sicuti quælibet alia gens, suos proprios habet ritus, solennitates, ceremonias, propria magistratuū nomina & officia noua. Vnde si Germanos uocaueris barbaros, pro eo quod imperator apud eos nō sit supremę potestatis in temporalibus, ut dicitur: facies totā Italiam barbaram, & ipsam denique fidē Christianā. Aut cur non Venetos tuos rides? & barbarię incusabis? qui suum magistratuum supremum & principem, uocant (sicuti & tu ipse) ducem? cuius quæ fuerit apud maiores, nec ita uetustos, dignitas, tu mihi referas, ego enim nondū legi. At imperator à Romanis & satis uetustis, latinè & uerè dicitur, qui imperat & summam potestatem tenet. Vnde parum probe niteris redarguere, nisi ueterum more, quorum ad consuetudinem si omnia confirmare uolueris, tolles Christinitatis nomina. Debebas igitur Liuium legisse, qui dicit libro quarto primæ decadis. Quis enim dubitat, quin in æternum urbe condita & in immensum crescente noua imperia, sacerdotia, iura gentium hominumq; instituantur? Si enim hæc uera, ut sunt, esse debent; quis dubitat etiam nouis imperijs & magistratibus, etiam noua nomina imponi? Sed procedendo ad alias rationes, quibus regem imperatori præferre conaris, respondebo. Cum dicis, regem omnes sic accipiunt, quasi suprema quędam & absoluta sit potestas, supra quem in regno suo nemo sit, sed ipse præsit omnibus. Ex quo fit ut rex nisi unus dumtaxat esse non possit, plures enim reges simul eidem regno præsidentes, sese mutuo impedirent, naturamq; perimerent regis, quę non omnibus prędesset, sed haberet paritatem. Patet hoc in antiquis modernisq; regibus: neq; enim Numa, neq; Hostilius, neq; alij deinceps Romani reges consortem aut socium regni habuere. De Romulo & Tatio ferunt, sed alter Sabinorumq;, alter Romanorum rex erat. In modernisq; regibus hoc idem apparet. Neq; enim Francorum neq; Anglorum plures simul reges regnum gubernāt, sed unus & solus, cui fratres, cui patrui cui propinqui omnes genua summittunt. Cessit iam quoq; apud hos filio pater, ac regiā potestatem se uiuo trāsferre in filium uoluit, ipse dimisit, quoniam duos simul regiam potestatem habere, contra naturam est huius dignitatis. At imperatores simul plures sępissime fuerunt, non enim suprema potestas imperium, sed salua repu. salua auctoritate senatus & populi, salua libertate, imperator creabatur. Itaq; imperatore existente, nihilominus consules prętoresq; ac cęteri magistratus in rep. manebant, rege autem existēte, manere nō poterāt, quod patet ex dictatura. Illa enim quod uim quandam regię potestatis habere uidebatur, simul atq; inducta fuerat in remp. cęteri magistratus omnes interibant, & abrogati per creationem dictatoris censebantur, prętor tribunos plebis. At enim cum imperatore cuncti simul magistratus in rep. prestabant, & auctoritas uigebat senatus, & populi libertas seruabatur.

batur. Ex quo apparet, imperatorem non esse dominũ, sed legitimam potestatẽ: hæc Iustinianus, Cui respondurus, dicã Imperatores semper singulos Rom. imperium gubernasse, usq; ad Aurelium Antonium. Verũm de quo scribit Eusebius & alij propinquum suum Lucium Annium Seuerum, qui erat gener Antonini pij, noua beneuolentia cõsortẽ imperij fecisse, tumq; primũ Rom. remp. duobus æquo iure imperiũ administrantibus paruisse, cum usq; ad illos semper singulos habuisset augustos. At quod imperatores acceperunt cõsortes imperij, factũ esse propter multa negocia Ro. imperij, cui nec regna Francorũ, nec Anglorũ ulla ex parte cõparari possunt. Fuit tamen adhuc noua differentia & superior potestas, aliqui enim Cæsares sed non augusti erant, quod maius erat: hoc enim in Codice Iustiniani, apud panegyristas & recẽtiores historicos uidere licet. Cõstantius enim imperator, teste Eusebio, Cæsarẽ apud Gallias constituit. Ex Spartiano itẽ uidere licet, qui ad Diocletianũ dicit in uita Aelij Veri, qui uel Cæsarũ nomine appellati sunt, nec principes aut augusti fuerunt, & post: quorũ præcipuè de Aelio Vero dicẽdũ est, qui primus tantũ Cęsaris nomẽ accepit. Sed quid nobis obijcis septẽ regulos Romanos, quorũ imperiũ non erat adeò propagatũ, ut multis adiutoribus opus esset. tamẽsi Romulus consortẽ Tatiũ habuerit in eodẽ regno & territorio. Sed nõ nouũ est plures esse in uno regno reges, duo simul fuerũt reges Sueuorũ, qui Vespasianũ cõtra Vitellij partes adiuuabãt, ut testis est Tacitus. Nouimus itẽ plures simul fuisse reges Francorũ, Gothorũ, &c. & Hispania hodie regna habet quatuor uel quinq;, & patrũ nostrorũ memoria Gallia quattuor regna fuerũt, Francorũ, Burgũdionũ, Lõgobardorũ & Belgicę, quorũ postremos rexit imperator Romanus & Germanus, licut hodie ad illum spectãt, & maiores Caroli Magni nõ fuerunt Francorũ reges, attamen maiores domus dicebaṫ, apud quos summa rerũ uersabatur, adeò ut regibus nomẽ inane & solus titulus relinqueretur, apud illos administratio esset, Sed dicat insuper Iustinianus quicquid uelit, libertatẽ scilicet fuisse & auctoritatẽ S. P. Q. R. sub imperatoribus, non habebit suffragatorẽ me. Scio enim ecõtrariò multò maiorẽ libertatẽ senatus & populi Ro. fuisse sub regibus, quã imperatoribus, nisi forsan quibusdã. Nã cuncta imperatores ex libito administrabãt, tollẽtes nõ solũ libertatẽ senatus & populi, uerũ etiã è uita sustulerũt aut in exiliũ damnauerũt, quos placuit, usq; adeò, ut nihil magis contrariũ fuerit tunc senatui quam libertas, qui oẽs magistratus cõtulerũt & ademerũt, adeò ut libertos eorũ sæpe potentiores fecerint patricijs & senatoribus, & omnes magistratus, si qui erant, auctoritate principis creabaṅ, qui plus nomẽ & titulũ ostẽtabant, quã aliquod imperium. Scio enim fuisse cõsules, sed nullã illis potestatẽ fuisse, nisi consentiente imperatore cõpertum habeo, adeò ut Roma nunquã minus libera fuerit quã sub Romanis imperatoribus. Addo etiam multos non à senatu, sed à militibus contra senatus decretũ atq; populi consensum imperatores acclamatos, atq; mansisse in imperio, multosq; omne crudelitatis in patres atq; plebem genus exercuisse, ut ostẽdit Iuuenalis in quarta satyra, dicens. —*Sed olim, Prodigio par est in nobilitate senectus,* loquens de crudelitate Domitiani imperatoris. Sed non laboro in re manifesta, cum tyrannidem plusquam imperium, imperatorum dominationem maiori ex parte, dicere & ostendere possem luculentissime. Reddit insuper Iustinianus aliam rationem suæ opinionis, dicens: Volo insuper unam uel alteram rationem inducere, quò maioris dignitatis regium nomen ostendam, imperium enim quibusdã magistratibus rectę tribuimus. Nam omnes qui iurisdictionem exercent, ac punire & coercere possunt, imperiũ habere dicimus, at regnum habere illos nunquã diceremus, quoniam imperij legitimã potestatẽ significat, regnũ autem habere, supra leges esset. Ego aũt ecõtrariò dicã, imperiũ Ro. summã potestatẽ, & si aliquãdo minorẽ: reges aũt dici aliquando diuites tantũ & regulos, qui parua-

uam &

tam & minimam habeant potestatem, & rex scachorum (ut ita dicam) etiam dicitur rex, ut habetur in cap. uenerabilē, Extra. de electione in glossa. At utrunq; ut regnū sine ratione placuit antiquis esse supra leges, ita nunc imperium Romanum, & nobis pariter sine ratione, nā esse imperatorē, est esse supra leges, & esse legē animatā in terris, ut dicitur in Autē, de cōsul. in prin. colla. iiij. Quod idē cōfirmat Vlpianus iurisconsultus ff. de cōstitu. prin. dicēs, quodcunq; igitur imperator per epistolam, & subscriptionem statuit, uel cognoscens decreuit, uel de plano inter locutus est, uel edicto præcepit, legē esse constat, hoc alibi sæpe ostēditur. Ille affert aliā rationem dicens: præterea quę Deo tribuimus uocabula, ea præstātissima sunt existimanda. Cum enim Deus ineffabiliter excellat, nec ulla humana reperiri digna possint eius maiestate, illa Deo tribuimus, quę apud nos sunt maxima, quoniā maiora tribuere nō habemus, Deū aūt regē nuncupamus, ac regnū Cęlorum dicimus, ut sacræ literæ poetæq; testantur. Imperatorē uerò q Deum uocaret, uix quisquā reperitur, hæc ille. Ego aūt facilè inuenire possum, Deum etiā imperatorem dictū apud illustres scriptores, Cicero loquendi regula, de senectute: uetatq; Pythagoras iniussu imperatoris, id est, Dei præsidio & statione uitæ decedere. Plautus in Amphitrione, ubi Brōtia ancilla loquitur. Summus imperator diuūm atq; hominum Iupiter, is se dixit cum Alcumena clam cō suetum cubilibus, eumq; filium suum esse, qui illos angues uicerit, alterū esse tuū dixit puerū. Lactant. Christianus Cic. lib. 5. cap. 20. Nam si is qui in hac terrestri militia regi suo fidem seruat, in aliquo egregio facinore, si postea uixerit, acceptior sit & charior: si perierit, summam cōsequitur gloriā, quod p duce suo mortem occubuerit, quantò magis imperatori Deo fides seruanda est, qui nō tantū uiuentibus, sed & mortuis premiū potest uirtutis exoluere. Eusebius, Iosephus, Ruffinus de Herode, dicebāt ergo hi quibus diuinandi peritia est, diuinitus has pœnas ab imperatore Deo, ob multa eius impiè, & crudeliter gesta, depoſci. Dicimus insuper in sacris literis, de beata uirgine, Imperatrix cœlorum, Hieronymus super Mattheum, Iesus rex Iudæorum, hoc est imperator credentium & cōfitentium. Idem in Bibliis transtulit sæpe imperiū Domini Dei nostri. Itē quod Deus imperauit, Augustinus lib. 3. de Trinitate, cap. 4. nihil enim fit uisibiliter, & sensibiliter, quod nō de interiore inuisibili, atq; in intelligibili aula summi imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem iusticiam premiorū atq; pœnarum, gratiarum, atq; retributionum, in ista totius creaturę amplissima quadā immensaq; republica. Idē sæpe dicit Deum imperare, ergo est imperator. Et Ambrosius, de eo quod scriptum est, quis maior est in regno, non enim ad imperium cœlorum peruenitur superbiā, diuitijs, præfectura: sed humilitate, pauperie, lenitate, &c. Non insuper sequitur, Deum nuncupamus regem, ergo rex summam potestatem propterea significat. Nam & patrem uocamus, nō tamen idcirco pater summa potestas est, uocamus & agnum, uocamus & pastorem: non tamen illa supremam potestatem designant, uocamus & dominum, quod uocabulum (ut superius dixi) tyrannidem significabat antiquitùs: Atq; inter reges olim & tyrannos, nulla erat differentia, ut multi auctores prodiderunt. Virgilius in septimo Aeneidos, *Pars mihi pacis erat dextram tetigisse tyranni*. Vbi Seruius ait, Græcè dixit regis, nam apud illos regis, & tyranni nulla discretio est. Sic Herodotus Crœsum tyrannum dixit, & Aristophanes in lemniadibus, Thoantem Hypsiphyles patrem, Et apud ecclesiasticos scriptores, sancti uiri uocantur reges, ut dicit Gregorius libro xxvi. moralium, super illud Iob: Reges in solio collocat in perpetuum. Sed apud ueteres Latinos pro diuite tantum poneb atur rex. Ita apud Horatium, Iuuenalem, Columellam & Martialem inuenies. Vnde & Plautius Menæchmus, de se contra seruum suum loquens ait: meus Vlysses, suo qui regi tantum concinit mali. Lycus leno apud eun-

dem in Penulo: Rex sum, si ego illum hodie, ad me hominem allexero. Rex item sacrorum, qui & sacrificulus dicebatur, Romæ erat, & pontifici maximo subijciebatur. Et Augustinus libro de ciuitate quarto, quia latrocinia quid sunt nisi parua regna? Vides hic, regis & regni etiam olim paruam fuisse existimationem & cuius libet ferè pagi dominum regem appellatũ. Nõne & in canonicis decretis, 7. q. i. in apibus dicitur imperatorem esse super omnes reges, quæ Latinos non nos habent auctores? Vnde illam rationem benè omisisset Leonhardus Iustinianus. Imperatorem igitur summam complecti potestatem, tam liquidò ostendimus, atq; supra reges esse declarauimus, non tam ex significatione quã ex opinione publicoq; omnium mortalium consensu, adeò ut rex multis non adeò potentibus attribuatur, subq; imperatoribus Romanis multi olim reges fuerint, atq; ab illis sint coronati, ut Tigranes â Tiberio, Herodes ab Augusto, & alij ab alijs: Imperator uerò, quandam supremam in terris ac maximam ostẽdat à Deo, ut cum Turcæ suos fines mirum in modum propagauarint, princeps eorũ, propter magnã potentiam, dicatur nõ nisi imperator, etiam â Christianis.

Videris tamen maximè improbare, quod primò nostri scribant se Romanorum reges, atq; postea imperatores, quod nulla unquam gens fecerit, nosq; in hoc barbariæ non parum incusas. Ad quod ego tibi respondeo, omnium nostrorum consensu imperatorem maius nobis uideri esse (uti probaui) quàm regem, non tamen regem Romanorum alium existimamus, quò ad potestatis exercitium quàm imperatorem Romanum. Nam postquam aliquis ex nostris in regem Romanum est electus, mox omnia imperatoris officia exercet, & (ut loquar more leguleiorum recentiũ) de facto habet plenariam omnium rerum administrationẽ, supremamq; potestatem, nec aliquid addit creatio in imperatorem, nisi quandã solennitatem, & quędam ornamenta, quę Romanus pontifex non nos excogitauimus. Vt igitur rex aliquis Romanorũ primũ dicatur, & postea imperator coronatione pontificis, solùm est sedis Apostolicę non Germanorũ institutum, ut leges in capite uenerabilẽ, Extra. de electione. Nos uerò Germani, dum elegerimus aliquem in regem Romanorum, mox etiam habetur nobis imperator, sed ille tres coronationes non sunt à nobis introductæ, propter maius imperiũ, sed propter consuetudines locorum. Primum enim Aquisgrani, pro regno Teutonicorũ & Gallię Belgicę coronatur, Mediolani pro consuetudine Longobardorũ, qui spectant additionem Ro. imperatoris. Postremò Romæ, pro Romano imperio. Maiores enim nostri (post Carolum nostratem & eius stirpem, qui non nisi post Ro. coronationem tãdem se Ro. imperatores scribebant) uti Henricus secundus. Othones ante Romanam coronationem scribebant se reges tantum Gallię, Belgicę, & Longobardorum, tandẽ post põtificis coronationes, scribebant, se imperatores iuxta morem maiorũ. Sed postquã Othone tertio sine liberis decessuro, & unà cũ Gregorio quinto ordinante, electio Rò. principis translata esset ad septem electores: Papa Romanum principẽ iussit primum regem coronari, tãquam minus esset & multis cõmune, quod sine eius auctoritate fieret, ut ipse tandem supremam potestatem & imperatoriã conferret. Nos uerò in rege imperatorem, & omnem eius potestatem eligimus, atq; tanquã imperatori obedientiam & fidem iuramus: pauca tantùm quædam ornamẽta addit, nihil cõferentia uel addentia imperatorię maiestati, ut etiã Hostiensis confirmat, in ca. super quibusdam de uerb. sig. ubi dicit, principes Germanię pronunciasse, quod promotio imperialis non det nisi nomen imperatoris.

Postremò, tanquam nefas quoddam & piaculum obijcit nobis, cum coronemus nostros reges & imperatores, dicens: enimuero non ut imperatores, sed ut reges Romani coronantur, cur ergo se post coronationem imperatores scribunt nõ reges, deinde hoc totum ignorantię est, cũ ne reges quidẽ Romani unquam

quam coronari mos fuit, Romulus enim & hi qui post Romulum fuerũt reges, nunquã coronam receperunt, aut gestarunt, aut usi sunt. Idem quoq; obseruatũ est à Tuscorum regibus, ut nunquã coronarentur, sed trabea duntaxat & palmata tunica. Et idem: coronari ubi nam gentium mos fuit: quis imperatorẽ Romã. antiquis illis temporibus coronatum fuisse unquã audiuit, aut legit: non Augustum, non Tiberium, non Caligulã, non Neronem, cum præsertim hi duo extremi, intolerandæ superbiæ, ac luxuriæ forent: nemo inquã coronã imperij unquã suscepit, aut habuit, aut ausus est, nisi forte laureã cum triumphasset, aut rostratam quod classem hostium cepisset, quæ duæ coronæ non imperatorum erant magis, quã quorumcunq; triumphantiũ, aut uincentium. Primùm Iustiniane, coronarum usus antiquissimus est: non solùm sub Romulo, sed Libero patre hunc fuisse, testis est: Plinius, in septimo naturalis historiæ. Et Romani imperatores, olim etiã non lauro tantũ, sed & auro etiã coronabãtur: Nã ut Aulus Gellius in quinto docet, triumphales coronæ sunt aureę, quæ imperatoribus ob honorẽ mittuntur, sed illæ aureæ coronæ nõ fuerunt in tanto precio, ut rex uel imperator peculiariter cõronaretur, cum & ciuica pręciosior esset, & priuati etiam ciues illa coronarentur. Dicit enim Plin. lib. 16. cũ de ciuica corona diceret, addit Cedunt his murales uallaresq;, & aureæ, quanquã precio antecedentes. Et idem lib. 33. loquens de Romanis: ĩdẽ, quod magis miremur, coronas ex auro dedere ciuibus. Quis primus donatus sit ea, non inueni, sed quis primus donauerit, à L. Pisone traditur, A. Posthumius dictator, apud lacũ Regillũ, castris Latinorũ expugnatis, ei, cuius maximè opera capta esset, hanc coronã ex præda dedit. Itẽ Lucius Lentulus Seruilio Cornelio merendæ, Samnitũ oppido capto, sed quinq; librarũ corona, Piso frugi filium ex priuata pecunia donauit, eamq; coronam testamento reipu. legauit. Et Titus Liuius lib. 3. exercitus liberatus, & eius consul coronam auream Cincinato dictatori dedit. Et septimo, Idem, Samnitibus superatis, consul Aulus Cornelius Cossus, aduocata concione, Publij Decij tribuni militaris laudes peragit, præter militaria dona, aurea corona eum donat. Et lib. 10. Papirius cursor consul, Papirium filium, quatuor centuriones, manipulumq; hastatorum, armillis aureis q; coronis donauit. Et lib. 30. Scipio cõcionem aduocari iussit, ubi Masinissam regem primũ appellatum, eximijsq; ornatum laudib. aurea corona donat. Et Sicinius dẽtatus, aureis donatus est coronis, ut dicit Gellius lib. 2. cap 11. & Iosephus in 7. de Tito Vespasiano, Confestim ergo eos, quorum partes sunt iudicare, quos nam scirent fortiter aliquid in bello fecisse, & nominatim singulos appellatos collaudat, quasi qui domesticis rectè gestis, nimiũ lætaretur, & coronas eis aureas imponebat. Et sicut apud alias nationes, reges suis insignibus decorati sunt: ita apud Romanos. Nam sicut apud Macedones, reges diademate cingi morem esse scribit Herodianus, & reges Persarum tiarã gestare consueuerunt, in cuius summitate gemma erat permagna, & lucens, auro illigata. Aegypti regibus mos fuit, aut leonis, aut tauri, aut draconis priorem partem in capite ferre insignia principatus. Aethiopum uerò reges sceptrum in aratri formam gerunt. Ita Romanis indumentum purpuræ, signum erat regiæ potestatis, ut dicit Lactantius lib. 4. cap. 7. itemq; (ut tu dicis) trabea & palmata unica. Virgilius, *Et sellam regni trabeamq; insignia nostri.* Et Cicero pro Scauro: quem purpura regalis non commouit, eum Sardorũ mastruga mutauit. Nõne & prætori, ut dicit Feneſtella, regia insignia consulares q; fermè apparatus fuerunt? Quod si propter coronationẽ imperatorũ nostrorũ, uis nos esse barbaros, & cuncta emendare, uel potius ridere, & redigere ad antiquitatẽ: facies Romam (quæ est domicilium, & plantatrix linguæ Latinæ) & Romanos ipsos barbaros. Non'ne Pontifex Maximus triplici corona, instar turritæ Cybeles, insigniẽ quod omnibus temporibus antiquis, atq; cunctis nationibus & gentibus est inauditum,

auditū, sed bone Iustiniane, falsò Germanos imperatores accusas quod ipsi primū se coronauerint, cū hoc fecerint ante Romanos, & Græci imperatores. Nā ut dicit Paulus Diaconus, de Tiberio Constantino: Hic cū augustalē coronam accepturus esset, eamq; secundum consuetudinem, ad spectaculū cū populis exspectaret, fuit ante illius tēpus iam consuetudo coronandi imperatores. Nonne Iustinianus coronatū se dicit (de quadriennij præscrip. l. benè à Zenone) quæ ergo (inquit) pro Augusto honore & cautela, res accipientium nostra statuit æternitas, hæc tam nostra sublimitas, quā cæteri omnes iudices nostri obseruare festinent, ex eo tempore ualitura, quo nutu diuino imperiales suscepimus insulas. Vbi Accursius dicit, nota imperatores esse coronādos. Nonne, ut dicit Aurelius Victor, Eusebius & alij, Aurelianus imperator primus apud Romanos diadema capiti innexuit, gēmisq; & aurata, omni ueste, quod adhuc ferè incognitū Romanis, moribus uisebatur, usus est. Nonne & Constantinus Magnus coronatus est: nam ut dicit Panegyricus eius: meritò igitur tibi Constantine, & imperator, senatus signum Dei, & paulò ante Italia scutum, & coronam, cuncta aurea dedicarunt. Et Aurelius Victor: Constantinus pontem in Danubio construxit, habitum regium gemmis, & caput exornans perpetuo diademate, ut latius postea dicam. Et Mauricius imperator coronatus est, ut dicit Paulus diaconus. Nā ut scribunt Otho Frisingensis, & alij illorum temporum scriptores, Heraclitus coronatus est occiso Phoca à Sergio patriarcha, in oratorio sancti Stephani, in palatio suo coronata est, eadem die, sponsa quoq; ipsius Eudocia, in Augustam. Et Phocas coronatus est, & Constantinus, filius Constātis regnauit cū fratribus suis, Heraclio & Tiberio, sed cū uenirent aliqui orientaliū partium, & dicerent, si in trinitatem credimus, tres coronemus: turbatus est Cōstantius, qui solus erat coronatus, Tiberius Constantinus coronatus est ab Eutitio patriarcha, qui mittens adduxit uxorem suam Anastasiam, & coronauit eam. Pulcheria Theodosij filia, senis Martiani imperatoris capiti diadema imposuit, ut scribit Pomponius, Iustinus minor Iustiniani nepos, Sophiam uxorem coronauit Augustam, coronatus & ipse ab Eutitio, Leobesica ortus progenie ab Anatholio est coronatus. Leo iunior cùm paucis mensibus rexisset imperium, propria manu, ut dicit Pomponius Lætus in suis imperatoribus, coronans genitorem suum Zenonē, constituensq; imperatorem, rebus excessit humanis. Ita & de alijs scribunt, omnes ferè illorum temporū scriptores. Itēq; Iulianus apostata, ut scribunt Ammianus Marcellinus, & alij, à militibus Augustus appellatus est: cumq; corona deesset imperialis, torquem unus militum super caput imposuit, & ista coronatio etiā uetustior est, apud Romanos. Nam Claudius Drusus, statua sibi cum diademate ad Appij forū posita, Italiam per clientelas occupare tentauit, ut Suetonius auctor est. Et Titus Vespasianus Alexandriam petēs, in cōsecrādo apud Mēphim Api bouí, diadema gestauit. Et idem, ut scribit Iosephus, in septimo belli Iudaici, cum ad zeuma Euphratem uersus iter contenderet, huc missi etiā ab rege Parthorum legati, auream ei coronā ferentes, quòd Iudæos uicisset, eaq; suscepta, etiā conuiuium exhibuit regijs. Et Antoninus Heliogabalus, ut scribit Herodianus Græcus, uestitū usurpauit luxuriosum, purpura intextū, atq; auro monilibusq;, & armis redimitus, coronas etiā substinēs, ad Tiaræ modū, auro lapillisq; pretiosis insignitas. Vides igitur Iustiniane, quā perperā egeris, dum Germanos imperatores, falsò accusaueris ignorātiæ, & barbariæ, in hoc quod iam diximus. Sed quòd addis, nec Tyberium, nec Neronem, nec Caligulam, unquā coronatos, cur non addit, nec unctos, uti nostri modò unguntur: Bone Iustiniane, nos Germani malumus similes esse Christianorum, & Hebræorum regum, quā gentiliū, & sceleratorum, Neronis, Tiberij, & Caligulæ, Probes tu factū illorū, nos Christorū, nos enim gaudemus, ad imitati onē Christi (qui p redēptione

ne nostra spineam coronam portare non est dedignatus) & sanctorum regum Dauid, & aliorum, & Constantini Magni imperatoris Christiani, coronare nostros reges, & ungere. Nam etsi Eusebius, Beda, & alij dicant, Aristobulum qui Hircano successit primùm apud Iudæos, diadematis sumpsisse insigne: inuenio tamen capite 1. libro regum secundo, Saul regem diadema in capite tulisse, & capite 12. Dauid profectus est, aduersum Rabba, cumq; dimicasset, cepisse eam, & tulisse diadema regis eorum de capite eius, pondo auri talentum habens gemmas pretiosissimas, & impositum esse super caput Dauid, & Paralippo. 1. cap. 20. Tulit autem Dauid coronam Melchon de capite eius, & inuenit in ea auri pō do talentum, & pretiosissimas gemmas, fecitq; inde sibi diadema. Coronamus igitur, & ungimus reges nostros, ad exemplum sanctorum, non malorum, non ad superbiam (ut tu existimas) & tyrannidem, sed ad humilitatem, & pietatem. Hoc non ego, & Germani, sed sanctus Ambrosius dicit, nosq; hunc morem accepisse à Constātino, atq; accipere debere, docet de obitu Theodosij, ita loquēs de Helena Constātini matre: quæsiuit Helena cleuos, quibus crucifixus est Dominus, & inuenit: de uno clauo frenos fieri præcepit, de altero diadema intexuit. Vnum ad decorem, alterum ad deuotionem uertit. Visitata est Maria, ut Euam liberaret: uisitata est Helena, ut imperatores redimerentur. Misit itaq; filio suo Constantino, diadema gemmis insignitum, quas pretiosior ferro innexos crucis redemptionis diuinæ gemma connecteret: Misit & frenum, utroq; usus est Constantinus, & fidem transmisit, ad posteros reges. Principium itaq; credentium imperatoris sanctum est, quod super frenum, ex illo fides, ut persecutio cessaret, deuotio succederet. Sapienter Helena egit, quæ crucem in capite regum leuauit & locauit, ut crux Christi de regibus adoretur, non insolētia ista, sed pietas est, cum defertur sacræ redemptioni. Bonus itaq; clauus Romani imperatoris, qui totum regit orbem, ac uestit, principum frōtem, ut sint prædicatores, qui persecutores esse consueuerunt. Rectè in capite clauus, ut ubi sensus est ibi pręsidium, in uertice corona, in manibus habena. Corona de cruce, ut fides luceat: habena quoq; de cruce, ut potestas regat, sitq; iusta moderatio, non iniusta præceptio. Habeant hoc etiam principes Christi sibi liberalitate concessum, ut ad imitationem Domini dicatur de imperatore Romano: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Et idem Ambrosius: Quare sanctum super frenū, nisi ut imperatorum insolentiam refrenaret, cōprimeret licentiā tyrannorū, qui quasi equi in libidines adhinnirent, quòd liceret illis adulteria impunè cōmittere, quæ Caligularum, cæterorumq; probra comperimus, quibus non fuit sanctum super frenum. Quid ergo aliud egit Helenæ operatio, ut frena dirigeret, nisi ut omnibus imperatoribus sancto dicere spiritu uideretur? nolite fieri sicut equus & mulus, sed in freno, & chamo maxillas eorum constringeret, qui se non agno scerent, reges ut regerent sibi subditos. Prona enim potestas in uitium ferebat, & more pecudum uaga sese libidine polluebant, Ignorabant Deum, restrinxit eos crux Domini, & reuocauit à lapsu impietatis, leuauit oculos eorum, ut Christū in cœlo quærerent, hæc ille. In quibus luculentissimè ostenditur, Iustinianum iniuria debacchatum esse in Germanos, in quo se planè Venetum ostendit, dum postremò etiā addit Germanos imperatores uix quatuor iugerū possessores, coronari, sed profectò illa iugera habent fortes uiros, dum unus imperatoris subditus, & uasallus, ut dicitur, nostris tēporib Dux Austrius Sigismūdus, tuos Venetos ô Iustiniane terra mariq; potentissimos, atq; maximo exercitu instructos, paucissimis militib memorabiliq; clade pfligauerit ppe Tridētū, ut prius copiosè descripsi. Sūt aūt Veneti Germanorū antiq; & genuini hostes, quos nostra patientia, ad maximā iniuriā prouocat, nō enim cōtenti, præda se imperij ditatos esse, quiante ducētos annos in continenti habebant nihil, nunc proditionis, atq; callidi-

tatis

liditatis ope quibus pugnare dicuntur præcipuè, & sunt maximè illustres res, & iura imperij inuaserunt, atq; Italiã nobis debitam nunc illis, nunc alijs factionib. adiuti Germanorũ, in Italia imperiũ debilitauerunt, atq; euerterunt, nec ut dixi cõtenti iurib. nostris, & nostrorũ sanguine olim partis iniquissime esse potitos, nisi & uerbis, & fabulis nos quibuscunq; modis possunt dilacerarent studiosissime Sed surge ô Germanorum inuictissima uirtus, & fortitudo genuina, uindica te ab iniuria rerum, & uerborum, & repetite uiri uestrum ab his, qui maximas imperij urbes, & potentissimas uarijs artibus, & machinationibus in suam dominationem subegerunt. Surge tu in primis Christianissime, atq; augustissime imperator Maximiliane cognosce homines, qui ut rebus suis cõsulant dominãdi libidine præcipites fidem habẽt tẽporariam, nunc illũ, nũc aliũ destituere, uel fouere, uel circũuenire nunquã formidãtes, Valete omnes Germani, atq; uerbis & maximè armis laudẽ, gloriam, atq; honorẽ nostrũ non sinite pessundari, nam & ego nonnisi amore patriæ hæc scribo, nec cũ laruis luctari cupio, cũ contra Iustinianum illum scribo, sine uituperatione tamen. Sed patriæ misertus nõ potui uel saltẽ aliquid facere quo prouectiorib. ætate, atq; doctioribus me Germanis prẽberem uberiorem occasionem defendendi Germaniam, Iterum Valete.

QVOD IMPERATOR ROMANORVM IVRE SIT CHRITIANISSIMVS DICENDVS

Maximilianus Christianißimus Romanorum rex semper Augustus.

HENRICVS BEBELIVS.

QVOD ego in scriptis meis regem nostrum Maximilianũ appellito Christianissimum exemplo diui Ambrosij, & aliorum qui imperatores Christianissimos scribunt, exemplo Romanæ Ecclesiæ quæ in die Parasceues pro Cæsare orans dicit: pro Christianissimo imperatore Rom. ita habent libri sacri tã recentes, quã uetusti. Sunt quininus rectè factum existiment, quòd is titulus iure quodam hæreditario peculiariter sit regibus Francorum tributus, ut citra eorum iniuriam nemo alius rex sibi uẽdicare posset, quorum sententiæ, neq; suffragabor, neq; accedo, quin imò imperatori Romano iure meritissimo tribuendum contendo, siue enim dignitatem, siue merita considerauerimus. Germanos imperatores Christianissimos uocabimus, primũ enim cũ Rom. rex sit super omnes reges, atq; Ecclesiæ Christianæ omniũ cõsensu advocatus, ut ita loquar, & defensor, eius partes erunt, omnes Ecclesiæ Christi status defendere eosq; in pace, ac trã quillitate cõseruare, uniuersamq; remp. fidei, ut unicus & maximus Christiani exercitus dux, & imperator pro uiribus amplificare, propterea enim à Christo gladium accepit: quæ quidẽ officia, cum in primis ad Christi laudem, & gloriam spectant, nõ incongruenter, quin potius iure proprio Rom. rex titulũ sibi Christianissimi assumere, ac uindicare potest Quẽadmodũ põtifex Ro. sanctissimi appellationẽ ab officio, & dignitate cui prẽest etiã si opera eius essent pessima. Si aũt merita inspexerimus, soli Germani Christianissimi appellabuntur. Pipinus enim Germanus, & Francus orientalis, ut nemo sanus negat primus meruit istum titulum, ab Vrbano secundo, qui ob egregiam

giam uirtutem,& insignem amorem, quo Christi Ecclesiam est prosecutus, accepit & hunc titulum,& regnum Francorum occidentalium, quos potius Francigenas appellabimus. Carolus postea Magnus illius filius in quo,& successoribus continuatus est is titulus,quòd Germanus, & Francus orientalis fuit, ideò consensu Rom.plebis atq; approbatione sanctæ Rom. Ecclesiæ imperiũ in persona eius utpote Germani,fuit translatum in Germanos non Gallos Francigenas,quòd si ex hoc Christianissimus fuisset dictus,uel quòd Frãcigena esset,uel Francigenę tam bene meriti de republica Christiana fuissent, imperium non in Francos germanos, sed Frãcigenas esset translatũ, quod nemo dicere potest. Carolus insuper dictus est, Christianissimus imperator, nõ Christianissimus rex Francigenarũ,hoc eius sepulchrũ declarat cum tali inscriptione, Caroli Magni Christianissimi Imperatoris Romanorũ corpus, sub hoc sepulchro conditũ est, quare Francorũ orientalium reges,qui fuerunt natione,& imperio Germani,habebantq; sub se regnum Francigenarum,illi sua uirtute imperiũ Germanis meruerũt,titulo q; Christianissimi decorati sunt, ob admirandã ipsorum religionẽ, Ecclesięq; Christianæ,propagationem,quod nemo de Francigenis,& Gallis dicere potest. Post stirpem autem Carolinam,quæ ut dixi, Germana fuit,cũ tã Francia occidentalis, ab orientali imperioq; Germanico esset diuisa. Comparemus gesta Germanorum principũ, atq; imperatorum, cũ Gallis cunctisq; Europeis regibus,& nemo nõ dicet Germanos esse Christianissimos,nam si parno aliquo uolumine enarrare possem, qua diligentia, & reuerentia nostrates imperatores sint diuinum cultum prosecuti, si fidem Christi dilatatam, regnaq; & populos ad fidem per eos reuocatos, atq; conuersos, si donationes, & priuilegia Romanæ Ecclesiæ liberaliter collata: Si item enumerare uellem constructiones,& reparationes multorum monasteriorum,& sacrarum ædium donationesq;, & priuilegia commemorarem,intelligerentq; omnes homines nullã esse,sub cœlo gentẽ quæ posset ulla ex parte,cum nostris comparari,sed quia hoc Lupoldus Bebenburgius luculenter tradidit, non est in præsentia opus ut plura dicam. Quis insuper unquam egregiam aliquam expeditionem, contra infideles proferet, in qua Germani copiosissimo non affuerint exercitu, clarissimisq; uirtutibus enituerint? Testatur hoc militia Germanorum, sub Henrico quinto, dum Gotfridus,cum fratribus Germanus, & Francus orientalis, comes Bulionis natus, & postea dux nostratium Lotharingorum,cum Germanis factũ sepulchrum à manibus infidelium eripuit, regnumq; Hierosolymitanum consecutus est,gloriosissimè,non tamen negabo,eo tempore, & alios etiam Francos strenue pro fide decertasse, quòd si nunc commemorare uellem, qui egerit pro fide Christiana, Conradus secundus,Fœdericus primus Enobarbus, Henricus sextus, per fratrem, & duces suos: Itemq; alij, ut suo tempore copiosius scribam, nimis longum esset,& superfluum,dum nemo,cui paucæ historiæ sunt cognitæ, ignoret; adeò ut nullo unquam tempore, sicut nec hodie religione, & meritis in fidem Christi credere Francigenis iure debeamus. Quare iure tam dignitatis,quã meritorum Germani imperatores Christianissimi dici debẽt. Sed quòd ad nos usq; singulariter reges Francorum,ita honestati sunt,credo solam esse illam consuetudinem,quę in stirpe Carolina inoleuit,& quędam incuria imperatorum quorundam,qui quod suum est, uti alijs in rebus multis, sibi uindicare non studuerunt,ego autem quod iure fieri debere, & quòd Maximilianum Cæsarem, non neglecturum existimo,pronunciandum putaui.

Dimitto autem illam causam quam hodie quidam suis libris complexi sunt, quòd reges Franciæ recentiores,Carolus strumosus, de quo antè dixi, & Ludouicus,qui nunc imperat suis coniugijs,non parum Christianissimi nomen obtenebrauerint: nam ut de Carolo taceã,cuius factũ nunquã sine dolore meminisse possum;

possum, nonne Ludouicus ille Aurelianus, contra præceptum illud Christianũ, quos Deus coniunxit, homo nõ separet, cuius antè habuit sororem, hac dimissa atq; repudiata illius mortui duxit uxorem, quod uix usquam auditum est, apud Christianos. Quę ego non in detractionem loquor, quoniam manifestaria sunt, & Robertus ipse tetigit, sed dispensatione Apostolica excusauit, quam ego nec uitupero, nec negabo, mallẽ tamen sine dispensatione non peccare. Sed ideo dicenda putaui, ut intelligant homines, siue uetera tempora repetemus, siue illa recentia, me iure scripsisse Maximilianum Christianissimum tam dignitate, quã meritis, quòd præter alias uirtutes maximas, uitæ innocentia atq; religione, non solum hodie uix habeat inter reges secundum omniũ confessio, sed possit etiam cum omni antiquitate, in omni genere uirtutum, & gloriæ conferri.

DE LAVDE, ANTIQVITATE, IMPERIO, VICTORIIS REBVSQVE GESTIS Veterum Germanorum.

GERMANI HABVERVNT ALTERUM imperium Romanis florentibus.

CAPVT PRIMVM.

PRIMO Germani alterum & secundum à Romanis imperium habuisse prædicantur ab exteris. Nazarius ad Constantinum de Germania: lacet in latere Galliarum, aut in sinu tuo fusa barbara per se ipsa potens natio, & post Romanam magnitudinem secunda in terris. ex quibus externi & hostis nostri uerbis, intelligimus Germanos aliud à Romanis imperium habuisse, & post Romanos potentissimes fuisse: Et Egesippus, qui proximè Apostolorum temporibus successit, dicit Germanos totius orbis imperium agitasse, de Vespasiano loquens his uerbis lib. 2. Romanis tamen super nubes uiantibus, & ultra columnas Herculis imperium propagãtibus, nihil inuium fuit, tãta facilitate hostis, & qui latebat repertus, & qui resistebat uictus est, quorum improuiso aduentu consedisse montes Germania credidit, Rhenũ exaruisse, qui magnitudine corporum, & contemptu mortis cęteris ualidiores, qui retinaculum antè suum Rhenum putabant, nunc salutis defensionem: Itaq; nõ scopulis Germanorum repletur, sed Romanorum liburnis, quæ pererrantes toto usq; ad mare bicornis amnis fluenta, quondam liberas gentes seruitio premunt, ut quæ antè sibi totius orbis imperium præsumpserant, nunc seruitutis propriæ mercedem exoluant. Quòd si quis dixerit, Egesippus, & alter dicunt Germanos esse uictos adeò, ut cõtra te faciant. Ego accepto quod primus dicit, Germanos alterum imperium habuisse, alter totius orbis imperium præsumpsisse, & liberas fuisse gentes. Nam non est timendum, quòd mentiantur laudantes Romanos, quæ contra Romanos proferunt, quis enim non crederet Romam, & Romanos laudantibus, quæ contra se, & suos adducunt? Quòd aũt ita dicunt Germanos à Roma uictos, hoc uidentur ex fauore, & adulatione dicere, præsertim dum ego contrarium probabo illustribus scriptoribus, Vespasianum non trans Rhenum, sed in Gallia cum Germanis, sed uaria fortuna decertasse, nec Constãtinum trãs Rhenum, sed in Gallia etiam nomen suum illustrasse, atq; auxilio regis

gis Sueuorum ad imperium peruenisse. Quis igitur Germanos non admiretur? quos ego clarissimos, illustrissimos atq; bellicosissimos ostendam, ex his auctoribus, qui Romanis blanditi illosq; ex proposito laudãtes, Germanos eorumq; laudem deprimere conati sunt, dum nemo sanæ mentis non facilè acceptet atq; credat, quod quis contra se atq; eos quos laudare cupit, afferat.

CAPVT SECVNDVM, RHENVS SEMper fuit terminus imperij Ro. Et Romani contenti fuerunt Rheno tenus Germanos prohibere ne in Galliam transirent.

MVlti Romanorum imperatorum scripserunt se à domita Germania Germanicos, sed nemo eorum unquam domuit Germaniam, nisi fortè Germaniam secundam, ut uocat Ammianus Marcellinus, hoc est, Germanos qui sunt nobis Transrhenani, ut sunt, Austrasij, Belgarumq; maior pars, sed legenti mihi Ro. scriptores, compertũ est Romanos parum tentasse uel profecisse cõtra Germanos, nisi in ipsa intima Gallia, in qua sæpe Romani & uicti sunt à nobis & uicerunt, adeò ut non minus uerè quã luculenter Pacatus Latinus ad Theodosiũ deploret Galliã continuò barbarorum incursiones sustinentẽ dicens. Vnde igitur ordiar nisi à tuis mea Gallia malis, quæ ex omnibus terris, quas illa pestis infederat, haud iniuria tibi uindicas priuilegiũ miseriarũ, quod si dixerim, ut uerissimè possum, Iulium Cæsarem nihil egregium trans Rhenũ egisse, Germaniisq; potius arma ostentasse quã intulisse, non mentiar, dum Põpeius apud Lucanum etiam dicat eũ fugisse à Rheno dici inquit, *Dant animos Rheni gelidis quod fugit ab undis.* Quod tametsi hostis erat, tamen & hostes loquuntur ueritatẽ, sed Lucanus ex animi sententia scripsit. Inde non probantur mihi, imo mentiũtur quidam scioli (nescientes dum suæ ciuitatis uetustatẽ & nobilitatẽ mentiri uolunt dehonestare Germaniã) dũ dicãt multas ciuitates in Saxonia à Iulio Cęsare cõditas, nã eo ipso teste ultra quindecim dies non mãsit in Germania nedũ Saxonia, in quã nunquã uenit, & quę tunc non fuerat. Quod si etiã hoc nomen habuisset, nunquã tamen in illã uenit, ne dũ ciuitatẽ nullã in tota Germania condidit trãs Rhenũ, quę omnia ex Cõmentarijs eius hominis in primis glorioſi & ambitioſi elicere possumus, adeò ut alijs non egeamus testibus, nec ullus hoc uetus historicus tradit, sed sunt merę nugæ anilesq; ad carbones, & iuxta focum fabulę. Dico & Augustum pauco tempore partiunculam Germaniæ occupasse, tandem amisso exercitu, duabusq; cladibus acceptis repulsum. Ostendam igitur receptis auctoribus & diuersis temporibus semper ferè Rheno & Histro terminatũ Ro. imperium usq; ad annum Domini CCCXXX: tunc enim Ro. imperium in Occidente periit, Romanosq; rebus integris & florentibus contẽtos fuisse si intra Rhenum & Histrum imperiũ agerent, Germanosq; semper fuisse liberos ab omni imperio hostesq; Romanorum semper egisse, audiamus auctores Domitius, Vlpianus ff. de capti. & postl. reuersis, hostes sunt in quibus bellum publicè Po. Ro. decreuit uel ipsi populo Ro. cæteri uerò latrunculi uel prædones appellantur: & ideo qui à latronibus captus est, seruus latronum non est, nec postliminium illi necessarium, ab hostibus autem captus, puta à Germanis uel Parthis & seruus est hostium, & postliminio statum recuperat pristinum. Seruius in 8 Aeneid. Rhenus fluuius bicornis, quia per duos alueos fluit per unum, qua Ro. imperium est per alterum interfluit barbaros. Ambrosius tempore Valentiniani, Danubius de occidentalibus partibus barbarorum atq; Romanos interfecans populos donec ponto ipso condatur Rhenus de iugo Alpium usque in Oceani profunda cursus suos dirigens, Romani memorandus aduersus feras gentes murus imperij, Iosephus lib. 2. de bello Iudaico tempore Neronis loquẽs

de Germanis, nunc autẽ limitẽ Rhenum habent,& 8. legionibus domantur & seruiunt quidẽ qui capti sunt, reliqua autem eorũ gens uniuersa salutem in fuga non in armis ponit. idem, quid mirũ si Euphrates ab Oriẽte,& Oceanus ab Occidente itemq; à meridiano tractu, Libyæ fertilissima regio,& Septẽtrione Rhenus atq; Hister sunt imperij limites. Iosephus hæc uerba in persona Agrippæ regis ad terrorem Iudæorũ dixit non quod ita esset, infrà enim ostendam tempore illo Germanos nõ solum in Galliam crebras fecisse incursiones, sed in Hispaniã usq; penetrasse, non tamẽ nego Germanos interdum in Gallia uictos. Claudianus de Stilicone sub Honorio & Arcadio Vlla ne posteritas credet, Germania quondam, Illa ferox populis, quę uix instantibus olim Principibus tota poterit cũ mole teneri, Iam sese placidam prębet Stiliconis habenis, Vt nec prędijs nudato limite tentet Expositum calcare solũ, &c. Eutropius de Iuliano, à quo modicis copijs apud Argentoracum Gallię urbem ingentes Alemanorũ copię extinctæ sunt, submotiq; ultra Rhenum Germani & finibus suis imperium constitutum. Seneca quinto naturaliũ, sub Nerone hinc qui medius inter patata & hostilia fuit Danubius ac Rhenus, ac Rhenus alter Sarmaticos impetus cohibens, & Europam Asiamq; discriminans, alter Germanos auidã gentẽ belli repellens. Panegyricus Constantino. Et quid opus erat ipsi Rheno instructis & militibus, & classibus, quem iam pridem barbaris nationibus uirtutis tuę terror obstruxit de eodem ruperat fidem gens leuis & lubrica barbarorum, & robore, atq; audacia, lectis eruptionis auctoribus, institisse Rheno nunciabantur, illico obuius affuisti, & præsentia tua ne auderent transitum terruisti. Ad eundem, neq; enim iam in Rheni gurgitibus, sed nominis tui terrore munimur. Panegyricus Maximiano. Tu domine Maximiane repente Rheno institisti omnemq; illum limitem non equestribus neq; pedestribus copijs, sed præsentiæ tuæ terrore tutatus es idem, porrectis usq; ad Danubij caput Germaniæ Rhetięq; limitibus. Tacitus sub Domitiano in uita agricolę: nec iam de limite imperij & ripa, sed dehibernis legionũ & possessione dubitatũ à Romanis. Claudianus de uictoria Stiliconis, sublimis in arcton Prominet hercynę confinis Rhetia siluę, Quę se Danubij iactat Rhenique parentem, Vltraq; Romuleo prætẽdens flumina regno. Cornelius Tacitus lib. uicesimo sub Vespasiano. Rhenus incognita illi cœlo siccitate trix nauium patiens, acti commeatus, dispositæ per omnem ripã stationes, quæ Germanos uado arcerent, apud imperitos prodigij loco accipiebatur ipsa aquarum penuria tanquã nos omnes quoq; & uetera imperij munimenta desererent, ibidẽ tutor ripæ Rheni à Vitellio præfectus Iulius Sabinus Mamertinus ad Maximianum: sancte Iupiter & Hercules bone tandẽ bella ciuilia adgentes illas uesania dignas transtuliſtis, omnemq; illam rabiem extra terminos huius imperij in terras hostium distuliſtis. Etenim à sole ex Oriẽte ad usq; Mæotidos paludes id nunc longius longiusq; protendere licet, si quis hostilem in mutua clade uesaniam toto orbe perconsecat, etenim ab ipso solis ortu non modo ac citra Mæotim sub extrema septentrionis plaga qua feruidũ caput Danubius euoluit, quaque horridus secat Albis Germaniam, sub etiam ipso lucis occasu, qua Tingetanum littus Calpetano mõti obuiũ latus in mediterraneos sinus admittit Oceanum, ruunt omnes in sanguinem summi populi, quibus nunquam contigit esse Romanis, obstinatęq; feritatis nunc sponte persoluunt pœnas. Gotthi Burgũdios penitus excindunt, rursus pro uictis armantur Alemanni, itemq; torua gẽs alia Gotthorum adiuncta manu Thaifalorum aduersum Vandalos Gepidesq; concurrunt Burgundiones Alemãnorum agros occupauere, sed sua quoq; clade quæsitas Alemanni terras amisere, sed repetunt, idem ad eundem. Transeo limitem Rhetiæ repentina hostium clade promotum, alius Panegyricus ad eũdem Maximianum, quid autem maius euenire potuit illa tua in Germaniam

transgressione,

transgressione, qua tu primus omnium imperator probasti. Rom. imperij nullū esse terminum nisi qui tuorum esset, amborum scilicet Diocletiani & Maximiani, atqui Rhenum antea uidebatur ipsa sic natura duxisse, ut eo limite Romanæ prouinciæ ab immanitate barbariæ uindicarentur. Et quis unquā ante uos principes non gratulatus est Gallias illorum amne munire, quando non enim sine metu nostro Rheni alueum minuit diu serena tempestas, quādo nō cum securitate nostra illius diluuia creuerunt. Lucanus in primo Pharsalię. Albis & indomitū caput Rheni. Herodianus Græcus lib. 2. de Commodo & Nigro imperatore: Hæc dum agitaret leui incertaq; spe subnixus fama iam per Pannonias illyricosq; increbuerat perq; exercitus omnes qui pro ripis Danubij Rhenique excubantes cohercendis barbaris Rom. tuentur imperiū. Seneca de mundi gubernatione. Omnes cōsidera gētes quibus Rom. pax desinit Germanos dico & quicquid circa Istrum uagarum gentium occurrat. Idem lib. 3. de naturalibus quæstionibus. O quam ridiculi sunt mortalium termini. Vltra Istrum Dacus non exeat, Isthumum Samothraces includat. Parthis obstet Euphrates. Danubius Sarmatica ac Romana disterminet, Rhenus Germaniæ modum faciat. Nec obstat quod in Euangelio legitur. Exijt edictum à Cæsare Augusto in uniuersum orbem, nam intelligitur in orbem Romanorum, ut etiam diuus Ambrosius exponit, nō autem orbem terræ, cuius minor pars Romanorum erat. post Theodosium autem magnum opus est loqui de finibus Romanorum, dum ne domi quidem se potuerint tueri, imo non de finibus. Sed de salute tam sua quàm patriæ anxij, magnam sunt passi desolationem, & totius Italię cum Roma uastationem; innumerabiles enim Germanorū nationes. Sueui, Gotthi, Vandali, Franci, Burgundiones, Rugi, Turcilingi, Heruli & alij infusi per Italiā diuersis temporibus & locis & Romanorum prouincias, totum imperium perfundederunt: Et Ruffinus dicitin Scholastica historia Decium imperatorem à Gothis uictum in præsens & futurum maximo reipublicæ interitu.

CAPVT TERTIVM, GERMANI NON CONtenti habere liberum imperium, intra Rhenum, etiam trans Alpes & fluuios patrios, Rhenum & Danubium, Romanorum prouincias occupauerunt & uastarunt, inuitis Romanis.

ROmani igitur usque ad inclinationem imperij, semper ad ripas Danubij & Rheni, ut uim barbarorum ac insultus prohiberent atq; coercerēt, legiones habebant, gaudentes, ut dicit Panegyricus in alio capite ad Maximianum, siquādo Rhenus in ūdatione aquarum auctus, barbaros transitu prohiberent: econtrario consternati, si penuria aquæ transuadabilis esset. Nihilominus tamen Germani nō potuerunt contineri, quin crebras excursiones in ipsorum prouincias, nō sine crebris Roma. cladibus facerent, ut non minus uerè quam eleganter dixerit Claudianus: *Vlla ne posteritas credat Germania quondam, Illa ferox populis, quæ uix instantibus olim Principibus, tota poterit cum mole teneri, Iam sese placidam præbet Stiliconis habenis; Vt nec præsidijs nudato limite tentet Expositum calcare solum, &c.* Stilico autem Germanos nō uicit, sed quia & ipse Germanus & Vandalus, in societatem belli accepit. Nam ut sileam (quoniam de antiquitate Germanorum alibi illa dicam) quomodo Prisco Tarquinio rege Germani Italiam intrauerint, & Senones etiam Germani (ut ostēdam) in Italiam & alias prouincias, quomodo item Cimbri totum orbem inundauerint, & Teutones cum his in Galliam & Italiam transiuerint, & quomodo plericq; Belgarum à Germanis ortum habuerint, quod Germani antiquitus in Galliam propter fertilitatem agri transiuerint ut refert Cæsar in Commentarijs: ut etiam omittam uastatam Romam, Italiam, Gallias, Hispanias;

Africam, Europam, & Asiam per Gotthos, Vandalos, Longobardos, Quados Sueuos, Burgundiones, Marcomannos, Saxones, Anglos, Scotos, Turcilingos, Rugos, Erulos, Alanos & innumeros alios Germanorum populos, iam enim eo tempore Romanorum imperium periit, præsertim in Occidente. Solum dicam, rebus Romanorum florentibus Germanos inuictos & indomitos, diuersis temporibus Romanorum prouincias intrasse, inuitis Romanis, ac pro gloria, dignitate, imperio atq; pro finibus proferēdis, nunquam pro libertate, cū Rom. pugnasse. Adeò ut optimè dixerit, quicunq; ille fuerit, Galliam esse ueterem Germanorum incursionem, multarū cædium causam Germanorū & Romanorum. Primum enim bellum gladiatorum in Italia, adiuuerunt Germani in Italiam profecti, Lucullo & Cassio consulibus, ut testis est Orosius in 5, & Cæsar in primo Commentariorum, in quo quid Roma & Italia passa sit, describit Augustinus lib. 5. cap. 22. de ciuitate Dei, dicens: Bellum quoq; fugitiuorum gladiatorum, quamuis multis Romanorū ducibus, & duobus consulibus uictis, Italiaq; horribiliter contrita atque uastata: tertio tamen anno, post multa bella, consumptū est. Nonne Cæsar, fœliciſsimus imperator Rom. & qui solus & primus domuisse dicitur Germanos, dum in Gallia cum potentiſsimo exercitu ageret, nō deterruit Sicambros, minimam Germaniæ portionem, quin in Galliam prædatum transirent, atq; ipsos Romanos, castris eorum penè captis, non parua clade sed maximo metu afficerent, ut & ipse Cæsar in 6. belli Gallici testatur. Nonne idem in septimo, se ipso ut dixi in Gallia belligerante, dicit: Treuiros à Germanis Rhenum transeūtibus pressos. Idem dicit in quarto, Germanos facilè impelli, ut in Galliam transirent. Idem in 6. dicit, Sueuos contra se Treuiris misisse auxilia. Nōne eodē tempore (ut dicit Hercius in additione) Germani nullis aduersus Rom. auxilia denegabant, qui tamen sua militia Cęsarē sępe numero uictoriosum reddiderunt, ut postea dicam, quod nobis optimum argumentū est, Germanos parum timuisse Romanos. Sub Tiberio itē, qui Augusto succeſsit, Germani Galliam uastarunt, unde Suetonius de illo: Armeniam à Parthis occupari, Mesiā à Dacis Sarmatisq;, Gallias à Germanis uastari neglexit, magno dedecore imperij, nec minori discrimine. Idem dicit Eutropius, Germani in Hiſpaniam penetrauerunt, tempore nescio quo, sed nō multo post Tiberium. Seneca ad Albinam de consolātione, Thuscos Asia sibi uendicat, Tyrij Africam incolunt, in Hiſpania Pœni, Græci se in Galliam immiserunt, in se Græciam Galli: Pyrenęus Germanorum transitus non inhibuit. Hoc idem testatur Iosephus libro 3. de bello Iudaico, loquens de Vespasiano, Claudij ut credo duce: Et qui (inquit) po. Rom. iam pridem pacasset, Hesperiam Germanorum tumultu concussam. De Vespasiano item loquitur Egesippus lib. 3. Vespasianum solum esse, cui summa militiæ Orientis in pārtibus iurē committeretur, uirum ab adolescentia militię triumphalis in ueterarum stipendijs, qui in pacatas Gallias Germanorum tumultu & ferocia genuinæ temeritatis, in bellum relapsas, pace diuturna compo fuerat. Lampridius de Alexandro, Erat autem grauiſsimum reip. atq; ipsi, quod Germanorum uastationibus Gallia diripiebatur. Flauius Vopiscus de Probo: his gestis, cum ingenti exercitu Gallias petit, quæ omnes occiso Posthumo turbatæ fuerant, interfecto Aureliano Germanis possessæ. Panegyricus de Maximiano: tamen omnes barbaræ nationes, excidium uniuersæ Gallię minarentur, neq; solum Burgūdiones & Alemanni, sed etiam Chaibones, Heruliq; uiribus primis barbarorū locis ultimi, precipiti impetu in has prouincias irruiſſent: quis Deus tā imperator, salutē attuliſſet, nisi tu affuiſſes? Latinus pacatus de Theodosio: lacebat innumerabilibus malis ęgra, uel potius dixerim exanimata resp. barbaris nationibus, Germanis scilicet (ut ipse postea declarat) Romano nomini, uelut quodā diluuio superfusis. Sub Archadio & Honorio, Hiſpaniæ per Sueuos

uastatæ

uastatæ sunt, Mamertinus ad Iulianum: florentissimas quondã antiquissimasq; urbes barbari (Alemanni erant) possidebant, Gallorum illa celebrata nobilitas, aut ferro occiderat, aut immitibus addicta dominis seruiebat, in hoc statu imperator noster Gallias nactus, nimium habuit aduersus hostem laboris atq; discriminis, Nazarius Constantino de Francis Germanis: Franci ipsi præter cæteros truces, quorum uis, cum ad bellum efferuescceret, ultra ipsum Oceanum æstu fu/roris euecta, Hispaniarum etiã oras armis infestis habebat. Herodianus de Alexandro, quippe significabant, Germanos Rhenum Danubiumq; transgressos, Romanos in fines hostiliter intrasse, oppugnareq; exercitus ripis insidẽtes, perq́ue urbes & uicos magnis copijs excurrere, & Illyrici milites suos domi cæsos à Germanis audiebãt. Orosius, sub Galieno & Valeriano, Germani alpibus Rhetia totaq; Italia penetratis, Rauennam usq; perueniunt, Alemanni Gallias peruagantes, etiam in Italiam transeunt. Græcia, Macedonia, Pontus, & Asia, Gotthorum inundatione debetur. Quadi & Sarmatę Pannonias depopulãtur. Germani ulteriores, abrasa potiũtur Hispania, Gallia plusquam 20. annis, sub Valeriano & Galieno à Germanis possessa, ab Aureliano recuperata dicitur, post Aurelianum Gallia iterum amissa, sub Probo restituta scribitur, Idẽ Orosius. Constantinus Cęsar in Gallia (iuxta Lingonas, ut dicit Hieronymus in Eusebio) primo prælio ab Alemãnis profligato exercitu suo, uix ipse surreptus est. Sub Gratino Burgundiones Germani Galliam inuaserunt. Et Cornelius Tacitus de Germanis dicit, occasione discordiæ nostræ & ciuilium armorum, expugnatis legionum hibernis, Gallias affectasse. De Germanis dicit Hieronymus suo tẽpore, qui claruit sub Theodosio. Horret animus temporum nostrorũ ruinas prosequi, uiginti & eo amplius sunt anni, quod inter Constantinopolim & Alpes Iulias, quotidie Romanus sanguis effunditur, Scythiam, Traciam, Macedoniam, Thessaliam, Dardaniam, Daciam, Achaiam, Epiros, Dalmatiam, cunctas q́ue Pannonias,, Gotthos, Sarmata, Quadus, Alanus, Vandali, Marcomanni, uastant, trahunt, rapiunt. Idem ad Acherutiam, Gerontiam, & per annos 30. fracto Danubio, in medijs Rom. imperij regionibus pugnatur. Idem; innumerabiles & ferocissimæ nationes uniuersas Gallias occuparunt. Quicquid inter Alpes & Pyreneum est, quod Rheno Oceano q́ue includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, & (ô lugenda respublica) hostes Pannonij uastarunt, sub Valentiniano superiore Quadi, Germani & Sarmatæ Illyricum uastauerunt.

ROMANI REBVS FLORENTIBVS, *uirtute Germanorum, res magnas gesserunt, & qui populi quibus in locis usi sunt militia Germanorum.*

CAPVT IIII.

GErmanorum militum præstantia & fortitudine Romanos fuisse usos, ac uictoriosos, nec Romani quicquam egregiũ sine illis auxiliatoribus gessisse: unde potius ostendam, quam ex Iulio Cęsare, qui omnes Rom. fœlicitate, rebusq; gestis longè superauit. Illius inquam triumphos & torrentissimum fœlicitatis progressum, qui adiuuarunt atq; promouerunt, nisi Germani? Dum enim subacta, etiam Germanorum auxilio, Gallia, Germanos trans Rhenum non irritandos censeret: Sueuorum fortitudine perterritus, beneficijs eos & muneribus sibi deuinxit, quibus etiã præstantissimum imperatorem in acie Pharsalica superauit, toto Oriente, uel potius totius orbis militia, si unos dempseris Gallos atq; Germanos, stipatum: Pompeium inquã, qui Plinio referente, res gestas non

Alexandri modo Magni, sed & Bacchi & Herculis superasse famigeratur, Germanis uicit. Ita dicit Lutius Florus, de prælio Pharsalico, nam cũ diu æquo Marte contenderet, iussuq; Pompei fusus à cornu erupisset equitatus, repente hic signo dato, Germanorum cohortes tantum in effusos equites fecere impetum, ut illi esse pedites, hi uenire in equis uiderentur. Idem Cæsar, cùm tota Gallia duce Vercingentorige in se conspirasset, neq; ex Italia intercluſis itineribus supplementa habere posset, aut iustum exercitum, ut tãto exercitui par esse posset: unis Germanis rebellantem repressit. Ita enim ille ipse dicit in septimo, de primo prælio in Biturigibus commisso: Cæsar ex castris equitatum educi iubet, prælium equestre committi, laborantibus iam suis Germanos equites circiter CCCC. submittit, quos ab initio secum habere instituerat, eorum impetum Galli sustinere non potuerunt, atq; in fugam coniecti, multis amissis se ad agmen receperũt. Et ita dicit auctor innominatus, ne priuemus sua laude barbariem, CCCC. equitũ Germanorum, qui sub Cæsare militabant, atq; ab ipso principio secum erant, opera fuit egregia: ab Cæsare enim immissi, laborantibus alijs in tempore subuenerunt, fregeruntq; Gallos repentino impetu. Dum autem laborantibus alijs dicitur, intelligi non obscurè datur, in periculo rem Cæsaris futuram fuisse, nisi Germanica uirtus enituisset. Quod Cæsar autem à principio belli secum habuit Germanos, argumẽtum est: Ariouistum regem Germanum, Germanis fuisse uictum. Possem insuper alijs in locis ostendere ex Tacito, Romanos cum Germanis mercenarijs profligari conatos ipsos Germanos. Proh deorum atq; hominum fidem, ò dolendam & execrandam Germanorum auaritiam, quos esse inuictos ab hostibus, res ipsa, atq; multorum auctorum testimonia declarat, hos ipsa pecunia uincit, quis nisi Germani Romanis tot regna & imperia cõquisierunt? quis hodie regẽ Franciæ illustrem fecit, nisi Germani? quos nundinari solet pecunia annuisq; stipendijs. Quis ei Insubriam peperit? Germani. Quis Apuliam bis subegit? Germani. Quibus hodie confisus armis, Francigena tot res nouas molitur? Germanorum. Quis Genuam expugnauit? Germani. Quis rursus illum ter Apulia deturbauit, maximis prælijs fusum, magnaq; suorum cæde? Germani, adeò ut & illum & regem Hispaniæ Germani fecerint illustres & uictorioſos, stulti quod alijs non sibi regna parent. Quòd si essent concordes, & Heluetij nostri cum imperio sentirent, & non aduersam partem fouerent: nihil nobis obstare posset, ne Alpes quidem in accessæ, aut ulla maria. Sed Deorum immortalium fortasse ira contingit, nunquam nobis esse concordes. Sed ut ad institutum redeam, dum contra Cæsarem tota Gallia conspirasset, neq; ipse ullos milites in Galliam intercluſis uijs introducere posset, ut alibi, ita nunc iuxta sequanos Gallos Germanis uicit. Nam cũ plures ex Germania equites & pedites euocasset, qui minus idoneos equos habebant, à Romanis sumptos illis distribuit, atq; illis uictoriã obtinuit. Hæc eius sunt uerba: Germani dextro latere summũ fugum nacti hostes loco pellunt, fugientes usq; ad flumen, ubi Vercingentorix cum pedestribus copijs consederat, persequuntur, cõpluresq; interficiunt. Quare animaduersa reliqui, nec circumuenirentur ueriti, se fugæ mandant. Omnibus locis fit cædes: Tres nobilissimi Hedui capti ad Cæsarem perducuntur. Et auctor innominatus, Germanorum equitum, quos è Trãsrhenanis urbibus Cæsar acciuerat in signis, opera, fuso equitatu, raptisq; & Cæsari præsentatis aliquot nobilissimis Heduorum, qui hostium in acie contra eum fuerant. Et postea Cæsar ad Alexiã oppidũ, uirtute Germanorũ uicit Gallos. Accedat ipse testis, ita enim dicit lib. 7. cõmentariorum: fit equestre prælium, laborantibus nostris Cæsar Germanos submittit, nostris animus augetur, hostes in fugam coniecti se ipsi multitudine impediũt, atq; angustioribus portis relictis coaceruant. Tũ Germani usq; ad munitionẽ sequuntur, fit magna cædes. Nõnulli relictis equis, fossam

transire,

transire, ac maceriem transcēdere conātur: multis interfectis, cōpluribus equis captis, Germani sese receperunt. Nonne in obsessione eiusdem ciuitatis Alexię, Germani iterum pro Cæsare uincunt Gallos: hoc ipse idem Cæsar testatur lib. 7. Cum à meridie (inquit) prope ad Solis occasum dubia uictoria pugnaretur, Germani una in parte, confertis turmis in hostes impetum fecerunt, eosq; pepulerunt, quibus in fugam coniectis, sagitarij circūuenti, interfecti sunt. Orosius autē ad sanctum Augustinum ita loquitur: Vercingentorix, quē omnes consensu pari regem pręoptauerant, suadet, uti ex tota Gallia, omnes qui arma ferre possent, huic bello præsto sint: hoc enim esse unum bellum, quo aut perpetua libertas, aut æterna seruitus, aut mors omnium, consequatur. Itaq; absq; eo numero, quē infinitum ante contraxerat, equitum circiter octo M, peditum C C. L. M. contracta sunt. Dehinc duos colles, sibi inuicem obuersos, Romani Galliq; ceperunt, unde multis sępe eruptionibus & uarijs prouentibus pręliantes, tandem Romani, præcipua Germanorum equitum, quos sibi iam dudum amicos, nunc in auxilium acciuerant, uirtute uicerunt. Iterum auspicio Germanorum Cęsar Belloua cos superat. Hircius ita refert: non intermittantur interim quotidiana prælia, in conspectu utrorumq; castrorum, quæ ad uada transitusq; fiebant paludis, qua contentione, Germani, quos præterea Cæsar traduxerat Rhenum, ut equitibus interpositi, præliarentur, cum constantius uniuersi paludē transissent, paucisq; in resistēdo interfectis, pertinaciùs reliquam multitudinem essent insecuti: perterriti non solum hi qui aut cominus opprimebātur, aut eminus uulnerabātur, sed etiā longius subsidiari consueuerant, turpiter fugerunt, nec prius finem fugæ fecerunt, quā se aut in castra suorū receperunt, aut nonnulli pudore coacti, longiùs profugerunt. Nōne & Caninius Cæsarianus, Gallos supra Vellodunū oppidum, uirtute Germanorum uicit. Testis est idem Hircius, cū Caninius (inquit) propiùs hostem accessisset, ab exploratoribus quos pręmiserat cognoscit, castra eorū (ut barbarorū ferè cōsuetudo est) relictis superioribus ad ripas esse fluminis demissa. At Germanos equitesq;, imprudentibus omnibus de improuiso aduolasse, & prælio cōmiscuisse. Quare cognita, legionē armatā instructamq; adducit, ita repente omnibus ex partibus signo dato, loca superiora capiūtur. Quod ubi accidit, Germani equitesq; signis legionis uisis, uehemētissime pręliant: confestim cohortes undiq; impetū faciunt, omnibus aut interfectis, aut captis, magna præda potiunt. Cęsar itē auxilio Germanorū, nititur in Hispania contra Afranium Pompeianū, ut ipse refert lib. 1. de bello ciuili, Pompeius itē habebat Germanos secū, qui in Aegypto militauerāt, quos ibi Aulus Gabinius, præsidij causa, apud regem Ptolemęum reliquerat, hi Germani postea Cæsari damnū intulerunt. Nā ut ipse scribit lib. 3. ciuilis belli. Germani munitiones nostras aggressi, pluribus interfectis (sese ad suos incolumes receperunt. Et Cæsar Alexandrinos in Aegypto uicit, auxilio Germanorum, quorum equitum Aegyptij & Alexandrini impetū adeò pertimuerunt, ut in fuga spem salutis quærerent, ut testis est Hircius lib. 4 de bello Alexandrino. Item Germani aliqui in Africa cum Cęsare militantes, à Labieno aduersario fortiter pugnantes atq; resistentes, circūuenti trucidātur, ut Hircius de bello Africo tradit. Quibus omnibus luculenter perspicimus, Romanos militia Germanorum in omnibus terris usos, eorumq; egregia opera & audentia sępe triumphasse. & Cęsarē Rom. qui unquā uixerunt pręstantissimū imperatorē, se ipso teste, Germanis hostes superasse, ita ut eis non monarchiam solū, sed uitam etiā, toties adiutus per illos, acceptā referre debeat. Sub Caligula aliisq; omnibus ante eum Cęsaribus militauerunt, ut apud Suetoniū & Tacitū inuenitur. Germani insuper per legiones militauerunt in Syria sub Nerone, ut testis est Cornelius in 13. Militauerunt itē sub Nerone, ad claustra Caspiarum; pro bello quod in Albanos parabat, ut idē Cornelius lib. 17. ostēdit. In Aegypto

quoq; apud Alexandriam, cum eodē Nerone militasse, refert idem in eodē. Nōne cum Galba in Hispania, & cū Iunius Vindex, unà cum Gallis à Nerone defecissent, Germani soli duce Virginio, occisis circiter 20. millibus Gallorum, & Vindice ad mortem cōpulso, soli illam conspirationē dissipauerunt: qui postea à Galba spreti, & non iustis stipēdijs remunerati, causa fuerūt cędis Galbę, ut dicit Suetonius. Sub Galba item Germani militauerunt, quos Nero in Alexādria prius habuerat, illi & chari Galbę fuerūt, & in primis fideles, ut Suetonius & Tacitus tradunt. De Vitellio autē non plura dicam, quoniam à Germanis quos in militia Gallicana habuit, est imperator appellatus, atq; ad imperiū deuicto Othone promotus. Idē teste Iosepho in 5, cū Vitellio Capitoliū expugnātes, quod Domitianus insederat, incenderūt diruerunt q;, quod signum mihi usum est futuri ad nos imperij transferēdi. Domitianus tamē elapsus euasit. Sed nec solum Vitelliū Germani creauerūt imperatorē, uerum etiā Claudium. Iosephus de antiquitate lib. 19. cap. 2. Gratus Germanus Claudiū apprehendens cognouit, secq; sequentibus ait: iste Germanus est, eū cōstituamus imperatorem, &c. qui & per illos factus est Cæsar, & idem ad timentē Claudiū, noli (inquit) de tua salute pusillanimis esse, cū te magis oporteat magnanimiter de imperio cogitare, quod dij auferentes Gaio mundoq; prospicientes, tuę cōcessere uirtuti. Cōstantinus Magnus etiā teste Aurelio, maximè auxilio Sueuorū imperiū est adeptus Rom. Progredientes ad Vespasianū, & inueniemus eum deliberasse, an imperiū susciperet propter Germanicarū legionū uim, famam & robur, ut dicit Tacitus. Tandē per duces suos ille Germanos non nisi Germanis uincēdos existimās, Sidonē atq; Italicū Sueuorū reges in amicitiā asciuit, illisq; in prima acie pugnantibus Germanos uicit, ut idē testatur. Iosephus itē dicit, Germanos bellum ciuile Romanorum sedasse, lib. 5. de bello Iudaico. Imperator item Maximius auxiliaribus Germanis est usus, quorū potissimum fidei confidebat, ut dicit Herodianus, & ut idē testatur, Marcus pater Commodi, Germanos in societatē asciuit. Antonius item Germanos in amicitiā conciliauit, sub quo etiam in Oriente militauerunt. Maximinus Germanos sępe contra se in bellis expertus, tandē in amicitiam recepit. Commodus item propositis pecunijs, Germanos in societatem adiunxit. Externi etiam & longinquioris usi sunt militia Germanorum. Herodes enim rex eos habuit milites, de cuius sepultura ita dicit Iosephus lib. 7. de bello Iudaico, & Egesippus in primo circa lectum filij cum propinquis, præterea satellites agmēq; Thracium, Germaniq; & Galatę, uelut ad bellum instructi omnes antecedebāt. Atq; Mithridates rex Pōti, in sua militia Germanos habuit, ut testis est Iustinus lib. 38. Sed quid plura? Germani per Hispaniam, Galliam, Asiam atq; Syriā, creberam militiā agitauerunt, de quibus ita dicit Seneca lib. 2. de ira: Germanis quid est animosius? quid in cursu acrius? quid armorum cupidius? quibus innascuntur innutriunturq;, quorum una illis cura est, in alia negligentibus. Quid induratius ad omnem patientiam? ut quibus magna ex parte non tegumenta corporū prouisa sunt, non suffragia aduersus perpetui cœli rigorē. Hos tamen Hispani Gallicq;, & Asiæ Syriæq; molles bello uiri, antequam legio uisatur cedūt, ob nullam rem aliam oportunos quàm ob iracundiam. Nec ego commoueor quod dicit, eos aliquando uinci & uictos esi: nisi enim crebro uictores fuissent, non diceret quid animosius? quid in cursu acrius, &c. Vnde non obscurè intelligis, eos inuictos, nisi aliquando ob iracundiam, & hodie sunt inuicti, nisi temeritate & audacia sine consilio, aliquando eam prælij conditionem acciperent, qua uix possibile est eos posse uictoriam obtinere, ut dum nuper uix mille, impetum fecerunt in Venetos, plusquam 20. millibus uirorum instructos, suæ tamen temeritatis pœnas dederunt, nihilominus nisi ad iniquū pugnandi locum fuissent progressi, nec uniuersus eos Venetorum exercitus illo die profligasset.

CONTRA

CONTRA PHILIPPI BEROALDI OPINIONEM, IN SUETONIO GERMANICUS NON GERMANICIANUS LEGENDUM EST.

CAPVT V.

IN Suetonio legitur syncera, antiqua & uera lectione, Germanicum exercitum, elegisse Vitellium in imperatorem, sæpeq; eum uictorem fecisse, apud Tacitum: quod non mediocriter facit ad propositum meum, & laudem Germanorũ, Proinde parcant mihi manes doctissimi uiri, & meritissimi de lingua Latina, Philippi Beroaldi, si ego aliter sentio in Suetonio legendũ quàm ipse, eiusq; commentaria produnt. Legit enim bis & legendum censet Germanicianus exercitus, quasi Italici & Rom. milites, qui in Germania militauerint, nõ Germani. Cui lectioni (ductus laude & amore patriæ) omnino refragor, illustribus auctoribus adiutus. Primùm enim nisi Germani fuissent milites, qui Vitellium acclamauerunt imperatorem, non Germanicianus sed Gallicianus exercitus legẽdum fuit: in Gallia enim militabant, ibiq; imperator creatus est) Mihi astipulatur Egesippus in quarto, dicens: nec solùm Galba interfecto, sed etiam Othone extincto, Vitellij ducibus congredientibus, quem Gallicanus exercitus creauerat imperatorem. Et Orosius in septimo: igitur Ottho cum Galba & Pisone Romæ interfectis, inter tumultus cædesq; inuasisset imperium, ac mox creatũ imperatorem in Gallia per Germanicas legiones Vitellium comperisset, bellum ciuile molitus, &c. Secundò, Vitellius habuit non Rom. nisi forsan paucos, sed Germanos, & xxx. millia Germanorum, ut testis est Tacitus in 17. Orosius item, ut iam dixi, Germanicas legiones habuisse dicit, testis etiam est Iosephus, in 6. de bello Iudaico: creatus (inquit) Ottho imperator, cum Vitellio imperãte pugnabat, quem Germanorum tunc manus elegerat, testis etiam est Tacitus, ter uel quater lib. 17. Quibus omnibus liquidò ostensum est, Suetonij antiquam lectionem esse ueram, Germanicusq; non Germanicianus esse legendum, nihilominus Beroaldum habendum (uti ego profectò facio) doctissimum existimo, hominem tamen, quem etiam contingit interdum falli & decipi.

GERMANI FORMIDABILES ERANT IN PRIMIS ROMANIS, & maximo terrori, atq; etiam regibus alijs potentißimis,

CAPVT VI.

GErmani Romanis imperatoribus formidabilissimi erãt. Primũ enim cum sub Iulio Cæsare in Gallia belligerante Galli narrarẽt magnitudinem animi, atq; uirtutẽ Germanorum, tantus terror Romanũ inualit exercitũ, ita totis castris trepidatũ est, ut uulgò totis castris testamẽta obsignarẽtur, testis Cęsar in primo. Caius Caligula adeò timuit Germanos, ut eorum aduentu uel rebellione tantũ audita Romæ, desperaret salutem, sibiq; trans mare fugam pararet, ut dixi ex Suetonio in Epitomate laudum Sueuorum. Cæsar etiam Iulius domita Gallia, non cupiuit in Germaniam proficisci, sed Illyricũ explorauit, an illic res magnas attentaret. Paucis enim diebus trans Rhenum agens timidus recessit, pontemq; ab se factum rescidit. Vespasianus item, ut inquit Tacitus, deliberauit de imperio an acceptaret, propter uim Germanorum & robur, genus notum militari utro. Et utidem dicit, multæ legiones in Italia ad famam Germanici exercitus, quia Germanorum uexilla præmissa erant, concesserunt in partes Vitellij: & Mauri ipsi, teste eodem, Vitellio conciliati sunt, ex magna per prouincias

Germanici exercitus fama. Cæteri imperatores à Vespasiano, aut cũ Germanis fœdera percusserunt, aut aduersa passi, ut postea dicam, usq; ad Constantinum: tunc enim non ultra magna spe, auctoritate & successu fœlici de imperio Occidentis (excepta Germania, quæ nunquã prouincia Rom. fuit) sed potius de salute propria & libertate Italiæ cognouerunt. Licet enim post Constantinum, Iulianus maximè & Gratianus, contra Alemannos res magnas gesserint: hic tamen postea in Gallia extinctus est, ille uerò Alemannos expertus, fœdus cum ijs percussit, amicitiamq; conciliauit. Theodosius etiam Magnus, fœliciter de inimicis triumphauit, attamen sub eius filijs, imperium Roman. ruinam atq; inclinationem non modicam patitur, nec post unquã caput alleuare potuit, hi fuerunt Honorius & Arcadius. At nec solis Romanis, sed alijs etiam potentissimis regibus Germani formidabiles erant, de quare ita loquitur Cãpanus, in oratione ad principes Germaniæ: cum enim magnus Alexander domuisset Triballos, Boetiam, Thraciam, Spartanos, Thessalos, Achaiam, Peloponesum, Ioniam, Lydiam, Liciam, Ciciliam, Cappadociam, Cariam, Paphlagoniam, maiorem & minorem Armeniam, Syriam, Aegyptios, Persas, Thauros, Hircanos, Medos, Sacas, Indos: deterritus tamen est aspectu, & fama Germanorum, ad Danubijq; ripam substitit, & qui omnem orientem fœliciter calcauerat eius uim una Germania repressit, impetum compescuit, audaciam retardauit. Et ut Orosius dicit, Gotthos qui sunt Germani, Alexander euitandos pronunciauit, Pyrrhus exhorruit, Cæsar declinauit, Darius & Cyrus potentissimi Asiæ reges, traiecto Danubio Germanos non ausi sunt attingere. Lisymachus rex maximus, cum ingenti coacto exercitu, Danubium traiecisset, à Romechete rege non modo uictus, sed etiam captus est. Tanta fuit Germanorum uictoria, tanta eorum clades, qui Germaniam armis petierunt, ut natum sit inter finitimos prouerbium: male qui uelit pugnare, cum Germanis pugnet. Hæc ille.

GERMANI NEC ROMANORVM *potentiam, nec aliorum timuerunt.* CAPVT VII.

ET si Romani fuerint terrori penè omnibus gentibus, adeò, ut nulla tam fera gens fuerit, quæ non illos supplici genu adorauerit, nec ulla tam minosæ alpes, quas non penetrauerint, nec tam horridi mõtes, quorum iuga uictor Ro. non calcauerit, nec ulla flumina, uel maria eorum potentiæ obstiterint, adeò ut rex Agrippa, teste Iosepho lib. ij. de bello Iudaico, uniuersos qui sub Sole incolunt, Romanorum arma uenerantes fuisse affirmet: Germanos tamen inuenio, tametsi interdum uictos, eos inquam timuisse. Ita enim primo apud Cæsarem loquuntur lib. 4. Vsipetes & Tencteri, Germanos nunquam recusare si lacessantur armis contendere, quòd hæc sit eorum consuetudo à maioribus tradita, quicunq; bellum inferant resistere. Quod Romanos florentissimis eorum rebus, nõ timuerint: argumẽto est, quòd Hircius in additione belli Gallici dicit: Prius præclarissimas Cæsaris in Gallia res gestas Germanos nemini auxilia aduersus Ro. denegasse. Argumento item Tacitus, qui scribit, Caij Cæsaris minas aduersus Germanos in ludibrium uersas. Qui insuper fieri posset: ut Romanos timuisset qui ultro omnibus contra Rom. auxilium præbebant Mithridati, & quòd periculosius, ipsis gladiatorib. in gremio Italiæ: qui inquã Germani nunquã quieti, crebris excursionibus Italiam, Galliam, cæterasq; Ro. prouincias infestabant, etiã tempore Tarquinij Prisci & ante. Sed quas in Galliam Romanorũ prouinciam rebus Rom. florentibus, fecerint excursiones: longum esset narrare, quę & supra narraui. Optimè Claudianus, ad Stiliconem Vandalum de Germanis:

Ingentia quondam. Nomina crinigero flauentes uertice reges.

Qui nec principibus, donis precibusúe uocati, Paruerint, iußi properant segniq; uerentur, Offen-
disse mora. Idem Claudianus: *Vlla'ne posteritas credat Germania quondam, Illa ferox, populis*
quæ uix instantibus olim Principibus, tota poterit cum mole teneri: Iam sese placidam præbet Stilico-
nis habenis. Hæc omnia ideò hic dixisse uolo, ut intelligatur, Germanos cũ Rom. non pro libertate sed pro dignitate & imperio decertasse. Nam quòd Drusus, & is solus, aliquandiu partiunculã Germaniæ in prouinciam redigere est annixus, propterea iuxta Bingiũ, ut canunt nostræ historiæ, tandẽ belligerãs occubuit & subactam partẽ, breui Quintilius Varus exercitu ad internetionem cæso, amisit.

ROMANI SAEPIVS A GERMANIS *pacem & amicitiam pecunia mercati sunt, & Germani contrà illos sæpius gloriosissimè triumpharunt.*

CAPVT VIII.

ABsit à Germanis, quòd Romanos rerum potitos timuerint, dum econtrario Romani pacem ab eis, & amicitiam multa pecunia emerint. Claudianus de Germanis: *Illi terribiles, quibus otia uendere semper, Mos erat, & fœda requiem mercede pa ifci* Et alibi dicit: *Qui nec principibus, donis, precibusq; uocati, Paruerant, &c.* Nunc sub Stilicone scilicet ut mens est Claudiani, sponte sua ueniunt. Verùm est Claudiane, sed Stilico non ui, sed maximis pollicitationibus suam nationem, quia & ipse Vandalus & Germanus fuit, Germanos in suas partes traxit. Quod si dixerit Romanus, Claudianum in adulationem Stiliconis hæc falsò dixisse, benè est, si mentiuntur poetæ, & scriptores Romani cum in rebus historicis, & gestis de eorum inimicis egregia dicunt, O quot mendacia instruunt, dum pro Romanis loquuntur? quantum assentantur? quoties supplantant ueritatem? adeò ut omnem eorum historiam pro nugis & fabula habendam, & legendam existimem. At caplamus historiographos, nõ poetas, & inueniemus Iulium Cæsarem fœliciss imum Romanorum in bellis, Germanis quos armis uincere non potuerat, in amicitiam susceptis, Pompeium atq; Orientẽ uicisse. Germani item sub Augusto usq; ad Varianam cladem, sub Tiberio, Caligula, Claudio, Nerone, Galba, Vitellio, maximis beneficijs affecti, ad custodiam Cæsarei corporis uigilabant. Otho etiam imperator, multis modis studiosissimeq; (teste Tacito) Germanicum exercitum lenire studebat, sicuti & Vespasiani duces. Atq; præter cæteros, quorum res gestæ non usquequaq; mihi patent, Commodus imperator, Aelius Pertinax, Seuerus, Aurelius Antoninus, Marcus Verus, Alexander: omnes hi gratiam & amicitiam Germanorum quæsiuerunt, de quibus dicit Turot ad ciuilem apud Cornelium: illos omnia ex libidine agere non regi, non iuberi, solisq; pecunia, & donis corrumpi. Adeò ut Herodianus dicat de Alexandro, multa illum à Germanis passum, nec contra illos unquam superiorem euasisse, qui Rhenum Danubiumq; transgressi, Romanos in fines hostiliter intrauerint, tandem pecunias in magna copia, illis dedisse, fœderaq; & pacem ab eis mercatum esse. Sunt enim (ut dicit) Germani auidi pecuniæ, atque nunquam non auro pacem Romanis cauponantur. Idem de Commodo dicit (qui tamen in hoc solo Commodus fuisse prædicatur à Romanis, quòd fœliciter contra Germanos pugnauerit, ego credo non bello, sed pecunia eum Germanos non uicisse, sed corrupisse) magnis præmijs Germanos illum sibi in amicitiam adiunxisse, quod quidem ut ipse refert haud difficile factu fuit. Quippe barbari, Germani scilicet, suapte natura pecuniæ auidi, periculorum despicientes, aut incursibus populationibusq; uictum parant, aut proposita mercede, uenalem pacem habent. Quod intelligens Commodus, ut pecunia quàm maximè

securita-

ſecuritatem redimeret,nihil uidelicet petentibus denegabat:Ex quibus ego intelligo,Alexandrum ſæpe uictum,Commodum pecunia ſe confeſſum Germanæ fortitudini imparem. Nec mirum, non enim contra illos tantùm,ſed contra alios Cæſares multò potentiores,uictoria potiti ſunt.Nam & Iulius fortunatiſſimus bellator,non trans Rhenum,ubi nihil egregium geſſit, ſed in ipſa Gallia contra Germanos non ſemel infauſtè pugnauit. De quo Eutropius ita ſcribit: Inter tot ſucceſſus,ter male pugnauit apud Arbennos, ſemel præſens, & à Germanis bis abſens,nam legati eius Titurius & Aurumculeius per inſidias cæſi ſunt.Quas clades Auguſtus acceperit,narraui copioſiſsime in eo libello,qui inſcribitur Epitome laudum Sueuorum. Tiberius Auguſti ſucceſſor, armis Vindelicos aggreſſus, ut ſcribit Campanus, Germanis inſurgentibus breui è Germania diſcedere coactus eſt,neq; quicquam egregium in Germania fecit. Et Tacitus dicit,ingentes aduerſus Germaniam Tiberij conatus fruſtra fuiſſe.Caligula Germanos fugit,fugamq; tranſmarinam cogitauit,ut alibi dixi ex Suetonio, & quos ſecum habuit pecuniarũ muneribus placauerat,ut dicit Ioſephus. Claudius beneficio Germanorum in imperatorem prouectus, ut Ioſephus ſupra teſtatus eſt Nero ſi pluſquã tyrãnus, homo truculentiſsimus, Germanos beneficijs proſecutus,eosq; cuſtodes corporis elegit.Galba conſpiratione Germanorum contemptus,cæſus eſt.Otho à Germanis per duces uictus,mortem ſibi ipſi conſciuit.Vitellius beneficio eorũ Cæſar creatus eſt. Veſpaſianus non in Germania, ſed Gallia per ducem ſuum Cerealem, Germanis & maximè Batauis & ciuili cõgreſſus, ſæpiſsimè uictus eſt, uariaq; fortuna pugnatum tradit Tacitus, tempore cuius exercitus Rom.in Gallia à Germanis cæſus,hibernaq; legionum capta,ut dicit Tacitus libro uiceſimo.Nec uerum eſt quod Campanus dicit,illũ cum Germanis à Claudio miſſum, bis & tricies conflixiſſe, cum Britannis enim non cum Germanis pugnauit. Nam ut Suetonius dicit, Claudius unam omnino ſuſcepit expeditionem,eamq; modicam,in Britannia ſcilicet. Idem Suetonius ita dicit de Veſpaſiano: Claudio principe Narciſsi gratia legatus legionis in Germaniam miſſus eſt,inde in Britanniam translatus,tricies cum hoſte conflixit:Hoc ſignificantiùs Eutropius prodit: tricies & bis cum hoſte in Britannia conflixiſſe Veſpaſianum. Egeſippus etiam in iij:Veſpaſianus (inquit) Britanniam Romano imperio armis acquiſiuerat,nullam mentionem faciens de Germanis,ſed quo milite quæſo uictor Britanniam ſubegit? Germano præcipue. Legatur Tacitus in uita Agricolę,ubi non obſcurè inuenitur,me uerum dixiſſe, Domitianus item apud Germanos exercitum ſuum incautè perdidit,de quo dicit Tacitus: & ea inſecuta ſunt Reipubl. tempora, quæ ſileri Agricolam non ſinerent,tot exercitus in Myſia Daciaq;, & Germania, Pannoniaq;, temeritate, aut per ignauiam ducum amiſsi,tot militares uiri cum tot cohortibus expugnati & capti,nec iam de limite imperij & ripa,ſed de hybernis legionum & poſſeſſione dubitatum. Addo Dimitianum in Capitolio obſeſſum, à Germanis cum Vitellio militantibus,fuga ſalutem quæſiſſe:cæteros Rom. qui cum Dimitiano erant & præſertim magnam partem nobilitatis,ut dicit Ioſephus, unà cum Capitolio à Germanis exuſtos & deletos. Sũt & alij imperatores Rom.cõtra quos Germani res fœliciſsimas geſſerunt: ſufficiat tamen florentiores annumeraſſe, alibi enim dixi,alios imperatores cum Germanis uaria fortuna decertaſſe Includo poſtremo omnes illos imperatores Ro.qui Germanos etiã cũ uictoria,ut loquuntur ſui hiſtorici(Iulium uolo Cæſarem,Iulianum,Cõmodum,Maximinũ & alios) experti ſunt,eorũq; fortitudinẽ uiderunt,eos tandẽ in amicitiã recepiſſe, fœduſq; cũ eis percuſsiſſe:quod nunq; feciſſent,niſi ſe inferiores animis Germanorũ iudicaſſent.Nõnulli etiã imperatores rebus deſperatis,animisq; & uirib. Germanorũ inferiores,ad diuinũq; auxiliũ cõuolãtes,ſe à Germ.redemerũt Antoni-

nus

nus enim Verus diuinitùs, ut ſcribunt Germanos ſuperat, pluuia de cœlo miſſa, cũ fulmina Germanos perſequerẽtur. Extãt literæ M. Aurelij grauiſsimi imperatoris, quibus illã Germanicã ſitim Chriſtianorum fortè præcationib. impetrato, imbri diſcuſſam cõteſtatur. Gratianus item apud Argentuariam, Chriſti fretus potentia, ut dicit Oroſius, uicit Alemannos. Conſtantius uicit, & uictus eſt.

ROMANI IMPERATORES, REBVS FLORENTIBVS, ſpretis alijs nominibus Germanicos ſe à Germania deuicta, falsò nominauerunt, falſeq; triumpharunt.

CAPVT IX.

NEmo inueniet apud ſcriptores, Germaniam in prouinciam Rom. redactã. Druſus portiunculam eius in prouinciam redegit, ſed nõ manſit, adeò ut breui pòſt Romani, duce Quintilio Varo, ſuorum ſanguine, & maxima cede, ſunt ab illa repulſi, uel potius ibi extincti. Lego aũt plurimos imperatores ſe Germanicos inſcripſiſſe, quos profectò poſſum nõ obſcurè cõiecturare, Germaniã nunquã uidiſſe, ſed uel falſo titulo gloriatos, uel in Gallia alijsq; prouincijs, parua aliqua ſtrage milites aliquos Germaniæ uel uiciſſe, uel in amicitiam recepiſſe, uel domita modica Germaniæ portione, mox totam Germaniam domitaſſe gloriatos. Rarò enim inuenies poſt acceptam cladem Varianam, in Germania Romanos militaſſe, adeò ut benè ſcribat Panegyricus de Maximiano, hic quod iam falsò de antiquis imperatoribus putabatur, Romana transrhenum ſigna primus barbaris gentibus intulit. Inde ſuperius probaui, Rhenum ſemper fuiſſe limitem imperij, uſq; ad inclinationem Rom. rerum. Nulli tamen dubium eſt, ſemper Germanos excurſiones feciſſe in Galliam, Romanosq; illam ſuam eſſe prouinciam contendentes, cum eis uaria fortuna decertaſſe, aliquos tantum uolo, Probum, Claudium, Iulianum, paucosq; alios. Multi enim imperatores, uel negligentes, ut Tiberius, uel terrore Germanorum, uel in uiſceribus Italiæ, ſalutem imperij tueri coacti, Galliam neglexerunt, uſq; ad tempora Hieronymi: tũc enim non ulterius de imperio, ſed de propria ſalute, amiſſa etiam Italia atq; Roma, cogitauerunt. Quam rem ita deflet diuus Hieronymus, in Epiſtola ad Gerõtiam: Quis hoc credit (inquit) quæ digno ſermone comprehenderent, Romam in gremio ſuo non pro gloria, ſed pro ſalute pugnare: immo ne pugnare quidẽ, ſed auro & cuncta ſupellectile uitam redimere? quo non uitio principum, qui uel religioſiſsimi ſunt, ſed ſcelere ſemibarbari accidit proditoris, qui noſtris contra nos opibus armauit inimicos. Idem recens factum eſt, & quod ipſa audiſti, cum ad ſtridulæ buccinæ ſonum, Gotthorum clamorem, lugubri oppreſſa metu, domina orbis Roma contremuit. Vbi tunc nobilitatis ordo? ubi certi, & diſtincti illius nobilitatis gradus? permixta omnia & timore perfuſa, omni domui planctus, & æqualis fuit per cunctos pauor. Idem ad eandem. Et per annos triginta fracto Danubio, in medijs Romani imperij regionibus pugnatur. Et quoniam res geſtæ Cæſarum poſt Domitianum, propter ſcriptorum penutiam, non ſunt tam claræ, & notæ ſicut anteceſſorum: poſſum iurè exiſtimare, illos ſe Germanicos appellaſſe à deuicta tota Germania, cum aliquam, uel minimam in Germanis (cum multæ & innumeræ fuerint teſtibus Romanis ſcriptoribus) nationem, uel in Gallijs: rarò in propriis ſedibus clade affecerunt, præſertim cum Tiberius, Claudius, Caligula, Domitianus, rebus multò florentioribus, Germanici dici uoluerint falsò, cæteris titulis quos ſenatus detulerat, repudiatis, falſoq; de Germanis triumpharint, ut hoc titulo dignarentur, qui erat maximus apud Roman. Germanos deuiciſſe, qui tamen ſemper inuicti fuerunt. Vnde Martialis de Domitiano:

Creta dedit magnum, maius dedit Africa nomen. Scipio quod uictor, quodq; Metellus habet, Nobilius tribuit domito Germania Rheno. Hunc igitur maximum Germanici titulum, Tiberius falsò susceptit, nam ut supra dixi, non solùm frustra Germaniam petijt, sed & Galliã ab illis inuasam asserere neglexit. Caligula non modò falso titulo usus, sed & falsò de Germanis triumphauit, quos fugit & timuit, ut supra dixi. Vnde Suetonius: conuersus hinc (inquit) ad curam triumphi, præter captiuos ac transfugas barbaros, Galliarum quoq; proceriſsimum quemq;, ac nonnullos ex principibus legit, ac sepositi ad pompam, coegitq; non tantum rutilare, & submittere comam, sed & sermonem Germanicum addiscere, & nomina barbarica ferre. Quem Persius falsò triumphantem deridet, ultima satyra:

O bone, num ignoras, missa est à Cæsare laurus, Insignem ob cladem Germanæ pubis, & aris Frigidus excutit cinis. Domitianus item de Germanis falsò triumphauit, secq; Germanicum atq; mensem Septembrem immeritò nominauit, de quo Silius, *At tu transfer dens Germanice facta tuorum, Lum puer auricomo performidate Batauo.* Et Frontinus in primo strategematum: Imperator Cæsar Domitianus Augustus, Germanicus eo bello, quo uictis hostibus cognomen Germanici meruit. Quod falsò triumpharit, testatur Cornelius Tacitus, in uita Agricolæ: Inerat conscientia derisui nuper fuisse, falsum è Germania triumphum, emptis per commertia, quorum habitus & crines in captiuorum speciem formarentur, Inde quòd de Dacis Germaniæ populis dicitur à Domitiano uictis, falsè ex prædictis dictum, deprehenditur. Idem cum suis in Capitolio uictus à Germanis, atq; Capitolium exustum est, nihilominus laudatur propter Capitolij res gestas, & quidem supra æthera, Martialis in quinto: *Ad capitolini cœlestia carmina belli Grande cothurnati pone Maronis opus.* Non igitur triumphis Rom. credendum est, ad minus enim semper aliquid mentiuntur, quod Strabo in iij. ostendit his uerbis, Polybius ccc urbes Celtiberorum, à Tiberio Graccho subuersas esse memoriæ prodidit, quod ritu comico Tiberij Gracchi gratia dictum est, ab eo qui turres, urbes appellat, ut in triumphalibus pompis fieri mos est, quod ab re nequaquam dictum esse crediderim. Nam imperatores, & rerum gestarum scriptores, ut ornatiora efficiant negocia, ad hoc mentiendi genus efferunt. Hinc optime dicit Cornelius Tacitus, Romanus nõ Germanus: Germanos magis triumphatos quàm uictos esse, hoc est, de illis triumphos, & quidem falsos esse actos, nunquã uerè uictos, quod ad singularem Germanorum laudem, Cæsarum uerò infamiam nõ parum facit. Claudius etiã dici Germanicus uoluit, qui nihil egregium in Germania egit, sed bene à Germanis in imperatorẽ suffectus, sicut & Vitellius, qui & ipse Germanicus dici uoluit, & filiũ ita nominauit. Nec Nerua laudẽ est à Germania cõsecutus, nam ante Traianũ, ut Plin. in Panegyrico ostendit, eis Rhenũ & Danubium aduersa passi sunt Romani, & Cæsar ipse, licet magnifica scribat de rebus à se gestis, in Britannia tamen parum fecit, de quibus Cicero in Epistola ad Quintum fratrẽ: de Britannicis (inquit) rebus cognoui ex tuis literis, nihil esse quod metuamus, nec quòd gaudeamus. Et Cornelius in uita Agricolæ dicit: primus omniũ Rom. diuus Iulius, cũ exercitu Britanniã ingressus, quanq; prospera pugna terruerit incolas, ac littore potitus sit, potest uideri ostẽdisse posteris nõ tradidisse. Et Panegyricus ad Maximianum dicit. Cæsarem hoc uno gloriari in expeditione Britãnica debuisse, quòd nauigasset Oceanum. Inde dicit Põpeius apud Lucanũ in 2. Cæsarem fugisse Britannos dum inquit: *Territa quæsitis ostendit terga Britannis.* Quibus ex rebus credo, res Cæsaris cõtra Germanos tenuiores, quã ipse prædicauerit, præsertim cum & Asinio Pollioni & Ciceroni de ueritate suspectus fuerit Cæsar coætaneis. Multò minus igitur credo titulis, & triumphis recentiorum Cæsarum, qui post Traianum & maximè post Constantinum sibi Germanici nomen arrogauerunt, cum rebus florentibus, Romani pari damno cum Germanis belligera-

belligerarint, de quibus rebus opto 20. libros bellorum Plinij, quæ Germani cũ Rom. gesserunt. Accedat tamen Cornelius testis, qui Romanus tamen paucis uerbis Germanorum fortitudinem inuictamq; animi magnitudinem, non obscure prodidit: sexcentesimum & xl. annum urbs nostra agebat (inquit) cum primùm Cymbrorũ audita sunt arma, Cecilio Metello ac Papirio Carbone COSS. Ex quo si ad alterum imperatoris Traiani computemus, cc. fermè & x. anni colliguntur, tamdiu Germania uincitur, medio tam longi æui spacio multa inuicem damna, non Samnis, non Pœni, non Hispaniæ Galliæue, ne Parthi quidem sæpius admouere: quippe regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. Quid enim aliud nobis quàm eçdem Crassi, amisso & ipso, & ipse Pacoro infra Ventidium deiectus Oriens obiecerit? At Germani Carbone, & Cassio & Scauro, Aurelio Seruilio Cepione. M. quoq; Manlio fusis uel captis, quinq; simul cõsularis exercitus popul. Roman. Varum, tresq; cum eo legiones, etiam Cæsari abstulerunt. Nec impune C. Marius in Italia, diuus Iulius in Galliam, Drusus ac Nero & Germanicus in suis eos sedibus perculerunt, inde ocium donec occasione discordiæ nostræ, & ciuilium armorum, expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias affectauere, ac rursus pulsi inde, proximis temporibus triumphati magis quàm uicti sunt, Inde optimè alludit Claudianus.

Cedant Druse tui, cedant Traiane labores. Vestra manus dubio quicquid discrimine gessit, Transcurrens egit Stilico. Et Baptista Mantuanus ad Robertum Seuerinatem: *Sed neq; imbelles Indi, mollesue Sabei, Pigmeiúe breues rapiunt, uerũ accola Rheni, Gene durata gelu, genus insuperabile ferro. Quod toties Romam, tum cum ditione premebat Europe Libyæq; urbes Asiamq; minorem, Terruit, hi superant Parthos Thracumq; furores. Quos Martem genuisse ferunt, hi spicula torquent, Penthesylee ea non inferiora securi.*

PROPTER SCRIPTORVM PENVRIAM

Germanorum res præclarissimè gestæ, ueneruntin obliuionem, Romanorum autem creuerunt, propter adulationes, & mendacia scriptorum.

CAPVT X.

CVm igitur nullum scriptorem uernaculum habeamus nos Germani, qui res nostras immortalitati commendaret, quas tantum colligere cogimur ex illis historicis, qui nunquam nos ex proposito laudant, dum semper partem aduersam fouerint: cui dubium res nostras fœliciter & fortiter gestas, fuisse illustrissimas, & amplissimas, si tempore rerum gestarum nostri illas in commentarios saltem redegissent: præsertim cum obiter hinc inde ex scriptoribus alienigenis nõ pauca inueniamus, unde Germani sint laudatissimi. Proinde si Athenienſium, ut dicit Salustius, res gestæ satis amplæ magnificæq; fuerunt, uerũ aliquantò minores quã fama feruntur, sed quia quòd prouenerint ibi scriptorũ magna ingenia, per terrarum orbẽ Athenienſium facta pro maximis celebrantur; quòd eorum qui ea fecêre, uirtus tanta habeatur, quantum ea urbis potuere extollere præclara ingenia: optimè intelligitur, res Græcorum & Roman. haberi ampliores scriptorum copia, quam sint, nostras uerò multò minores, dum nemo illas, non dico extollere, & magnificare, sed ne pro meritis quidem narrare studuerit. Qua in re consolatur me, qui idem conqueritur contra Appionem Grammaticum Alexandrinum, Iosephus. Græcos uerò & Roman. (inquit) qui militiam secuti non sunt, figmentis, & adulationibus captos, res gestas nescire, atque historias ausos eas inscribere, qui præter hoc quod nihil sanum referunt, etiam de proposito decidisse. Nam dum Roman. uolunt magnos ostendere, ludæorum (& ego addo pariter aliorum) res extenuant, &

in

in humilitatem deiiciunt. Qui uerò præstò fuerint, aut Romanorum obsequio, aut odio, ludæorum atq; externorum, contra fidem rerum falsa confirmasse: seripsis aũt eorum partim accusationem, partim laudationem contineri, nusquam uerò exactam fidem reperiri historiæ. Alios item non quòd rebus interfuerint, sed uana & incongrua narrantium sermonibus auribus colligentes, oratorum more perscripsisse. Ex quibus omnibus, relinquo iudicio eruditorũ, quanta iniuria rebus nostris fuerit facta, per eos qui adulationibus studentes, mendaciter facta nostra extenuauerunt. Et ut dicã quod sentio, tanta impudentia fabulosis q; figmentis effunduntur passim omnes ferè historici, tam ueteres quã recentiores, ut nullo certo auctore (ut utar uerbis Catonis) aut ratione, sed per solam insaniã fabulentur, adeò, ut nuper quidam doctus uir mihi dixerit, omnes historias tam Græcorum quã Romanorum, sibi uideri, nec aliter habendas, nisi fabulas. De Græcis eorumq; fabulosis historijs adeò conuenit inter Latinos, ut & poeta Iuuenalis dixerit fabulas, quicquid Græcia mendax audet in historia. De Latinorũ quis dubitet fabulis? cum Titus Liuius, & Cæsar, præcipui inter historicos, grauissimis uiris uideantur multa parum integra ueritate in suis libris perscripsisse. Philostratum Eusebius fabulosissimum, Cornelium Tacitũ Tertullianus mendacissimum uocat. Ille ipse Cornelius, & Orosius, & Strabo, & Iosephus multorum Latinorum mendacia redarguunt. Vopiscus dicit, neminem historicum non aliquid mentitum esse. De recentioribus ego plus quàm uno in loco locutus sum, Itali omnes ferè recentiores, & præsertim Veneti, de Germanorum populis, & gestis scribentes fabulantur. Et ipse Sabellicus, homo doctus, & quem ego alioqui admiror & colo, in rebus Germanicis, siue fauore, siue (quod magis credo) aliorum temeratiæ iactantiæ futilibus q; prædicationibus indulgens, sæpe multum errat à re gesta, & præsertim in bello ducis Sigismundi Austriaci contra Venetos, in quo Veneti omnibus in locis, atq; congressionibus cæsi, atq; profligati prædicantur, ab illo rerum prosperè gestarum, de quibus rebus alibi plura scribam.

BONIS ANIMI, ET CORPORIS GERmani cunctis Nationibus excellunt, & primum fide.

CAPVT XI.

Si igitur scriptores rerum, ex adulatione aut odio maximè scripserunt, ut ostẽdi ex Iosepho: qua laude celebrandi ueniunt Germani, si ex illis ipsis eorũq; testimonio, non uernaculorum, bonis animi, & corporis cunctis gentibus præstitisse prædicabuntur, quis non laudandos existimet? quis non cunctis mundi nationibus anteponet? Lo quamur igitur externi, & primùm quæ Germanorum fides fuerit, explicent, si prius dixero, illis magnam fidem haberi, qui custodes soli, & præ cæteris Cæsarei corporis habentur. Hos enim habuit Augustus ad cladem usque Varianam, hos cæteri, Suetonius de Galba. Item Germanorum (inquit) cohortem à Cæsaribus olim ad custodiam corporis institutam, multisque experimentis fidelissimam, dissoluit, ac sine ullo commodo remisit in patriam. Idem de Claudio Germanorum legatis in Orchestra sedere permisit, simplicitate eorum, & fiducia motus. Dicebant enim legati, ut est apud Cornelium Tacitum, nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse, quod comiter à uisentibus exceptum. Hic autem dicit, non de Claudio sed Nerone: quod rem nihil lædit, Cai Caligulæ (ut dicit Suetonius & Iosephus libro 19. antiquitatum) corporis custodes Germani, nonnullos ex percussoribus illius, quosdam etiam

senatores

senatores innoxios interemerunt, Agrippina mater Neronis, custodes corporis Germanos habuit, ut dicit Cornelius & Aurelius Antonius (ut dicit Herodianus) & ut idem dicit, Maximinus potissimum fidei Germanorum confidebat, quos solos, propter summam fidelitatem, percussores illius uindices timebant. Cum etiam omnes milites & nationes recederent à Vitellio, soli Germani ad finem usq; uitæ fideles manserunt. Ita etiam cum Galba egerunt, quem cum per tumultum iugulandum audirent, soli ex omnibus militibus, ut dicit Suetonius, in auxilium aduolauerunt, sed serius, itinere deuio per ignorantiam locorum retardati. Vltimi recesserant etiam à Nerone, ut dicit Tacitus. Caracalla etiam imperator, à quodam Martiale occisus, per Germanos suos equites uindicatus est, percussorem enim fugã molientem multis uulneribus confecerunt. Illis usi sunt & alij. Vnde non obscurum est, fide Germanos ante omnes mortales fuisse, sicut & hodie sunt Romę apud Cardinales, quibus plus confidunt quàm uernaculis.

GERMANI ANIMI MAGNITVDI-

ne, & fortitudine cunctis gentibus excellunt, auctoritate illustrium scriptorum.

CAPVT XII.

SEneca libro primo de ira: Germanis quid est animosius? quid in cursu acrius quid armorum cupidius? quibus innascuntur innutriuntur'que, quorum una illis cura est, in alia negligentibus, quid induracius ad omnem patientiam? ut quibus magna ex parte non tegumenta corporum prouisa sunt, non suffragia aduersus perpetui cœli rigorem. Idem de breuitate uitæ dicit, Germanos ferocissimas gentes, & libro sexto naturalium, auidam gentem belli, Cornelius libro uicesimo. Germani læto bello gens. Cicero in oratione de prouincijs consularibus contra Pisonem, dicit: acerrimas Germanorum nationes. Vopiscus, Germanos omnium gentium ferocissimos uocat. Titus Liuius bellicosos Teutones, Lucanus dicit:

Albis & indomitum Rheni caput.

Hieronymus ad Suniam & Fratellam, bellicosa Germanorum pectora uocat: Orosius Germanos fortissimas nationes, libro sexto. & Galli apud Cæsarem libro primo, ita loquuntur de Germanis: qui ingenti magnitudine corporum Germanos incredibili uirtute, atque exercitatione in armis esse prædicabant, sæpe numero sese cum his congressos, ne uultum quidem atque aciem oculorum ferre potuisse. & in eodem lib. Arioustus rex dicit, Cæsarẽ intellecturum, quid inuicti Germani, exercitatissimi in armis, uirtute possent. Agrippa ad Iudæos, ut scribit Iosephus: quis uestrũm (inquit) non audiuit multitudinem Germanorum, uirtutem quoque & magnitudines corporũm, ut arbitror, sæpe uidistis, sed illi quidem ita ingentem spacijs regionem incolentes, spiritus autem maiores corporibus gerentes, & animam quidem contemptricem mortis, indignationes autem uehementiores feris, &c. Iosephus libro decimonono antiquit. dicit, Germanos impetu primo quibuscunq; congressus hostibus prœualentes. Iosephus lib. secundo de bello Iudaico, uos ne ditiores Gallis? fortiores Germanis. Cornelius libro decimonono duces Vespasiani Germanicarum legionum uim extollebant, & famam, in eodem simul uirtus Germanici exercitus extollebatur.

GERMANI APVD ROM. SEMPER *in prima acie constituebantur.* CAPVT XIII.

SIngulare argumentum est fortitudinis Germanorum quod Rom. semper illos in prima acie contra hostes locauerunt, utputa inuictos & qui præ cæteris fortissimè inimicorum impetum sustentarent atq; infringerent, ita fecit Cæsar in Hispania contra Afranium primo trans flumen Sicorim Germanos cõtra hostes mittit. Testis est liber eius primus de bello ciuili, & Hirtius in additione Gallici belli Cęsar Germanos equites summę uelocitatis homines ad castra hostium pręmittit. Maximinus etiã imperator (ut ait Herodianus lib. 8.) Germanos auxiliares asciuerat, quosq; etiã pręcipue hostibus opponere cõsueuerat, ut primos scilicet impetus exciperet feroces audacesq; initio pugnę uiri Ecce cũ quibus prius dura pręlia & ancipitia gesserat, nunc expertus in amicitiã recipit, atq; in primam aciem constituit, quoniam andẽtissimos esse nouit. Et Cornelius lib. 19. Sido atq; Italicus Sueui reges cum delectis populariũ primori in acie uersantur, dum contra Vitellianos Vespasiani duces pugnabant.

GERMANI ROBORE, PROCERITATE *atq; pulchritudine corporum cunctis gentibus antecellunt.* CAPVT XIIII.

COlumella lib. 3. agricul. loquens de natura. Germaniam inquit decorauit altissimorum hominum exercitibus, sed & alias gentes non in totũ defraudauit, præcipue staturę uiris. & nuper ipsi uidere potuimus Iudeæ gentis proceriorem celsissimo Germano. M. Manilius lib. 4. astronomicon. Flaua per ingẽtes surgit Germania partus. Egesippus libro de Germanis, qui magnitudine corporum & contemptu mortis cæteris ualidiores. Cornelius in 10. Germanos fluminibus suetos, leuitas armorum & procerítas corporum attollit. Et Cæsar in primo, ingenti magnitudine corporum dicit esse Germanos, & Titus ad Iudæos, teste Iosepho libro septimo de bello. sed uiribus corporum freti, at qui scitis nobis seruire Germanos, Iosephus lib. decimonono antiquit. dicit, Germanos robusti corporis gentem. Hieronymus in uita Hilarionis de quodã Franco Germano, namq; candidatus Constantij imperatoris rutilus coma, & candore indicans prouinciam. Idem ad Suniam & Fretellam: Germanos Getarum rutilus & flauus exercitus, Ecclesiarum circumfert tentoria. Herodianus dicit, nuda Germanorum in bello capita & prægrandia corpora. Egesippus dicit, Germanos magnitudine corporum & contemptu mortis eæteris ualidiores. Iulius Firmicus, Germani candidi, Pomponius Mela de Germania: Qui habitat immanes sunt animis atq; corporibus. Solinus de eadem terra: frequens populis numerosis & immanibus. Hircius in additione Gallici belli: Germanos equites, summę uelocitatis homines, ad castra hostium præmittit Cęsar. Immanissimas Germanorum gentes dicit Cicero contra Pisonem.

GERMANI FVERVNT LIberi *sicut hodie sunt.* CAPVT XV.

DE libertate Germanorũ nõ est opus multa dicere, ꝓpterea qđ ex superiõrib. cõstat, Rhenũ sẽper fuisse limitẽ Ro. imperij, si optimè cũ Ro. agebat, Germaniq;

Germanicq; quieti intra suos fines remanserint, quod raró sub pauciſſimis q; imperatoribus contigerat, & quod tam formidabiles Romanis fuerant, illos q; imperatores Rom. tam delicatè fouerant, nihilominus & scriptores libertatem maiorũ produnt, & prę sertim Tacitus, qui ait: Regno Arsacis acrior est Germanorum libertas. Et Tencteri Germani apud eundem ad Vbios in hunc modum loquuntur: Redijsse uos in corpus nomenq; Germaniæ, cõmunibus deis, sed prę cipuè deorum Marti grates agimus, uobisq; gratulamur, quod tandem liberi inter liberos eritis. Idem testatur, Batauos quamuis nobis Transrhenanos tributorũ expertes. Quibus rebus possumus nõ obscurè intelligere, Germanos Transrhenanos à Rom. in amicitiam non seruitutem receptos, & Egesippus dicit, fluenta Rheni usq; ad mare liberas gentes inhabitasse.

GERMANI NOBILISSIMI.

CAPVT XVI.

DE nobilitate non plura dicam, propterea quod Campanus eam rem pulcherrimè sit executus, dicam tamen omnes fere totius Europæ nõ modo nobiliores, uerum etiam regum familias è Germania ortũ auspicari. Nec possum satis ridere, quorundam Germanorum, nescio uanam arrogantiam an imperitiã dicam, qui dum se nobiles ostendere uolunt (confisi cuidam non dico historiæ sed fabulæ, quæ Sueuorum nobilium originẽ mentitur à Curio imperatore, qui nullus unquam fuit) ad Romanos suam originem referũt. Nam nulla familia est in tota Germania, quę (ut multos dicam) octingentos annos suam familiam duraſſe probare possit (scriptorum atq; monumentorum inopia) Intra quos annos & ultra etiam, non solùm nulla nobilitas Romæ fuit, uerum etiam colluuies ex diuersis nationibus, sine dignitate, auctoritate & nobilitate, & plus serui quam liberi dicendi, imò seruo seruorum subiecti. Atq; hi qui ex Roma ad nos ducti sunt, captiui fuerunt, nulloq; honore dignati, eò quod propter aliquod facinus prauum, fuerint relegati. Quare Italorum illustrissimæ etiam hodie & patrum nostrorum memoria, familię, nobilitatem Germanorum scientes, omnes ferè nobilitatem suam trahere uolunt ex Germanis: aut si ad antiquissimos Romanos ascenderis, inuenies auctores. Rom. latrones & prędones: si ulterius ad Aeneam & Troianos, inuenies eos qui incolumes à Troiano incendio superfuerunt, fuisse proditores. Si uis igitur Germane tuos maiores esse nobilissimos, nõ eos ad Romanos referas, apud quos non tam natalium claritudo, quam uirtus hominum humilimorum, locum habuit. Sed ad ueteres Germanos, apud quos solos syncera est nobilitas, & fuit etiam antiquissimis temporibus, à quibus si te propagatum esse declaraueris, nobilissimũ iudicabo. Ante enim natiuitatẽ Christi, tantus fuit respectus syncerę natiuitatis, ueteris q; propaginis, natalium q; clarorum, qualis hodie: quod alijs gentibus non contigit, quę mores nobilitate forsan melius & fœlicius inspicere consueuerunt.

GERMANIA CVLTA ET FERTILIS.

CAPVT XVII.

COrnelius Tacitus, Seneca, alij q; nonnulli scriptores, Germaniam barbarã terram, sterilem infœcundam que omnino scribunt, tristem, & incultam, quam si hodie uiderent, nihil illa cultius dicerent. Cuius si primùm homines uidere nt, cultos q; mores, religionem q; coniunctam cum humanitate & eruditione, dicerent commutato ordine, Gręciam in Germaniam commigrasse. Sed nõ est prę sentis loci, multa de his rebus loqui, cũ alibi fecerim, si urbes, arces & ędi-

ficia: nihil illis pulchrius, magnificentius atq; munitius iurarent. Agri autem Germanici & segetum omnigenarum tanta fœcunditas, nihil ad Cereris & uini usum desit omnino. Terra sine noxijs serpentibus, bestijsq; uenenatis, herba copiosissima campiq; maximè pascui. Vnde mitium pecorum multitudo innumerabilis educitur, syluæ etiam omnis generis arborum, non parum opportunitatis ad omnia opera & ædificia cõferunt, adeò ut culta omnia atq; inculta, uel sint fructibus plena, uel gregibus opportuna, ut nulla pars terræ neq; inuia sit, neq; ab usu hominum remota, sed operosa sint omnia & utilia: habetq; regio ipsa, non uno in loco latices calidarum aquarum, sanandis morbis opportunos omnis item generis metallorum fœcunda. Et ut in summa dicam, nihil in ea uel asperum, uel triste, uel inuium, sed omnia culta, aperta, florentia, atq; ideò cæteris regionibus fœlicior, quod neq; sit Austrinis obnoxia feruoribus, neq; Arctoi nimium subiecta frigoribus, ut neq; noxio atq; pestifero calore in æstate conficiatur, neq; asperiori hyemis gelu tabescat, sed media quadam temperie, atque clementia aeris, iustam præbeat & salubrem hominibus habitationem. Et licet Arctoo plus exponantur, frigus tamen tolerabile est, & hinc multò salubrior, in de corporibus hominũ & propagandis gẽtibus aptior, qua meridionalis regio, quę quo est uicinior Solis feruori, eò plus morbis redundat, pestiferoq; aere.

DE ANTIQVITATE GERMANORVM.

CAPVT XVIII.

IOsephus Iudæus, responsurus Appioni grammatico Alexandrino, dicit, de uetustate Iudæorum nihil esse scriptum, quamuis omni uetustissimi sint, ob eam rem, quod Iudæi neq; maritimam regionem habitent, neq; mercimonijs se exercuerint: quorum conuersatio cum Græcis remotior fuerit, nihil offerebatur in antiquis temporibus, quod permixtionem Græcorũ illis faceret, sicut Aegyptijs mercimonia, quæ ab eis reijciuntur, & ad eos rursus introducuntur. Atque hoc idem circa Europam contigisse, quando de Romanorum ciuitate, tam longo tempore adepta potestate, tantasq; causas belli conficiẽte, neq; Herodotus, neq; Thucydides, neq; ullus qui fuit cum istis, fecit aliquam mentionem, sed serò tandem & uix ad Græcos potuit eorum cognitio peruenire, de Galatis enim & Hiberis sic ignorauere: Hi putantur subtilissimi conscriptores, quorum est Ephorus, ut unam ciuitatem esse arbitraretur Hyberas, qui tantam partem Hesperiæ terræ noscuntur inhabitare. Quomodo ergo mirari decet, si neq; nostra gens plurimis erat certa, neq; ad scribendum de se aliquam dedit occasionem: hæc ille. Cũ quo ego pariter dicere possum, si Romani propiores (tacco de Gallis & Hispanis) fuerunt ignorati à Græcis, quanto magis nostros non celebratos à Græcis credẽdum, propterea quod neq; mercimonijs illos adiuimus, neq; maritimam regionem habitamus? nisi forsan Cimbri Germani, quorum propterea res clarissimæ sunt & uetustissimę, celebratę non tam à Strabone & Plutarcho quam Aristotele, atq; ipso etiam Homero, quorum res gestas uetustas, atq; expeditiones in diuersas regiones, Strabo pluribus in locis commemorat, adeò ut Græcos olim, Gallos, Boios, Illyricum, Romanos & Hispanos uicerint. Hęc gens enim (ut Strabo inquit) diu secundis rebus olim usa est, & ut idẽ dicit, Cimmerij qui à Græcis ita dicuntur, à nobis Cimbri, olim potentiam in Bosphoro maximam habuere, à quibus & Cimmericus Bosphorus appellatus est, militię suę monumenta relinquentes, qui & militiam agitauere usq; ad Męotida paludem, atq; traiecto etiam Bosphoro, ad Ioniam usq; terram decursarunt, Sardibus & captis & Magnetum gente à Treribus, quę etiam gens est Cimbrorum, fundituꝰ

funditùs deleta Hęemultò antè urbem conditam facta sunt. Tandem Romanis florentibus, ut dicit Liuius libro 64, Cimbri gẽs uaga, populabundi in Illyricum uenerũt, ab his Papirius Carbo consul cum exercitu fusus est. Et lib. 65. Ma. Iunior Syllanus cõsul, aduersum Cimbros infœliciter pugnauit, legatis Cimbrorum sedem & agros, in quibus consisterent postulantibus, senatus negauit. Et libro 67. C. Aurelius Scaurus legatus Con. à Cimbris, fuso exercitu, captus est & occisus ab ijsdem. C. Manlius & Q. Seruilius Cepius procon. uicti prælio castris'que binis exuti sunt, octingenta millia militum occisa, calonum ac lixarum quadraginta millia. Cimbri item uastatis omnibus quę circa Rhodanum & Pyreneum sunt, per saltum in Hispaniam transgressi, ibiq; multa loca populati, à Celtiberis fugati sunt, reuersiq; in Galliam, bellicosis quidem se Teutonis coniunxerunt. Cæsar item in primo libro commentariorum & septimo dicit, Cimbros totam olim Galliam occupasse (exceptis Belgis, qui eos suis finibus prohibuerunt, ut dicit Cęsar) Gallos in oppida compulsos, tantam inopiam passos, ut eorum corporibus, qui ætate ad bellum inutiles uidebantur uitam tolerauerint. Iterum Liuius libro 68. Cimbri repulso ab alpibus fugato'que Q. Catulo procon. qui fauces alpium obsederat, & ad flumen Athesim castellum editũ insederat, relicueratubi uirtute sua explicata fugientem procon. exercitum' que prosecuti, in Italiam traiecissent, tandem iunctis eiusdem Catuli atque Marij exercitibus uicti sunt. Romæ etiam Tarquinio Prisco regnante, ut dicit Liuius libro quinto primæ decadis, alia manus Germanorum uestigia priorum eodem saltu, fauente Bellouesо cum transcendisset Alpes, ubi nunc Brixia ac Verona urbes sunt, loca tenuerunt, Brixiam' que à Germanis conditam, uult Liuius, Policratusq; Bergomum, ubi alij Gallos Senones dicunt, quos Sueuos Germanos dicere debuerant, ut postea probabo. Ex quibus quidem uerbis Liuij, ego non obscurè colligo, Senones, Sueuos & Cimbros Germanos, unà cum Gallis Romam incendisse atque postea in Græciam transisse. Germani enim illi securi sunt illos, quos Gallos Senones dicunt: ante enim nec Germani in Italiam transcenderũt, adeò ut non benè diceret Liuius, uestigia priorum secutos Germanos, in Italiam uenisse. Sanis igitur & irrefragabilibus persuasionibus ostendam, illos Senones fuisse Sueuos & Germanos & Cimbros. Nam Cimbri præsertim Mediterranei & Senones, non longè à se inuicem sedes habuerunt. Nam ut dimittam alias rationes, quas dixi in oratione ad Maximilianum Cæsarem, si unum diui Hieronymi testimonium adduxero, qui dixit, Galatas propriam linguam eandem penè habere quam Treuiros. Si hoc uerum, quis nescit fuisse Germanos? dum Ammianus Marcellinus, qui longe ante Hieronymum sub Iuliano floruit, Coloniam Agrippinam & Treuerim, Germanos urbes Germaniæ prodiderit. Accedat etiam testis Diodorus Siculus Græcus libro sexto. Tradunt (inquit) eos, qui priscis temporibus omnem fermè Asiam discurentes Cimerij dicebantur, ipsos esse, qui paulò post corrupto nomine Cimbri sunt appellati. Iam prisco more dant latrocinijs operam, rapientes aliena, cæteris omnibus contemptis. Hi sunt qui Roma capta, cum Delphici Apollinis templum spoliassent, magnam Europæ partem, non paruam Asiæ, tributariam fecere, agris eorum quos subegerant possessis. Qui in Græciam transierunt, Gallogręci sunt nominati, postremò plures magnos'que Romanorum exercitus attriuerunt. Concordat Diodoro Lucius Florus inquiens: Galli Senones quondam ab ultimis terrarum oris, cum cingerentur omnia Oceano, in genti agmine profecti, præsertim cum & alibi dicat, Cimbros atque Teutones ab extremis Gallię profugos, cum terras inundasset Oceanus, uenisse. Ex quibus uerbis hic Cimbros, illic Senones Gallos ex inundatione Oceani, & ex ultimis oris, eandem gentem intelligere possumus, præsertim cum etiam hic ex finibus Gallię Cimbros & Teutones uenire

dicat. Nec obstat quod dicunt Gallos, & non Germanos. Nã ut dicit Volaterranus, Gallos omnes ac Germanos, uno uocabulo ueteres Græci Celtas, Romani Gallos, uocauere. Nam & Germaniam comatam Galliam dicebant. Insuper cũ Græcis, tempore Senonum transitus in eorum prouinciam, nec Germania, nec Gallia fuerit cognita, ut supra etiam Iosephus innuere usus est, nominauerunt illos Gallos uel Galatas, id est, candidos & albos, à colore enim illos nominauerunt, ut omnes scriptores consentiunt. Qui autem plus quã Germani Galli, hoc est candidi dici mereantur, nouerunt pueri, dum hodie inter Frãcigenas olim ex Germania profectos, mõstri loco habeatur albus Frãcigena, & hoc adeò uerum est, ut cùm sequentibus temporibus Galli priores, uel potius Germani, in Græciam profecti, colore similes essent Germanis, quos Græci iam nouisse cœperũt: dixerunt nostros Germanos, quasi fratres Gallorum siue Galatarum, propter colorem & corporum proceritatem. Ob candorẽ enim Diodorus Siculus Germanos Galatas uocans lib. 5. inquit: Rhenus, quem nostris diebus C. Cæsar pontibus miro modo iunxit, pedestribusq; copijs traductis, Galatas ultra Rhenum habitantes, in potestatem redegit. Sed & Latini, propter propinquitatem Gallorum, etiam Germanos uocitauerunt Gallos. Nam Orosius dicit lib. 5. C. Manlius & Q. Cæpio procon. aduersus Cimbros & Teutones, Tigurinos & Ambronas, Gallorum gentes missi sunt. Et Florus dicit, ut suprà ostendimus, Cimbros & Teutonas omnium testimonio Germanos, ab extremis Galliæ profugos, cũ Germanis, si propriè loqui uoluisset, dicere debebat. Et Salustius in Iugurta, dicit: per idem tẽpus aduersum Gallos à ducibus nostris, P. Cepione & M. Manlio, malè pugnatum est, quos palã est uictos & fusos à Teutonibus & Cimbris, non Gallis. Inde dicere debuit, cum Germanis Rom. pro salute non prò gloria certare, nisi omnia commisceret, &c. Præterea Strabo argumentum relinquit, Brennum Gallorum siue ducem siue regem, non fuisse Gallum, Brennum à quibusdam Prausum appellitatum. At enim (ut inquit) nec; Prausos ipsos, quas terras prius habitarint, dicere possumus. Nec credo (ut finem faciam) Gotfridũ Viterbiensem chronocarium, nulla ratione uel auctoritate suffultum, tam apertè Brennum & Senones Sueuos dixisse. Non autem opus est memorare res gestas Brenni & Senonum, quas tot scriptores suis complexi sunt libris: dicam tamen illos in Italiam ueniisse Rom. apud aliam uicisse, Romam incendisse, & una gentis portione in Italia dimissa, Illyrios peragrasse, Pannonios subiugasse, Græciam atq; Macedoniam deuastasse, spoliato etiam famatissimo Delphico Apollinis templo in Asia, tandem aliquos consedisse, secq; Gallogræcos nominasse, propter commixtos inter eos Græcos. Senones autem (ut aliàs dixi) Galli à Senonibus Sueuis, sicuti plericq; Galli à Germanis, nomen accepisse uidentur.

CAPVT XIX. FRANCI, BVRGVNDIONES

Gothi Vandali, Gepidæ, Rugi, Heruli, Turcilingi, Longobardi, Normanni, Picti, Quadi, Scoti, Angli, Sueui, Saxones, omnes Germani sunt, contra fabulas quorundam.

GErmania & tota plaga septentrionalis, quanto magis abest à nimio Solis feruore, tantò est salubrior animantibus, atq; propagandis hominibus aptior, atq; laborioſior, pulchritudinicq; corporum atq; proceritati conuenientior: sicuti econtrario, regio meridionalis, ab nimio Solis æstu, pestilens, gignendisq; hominibus minus idonea. Vnde fit, ut dicit Regino monachus, ut tanq; populorum multitudines, Arctoo sub axe oriantur. Vt non immeritò uniuersa illa regio, Tanai tenus usq; ad occiduum, licet & proprijs loca in ea singula nuncupantur

pantur nominibus, generali tamen uocabulo Germania sæpe nominetur. Multæ quoq; pro eo, quod tantus mortalium prouentus in ea germinet, quantos uix alere sufficit, frequenter gentes eius sint in exteras terras progressę, quę non minus Asiam & Africam quam Europam, uarijs temporibus & locis afflixere. Testantur hoc urbes ubiq; in Europa dirutæ, per totum Illyricū Galliamq;, sed maximè miseræ Italiæ, quæ penè illarum omnium est gentium experta sæuitiam, ut idem monachus testatur. Vixit autem circa annū Domini M.CCCC.& II. qui non obscurè ostendit, has omnes gentes: Gotthos, Vandalos, Alanos, Gepidas uel Gipedes, Rugos, Herulos, Normannos, Turcilingos, Longobardos, Sueuos, Saxones omnes origine esse Germanos. Et Berosus Hunum, à quo Huni uenerunt, in arbore Germanorum ponit. Nec obstat quod plurimi scriptores Græci & Latini, ex Scythia aliquos progressos narrent: primum, quia teste Strabone in septimo libro Romanis etiam rebus florentibus, multò magis Græcis, Germania trans Albim omnino incognita fuit, adeò ut Gotthos, Lōgobardos, & alios ex Scandinauia, Gotthia & alijs locis apud Rom. in cognitis uenientes, ex Scythia, id est, ex terra Romanis incognita uenisse credant, maximè cùm in Germaniam, teste Plinio, Scythia usq; quaq; excurrat, ut in 4. testis est dicens: Scytharum nomen usque quaque transit in Sarmatas atque Germanos. Sed hac potissimum causa decipiuntur scriptores recentiores, dum ex Scythia egressos dicant quòd Græci scriptores, teste Strabone in undecimo, uniuersos septentrionales olim Scythas & Celtoscythas appellabant. Sunt igitur Germanæ quas dixi gentes. De Burgundionibus ac Vandalis nulli est dubium, qui saltem Plinium & illustres historicos legit, de alijs etiam non est apud eruditos dubium, nisi de Francis, Gotthis & Longobardis, de quibus nunc luculentius loquar. Primùm ut de Gotthis loquar, Tacitus ante omnes in historia Germanica, Gotthinos in Germanis ponit, sicut hodie Gotthia siue Gotlandia, est insula maris Germanici, & Ablauius Gotthus genus suum ex insula Germanici maris prodijsse narrat. Atque Iordanus Gotthus historicus, ex Scandia Gotthos exisse refert, in qua miræ magnitudinis insula, teste Plinio. Gotthia & alię insulæ repositæ sunt. Quòd si quis dicere uellet, Gotthos antè Getas dictos, nihilominus Germanos diceret, quod Hieronymus probat ad Suniam & Fretellam, dicens: uerè in uobis apostolicus sermo & propheticus completus est: in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrę uerba eorum. Quis hoc crederet, ut barbara Getarum lingua Hebraicam quęreret ueritatem, & dormitantibus imò contendentibus Grecis, nostra Germania Spiritus sancti eloquia scrutaretur. Longobardos ego alibi dixi ex Sueuis descendisse, quòd Cornelius Tacitus eos inter Sueuos ponat, sicut & Anglos. Alij autem nostrates scriptores, ex Scandia siue Scandinauia uenisse uolunt, & prius Vuimulos fuisse dictos, à lōgis autem barbis, ut hodie Germanus dicit *longobard*, longā barbā nomen accepisse. Vnde Gūtherus Alemannus lib. 2. de gestis Fœderici Cæsaris, loquens de Longobardis:

Hanc olim bello quam stanzia miserat hostis.
Dicitur à longis ea Longobardia barbis.

At Sueui ueteres non longè à Scādia suos fines habuere. Quòd igitur ex Germanis uenerint, Tacito nostratibusq; chronocarijs prodētibus, nemo hactenus repugnauit, nisi non quidam Ponticus, atq; Calepinus uocabularius, qui dicit, mixtam esse gentē ex Lingonibus, Germanis, & Bardis Gallis, non à longis barbis, ut solent docti uiri ridere, ut dicit Calepinus. Vnde hęc somnia precor? unde hallucinationes? qua auctoritate suffulti? quis unquam audiuit Lingones in Germania fuisse, Gallię Celticę gentem? aut quis audiuit aliquam fecisse expeditionem? uel coniunctos Bardis Gallis: uel quis nescit lōgè antè anditum nomē Longobardorum in Italis & exteris excursionibus, Bardos fuisse extinctos, no-

men'que totum obsoletum. Quę ratio eos adduxit in hunc errorem, anilemq; illam & friuolam persuasionem, contra opinionem omnium scriptorum, nisi nimia arrogantia ut coniecturare licet, qui profectò ut uideantur in indagandis literis subtiles censores, non dubitant somniare uel augurari meras tabellas, atq; pro ueris astruere. Inde non probatur quorundam Italorum (quorum nunc magnus est numerus) studium, qui non tam orationibus & poematis effingendis, quam auctorum castigationi, nimia audacia inuẽtioneq; plus subtili, interdum quam uera intendunt. Nam dum quilibet pro captu atq; arbitrio sui ingenij atq; augurio castigare uult poetas, diuersiq; diuersa, seu studio æmulationis & contradicẽdi, seu nimiæ subtilitatis gloria, castiget: fit ut plerunq; sensus poetæ penitus obscuretur, atq; quid potissimum sit sequendum ignoretur. Quorum cõcertatione diuersaq; opinione, interdũ hallucinatione, ego, nisi uelim errare, cogor interdum uti & meo iudicio in exponendis poetis, & quid sequendum opinandum ue sit, studiosè inuestigare. De Francis postremò, quãquam alio loco plura dixi, nunc tamen dicam omnia esse falsa & fabulas merasq; nugas, ea quę dicũtur de eorum è Troianis origine, quoniam de solis Aenea & Antenore legitur apud ueteres scriptores, qui ab incendio Troiano superfuerint, in exterasq; nationes profecti sint. Ita dicit Liuius: iam primum omnium satis constat, Troia capta in cæteros sæuitum esse Troianos, duobus Aenea Antenoreq; & uetusti iure hospitij, & quia pacis reddẽdæq; Helenæ semper auctores fuerunt, omne ius belli Achiuos abstinuisse. Quod si (ut possibile est) alij etiam elapsi, in diuersas regiones sint profecti: hoc tamen nemo scribit ex ueteribus, sed solùm quidam recentiores, fabulatores potius quàm historici, dum ea astruant, quæ nemo scire potest, & dum suos uolunt magnos ostendere, ridiculo exponunt. Quorum fabulę ex eo maxime deprehenduntur, dum sibi non constant, nec ullus cum alio consentiat, maximeq; discrepantia inter se referant. Præterea nullus unquã scriptorum ueterum, quibus solis in hac re fidem habere possumus, Sicambros circa Mæotida paludem habitare tradit, nec item ullam Romani expeditionem fecerunt ad illam: & Franci diu ante Valentinianum fuerunt in Germania: adeò ut omnia falsa fabulosa & mentita luce clarius deprehendantur. Proinde cum Robertus Gaguinus, annalium Francicarum compilator, cum multa de eorum origine contraria & absurda repeteret, nihil eorum est ausus affirmare, sciens se falsitatis accusatum iri, sed ne Germanis hoc laudis tribueret, suos ab illis propagatos rem in dubio relinquit. At Pius secundus, satis audaciter fabulatus est in sua Europa, non tamen ex proprio ingenio, sed fabulis Francigenarum confisus) ne hominem ueritatis studiosum carpere uidear) quem Sabellicus & multi recentiores sequuntur, Francos, Troianos ab origine, deleto Ilio, duce Priamo Priami ex sorore nepote, per Pontum Euxinum in Mæotidos paludes in Scythiam peruenisse, ibiq; ciuitatem ædificasse, quam uocauerint Sicambriam, ex qua dicti Sicambri. Cumque, ut ipse pergit, Scytharum multi Romani imperio subiecti essent, & ipsi quoque tributa penderunt, manseruntq; uectigales, usque ad tempora Valentiniani Cæsaris, quo imperante, Alani imperium uexare cœperunt. Imperator uerò proposito edicto, libertatem in decennium in eis promisit, qui Alanorũ ferocitatem compescerent. Allecti eò præmio Sicambri, arma sumpserunt, Alanosq; bello uictos deleuerunt, ob quã libertate in decennium ab imperatore donati sunt, & mutato nomine Franci appellati: quod Attica lingua siue feroces siue nobiles sonat, Itali Francos liberos uocant. Exacto decennio cum Romani solita tributa repeterent, Franci ob ipsam libertatem effrenes facti, parere recusarunt. Principes eo tempore Francis fuere, Priamus & Antenor, antiqui nominis ac uirtutis, quibus copias ducentibus, præ lium cum Rom. consertum est, in quo Priamus ipse, cum fortissimis suæ gentis, cecidit.

cecidit. Qui cladi superfuerunt, ex Scythia digressi sunt, & in Germaniam profecti, in partibus Turingiæ consederunt, &c. hæc ille. Hæc omnia meræ sunt fabulæ, nihil eorum uerum, nihil uerisimile, quibus nulla recepta historia, nullus receptus, & certus auctor suffragatur, quibus deest fides rerum, & temporum. Nec uerùm est, quòd Eusebius in chronographia hoc dicat, cui de Francis nihil cõstitit, aut Hieronymus superaddiderit, sed Palmerius addidit, superiori tẽpestate propter prauam de angelis opinionẽ cõbustus. Antoninus nõ diuersa dicit, cui cum cæteris in hac re nihil credo, in notitia enim uetustatis, atq; in historia superiorum temporum, quo pacto possumus credere illi uel alteri pro suo arbitrio somnianti, dum sine auctoritate ea affirmet, quæ multis sæculis eius ætatem, hoc est, multò plus quã duobus millibus annorum antecesserunt: diuinare hoc esset, sed spiritus non tam ociosus, aut pronus est, ad tam inanem diuinationem, ut unde Franci uenerint historicis prodere curet. At dixerit quis: unde igitur sumpserunt illi uiri suas historias, uel potius fabulas? ut tu asseris. Tantam dico esse mortalium ambitionem, ut nemo non suam ciuitatẽ, atq; gẽtem, nedum familiam, nobilissimam atq; uetustissimam haberi uelit. Hoc ipse Liuius de Roma testatur: Quæ ante conditam (inquit) condendamq; urbem poeticis magis decorata fabulis, quã incorruptis rerum gestarum monumẽtis traduntur, ea hîc nec affirmare, nec repellere in animo est. Datur hæc uenia antiquitati, ut miscendo diuina humanis, primordia urbium augustiora faciat, multi & alij populi nimium effusi sunt, in prædicandis auctoribus suæ gentis. Vnde nõ dubium, quin Franci, qui uel superbissimi prædicantur, hoc idem facere conentur, quorum tamen error, usq; adeò patet, ut nemo non intelligat fabulas esse, ea quæ de Troianorum origine mentiuntur: præsertim cum Aeneas Siluius scribat, nullam esse gentem, quæ Gallorum superet ambitionem. In hunc autem modum, & aliter scribit Vincentius Gallus, Francum quendam siue Franconem, ex Hectorijs filijs, à quo Francorum nomen tractum, anno ante Christi aduentum, M. C. XVII. una cum Antenore alijsq; Troianis, à fratribus propriis fugatum, prius tota Asia peruagata, ad Danubij ripas tandem peruenisse, ibiq; cùm aliquandiu consedisset, mox auctore Antenore locum quæsisse, à communi hominum societate seiunctum, ad Tanais fluenta, & Mæotidis paludes secessisse, ubi Sicambriam urbem condiderit. Qui cum prædictis hallucinatur, fabulator egregius, quoniam quidem constat Homerum non plures uno Scamandro (quem & Astyanactem uocant) Hectori liberos assignasse, nec Anaxicratem, nec Euripedem, quorum alter Argolicorũ secundo, alter in Andromacha, nothos Hectori filios editos asserunt ex pellicibus, usquã alicuius Franconis, uel Franci meminisse, Alij non Francum, sed Francionem dicunt, sicut Annomius monachus, qui scribit, Torgorum unà cum Francione Troia abeuntem, Thraciam petijsse, & ab eo Torgorum gentem nomen esse sortitam: à Francione uerò Francos, multum diuersa ab alijs referens. Nec est ullius cum altero concordia, & pro eo quòd quilibet, pro sua libidine fabulatur, nec ullus cum alio conueniat, possumus non obscurè deprehendere, meras esse nugas, quibus (ut dixi) nec ulla historia recepta, nec series rerũ, nec temporũ quadrat, aut suffragatur. Et ut omnibus pateat quã fabulosè hæc excogitata sint, Primò ex historijs ueteribus nemo unquam colligere potest, antiquiùs fuisse, uel Frãcos, uel Sicãbros, uel iuxta Danubiũ, uel paludem Mæotida. Quomodo ergo ego possum habere fidem, uel Aeneæ Siluio, uel Vincentio Gallo, uel Antonino, qui referunt sine uetusto, & idoneo auctore, de rebus quę eos duobus millibus annorum, & plus antecesserunt: Nec item Priami ullus ueterum scriptorum meminit, qui filius regis Priami ex incendio Troiano in exteras profectus sit regiones, nec item Franci mentio fit, qui peruenerit, uel ad Danubium, uel Mæotim. Manethon tamen Aegyptius

sacerdos, si res non mentiatur auctorem, & liber ad arbitrium aliquorum nõ sit corruptus, ut multi credunt, tempore Ascanij Francum quendam Celtis imperasse scribit, quod omnino contrarium supradictis, & cui nullus concordat. Sed siue uerũ sit, siue non: ille Francus nullum nomẽ in Gallia, in qua regnauit, posteritati reliquit. Tempore enim Iulij Cæsaris, Ptolemæi, Strabonis, Pomponij, Plinij, & omnium ueterum, hoc nomen in Gallia, inauditum fuit. Quapropter Annius Viterbiensis, antiquitatis exquisitissimus explorator dicit: quis iste Francus, aut quo pacto Rex à Celtis susceptus fuerit, neminem legi. Postea dicit: Vincentium Gallum historiam esse prosecutum, ego aũt dico fabulas esse, quæ quis g, fert ex antiquitate, sine auctore. Hæc cũ omnis homo intelligat, non quadrare, nec esse quicquam solidum, in quo conueniant omnes isti fabulatores, sequitur postremò, ut cætera fabulosa intelligamus, dum luce clarius ostendam, Francos nõ tempore Valentiniani, in Germaniam uenisse, sed multò antè nominatos in Germania, nec ulla in regione nomen habuisse, nisi in Germania, donec ex Germania, in Galliam transiuerint: adeò ut nemini obscurum sit, indigenas esse Germaniæ. Nec desunt auctores etiam Græci, ita enim dicit Agathias Græcus auctor: Francorum natio proxima est Italiæ, & terminis iuncta. Veteres tamen hos Germanos dixere, nam circa Rhenum habitant, Gallorumq; magnam partem occupant, qui quanquam, ut reliqui Germani sunt barbari, Romana tamen politia, & alijs institutis utuntur, sunt & Christiani, & rectissimæ opinionis. Ex quo satis constat, ex ea natione migrasse, quę trans Rhenum nunc quoq; Franconia dicitur. Idem testatur Hieronymus in uita Hilarionis: Inter Saxones (inquit) quippe & Alemãnos gens eius non tam lata, quàm ualida, apud historicos Germania, nunc uerò Francia uocatur. Non igitur uerum est, tempore Valentiniani Francos primùm Germaniam inuasisse. Hieronymus hęc scribit, de Constantij imperatoris quodam candidato, qui Valentinianum longè antecessit. Claudianus item sub Theodosio longè ante Valentinianum, ostendit Francos esse Germanos, dicens: *Pascat Belga pecus, mediumq; ingressa per Albim, Gallica Francorum montes armenta pererrant. Vt procul Herone per uasta silentia syluæ,* Venari tutò liceat. Legitur autem Constantius Flauij Constantini filius primus Rom. ducum, Francos in patria ipsa Franconia domuisse, quo tempore, non solum in Franconia fuerunt, uerum etiam cis, & ultra Rhenum Batauiam, & finitimas regiones occupauerunt. Præterea constat, nec Constantinum, nec Valentinianum ullam fecisse expeditionem ad Tanaim, uel Mæotidis paludem, nec legi unquam, à Rom. ullam militiam, ad ista loca agitatam, cum Strabo dicat, in undecimo, Tanais ostia scimus, supra ostia uerò nihil penè notum est, præter frigora. Vnde omnia fabulosa sunt, quæ dicuntur de Valentiniano, & eius ad Tanaim expeditione. Præterea tempore Iuliani Cæsaris, teste Ammiano, fuerunt Franci cis Rhenum, qui Arcuarij dicebantur. Inde dicit Orosius lib. 7. Valentinianum superiorem Saxonum gentem, in Oceani littoribus, & paludibus inuijs sitam, uirtute atq; agilitate terribilem, periculosam Romanis finibus eruptionem magna mole meditantem, in ipsis Francorum finibus, oppressisse. Hic non potest aliter intelligi, nisi de Francis cis, & transrhenanis, propter fines Rom. qui nulli fuerunt ultra Rhenũ, nedum iuxta Tanaim. Nec obstat quòd dicit paludibus inuijs, Germaniã enim Rom. eis incognitam, plenam esse paludibus, & solitudine fabulantur, unde dicit Cor. lib. 20. eadem super causa Germanis transcendendi in Gallias, ut relictis paludibus, & solitudinibus suis, fœcundissimum hoc solũ possiderent. Et Panegyricus Constantini filio Constantij dicatus, pariter Francos Germanos dicit: Quid loquitur (inquit) rursus intimas Franciæ nationes, non iam ab his locis quæ olim Romani inuaserant, sed à propríjs ab origine suis sedibus, atque ab ultimis barbariæ littoribus auulsas, ut in desertis Galliæ regionibus collocarę

etiam

etiam pacem Rom. imperij cultu iuuarent, & armato delectu. Et ut manifestius intelligatur illos ex origine Germanos esse, postea dicit, neq; enim in Rheni gurgitibus, sed nominis tui terrore munimur. & post, sciunt posse Franci transire Rhenum, quos ad necem suam libenter admittas, sed nec uictoriam possunt sperare, nec ueniam, quid ipsos maneat, ex regum suorum cruciatibus metiuntur: ideoq; tantum abest, ut amnis illius transitum moliantur, magis ut coempto ponte deperent. Quibus omnibus liquidò constat sub Constantino Francos non solùm in Germania indigenas esse, sed & sæpius tunc Rhenum transgressos, nã & ante eũ sub Diocletiano, & Maximiano Franci, & Saxones iuxta Oceani littora fines Rom. & Gallias infestabant, ut dicit Orosius libro 7. & ut Panegyricus dicit, ad Maximianum. Neruiorum, & Treuirorum arua tacentia lætus postliminio restitutus, & receptus in leges Francus excoluit, sed quid istos commemoro? Ipse etiam Cicero meminit cùm Sueuis Francorum lib. 1. ad Atticum, unde & facilè posteriores Francos dixerunt, fuit etiam, ut in uetustis Germanorum libris inuenio, Franco nomen proprium, & frequens apud Sueuos, & Germanos, ut suspicandum sit, ab aliquo Francone, uel Franco, ex Germania Franciam, & Franconiam factam, omnia enim alia quæ dicuntur, de eorum ex Troianis, ex origine, nec quadrant, nec ulla auctoritate, uel ratione, atq; persuasione uerisimilia fieri possunt, præsertim cũ tam amplissima gens, quæ tam totam Galliam, quàm Alemanniam inundasse dinoscitur, nulla alia lingua inue niatur loeuta, nisi Germanica, exceptis Francigenis, qui ex Gallorum, & Rom. commixtione tandem Italicam corruperunt. Cum igitur Frãci, & Saxones fuerint gentes amplissimæ, atq; potentissimæ, nec usi nisi lingua Germanica, quis dubitat eos esse indigenas Germaniæ? Cum Schlaui in Boiemia, & qui inuaserunt sedes Vandalorum tenuis natio, Hungari & alie externæ nationes linguã uam externam retineant, licet undiq; ferè sepți Germanis sint. Legi insuper nuper fabulosas historias cuiusdam Petermanni Etterlin Lucernensis uernaculo sermone conscriptas, qui absurda, & futilia meras q; nugas blaterat, de origine trium pagorum apud Heluetios, scilicet Suitensium, Vrienſium, atq; Inferiorum siluestrium, quos uulgò Vnderualdenses uocant, quos dicit cœpisse inhabitare aliquot, non tamen multos annos ante Rudolfum Cæsarem, Suitenses suam referre originem, ad Suedos alios duos pariter, ad Gotthos & Hunos, quibus nihil fabulosius excogitari potest. Primùm de Suedis, quòd nullam unquam expeditionem legantur fecisse in nostram terram, satis constare alibi probaui: de alijs quis non rideat quòd ab Hunis, & Gotthis descendant, quos auctor ille rerum, & historiarum omnium imperitissimus unam gentem credit, unumq; regẽ attribuit, quæ fuerũt duæ diuersissimæ, atq; inter se inimicissimæ, atq; multis seculis ante Rudolfum Cæsarẽ explosæ & eiectæ, nõ modo ex Germania, uerum & alijs etiam regionibus, præsertim ex Italia, & Gallia, antequam illi pagi, ex illius opinione cœperunt inhabitari. Nõ credo insuper, nec Gotthos, nec Hunos uenisse in istas alpes, atq; tam siluosos, atq; asperos montes, quoniam Basilienses, ut referunt annales nostri, dum Hunorum uim, & perfidiam perferre desperassent, deserta urbe sua Basilea, atq; hostibus in prædam relicta, in montes proximos Heluetiorum fugientes tute delituerunt, sunt autem illi montes multo magis peruij, & penetrabiles, quàm alpes trium pagorum, de quibus superius dixi. Vnde non obscure intelligitur, Hunos atq; Gotthos, nunquam illos montes inuios, atq; penuria omnium rerum laborantes, aut adijsse, aut inhabitandos delegisse, aut penetrare potuisse, sed quanta mutatio rerum (si uerùm dixerit auctor) siluestres illos incolas, ab Hunis descendere) dum Basilea olim magnifica ciuitas prudentia, atq; fortitudine pollens, atque sacratissimo imperio fidissima patrum nostrorum memoria, ut perfidiam, & immanitatem Hunorum uitaret,

deserta

deserta urbe in mõtes perfugerit, nunc uerò mutata mente deserto imperio sine omni ui, atq; necessitate, in summa tranquillitate, & pace in societatem illorum concesserit, sed ut ad institutum regrediar, quis hostis non faueat illis siluestribus pagis auctores suæ gentis Gotthos, & Hunos? Impios hæreticos persecutores Christianorum raptores, & latrones, sed quo animo accipient Suitzenses, & alpestres homines tam fœdam, & turpem originem uix æquo, ut ego existimare uelim, legi autem has fabulas Petermanni summa cum indignatione, quòd scribat falsa, sibi repugnantia, contra omnem rerum, & temporum seriem, conuitia, contumelias & composita mendacia. Detestanda profectò ciuitas foret in qua editus, & impressus est ille fabulosus, & famosus liber, si scions cõsenserit, & admiserit, sed multo plus calchographus, qui libidine habendi fas, & nephas iuxtà æstimans contumelijs, & mendacijs patrocinatus est, utinam dignã recipiat mercedem, Sed prudens, & magnificus senatus, Argentinensis optime egit, qui publico edicto hunc famosum librum, in sua urbe uendere prohibuit, cuius auctor Petermannus, cum sit fabulator, & idiota, & apertissime contra ueritatẽ multis in locis garriat, non placuit multa, in eius nugas scribere, nisi quòd nuperrimo Heluetiorum bello plus quàm dici potest, mentiatur. Semper enim mille nostrorum à suis interfectos refert, ubi uix cc. sunt deliderati, centesimãq; partem suorum interfectorum, non commemorat, adeo ut totus sit adulator omnia ad gratiam, & fauorem eorum inter quos natus est, & hodie degit, uicitũq; queritat, nihil ad rem gestam ueritatemq; loquatur. Quas nugas, & fabulas adeò adulanter in laudem suorum, hostiumq; apertam contumeliam confictas nemo bonus uir rerum gestarum illius belli expertus sine stomacho legere poterit, quas etiam suis compagenis gentilibusq; displicere non ambigo, probatioribus uolo, dum eos adulationibus celebrare cupit, & falso, quos rebus uere gestis (non nego enim Heluetios in eò bello patrios fines fortiter esse tutatos) possit illustrare. Cui tamen danda uenia esset, ut Iosephus Nicolao Damasceno uoluit, qui adulatus est Herodi uiuenti, si non historiam, sed laudem, & Panegyrim cum suorum scripsisset, nisi aperte, & falso alios homines extraneos infamaret. Scripsit autem multa alia nec uera, nec ueri similia, nec temporibus, nec rebus quadrantia, de quibus suo loco latius euagabimur. Cum igitur (ut à diuerticulis, & transuersis itineribus, ad regiam uiam redeamus) multis rationibus, & persuasionibus, auctoribusq; receptis constet prædictas gentes omnes esse nationis Germanicæ, non opus est enumerare res eorum in bello gestas omnium maximas, & præclarissimas, cum multi id copiosis sint libris complexi, dum etiã nemo nesciat eorum inundatione, totam Europam esse attritam, Asiam atq; Africam afflictam, maximosq; & copiosissimos, tam Romanorum, quàm aliorũ populorum exercitus, ab eis profligatos, atq; deletos, notum est enim Valentẽ imperatorem Valentiniani superioris fratrem Gotthico bello superatum, & occisum, Valentinianum superiorem uomitu sanguinis ob Germanorum excursiones Illyriijq;, per eos uastationem factam extinctum esse, Odoacrumq; regem Turcilingorum, & Rugorum inuito Zenone Romam obtinuisse, Orestem & Paulum fratrem imperium usurpantem occidisse, & Augustulum exilio damnasse Decium imperatorem à Gotthis perijsse, Gallum Trebonianum tributa pependisse, Aemilianumq; cæsum, omnes illos Cæsares, atq; imperium usurpantes, hæ gentes conculcarunt. Romamq; sæpius expugnauerunt, atq; diripuerunt, imperiumq; tam occidentale, quàm orientale dissipauerunt, atq; contriuerunt.

PERORA-

PERORATIO AD PRINcipes Germaniæ.

CAPVT XX.

AVdistis hactenus ô principes Germaniæ, fortitudinem inuictamq; animi magnitudinem, ueriſsimamq; laudem, & gloriam maiorum ueſtrorum licet breui epitomate. Quorum res præclariſsimè geſtas æmulamini quæſo, eſtis enim illorum ſanguis, illorũ effigies certiſsima, in uobis relucet mirifica illa maiorum ueſtrorum nobilitas, atq; animi magnitudo. Turpiſſimum ducite ab illis degenerare, qui rebus fortiſsimè geſtis, cunctis ferè gentibus iugum impoſuerunt ſeruitutis, pulcherrimisq; orbem terrarum uictorijs peragrauerũt, fuerũtq; formidabiles, in primis nolite committere, ut florentiſsimum hoc imperium, quod maiores, immò patres ueſtri multo ſanguine, & factis glorioſiſsimis paribuſq; ſtudijs uobis pepererunt, uos ipſi per ſecordiam, & negligentiam amittatis, quod ne contingat ponite quæſo ſolum inteſtinas ſeditiones, contraria inter uos ſtudia & uoluntates, peſtiferasq; factiones, unica & maxima euertendorum regnorum inſtrumenta, ſatis exemplorum alienæ uobis clades præbent, hę enim ſolæ, Macedonas mundi conculcatores, Lacedæmonas bellicoſiſſimos, Athenienſes illuſtriſsimos, Romanos poſtremo dominorum dominos reddidere ſenios, atq; penitus euerterunt, adeò ut ueriſsimum, ſit illud Liuij, factiones fuiſſe eſſeq; pluribus populis maiori exitio, quã bella, quàm famem, quàm morbos: Quæ & uos ô principes Germaniæ, ô utinam uanus ſim aruſpex, labefactabunt, in ſeruitutemq; deijcient, niſi illas, atq; priuatum ſtudium cum ſecordia ſepoſueritis. Quæ enim alia res precor poſſet deeſſe nobis, non modo ad tutandam patriam, uerùm etiam, ad totius orbis imperium nobis aſſerendum, niſi hæ illæ quas dixi diſcordiæ, diuerſa ſtudia. Non deeſt uobis animi magnitudo. Deus præſens, prudentia militaris rei diſciplina, atq; peritia, & quicquid ad bellicum apparatum, atq; expeditionem expeti, aut deſiderari ab ullo poteſt. Quid autem bone Deus dicam de militibus Germanis, quorum inuicta manus, atq; eximia rei militaris peritia cunctis terræ nationibus eſt formidabilis, quorumq; hodie auſpicio, & uirtute, omnes ferme principes Europei bella gerunt, rebuſque arduis, & claris in bello illuſtrantur, quòd hoc potiſsimum tempore. M. D. viij. ad uos gemens atque lamentabiliter exclamo, ô principes Germani, quo hæc ſcribo, & quo Veneti (fœminis ueſtris effœminatiores, & quorum conſtat animos, niſi primus impetus, ad uotum ſucceſſerit plus quàm fœminarum emolleſcere) in ipſam Atheſinam prouinciam, atq; Goritiam Germaniæ portiunculas graſſantur, Vos inquam Germani principes appello, qui bonos illos, & fidiſſimos Germanos (Cæſare contra Sicambros pugnante) in ſummo diſcrimine, atq; periculo ſine omni auxilio, & ope deſeritis, alieniſsimi ab inſtituto, atq; moribus maiorum ueſtrorum, qui ideo Germani, id eſt, fratres ab idoneis auctoribus non ab re dicti ſunt, quòd nunquam tanta laborauerint inteſtina ſeditione, quin ut fratres, amici & unanimes, in externum hoſtem profligandum congrederentur:

Vos ecõtrario nulla formidine, nullis aduerſariorũ opibus cõterriti, uerũ unica ſimultate, atq; rei priuatæ ſtudio diuerſaq; uoluntate, ſine cura cõmunis ſalutis uniuerſi miſeros illos deſeritis Atheſinos, & Goritianos, Venetisq; copioſiſsimo externi militis exercitu (hoc eſt, Hiſpanorum, & Galli regis auxilio, & copijs) inſtructiſsimis, in prædam derelinquitis, quorum diuiſis, & uarijs exercitibus noſtri ſunt multo inferiores, alioqui nec deeſſet eis, hodie animus, nec fortuna, & bis iam fœliciſſime periculum fecerunt, fortiter pugnantes, pro libertate,

bertate, duriſsimumq; ducentes ſeruire imbellibus uiris. Vos autem ô principes adhuc ſuccurrite, & omnia damna reſartiemus. Ducite turpiſsimum ueſtro tempore, & uobis principibus ueſtraq; ſola culpa, dum quilibet alterum exſpectat, nec aliquis opem ferre cupit, ut Veneti (qui niſi ſcirent uos diſcordes, quemlibetq; ſuis tantùm rebus ſtudentem, ne umbram quidem corporum noſtrorum intueri auderent) nunc fines Germanicos inuadant, qui nihil unquam fortiter, nihil ſtrenua manu, & uera uirtute, nihil æquo campo conati, tantam potentiam ſolo conſilio inſidijs, & proditione ſunt conſecuti. Concutiat pectora ueſtra quòd homines in laudem ſuam effuſiſsimi fabuloſis ſuis annalibus inſcribent, quamuis mendaciter contra uniuerſos Germaniæ principes clariſſimis triumphis ueſtro tempore bellaſſe, dum nemo ueſtrûm adeſt, qui ſi paucis ſinguli militibus adeſſetis nemo ne cogitaret quidem reſiſtere, aut uos alicubi exſpectare. Quòd ſi Sigiſmundi ducis Auſtriæ bello nuperrimo (non omnium principum Germaniæ, ut ipſi mendaciter fabulati ſunt) ſexies Veneti profligati, quinq; leuioribus conflictibus, una cum maxima Venetorum ſtrage, turpiſsimaq; fuga, glorientur, fabuloſisq; annalibus inſcribunt, ſe res clariſsimas confeciſſe, referantq; plures noſtrorum à ſe interfectos, quàm fuerint uniuerſi milites Germani, qui eos in fugam (occiſis & ſubmerſis pluſquam ſex millibus Venetis, adeptisq; inter ſpolia pluſquam M. C C C. equis, pluribusq; curribus) coniecerunt, maximaq; ſtrage affecerunt, quo nunc gaudio, quibus triumphis, quanto uerborum ambitu, ampulloſisq;, & phaleratis legationibus, ad omnes mundi partes perferunt, ſe mille & trecentos (quem numerum ipſi to t millibus ampliſicabunt) Cæſaris milites profligaſſe, licet per inſidias, & ad iniquum pugnandi locum progreſſos. Item Romano imperatori oppida, atque arces licet per proditionem, uel ut ipſi uolunt, per emptionem clandeſtinam expugnaſſe, atq; abſtuliſſe, licet per abſentiam & negligentiam ueſtram Conſcij etiam ſimultatum, adiuti externo milite, auxilioq; & copijs Francicis, ſolitisq; artibus, hoc tentarint. Accurrite igitur uel hodie, pro communi ſalute liberateq; Goritiam ueſtram, quæ prius portiuncula liberæ Germaniæ, nunc duriſsimam ſeruitutem ſub Venetis cogitur ſeruire, inferte ſigna militaria in imbelles bellatores, & quos uirtus in armis inuictos reddidit, non uincamini factionibus, aut priuato ſtudio, aut futuram timeo non modo imperij Rom. amiſsionem, uerum etiam totius Germaniæ ruinam, quod Deus immortalis per ſuam miſericordiam, & nos per noſtram concordiam genuinamq; uirtutem auertere dignemur. nam ut alias dixi, ſi ea nobis concordia, tantumq; reipublicæ ſtudium fuerit, quantum maioribus noſtris, non ſolum, non timeo priſcam Germaniæ libertatem peſſum iri, uerûm etiam nihil nobis deeſſe omnino uideo, quod impedire poſſet, quo minus totius orbis imperium adipiſcamur, uictriciaq; ſigna, per totum ſolis ambitum circumferamus. Amen.

EPITOME

EPITOME LAVDVM SVEVORVM, ATQVE PRINCIPIS NOSTRI VDALRICI, DVCIS VVIRtenbergensis, & Thec. De captiuitate, & proditione ducis Mediolani: Et de mendacijs quorundam historicorum.

ARGVMENTVM HENRICI BEBELIJ in totum opusculum, ad Conradum Thum.

ACcipe nobilium specimen Conrade uirorum,
Quæ tibi magnanimo nostra camena dicat:
Inuenies breuibus Sueuorum grandia gesta,
Quæ quondam uberius scribere mente sedet.
Inuenies q; tui, uel sub iuuenilibus annis,
Principis inuicti, gesta, trophea, decus.
Historicos etiam non omni parte placentes,
Quos odium traxit, mulsit & ipse fauor.
Quod si grata tibi fuerint habitura fauorem,
Plurima pòst scribam plus placitura, Vale.

VIRO NOBILI ATQVE MAGNANIMO CONRADO THVM EX NEVBVRG, principis nostri illustrißimi magistro equitum, hoc est, uulgò Marschalco meritißimo, Henricus Bebelius Iustingensis poeta laureatus S. D.

CVM nuper legissem Conrade magnanime, apud Iacobum Bergomensem auctorem supplementi chronicarum, Ludouicum Mediolani ducem proditorie esse in manus Gallorum traditum, ab Anglis quibusdam (ut ipse ait) & Sueuis, factum omnibus annalibus detestabile, sum profectò plus, quã dici potest, stomachatus. Nam si hoc uerùm esset, nos Sueui maculam, & crimen nulla deinceps ętate, nulla uirtute abolendum contraheremus. Nam si fidei nostræ creditos, non modo desereremus: uerùm etiam proderemus, essemus profectò liberis, & nepotibus nostris pudori, & uerecundiæ, quòd primi maiorum partam gloriam, per summam ignominiam denigraremus. Ne igitur optima Sueuorũ fama, fides, integritas, animositasq; & fortitudo animi, quæ à maiorib. nostris honestissima, atq; præclarissima accepimus, ignauia nostra perderentur, nẽue tam pessimum exemplũ nostrorum temporum inultum, aut non excusatum, falsò & mendaciter, ad posteros transmitteretur, credidi mihi, & unicuiq; Sueuo conuenire, se suamq; patriam (pro cuius salute ipsum spiritum deuouendum esse existimo) ab inaudito periurij, & violatæ fidei crimine uindicare. Ego autem fidei Sueuorum splendorem omnibus retro sæculis intactum, & in hanc usq; diem, incontaminatum ostensurus, ad quem potius scribam, aut ubi conquerar hanc iniuriam commodius, & iustius, quàm apud te illustrissimi Sueuiæ nostrę principis hominem primarium,

marium,& familiarissimum? Qui cum habeas animum nobilem,excelsum,& magnificum,corpus q̃ ipsum,& sanguinem pro laude,& salute patriæ exponere nunquã dubitares,apud eum q̃ principem sis,cuius inuictissimus animus,& maximus nihil abiectum,& humile,sed magnificum semper,& egregium cogitat & facit:putaui hanc meam publicam Apologiam, & Sueuorum defensionẽ apud te,& principem nostrum,in primis maximũ pondus habituram,plausibiliter q̃,& summo fauore excipiendam. Nam ut de principe primũ loquar, cum sit ille nobilissimorũ,ab antiquissimis q̃ temporibus laudatissimorum Sueuorum dominus,& princeps quo animo accipiat quæso, iuxta accusationem præfati scriptoris,se atq; suos ita degenerare à maioribus suis,tantumq; crimen inferre gloriæ Sueuorum,ut cũ maiores nostri sint,à fide celebratissimi, sui suo tẽpore per inauditam uiolatæ fidei impudentiam infamarentur? Hanc igitur falsam,& mendacem accusationem iniquissimo laturum animo nunquam dubitabo. Nam cum illius incessum uirilem tacitus intueor,morum grauitatem consiliorumq; supra adolescentiam maturitatem,fortitudinem,magnitudinẽq; animi ueris simis assertoribus accipio,quem neq; permoueant tubarum fractæ uoces, neq; horrendus militum clamor,neq; arma late perstrepentia, aut bombardarũ (ut ita loquar) uiolentia,atq; omnium tormentorum insanus horror: Quæ omnia princeps adolescens inclusus ferro,loricaq; onustus ex innata uirtute negligat,& qui ad omnem tumultum infracto animo inter primos uideatur,hoc est, manu strenuus,in subeundis periculis constans,atq; in rebus moliendis efficiendisq; uelox, & qui extra militarem disciplinam non in ociosa uita atq; delicijs corrupta. Sed in iugi exercitatione armorum,uenationibus cęterisq; rebus quę homini tolerantiam patientiamq; laborum præbent,consistat,maximamq; partem uitæ consumat,cuiq; nihil enerue, nec quod animos uirorum, aut molliret, aut frangeret,placeat. Videtur mihi profectò princeps ille meus ad ueterum, & maiorum suorum gloriam,ab omni iniuria uindicandam fato quodam progenitus. Et quicquid in Cõradino ultimo Sueuorum duce,rege Hierusalem atq; utriusq; Siciliæ, proh hominum,atq; deorum fidem,amissimus, in hocuno nos recuperaturos spero constantissime, Et maximum certe iam experimentum dese exhibuit,qui contra hostes hactenus toti Germaniæ formidabiles mira fœlicitate,& iustissimo bello ita enituit,ita suos ab iniuria latronum, atq; hostium tutatus est,tam amplissimè fines suæ ditionis protulit, ita adolescentiæ annos triumphalibus glorijs imbuit,ita iniuriam prius acceptam,atq; contemptum prioris sæculi matura uindicta ultus est,ut certissima spes sit, eum suos maiores longè supergressurum. Et antiquitatis uenerabilia nomina Fœdricorum, Heinricorum,Conradorum,gentilium suorum,eorumq; fœlicissimas res gestas,æmulaturum glorioſissimè. Quod si manipulatim eius laudes immortalesq; uirtutes enarrare uellem,non foris solum, sed etiam domi dicerem, quanta principis esset in subditos iustitia, quã iustis legibus præclarissimisq; maiorum institutis, præcipuaq; humanitate,sibi commissos gubernaret,nec quem ad bona ciuium diripienda auaritia cœcum impellat,nec libido præcipitem,ad uoluptatem inflãmet,nec crudelitas,ad ciuium cedem prouocet, sed qui modestia, temperantia, atq; clementia regni perpetui instrumentis suum dominium constituant,sed ad alia maturanti mihi non est institutum,hic aliud agere,quã conqueri apud principem iniuriam nobis factam, quem eo iniquius laturum eam ipsam existimo. Nam dum eius ingens animus nihil nisi egregium cogitet,& illam egregiam cogitationẽ iam rebus gestis declarauerit, sitq; in futurum maximè declaraturus, cur non & ipse timeat,si ita mendatia scriptorum pro libito cuiusq; tolerarẽtur, uenturum,qui eius etiam uirtutes , & res optimè gestas mendacijs obfuscaret? ad te aũt Conrade magnanime potissimũ scripsi. Nam cum tantũ ualeas auctoritate,

itate, consilio & fide apud principem, quantum alius nullus, nec te quod primo loco sis apud illum, fœlicitatis pedisequa superbia arrogantem reddiderit; sed sis facilis & adeuntibus benignus, credidi ego me tibi rem facturum gratissimam, si Sueuos cum ueritate ab inaudito crimine excusarem. Dum te pro republica Sueuorum, pro laude & gloria principis & patriæ, non opes solùm & fortunas bonaq; uniuersa, uerùm sanguinem ipsum effundere nunquam dubitabo. Nam cùm superioribus annis princeps noster uictoriosus fœlicissimo bello & iustissimis belli causis memorabiliq; exercitu summa cum laude & gloria fines suæ ditionis deuictis oppidis castellis atque arcibus, natura loci operecq; munitissimis, non mediocriter protulisset (ut superius dixi) tu profectò (citra adulationem rem omnibus notam ingero) omnium rerum gerendarum curam suscepisti uigilantissimus, ita ut imperator esses consilio, miles exemplo & labore. Tu omnia castrensia munera primus, aut cum primis obiuisti, & omnia quæ consueuerunt fieri in militia, stare pro signis, excubias sorte agere, uallum ferre, locum bello antè capere, castramentari, omnibus rebus cum primis adesse, quæ oppugnationi arcium & castrorum idonea uisa essent. Loriculas item, hoc est, fossas pro excubijs, ad expugnationem ducere, atque bombardas, quæ dicuntur & tormenta in hostium atque murorum exitium atque ruinam collocare & disponere neglexisti nunquam. Et sicut primus semper iussisti, ita primus labore & iussa tua capessisti. Hæc omnia huc pertinent, ut pro laude & gloria, pro salute denique patriæ, non solùm nullum laborem subterfugeris, uerùm etiam honesta uulnera & mortem ipsam omnino contempseris. Quod si hęc principis gesta immensiq; tui labores pro patria, falsò & menda citer ad posteros transirent, quo animo ferres? quàm ægerrimo, facilime coniecturari potest. Quæ cum ita sint, & ego summa necessitate inauditam ignominiam Sueuis falsò impositam expurgare pro mea portione instituerim, elegi teunum, cui hunc laborem meum honestissimum dedicarem. Quem eo accipias animo precor, quo scripsi, & me tuo patrocinio & commendatione nunquã dedignabere. Quod si feceris (uti bene spero) uidebis nihil quod in me beneficij conferas, aut minus rectè positum aut non ratione collocatum. Vale & commẽda me principi nostro, ad quem ornandum & celebrandum, atq; ad patriam pro uiribus illustrandam atq; ab iniuria asserendam, omnem industriam meam, omnem ingenij, si qua est, uim hoc est omne negocium & ocium effundam studiosissime. Iterum uale, Tubingæ.

EPITOME LAV-

DVM SVEVORVM, ATQVE PRIN-

CIPIS NOSTRI VDALRICI, DVCIS VVIR-

tenbergensis, & Thec. De captiuitate, & proditione ducis Mediolani: Et de mendacijs quorundam historicorum.

SCRIPTVRO igitur mihi defensionem Sueuorum, libuit obiter & uerecundè in eorum laudibus prædicandis immorari: quorũ tamen immortalia facta resq; præclarissimè gestę maxima ex parte scriptorum penuria uenerunt in obliuionem. Nam eorum qui fecere uirtutes (ut ait Crispus & Hieronymus) tanta habetur auctoritas, quanta eam uerbis potuere extollere præclara ingenia, uti Alexander Magnus ad Achillis tumulum non obscurè demonstrauit. Quæ cum ita sint, & Germania nullos unquam habuerit rerum scriptores, saltem uetustos, ego sæpe aliâs ut nunc Germaniæ motus commiseratione, nihil à dijs immortalibus maiori uoto religiosiusque optaui in rebus profanis, quàm nobis ab antiquo fuisse rerum scriptores, qui citra omnem uel affectionem uel adulationem res Germanas scriptitassent. Qui si fuissent non alibi de exemplum omnium uirtutum petendum esset, quàm à Sueuis. Quod cùm scriptores defuerint nobis, triplici ex causa res nostræ fortiter gestæ uenerunt in obliuionem.

Primùm enim uehementissima suspitione carere non possum, quin Romani (quibus semper ferè Germani & Sueui hostes fuere) quantum potuerint, gesta nostrorum uel ignoratione, quippe quibus nunquã tota Germania cognita fuit, uel odio propriq; laudis studio extenuare uel obfuscare, uel sua plus æquo dilatare & extollere nõ neglexerint, adeò, ut (teste Iosepho) aut Rom. obsequio aut externorũ odio contra fidẽ rerũ falsa confirmauerint. Vt dum Romanos uoluerunt ostendere magnos, externorum res extenuauerint, & in humilitatem deiecerint, ut idem testatur Iosephus. Quod etsi Cæsar Iulius, Titus Liuius, Suetonius, Cornelius Tacitus, & alij nonnulli fide digni habentur scriptores, sicuti nec ego inficias ire uolo: multo tamen laudatiores & magis celebres contenderim esse Germanos, si & hos ipsos esse Germanos contigisset. Adeò nemo nostrûm est, quem non patriæ dignitas & amor interdum permoueat, ut longè liberaliùs & effusius disertiusque in illius laude recensenda, quàm exterorum & præsertim inimicorum rebus gloriosè gestis persistat. Ad quod credendum iustissimis rationibus inducor. Nam Flauius Vopiscus historicus ait neminem non historicum, quantum ad historiam pertinet, aliquid esse mentitum. Addit quoque, proderem quinetiam in quo Liuius, in quo Salustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus manifestis testibus conuinceretur. Præterea scribe, inquit ut libet, securus, quod uelis dices, habiturus mendaciorum comites, quos historicæ eloquentiæ miramur auctores. Et Asinius Pollio dixit, parum diligenter, parumque integra ueritate compositos commentarios Cæsaris. Et Cicero, quæ enim Cæsar nunquam neque fecit neque fecisset, ea nunc ex falsis eius commentarijs proferuntur. Et Pollio contra Liuium dicit, quod pleraque per alios gesta temere crediderit. Nonne ut ad Græcos ueniam,

niam, omnes inter se Græcorum scriptores certant de falsitate historiarum inter se mutuò digladiantes? Testis est Iosephus Iudæus contra Appionem grammaticum, & Eusebius libro septimo, de præparatione Euangelica, dicens. Pugnant inter se omnes, & alter alterius falsitatem redarguit, non est opus ut eos moneam, qui melius me sciunt, quod Hellanicus cõtra quem Acusilaus de genealogijs ediderit, nec ut enumerem in quot quantisque Hesiodum reprehendit, nec dicam quomodo Ephorus Elanicum, Timeus Ephorum, Timeum posteriores, Herodotum omnes reprehendunt. Non est necesse de singulis atque minoribus dicere, cum de Persarum, in Græciam impetu, & de præclaris facinoribus nunc gestis inter se uehementer scriptores discrepẽt, cum etiam Thucydidem qui accuratissimè suorum temporum historiam conscripsisse creditur, quasi mendacem nonnulli accusent. Nonne & Herodianus Græcus dicit plerosque historiographos plus ostentatione eloquentiæ quàm amore ueritatis scripsisse. Alios uerò (sicut & Polibius asserit) plus fauore & assentatione uel odio tyrannorum uel populorum egregia eleuasse atque extenuasse uel humilia supra ueri fidem dicendi artificio atque elegantia celebrasse atq; in cœlum sustulisse. Ex quibus nemo dubitare potest, quin Sueuorum & omnium Germanorum res & in obscuro manserint, & mendaciter sint posteris traditæ ob scriptores exteros & hostes Germanorum.

Secunda causa est, cur Sueui non sint pro rerum dignitate & meritis celebrati. Quia quicquid apud cæteros à Sueuis egregiè gestum est, communiter Germanis ascribitur. Nec enim Itali ita mouerunt, differentiam inter Sueuos & cæteros Germanos, uti nos. Et quoniam Galli illis notiores sunt, sæpe quæ Germani uel sine uel cum Gallis fecerunt, ipsi tantum Gallis ascripserunt; sicuti nos iam facimus, & præsertim uulgus. Quicunque enim lingua nostra loqui nescit, uocamus Italum uernacule *&walchen.*

Tertia causa obscuritatis Sueuorum. Quia nunc Sueui, nunc Alemanni dicimur. Inde quicquid Alemanni ubique terrarum gesserunt, Sueuis ascribendum est. Sed quod Alemanni Sueui sint, testatur diuus Hieronymus in uita Hilarionis. Inter saxones (ait) quippe & Alemannos gens est Francorum, non tam lata quàm ualida & cætera. Hoc item Paulus diaconus ex Sueuorum dicens, id est, Alemannorum gente oriundus. Et Gualfridus abbas sancti Galli, Dum duo sunt (inquit) uocabula Sueuia atque Alemannia unam gentem significantia, priori nomine nos appellant circum positæ gentes, quę latinũ habent sermonem, omniaq; priuilegia augię maiori à Carolo Magno eiusq; successoribus data declarant Alemannos uocari iuxta lacum Constantiensem, monasterium'que esse in Alemannię partibus, ut dicit Carolus tertius. Hoc item testatur historia elegantissima cuiusdam abbatis, qui de Heinrico quinto ita dicit. Mittuntur in legatione Romam à Lothoringia Bruno Treuirensis, à Saxonia Magdeburgensis, à Francia Otho Babenbergensis, à Baioaria Eberhardus Ehistetten, Ab Alemannia Geberhardus Constantiensis, A Burguadia Curiensis. Albertus item magnus dicit Sueuos Alemannos à maximo lacu Lemanno, qui ante radices Alpium effunditur, per cuius medium transit Renus, qui modò Constantiensis & Brigantinus etiam à Solino dicitur. Laurentius Vallensis cum Alberto sentit. Hi uidentur à Lemanno lacu, id est, Constantiensis, Alemannos dictos. Et Goffredus Viterbiensis, Rhenus ab antiquis describitur esse Lemannus. Alij autem ab Hercule Alemanno, quia ut dicit Berosus, Hercules Alemannus apud Tuyscones regnauit, & Annius uiterbiensis ibidem credit, aut Manni filium fuisse, uel qui Manno in regno successerit. Qui Hercules Alemannus religiose apud Germanos cultus est. Nam

(ut dicit Tacitus)Germani apud eos Herculem fuisse commemorant, primumq́ue omnium fortium uirorum ituri in prælia canunt. Et hodie in Augia maiori Insula Rhenana uisitur idolum Alemanni æreum. Et in æde sacra in rei memoriam seruatur, quod & Lemanno lacui nomen dedisse uidetur. & Alemannis & monasterio *Almanswiler* & uillæ *Almanshoffen* & alijs nonnullis pagis. Abeant hic somniatores qui uolunt Alemannos dici à Lemanno lacu Gallię Celticæ, inter quos est Sabellicus, nihil enim nec receptum nec ueri simile dicunt, ut satis supra ostendi, alij multo maiori impudentia uolunt Alemannos esse genus aduentitium ex uaria colluuione gentium, quod multo minus quadrat, & quod tanquam commentum omnino transeo, contentus dixisse quæ nemo sanus reprobet. Quod si uolueritis hinc legere quid Alemanni Sueui gesserint per totam Italiam & alias regiones, inuenietis eos celebratissimos. Nec ego Heluetios & confœderatos modò dictos, Sueuos esse admitto, sicuti nec ipsi uolunt, (Alemannos tamen non negabo qui latius extenduntur)licet nobiles se de Sueuis confœderatis aliquando scripserint. Fuerunt enim ducum Sueuiæ & Alemannici ducatus (ut uocat Ludouicus rex Francorum, Luduoci pij Cæsaris filius) clientes & sub illorum ditione, subditi quoque non Sueui, quos Gallos, antè existentes Sueui Alemanni Rhenum traducentes in seruitutem redegerunt, & linguam mutare coegerunt. Nam tempore Cæsaris (teste Orosio) Heluetij modò Suitenses, exierunt proprias sedes, ea de causa, quod perpetuo pene cum Germanis bello altercabantur, à quibus Rheno tantum flumine dirimebantur. Nobiles â principibus præfectos oppidorum atque castrorum impositos, etiam ipse Sueuos ex origine existimo. Cum igitur istis ex causis Sueuia non sit pro rerum meritis celebrata, & maximè quia nullos nisi hostiles scriptores habuit, qui non nisi obiter suos duces extollendo res nostras tetigerunt, uolo tamen pauca quædam ex historicis colligere & scriptoribus, quibus quilibet optime coniecturare potest, gesta Sueuorum esse amplissima, si scriptores uernaculos habuissemus. Primùm Sueui singulariter præ alijs Germanis nobiles dicuntur, testis Seneca Hispanus in Medea.

LVCIS SVEVI NOBILES HERCYNEIS.

QVod si aliquis à corpore laudandus uenit, Sueuia est terra populosa, cui gens procero corpore, flauo crine & pulcherrimo, uenusta facie, decora specie, robore membrorum & lacertorum ualidissima, in quos denique dij immortales tanta naturæ & corporis bona atque ornamenta fortunę congesserunt, ut nullis gentibus cedere debeamus. Sed alia sunt à quibus plus commendamur, Cornelius Tacitus à fide nos commendat, (quos perfidiæ accusare nititur supplementum)dicens, gens fidei commissæ patientior. Et nostri maiores semper latera imperatorum Romanorum stipabant, in singularis fidei & integritatis testimonium. Et ut postremò integerrimam semper nobis fidem esse adhibitam nosq́; omnium nationum non solum Germaniæ fortissimos, & fuisse apud ueteres & recentiores esse ostendam, tale sit uobis argumentum. Nam cum Vitellius (teste Cornelio Tacito) à Germanico exercitu (non Germanitiano, ut Beroaldus homo alioquin doctissimus falsè & contra omnes historicos illius rei persuadere uoluit) esset imperator acclamatus, solis'que Germanis comitibus imperium esset adeptus, & aliorum imperatorem Othonem uictis sæpe illius exercitibus, ad mortem uoluntariam compulisset, esset'que à Romanis electus Cæsar contra Vitellium, Vespasianus in re militari expertissimus

expertissimus fœlicissimusq; imperator diu deliberauit, an imperium susciperet, propter Germanicarum legionum uim, famam & robur. Tandem fortissimos Germanos non nisi Germanis uincendos existimans, Sidonem atque Italicum Sueuorum reges in auxilium & partes suas traxit, qui cum suis Sueuis primori in acie uersati uicerunt Germanos, Vespasianumq; in imperio firmauerunt, sicuti etiam successu temporis Constantinum Magnum ad imperium auxilio suo euexerunt (teste Aurelio) Ecce summam fidei & fortitudinis opinionem in Sueuis apud ueteres, & Romanos. Quod si ad recentiora tempora descendamus, inueniemus Sueuos uniuersæ nationi Germanicæ animi magnitudine, fide & uirtute præpositos. Nam dum quidam abbas Hersfeldensis Saxones describeret & eleganter quidem Henrici quarti imperatoris gesta contra Saxones, ita inquit. Datum est negocium Rodolpho Sueuorum duci, ut ipse cum suis prima acie confligeret, peculiari Sueuorum priuilegio, quibus ab antiquis iam diebus lege latum est, ut in omni expeditione regis Teutonici ipsi exercitum præcedere & primi committere prelium debeant. Hoc idem confirmat Gotfredus, Viterbiensis, non Sueuus neque Germanus, sed Italus his carminibus.

Iudicio cœli dominantur in orbe Sueui,
Nunc ubicunq; geri respublica prælia quærit,
Ordine primus erit, gladio uult primus haberi,
Moreq; signiferi primus in hoste ferit.

Hoc etiam (ut uetera dimittamus) comprobauit coronatio Fœderici tertij Cęsaris Augusti nuper defuncti, quem Romam pro augustali corona intrantem prębant omnium primi Sueui, uexillum sancti Georgij (quod aquilam pręcesserat) gestantes. Quibus ex rebus relinquo uniuersi mundi iudicio qualis antiquitus fuerit, & nunc debeat esse Sueuorum existimatio, quæ non nisi ex rebus pręclarissimè gestis progressa dinoscitur. Quare hanc eximiam maiorum nostrorum prærogatiuam, & incomparabilem gloriam Carolo magno (ut dicitur) usque in hunc diem summa cum laude nostra nobis delatam, Vdalrice princeps inuicte atque fortissime non sinas unquam sub te aut tuo tempore aboleri, aut ab alio præripi. Quoniam nullum maius uirtutis testimonium unquam aliqua gens præferre aut sibi arrogare mea opinione potest. Emulemur quæso te duce & principe maiores nostros, qui rebus fortiter gestis, hanc peperetunt laudis, & gloriæ prærogatiuam. Sumus illorum sanguis, illorum effigies ex pressissima. In nobis relucet mirifica illa maiorum nostrorum nobilitas & animi magnitudo. Turpissimum ducamus precor ab illis degenerare. Nec committamus, ut clarissimum hoc uirtutis nomen & candidissima fides, quam maiores & patres nostri multo sanguine & rebus fœlicissime gestis iure quodam quasi hæreditario reliquerunt, nos ipsi per secordiam & negligentiam amittamus, & si te duce princeps illustrissime (dij bene faueant) nunquam formidare debeam. Et ut latius externorum testimonio ceteris Germanis nos prestare probetur, dicit Iulius Cesar libro quarto. Sueuorum est gens longe maxima & bellicosissima. Item Tencatheri & Vsipetes Germani à Sueuis, sedibus suis pulsi, ita loquuntur apud Cesarem, sese unis Sueuis concedere, quibus nec dij quidem immortales pares esse possint, reliquum quidem in terris neminem esse, quem non superare possint. Plutarchus dicit prestantissimos Germanorum Sueuos. Paulus Orosius dicit maximam & ferocissimam esse gentem, alibi fortissimam. Et Lucius Florus, ualidissimam. Et ut dixi Sueui Tencatheros, & Vsipetes amplissimas nationes expulerunt. Et insuper alias Germaniæ nationes sub se habuerunt, ut idem Cæsar testatur. Publice autem maximam putabant laudem esse, quam

latissime à suis finibus uacare agros, hac re significari magnum numerum ciuitatum suam uim sustinere non posse. Itaque una ex parte, tempore Cęsaris à Suevis circiter millia passuum sex centa agri uacabant. Ad alteram partem successerunt Vbij, hoc est, Colonienses, quos uectigales fecerunt, & postremo trans Rhenum secedere compulerunt, ubi adhuc habitant. Sed quid maius aut glorioſius dicere possum de Sueuis? quàm quòd Romani gentium domini & terrarum reges, quibus maria obediuerunt, à quibus Oriens & Occidens lustratus est triumphis, & quibus (ut dicit Egesippus) supra nubes uiantibus, & ultra columnas Herculis imperium propagantibus nihil inuium fuit, nos unicos Sueuos nunquam obedientes habuerunt, quos & timuerunt & uicto-res uiderunt. Et quibus Romanis non restiterunt non solum terræ, ab illorum regione syluarum interuallis atque uastitate, Alpibus montibus, fluminibúsque distinctæ, uerum etiam quas (ut gloriantur) æternis ardoribus inaccessas aut continua hyeme separatas, aut interfusis æquoribus abiunctas, ab his natura disterminat, se trementes submiserunt, adeo, ut non Indus Oceano, non frigore Mæotis, non Arabs medio sole securus fuerit, his Sueuorum sola & inuicta uirtus restitit. Et ecce Iulius Cæsar, cuius fortuna humanæ fœlicitatis modum supergressa est, cuius uirtus nunquam intremuerat, & incitatissimus bellorum & triumphorum successus & cursus instar amnis hybernis niuibus aucti profluens, hactenus nunquam substiterat, apud solos Sueuos elanguit, resedit & consistere coactus est. Nam bis traducto Rheno ulciſci Sueuos parauit ob auxilia (quæ nemini ut alius dicit contra Romanos denegabant) Treueris missa, & quod assiduè Vbios, qui erant in fide Romanorum, premerent, sed bis, postquam Sueuos audiuit esse in armis, paucis diebus trans Rhenum moratus, pontem quem fecit, rescidens aufugit. Quod si æqualibus, Asinio Pollioni & Ciceroni Tullio fuit suspectus, quod in suis laudibus esset nimis & ultra ueritatem profusus, multo celebratiores credo esse Sueuos, si Sueuus hanc illius trans Rhenum & contra Sueuos expeditionem atque rursus fugam scripsisset. Hoc unum dico, Iulius immodicus animi nunquam dimisisset Sueuos, si non eos timuisset. Qui quomodo precor causari uult uastitatem syluæ Hercyneæ? quo minus illos sit aggressus, qui Britannos alterius orbis homines, & hactenus ignotos Romanis, per infestissimum mare quæsiuit, & cui ante & post Sueuos nulla regionum longinquitas, nulla iniquitas locorum nec uastitas nec noxij serpentes nec feruores Libyæ nullius tempestatis asperitas obstitit? Quos cum nequiret uincere, tandem amicos sibi fecit cum cæteris Germanis & eorum auxilio Galliam subegit & Pompeium cum toto Oriente atque innumeris regibus cruentissimo bello uicit, adeò, ut nihil egregium sine illis auxiliatoribus gereret, adeò utilis uitam & imperium monarchiamque accepta referre debeat. Quid dicam de Augusto Cæsare, sub quo totus mundus pacatus esse dicitur, cui se Persæ submiserant, & Indorum reges muneribus honorauerunt? Nonne imperatoris illius post natos homines fortunatissimi, apud solos pene Sueuos fœlicitas claudicauit. Nam Quintilium Varum cum tribus legionibus ab illo ad arcendas barbarorum excursiones contra Augustam missum, Sueui ad internecionem deleuerunt, ablatis signis & aquilis duabus.

Vnde adeò consternatum scripsit Suetonius Augustum, ut per continuos menses barba capillo'que submisso caput interdum foribus illideret, uociferans Quintili Vare legiones redde, diem'que cladis quotannis mœstum habuerit atque lugubrem. Sed non solum tres legiones, uerùm ducem etiam legatum & auxilia omnia amisit, ut ait Suetonius. quæ missa sunt ab uniuersis

uerſis ſocijs & ſubditis Romanorum, inter quæ erat Auar Græcus Bogudis regis filius cum Macedonico exercitu, ut hodie antiquitates Auguſtę urbis declarant. Vbi etiam hij uerſus ſunt reperti.

His nomen terris Bogudis dat regia proles
Græcus Auar pecudis de Sueuis more litatus.

Fuit autem hoc grauiſſimum & atrociſſimum inter Romanos & Germanos bellum, & poſt Africanum maximum. Vnde notari poteſt, dicit Otho Friſingẽſis, quanti roboris prædicta gens Germanorum fuerit, quę in ſumma auctoritate Romani populi & imperij tantam ſtragem Romani militis dederit. Tradunt Auguſtenſes hanc eędem ibi factam, oſtenduntq; in argumentum collem ex oſsibus mortuorum compactum quem in ulgari Perleicheo, quòd legio ibi perierit, uſque hodie uocant, uicumque ex nomine Vari appellatum monſtrant hæc Otho. Et tamen hanc ignominiam & memorabilem cladem à Sueuis acceptam Auguſtus nunquam uindicauit, ſatis expertus Sueuos, ſed uerſus ad deorum auxilia, uouit magnos ludos loui, ut reipublicę ſtatum reformaret atque in meliorem ſtatum conuerteret. Tiberius Auguſti ſucceſſor timens (ut uidetur) Sueuos, regem eorum Marobolum (ut teſtatur Euſebius & Sextus Aurelius) blandè & amicè ad ſe uocauit, callidèque circumuenit, nec unquam ad ſuos redire permiſit. Druſus autem Cæſar Tiberij frater præclariſsimas omnium res in Germania geſſiſſe prædicatur ſub Auguſto, ſed multo ſuorum ſanguine. Claudianus.

Nobilitant ueteres Germanica fœdera Druſos
Marte ſed ancipiti, ſed multis cladibus empta.
Quis meminit uictum ſola formidine Rhenum?

De quo ita ſcribit Oroſius, Poſtea fortiſſimas nationes & quibus naturaliter uires, conſuetudo experientiam uirium dabat, Cheruſcos, Sueuos, & Sicambros pariter uno bello, ſed etiam ſuis aſpero ſuperauit, quorum ex eo conſiderari uirtus ac feritas poteſt, quod mulieres quoque eorum, ſi quando prælio uentu Rom. inter plauſtra ſua concludebantur, deficientibus telis uel qualibet re, qua uelut telo uti furor poſsit, paruos filios colliſos humi in hoſtium ora iaciebant, in ſingulis filiorum necibus bis parricidæ. Inde natum prouerbium, illorum mulieres cæterarum gentium uiris fortiores & bellicoſiores eſſe. Sed Druſus tandem prope Rhenum belligerans, eſt à Germanis occiſus. Et Germania (teſte Floro) magis turpiter eſt amiſſa quam gloriosè acquiſita. Sed quota pars Germaniæ, parua profectò ab eo acquiſita, ut ex Oroſio probare poſſum in ſexto libro. Tiberij ſucceſſor Caius Caligula (teſte Eutropio) bellum contra Germanos mouit, ingreſſuſque Sueuiam nihil ſtrenuè egit, imo timidiſſimè fugit. & adeò conſternatus eſt animo, ut fugam tranſmarinam cogitaret & pararet. Nam quod Suetonius de Germanis refert, non poſſum ex Eutropio niſi de Sueuis intelligere. Ita autem dicit Suetonius: Aduerſus barbaros quoque minaciſſimus, cum trans Rhenum inter anguſtias depreſſum què agmen iter eſſedo faceret, dicente quodam non mediocrem fore conſternationem ſicunde hoſtis appareat, equum illico conſcendit ac properè uerſus ad põtes, ut eos calonibus & impedimentis ſtipatos reperit, impatiens moræ per manus ac ſuper capita hominum translatus eſt. Mox etiam audita rebellione Germaniæ, fugam & ſubſidia fugæ claſſes apparabat; uno ſolatio acquieſcens; trans marinas ſibi ſuperfuturas prouincias, ſi uictores Alpium iuga, ut Cimbri; uel etiam urbem, ut Senones quondam occuparent. Vnde credo percuſſoribus eius poſtea conſilium natum apud tumultuantes milites ementiendi ipſum ſibi manus intuliſſe, nuncio malæ pugnę perterritum. Poſterioribus uerò tem-

poribus non contenti Sueui & Alemanni in patrio solo Romanos non timere; imo uerò Romano imperio grauissimi & formidabiles in primis, sedibus suis relictis, crebras excursiones in Italiam, Galliam, & Hispaniam fecerunt. Omnia'que uastantes atque victoriosis signis suppeditantes, contra Antoniam Verum, Maximianm, Constantium, Constantium, Aurelianum, Iulianum & alios imperatores uaria fortuna in Gallia sæpe pugnauerunt. Tandem sub Arcadio & Honorio uastatis Gallis trasmissis'que Pyreneis montibus direptis'que Hispanijs, tandem in Galetia consederunt, septem'que ibi reges per ordinem habuerunt, uastata sæpe Tarraconensi Carthaginensiq; prouincia, ut auctores referunt. Et quorum auxilio Huni toto orbi formidabiles sæpius cæsi sunt. Sed quid fecerint Senones, Longobardi, Angli scriptorum nobilissimorum suffragio Sueui nouit Gallia, Roma, Pannonia, Illyris, Græcia, Macedonia & Asia testatur. Horum autem gestorum auctores fuisse Sueuos ostendi alibi non obscurè, & olim multo efficacioribus persuasionibus probabo. Postremò, si uellem pro rerum dignitate laudare Sueuorum duces, qui imperium Romanum à Carolo magnificentissime & glorioſissime ad c. & xx. annos administrauerunt, opus esset profectò integro libro. Qui omnes aut ex Vuaiblinga oppido aut castro Stauffa hereditaria terra principis nostri Vdalrici originem ducentes, cunctis ferè Europeis gentibus iugum seruitutis imposuerunt. Et feras illas atque indomitas Turcarum gentes sæpe uastatione, prælijs, cædibus, ferro & igni domuerunt. Præsertim Conradus secundus qui per Asiam uictricia signa tulit, atque cum perfidis Sarracenis in terra sancta strenuissime decertans, illustrissimis triumphis enituit. Cuius unum ex multis facinus memorabile quidem, omnibus'que Christianis ne dum Germanis & præsertim Sueuis glorioſum non duxi prætereundum. Ille enim dum apud Damascum præclarissimam urbem, atque Syriæ caput, maximam Saracenorum atque Turcarum multitudinem, atque infestissimum exercitum obuiam haberet, dimisso equo in prima Christianorum acie consistens dimicauit strenuissime, & cum ex altera parte quidam gigas procerissimæ staturæ suis spem maximam præberet uiriliter pugnando, nostrumq; imperatorem per collum apprehendisset, is educto gladio gigantem desuper per medium dissecuit, quo facto Saraceni perterriti atque retro cedentes speciosissimam Christianis uictoriam reliquerunt. Fœdericus primus Armenia & magna Asiæ parte in suam ditionem redacta, Saladinum uictoriosissimum regem atque uniuersam Mahumetis perfidiam exterminasset, nisi cum summo reipu. Christianę damno in paruo flumine esset submersus. Sub Heinrico quinto (penes quem pacis & belli gerendi auctoritas est atque administratio) Goffredus Germanus, comes Bulionis & tandem dux Lothoringiæ cum Germanis & alijs Christi fidelibus sepulchrum Christi ab infidelibus eripuit. Fœdericus secundus sola aduentus sui fama Sultanum ex Iudæa fugauit. In quam cum exercitu ingrediens in die Palmarum est Hierosolymis rex acclamatus atque coronatus. Quod si ad Europam reuertemus, inuentemus Sueuos imperatores sæpe Boiemis rebellibus iugum seruitutis imposuisse. Sarmatarum & Polonorum regnum in ducatum redegisse atque tributarium fecisse, regnum item Burgundionum in prouinciam imperij instituisse, Hungaros sæpe in propris sedibus percussisse, atq; priorib⁹ pulsis reges imposuisse, utramq; Rheni ripam Saxoniam, Franciam orientalem atq; Bauariam, iustam interdum seruitutem derectantes, pulsis uel exilio damnatis eorum ducibus, maximis sæpe calamitatibus & uictrici manu ut resipiscerent & ad sanitatem mentis obedientiamq; reuerterentur coegisse comperiemus. Qui quantis cladibus superbas Gallias, præsertim Cisalpinã Romam,

mam, Tuscos, atq; totam Italiam factiosam, atq; rebellem affecerint, quamquè triumphalibus, atq; fortunatissimis aquilis subiugum seruitutis defecerint, nemo est qui nesciat, cui saltem paucæ historiæ sunt notæ. Horum plures imperatores Rom. Reges Hierosalem, Siciliæ, Apuliæ, Sardiniæ & Corsycæ reges dominiq; fuerunt. Quorum illustria, atq; immortalia facta uiuent, & in ore omniū hominum uersabuntur in perpetuum, cum aliorum ingenijs præclarissimis, tū etiam meo, si dij immortales mihi uitam, incolumitatem, & scribendi fœlicitatē sunt concessuri. At uita comite spero me saltē alijs materiam, & occasionē præbiturum, ut eorum ingenio acriori, exquisitioriq; dicendi genere immortalitati commendentur, quæ fortiter Sueui gesserunt. Quod ideo dico, nam Itali propterea quòd Germania nullos habuit scriptores, & literatores, qui eorum mendacia confutassent, libere sunt in bonos imperatores Germanos mendacijs debacchati, & præsertim in utrumq; Fœdericum, quorum amplitudo, magnificentia, & maiestas cunctis nationibus illustris, Italis uisa est exitialis atq; intolerāda. Et Blondus siue suo ingenio, siue (quod magis credo) quia ita ab alijs accepe rit, qui pontificibus sunt blanditi, quibusq; Germanica uirtus, & rerum gestarum gloria fuit exosa, quod considerauí, in Sueuorum imperatoribus aliquando ab omni historica ueritate aberrant, eorum extenuando gloriam, & acerbius accusando fortitudinem. Meritò igitur conquerar defuisse nobis rerum scriptores. Nam ut ad institutum regrediar, quòd maiorum nostrorum res fortiter gestæ uenerint maiori ex parte in oblitionem, sintq; obscuratæ, per externos, & hostes nostros possum lucidissime etiam ex nostris temporibus colligere, dum ea quæ nos, aut uidimus, aut ex uiuentibus, & rerum gestoribus audiuimus, peruertuntur mirum in modum, à chronographis recentioribus. Sumamus exempla nostrorum temporum. Scripsit nuper quidam supplementum supplemē ti Chronicorum. Qui inter cætera narrat captiuitatem Ludouici ducis mediolani, ante sex annos factam, & inter alia refert Ludouicum proditorie esse, in manus Gallorum traditum, ab Anglis quibusdam (ut ipse dicit) & Sueuis quod cū pellegissem, stomachabar partim hominis simplicitatem, partim miserabar, quòd ea quæ sunt recentissima, cosmographiæ ignarus, falsò narrauerit. Qui enim sint Sueui, quiq; eorū fines minus bene nouit, dum alibi dicat Maximilianum Cæsarem bellum habuisse contra Sueuos. Anno M. ccij. xc. ix. dum Heluetij fuerint. Quoniam Sueui columna, & fundamentum imperij existentes officio, & obiequio in regem nulli mortalium cedunt, pro cuius uitæ incolumitate, salute & imperio propagando, ubiq; terrarum militant, corpusq;, & sanguinem intrepidi exponunt. Sed quid in re manifestissima laboro, cum ille ipse supplemētator Sueuos excuset, nisi in nomine erraſſet? Illi enim qui contra regem pugnauerunt, non Sueui, sed Heluetij dicuntur, quos ipse uidetur criminari. Sed illos ego, nec excuso, nec accuso, laborans ad hoc unum, ne Sueuorum nomen, in tam turpi facinore falsò, ad posteritatem transeat. Sed cum acres habeat aculeos contumelia, non immeritò stomachabar. Quis enim Sueuus æquo ferat animo suos proditionis insimulari, à quo crimine nihil magis alienum est, quàm uirtus & fides Sueuorum. A quo detestando facinore (præter præfati scriptoris excusationem) ueriſsimus, ego assertor Sueuos, & omnes (ita enim dicuntur nostri) lancearios sanctissima fide immunes affirmo, obtestorq; omnes Longobardos ducemq; adhuc captum, nec non Italos omnes, qui ducis partes fouerūt, & secuti sunt, pro ueritatis testimonio ipsos deniq; diuos, in testes uoco Sueuos & lanceariōs nihil tali commisisse, quinimo paratissimos fuisse experiri fortunam cum Gallis, nec certamen unquam detrectasse, quippe quibus patua salus nisi in armis proposita erat, quorum consilijs, dum parere dux contempsit, fa-

ctum est, ut captiuus Gallicanus, atq; seruitium regium habeatur. Et maximum argumentum nostros non consensisse, in illam proditionem est, quòd nostri primores qui plurimum in exercitu apud ducem poterant, sunt maiori ex parte, à Gallis Gallicanoq; exercitu rebus omnibus exuti. Summus enim præfectus nostratium copiarum, à Gallis captus, uitam & salutem ultra fortunas suas redemit. Item nobilis uir Marcus de Emps captus, & precio redemptus. Ita multis aliis contigit centurionibus, signiferis, & illis, qui acierum instruendarum curam gerebant. Taceo de illis, quibus ea deditio mortem intulit. Hoc nostri ex singulari Heluetiorum, qui paulò ante hostes nostri erant, in se odio, qui utranq; partem fouebant militibus, ante formidantes suæq; uirtuti inuictæq; animi magnitudini confidentes, non dubitassent, contra uniuersam Galliam, eo die fortunã tentare, memores pristinarũ uictoriarum, quibus sępe Gallos parua manu lõgeq; inferioribus uiribus fugarunt. Sed dux quos fideles habuerit, uel nõ, captiuus cogitur aliquando meminisse. Ego autem uerissime dico:

At nec Germanus natura prodere nouit,
Hinc spurius soleat prodere si quis erit.

Ita enim nostri, à patribus maioribusq; suis didicerunt, ut uirtute spectataq; fide, atq; integritate, non dolo, aut insidijs nedum proditione contendant, atque belligerent. Sueui autem & lancearij illi sunt, quorum auxilio, & uirtute inuicto q; animo reges Gallorum, atque Gallicanus Heluetiorumq; copiosissimus exercitus iam toties nostris temporibus Apulia sunt deturbati, fugati, & prostrati. Errat & auctor ille supplementi, ut alibi dixi, dum bellum Sigismundi ducis Austriæ aduersus Venetos narrat. Errant & alij, siue de industria, & adulatione ueritatem supprimũt. Nam & Petrus Marcellus de Venetorum ducibus scribẽs, ita ait, Conspirauerunt nanq; omnes ferè Germaniæ principes aduersus Venetos, qui ingenti barbarorum exercitu comparato, nullo prius indicto bello, Athesi apud Tridentum superato, subito incursu ad Rouerense oppidũ castra posuerunt. O quanta iniuria ueritati, & rebus gestis facta est, dum nemo non sciat bellum fuisse solius ducis Sigismundi neq; quenquam alterum principem interfuisse, aut aliquo fœdere suum duxisse bellum. Sed quòd ipse prior, nullo prius indicto bello lacessiuerit Venetos, scit totus mundus esse aliter factũ. Nam præter hoc quòd princeps fuit iustissimus, & integerrimus, & nihil iniquum tale unquam cogitauerit, nemo etiam non nouit, adeò fuisse pacis amatorem, ut nisi coactus illatum propulsare, nunquam Venetis, uel cuiquam mortalium bellum intulisset. Econtrario uerò Venetos agi præcipites dominandi libidine, pro qua nec fidem, nec diuina humanaq; iura pensi habere prædicãtur, uel maxime ab ipsis Italis. Addo autem alia inter se discrepantia, quæ scribunt Veneti de hoc bello, Subiungit idem Marcellus, ad famam aduentus Germanorum tanto fuisse terrore perculsos Venetos, ut momento temporis sine ullo maiori certamine, in fugam uerterentur, confracto q; ponte Athesis, plurimi armati in aquas præcipitati cum equis ui fluminis absorberentur, & Robertum Seuerinatem, cum suis ferè omnibus eodem furore perculsis, in aquis demersum concidisse. Bergomensis scribit ingentem fuisse Germanorum cędem, cui & uerba Marcelli refragantur, & ipsa ueritas, nullum enim detrimentum intulerunt Veneti. Qui enim fieri potest, ut ij qui ne uultum quidem Germanorum, atq; aciem fulgoremq; oculorum ferre potuerunt, fugientes nondum bene uisos, stragem ullam edidisse credantur? Vbi ullis annalibus, hoc lectum est? At nostri fugientes, & attonitos, & ad potandum Athesim festinantes Venetos consecuti memorabili illos clade affecerunt. Dicitur & Antonius Sabellicus pariter, cum superioribus cõsensisse, & uarijs prælijs uaria esse fortuna decertatum. Sed dicant quicquid uelint

lint omnes, Veneti defucare ſtudeant quibuſcunq; poſſint coloribus rem geſtã, nemo non nouit etiam in Italia cunctis prelijs, ſiue leuibus ſiue iuſtis nunquam Venetos ſuperiores, ſemper victos, captos, trucidatos, uel aquis ſubmerſos eſſe, Veriſſimumq; eſt Epitaphium, in ſepulchro Roberti Seuerinatis Tridenti.

Italiæ victor Seuerina ſtirpe Robertus,
Siſmundum Auſtralem ſenſit, in arma ducem.
Ter proceres Veneti bello petiere Tridentum,
Ter victi, & victus ecce Robertus adeſt.

Baptiſta autem Mantuanus laudans uerè laudandum, & præſtantiſsimum rei militaris ducem Robertum, eius in hoc bello fortiter res geſtas plus poetice quã hiſtoricè ſcripſiſſe exiſtimatur. Et ut pateat, quã parum probè ſint inſtructi de rei geſtæ ueritate, notum eſt, Antonium Mariam Roberti filium, hominem proceritate, & præſtantia corporis, atq; animi magnitudine inter ſuos illuſtrem prouocaſſe, ad monomachiã ſingulareq; certamen, quemcunq; Germani uellẽt, natalibus tamen, & nobilitate egregium: ex Germanis uerò Ioannem comitem de Sonnenberg, hoc eſt, de monte ſolis, conditionem accepiſſe, atq; pro laude Sueuorum, & totius Germaniæ fortiter pugnantem ſuperiorem victoremq; extitiſſe. Quod certamen Sabellicus enarrans dicit, ex Germanis fuiſſe Georgium Gombergium. Qui quis ſit, ego neſcio. Sed ut cõcludam aliquando. Quid ſplẽdidius? quid magnificentius, aut maius, ad gloriam Germanorum addi poteſt? quã paucis noſtrorum copijs, & nudis lanceaq; tantum inſtructis militibus robuſtis tamen uiriumq;, & animi pleniſsimis pulſos eſſe, proſtratos, & cæſos copioſiſsimos Venetorum exercitus, ingentiſsimamq; eorum cataphractorũ manum, quorum equi operimento ferri munitiores noſtrorum corporibus erant, nudorum lanceariorum aſpectum expauiſſe, ac ne primum quidem impetum, aut congreſſum ſuſtinere potuiſſe? Et profectò poſt deguſtatas iam frameas noſtras, poſtquam ſe ex fuga in tuta recepiſſent, ita trepidatum eſt totis caſtris, ita conſternatus fuit maximus exercitus, ut optimum ducem Robertum, atque de repub. Veneta meritiſsimum poſt abſceſſum Germanorũ, in undis ſubmerſum quærere non auderent. Quem tandem noſtri pietate moti inuentum retulerunt Tridentum ibiq; honorifice ſepelierunt, ſubuerſis tamen, & fractis Veneto rum ſignis. Poſtremo ſupplementum iam ſæpius nominatum falſiſsime narrat Maximilianum noſtrum Cæſarem Auguſtiſsimum ingreſſum, ante aliquot annos Hungariam profligatum eſſe à rege Vladislao. Nouit enim Hungaria, & Germania, uel uniuerſus potius orbis præter hunc unum, Maximilianum principem inuictiſsimum, atq; Chriſtianiſsimum poſtquã intrauerit Hungariam obuia quæq; ſtrauiſſe munitiſsimamq; totius regionis urbem Albam regalem maximis copijs inſtructam, eo quo aduenerat die uel potius hora, ſine omni machina, atq; tormentis admotis, ſed milite foſſas profundas tranante, atq; muros integros propugnacula q; ſcalis aſcendere fortiter oppugnaſſe, atq; cepiſſe, neq; poſtea uidiſſe hoſtem ullum, quippe noſtrorum uirtute conterriti uniuerſi regnicolæ ſe ſponte regi noſtro ſummiſiſſent, niſi ille militari tumultu ſuorumq; ſeditione (dum inter ſe pedites, & equites parum liberaliter æqualibus'ue portionibus parta ſpolia optimasq; prædas diuiſiſſent) domitionem (ut uerbo utar Apuleiano) capere fuiſſet coactus: Et cum poſt abſceſſum regis ſequenti æſtate Hungari coadunatis uiribus Albam regalem, & alia oppida oppugnata, & capta repeterent, noſtri qui hinc inde in ſubſidijs oppidorum erant collocati, dum regis alijs impliciti negotijs auxilio deſperaſſent, nec diutius tantæ multitudini reſiſtere poſſent, propterea quòd infida erant omnia circumquaq; nec commeatus ulterius ſuppeditaret, conuenientes, & collecti, tametſi pauciſsimi,

mi, Germanica tamen, & innata uirtute tantam hostium multitudinem adorti, prælium commiserũt, uictoresq; erectis signis manuq; potenti regnũ exeuntes Hungaricum, in tuta sese receperunt. Habes igitur Conrade magnanime luculentissimum argumentum ex paruo, hoc laudum nostrarum Epitomate gloriosissimas fuisse res Sueuas, atque Germanas, si scriptores habuissent, & econtrario maximam suspitionem, magnam rebus nostris gestis antiquitus fuisse illatam iniuriam, dum parum integra ueritate Itali, genus in suam laudem effusissimum describant, quæ ipsi uidimus, & scimus. In culpa harum rerum sunt principes Germaniæ, qui si coluissent scriptores, neq; eos esurire passi essent, reperissent plurimos (uti non dubito) qui pro uindicanda Germania, ab omni oblitione, atq; defraudatæ laudis falsęq; insimulationis iniuria omnem suam industriam, atq; ingenium intendissent. Sed dum illos principes neglexerunt, neque iustis præmijs dignati sunt, factum est, ut memoria eorum una cum exitu uitæ extingueretur. Et si quid egregium gesserunt, uenerit in oblionem, aut per externos sit omnino obfuscatum. Vale & me commendatum habe.

EPITOMATIS LAVDVM SVEVORVM FINIS.

DE ORIGINE GENTIS FRANCORVM COMPENDIVM IOANNIS TRITTENHEMII ABBATIS, EX DVODECIM VLtimis Hunibaldi libris, quorum sex primos Vuasthaldus conscripsit, ab introitu Sicambrorum, ad partes Rheni in Germaniam.



ANNO ante natiuitatem Domini, CCCCXXXIX. temporibus Cyri Persarum regis, Esdræ quoque, & Nehemiæ principum Hebræorum, post excidium Troianorũ anno DCCL. Egressa gens Gothorum de insula Scandię, quæ nunc dicitur Gothia septentrionalis. Sicambros qui ex Troianis reliquię, iuxta Danubij ostia sedebãt, adorsi bello regem eorum Anthenorem, cum multis Sicambris occiderunt, & spolijs captis recesserunt. Reliquit duos filios Anthenor, Marcomirum & Suimonem. Erat autem consuetudo Sicambris, ut ex omnibus filijs regis pro tempore, si plures haberet, unum dunta xat eligerẽt, quem regno crederẽt utiliorem profuturum. Quod si nullum habuisset, filium de propinquis eius idoneum magis eligebant.

Gothi regẽ Sicambriæ Anthenorẽ in bello perimunt, iuxtà Danubij ostia.

Marcomirus igitur Anthenoris filius maior natu, patri successit anno ante Domini natiuitatem CCCCXL. & regnauit super Sicambros annis XXVIII.

Marcomirũs fit rex Sicãbrorũ annis plene. 28.

Anno regni sui, iiij cum Gothorum, & aliarum gentium uicinarum incursione nimium uexarentur Sicambri, sedes mutare statuerunt. Igitur missa legatione, ad Saxones in Germaniam, qui & ipsi ex Troianis aduenerunt, eos, ut fratres orabant, quatenus se in aliquo terræ suæ angulo permitterẽt habitare, sine detrimento gentis suę. Consenserunt Saxones promittentes se eis optimas sedes daturos, licut & fecerunt. Anno autem Marcomiri regis septimo Sicambri uenerunt, in Germaniam, in mẽse Aprili, uiri ad bella promptissimi CLXXV. DCLVIII. Adducentes secum uxores liberos, & quicquid substantiæ habebant.

Sicambri uenerunt ad Rheni fluẽta

Anno ante Christi natiuitatem CCCCXXXIII. Marcomirus rex, & Suimo frater eius, dux cum Sicambris, in Germaniam à Saxonibus, ut fratres amice suscepti sunt, & sedes optatas, inter Rhenum, & Saxoniam fertiles acceperũt. Ab oriente habentes, Vesaram fluuium, & Saxones. A meridie Moguntiã & Rhenum. Ab occidente Rhenum similiter recuruatum, & Galliæ extremitatem. Ab Aquilone uerò mare Germanicum, & Scotiam cum Orchadarum insulis.

Sicambri sedent, ubi nũc sunt, Geldrẽses, & Phrisiones.

Anno regni sui XX. Marcomirus Rhenum transgressus, cum Gallis Cirbenanis bellum habuit, plures occidit, terram occupauit, quam fratri tuendam, ut duci, uel sub Regulo commendauit. Ab illo tempore, per annos DCCCCXX. Sicambri qui postea Franci sunt dicti, ab infestatione Galliæ, nunquam cessauerunt, quousq; eam postremò totam multo suorum sanguine obtinuerunt. Nec solam Galliam tandem, sed & Alemaniam, Sueuiam, Bauariam, Alasaciam, Heluetios, Thuringiam, Saxoniam, Burgundiam, eamq; terram, quæ inter Thuringos

Marcomirus rex transito Rheno partes Galliæ occupat.

gos,& Sueuos sita, hodie antiqua Francia siue orientalis dicitur, & uetustum nomen Francorum sola retinet. Austriam, Rhenum totum, ab ortu usq; in mare, Menappos, Batauos, & Mosellanos, Treuiros, Metim immò totam Germaniam cum uniuersa triplici Gallia, & Hispania suo dominio subiugarunt.

Hi homines primò Sicãbri postea dicti sunt Frãci

Certum est quod primas Sicambri receperunt sedes, ubi nunc sunt Geldrenses, Vuestphali, Monasterienses, Cliuenses. Deinde Rheno transmisso subiugarunt sibi terram Tungrorum, Leodium, Traiectum, Hollandiam, & reliquas.

Marcomirus rex moritur.

Multo tempore Sicambrum illis nomen permansit, donec tandem sub rege Frãco, quem hostes appellauêre ferocem, nomen paulatim cœpit mutari. Marcomirus autem rex, post multa fortiter gesta moritur anno ante natiuitatem CCCCX. Tres filios reliquit, Antenorem, Priamum & Nicanorem.

Chronicon Vuasthaldi hic terminatur.

Ad hunc annum Vuasthaldus duodecim libros suos, de origine Sicambrorum, ab excidio Troiano perduxit, atq; compleuit per annos continuando, DCC LXVIII. Ab hinc Hunibald, in sex libris historiam, de regibus & gestis Sicambrorum continuat per annos, DCCCCXXX. usque ad obitum Clodouei regis magni.

Anthenor regnat Sicambris annis triginta.

Anthenor, in regno patri succedens, regnauit annis triginta. Hic magno in honore fuit apud Sicambros suos, & Saxonum amicitiam obtinuit fortissimã, quorum auxiliaria ope, multa contra Gallos, & Romanos bella constituit. Adiuuabant enim fratres eius Priamus, & Nicanor fideliter, & plures incursiones fortiter peregerunt, in Gallos Rheno transmisso. Sed & Suimo patruus eius, in parte eius semper auxiliator ei fidelissimus fuit.

Sicãbri Phrisiam sibi subiugarunt.

Anno regni sui viij. conquerulantibus Sicambris, de angustia sedium, & maximè quod pecoribus deficerent pascua, iussit eos paululum exspectare donec tempus esset rei conueniens. In stante hyeme frigidissima, cùm omnia flumina essent congelata, contractis Sicambris armatis octoginta milibus uicinam gentem, quæ fuit inter mare septentrionale, & terram eorum inuasit, & masculis omnibus trucidatis, etiam infantibus, mulieribus tantum pepercit. Regionem suis distribuit, quæ optimis pascuis abundauit. Hæc terra postea dicta est Phrisia à quodam principe Sicambro qui Phriso dicebatur.

Suimo dux frater Marcomiri moritur.

Anno Anthenoris XII. Suimo patruus eius obijt, qui reliquit duos filios Marcomirum, & Hectorem, quorum primus in Rheno perijt, secundus loco, patris sub rege Anthenore comitatum administrauit trans flumẽ Rheni. Priamus à fratre Anthenore rege constitutus est, princeps terræ Septentrionalis, quam nouiter acquisierant, id est, circa mare Germanicum. Ex his multi principes sunt nati, per successum temporis, quorum Hunibald plures commemorat, alij duces, alij comites, sed omnes sub nutu permanebant unius regis.

Anthenor rex moritur nota.

Anthenorem rex obijt anno regni sui XXVIII. completo, qui fuit ante Domini natiuitatem CCCLXXX. unicum relinquens filium nomine Priamum.

Priamus regnauit super Sicãbros annis 24.

Priamus Anthenoris filius patri in regno succedens, regnauit annis XXIIII. cuius tempore Sicambri, iam consuetudinem habentes, cum Saxonibus magnã linguam suam uetustam, patriamq; cœperunt obliuisci, paulatim & Germanicam usitare quousq; tandem omnes aliam, non nouerunt linguam nisi solam Theutonicam. Remanserunt plura apud eos uocabula, quę magis Græcam originem uidentur habere, quam Germanicam sicut bene nouit, qui Græce intelligit simul, & Theutonice ita menet, & nunc.

Theocalus Sicambrorũ Pontifex, & sacerdos Iouis.

Anno Priami VI. moritur Marcomirus dux Priami regis, ex Suimone consanguineus, qui reliquit filiũ nomine Theocalum quem Sicambri summum sacerdotem Iouis constituerunt, & erat eis antistes, uates, & parens regum. Vsq; ad illud tempus Sicambri non habuerunt templa Deorũ, sed sub quercubus litabant, & consultabant.

Anno

Anno Priami VIII. Sicambri inter multas ædificationes construxerũt unam ciuitatem fortissimam, quam Neopagum nuncupauerunt, prope Rhenum, ubi reges multo tempore consederunt. Fecerunt & templum Ioui, quem præ ceteris coluerunt. Huius fani antistes Theocalus fuit. *Neopagi cõstructio.*

Priamus post inuasiones contra ultra Rhenanos, & Gallos optimè factas moritur, anno regni sui XXIIII. Ante natiuitatem Christi CCCLVI. *Priamus rex obijt.*

Helenus filius Priami patri succedens, regnauit annis XIX. Hic Palladem uenerabatur, cui & sacrarium constituit, pueros captiuorum immolauit. Cruentum in regione Tungrorum bellum, cum Gallis habuit, in quo plusquam XVI. eorum occidit, reliquos in fugam conuertit. Occupata regione Sicambros, qui colerent eam posuit, & principes cum multis pugnatoribus per gyrum, ut populum defenderent ordinauit, Helenus rex moritur, anno regni sui XIX. ante natiuitatem Domini CCCXXXVII. *Helenus regnauit annis XIX. Sicãbri Gallorum plusquam XVI. occiderunt.*

Diocles Heleni regis primogenitus patri succedens regnauit annis XXXIX. homo statura procerus, seuerus, & bellicosissimus, qui multa prælia fortiter gessit, non solùm cum uicinis Gallis, sed etiam cum alijs gentibus longè cõstitutis. *Diocles rex annis regnauit xxxix.*

Anno regni sui decimo egressa est, multitudo gentium, de insulis Scandianis, quæ nunc Gothicæ nuncupatur, & finibus Saxoniæ infusa omnia diripuit, gladio, & ferro deuastans regionem. Contra hanc gentem processerunt, ad bellum, rex Saxonum, rex Thuringiæ, & Diocles ipse rex Sicamber, habentes in exercitu CCLX uirorum fortium. Bellum atrox committitur, in quo ceciderunt, ex parte Gothorum, plus quam centum milia pugnatorum. Ex parte uerò Saxonum, in primis cecidit Herman rex Thuringię cum uiginti milibus, atque sexcentis. Saxones omnem prędam recuperantes suis spoliatis redierunt. Spolia uerò hostium, quæ multa erant diuiserunt inter auxiliarios amicos. *Sicambri Saxones, & Thuringi cõtra incursiones Gothorũ Gothorum C. occisa.*

Interea cum audissent Galli qui morabantur ultra Rhenum usq; ad mare Britãnicum, Morini, Ambiani, Tungri, & qui erant in illis regionibus eorum amici, quod Diocles de regno exisset, cum magno suorum exercitu, congregati in multitudine magna Sicambros, qui erant ab illa parte inter Mosam, & Rhenum omnino delere statuerunt. Quod ubi per exploratores didicissent duces Sicambrorum, exercitum in tres partes diuiserunt, duas ordinantes, in singulas acies, contra hostes, tertiam uerò in insidijs locauerunt. Appropinquantes Galli, cum una tantum acie, ubi duas acies habere Sicambros uidissent, turbati sunt, sed tẽpus non erat acies ordinandi aliter, quoniam Sicambri mox primam aciem suã ex aduerso direxerunt in Gallos. Secunda uerò acies à latere irrumpens, in Gallos ordinem eorum confregit. Cumq; acriter pugnaretur, & uirtus Gallorum, ad fugam retro cederet, occurrunt eis de insidijs Sicambri. Concluſi à Sicambris Galli trucidantur, ut pecora, sic quod de LXXXVIII. uix. X. remanserunt. Plures enim in flumen dum fugerent submersi sunt. *Galli Sicambros rege eorum absente uastare tentant. Gallorũ cœsa sa sunt, LXXVIII.*

Hac Sicambri uictoria elati Dijs suis, Ioui & Veneri nõ solum pecora, sed infantes etiam Gallorum hostium quotquot abduxerant captiuos mactauerunt, Ioui masculos, & Veneri fœmellas offerentes. Ex eotempore Sicambri, & spolijs inimicorum diuites, & gestis rebus iunctis gentibus, per circuitum metuendi facti sunt. Diocles cunctis diebus regni sui bellum habuit, cum Gallis, & uix fuit annus in quo non semel ad minus, contra eos suum moueret exercitum. *Sicambri Ioui, & Veneri sacrificabant.*

Moritur anno regni sui XXXIX. ante Christi natiuitatem CCXCVIII. Reliquit autem quatuor filios, quorum ista fuerunt nomina: Helenus, Priamus, Nicanor, & Basanus, qui & ipsi multos filios post se reliquerunt. *Diocles rex Sicambrorũ moritur.*

Helenus filius Dioclis natu maior post patrem regnauit annis xiiij. homo laeiuus, & iners, cuius tempore Galli sæpius excursione facta Sicambris plura intulerunt damna. Contra quos fratres eius, cũ principibus regni frequenter duxe- *Helenus regnauit post patrem annis XIIII.*

tunt

runt exercitum,& uario Marte pugnarunt,interdum uicti, nonnunquam etiam uictores. Rex autem domi residebat ociosus,libidini uacans.

Helenus rex deponitur nota. Anno eius in regno XIIII. Congregati apud Neopagum Sicambri Helenum regem inertem,& inutilem communi omnium sententia deposuerunt à regno, & ad priuatam redire uitam compulerunt. Anno ante Christi saluatoris nostri natiuitatem CCLXXXIIII. in cuius locum elegerunt fratrem eius minorem.

Basanus rex magnus regnat annis XXXVI. Basanus iunior Dioclis quondam filius Heleno fratre abrogato,communi Sicambrorum uoluntate simul & electione rex constitutus, regnauit annis, non minus XXXVI. uir in sua generatione sapiens,magnanimus,bellicosus,& fortuna patri non inferior. Hunc Sicambri,& regem,& sacrorum Pontificem statuerunt,quem propter sapientiam eius,& mirificè gesta magnum Basan,uulgariter, *die groten Basan*, nuncupauerunt. In tanta enim Sicambri habuerunt reuerentia, & honore, ut eum non secus uenerarentur, quàm Deum uerum. Eius imperio nemini contradicere etiam in minimo licebat sub pœna mortis indubitata.

Basan. rex et pontifex summus erat simul.

Adulterium, furtum,rapinamq; sub morte prohibuit. Restem seu funem ubicunq; pergebat sibi ante ferri iussit,& gladium in signum iustitiæ,quam adeò tenaciter seruabat,ut nec filio,nec fratri,nec principibus,nec ducibus,immò nulli parceret,qui uel modicum contra legem commisisset. Rapinam,furtum,adulterium,dolum,fraudem,& omnem iniuriam, siue contumeliam inter Sicambros fieri sub pœna mortis lege notauit,omnesq;,uel parum in his contra legales sanctiones peccantes,sine aliqua misericordia puniuit.

Rex legis amore filium proprium adulterum capite truncat. Filium habuit iuuenem nomine Sedanum. Hic iuuenili concupiscẽtia abstractus,cum uxoris cuiusdam uiri humilis conditionis perpetrasset, quod lege patris nouit prohibitum, accusatus à marito fœminæ iudicatur ad mortem. Erectis proceres rogarent,pro filio,pater respondit:Nolite uiri contra iustitiam militare,facilius est uentum retinere in aere flantem,quàm Basani mentem,à lege quàm tulit reuocare,siue deflectere. Hæc audientes Sicambri principes tacuerũt. Rex ad filium inquit:Non ego te fili occido, sed lex quam sciens præuaricatus es apprehensumq; filium propria manu truncauit.

Rex Basan. uxorem irascentem, ob necẽ filij sui repudiauit. Accurrens mater truncati adolescentis lachrymans, & furens contra regem intemperantia muliebri exagitata clamauit: O crudelis tyranne non rex, qui crudelitatem sub legis titulo exerces, quomodo parces alijs, qui proprium filium interemisti. Cui rex coram omni populo dixit:Mulier tuum est obedire marito, regi non exprobrare. Iuro tibi per Deum meum Saturnium Iouem, quoniã nisi essem ira commotus,& te hac ipsa interficerem hora,quæ mihi semper fuisti charissima. Post dies octo Rex indicio principum, & procerum regni mulierẽ quãuis pulcherrimam, & sibi supra cæteras singulariter dilectam repudiauit, & ad patrem regem Orchadarum remisit.

Rex Basanus cognomento iustus timebatur ab omnibus. Ex illo tempore Sicambri Basanum regem suum, in tantum timere cœperũt, ut nemo inter eos magni,aut parui quicquam mali dicere, aut facere præsumeret. Vnde sacerdotes qui nobilium filios erudiebant, in templis regem dickeo/ basan,id est iustum Basan,nominauerunt. Hinc prouerbium est ortum,inter Sicambros quotiens alter uidit,uel audiuit,alterum malefacientem,aut dicentem, diceret,non nouisti,quàm sit iustus Basanus Rex, qui si te ista facientem seu dicentem perceperit,sine dubio te capite truncabit.

O lieb mann kennet gy nitt diẽ grotem Konig Basan.

Kennent gy die groten Basan nitt.

Rex Basanus reges Orchadarũ, & Britanniæ fugauit. Anno regni sui quinto Rex Orchadarum habens adiutorem regem Britãnorum,cum multis nauibus,& armatis uenit contra Sicambros, & indixit eis bellum. Rex uerò Basanus occurrit eis, circa littus maris, circa insulam, ubi ciuitas pòst fuit constructa, per Francos,cui nomen est Mesoburgus. Sed uiso ex nauibus tanto Sicambrorũ exercitu Orchades,& Britanni de nauib. egredi nõ audebant,

bant, sed retro sine effectu abierunt. Causa fuit repudiatio uxoris Basani quam patri Orchadarum regi (ut dixi) remiserat.

Irrumpentibus denuo Gallis uersus Rhenum, ubi Sicambrorum erāt colonię Basanus uenit contra eos in uirtute suorum magna, ubi iterum fusi sunt Galli & ultra Mosam fluuium eliminati. Victoriam consecutus rex memoratus Basan, plura castella & munitiones fortissimas ab illa parte fluminis Mosę construxit, uersus Rhenum quæ uergit ad Orientem, in quibus præsidia militaria posuit, fortissima contra incursiones Gallorum. In superiori regione inter Agrippinam & Mosam castellum nominis sui construxit munitum, quod Basan nuncupauit, in quo multi reges, Sicambrorum & Francorum per annos plures postea regni palatium, & sedem tenuerunt.

Rex Gallię usq; ad Mosam & Rhenū obtinuit.

Vrbs Basanum postea construitur ab eo.

Anno regni sui XXVI. Basanus post multa bella & fortissima prælia quæ gessit cum diuersis gentibus & nationibus, sacra renouauit, sacerdotes in templo Iouis constituit, uiros Græcè & Germanicè doctissimos, in uaticinio, in somnijs, in iudicio stellarum, in ethicis, in phisicis, & in methaphisicis, q ui consilium sanum & rectum dijs inferentibus, dare possent cunctis interrogantibus eos in quacunq; necessitate. Rege, qui summus erat Pontifex absente, penes sacerdotes summa decretorū erat potestas, persona regis excepta in quā nō iudicabant.

Basani regis in deos uanos religio.

Ad templum autem Palladis, Veneris q; Tritonię deę solas uirgines constituit sacerdotes, ad quas certis temporibus ingredi uiris passim cunctis licebat, uxoribus non copulatis, & agere in templo Veneris, quod ipsum nomen eius sonat. Quæcunq; sacerdos tali concubitu concepisset fœtum Palladi offerebat nō occidendum, sed perpetuò ad seruiendum. Qui ex his talibus Tritonicæ sacerdotibus consecutus fuisset uxorem, post puerperium sanctus & dijs proximus laudabatur. Post primum partum unaquęq; templum deserere cogebatur, quia iam Veneri suā pudicitiā sacerdos mater obtulit, & cui uoluisset nubere potuit. De his plura dicit Hunibaldus, quę nō minus pudoris q; breuitatis causa prętereo.

Veneris sacerdotes prius pro uoto corruptæ quam maritatæ.

Rex Basanus prostremò duxit exercitum uersum supra de aquilone ad meridiem, in gentem quæ uocatur Tegarana, & est inter Mogūtiacum & Saxoniam usq; ad flumen Mœnum. Omnē hāc terram à mari septentrionali usq; Mœnum inter Saxones & Rhenum, hoc est, ab ostijs Rheni usq; ad Moguntiam rex Basan obtinuit, & constructis urbibus fortissimis multisq; presidio muniuit non de facili superandam. Congaudebāt Saxones & Thoringi Romanorum hostes quod iam Sicābros ab Occidenti simul & meridie haberent, quasi pro muro cōtra Romanos & Gallos ferocissimos, imò potentissimos defensores.

Sicambri obtinēt Vuedenanum, & omnia inter Saxones.

Post hanc uictoriam Basanus rex magnus ad diem natalem suam apud Neopagum inter paludes Rheni & maris, fratres suos & filios cum proceribus regni multis uocauit ad solennitatem, per septem dies dijs gētilitijs sacra peregit, Iouem cunctis uisibilem supra templum nubilatum ostendit. Octauo die filiū suū primogenitum Clodomirum Sicambris de consensu omnium procerū, regē designauit. Postea miranda genti carmine patrio futura prædixit, filios commendauit, iustitiam præcepit, & subito nusquam comparuit. Nescio quid inferā Diuinitatis, ut Amerodacus dicit, appetentissimus fuit, iusticiā coluit, subditos dilexit, pientissimus bonis, crudelissimus fuit iniquis. Vsque in hunc diem nescitur quo peruenerit. Sed Sicambri Francis inter Deos eum relatum, pluribus annis carminibus celebrauerunt sacris.

Basanus rex sacris die natali celebratis nusquam comparauit nota.

Sicambri Basanum regē ut Deum uenerantur.

Euanuit in cōsilio publico, auctor Ameradat est, Anno regni sui XXXVI. Anno ante Christi natiuitatem CCXL. quem sui Basangot nominarunt.

Clodomerus regnat annis XVIII.

Clodomer filius Basangot Regis Magni primogenitus, sicut pater de cōsensu principum ordinauerat, succedēs in regno, annis XVIII. regnauit. Cuius anno primo Galli mox ut Basanum audiuerunt euanuisse, mortuum non dubitabant,

& ergo missis ad Clodomerum filium eius nuntijs repetierũt ab eo terram omnẽ inter Mosam & Rhenum quã eorũ progenitores contra iustitiam uiolenter Sicambris fecerunt subiectam. Quod si facere contemneret, se omnia gladio recuperaturos comminati sunt. Rex autem Clodomer nuncios Gallorũ, quasi consilium habiturus cum proceribus suis, super instanti negotio, bonis uerbis protractos apud se diutius retinuit, & prudenter cauens ne rumor eorum quæ ipse mente conceperat, in illorum noticiam deueniret, iussit suis ut eos in omnibus copiose prouiderent, & lætos cum illis per agerent dies. Interim Clodomer missis occulte ad reges Thoringiæ, & Saxoniæ nuntijs, eos uocauit in auxilium, & cum suis adunato magno pugnatorum exercitu bellum in Gallos mente concepit. Ordinatis rebus nuntios honorificè dimisit, & ne in uia quicquam de præmissis exercitibus ad notitiam eorũ uenire posset de suis, comites illis quasi pro conductu tuti itineris usq; in Galliam cum literis adiunxit.

Galli Monapiam repetunt à Sicambris

Rex Clodomer astutia nuncios detinuit.

Tenor literarum hæc continebat: Clodomer Rex Magnus. Miramur de uobis Galli, quod terram à nobis quæritis recipere, quam progenitores nostri olim à uestris iure belli, sicut ab inimicis suis, à quibus multas acceperant iniurias, iusta uicissitudine obtinuerunt. Cogitate uires uestras nostris impares, & cessate ab hac temeritate uestra. Quod si contra nos uenire uultis, statuimus uobis non fracti animis occurrere, & defensare gladio, quod gladio maiores nostri acquisierunt. His Galli recognitis magnum contraxerunt exercitum, ut ponte super Mosæ flumen fabricato exercitum contra Sicambros traduxerunt, custodiãrelinquentes circa pontem ne ab aduersarijs occuparetur.

Clodomer Gallis in hũc modũ ad postulata rescripsit.

Dissimulauit hæc omnia rex Clodomerus quasi nesciret, ordinatisq; militibus, exercitum in quatuor partes diuisit, habens in una qualibet plusquam triginta sex milia pugnatorum. Duas partes in totidem acies ordinauit. Tertiam locauit in insidijs. Quartam dimisit à latere per gyrum ut põtem occisis custodibus præoccuparent. Venientes igitur Galli habentes & ipsi acies duas, cum Sicambris habuere congressum, non longe à Mosę flumine prope castellum Delon.

Rex Clodomer acies quatuor contra Gallos ordinauit.

At uerò Sicambri fugientibus similes paulatim retrocesserunt, donec Gallos longius à flumine protraxerunt usq; ad locum insidiarum. Ibi sanè bellum atrox commissum est. Steterunt enim fortiter Sicambri cum Gallis dimicãtes. Interim quartus Clodomeri exercitus circumgyrando pontem occupauit, cuius rei accepto signo, hi qui latebant de insidijs prorumpunt, Gallos inuadunt atrociter cõpugnantes. Postremo Galli fugam ineuntes cum pontem nescirent præoccupatum à Sicambris retrocedere festinarunt. Cum ecce subito se uidẽt in medio hostium esse conclusos, cęsi sunt pene omnes & miserabiliter trucidati paucis equorum uelocitate ad nemora lapsis.

Sicãbri Gallos superãt, uincunt, occidũt, & fugant.

Reliqua fortiter à Clodomiro rege facta Hunibald satis diffusè conscripsit. Moritur autem Rex Clodomer anno regni sui XVIII. Ante Christi natiuitatem anno CCXXII. filios relinquens tres, Nicanorem, Helianum & Helenum.

Clodomer rex moritur.

Nicanor primogenitus regis Clodomiri succedẽs patri, regnauit annis XXVI. Eius tempore iterum Gothi & Sclaui fines Saxonum inuaserunt, cõtra quos rogatus à rege Saxoniæ processit ad bellum, & rediit victor multis ditatus spolijs. Cum rege Archadum prælium gessit in fauorem regis Britanniæ soceri sui, cuius filiam habuit uxorẽ nomine Constantiã, de qua suscepit quinq; filios, Marcomerũ, Anthenorẽ, Priamũ, Helenũ & Clodiũ. Primogenitus patri successit in regno, Secundus maritima rexit, Tertius obijt in Anglia, Quartus ducatum gessit in Germania Cisrhenana, inter Saxoniam, Rhenum & Moguntiacum. Quintus dux fuit inter Mosam & Rhenum fluuios. Nicanor Rex obijt anno regni sui XXVI. Ante Christi natiuitatem CXCVI.

Nicanor fit rex & regnat annis XXVI.

Nomina filiorum Nicanoris regis.

Marcomer filius Nicanoris maior natu patri succedẽs regnauit annis XXVIII. princeps

princeps singularis prudentię ac modestiæ, in subditos pius & in hostes seuerus. Hic enim à sacerdotibus sacrorum Iouis in omni sapientia ueterum excellenter edoctus in uaticinijs, & prædictionibus, in somnijs, & augurijs, simílē apud Germanos nō habuit. Maiorum suorum fortia gesta corā se in templo & in palatio frequenter fecit recitari, & in carminibus patrijs decantari. Multa prælia gessit, uictor cum Romanis, Gallis, Gotthis, & diuersis gentibus, quorum seriem Hunibald historiographus Francorum diligenter conscripsit. Moritur anno regni sui XXVIII. ante Christi natiuitatem CLVIII.

Marcomer regnauit post patrē annis XXVIII. Marcomer rex sapiens magus, uates & augur fuit.

Clodius Primogenitus regis Marcomeri filius patri succedens regnauit annis XI. Huius tempore Galli cum auxilio Romanorū excursum facientes ultra Mosam Sicambros ualde contriuerunt. Anno regni sui ultimo contracto tam suorum quam Saxonum exercitu maximo iterum pugnauit cū Gallis à quibus non satis caute se habens in agmine fuit occisus Sicambri autem non obstāte Regis morte bellum prosequuntur & Gallos uicerunt. Occisus fuit Clodius rex anno ante Christi natiuitatem CLVII. regni uerò sui XI.

Clodius Sicāber regnauit annis XI.

Anthenor filius Clodij maior natu post patrem regnauit annis XVI. Hic in duas fecit cum Gallis ad decē annos & placuit Romanis. Erat autem Anthenor rex plus amator pacis quam belli. Patris necem libenter uindicasset, sed illo tempore non potuit. Iste rex prohibuit filios hostium dijs immolari. Moritur anno ante Christi natiuitatem CXLI. Regni uerò sui anno XVI.

Anthenor Sicamber regnauit annis XVI.

Clodomer filius Anthenoris post patrem regnauit annis XX. Anno eius primo Romani Numantinos per Scipionē subuerterūt, & in suam potestatem cōpulerūt. Anno eius sexto Galli finitis inducijs quas cum patre eius rege Anthenore fecerunt ante decē annos, exercitu magno collecto Mosam transiunt, quibus Clodomero occurrēte, bellum gratissimum commissum est, & multi ab utraq; parte ceciderūt, Galli aūt qui remanserāt retrocesserūt, & quā diu rex Clodomer uixit, amplius Mosam nō transierūt. Moritur aūt rex Clodomerus anno ante natiuitatē Domini CXXI. Regni autem accepti Sicambrorum anno. XX.

Clodomerus rex regnauit annis XX.

Merodach primogenitus filius Clodomeri post patrē regnauit annis XXVIII. princeps strenuus, audacissimus, & nimiū bellicosus, qui multa bella contra Romanos, Gallos, Moguntinos, Treuirenses, & Colonienses gessit. Nā auxilarijs Saxonibus atq; Germanis exercitū CCXX. pugnatorū contra Romanos produxit in Italiā, & deuastans regionem, cū copijs ad Rauennā usq; peruenit, ditatusq; spolijs multis, uictor ad propria remeauit. Multas tamē in reditu Romanorum colonias grauiter afflixit, & magna eis damna intulit. Vnde post multas tā uictorias quam prelia, Romani tandē coniunctis sibi Gallis contra eū processerunt ad bellum in finibus Sicambrorum, inter Mosam & Rhenū. Et ne Saxones more suo Sicambris fierent auxilio, Romani prius subduxerunt Sclauos & Gothos, qui fines Saxoniæ & orientalis incursarent. Rex ergo Merodacus Cimbrorum regem aquilonarem cum centum milibus pugnatorum & ex insulanis habuit adiutorem. De suis uerò ducenta habuit milia.

Merodacus rex regnauit annis XXVIII. Rex Merodach copias ducit in Italiam. Romani in bello superant Sicambros.

Anno itaq; regni sui XXII. Marius Romanorum princeps, legiones Romanas cum Gallis duce Theodomeno ultra Mosam destinauit contra Sicambros, & simul acriter pugnauerunt, & multa milia ex utraq; parte ceciderunt mortui & fugerunt Sicambri. Nam ex eorum parte occisi sunt XX. & plures capti.

Post hæc Merodachus instaurato exercitu Gallos iterum & inuasit & superauit. Moritur ante Christi natiuitatem anno XCIII. Regni sui anno XXVIII.

Merodach rex moritur anno ante Christum XCIII.

Cassander patri succedens in regno annis XXI. regnauit, cuius tēpore Galli auxiliario Romanorum milite fines Sicambrorū Mosano flumine traiecto sæpius infestarunt, quibus fortiter contrà pugnauit. Borbista Gothorū rex cū maxima pugnatorum exercitu Saxonū fines ingressus, prædas & incēdia fecit. Cōtra

Cassander regnauit post patrē super Sicābros annis XXI.

quem rex Cassander cum rege Saxonum uenit, bellum atrox committitur. Borbista rex Gothorum fugit multis suorum amissis. Iterū postea Borbista reuersus regionem deuastauit, spoliauit Saxones usq; ad Vistulam fluuium, & retrofugit. Contra Gallos sæpe pugnauit, sæpe uictor nec minus aliquando spretus fortuna. Moritur anno ante natiuitatem Christi LXXII. Regni sui anno XXI.

Antharius regnauit annis XXXV.

Antharius filius Cassandri regis primogenitus regnauit annis XXXV. De quo scribit Hunibaldus quod Moguntinos Romanorū colonos miserabili clade attriuit. Cum innumerabili exercitu Galliam intrauit, uicos incendit, prædam & spolia infinita reportauit. Verùm cum senuisset anno regni sui ultimo, irrumpentibus iterum in Batauiam Gallis cū exercitu, occurrit & cū uiginti milibus suorum occiditur. Galli magnam contra Sicambros stragem fecerunt. Occisus est anno ante Christi natiuitatem XXXVIII, Anno regnantis XXXV.

Francus regnauit annis XXVIII. à quo Sicambri dicti Frāci.

Franck Antharij regis maior natu filius patri succedens regnauit XXVIII. annis, à quo Sicambri deinceps nomen Francorum assecuti usq; in præsentem retinent dictē. Fuit enim homo ferox, bellicosus, & gentis suæ defensor acerrimus: multa gessit cum exteris nationibus bella, semper uictor, & gloriosus triumphator. Cuius anno tertio iterum Gothi cum Scandianis populis Saxoniæ fines depopulati sunt, & per decem annos ibidē consederunt. Sed cū successiuè semper plus & magis irrumperent in Saxoniam, compulsi metu eorum Saxones Francum regem Sicambrorum cum Thoringis in auxilium uocauerunt, & in multitudine CCXXX. pugnatorum contra Gothos processerunt in bellū, Sicambri autem cæteris audacius, dimicantes & quasi numen quoddā interpellantes frequenter regis sui inter pugnandum nomen inclamabant uociferantes. *Hie Franck hie Franck.* Ab eo tempore gens illa nomen mutauit, & paulatim non solum apud se, sed etiam ab alijs nationibus crebrius Franci sunt dicti quàm Sicābri, quousq; tandem in toto nomen illud obtinuit, Franci dicerentur & non amplius uel raro Sicambri ut Salagastald testatur.

Vnde Francorum nomē sumpsit initium.

Hie Franck Hie Franck.

Sicābri amore sui regis Frācos se uocari statuerunt.

Nam & gens ipsa nominis nouitate usq; adeò delectabatur, ut regem postularent, & principes quatenus perpetuo sanciret edicto, se non amplius Sicābros uocari, sed Francos. Placuit hæc postulatio Regi, utpote qui nominis sui cupieret immortalitatem consequi, & suo gētem uocabulo insigniri. Statuit eos iam deinceps non Sicambros uocari debere, sed Francos, id est, nobiles, liberos, uel bellicosos, & cæteris nationibus metuendos. Nec tamen subitò sed cum tempore multo & successiue nomē Sicambrûm in obliuionem deductū est, sicut apud scriptores inuenitur illorum temporum, quod aliquando Sicambros nominarunt eos, aliquando Francos.

Sanctus Remigius Episcopus Francum Clodoneum nominat Sicambrum.

Remigius etiam Episcopus Remorum, quando Clodoneum regē Francorū, qui primus ex regibus Francis Christianus est factus, post superatos Alemānos baptizare iā debuit coram multitudine procerum, deponenti ornamēta regalia & humilianti se ad lauacrū dixit omnibus nobis audientibus, alta & intelligibili uoce: Mitis depone colla Sicāber, adora qđ incēdisti: incēde qđ adorasti, hoc est, Christū adora, cuius Ecclesias incēdisti paganus, incēde idola quę tūc adorasti.

Galli Mosa transita deuastant Franciam.

Francorum rex Francus cum CCC. mouet in Galliam.

Rex iste Francus fugatis à finibus Saxonū Gothis, in reditu suo cum exercitu obuium habuit nuncium quod Galli Mosam transissent, & uastata regione cum magna spolior ūpræda retrocessissent. Confestim rex Francus acceptis in auxilū octoginta Saxonum milibus, adunauit cum suis exercitum CCC. pugnatorum & Rheno transmisso uenit usq; ad Mosam. Videns autem desolationem regionis quam fecerant Galli, commotus animo iurauit dicens. Videte commilitones mei quid fecerūt fœtifragi Galli isti. Iuro per caput patris mei Antharij quod non dabo requiem capitī meo donec me uindicauero de illis. Et laudauerunt omnes propositum eius.

Mosa

Mosa itaq; transmissa quadraginta milia posuit ad custodiam pontis, cum reliquo exercitu processit in Galliam & tantam stragem fecit quantam nullus ante eum Sicambrorum aut potuit aut cogitauit. Nã usq; ad flumen Tabul procedens & mare, ab aquilone Tarubanos, Tongros, Legios & quicquid his interia cet uel adiacet igne & ferro tam crudeliter cõsumpsit, ut nec infantibus nec mulieribus parceret. Congredientes sibi Gallos tanta ferocitate fudit, ut numen aliquod esse uideretur non homo. Vnde nimium territæ nationes in circuitu omnes Francos, id est, feroces eos nominarunt. Ceciderunt ex gladio Francorum plus quam ducẽta milia Gallorum cum uiris, mulieribus & pueris, infantibusq;.

Francus rex Mosa transmissa plus quam CC. Gallorum occidit.

Hinc moti Senatus Populusq; Romanus legiones miserunt militum in Germanos duce Marco Lolio, non enim tutò poterant inuadere Francos, nisi Saxones primo supperasset. Vicerunt primo Romani, & Germanorum XVIII. peri merunt. Audiens autem rex Francus stragem quã fecerunt Romani, misit Chlogionem filium suum ducem cum magno pugnatorũ exercitu contra Romanos & multis eorum peremptis reliquos fugere compulerunt, anno Franci regis XXIIII.

Romani exercitum mittunt in Germaniam.

Frãcus rex Francorũ post multa fortiter gesta, moritur anno regni sui XXVIII. Ante natiuitatem uerò Christi anno VIIII. cuius bella, mores, instituta & leges Clodomer Pontifex summus carmine, & Hunibaldus prosa scripserunt.

Francus rex obijt anno regni XXVIII.

Clogio Franci regis maior natu filius patri successit & annis XXX. regnauit, uir astutissimus, augur, uates, & magus admirabilis, cuius mater Lothildis filia regis Thoringiorũ summa sacerdos templi Palladis extitit, & suis artibus omnes quos uoluit inimicos filio & Francis dementauit. Scribit de his Clodomer Francorum consiliarius grandia in Hunibaldo quæ opinionem excedunt.

Clogio regnauit annis triginta.

Anno regni sui X. Clogio rex filium suum secundò genitum, nomine Phrisum ad instantiam matris & principum, ducem constituit illius regionis, quę postea ex nomine eius dicta est Phrisia usq; in præsentem diem contra Cimbrorum & Orchadũ incursiones. Post annos X. permittente Clogione rege cunctisq; Frãcorũ proceribus, Phrisus in regem fuit sublimatus, ea tamen conditione ut tributum Francis penderet annis singulis boues CCLX. butyri puri talenta XX. & ceteorum regalium tria milia. Et sic Phrisia regnum factum est potentissimum.

Regnum Frisiæ fit Frãcis tributariũ.

Anno Clogionis Francorum regis prædicti X. natus est Dominus Saluator noster Iesus Christus Dei filius in Bethleem tribus Iudæ ciuitate apud Iudæos in Palæstina prouincia. Ante hac anno Clogij quarto Romani hostiliter uastarunt Germaniam, aliquando uicti, nõnunquam etiam uictores. De cæteris Clogionis rebus gestis, bellis, uaticinijs, oraculis, & inducijs cum Romanis factis uide Hunibaldum. Moritur anno Domini XX. regni autem sui XXX. multis magnifice gestis.

Iesus Christus anno Clogionis decimo nascitur.

Herimerus secundò genitus filius Clogionis regis post patrem regnauit annis XII. uir bellicosus & nimiũ audax. Anno regni sui tertio Galli usq; ad Mosam ducentes exercitum inopinata cuncta quæ Francorum esse uidebatur, uel eis cõ sentire hostili excursione uastarunt, & collectis spolijs retrocesserunt Quod ubi Herimero innotuisset, uocatos ad se duces ultra Mosanos, deposuit & mulctatos iuxta reges Francorum suppellectili, ad uitam priuatam redegit. Hæc enim præceperat lex. In potestate constitutus sub rege Francorum princeps, cuius negligentia hostes terram nostræ gentis inuaserint & læserint, marsupio regis conmuni dimidium pendat bonorum suorum, & amplius ne sit princeps. Si uolens hoc permisit, capite plectatur, & uxores cum liberis & bonis sint regis.

Herimer regnauit super Francos annis X.

Gallorum irruptio.

Francorum lex duces negligẽtes quo modo punit.

Post hæc Mosam & ipse transgressus multa cum Gallis bella commisit, & aliquando uictor, aliquando etiam uictus retrocessit & fugit. Postremò tamen

Herimer rex à Romanis et Gallis in bello perimitur

Romanis auxilia Gallis ferentibus in bello fuit occisus anno regni sui XII. Dominicæ autem natiuitatis XXXII. Christo ipso in Iudæa prædicante salutem generi humano.

Marcomerus regnauit annis decem & octo.

Marcomerus frater Herimeri succedens in regno Francorum regnauit annis XVIIII. cuius anno secũdo Iesus Christus Dei filius in Iudæa secundum carnem passus & mortuus, tertia'que die resurgens à morte uiuit in æternum. Anno eius XIIII. Claudius Romanorum Cæsar Britanniam Orcadas'que insulas Romanis fecit tributarias. Francos inter Mosam & Rhenum transeundo grauiter afflixit & Gallorum auxilio usque ad Rheni insulas eos retrocedere compulit. Moritur autem rex Marcomerus, Anno Domini L. regni uero sui XVIII.

Clodomerus regnauit annis duodecim.

Clodomerus Marcomeri filius in regno patri succedens regnauit annis XII. Hic Rheno transmisso cum exercitu suorum & Saxonum Gallos ultra Mosam retrocedere compulit, & amissa omnia recuperauit. Bellum gessit Germanorũ auxilio cum Romanis non longe à Moguntia & agros Treuirorũ uastauit. Moritur anno regni sui XII. Anno autem Christi LXII.

Anthenor regnauit annis VI.

Anthenor filius Clodomeri patri succedens regnauit annis VI. qui cum Gallis omni tempore quo regnauit bellum gessit, cuius & causa miserabiliter interijt. Nam anno regni sui ultimo exercitum duxit ponte fabricato ultra Mosam fluuium, & præda multa onustus rediit Gallis non exspectatis. Cum'que pars exercitus Francorum flumen transisset ac rex cum alijs in littore ultimus resederet, subito pons equitum multitudine oneratus cecidit confractus & multi fuerunt extincti. Antonitus rex & animo consternatus dum consilium tractat cum his qui secum remanserant de ponte recuperando, nunciatur ei adesse Gallos cum exercitu magno & paratos ad pugnandum. Sed cum pauci essent non uidebatur ei securum Gallorum exspectare præsentiam, & tamen aliter fugere non potuit nisi per flumen. Abiectis igitur armis & quicquid grauare potuit retento baltheo super tunica & gladio equum ascendit & fluuium transire tentauit. Similiter fecerunt & alij Pedites non habentes quo fugerent. aquis se commiserunt. Ex his aliqui natando peruenerunt ad littus cæteri autem fluctuum impetu fuerunt, inter quos & rex Anthenor, submersi. Cum quo interierunt nouem Francorum nobilissimi duces, omnes de regia stirpe procreati, uidelicet: Dux Priamus, Dux Clodius, Dux Richimer, Dux Anthenor, Dux Marcomer, Dux Vualther, Dux Clogio, Dux Herimer, & Dux Luthuuic, cum LXIII. alijs nobilibus. Anthenor itaq; perijt anno regni sui VI. Dominicę natiuitatis sexagesimo octauo anno.

Franci malo suo deuastãt Galliam.

Antenor rex cum ducibus nouem submersus est.

Ratherius regnauit annis XXI.

Ratherius post interitũ patris regnauit annis XXI. cuius anno secundo Nero Cæsar Romanorum primam persecutionem mouit in Christianos anno imperij sui XIIII. & alia commisit horrenda scelera. Rex autem Ratherius cunctis regni sui diebus cum Gallis & Romanis in contencione fuit & plura cum eis prælia gessit. Moritur anno regni sui XXI. Dominicæ natiuitatis anno LXXXIX.

Nota rex Ratherius obijt anno 21.

Richimerus rex regnauit annis uiginti quatuor.

Richimer patri succedens regnauit annis XXIIII. qui cum Gothis bellum gessit & uictor euasit. Nam anno regni sui XII. Gothi fines Saxonum & Germanorum hostili denuo incursione uastabant. Rex itaque Saxonum Vuindekind, Rex Francorum Richimerus, & Rex Thoringorum Hermenfrid cum maximo suorum exercitu Gothis congressi $\overline{X}$X. eorum occiderunt & reliquos conuerterunt in fugam. Est oppidum iuxta flumen Oderam nomine Francken furt, quod eo tempore Franci habita de Gothis uictoria consedisse memorantur, ubi Richemerus rex filium suum secundò genitum ducem constituit, & magnam exercitus cum eo partem dimisit. Vxores liberos & cunctam eorum suppellectilem

Oppidum Franckenfurt in Marchia conditur.

suppellectilem reuersus in Franciam Cisrhenanam rex ad eos destinat.

Erat nomen duci regis filio Suimo, cui successit inducatu filius eius Clodomer, & illius successor fuit ac filius Suimo secūdus qui anno Domini CXLVI. ciuitatē ad Spreui fluminis exitum non longe à mari Germanico fundauit, quam ex suo nomine Suimoniam uocauit. Manserunt in terra illa multo tempore Francum nomen retinentes, donec postremo Marcomeri dicti sunt, à duce quodam Marcomero, cuius filius Brand ciuitatem Brandenburg construxit.

Suimo dux in Marchia primus filius Richimeri regis.

Anno Richimeri regis quinto Domicianus Cæsar Romanorum Titi frater iunior post Neronem secundam persecutionem mouit, in Christianos, se quoque primus omnium Cęsarum, anno suo sexto, Dominum & Deum appellari præcepit.

Domicianus post Neronē Christianos persequitur.

Rex autem Richimer anno regni sui XI. bellum habuit cum Romanis & Gallis, non longè à ciuitate Basana, quæ nunc ad Thermas Grani nuncupatur. Eodem tempore militum legiones Romanorum apud Agrippinam Coloniam post bellum cum Francis non satis fœliciter commissum, accepto nuncio de morte Cæsaris Coccei Neruæ, Vlpium Traianum Crinitum natione Hispanum Imperatorem fecerunt, qui tertiam persecutionem mouit in Christianos: Postea informatus præcepit Christianos non inquiri, sed sponte se ingerentes tantum debere occidi. Postremò tamen iterum mutatus, quartam eis persecutionem suscitauit. Richimerus autem rex Francorum obijt, Anno Domini CXIII. Regni sui XXIIII.

Traianus apud Coloniā fit imperator.

Odemarus Richimeri regis Francorum primo genitus filius post patrem regnauit annis XIII. princeps populo Francorum ualde amabilis, qui temperauit à bellis quo ad fieri potuit. Inducias, id est, trengas siue confidencias fecit cum Gallis atque Romanis, & se tam utrisque exhibuit amicum, ut omnes mortem eius deplorarent. Vnde pacem habentis cum omnibus, totum suum studium impendit pro decore & ornatu gentis, renouando leges, & constituendo nouas ciuitates & munitiones. Inter multas autem ciuitates unam suo nomine fundauit, in terra quæ Tuendia nominabatur, quæ est inter Saxones & Francos, conterminans iuxta alueolum Vechtanum, quam nominari præcepit Odemarsheim, anno regni sui quarto, Dominicæ autem natiuitatis centesimo septimo decimo. Moritur autem rex Odemar anno regni sui XIIII. Domini autem CXXVII.

Odomar Frācorū rex annis XIIII. pacifice regnauit.

Nota oppidum Odemarsheim.

Marcomer Filius Odemari post patrem regnauit annis XXI. qui uxorem habuit filiam regio Britanniæ nomine Athildem, de qua genuit septem filios, quorum ista sunt nomina Clodomer qui patri successit in regno, Marcomer qui fuit dux apud Nitriones, & condidit urbem sui nominis Marcoburgum appellatam. Clogio qui periit in Britannia. Franc qui fuit dux apud Hogios populos à Confluente usque ad Mœnum, uersus Orientem inter Moguntiacos & Saxones, qui ueterem urbem Helenopolim iuxta Mœni littus instaurans, Frāckenfurt nominari præcepit. Merodac in uenatione apro percussus interijt. Nicanor qui dux fuit Insulanus Hollandiæ. Et Odemarus quem pater sacrorum constituit pontificem. Eo tempore claruit Doracus Francorum consiliarius atque Philosophus, homo in omnibus mundi scientijs eminenter doctus, qui carminibus & annalibus præfuit. Pacem habuerunt Franci cunctis diebus quibus Marcomerus regnauit, & multum sub eo diuitijs & potentia creuerunt, aucti numero & dignitate. Doracus in annalibus scribit, ut refert Hunibald, quod Romani Francos & bello & pace semper habuerunt suspectos, quasi futuros imperij eorum destructores, quod metuebant ex oraculo Phedri, sicut & postea magna ex parte contigit sub faramundo, & eius sequacibus. Obijt autem rex Marcomerus, anno regni sui XXI. Domini CXLVIII.

Marcomerus Francorum regnauit annis XXI.

Frācken furt iuxta Mogānum.

Doracus Frācorum consul. uates & Philosophus Francorū potentia Romanis semper suspecta.

Clodomerus regnauit annis XVII.

Clodomerus primogenitus Marcomeri regis filius regnauit post patrem annis XVII. qui fuit homo prudens, modestus, & agilis, uxorem habuit filiam ducis Rugiorum nomine Hasildam, de qua genuit tres filios, Farabertum, Nicanorem. Quorum natu maior patri successit. Secundus fuit rex Phrisiæ, Tertius Rorich in flumine submersus est, à quo nomen fluuio mansit Rora usq; in præsentem diem inter Neocum castellum Cisthenanum & ciuitatem Morandum. Clodomer autem obijt anno regni sui XVII. Domini uerò CLXV.

Farabertus regnauit annis XX.

Farabertus filius Clodomeri natu maior post patrem annis XX. regnauit. Cuius anno septimo prælium atrox Germanorum cum Romanis factum est, in quo Germani cladem non modicam susceperunt. Anno eius decimo Germani memores iniuriarum quas à Romanis acceperant, fortissimum conuocãtes exercitum, fines eorum intrauerunt, & omnia præda, igne & ferro uastarunt. Moritur autem Farabertus rex anno regni sui XX. Domini uero anno CLXXXV.

Suimo regnauit annis XXVIII.

Suimo Faraberti regis filius post patrem regnauit annis XXVIII. & multa prælia gessit cum Gallis atque Romanis. Nam eius tempore Seuerus Cęsar Romanorum Britanniam, quæ nunc Anglia est, denuo Romanis reddidit subiectam, quod Suimoni & principibus suis non placuit. Vnde mortuo in Britannia Seuero, Suimo Galliam uastauit, anno regni sui penultimo & uictor remeauit. Moritur autem anno regni sui XXVIII. Dominicæ autem natiuitatis CCXXIII. anno.

Hildericus regnauit annis XL.

Hildericus Suimonis maior natu filius patri succedens regnauit annis XL. uir potens in armis, & prudentiæ magnæ. Hic in Insula Rheni fortissimum condidit castellum, non longe à Neoco quod nomine suo Hildeburgum nuncupauit.

Hildegast Francorũ cõsul, uates & Philosophus

Claruit eius tempore Hildegast Francorum sapientissimus Philosophus, consiliarius & uates, siue Propheta, de semine regio natus, qui Odemaro in summo pontificatu successit. Hic tantę apud Francos opinionis & reputationis fuit per XLVI. annos, ut ab omnibus tamquam numen aliquod diuinum audiretur, imperaretq; & regibus ducibusq; & uniuerso populo Francorum sicut Deus & Dominus.

Vaticinium hildegasti de futura Francorum monarchia.

Hic die natalis Hilderici regis stans in templo Iouis apud Neopagum, ante ipsius Dei simulachrum, post preces pro uaticinio fusas furere cœpit, ut moris est prophetãtibus, agitatoq; capite, ac manibus recuruatis, ita uaticinabatur:

Venit ab occiduo Francis uictoria Deo,
Dardanij ueteres quem coluere patres.
Quicquid habet Gallus, quicquid Germania tota,
Iuri cedet omne
De armis Francorum, id est, leone & serpente.
tuo bellicose Sicamber. Hunc tibi cum dederit primum de nomine regem,
Quem statuent principes & sine rege duces,
Illo iam regnante Francus sine fine regnabit,
De Romanis quoque hæc intulit:
Magnus ecce Deus dabit
Franco lupanaria castra,
Et franget aquilam leo serpente collisam.

Francorum principum gesta carminibus cantare docuit

Multa prædixit, & alia Francis futura, quæ nescio si quis intelligere possit, antequam fiant. Scripta sunt autem per eum, partim Germanica lingua, partim uerò Græca, & Romana, non obseruata lege metri, sed pro ut spiritus in eo furens uerba ex spumauit. Vnde & ego ut sensum non confunderem uerba eius eodem ordine numero latina feci, non mensura carminis, sed tantum imitatione dictionis. Idem etiam Hildegast Francos nobiles, & filios eorum docuit gesta maiorum carminibus lingua decantare materna, id est Germanica, in cytharis & alijs instrumentis multis, ut canerent

Francos Hildegast, mores institutaq; & architecturam docuit.

docuit.

Erant Franci eo tẽpore adhuc moribus rudes & feri, nec habitu culti, nec mansionibus curiosi, aut ciuiles, utpote qui habitare in campis magis fuerunt assueti, quàm in urbibus, aut habitaculis pulchris, uel curiosis. Sæpe nam; regum

suorum

suorum imperio sedes,& domicilia mutare coacti fuerunt, & ideò pulchra ædificia non curabant. Sed Hildegast eos,& mores docuit cultiores,& domos ædificare diuersis receptaculis distinctas. Quicquid enim prius construxerant nimia simplicitate fuit contemnibile. Vnde Germani sumentes prouerbium cum ut derint quippiam antiqua simplicitate fabrefactum,uel depictū,usq; in hunc diē dicere solent: Hoc opus Francorum antiquum. *Das ist ein alt Frenckisch werck.* Reliqua Hilderici apud Hunibaldum sunt. Moritur anno regni sui XL. Dominicæ uerò natiuitatis CCLIII.

Francorum simplicitas in structuris

Vnde das ist ein alt Frenckisch werck

Bertherus filius Hilderici regis post patrem regnauit annis XVIII. cuius tēpore Romani, qui morabantur per legiones in Gallia Cisthenana bellum gesserūt cum Alemannis Sueui, ducentes exercitum suum ad Augustam ciuitatem Rethorum, quæ nunc in Sueuia est, anno Bertheri regis Francorū septimo, ubi Valerianus à militibus, in exercitu Augustus creatus fuit, & Gallienus Romæ à Senatu Cæsar appellatus. Gallo & Volusiano ab Aemiliano necatis.

Bertherus regnauit annis XVIII.

Anno Bertheri X. Germani Francorum,& Saxonum auxilio fines Romanorum hostiliter ingressi sunt,& omnia deuastantes usq; ad Rauennā peruenerūt.

Franci deuastauerunt Italiam.

Anno Bertheri XI. Alemanni Rheno transmisso, cum magno exercitu Galliā intrauerunt,& usq; ad Treuerim peruenientes omnia igne, & ferro crudeliter deuastarunt. Inde procedentes in Italiam usq; peruenerunt, & multa Romanis damna intulerunt. Anno sequente Franci auxilio habentes Germanos, Saxones iussu Bertheri regis sub ducibus Antheri filio eius, & Lutheri filio regis Saxonum, Galliam cum exercitu magno peruagantes deuastauerunt, incipientes à Tungrensium regione per Beluacos usq; ad Sequanam,& ulterius usq; in Hispaniam omnia uastando peruenerunt, urbem Terraconam subuerterunt. Bertherus rex obijt anno regni sui XVIII. Domini CCLXI.

Alemanni Galliā,& Italiam deuastant.

Franci Galliam, & Hispaniam deuastant.

Clodius Bertheri filius regnauit post patrem annis XXVII. cuius anno octauo Romani Francos de Hispaniæ interioris q; Galliæ finibus expulerunt, multis ab utraq; parte cæsis. Retrocesserunt enim Frāci usq; ad sedes Mosanas ueteres.

Clodius regnauit annis XXVII.

Anno deinde regni sui XII. Clodius rex cupiens se uindicare de Romanis, iterum per duces inuasit Galliam,& multa Romanorum milia fuerunt perempta à Francis. Itaq; Frāci magnam Galliæ interioris partem septennio tenuerunt.

Franci iterū mouerunt in Galliam.

Anno regis Clodij XIX. uenerunt iterum Romani sub duce Probo, iterum q; Frācos de Gallia expulerūt nō paucis bello ab utraq; parte fusis atq; peremptis.

Frācide Gallia peliuntur à Roman.

Huius quoq; Clodij temporibus Romanum uarie gubernabatur imperium, quod non paruam à Francis, Germanis, Sueuis, id est, Alemannis, Saxonibusq; iacturam sustinuit. Anno uerò Clodij regis XI. Claudius Cæsar militiam Romanam duxit contra Sueuos, cui nō longe à lacu banaco Sueui, cū triginta milibus occurrentes atrociter dimicarunt: Cessit tandem Romanis uictoria, & plus quā duodecim milia Sueuorum ceciderunt, cæteris fuga salutem quærentibus.

Alemanni, id est, Sueui cæduntur à Romanis.

Clodius rex moritur anno regni sui XXVII. Dominicæ autem natiuitatis anno CCLXXXVIII.

Clodius moritur.

Vualtherus filius regis Clodij post patrē regnauit annis octo, cuius anno primo Diocletianus Romæ cœpit,& imperauit annis ferme uiginti, qui tantæ arrogantiæ,& superbiæ fuit, ut se adorari publicè pro Deo mandarit.

Vualtherus regnat annis octo.

Anno Vualtheri regis primo, secundo, tertio,& quarto, magni fuerunt in Britannia, quæ nunc est Anglia, tumultus. Mortuo enim ante aliquot annos rege Britannorum Lucio qui primus fidem Christianam, ab Eleutherio Papa suscepe rat tempore Suimonis filij Pharaberti, regis Francorum anno Christi CLXXX VIII. substituerunt ei Romani Seuerum Senatorem, quem cum duabus legionibus in Britanniam miserunt, quem applicantem, ad littus Britanni bello exceperunt.

Romani occupant Britanniam Anglia.

Britones iugum Romanorum excutiunt.

Quo tandem apud Eboracum perempto, Cerausus infimo genere in Britannia natus, Romanorum consensu rex declaratus multam exercebat tyrannidem. Quo tandem interfecto, Vualtheri regis Franci temporibus, Romani Alexium in eius locum, cum tribus legionibus militum destinauerunt. Verùm Britones imperium Romanorum diutius ferre non ualentes Asclepiadotum, sibi regem ipsi constituunt, Alexium uerò cum duabus legionibus Romanorum occidunt. Gallum uerò præfectum cum tertia legione, apud Londonias obsident, qui ubi uidit se non posse resistere, accepta licentia abeundi, urbem resignauit. Cœpit autem Asclepiadotus anno Vualtheri VIII. & regnauit annis decem.

Francorum & Romanorum adinuicem odium.

Erant Romani his temporibus potentes, & multis nationibus imperabant. Franci autem extremo Romanorum odio laborabant, quiescebant tamen, uaticinium suorum prophetarum, quod nec dum aderat, tacitè præstolantes. Vualtherus rex moritur anno regni sui octaui, Domini CCXCVI.

Dagobertus regnauit annis XI.

Dagobertus regis Vualtheri filius post patrem regnauit annis undecim, qui fuit mansuetissimus in subditos, quo factum est, ut magni, & parui eum colerent, ut patrem, magna tamen, & singulari reuerentia, & honore eum prosequentes.

Asclepiadotus rex Britãniæ occiditur.

Anno Dagoberti regis Francorum quarto Coelus dux Claudiocestriæ insurgens contra Dominum suum Asclepiadotum regem Britannorum, inductus promissionibus Romanorum bello eum occidit. Quo nuntio lætati Romani miserunt Constantium senatorem, qui prius Hispaniam eis subiecerat, uirũ non minus prudentem quam audacem. Quem ut Coelus audiuit littori applicuisse, nuncios misit, pacem petijt, Romanis tributum promisit, tantum ut regnum habeat.

Constantius Romanus fit rex britãniæ & postea Cæsar.

Assensit Constantius. His compactatis Coelus intra dies XL. moritur, cuius mox filiã in nomine Helenam, cui pulchritudine, scientia liberalium artium peritia instrumentorum mulicalium, puella similis non fuit in Britannia, Constantius duxit uxorem, de qua genuit filium nomine Constantinũ, qui patri postea successit in regno, non solum Britonum, sed etiam contra Maxentiũ prævaluit ad imperium Romanorum.

Constantius filius Constãtini & Hele.

Nam Constantius pater factus Imperator, Constantinum Cæsarem fecit, & ei Galliam commisit. Eo tempore Alemanni Galliam in magna occupauerunt potentia, cum quibus Cæsar Constantinus, anno Dagoberti regis Francorum prædicti quarto bellum gesit apud Lingonas urbem Galliarum, & eorum sexaginta milia interfecit. Dagobertus Francorum rex moritur anno regni sui XI.

Dagobert rex Francorũ moritur.

Domini CCCVII.

Clogio regnauit annis duobus.

Clogio Dagoberti filius mortuo patri succedens, regnauit annis duntaxat duobus. Nam secundo regni sui anno Romani Francorum regnum circa Mosam & Rhenum atrociter inuaserunt, eo uidelicet anno quo Constantius Choraci, in Britannia moriens, & regnum & imperium Constantino filio cum matre commendauit.

Clogio rex Francorum à Romanis occisus.

Cum itaq; rex Francorum Clogio incautius dimicaret, à Romanis interceptus, & occisus est, duos relinquens filios, quorum natu maior Helenus annum tunc agebat XX. minor uerò natu Richimer XVIII. Lege aũt Francorum erat interdictum ne quis promoueretur, in regem nisi XXIIII. ætatis annum complesset. Hinc factum est quod neuter filiorum Clogionis ad regnum potuit peruenire, sed patruus eorũ Clodomer electione principum fuit in regem coronatus. Clogio rex peremptus anno regni sui. II. Christi autem CCCIX.

Ante XXIIII annum nemo rex Francorum.

Clodomerus regnat annis decẽ & octo

Clodomerus frater Clogionis post eum regnauit annis XVIII. cuius anno secundò Alemanni qui & Sueui grauiter à Romanis afflicti, Francos Thuringos,

ringos, & Saxones in auxilium uocauerunt, monentes & orantes, ne tardarent eis citius in adiutorium subuenire, attento. quoniam si Romani, ut animis conceperãt superassent, iã Franci, Saxones, & Thuringi ab eis sine dubio peterẽtur. *Genebaldus dux Francorum contra Romanos dimicat.*

Quibus recognitis Rex Clodomer Genebaldum fratrem suum exercitus cõstituit, cui octoginta uirorum milia subiecit. Similiter fecerunt, & cæteri Reges, in auxilium uocati, coniuncti Alemannis subsidiarij milites magnum statuerũt exercitum, congressiq; Romanis acriter pugnauerunt, & plus quã quadraginta sex milia eorum perimerunt, cæteri salutem fuga quæsiuerunt.

Inter Alemãnos, & Thuringos dissẽsio grauis oritur.

Hac Germani uictoria potiti cum spolia in castris consueto more diuiderent orta est inter duos milites, quorũ alter Sueuus alter uerò Thuringus erat, quędã turbatio, quæ in tantum creuit, quod periculosa seditio fuit subsecuta. Vterque enim de sua gente plures habuit sibi adhęrentes. Ducum tamen & principum auctoritate interueniente cessauerunt illa uice à tumultuatione. Causa turbationis fuit, quod miles ille Sueuus nomine Adelbert dixerat: Thuringum nomine Gunther nescio quid furtiue de præda communi omnium subtraxisse. Verùm ubi Thoringus furtum negaret, obtulit, se Sueuus ad probandum dictũ suum duello, quod cum admitterent principes, monomachiæ bellum committitur, & Thoringus ab Alemanno, in secundo congressu peremptus est. Cuius cadauer, cùm armis & uestimentis fuisset nudatum, etiam furtum de quo fuerat accusatus penes eum inuentum est. Qua confusione accepta Thuringi ultra modum animis seuierunt, tamen dissimulantes iram, consilium postea seorsum habuerunt uiri centum uiginti quomodo Guntherũ de Adelberto Sueuo uindicarent occisum, omnia secretissime manere iubent.

Causa turbationis inter Sueuum, & Thuring.

Alemãnus furem Thuringum duello probat, & occidit.

Thoringi CXX. super Sueuos irruunt nocte occidũtur.

Nocte igitur insequente super tentorium, in quo suspicabantur esse Albertum Sueuum irruunt, & clamantes trade nobis homicidam ut moriatur. Quid plura? Ad arma concurrunt, Sueui suum defendere militem innocentem, uel cum eo mori statuunt, irruentesq; in illos centum uiginti Thoringos omnes pene trucidãtur. Quod cum nunciatum fuisset in castris Thoringorũ, mox in furorem concitati, mane diluculo, in Sueuos prosiliunt, cum insania uociferantes. o gy verrederß boeß wycht. At Sueui non segnes arma corripientes fortiter se defendunt.

Thoringorũ XII. necãtur à Sueuis. nota.

Atrox inter amicos pugna committitur, in qua plus quam duodecim milia Thoringorum à Sueuis perempta sunt, cæteri fuga lapsi, ad castra Francorum, qui ad duarum fere leucarum distantiam, ab his aberant, peruenerũt. Nec enim Francis, nec Saxonibus innotuerat res, donec perpetrata fuerat, quia non in eodem loco, sed procul ab inuicem castra posuerant.

induciæ triũ annorum inter Sueuos, & Thuringos.

Post hæc principes, & duces Francorum, Saxonumq; pro pace, & concordia inter Alemannos, & Thoringos magnis laborauere conatibus, sed cum ambę partes grauiter se læsas quererẽtur plenam reformare pacem non potuerunt. Inducias tamen impetrauerunt ad tres annos, in quibus à bello partes deberẽt abstinere, donec medio tempore deferuescente commotionis turbatio sedaretur. Ab illo tempore usq; ad nostram ætatem perpetua manet inter Sueuos, & Thuringos occulta dissentio, cum plures causam ignorent, & se mutuo insequuntur.

Occulta dissensio inter Sueuos & Thoringos.

Anno Clodomeri Francorum regis sexto trengis, siue inducijs inter præscriptas gentes finitis, Alemanni bellum Thuringis indixerunt. Sed Thoringi rebus suis diffidentes, nuncios miserunt nobiles, & insignes ad Clodomerum regem, & Francorum proceres, magna cum instantia rogantes ut eis in auxilium copias mittere contra Alemanos, ut amici dignarentur. Erant eo tempore magni gentium motus, in Britannia, & in cunctis Insulis circum iacentibus. Rex autem Francorum quia non longè distabant sedes suæ, gen-

Alemanni Thuringis bellum iudicant.

Francorum auxilium Thuringi cõtra Sueuos petunt.

tis à

tis à Britannia in magna sollicitudine fuit, metuens Romanorũ insidias ne forte per terram excurrerent, & fines Francorum infestarent, sicut & antea sæpius fecerunt.

Magni regis Francorum Clodomeri ad legatos Thuring oratio.

Vnde cum suis habito consilio Thuringorum legatis respondit, in concione magnatorum publica dicens: Duce Genebaldo fratre meo charissimo dudum intellexi quæ fuerit inter uos amici Thoringi, & Alemanos causa diffidij & earum quæ hodie sunt in foribus turbationum. Sed uos ipsi optimè scitis quod Romani cum Gallis quotidie nobis imminent, ac diligentissimè obseruant, si qualibet occasione regnum nostrum possent destruere. Vnde cautum nobis non iudico his periculosis tẽporibus populum diuidere, & neglectis propriis aliena tutari. Quod si possemus sine periculo nostro, sicut ante hæc sæpius fecimus, & nunc amica seruitute faceremus. Est enim locorum nimis à nobis distantia pugnare contra Alemanos, cum illi principium Rheni & ortum, nos uerò extrema eius ostia teneamus.

Francis Thuringi sedes offerunt, ubi nunc est Frãcia oriẽtalis.

Quibus auditis à Rege Francorum, legati Regis Thuringiæ responderunt: Domine Rex & uos Frãci optimates audite: Est nobis terra lata, fertilis, & amœna, unde si uobis placet, promptus est Rex noster cum uniuersa gente Thuringorum dare populo uestro terram optimam, quæ est ad Mœni ripas, & inter Alemanos, ut nobis in murum, & Alemanis sitis in exterminium. Ad petitionem Thuringorum Franci dederunt consensum, & oblata susceperunt.

Francorum XXXII. DC. de Hollandia, ad Wirtzburgũ ascendunt.

Anno igitur Dominicę natiuitatis CCCXVI. qui fuit septimus annus Clodomeri regis Francorum, in mense Aprili nonadecimo die mensis exiuerunt uiri armati, triginta milia, agricultores, & uariarum rerum artifices, duo milia sexcenta octaginta sex, cum uxoribus, liberis, & rebus suis de Francia Cismarina, ubi nunc est, Traiectum, Hollandia, Geldria, Selãdia, pars Phrisiæ, & Vuestphaliæ, simul & Brabantia cum adiacentibus terris multis selecti, & iussi à rege ascẽdere in terram, quam promiserant se Thoringi Francis daturos, quam etiam cũ magna lætitia susceperunt.

Genebaldus dux primus Francorum orientalium fit.

Ducem Rex super populum missum, & exercitum omnem constituit fratrem suum Genebaldum, qui annis prioribus cum Alemanis contra Romanos dimicauerat, fuitq; uir magnæ prudentiæ, audax & bellicosus, qui terminos sibi & populo suo donatos non solum bene rexit, sed etiam in breui multum ampliauit. Cumq; exiuissent patrios lares Franci, dux Genebaldus cum uiginti milib. pugnatorum processit, ad locum sibi à Thuringis destinatum, reliqua uerò decem utilia pro tutela populi subsequentis cum filio suo Marcomero in itinere post se dimisit.

Francorũ orientalium dux pacẽ reformat inter diß.

Cum autem percepissent Alemani quod Franci nouas à Thuringis sedes accepissent iuxta Mœni littora inter medium eorũ, ualde timuerunt: & missis ad Genebaldum ducem legatis pacem orant, & omnem causam litis Thuringorum, in eius arbitrium committunt. Similiter etiam Thuringi fecerunt. Et sic magnũ inter illos dissidium Genebaldi prudentia fuit extinctum.

Anno Christi CCCXVI. Franci extrema Thoringiæ possidẽt Francis dant locum Thuringi, & uicißim, apud Lunangiam ubi nunc est ciuitas Wirtzpurg.

Eodem anno in mense septembri Marcomer dux Genebaldi filius cum reliquo Francorum populo uenit in meridionalem Thuringiã, & sedes promissas acceperunt circa Mœnum fluuium, ab oriente habentes Bohemiam, à meridie Alemanniam, ab occidente Rhenum & Moguntiam, ab aquilone uerò Thuringiam & Saxoniã. In eorum autẽ introitu omnes Thuringi regis sui Herolimãdato retrocesserunt in Thuringiam, & dispositas sibi mansiones receperunt, alimenta Francis ad integrum annum sufficientia iussu regis dimittentes. Franci autem noui aduenæ, in terra iam sua consederunt, primò in eo loco qui olim dictus est, *Lunaw*, ubi nunc est urbs Francorum nomine Wirtzburg. Exinde omnem inter se regionem diuiserunt, per familias singulas distributionum

num gradus sortes, mittentes unicuicq; per ordinem gentis suæ.

Genebaldus uerò dux Francorum in orientali Francia, primus ab illo tempo re genti præfuit, sub nutu & imperio regum inferioris Franciæ annis triginta, & breui tempore nomen eius innotuit multis, ita ut etiã Romanis iam esset formidabile, quibus ualde displicuit quod Franci terram illam inhabitare cœpissẽt, scientes illos esse feroces, quietis impatientes & ad bella promptissimos. Nec tamen poterant eos prohibere propter multa prælia quibus eo tẽpore in alijs mundi prouincijs plus consueto fuerunt nimium occupati. *Genebaldus Francorũ orientaliũ dux annis XXX*

Dux Genebaldus consentiente Clodomero rege Francorum, qui regnauit in Francia occidentali circa mare, Mosam & Rhenum fœdus iniit, cum Alemanis & Thuringis, quo fortior esset, ad impugnandum Romanos, & Gallos, qui finibus Franciæ, ab alia Rheni parte imminebant, apud Moguntiam, & Argentinam, contra quos Rheno transmisso sæpius dimicauit, & plures eorum occidit. *Fr̃ci orietales cũ Alemãnis, & Thuringis fœdus contrahunt.*

Genebaldus autem Dux genuit Dagobertũ, qui præfuit genti annis XXI. Dagobertus aũt genuit Clodium, qui præfuit annis XXIII. Clodius aũt genuit Marcomerum, qui præfuit annis XX. Marcomerus aũt genuit Faramundum, qui anno ducatus sui secundo, in regem Francorum fuit electus, ut ordine suo inferiùs est scriptum. Prædicti quatuor duces Francorum oriẽtalium per annos XCIIII. populo præsidentes terminos acceptæ possessionis, usq; ad Rheni flumen dilatarunt, & magnum Gallis, atq; Romanis damnum fecerunt. Sed iam nunc quę restant de regum Francorum successione continuanda sunt. Rex autem Clodomer obijt anno regni sui XVIII. Domini CCCXXVII. *Genealogia ducũ Francorum orientalium, sub regib. dominãtium.*

Richimerus Clodomeri filius post patrem regnauit annis XIII. & cunctis regni sui diebus cum Romanis, & Gallis in contentione fuit, & multa cum eis prælia commisit. Hic etiam tempore patris sui cum Cæsare Constantio patre Constantini dimicauerat, anno uidelicet Domini CCCVIII. Constantius enim Britãniam Romanorum iussu ingressurus, Francorum gentem in finibus Rheni ad Mare & Mosam commorantem hostiliter inuasit, & retrocedere compulit, multis eorum in bello peremptis. Quo tandem in Britannia mortuo Franci pristinos confestim terminos receperunt, & Romanorum præsidium fugere cõpulerunt. Postremo tamen Constantinus Imperator Constantij, & Helenæ filius Richimerum in bello peremit. Anno regni eius XIII. Domini autem CCCXL. *Richimer Clodomeri filius regnauit super Frãcos annis XIII. Richimer occiditur in prælio.*

Theodomerus filius Richimeri post patrem regnauit annis X. qui & ipse cũ Romanis multa prælia gessit. Eo tempore Francorum habitatio regum fuit in regione Tungrorum, non longè à Mosa flumine in castro, quod Dispartum nuncupabatur. A termino autem Francorum usq; ad Ligerim fluuium Galli morabantur, & ultra Ligerim Gothi. Eodem tempore dux Francorum orientalium Dagobertus Rheno transmisso Galliam uastauit, & Treuirorum urbem spolia tam incendio cremauit. Rex autem Theodomerus unà cum Astila matre à Romanis Galliam occupantibus captus est, & gladio peremptus. Anno regni sui X. Dominicę autem natiuitatis CCCL. *Theodomerus regnauit annis X. Theodomeri occiditur. Clogio regnauit super Francos annis XVIII.*

Chlogio Theodomeri filius patri succedens, in regno Francorum, regnauit annis XVIII. cuius tempore Constans filius Magni Constantini Cæsar multa cum Francis prælia commisit, pluries uictus quam uictor. Nam Clogio rex Magno Francorum adunato exercitu, anno regni sui primo Cameracensem urbẽ expugnauit, & plures Romanorum in uindictam paternæ necis crudeliter occidit inde progressus Galliam usq; ad Sunnam fluuium regno Francorum subiecit. Contra quem Constans, qui cum Constantino, & Constantio fratribus imperauit Romanorum legiones duxit, sæpiusq; atrociter pugnauit, sed Francos superare non potuit. *Franci cum Gallorũ tyrannis deuastãt. Franci orientales Rheno transmisso Gallorũ finibus deuastãt.*

Interim uerò dum hæc agerentur in Gallia, Dagobertus dux in Francia orientali

orientali Rhenum transiens ponte fabricato, apud uicum Altripensem inter Spiram, & Vuormaciam, Gallos & Romanos hostiliter deuastat. Gothi etiam Hispaniam eodem tempore incursantes lacerabant. Videns ergo Constans quod in medio periculo constitutus omnibus resistere non posset, cum Francis pacē fecit. Nec moratus Constans in Hispaniam ducit exercitum cōtra Gothos quos retrocedere compulit, & non multo postea Chlogionis anno tertio peremptus est, anno ętatis suæ XXX. imperij autem XIII. Republica Romanorum in turbatione relicta. Chlogio rex Francorum moritur anno regni sui XVIII. Dominicæ autem natiuitatis CCCLXVII.

Marcomerus regnauit annis IIII. & in bello perimitur.

Marcomerus filius Chlogionis post patrem regnauit annis IIII. Contra quē Romani bellum in primo eius anno mouerūt, quod annis quatuor durauit. Valde enim moleste ferebant Francos inhabitare Galliam. Franci autem fortiter steterunt. Postremò tamen Marcomerus rex anno regni sui quarto, à Romanis in bellò fuit occisus. Anno Dominicæ natiuitatis CCCLXXII.

Franci pacē sub dura conditione à Romanis accipiunt.

Franci autem Rege suo peremptо considerantes, quod Romanis illa uice nō possent resistere, pacem ab eis postularunt, quam illi sub tali conditione dederunt, quod Franci deinceps Regem non haberent, sed regno in prouinciam redacto, ducibus regerētur, & quotannis tributum Romanis soluerent, & fidem seruarent. Et licet nimis graue Francis dare tributum uideretur, qui semper eatenus liberi fuerant, malitia tamen compulsi temporum aliter, quàm maluissent fecerunt.

Reges Francis deficiunt annis 32.

Anno igitur DCCCXI. à primo Francorum aduentu in Germaniam gens ipsa eatenus semper inuicta, & cunctis nationibus metuenda, Regibus amissis, & Ducibus commissa tributum Romanis pendere compellitur, annis XX.

Dagobertus dux seu Vicerex Francorum annis XIII.

Dagobertus dux primus, frater erat Marcomeri Francorum regis, & filius Clogionis, permissione Romanorum primus super Francos occidentales ducatum accepit, quem annis XIII. tenuit. Eo tempore apud Francos orientales ducatum tenuit Clodius annis XX. Vir strenuus, quem Romani nunquam sibi potuerūt subiugare, sed ipsi potius, ab eo uicti, sæpius fugati sunt multis eorum occisis.

Valentinianus Romanis imperat an. XIII.

Anno eiusdem ducis Dagoberti quinto, Valentinianus suscepit Imperium, & imperauit annis XIII. quo tempore fuerunt horrendi terre motus per totum mundum. Eodem anno Burgundionū octoginta milia, à meridie uersus Aquilonem descenderunt, ad Rhenum & ibi sedes nouas in finibus Alsatiorum receperunt, ubi & manent.

Alemannorū XXX. cædes per Romanos.

Anno ducis Francorum Dagoberti octauo Romani duce Gratiano, non lōge ab Argentoraco bellū cum Alemānis committentes, eorū triginta milia peremerunt. Dux autem Dagobertus tres filios habuit. Genebaldum, Marcomerū, & Suimonem, quibus cùm adhuc sanus uiueret, fauente omni populo principatum diuisit.

Clodius dux obijt, Macomerus succ.

Anno ducis Dagoberti undecimo, mortuus est Clodius dux Francorum orientalium, cui Marcomer filius eius succedens, Frācos superiores, annis XX. gubernat.

Dagobertus dux Francorum obijt.

Dagobertus uerò Francorum occidentalium præfatus moritur, anno ducatus sui XII. Anno autem Dominicę natiuitatis CCCLXXXV.

Genebaldus interrex siue dux Francorum annis 19.

Genebaldus dux secundus, primogenitus Dagoberti ducis primi, principatū à patre sibi deputatum tenuit, annis XIX. Porrò duo fratres eius Marcomerus, & Suimo, duces erāt in locis sibi à genitore præsignatis, alter uidelicet, ab ea parte Rheni quæ Saxones respicit, alter uerò ab alia quæ Mare & Galliam diuidit, & Hollandiam. Genebaldus autem Tungros, & magnam Galliæ partem, cum Brabantia tenuit.

Marcomerus dux Frācorum orientalium.

Non placuit proceribus Francorum ista principatus diuisio, per quam se quotidie

quotidie infirmiores, non dubitabant esse futuros, Romanis tamen satis complacuit. Dominabatur eo tempore Francis oriẽtalib. Marcomerus Clodij filius quartus in ordine ducum à tempore quo Franci sedes à Thoringis in eo acceperant loco, & extendebatur eius dominium, à finibus Bauariæ, & Bohemiæ, ab oriente, usq; ad Rhenum, habens sub se Hogios, Meneganios, Caraganios, usque ad termas Alsatianas. Hunc ducem Romani subijcere nunquam potuerũt, licet sæpius tentarunt.

Maximus rex usurpato imperio Galliam deuastat.

Anno Genebaldi ducis secũdo, qui fuit Dominicę natiuitatis CCCLXXXVII. Maximus de genere Imperatorum, qui originem ex Britannia traxerat, quem Octauius tunc rex de Roma uocauerat in Angliam, feceratq; generum suum, & regni successorem, per seditionem militum Imperator factus est, contrà Gratianum. Nam postquam in Britannia quinq; annis, in bona pace regnasset, in superbiam elatus, à militibus Romanis quos secum adduxerat, Imperatorem se fieri mandauit, & mox nauigauit cum omni militia sua, in Galliam contra Gratianum, ut eam suo imperio subiugaret.

Francorum XV. trucidata sunt à Maximo in Gallia maiori.

In primis itaq; regnum Marmoricum, quod nunc Britannia noua seu minor dicitur inuasit, & cum Francis, qui illud inhabitabant sub iam dicto Genebaldo duce bellum commisit. Dux belli Francorum à Genebaldo fuerat constitutus Iubalchus, qui obuiam factus Maximo cum toto exercitu Francorum quem habuit, cum eo pugnauit, & uictoria Maximo contigit. Ceciderunt in eo prælio Francorum quindecim milia, sed & dux ipse Iubalchus interijt. Cæteri fugerũt. Deinde mulieres, cum paruulis cunctas, senes quoq;, & iuuenes omnes, quotquot per totam Marmoricam reperit crudeliter occidit. Regnum uerò illud noq; Britanniæ dedit Iunano qui nepos fuerat Octauij regis Anglorum, relictas cum eo militia magna, postquam uidelicet sibi totam Galliam fecit subiectam.

Iubalchus dux Francorum.

Maximus superata Gallia regni sedem posuit apud Treuiros.

Postquam enim Maximus omnem Galliam sibi subiugauit, & Gratianus, ex Parisio fugiens apud Lugdunum captus fuerat, & occisus, imperij sedem posuit in ciuitatem Treuirorum, ubi & Victorem filium Imperij consortem fecit adhuc puerum, quem deinde profecturus in Italiam Nanneno, & Quintino commendauit.

Conamus britto fit rex Marmoricorum donatione Maximi.

Interea Conamus Marmoricorum, Britonum Rex, uolens militibus suis dare cõiuges qui non habebãt, & qui suas in Anglia reliquerant, cum liberis adducere, ut nullam commixtionis causam haberent cum Gallicanis, nuncios misit in Angliam ad Dionotum Regem Cornubiæ, qui fratri suo Coradoco successerat in regno, & petijt ab eo filiam eius Vrsulam nomine speciosam uirginem sibi dari, & transmitti uxorem. Item petijt secundò, & nauibus impositas uxores tũ liberis militum, & nobilium, qui tunc erant in Marmorica, similiter ad se transmitteret. Tertiò petijt, ut pro militibus, qui necdum habebant uxores mitteret uirgines.

Dionotus rex Cornubiæ pater sanctæ Vrsulæ in Britannia.

Vndecim milium uirginũ historia.

Rex autem Dionotus satisfacere cupiens precibus Conami, ex tota insula collegit filias nobilium, undecim milia, de inferioris autem generis prosapia sexaginta milia. hoc est, in summa CXXI. inter quas, & nobilium, & militum uxores fuerũt similiter cũ liberis imputatæ. Naues quoq; ex diuersis littoribus iussit adduci, in quibus omnia pro nauigantibus necessaria imposuit. Et licet nauigatio multis in illo mulierum cœtu placeret, multis tamen displicebat, quæ parentes, & patriam maiori affectione intentius amabant. Sed regis imperium prævaluit.

Paratis nauibus, mulieres cum uirginibus ingrediũtur, circa Tamensem fluuium, & dum classem uersus Marmoricam dirigunt, grandis in mari tempestas oritur, & naues ab inuicem separantur. Maior totius congregatæ illius multitudinis nubibus in mari perijt, & collisis nauibus descendit in profundũ.

Reliquæ

Mulierũ & uirginũ pars maior est, in mari mersa.

Reliquæ autem mulieres & uirgines, quæ tantum periculum euadere potuerunt, in Barbaras nationes appulsæ, ab ignota gente, uel trucidatæ sunt, uel in seruitutem perpetuam mancipatæ. Magna earum pars incidit, in exercitum Gnanij regis Hunorum, & Melgæ regis Pictorum, qui mercede conducti patres cp Graniani tuentes contra Maximum, maritimas regiones ab Hispania, usq; ad Angliam miserabili clade terra mariq; uastabant. Quorum libidinem recusantes omnes iuxta littus, & in nauibus occisæ sunt, & uiq; ad unam deletæ. Fuerunt enim omnes Christianæ.

Gnanius Hunorum & Melga pictorũ reges Virginũ undecim milia occiderunt.

Maximus tyrannus perimitur.

Anno Genebaldi ducis Francorum VI. Maximus tyrannus tertio, ab Aquileia lapide spoliatus indumentis regijs à Valentiniano, & Theodosio Imperatoribus, capite truncatus interijt, cuius filius nomine Victor, non diu pòst, ab Arbogasto perimitur.

Franci duces per Maximũ tyrannũ ablata recuperant.

Eodem annò postquam Francis innotuit Maximi interitus, mox adunati sortem instituerunt exercitum, & Genebaldo Marcomero, atq; Sunnone ducibus omnem terram, quam illo sæuiente amiserant, siue in Germania, siue in Gallia recuperauerunt, multis Gallorum, Romanorum, ac Britonum milibus hostilitèr peremptis. Britones namq; post egressum totius nobilitatis, cum Maximo penitus fuerunt infirmati, & ideò Francis, iam non metuendi. Galli atq; Romani mutuis collidebantur seditionibus, quæ res Francis summam dedit spem uendicandę patriæ libertatem.

Franci tributum dare Valètmiano & Romanis cõtemnunt.

Anno igitur Dominicæ natiuitatis CCCXCII. Franci conspirantes, in unum tributis Romanorum subiacere amplius contemserunt. Romanorum eo tempore Imperium tenuit Valentinianus iunior, quem à Maximo expulsum de Italia Theodosius restituerat, qui nuncios mittens ad Francos, tributũ exigebat promissum. Franci autem uenientes, ad se Valentiniani legatos, pro tributo cum ignominia expulerunt, dicentes se liberos natos, etiam pro defensione libertatis mori esse paratos. Moxq; arma corripientes, in Romanos, & Gallos mouent, & sicut dictum est, multis crudeliter occisis de aduersarijs, omnia quæ amiserant recuperauerunt, & anno uicesimo postquam Romanis tributum persoluerant libertatem pristinam armis uendicantes fortiter dimicando receperunt.

Franci Rheno transito fines Colonienſium, & Galliæ deuastauerunt.

Ducibus enim Genebaldo Marcomero, & Sunnone, cum ingenti exercitu, de inferiori Francia, quæ circa Rheni ostia est, & mare procedentes, mox omnia quæ sunt inter Mosam, & Rhenum Gallis habitatoribus, aut occisis, aut fuga pulsis occupant, spolijs ad sedes partias transmissis. Inde ascendentes fines Colonienſium deuastare cœperunt, magnum urbanis metum incutientes, qui adhuc erant cum Romanis.

Nãnenus, & Quintinus Treuirenſes mouent exercitum in Francos.

Vt autem Francorum excursus apud Treuiros fuit auditus, qui & ipsi cum Victore Maximi filio senserant, & quod Colonienſem deuastarent agrum, Nannenus, & Quintinus magistri militum quibus Maximus in Italiam profecturus Victorem filium suum, & Galliæ defensionem commiserat, contractis copijs descendunt in auxilium Colonienſibus aduersum Francos, si daretur occasio, pugnaturi.

Franci cum præda reuertuntur, ad propria.

Sed priusquam illi uenirent ad Coloniam, Franci iam præda onusti Rheno transmisso in sua redierant. Dimiserant tamen, non paucos, ab alia parte fluminis eo quod redire, & ipsi ad eos animo conceperant, & ulterius in Galliam procedere. Erãt autem primæ Francorum sedes, ut dictum est, prius intra Rheni ostia tria, ubi nunc est Hollãdia, & ab orientali parte Rheni uersus Saxoniam Phrisiã, & ubi nũc est Vuestphaliæ pars interior simul & Phrisia. Ad occidẽtem quoq; ultra Rhenũ usq; ad Mosam similiter habitabant aliquando ubi nunc sunt Geldrenses & Iuliacenses, aliquando etiam ulterius, ad Morinos, & regiones maritimas procedentes.

Francorum primæ sedes in Hollãdia, & finibus Geldriæ.

Nannenus

Nannenus & Quintinus cum exercitu uenientes reliquias Francorum, quę in Gallia remanserant adoriuntur, & pugnam committunt atrocissimam, in qua sæpius uicti aliquando etiam uictores extiterũt. Postremo tamen Franci superantur apud syluam carbonariam, quorum alij perempti, alij fuga saluati fuerunt. *Franci apud Carbonariã syluam muincuntur.*

His peractis Quintino uisum est utile, ut exercitum omnem traducerent in Franciam & imparatos irruptione præoccuparent. Sed Nanneno huiusmodi consilium non placuit, qui Francos in solo proprio non dubitabat esse fortiores. *Quintini cõsiliũ non placuit Nanneno de intranda Francia.*

Nanneno itaq; ad Moguntiam reuerso, Quintinus circa Musium castellũ Rheno transmisso traducit exercitum, & Francis bellum inferre contendit. At Franci non segnes Gallos uiriliter exceperũt, in quo prælio multa Gallorũ & Romanorum milia per Francos perempta sunt paucissimis fuga saluatis. Cecidit in eo prælio Heraclius legionis Romanæ Tribunus, & cum eo penè omnes qui militibus præerant, gladio & iaculis Francorum gentis interierunt. Namq; paucis exceptis, quibus nox alta nemorumq; latibulum condensa præbuerunt, Quinti ni exercitus fuit extinctus, uel Francorum gladio uel paludibus. *Fr̃ci Quintinũ uincunt & Romanorũ plura milia occidũt.*

Anno Genebaldi ducis Francorum XII. Valentinianus Imperator apud Vienennam urbem Gallię dolo & austeritate Arbogasti magistri militum laqueo interijt, & Eugenius machinatione Arbogesti rex Galliarum declaratus triennio regnauit. Morte Valentiniani Cæsaris Franci audita Rhenum trãsire Galliamq; inuadere statuunt, quod priusquam ad effectum perducerent, consilium eorum Arbogastus pręuenit, & apud Coloniam Agrippinam ultra Rhenum traducto exercitu hyeme rigente, Bacteros Rheno proximos Chamannos & alios subiectos Francis deuastauit. *Valentinianus Imperator Arbogasti dolo necatur. Eugenius fit rex.*

Contra quem Genebaldus Marcomerus & duces Frãcorum procedẽtes prę-lium commiserunt, in quo duodecim milia Gallorum sunt occisa, & reliqui in fugam conuersi. Facta sunt hæc anno Dominicæ natiuitatis CCCXIIII. *Franci Romanorum XII. milia sub Arbogasto interficiunt.*

Sequenti anno Eugenius rex Gallię qui Romanum ambibat imperium, cum didicisset Theodosium Imperatorẽ Orientis de Constantinopoli contra se uenturum in Galliam timuit, ueniensq; ad Rhenum Francorum tam orientalium quàm occidentalium simul & Alemannorum contra Cæsarem auxilium inuocauit. Eodem anno fuit occisus à Theodosio, quia Francorum auxilium nõ meruit. Arbogastus princeps malorum proprio se gladio interemit. Theodosius obijt Mediolani, cuius cadauer Constantinopolim relatum sepelitur, & duo filij eius in imperio succedunt, Archadius in Oriente, & Honorius apud Romanos in Occidente. *Eugenius occiditur. Marcomero succedit Pharamundus.*

Anno Genebaldi Magni ducis Francorum occidentalium XVIII. qui fuit Dominicæ natiuitatis CCCCIII. obijt Marcomerus dux Francorum orientalium in monte, qui dicitur Franckenberg more gentilicio sepultus. Post quem filius eius Faramundus in ducatu succesit annis duobus & in regem omnium Francorum electus est. *Marcomerus alter & Sunno duces obiunt.*

Eodem anno Marcomerus & Sunno duces & fratres Genebaldi Franciæ inferioris mortui sunt sine liberis masculini sexus & apud Neopagum sunt sepulti.

Anno sequenti, qui fuit Dominicę natiuitatis CCCCIIII. obijt Genebaldus dux magnus Francorum occidentalium, anno principatus sui nonodecimo duos relinquens filios Sunnonem & Richerum, quorum maior natu pedibus erat claudus, minor uerò ad regnum non satis idonens. *Genebaldus dux Francorum obijt.*

Eo tempore Franci multum dilatauerũt terminos suos, & multis ducibus subiacebant, qui tamen omnes maiori uni ut regi obtemperabant. Visum est autem eis quod eo principatus diuisio non esset bona pro gente Francorum, sed melius fore iudicantes, ut contemptis Romanis regem sibi proprium instituerent *Francorũ intencio fuit ut abrogatis ducibus regem instituerent.*

rent ſicuti ante annos triginta habuerant, conſiliati ſunt.

Francorum procerũ conuentus pro noui regis inſtitutione.

Anno igitur Dominicę natiuitatis CCCCV. indictione Romanorum tertia, omnes duces, proceres & nobiles Francorum in menſe Martio conuenerunt apud Neop[illegible]um pro noui regis electione facienda, inter quos iſti fuerunt cęteris prę ſtantiores. Dux Faramundus Francorum orientalium & duo fratres eius Marcomer & Sunno cum filijs eorum, Clodio, Dagaberto, Nicanore, Faraberto & Richimero. Dux Anthenor princeps Francorum apud Hogios & Franckenfurt Mœnipolitas cũ fratribus ſuis. Priamo & Dagaberto. Dux Bertherus Gallicanus. Dux Heribertus inſulanus. Dux Sunno & Richer fratres filijs ducis Genebaldi. Inter proceres multos fuerũt, Salagaſt Philippus, à ſecretis Gaſthald, Hethald, Vniſogaithald, Rutuuich, Adelhardet, Richerus Hi omnes cum cęteris uno conſenſu Pharamundum de regio genere ortum ac ducem apud Marcopolim Francorum orientalium unanimiter in regem elegerunt.

Pharamundus rex Frãcorũ electus, regnauit annis uiginti octo.

Pharamundus rex filius Marcomeri ducis, qui fuit Clodij, qui fuit Dagoberti, qui fuit Genebaldi, qui fuit Dagoberti Frãcorum regis, qui ut ſupra dictum eſt, obijt anno Domini CCCVII. Pharamundus igitur ex duce in regem electus, regnauit annis XXVII. uir fortis, magnanimus, & pugnator audaciſſimus, qui Romanas legiones bellando contriuit.

Marcomerus dux Frãcię orientalis annis decem et octo.

6. Ducatum uerò Franciæ orientalis Marcomero fratri ſuo commendauit, anno Domini ſuprà ſcripto CCCCV. & ipſe cum Francis Occidentalibus Galliam uaſtauit. Marcomerus autem poſtquam annis XVIII. Francis præfuiſſet moritur anno Dominicę natiuitatis CCCCXXIII. in monte Franckenperg ſepultus.

Priamus dux annis duodecim.

7 Priamus patri ſucceſsit in ducatu Francorum orientalium annis XII. & moritur anno Dominicę natiuitatis CCCCXXXV.

Genebaldus annis uiginti

8 Genebaldus patri ſucceſſit annis XX. qui Alemannos bello ſuperauit & Rhenum tranſiuit, Moritur autem anno Domini CCCCLV.

Sunno dux annis uiginti tres.

9 Sunno patri ſucceſſit annis XXIII. qui caſtrum in Sunenberg conſtruxit, & aliud quod Suntheim appellauit iuxta Mœnum, obijt autem anno Dominicæ natiuitatis CCCCLXXVIII.

Clodius dux annis ſedecim.

10 Clodius frater Clodouei regis Francorum ſucceſſit annis XVI. qui cum Bauaris bellum geſsit uictor, In uenatione apro percuſſus interijt, anno Domini CCCCXC[illegible]IIII.

Clodomer dux annis XXI.

11 Clodomer filius ducis Sunnonis ducatus apicem tenuit annis XXI. cuius frater Dietlibus caſtrum ſuo nomine Dietlebach conſtruxit, obijt autem anno Domini DXV.

Hugbald annis dux XXVI.

12 Hugbaldus patri ſucceſſit annis XXVI. Hic Moguntiam & Vuormaciam regno Francorum ſubiecit. Vrbem ſuo nomine ad Mœni flumen haud procul à Franckenfurt, ædificauit. Moritur anno Domini DXLI.

Helenus dux annis XXX.

13 Helenus patri ſucceſsit annis XXX. qui Rheno tranſmiſſo terras Gallorum, qui relicti fuerant in Vueſtraſia obtinuit, & Gallos in deditionem accepit. Hic & pater eius primi ex ducibus fuerunt Chriſtiani. Obijt anno Dominicæ natiuitatis DLXXI.

Gotfridus dux annis XXIII.

14 Gotfridus patri ſucceſſit annis XXIIII. Hic fuit pius princeps, ſed tamen ad fidem Chriſti non omnes ſubditos ſuos conuertere potuit. Erant enim duræ ceruicis eo tempore Franci ad fidem ſuſcipiendam, maiorq; pars eorum adhuc fuit gentilis in ducatu. Obijt autem dux Gotfridus anno Domini DXCV.

Genebaldus dux annis XX.

15 Genebaldus patri ſucceſſit annis XX. cuius tempore ſanctus Papa Gregorius prædicatores miſit in Angliam. Obijt iſte dux anno Dominicæ natiuitatis DCXV.

Clodomirus dux præfuit annis XXIII

16 Clodomirus in ducatu Frãcorũ oriẽtaliũ patri ſucceſſit annis XXIII. cuius anno primo Anaſtaſius Perſa monachus martyrizatus eſt. Obijt anno Dñi DCXXXVII.

17 Heribertus

17 Heribertus Clodomiri nepos in ducatu succeſſit annis XXX. cuius tempore ſanctus Furſeus abbas in Hibernia claruit. Moritur dux iſte anno Dominicæ natiuitatis DCLXVIII. *Heribertus dux præfuit annis XXX.*

18 Clodoneus Heriberto patruo ſucceſsit annis XII. cuius tempore Clodoneus rex erat Francorum in Gallia. Moritur dux Clodoneus anno Dominicæ natiuitatis DCLXXX. *Clodoneus dux præfuit annis XII.*

19 Gosbertus patri ſucceſsit annis XXVI. cuius anno VI. Canon Papa ſanctum Kylianum natione Scotum profeſsione monachum epiſcopum ordinauit, & miſit eum in Franciam orientalem ad Euangelizandum fidem Chriſti. Biennio apud Herbipolim in prędicatione peracto unà cum Colonato presbytero & Totthano diacono miniſtris ſuis iuſſu Geilanę uxoris ducis martyrizatus eſt, anno Domini DCLXXXVIII. Dux autem Gosbertus obiit anno Domini DCCVI. *Gosbertus dux annis XXVI. Sanctus Kylianus cũ ſocijs patitur.*

20 Gosbertus iunior patri ſucceſsit in ducatu annis XIIII. cuius tempore ſanctus Aegidius abbas in Gallia claruit. Dux iſte moritur anno Dominicę natiuitatis DCCXX. *Gosbertus dux annis XIIII.*

21 Hetanus patri ſucceſſit in ducatu annis XX. qui ſine filijs moritur. Anno Domini DCCCXL. unicam relinquens filiam nomine Imminam, quę monialis erat & ſanctæ conuerſationis. Itaq; Pippinus maior domus poſtea rex Francorũ ducatum uacantem ad ſe recepit, & filio ſuo Carolo procurandum decennio commiſit. Deinde anno Domini DCCLII. cum iam rex eſſet Pippinus ducatum ſancto Burghardo Epiſcopo Vuirtzpurgenſium primo & eius ſucceſſoribus de cõſenſu Caroli filij ſui & omnium procerum totius regni Francorũ donauit in proprium ſempiternum. *Hetanus dux annis XXI. Ducatus Frãcorum datur Eccleſiæ Vuirtzpurgenſium.*

22 Burghardus igitur dux & Epiſcopus Francorum orientalium inſtitutus à Pippino præfuit annis quadraginta, Moribus integer, conuerſatione ſanctiſsimus ex monacho ſancti Benedicti epiſcopus ordinatus à Bonifacio Moguntio archiepiſcopo. Burghardus reſignauit epiſcopatum cum ducatu Francorum Eccleſiæ & ſucceſſori ſuo. Anno principatus ſui XL. Domini autem DCCXCI. & eodem anno idem ſanctus Burghardus moritur. *Burghardus præſul primus dux Frãcorum fuit annis XXII.*

23 Megengaldus præſul & dux Francorum præfuit annis quatuor, qui & ipſe monachus fuit, Quem alij Hollandinorum more, Iuertentium in u, Megingaudum uocant, uir ſanctus. Moritur anno domini DCCXCV. principatus ſui quarto incompleto. *Mengaldus dux præfuit annis quatuor.*

24 Bernuuolffus præſul & dux Francorum præfuit annis VI. & moritur III. Kalendas octobris anno Domini DCCC. ſub Carolo rege Francorum Magno Pippini filio. *Bernwolfus dux annis VI.*

25 Ludericus præſul & dux Francorum, præfuit annis tribus, menſibus quinq;. Et moritur anno Domini DCCIIII. tertio Kalendas Martij ſub Carolo imperatore Magno. *Ludericus dux. Agilwardus dux.*

26 Agiluuardus præſul & dux Francorum præfuit annis VI. menſe uno diebus XXII. & moritur VIII. Kalendas Maij, anno Domini DCCCX. ſub Carolo Imperatore. *Vuolfgerus præſul & dux Francorum.*

27 Vuolffgerus præſul & dux Francorum præfuit annis XXII. menſibus VI. diebus XXI. & moritur pridie nonarum Nouembris, anno Domini DCCCXXXII. ſub Ludouico. *Humbertus dux annis decem.*

28 Hunibertus præſul & dux Francorum præfuit annis X. menſibus tribus, diebus VIII. & obiit V II. idus Martij, anno Domini DCCCXIII. ſub Lothario Imperatore. *Goßwaldus præſul & dux Francorum.*

29 Goſsuualdus præſul & dux Francorum præfuit annis XIII. menſibus V. diebus XVIII. & obiit XII. Kalendas octobris. Anno Domini

DCCCLVI. sub Ludouico Imperatore secundo.

Arno præsul & dux. 30 Arno præsul & dux, Francorum præfuit annis XXXVI. mensibus VI. diebus XII. Moritur autē miraculis clarus, tertio idus Iulij. Anno Domini DCCCXCII.

Rodulphus præsul & dux Francorum: sub Arnulpho rege apud Saxones, tempore belli inter missarum solennia occisus.

31 Rodulphus præsul & dux, Francorum præfuit annis XVII. duobus quedibus, & moritur tertio nonarum Augusti, anno Domini DCCCCVIII. sub Ludouico tertio.

Dracolfus præsul & dux 32 Dracolfus præsul & dux Francorum, præfuit annis V. mensibus IIII. Hic missus à Conrado Imperatore primo in Græciam, obijt in itinere. Anno Domini DCCCCXIII.

Theodo præsul & dux. 33 Theodo præsul & dux Francorum, præfuit annis XIX. mensibus duobus, & diebus XIIII. Obijt XVII. Kalendas Decembris. Anno Domini DCCCCXXII. sub Henrico primo.

Burghardus secūdus præsul & dux. 34 Burghardus secundus præsul & dux Francorum, præfuit annis IX. mensibus tribus, diebus XXIII. & obijt VIII. kalendas Aprilis. Anno Domini DCCCCXLI. sub Ottone imperatore primo.

Poppo præsul & dux Francorum. 35 Poppo Francorū præsul & dux, præfuit annis XXI. mensibus X. diebus XIII. & moritur X V. kalendas Martij. Anno Domini DCCCCLX. sub Ottone imperatore primo.

Poppo secūdus præsul & dux Francorum. 36 Poppo secundus, præsul & dux Francorum præfuit annis XXIII. mensibus IIII diebus XXI. Moritur X. kalendas Augusti. Anno Domini DCCCLXXXIII. sub Ottone secundo.

Hugo præsul & dux. 37 Hugo præsul & dux, præfuit annis VI. mensibus VIII. qui monachos posuit ad sanctum Burghardum. Obijt III. kalendas Septembris. Anno Domini DCCCCLXXXIX. sub Ottone tertio.

Bernwardus præsul & dux. 38 Berinuuardus præsul & dux præfuit annis V. mensibus VIII. diebus XIX. & moritur anno Domini DCCCCXCIII. sub Ottone tertio XII. kalendas Octobris.

Hēricus dux 39 Henricus præsul & dux, qui Ecclesiam sancti Stephani fundauit, præfuit annis X XII mensibus V. diebus XXII. Obijt X. kalendas Decembris. Anno Domini Millesimo XVI. sub Heinrico rege secundo.

Menginardus præsul & dux. 40 Meginhardus præsul & dux, præfuit annis XVII. diebus XXI. & moritur XI. kalendas Octobris. Anno Millesimo XXXIII. sub Conrado secundo.

Meselinus præsul & dux Francorum. 41 Meselinus præsul & dux Francorum, præfuit anno uno tantùm, & moritur anno Dominicæ natiuitatis, Millesimo XXXIIII. sub Conrado Imperatore secundo.

Bruno præsul & dux Francorum. 42 Bruno præsul & dux Francorum, præfuit annis XI. mense uno, diebus XIIII. qui maiorem Ecclesiam construxit. Obijt III. kalendas Iunij. MXLV. sub Henrico tertio.

Adelbero præsul & dux Francorum. 43 Adelbero præsul & dux, præfuit annis XL, & in ea dissensione quæ fuit inter Henricum tertium & quartum filium eius, per seniorem Imperatorem de sede sua fugatus est, anno Domini Millesimo. LXXXV. & Megenhardus ei substitutus ab ipso Cæsare. Obijt autem Adelbero pulsus in Bauaria pridie nonarum Octobris anno exilij sui quinto, Domini autem MXC, in monasterio Lambach quod pater eius construxerat, ibidem sepultus.

Megenhardus præsul & dux. 44 Megenhardus secundus præsul & dux Adelberone uiuente præfuit annis tribus diebus XXV. & obijt XII kalendas Iulij anno MLXXXVIII. sub Henrico quarto.

45 Emehardus præsul & dux Francorum ordinatus Adelberone in exilia, apud Lambach

Lambach Bauariæ adhuc uiuente, præfuit annis X V. menſibus VIII. & tribus diebus. Moritur autem III. kalendas Martij. Anno Domini MCIII. ſub Henrico quarto.

Emehardus præſul & dux Frãcorũ

46 Erlungus præſul & dux Francorum ab Imperatore inſtitutus præfuit annis II. quem anno Domini MCV. filius Imperator Henricus quintus propterea quod eius patri Henrico quarto adhærebat, iterum depoſuit, & Rupertum in eius loco ordinari fecit. Quem pater mox ſubſequens Erlungum Vuirtziburgenſibus reſtituit, & Rupertum fugauit. Verùm non diu poſtea Erlungius à filio Cæſaris deponitur, & Rupertus ad epiſcopatum reſtitutus eſt. Anno Domini MCV.

Erlũgus præſul & dux Francorum. Erlungus deponitur & iterum reſtituitur.

47 Rupertus præſul & dux Francorum præfuit annis non plenè duobus, qui dum ad generale concilium in Lombardiam tenderet in menſe ſeptembri, obijt VIII. kalendas Octobris, Anno Domini MCVI. ſub Heinrico quarto & V.

Rupertus præſul & dux Francorum.

48 Erlungus iterum præſul & dux omnium conſenſu aſſumptus, præfuit deinceps annis XVI. diebus XI. Qui annis quatuor ante mortem ſuam cõtinuis elephantino morbo uexatus, tandem obijt II. kalendas Ianuarij. Anno Domini MCXXII. ſub Henrico V. & ſchiſmate uetante, non in urbe, ſed in monaſterio Suuartzach ſepelitur.

Erlungus iterum præſul & dux.

49 Gebehardus pro epiſcopo & duce Francorum contra uoluntatem omnium inſtitutus eſt, per Imperatorem cum adhuc laicus eſſet, & minus idoneus, quia iuuenis. Clerus autem & proceres populi Rugerum diaconum ſibi Pontificem elegerunt, quem Gebehardus de ciuitate fugauit, Anno Domini MCXXII.

Gebehardus non electus ſed intruſus.

50 Ruger electus præſul & dux Francorum contra intruſum Gebehardum iure prævaluit & in monaſterio Suuartzach per manus archiepiſcopi Moguntini cõſecratus fuit in præſentia legatorũ ſedis Apoſtolicę, & quorundam principũ. Hic eam partẽ epiſcopatus, quæ Neccaro fluuio circumiacet in proprios uſus tenuit, Gebehardus uero ciuitatem Vuirtzpurg & quæ illi cõtigua fuerãt, ſecurè poſſedit. Rugerus autem præfuit annis quatuor, menſibus tribus, obijtq; anno Domini MCXXVI.

Ruger præſul et dux canonicè electus contrà Gebehardũ.

51 Hetzelinus præſul & dux Francorum præfuit annis XI. menſibus quatuor, obijtq; Bambergæ ſepultus, anno Domini MCXXVIII. ſub Lothario ſecundo.

Hetzelinus præſul & dux Frãcorũ

52 Embricho præſul & dux præfuit annis XII. Hic monaſterium ſancti Iacobi in ſuburbanis Herbipolenſibus trans pontem fundauit, Moritur autem V. Idus Nouembris, anno Dominicæ natiuitatis MCXLIX. ſub Cæſare tertio.

Embricho præſul & dux Francorum.

53 Sigefridus præſul & dux præfuit annis V. menſibus VI. & moritur anno Domini MCLIIII. ſub Friderico Imperatore primo indictione ſecunda.

Sigefridus præſul & dux Francorum.

54 Gebehardus ſecundus præſul & dux præfuit annis VI. menſibus V. diebus XIIII. & obijt anno Domini MCLXI. ſub Friderico imperatore primo.

Gebehardus 29. præſul et dux.

55 Henricus ſecundus præſul & dux Francorum præfuit annis VI. menſibus IIII. & obijt anno Domini MCLXVII. ſub Friderico Imperatore primo.

Henricus ſecundus præſul & dux.

56 Heroldus præſul & dux præfuit annis VII. menſibus V. diebus XI. & moritur anno Domini milleſimo CLXXIIII. ſub Friderico Imperatore primo.

Heroldus præſul & dux Francorum.

57 Reinhardus præſul & dux Francorum præfuit annis IIII. menſibus X. diebus XV. & obijt anno Domini MCLXXIX. ſub Friderico Imperatore primo.

Renhardus præſul & dux Frãcorũ

58 Gotfridus de Piſtenberg præſul & dux Francorum, præfuit annis V. menſibus VIII. diebus XXIIII. qui Hieroſolymam profectus in exercitu Chriſtiano rum obijt, in Antiochia ſepultus, Anno Domini milleſimo CLXXXVI. ſub Friderico Imperatore primo.

Gotfridus præſul & dux Frãcorũ

Hẽricus præ
sul & dux
Francorum.

59 Henricus de Biebelrith eius nominis tertius, præsul & dux Francorum præ-
fuit annis VI. mensibus VIII. diebus totidem. Moritur indictione Romanorum
X. Anno Domini MCLXII. sub Henrico sexto.

Godfridus
præsul &
dux Fran-
corum.

60 Godfridus de Hoenlo præsul & dux, amator cleri, præfuit annis VI. mensi-
bus IIII. diebus XI. Obijt anno Domini MCXCVIII. sub anno Henrici re-
gis ultimo.

Cõradus præ
sul & dux
Francorum.

61 Conradus præsul & dux cancellarius regis Philippi præfuit annis V. mensi-
bus tribus, diebus XII & fuit occisus in strata publica Herpiboli per Bodonẽ
& Heinricum milites de Rabenspurg, Heroldum'que & Conradum seruito-
res eorum, tertio iduum Decembris. Anno Domini millesimo CCIII. sub Philip
po imperatore.

Hẽricus præ
sul & dux
Francorum.

62 Henricus quartus doctor Parisiensis dictus de Taseo, præsul & dux Fran-
corum, præfuit annis quatuor, mensibus VII. diebus VII. Et moritur an-
no Dominicæ natiuitatis MCCX. indictione XIII. sub Ottone imperato-
re quarto.

Otto præsul
et dux Fran-
corum.

63 Otto de Lodenburg præsul & dux præfuit annis XIII. mensibus V. & obijt
quinta die mensis Decembris. Anno Domini millesimo CCXXIII. sub Friderico
Imperatore secundo.

theodoricus
præsul &
dux Frãcorũ

64 Theodoricus præsul & dux Francorum præfuit anno uno, mensibus duo-
bus, diebus XIIII. & obijt anno Domini MCXXIIII. sub Friderico Imperatore
& secundo.

Hermannus
præsul &
dux Frãcorũ

65 Hermannus de Lodenburg præsul & dux præfuit annis XVI. & mortuus
est anno Domini MCCXL. sub Friderico secundo, indictione Romanorum ter-
tia decima.

Eringus præ
sul & dux
Francorum.

66 Eringus de Reinstein præsul & dux præfuit annis XXXVI. & mo-
ritur anno Domini MCCLXXXVI. sub Rudulfo imperatore, indictione
quarta.

Bertholdus
præsul &
dux Frãcorũ

67 Bertholdus de Sternberg præsul & dux præfuit annis XII. mortuus est
anno Domini MCCLXXXVIII. sub imperatore Rudolfo, indictione
prima.

Manegoldus
præsul &
dux Frãcorũ

68 Manegoldus præsul & dux præfuit annis XV. & obijt anno Dominicæ na-
tiuitatis MCCCIII. sub Alberto rege primo, indictione prima.

Andræas
præsul &
dux Frãcorũ

69 Andræas de Gundelfingen præsul & dux Francorum, præfuit annis XV. &
obijt anno Domini MCCCXVIII. sub Ludouico imperatore quarto.

Godfridus
præsul &
dux Frãcorũ

70 Godfridus tertius de Hoenlo præsul & dux præfuit annis quatuor, & mo-
ritur anno Domini MCCCXXII. sub Ludouico quarto, indictione septima.

Vulframus
præsul &
dux Frãcorũ

71 Vuolframus de Grunbach præsul & dux præfuit annis XI. & obijt an-
no Domini MCCCXXXIII. in octaua Apostolorum sub Ludouico
quarto.

Otto præsul
& dux Frã-
corum.

72 Otto Wolffskell præsul & dux Francorum præfuit annis duodecim, men-
se uno, & tribus diebus. Contra quem Hermannus de Lichtenberg canonicus
Spirensis ab Imperatore promotus, episcopatum prim is quatuor annis violen-
ter occupau t. Otto moritur X. Kalẽdas Septembris, anno Domini MCCCXLV.
sub Ludouico imperatore quarto.

Albertus
præsul &
dux Fran-
corum.

73 Albertus de Homburg præsul & dux præfuit annis IIII. non electus, sed
per Papam Clementem sextum, contra Albertum de Hoenlo canonicè electũ,
institutus. Verum postea informatus Papa melius de causa, Albertum suum
ad Ecclesiam Frisingensem, Anno Domini MCCCXLIX. transtulit, &
Albertum de Hoenlo præpositum canonice prius electum ad Ecclesiam sũ-
am confirmauit.

74 Albertus de Hoenlo præsul & dux præfuit annis XXIII. & moritur Do-
minica

minicâ post natiuitatem sancti Ioannis Baptistæ, Anno Domini MCCCLXXII. sub Carolo Imperatore quarto, indictione X. post quem unanimiter electus fuit à capitulo Albertus de Hesberg canonicus, sed eius electionem Gregorius Papa XI. ad instantiam Imperatoris cassauit, & Gerhardum de Suuartzenpurg instituit.

Albertus præsul & dux Francorum.

75 Gerhardus de Suuartzpurg præsul & dux præfuit annis XXXI. & moritur in mense Nouembri circa festum sancti Martini, Anno Dominicæ natiuitatis MCCCIII. sub Ruperto rege Germanorum, indictione undecima.

Gerhardus præsul & dux Frãcoriũ

76 Iohannes de Eglofstein præsul & dux Francorum præfuit annis IX. & ueneno apud Forcheim interijt. Anno MCCCCXII. sub Sigismundo rege.

Iohãnes præsul & dux Francorum.

77 Iohannes de Brunn præsul & dux præfuit annis XXVIII. & moritur anno Domini MCCCCXL. sub Friderico tunc rege tertio, indictione Romanorum tertia.

Sigismundus præsul & dux Frãcoriũ

78 Sigismundus ex ducibus Saxonię præsul ex dux Francorum præfuit annis tribus & regnauit, Anno Domini millesimo CCCCXLIII. sub Friderico tertio.

Gotfridus præsul & dux Francorum.

79 Gotfridus quartus de Limpurg præsul & dux prefuit annis XIII. & obijt feria tertia post palmas. Anno MCCCCLV. sub Friderico Imperatore tertio.

Iohãnes præsul & dux Francorum.

80 Ioannes de Grunbach præsul & dux præfuit annis XI. & moritur anno Domini MCCCCLXVI. sub Friderico imperator tertio, indictione decimaquarta.

Rudolfus præsul & dux Francorum.

81 Rudolfus secundus de Stherenberg prefuit annis XXIX. minus uno die: qui Ecclesiam suam ære grauatam alieno releuauit. Moritur in sua genelogia ultimus, quarto Kalendas Maij. Anno Dominicæ natiuitatis, Millesimo CCCCXCV. sub Maximiliano rege Germaniæ.

Laurentius præsul & dux Francorum.

82 Laurentius de Bibera electus quarto idus Maij, anno prænotato præsul & dux Francorum pacificus, hodie principatur in annum nonum decimum. Sed iam nunc post hanc necessariam digressionem ad regem Francorum suprà dictum Pharamundum reuertamur, pro continuatione historiæ quam incepimus.

Continuatio historiæ regũ Francorũ

Anno Pharamundi regis quarto ultima die mensis Decembris, Vuandali & Alani sub duce Modigisco Rhenum transeuntes congelatum in Galliam duxerunt exercitum cum liberis & uxoribus ulteriusque in Hispaniam transierunt.

Vuandali et Alani Hispaniã occupãt

Anno Pharamundi VIII. Gothi sub Alarico rege Romam capiunt & subuertunt. Eodem anno Pharamundus rex sub ducatu Clodij filij sui magnum exercitum Francorum misit in Galliam contra Romanos. Francis intrantibus Galliam, Romanorum alij salutem fuga quæsierunt, alij à Francis sunt interempti. Et sic Franci magnam Galliæ partem obtinuerunt, Romanis omnino extinctis.

Roma capitur et subuertitur à Gothis.

Franci Vuãdalorum XX. milia peremerunt in prælio.

Hoc audiens Godgisith rex Vuandalorum & metuens se aliquando pellendum de Gallia per Francos, bellum contra eos instituit. Vnde prælium atrox comissum est, in quo Franci uictores plus quam uiginti milia Vuandalorum peremerunt. Et nisi rex Alanorum Respendial, qui iam tunc regnabat in Hispania se tempestiuè interposuisset, omnes Vuandali à Francis fuissent occisi.

Vuãdali sunt ex insula Scãdiana Faramundo regnante anno XXVI.

Sunt autem Vuandali ex insula Scandia orti sicut & Gothi, manserunt que post acceptam à Francis cladem in Hispania annis XXXII. & post hoc nauigauerunt

runt Aphricam. Franci autem numero & potentia ualde creuerunt. Et rex Pharamundus obijt anno regni sui XXVI. Domini autem CCCCXXXI.

Clodius Crinitus regnat annis XX.

Clodius Crinitus Pharamundi filius eodem anno patri succedens, regnauit annis XX. Cuius anno primo Ecius morte Pharamundi regis audita, exercitum Romanum duxit in Galliam, & multis Francorum occisis amissa recepit.

Salagast legislator Frãcorum Philosophus.

His temporibus claruit Salagastus, sapiens & Philosophus Francorum, & de antiqua regum progenie, ducens originem, qui iussu Clodij regis cum esset in omni literatura doctissimus, Francorum leges conscripsit, quas suo nomine Saligas nuncupauit. Has leges Clodoueus postea rex conuersus ad fidem ampliari fecit.

Salagastat iuxta Mœnũ construitur.

Idem Salagastus permissione Clodij regis, urbẽ ad littus Mœni haud longe à Franckenfurt nouam constituit, quam suo nomine Salagast nominauit, quam hodie corrupto uocabulo ignari auctores Selgenstat appellitant. In hac ipsa urbe sua Salagastus moritur & combustus urnæ imponitur, anno Clodij XVI.

Vuandali nauigant in Aphricam.

Anno Clodij regis primo qui fuit Dominicæ natiuitatis CCCCXXXII. Vuandali nauigantes in Aphricam Hipponensem ciuitatem obsederunt & ceperunt. In qua obsidione secundus Augustinus eiusdem urbis episcopus V. Kalendas Septembris obijt.

Clodius mittit exploratores in Galliam.

Anno regni sui X I. Clodius rex Francorum cernens Romanam potestatem ualde deficere, misit exploratores in Galliam, qui situm terræ fortitudinem gentis, & urbium custodiam, secrete ac diligenter explorarent. Eo tempore Burgundi habitauerunt in regione Lugdunensi, & Gothi in Aquitania.

Franci Galliam sub Clodio rege suo sibi potenter subijciunt.

Reuersi exploratores nunciauerunt regionem esse optimam, gentem inualidam, & Romanorum paruam esse custodiam. Rex igitur Clodius magnum Francorum congregauit exercitum, & mouens in Galliam, Cameracum obsedit & cepit. Inde mouens per Carbonariam syluam ad Tornacum festinus iter direxit: quæ urbs Romanorum fuit præsidio munita. Audientes ergo milites Romani, regis Clodij aduentum contra eum processerunt ad bellum & omnes ab eo fuerunt occisi, nec unus remansit.

Frãci Romanos de Gallia expellũt.

Clodius autem iam secundo magnam Galliæ partem Francis subiecit, quam Romani deinceps recuperare nunquam potuerunt, usque in præsentem diem.

Franci magnam Galliæ partem occuparunt.

Clodius autem rex Francorum posteaquam terminos regni sui magnifice dilatauit omnem'que terram Gallorum, quæ est inter Rhenum ab Oriente, & mare ab Occidente, item'que à mari ab aquilone usque ad Sequanam uersus meridiem, hoc est, Batauos, Menapios, Tungros, Tarauanos, Morinos, Ambianos, Cameracos, Atrabates, Beluacos, Crusios'que qui nunc sunt Hollandini, Geldrenses, Brabantini, Selandini, Flandres, Picardi, Louanij', Traiectentes, Leodienses, Namurci, Beluacenses, Nouiomenses, & quicquid his adiacet Francorum subiecisset imperio. Moritur anno regni sui X X. Dominicæ autem natiuitatis CCCCL. indictione Romanorum quarta.

Clodius rex Francorum moritur anno 451.

Merouæus regnauit annis decem.

Mosellanorum XII. translati in Franciam.

Merouæus Clodij filius in regno Francorum patri succedens regnauit annis decem. Hic Heleni ducis Francorum orientalium adiutus suffragijs anno regni sui tertio in mense Iunio ciuitatem Treuirorum Romanis adhuc illo tempore subiectam obsedit, cepit, diripuit, & suæ ditioni subiugauit. Ducem Mosellanum nomine Sabinum occidit, & omnem regionem cismosellanam à Mediomatrico, quæ nunc est Metis, usque ad Rhenum potenter obtinuit. Et ne populus

populus terræ, in rebellionem consurgere posset, duodecim milia Mosellanorum transtulit cum liberis, uxoribus & rebus eorum in Franciam orientalem, sub duce Heleno, in quorum locum duodecim milia Francorum orientalium reposuit, ad littora Mosellæ tam in urbes, quàm in castella & uillas.

Et ex illo tempore uini usus, quod nuncupatur Francorum, apud Mosellanos primùm haberi cœpit. Franci nanq; uini cultores, ad Mosellam translati, id genus utrium secum de orientali Francia primi attulerunt.

Anno regis Merouei VIII. Huni deuastabant Galliam, contra quorum insolentiam rex ipse Meroueus grandem Francorum duxit exercitum, & commissis in campis Cathalaunicis bello, Franci Hunorum centum octoginta milia peremerunt.

Eius tempore Franci penè totam Galliam suo regno adiecerunt, Romanorum iam uiribus imminutis, ac deficientibus, præsertim post Ecij mortem, quem Valentinianus ex inuidia occiderat. Franci ergo Gallis commixti de ipsorum filiabus sibi acceperunt uxores, genuerunt filios & filias, qui omnes didicerunt linguam eorum, simul & mores, cum quibus sunt deinceps conuersati usque in præsentem diem.

At uerò qui manserunt in Francia orientali, Mosellani quoq; & Cisrhenani Vuirtziburgenses, Moguntinenses, Vuangiones, Neometes, Argentoraces, Heluetij, Alsatij, Vuesterasij, Treueri, Agrippinates, Hogij, Batani, Menapij, Hollandij, & Brabantini, solis idiomatibus differentes, Germanica lingua omnes utuntur.

Rex autem Meroueus regno Francorũ ualde ampliato gentilis moritur. Anno regni sui X. Domini autem CCCCLXI. indictione XIIII.

Hildericus Merouei filius patri succedens regnauit annis VI. Deinde regno pulsus, & fugatus in Thuringia exulauit annis VIII. Aegidio quodam Romano interim regnum Francorum occupante. Annis octo reuolutis Aegidius à Francis, de regno ejicitur, & Hildericus reuocatur, & regnauit deinceps alijs annis IX. Et facti sunt omnes anni quibus regnauit XV.

Nam anno regni sui sexto conspirantes contra eum principes, & proceres Francorum, propterea quod insolenter, & nimis luxuriosè uiuens, uxores & filias nobilium plures uiciasset, uoluerunt eum occidere, quod cum ei innotuisset, cum paucis occulte fugit in Thuringiam ad Basinum regem, & ibi mansit annis octo. Fugit autem anno Domini CCCCLXVII. indictione Romanorum quinta.

Hilderico fugato, & apud Basinum Thuringiæ regem, qui ei sanguine iunctus est exulante, Franci Romanorum quendam nomine Aegidium, qui Suessionibus dominabatur, sibi constituerunt in regem, qui regnauit annis octo, quem Franci demum nimis tyrannizantem, & proceres quosq; crudeliter occidentem, tolerare diutius non ualentes eiecerunt, satius filiarum, & uxorum turpitudinem esse tollerandam, uel dissimulandam iudicantes, quàm à tyranno tam crudeliter necari.

Anno igitur Dominicæ natiuitatis CCCCLXXV. indictione Romanorum XIII. Hildericus fidelitate, & industria Vuimbaldi, in Galliam ex Thuringia reuertitur, & Aegidio fugato, in regnum Francorum consensu omnium restituitur, regnauitq; deinceps annis nouem pristinosq; mores iuuentutis, in melius commutauit.

Audiens Basina uxor Basini regis Thuringorum prosperos Hilderici successus, relicto uiro suo uenit, ad eum in Galliam, quam ille suscepit uxorem, Basini regis hospitalitatem & oblitus, & mala uicissitudine recompensans.

Prima nuptiarum instante iam nocte Basina monet Hildericum abstinere à

Franconicũ uinum Mosellani suscipiunt.

Franci CLXXX. Hunnorum perimerũt.

Frãci Gallis cõmixti linguam eorũ & mores didicerunt.

Frãci Germanis commisti eorũ lingua utuntur.

Meroueus rex moritur X. regni sui.

Hildericus bis rex, primo VI. postea IX. annis XV. regnauit, id est Francorum proceres cõspirant in regem.

Hildericus rex fugit in Thuringiã Aegidius Romanus, fit rex Francorum annis VIII. post Hildericum.

Hildericus in regnũ Francorum reuocatus regnat annis nouẽ.

Basina relicto marito uenit ad Hildericum.

Basina uates regi uisionẽ de futura sobole ostendit

Basina uisio nem regi mi rabilem pru denter expo nit.

concubitu, foresq; obseruare, & quæ tertio uiderit in atrio ad eam referre. Cre didit rex mulieri, & obseruatis tertio ædibus ad eam reuersus est dicens: se pri mo uidisse in atrio Palatij renocerontas, id est, unicornes, leonesq; & leopar dos. Secundo ursos, ac lupos furentes, & se mutuò commordentes. Tertio exi guos canes, alterius se morsibus impetentes, & inuicem lacerantes.

Franci Alemannos partem Italiæ occupantes subijciunt.

Ad hæc mulieratus regi prædixit, proditurum ex eorum concubitu sobolem uarijs moribus, cum tempore diuersam. Primam, quæ natura foret generosa, renocerontas, ac leones, nobilitate imitaturam. Alteram, quæ ursorum atque luporum consuetudine, rapinis intendat animum. Tertiam uerò quæ funesto sedente commordens, canes rabidos imitatura sit, & à pristina nobilitate defectura.

Odoacar de Saxonia uenit in Galliã cũ exercitu.

Anno post hæc altero Hildericus exercitum duxit in Alemannos, qui nunc sunt Sueui eosq; suo regno subiecit, & Francis tributarios constituit, in ea uidelicet regione, quæ proxima Italiæ, quam prius inuaserant Alemanni seu Sueui.

Odoacar totam Italiam, sibi ut regi subijcit annis X1111.

Anno regni eius resumpti tertio, Odoacar genere Rugus Turcilingorum, Scyrorum ac Herulorum turbis fretus, ab extremis Saxoniæ finibus egressus, in manu ualida suorum intrauit Galliam, & urbem Andegauensem occupauit, cõtra quem Hildericus sequenti die adueniens, Paulum comitem peremit, Odoacarum fugauit cum Saxonibus, & ciuitatem sibi subiugauit. Inde mouens Odoacar, fœdere cum Hilberico prius acto, exercitum uersus Italiam duxit, Orestem patricium Romanorum, in Liguria bello congressum occidit, Papiam & omnes in circuitu munitiones Romanorum obtinuit, & breui, nullo resistente totam Italiam suo dominio subiecit. Impositò capiti suo diademate, regnauit, in Italia annis X1111. nullo eum inquietante.

Hildericus rex obijt.

Clodoueus qui & Lodouicus regnauit annis XXX.

Hildericus autem rex Francorum post multa fortiter gesta in paganismo sicuti, & patres eius mortuus est. Anno Domini CCCCLXXX1111. indictione Romanorum septima.

Clodoueus spoliauit Christianorum Ecclesias.

Clodoueus Hilderici filius post patrem regnauit annis XXX. qui primus ex regibus Francorum postea factus est Christianus, ut dicemus: Erat autem Clodoueus & forma egregius, & animi magnitudine præclarus, qui statim in principio regni sui Siagrium Egidij quondam regis filium, quem pater Suessionis principem reliquerat, fugauit & ciuitatem obtinuit, ac ulterius procedens, ciuitatem quoque Remensem, & plures alias, sibi subiecit Christianorum ecclesias, utpote gentilis, & necdum initiatus Christo, ubique spolians.

Crothildis uxor fuit Clodouei. filia regis Burgundiæ.

Vxorem habuit rex Clodoueus, nomine Crothildem filiam Hilderici, cuius pater fuit Gundencus rex Burgundiæ, & hæc erat fidelis Christiana, quæ maritum sedulo monebat Christi fidem assumere, & idolorum superstitiosum, & uanum cultum abnegare. Prius uerò quam Crothildis illi uxor esset, filium de cõcubina habuit nomine Theodericum. Porrò Gundencus rex Burgundionum, quatuor habuit filios, Gundebaldum, Godegisilum, Hildericum patrem Crothildis, & Bodemarum. Igitur Gundebaldus Hildericum fratrem suum interfecit gladio, uxorem uerò eius matrem Crothildis ligato ad collum lapide, præcipitatam in aquam demersit, cuius duas filias Mucurinam, & Clothildam exilio condemnauit. Sed Crothildis petente Clodoueo, ab auunculo in Galliam mittitur.

Hildericus à fratre interficitur, & Crothildis submergitur.

Clodoueus rex Francorum Thuringiam subiugauit.

Anno regni sui decimo rex Clodoueus exercitum mouit in Thuringiam, Cui uenit in auxilium Clodomerus dux Francorum orientalium cum X11. pugnatorum. Causa belli sicut, quod Basina quondã uxor Basini uadens in Galliã ad Hildericũ, ut paulo prius dictũ est. Plura elenodia in auro, argento, & margaritis,

titis, secum abstulerat, quæ repetens regis Basini filius, cum non impetrasset, bellum Clodoueo denunciauit.

At ille non segnis Thuringum regem in suo regno præueniens uicit, & Francis tributarium fecit.

Rex Thuringorum uincitur, & tributarius Frãcis subijcitur

Anno Clodouei XI. Theodericus rex Gothorum orientalium à Zenone Imperatore orientis missus in Italiam, Odoacarum de Saxonia tyrannum interfecit, & ipse imperium deinceps Romanum per annos unum, & triginta occupat.

Theodericus rex Gothorũ in Italia.

Clodoueus rex Francorum Alaricum regem Gothorum occidentalium, Arrianum decimo lapideab urbe Pictauorum, cum multis in bello peremit, ciuitatem Pictauiensem cum omni terra, & thesauris eius, in suam potestatem accepit.

Clodoueus Alaricum regem occidit.

Cum Alemannis rex bellum habuit. Factum est autem, ut confligente utroque exercitu Franci uehementer cæsi, ualde inciperent deficere. Quod ubi rex Clodoueus animaduertit, eleuatis oculis in cœlum, cum lachrymis orauit dicens: Domine Iesu Christe, quem uxor mea prædicat esse filium Dei, si dederis mihi uictoriam de his hostibus meis, in te credam, & Baptisma in nomine tuo suscipiam. Cumq; hæc orans diceret, Alemanni mox conuertuntur in fugam, qui ubi regem suum uiderunt occisum à Francis, Clodoueo se subijciunt dicentes. Ne amplius persequaris populum oramus, iam tui sumus, & tibi fideliter perpetuò seruiemus. At ille prohibito bello Alemannos in deditionem accepit; & tributum eisdem imposuit.

Alemanni superantur à Francis per Clodoueum

Reuersus in Galliam ad se uocauit sanctum Remigium episcopum Remensem, à quo plene instructus, de fide Christiana, cum magna se humilitate, ad suscipiendum Baptismatis sacramentum præparauit. Cui in gressu, ad Baptismum sanctus Remigius inquit ore facundo. Mitis depone colla Sicamber, adora quod incendisti, incende quod adorasti. Baptisati fuerunt illo die Francorum tria milia, & sequentibus diebus etiam reliquorum, de populo complures.

Clodoueus rex Francorum primus fit Christianus.

Ergo Franci prius dicebãtur Sicambri

Regnabat eo tempore in finibus Galliæ apud Agrippinam Coloniam Sigebertus homo senex & diues. Hic habuit filium unicum nomine Ludouicum, qui regnandi cupiditate seductus patrem in quodam nemore fecit occidi, propter quod scelus, & ipse paulo post à quodam Franco sub ordinatione Clodouei occulta peremptus est. Quo interfecto rex Clodoueus, de omnium consensu Colonia, & toto regno Sigeberti potitus est.

Sigebertus rex à filio perimitur.

Riuacharium quoque apud Cameracum regnantem, Caracum quoque alium regem, cum fratribus & filijs, qui omnes erant de genere Francorum, aut bello, aut dolo, deceptos fecit occidi, & regnum Francorum totum sibi subiugauit.

Reges duo capitibus trũcati sunt.

Omnes per Galliam regnantes, siue Franci essent, & de eius prosapia, siue alienigenæ, habuit suspectos, ne forte ab eis interficeretur. Vnde multis regibus interfectis etiam consanguineis suis, de quibus timuit ne ei regnum auferrent, per omnem Galliam triplicem, Celticam, Aquitanicam, & Belgicam, regnum suum dilatauit. Residens die quodam inter aulicos suos dixit. Ve mihi qui tanquam peregrinus inter extraneos solus remansi, & nemo uiuit de parentela mea, qui me iuuare possit in necessitate. Hoc non dixit ea intentione, quod uel pœniteret de sua crudelitate, quam commiserat, in consanguineos, uel condoleret interfectis, sed in dolo si forte adhuc aliquis de sua lateret prosapia incauta alicuius audientium reuelatione traderetur.

Clodouei regis in suos crudelitas qui consanguineos interficit.

Verbum Clodouei dolosum eius impietatis signum.

Multa

Clodoueus multorũ cũ iniuria regnat. Multa Clodoueus bella commisit, quæ istic breuitatis causa non scripsimus, quoniam latius in Hunibaldo continentur libro XVIII. Multas quoque gentes regno Frãcorum subiecit, regnumq; cum iniuria plurimorum ualde ampliauit. Aetatis annorum XV. fuit cum regnare cœpisset, regnauit annis XXX. bona fecit plura, similiter & mala, nomen matris eius Basina, uxor legittima Basini regis Thoringorum, ipse in adulterio natus.

Clodoueus in adulterio natus obijt anno ætatis. XLV. Hildericus enim rex Francorum, in Thuringiam fugiens, & apud Basinum regem consanguineum suum hospitatus annis octo, cum uxore eius Basina secretos habuit concubitus, quæ ab eo concepit, & peperit filium prædictum Clodoueum, anno fugæ eius secundo, qui fuit Dominicæ natiuitatis CCCCLXIX. indictione Romanorum septima. Postea uerò anno fugæ suæ octauo in Galliam reuersus est, quem Basina, cum filio secuta, ad eum uenit, anno Domini CCCCLXXVI. cum puero iam septenni, superuixit Hildericus rex annis octo, & mortuus est.

Regnare cœpit cum esset annorũ XV. & XXX. annis regnat Successit patri Clodoueus cum esset annorum XV. regnauit annis XXX. obijt autem anno ætatis suæ XLV. regni XXX. Dominicæ uerò natiuitatis anno DXIIII. indictione Romanorum septima, Parisij sepultus in Ecclesia sanctorum Petri & Pauli Apostolorum, quam ipse cum Crothilde cõiuge nouam construxerat.

Quatuor filios reliquit Clodoueus. Reliquit autem filios quatuor, Lotharium, Theodericum, Clodomerum & Hildebertum, qui regnum inter se paternum amica portione diuiserunt. Et quia plures deinceps ex his processerunt reges, ne ordinem confundamus prosapię principalis incœptum Principalis intentio nostra erit in recta linea permanere, continuando seriem generis ad Hildericum ultimum cum minio.

Hic Hunibaldus terminauit historiã. Huc usq; Hunibaldus continuauit historiam Francorum, ab excidio Troianorum per annos mille septingentos. Quæ sequuntur de gestis Francorum, ex Hoduardo, Richero & Hermanfredo alijsq; auctoribus sumpta sunt.

Lotharius regnauit annis LI. Lotharius Clodouei filius, per quem recta continuatur linea, post patrem Suessionis regnauit annis uno, & quinquaginta. Cuius fratres singuli suis in locis regnauerunt. Theodericus enim Clodouei, ex concubina filius regnauit apud Metenses annis XXIIII. post quem filius eius Theodebertus regnauit apud Austrasios, id est, Metim, quæ Campaniæ superioris partem continet, per Alsatiam quoque, & Alemannos Rheno conterminos annis XIIII. cui Theodebaldus filius succedens regnauit annis nouem, quo anno Domini DLX. sine liberis mortuo regnum Austrasiæ Lotharia accepit.

Theodoricus regnauit in Austrasia

Clodomirus regnauit Aurelianis. Clodomirus tertius Clodouei filius regnauit Aurelianis, qui fuit in bello peremptus, à Gundoualdo rege Burgundiæ, relinquens tres filios, Theodobaldum, Guntherum & Clodoaldum, quos patre mortuo Crothildis auia penes se habuit educandos.

Reges Francorum duos nepotes occidunt. Nec multo post Hildebertus & Lotharius patrui puerorum duos occiderunt proprijs manibus, tertius autem Clodoaldus auxilio procerum fugalapsus euasit, & clericus factus, bene uixit.

Hildebertus Parisiis regnat annis XLV. Hildebertus iam dictus quartus Clodouei filius Parisiis regnauit annis XLV. Moritur autem anno Domini DLIX. Parisijs in ecclesia sancti Vincentij sepultus, cuius regnum unà cum Thesauris eius omnibus Lotharius frater eius accepit. Eodem tempore mortuus est, etiam Theodobaldus nepos qui regnum Austrasiæ aui sui Theodorici habuerat, quod ad Lotharium, est deuolutum. Et sic Lotharius solus totum regnum Francorum obtinuit.

Ermẽfridus rex Thuringiæ duos fratres suos peremit. Anno Lotharij regis Francorum X. Ermenfridus Thuringorum rex ad instantiam Amalbergæ uxoris suæ, Berthariũ, & Baldericum fratres suos, quasi regni eius

eius affectarent, dolosè occidit qui erant sicut & ipse, de nobili sanguine regum Francorum. Quod ubi Theoderico regi innotuit valde commotus est, & statuit in animo suo necem consanguineorum ulcisci. Morabatur enim Theodericus apud Austrasios in urbe Metensi, ubi sedem regni posuerat, & dominabatur Austrasijs, hoc est, Metensibus, Leodijs, Agrippinis, Treueris, Vuestrasijs, Alsatibus, Cisrhenisq; Alemannis.

Alia belli causa inter Theodoricũ & Ermenfridum reges.

Aliam belli causam Fortunatus assignat, quam breuiter dicemus. Amelberga Ermenfridi regis Thoringiæ uxor filia fuit Clodouei, & Crothildis quæ nimis ægrè tulit maritum suum sub tributo constitutum, regis Theoderici quem regno censebat indignum, propterea quod concubinæ Clodouei patris, & non regi næ esset filius. Vnde causata quod regnum Austrasiæ sibi potius iure deberetur, quæ esset legitima regis ac reginæ filia, quàm Theoderico illegitimè nato. His & multis alijs uerbis, mulier continuè molestauit Ermenfridum, & importunitate nimia tandem impulit, quod missis literis, & nuncijs ad Theodericum, Austrasiæ, ab eo regnum tanquam sibi cum uxore debitum, iniurijs & contumelijs improperationibus requisiuit.

Franci Thuringiam Ermenfrido rege perempto subijciunt.

Hinc motus rex Theodericus cum seuenturum in Austrasiam, cum exercitu pugnatorum Ermenfridus minaretur, statuit illum preuenire, Vocatis igitur in auxilio filio suo Theodeberto, & fratre suo Lothario regibus cum magno Francorum exercitu intrauit Thuringeam, regem Ermenfridum cum uxore filijsq; cepit, & occidit. omnem regionem Thuringorum sibi subiecit. Ab illo tẽpore Thuringi reges defecerunt usq; in præsens.

Radegundis captiua uirgo abducitur.

Cum prædam inter se reges diuiderent Radegundis uirgo speciosissima quę filia fuerat Bertharij regis ab Ermenfrido fratre occisi, Lotharto regi sorte obuenit, quam ille secum in Galliam abduxit captiuam, & in uxorem accepit, quæ magna sanctitate claruit, & post obitum Lotharij regis monialis facta est.

Granus Lotharij filius à patre occiditur. Vnde Aquisgrani.

Lotharius rex Francorum prelia multa constituit. Cum Saxonibus bis pugnauit, primò uictor, secundò uictus, multis Francorum occisis. Ipse autem fuga lapsus cum paucis ad Suessionas regressus est. Causa belli fuit negatio tributi.

Filios habuit septem, quorum unus nomine Granus, à quo thermæ sunt dictæ ad Aquas Grani, Colonienſis diocœsis, patri fuit rebellis, quem postmò captum, cum uxore duobus'que liberis cremari iussit, multis Francorum peremptis.

Lotharius rex obijt. Anno regni sui L I. Heribertus regnat Parijs.

Tandem Lotharius obijt, anno regni sui quinquagesimo primo. Dominicæ uerò natiuitatis D L X I I I I. indictione Romanorum X I I. filios relinquens quatuor: Heribertum, qui natu maior apud Parisios regnauit post obitum patris annis paucis, nihil aliud memoratu relinquens, non ato dignum, nisi quod libidini deditus, turpitudinis extitit seruus, & breui sine liberis obijt.

Guntramus Aurelianis & in Alsatia Heluetiáq; regnat.

Secundò genitus Lotharij fuit, Guntramus qui Aurelianis, & in Burgundia regnauit annis X X X I I I. & obijt anno Domini D X C V I I. duos relinquens filios, Theodobertum, & Theodoricum. Vxor eius fuit nomine Austrigildis dicta, mulier iniquissima, quæ ad mortem infirma, cum se non posse conualescere aspiceret, medicos duos innocentes iussit interfici.

Comitum de Habspurg genealogiũ ex rege Guntranno.

Theodobertus maior natu genuit Sigebertum, Sigebertus autem genuit Odobertum, Odobertus autem genuit, Odobertum, Gunthramum & Adelbertũ fratres. Odobertus autem iunior genuit Lutfridum & Vdalricum comites, quorum in Habspurg alter, in Hohenburg residebat alter, iã regno in quatuor comitatus Heluetiorum, Alsatiorum & Alemannorum Cisrheni ortum diuiso. De isto Lutfrido genealogia comitum de Habspurg, usque ad Rudolphum regem

gem Germanorum, & ulterius in Maximilianum continuatur, à Gunthrano Francorum per annos DCCCCXVII. usque ad uicesimum octauum annum regni Maximiliani. Sed lineam eius genealogiæ rectam in præsenti loco non potui continuare.

Sigebertus regnat in Austrasia annis quatuordecim.

Sigebertus Lotharij tertio genitus filius regnauit in Austrasia, hoc est, Metis, Treueris, Leodij, Coloniæ, Moguntiæ, super Thuringos, & Saxones annis XIIII. quem Hilperius frater persecutus, Anno Domini DLXXVIII. occidit. Vxorem habuit nomine Brunihildem, quæ peperit ei filium nomine Theodobertum qui post mortem patris regnauit annis XXI. & moritur anno Domini DXCIX. Post quem regnauit filius eius Theodoricus annis XVI. qui sanctum Columbanum instinctu Brunihildis auiæ suæ, de regno expulit, anno Christi DCXIIII. & paulo post mortuus est, relictis filijs tribus spurijs, Sigeberto, Corbo, & Meroueo, Sigebertus à Lothario filio Hilperici sequētis, in bello fugatus nusquam comparuit. Corbus ab eodem Lothario fuit occisus. Meroneum, quem de sacro fonte leuauerat, in uita seruauit. Brunihildem uerò decem regum interfectricem occidit.

Hilpericus regnat Suessionis post patrē annis XXIIII.

Hilpericus iunior Lotharij filius à quo regum Francorum rectè descendentiū linea continuatur mortuo patri succedens, apud Sussionas regnauit annis XXIIII. Cœpit autem regnare anno Domini DLXII. Biennio prius quàm pater moreretur. Vxorem habuit nomine Andoueram, quam dolo Fredegundis commatrem sibi factam abiecit, & ipsam Fredegundem deceptricem reginæ super induxit. De Andouara prima uxore duos habuit filios, Clodoueū & Meroneum, qui dolo nouercę ambo interierunt. Fredegundis autem peperit Lotharium, qui patri suo successit in regno.

Sigebertus rex à fratre suo perimitur.

Anno regni sui XVI. qui fuit Dominicæ natiuitatis DLXXVIII. Hilpericus rex fratrem suum Sigebertum, post multas persecutiones tandem interfecit, cuius uxorem Brunihildem Meroneus Hilperici filius duxit infaustā uxorem. Porrò Sigeberto nequiter perempto, Theodebertus filius successit annis XX.

Hilpericus rex obijt anno regni 27.

Hilpericus autem rex tandem Fredegundæ uxore sua procurante occidi ut, anno regni sui XXIIII. Domini uero DLXXXVI. indictione Romanorum IIII.

Lotharius regnauit annis XLIIII.

Lotharius ex Fredegundæ regis Hilperici filius regnauit post patrem annis XLIIII. qui plures habuit uxores, & genuit Dagobertum ex Berchtrude, qui ei successit in regno, & Heribertum qui Tholosæ regnauit in Aquitania. Paulo ante hæc tempora, cum Sigebertus rex frater Hilperici adhuc uiueret, anno uidelicet Domini. DLXXVI. cum Saxones ad preces Vuinulorum, qui nunc sunt Longobardi, de finibus Scandianis exeuntium, cum eis intrassent Italiam, & post aliquot annos ibidem exactis, uiderent se contemptos à Longobardis cum liberis ex uxoribus, per Galliam conductu Sigiberti regis in Saxoniam sunt reuersi Alemanni autem Saxoniam inhabitabant, quam incolis recedentibus mox occupauerant. Venientibus Saxonibus Alemanni tertiam eis partem regionis dare fuerant parati. Sed recusantibus accipere partem Saxonibus qui totam repetebant, Alemanni mediam obtulerunt. Verùm Saxones paternum solum repetentes totum, ubi contradixissent Alemanni, res ferro committitur, & pugnantibus agnoscūtur Saxonum uires, qui Alemannorum CCCCLXXX. in eo prælio peremerunt De Saxonibus autem non ceciderunt nisi mille ac XX. uiri, & sic terram recuperauerunt auitam.

Saxones de Lōgobardia reuertuntur in patriam à Sueuis.

Alemānorū quadringenta octoginta milia cædun tur.

Gūthramus rex Aurelianus moritur anno Domini DXCVII.

Anno Lotharij regis quinto moritur Gunthramus Frācorum rex Aurelianus, & partis Burgundiæ duos relinquens filios Theodebertum, & Theodoricum contra quos Lotharius instinctu Fredegundis uxoris suæ bellum mouit.

Verùm

Verùm sanctus abbas Columbanus Lotharium monuit, ne se nepotum nece pollueret, fore denique futurum quo hæres eorum fiat, & monarcha totius regni.

Sed Brunihildis auia nepotes ipsos, in mutuum bellum sine intermissione concitabat. Theodobertum singulari odio persequebatur auia, & ob id fratrem contra illum sedulo prouocabat. Vnde postremò Theodoricus exercitum mouit aduersus Theodobertum fratrem, & commissum est atrox bellum, in quo multa Francorũ milia ab utraq; parte ceciderunt. Tandẽ inferior factus Theodobertus fugit, & se intra muros Coloniæ Agrippinæ urbis recepit. Quem frater insecutus Coloniam obsidione uallauit. Ciues aũt rogabant pacem à Theodorico, quibus ille respondit: Non habebitis à me pacem, nisi proieceritis ad me de muro caput fratris mei Theodoberti, Ciues ergo amputatũ caput Theoberti domini sui Theodorico fratri sicut iusserat per murum proiecerunt.

Theodoricus rex filius Gunthrami Theobertum fratrem. occidit.

Factus itaque uictor in sanguine fratris Coloniam ingreditur pacificus, bellator impius totumq; Austrasiæ, quod frater fœderat sibi subiugauit. Habebat autem Theodobertus tres filios, Sigebertum, Gunthramum & Lotharium, filiam unam speciosissimam. Sigebertus maior natu fuga lapsus, usq; ad mortẽ Theodorici secretissimè latuit apud auunculum suum Genebaldum ducem Francorum orientalium, qui post mortem Theodorici procerum interuentu regnum accepit Heluetiorum, ut dicetur post hæc inferiùs, non tamen permitteba tur sibi diadema imponere, uel regiam habere dignitatem. De hoc Sigeberto natus est, Odobertus, per quẽ comites, in Habspurg, ut paulo diximus antè, cum multis alijs in superiori Alemannia Heluetiæ prouenerunt.

Sigebertus filius Theodoberti fugit ad Francos orientales.

Memorati autem Sigeberti duos fratres, & sororem, qui adhuc paruuli erant Theodoricus rex patruus secũ duxit ad Metim: Cui occurrens Brunihildis statim, ut uidit nepotes paruulos quasi furens leæna super eos irruit, & propria manu crudeliter interfecit, & sic Theodoricus Austrasiam obtinuit.

Brunihildis impia tres Theodoberti liberos interfecit.

Nec multo post hæc elapso tempore, anno scilicet Domini DCXVIII. qui regis fuit Lotharij XXXII. Theodoricus rex ueneno Brunihildis interijt, anno regni sui XXI. post cuiq; interitum Lotarius iuxta prophetiam sancti Colũbani abbatis totius regni monarcha factus, deinceps regnauit solus super Francos, & Gallos annis XIII. qui Brunihildẽ decem regum interfectricem Vuormaciæ comprehensam iudicio procerum mortem subire crudelem iussit.

Brunihildis Theodoricũ ueneno sustulit.

Brunihildis à Lothario rege interficitur.

Lotharius igitur iam quatuor regnorum monarcha factus, commendauit pro uincias comitibus. Palatij namq; sui præfectum constituit Garnerium uirũ nobilem, de antiqua prosapia regum Francorum, unde maiores domus siue comites Palatini sunt dicti, in eodem officio postea succedentes.

Lotharius cõmittit prouincias comitibus.

Burgundiam uerò commisit cuidam Harponi, qui & ipse comes erat de uetustissima regum Francorum stirpe procreatus, & multa fortiter gessit.

Harponi Burgundiã commisit.

Radoni autem nobilissimo comiti Francorum Austrasiam commendauit, hoc est, Metim, Leodium, Coloniam, Treuerim, & quicquid illis interiacet.

Rádo come Austr.

Moguntiam, Vuormaciam, Spiram & omnem Vuestrasiam unà cum adiacentibus regionibus commendauit Clodomiro, qui dux erat Francorum orientalium apud Wirzburg, uiro magnanimo, & de regum prosapia descendenti.

Clodomirus dux.

Inferiorem autem Franciã siue Galliam Aquilonarem Pippino commendauit, in qua sunt potiores istæ ciuitates, Turnanensis, Morinensis, Tornacensis, Atrabatensis, Cameracensis, Traiectensis, & quicquid ipsis interiacet.

Pippinus fit Brabantiæ dux & comes.

Alsatiam Alemanniam Cisrhenanam, hoc est, Constantiam, Basileam, Argentinam, & quicquid iuris erat Francorum inter Burgundos, & Rhenum atq; Lõgobardos

Sigebertus filius regis Theodorici fit comes Alemanniæ.

gobardos, ipsosq; Heluetios, commisit Sigiberto filio quondam Theodoberti regis Austrasiorum, quem Theodoricus frater occidit, sicut est dictum. Iste Sigebertus quã diu patruus post necem patris fratrum, & sororis, cum Brunihilde superuixit, apud duces Franciæ orientalis latuit.

A Lothario autem procerum interuẽtu factus est comes in regionibus memoratis, & genuit Odobertum, Gunthranum, & Theodobertum, ex Engeltrude filia Heriberti ducis Francorum orientalium. Præfuitq; prouincię sibi commissæ annis XXXVIII. Odobertus patre mortuo, comitatus accepit quatuor in terra Sueuorum, *Habspurg*, *Kiburg*, & duos alios quorum mihi nomina iam non occurrunt.

Comitatus in Habspurg principium.

Theodelindis regina.

Guntranus comes fuit in Homburg, & genuit Vdalricum patrem sanctæ Othilię uirginis Christi, & monialis. Theodobertus comes fuit Rauracorum. Ex his multi comites descendunt.

Garibaldus rex Bauariæ pater Theodelindis.

Eo tempore quo Lotharius regnare cœpit Suessionis in Gallia. Garibaldus regnauit in Bauaria, cuius filiam nomine Theodolindam Antharius rex Longobardorum habuit uxorem, quæ mulier Christo fuit deuotissima, ad quam beatus Papa Gregorius quatuor libros dialogorum transmisit, anno Dominicæ natiuitatis DC. erant illo tempore Bauariæ reges, sub potestate regum Francorum, dabantq; illis tributum singulis annis.

Garibaldus rex obijt cui Lotharius rex Tassilonem substit.

Anno autem Domini DCII. indictione Romanorum V. qui fuit annus Lotharij XVI. mortuus est Garibaldus prædictus rex Bauariæ, in cuius locum rex moratus Francorum Lotharius Tassilonem constituit regem.

Sanctus Arnulfus Episcopus Metensis Dagoberti regis institutor.

Gertrudis uxor Lotharij regis Francorum peperit Dagobertum, qua mortua duxit Sigehildem, quæ peperit Heribertum de quibus suo loco dicetur. Dagobertum pater sancto Arnulfo Metensium episcopo nutriẽdum, & instituendũ commendauerat, qui his temporibus magno in pretio fuit. Iste Arnolfus de genere Francorum comes Namurci fuit, ex comite factus episcous Metenlis, & ex episcopo monachus heremita, opinione cũctorũ sanctissimus, cuius genealogiam altius repetere causa me admonet, quod & regum de sanguine uenit, & ex nepotibus suis plures, ad regnum fuerunt assumpti.

Arnulfi genealogia ex regibus Frãcorum.

Anno enim Domini CCCXLIII. Clogio rex Francorum genuit Marcomerũ regem & Dagobertum ducem. Dagobertus autem genuit Genebaldum, Genebaldus autem Marcomerũ, & Sunnonem genuit. Sunno autem genuit Dioclem Diocles autem genuit Meroneũ. Meroneus autem genuit Leontium. Leontius autem genuit Heribertum. Heribertus autem genuit Priamum. Priamus autem genuit Sigebertum. Sigebertus autem genuit Nicanorem. Nicanor autem genuit Anseglsum. Anseglsus autem genuit Arnulfum comitem Namurci in Austrasia, postea Episcopum Metensem, & heremitam, de quo loquimur.

Genealogia Pippini & Croli Magni

Sanctus Arnulfus Episcopus comesq; Namurcẽsium.

Arnulfus autem genuit Anseglsum Namurci comitem, & maiorem domus Francorum siue Palatinum comitem. Anseglsus autem genuit Pippinum maiorem domus, & ducem Brabantiæ patrem Sanctæ Gertrudis, cuius uxor Ida monasterium Niuellense, ad instantiam sancti Amandi construxit in Brabantia, siue ut usus habet in Brabantia, qui Pippinus obijt anno Domini DCXLVII. sub Dagoberto rege Francorum ut dicam. Pippinus autem genuit Grimaldum, & Carolum cognomento fortem maiores domus. Carolus genuit Pippinum Carolomannum, & Griffonem. Pippinus autem ex comite Palatino seu maiore domus Francorum rex, post depositionẽ Hilderici factus, genuit Carolum Magnum, de quibus postea dicetur.

Dagobertus rex contra Saxones bellum propter tributum.

Anno Domini DCXI. Dagobertus, quem Lotharius pater iam antea regem Austrasiæ constituerat Bertholdo Saxonum duci neganti tributum solucre

luere Francis, bellum indixit, contractisq; copijs, ac Rheno transmisso cum eo pugnauit, & primò uictus, grauiter uulneratus est. Quod celeri nuntio referente audiens Lotharius pater, qui tunc erat in Ardemia sylua diocœsis Colonien-sis, in auxilium filio properauit, Rheno apud Nouesum transmisso, rursus bellū committitur, Berthold, siue ut uolunt alij Berthulf, dux Saxonum occiditur, Saxones duce perempto fugiūt, quos insecutus rex Dagobertus omnes, qui gladij eius longitudinem excedebant masculini sexus occidit, gentemq; tributum D boum soluere compulit.

Berthulfus dux Saxonū à Francis occiditur.

Lotharius rex Francorū moritur.

Post hæc anno Domini DCXXXI. indictione Romanorū quarta, Lotharius rex filius Helperici, & pater Dagoberti moritur, anno regni sui XLIIII.

Dagobertus regnauit annis XXXX

Dagobertus cognomento Magnus filius Lotharij, post mortem patris regnauit annis XXXIIII. nomen matris eius Bertrudis. Hic duos filios habuit Sigebertum, & Clodoueum, uel ut alij scribunt Lodouegum, quem nos Ludouicum hodie Germanicè potius diceremus.

Puer quadraginta dierū baptizādus respondit Amen.

Cum Sigebertus ipse puer infans XL dierū baptizaretur ab Episcopo, & inter orandum Amē à circumastantibus esset respondendum, & omnes distractis cogitationibus tacerent, infans ipse Amen clara uoce respondit.

Heribertus rex Obijt.

Hunc Heribertus frater Dagoberti, qui Tolosæ regnabat in Aquitania, de sacro fonte leuauit, qui scilicet Heribertus, fratre iam regnante post Lotharium obijt cum Hilperico filio, & monarchia ad Dagobertum redijt.

Saxonibus tributum D boū ad tempus remittitur.

Saxones missis oratoribus Dagobertum rogabant, quatenus eis tributum remittere dignaretur, quingentos uidelicet boues, quos annis singulis dare Francis regibus cogebantur. Consensit rex, sub ea conditione ad tempus, ut ipsi Saxones Sclauos debellarent, quod & fecerunt.

Sigebertus constituitur rex in Austrasia.

Rex Dagobertus filium suum dictum Sigebertum regem Austrasiæ, id est, Metensium, Colonienssium, & Leodiensium constituit, impositio illi diademate, commendans eum sancto Chuniberto Colonienssium Archiepiscopo, & Adelgiso Namurci Palatino comiti, ut eorum prudentia regeretur.

Pippinus comes Namurci Brabantiæ dux.

Clodoueus autem rex Nanthildæ regis Dagoberti filius Neustriæ ac Burgundiæ rex, à patre declaratus est, quem adhuc paruulum Pippino duci Brabantiæ, & Againo comiti educandum, & instituendum in moribus commendauit.

Bathildis regina.

Iste Clodoueus Dagoberti filius, uxorem habuit nomine Bathildem Saxonū gentis illustrem fœminam, quæ peperit ei Lotharium, Hildericum, & Theodoricum, de quibus per ordinem suis, in locis breuiter dicendum.

Dagobertus rex obijt.

Dagobertus rex Francorum magnus, obijt anno regni sui XXXIIII. Dominicæ uerò natiuitatis DCLXV. indictione Romanorum octaua.

Clodoueus secundus regnat annis XVI.

Clodoueus filius Magni Dagoberti, succedens patri regnauit annis XVI. nomen matris eius Nanthildis. Maior domus siue comes palatij, fuit sub eo, Ansegisus sancti Arnulfi Metensis episcopi filius, uir strenuus, atq; magnificus, qui comes fuit Namurcensis, cuius filius Pippinus dux erat Brabantiæ.

Regnū Neustriæ est Parisiorum

Regnauit autem Clodoueus, ut dictum est, in Neustrasia, & Burgundia, hoc est, Parisiis, Beluaci, Ambianis, Blesis, Remis, Lugduni, Tholosæ, & in omni regno Gallicano, usq; ad mare & Hispanias, per Alemanniam, Franciam orientalem, Bauariam, Alsatiam, Thuringiam, & alias prouincias regno Francorum subiectas, duces erant deputati, & comites de nobili sanguine antiquorum regū Franciæ, qui eas sub regibus administrabant.

Sigibertus regnat in Austrasia.

Sigebertus autem frater Clodouei, sicut diximus, regnauit in Austrasia, quæ inferiori Campaniæ iungitur apud Metenses, Colonienses, Leodienses, Treuirenses, Mosellanos, Tulenses, Moguntinenses, Neometēses, Vangiones.

Clodoueus rex Francorū moritur anno XVI.

Clodoueus rex moritur anno regni sui XVI. Dominicæ uerò natiuitatis DCLXXXI. indictione Romanorum IX. relinquens tres filios, ut dictum est, ex

Bathilde uxore, Lotharium Hildericum, & Theodoricum.

Lotharius regnat annis quatuor.

Lotharius Clodouei maior natu filius patri succedēs regnauit annis IIII tantū cuius maior domus Eberuuinus fuit, uir impius, qui sancto Leodegario Pontifici oculos eruit, & eum Christi martyrem fecit. Moritur autem rex Lotharius anno Domini DCLXXXV. indictione XIII.

Theodoricus regnauit annis septē.

Theodoricus frater Lotharij, & filius Clodouei mortuo fratri succedens regnauit annis ferme septem. Bis etenim rex factus est. Primò nanq; fratri succedens, otioq; & inertiæ deditus, omnia negotia regni, per comitem Palatij quem maiorē domus nuncupabant, disponere cœpit, semel in anno, ad Kalēdas Maij se populo uidendum salutandumq; ostendens, reliquum tempus omne in otio

Maior domus regibus imperabat.

consumebat. Vnde res Francorum publica non parum detrimenti accepit. Omnia enim maiorum domus arbitrio gerebantur. Cuius maior domus fuit Eberuuinus, quem alij Ebroinum malè scribunt, quia Germanicum est nomen, homo sceleratus & impius, qui multa fecit mala, quibus commoti proceres Francorum Theodoricum à regno deijciunt, & tam ipsum quàm Eberuuinum separatos, ab inuicem ad duo monasteria intrudunt.

Hildericus regnanit anno tantum uno.

Hildericus duorum regum præcedentium frater medius, & Clodouei filius, deiecto à regno Francorum Theodorico fratre iuniore, procerum electione ad regnum de Austrasia uocatus, regnauit annis paucis, qui cum esset moribus asper & multis nobilibus Francorum odiosus, in uenatione occisus est.

Theodoricus iterū regnat annis III.

Theodericus fratre in uenatione unà cum Vlcida uxore prægnāte occiso, ad regnum à Francis restituitur, & regnauit deinceps annis tribus. Et moritur anno Dominicæ natiuitatis DCXCII. relinquens ex Clothilde regina filios duos, Clodoueum, & Hildebertum qui post eum regnauerunt.

Clodoueus regnat annis tribus.

Clodoueus maior natu Theorici filius patri succedens in regno Francorum, anno Domini prænotato DCXCII. regnauit annis tribus, cum fratre suo Hildeberto. Maior domus regni Francorum illo tempore fuit Pippinus Ansegisi filius Namurci comes, & Brabantiæ dux inclytus. Eius Clodouei regis anno ultimo sanctus Vuilbrordus, qui & Clemēs à Sergio Papa Romæ, in die sancti Clementis ordinatur episcopus, & in Galliam Belgicam, Austrasiam quoq; & Phrisiam, ad prædicandum mittitur.

Sāctus Vuilbrordus episcopus.

Clodoueus rex Francorū moritur.

Clodoueus autem rex iste Francorum moritur, anno Dominicę natiuitatis DCXCVI. indictione Romanorum IX. cui frater successit.

Hildebertus regnauit annis XIIII.

Hildebertus mortuo Clodouēo fratri succedens, regnauit post eū annos XIIII. cuius anno quinto sanctus Lampertus episcopus Leodiensis occisus est.

Rex autem Hildebertus moritur anno Dominicæ natiuitatis DCX. indictione Romanorum VIII. Dagoberto relicto filio.

Dagobertus regnauit annis V.

Dagobertus iunior patri succedens in regno Francorum, regnauit annis quinque, paruæ auctoritatis, & momenti reges Francorum his fuere temporibus, sed omnia per maiores domus fiebant, inter quos etiam uarij motus, & seditiones crebrò extiterunt. Eberuuino enim sub Theodorico mortuo Franci Garaconē Palatij comitem faciunt, quem non multo post Gillemarus eius filius à magistratu deiecit. Hic post bella aduersus Pippinum Brabantiæ ducem, quem Franci, de maioritate domus eiecerant, repentina morte interijt, & Garacon pater dignitatem recepit. Illo etiam breui mortuo Bertharius maior domus constituitur homo inutilis.

Pippinus bellat cōtra Bertharium.

Pippinus maioritatem domus recuperat.

Francorum dissidium intelligens Pippinus Brabantiæ dux, contractis cōpijs exercitum contra Theodoricum, & Bertharium duxit. Pugnatum est acriter, Theodoricus fuso exercitu fugam petit, Bertharius occisus est. Pace tandem firmata, cum Theodorico rege Pippinus magistratum recepit, & obijt anno Domini DCCXV. indictione Romanorum XIII. filium relinquens nomine

Carolum

Carolum Martellum cognomento fortem, quem Pleutrudis nouerca nouissima Pippini uxor apud Coloniam in custodiam posuit, & Theobaldum maiorem domus Franci constituunt. Non multo pòst Franci Theobaldum magistratu deijciunt, bellum committitur, regis Dagoberti partes infirmantur. Pulso enim magistratu Theobaldo, Franci proceres Rangafredum maiorem domus faciunt. Interea Carolus Martellus Pippini filius de nouercæ custodia euasit.

Dagobertus autem Francorũ rex iunior tandẽ obijt. Anno Domini DCCXV. indictione XIII. relicto filio nomine Theodorico. *Dagobertus rex Francorũ moritur.*

Post mortem Dagoberti regis Franci Danielem quendam presbyterum maiorem domus constituunt, quem postea erigentes in regem, Helperici nomen ei imponunt, qui aduersus Carolum Martellum sæpe pugnauit. *Daniel presbyter inter rex an. IX.*

Verùm Carolus de custodia nouercæ miraculosè lapsus, summo laborabat studio, ut principatum patris recuperare posset. Vnde cum esset potens, Lothariũ quendam de regio semine contra Danielem constituit regem Frãcorum, à quo & ipse maior domus factus est. Plura cum Daniele Carolus prælia gessit, aliquã do uictus, sæpius tamen uictor. *Lotharius inter rex contra Danielẽ.*

Conspirauerant cum Daniele contra Lotharium, & Carolum Regenfridus dux Phrisonum, & Eudouuastonum princeps, sed omnes sunt uicti, & Lotharius auxilio Caroli regnum potenter obtinuit annis VIII. *Carolus Martellus maior domus.*

Moritur autem Lotharius interrex iste anno Dominicæ natiuitatis DCCXXIII. regni sui octauo anno, indictione Romanorum sexta. Quo mortuo Daniel qui & Hilpericus presbyter, in regnum est restitutus, qui non diu superuixit, sed anno sequenti, hoc est DCCXXIIII. obijt. *Lotharius moritur, Daniel pro rege accipitur.*

Theodoricus Dagoberti regis nouissimi filius metu hostium, in quodam cœnobio monialium, ut ferunt educatus, post mortem duorum interregum Lotharij, & Danielis, consilio maioris domus Caroli Martelli, qui iam potentissimus erat, in regem à Francis assumitur, & regnauit annis XIII. sed omnis potestas penes maiorem domus erat in toto regno, & rex solo nomine contentus esse cogebatur. *Theodoricus regnat annis tredecim.*

Carolus iste maior domus Francorum, Namurci comes, & Brabantiæ, dux regnum Francorum, penè desolatum, in integrum restaurauit, auxit & glorioſum fecit. Multa cum gentibus prælia gessit, & semper euasit uictor: In primis grandem exercitum duxit ultra Rhenum atq; Danubium per deuictos Sueuos, Bauaros q; ad Baugarenses, Rhetios & eas gentes, quas hodie nominamus Australes ultra Danubium Francorum regno potenter subijciens, cum spolijs multis, in Galliam redijt. *Carolus Martellus maior domus regni Francorum instaurator.*

Sueuis à fide subiectionis Francorum deficientibus Carolus bellum indixit, contractis q; copijs militum, cum eis dimicauit. Pugnatum est acriter, & multi ab utraq; parte ceciderunt, plures tamen ex Sueuis, quàm Francis. Vnde nouissimè Carolo cessit uictoria, & occiso duce Sueuorum Leufredo, gentem illam, cũ regione Francis subiugauit. *Sueui rebelles superantur à Frãcis.*

Anno Theodorici regis Francorum nono, qui fuit Dominicę natiuitatis DCCXXXIII. Carolus maior domus bellum gessit, cum Phrisonibus, se à subiectione Francorum uendicare in libertatem conantibus. Bellum atrox committitur, & Phrisones Radbodone duce eorum peremptò superantur. *Phrisones ad obedientiam cõpulsi sunt per bellum.*

Anno sequenti Carolus mouit exercitum in Vuasconiam. Nam Edulo princeps Vuasconum Hispaniæ regem Abdiramum, cum infinitã multitudinẽ pugnatorum haberet auxiliantem, in fines Francorum irrupit, positis q; apud Burdegalam castris, ciuitatem expugnauit, Ecclesiis omnibus spoliatis, & incensis. Inde progrediens simili clade Pictauienses affecit, & sancti Hilarij templum incendit. Deinde ad urbem Turonicam mouit exercitum, quàm pari machinatione *Vuascones deuastãt Frãcorum fines.*

chinatione adorsus expugnare uoluit.

Carolus trecẽta octoginta quinq; milia hostium prostrauit.

Sed Carolus cum suis occurrẽs hosti, ne quod uoluit impetraret, obstitit. Bellum commmittitur, atrocissime pugnatur, sed Carolo Deus concessit uictoriã, qui die illa CCCLXXXV. hostium prostrauit, cùm tamen de Francorum exercitu quingenti duntaxat in eo prælio cecidissent. Nec multo pòst mortuo Edulone, qui & Eudo, Carolus mouit in Vuasconiã, & eam suæ ditioni subiecit, Burgundos noua molientes compescuit.

Vuasconiam suæ ditioni subiecit.

Vuãdali Frãciam ingressi fugantur.

Anno Theodoric. regis undecimo, Vuandali relictis sedibus suis, cùm finitimos sibi populos, non parum inquietassent, in Franciam tandem crudeli multitudine irrumpentes, usq; ad Senones peruenerunt. Sed impetu in eos facto, urbis antistes Eppo soluta obsidione conuertit in fugam.

Carolus Martellus Gothos superauit.

Gothos à finibus Hispaniarum in Franciam irrumpentes, Carolus bello fortiter exceptos prostrauit, & cum ignominia maxima fugere compulit. Populos deniq; cisrhenanos, Mosellanos quoq;, Cynonotos, Vuestrasios, Moguntios, Vangriones & Neometes Gallorum hostes antiquos etiam perdomuit.

Theodorus rex Francorum obijt.

Theodoricus rex Francorum moritur anno regni sui tertiodecimo, qui fuit Dominicæ natiuitatis DCCXXXVII. indictione quinta.

Heribertus regnauit annis XIIII.

Hilde ricus Teodorici regis filius genitori mortuo succedens, solo nomine regnauit annis XIIII. Nam & opes, & potentia regni penes palatij præfectos qui maiores domus dicebantur, & ad quos summa totius regni pertinebat tenebantur. Nec aliud quicquam regi permittebatur, quàm ut regio tantum nomine contentus, crine profuso, barbaq; submisso, in solio resideret, ac speciem dominantis effingeret, legatos undecumq; uenientes audiret, eisq; abituris responsa, quæ doctus erat uel iussus, quasi ex sua potestate redderet, tũ præter inutile regis nomen precarium uitę stipendium, quod ei præfectus aulæ pro suo arbitrio adhibebat, nihil aliud possideret. Vnam tantùm & eam perparuam reditus uillam in qua domini, & ex qua famulos sibi necessaria ministrantes, atque obsequium exhibentes, paucę numerositatis habebat, fuitq; necessariò paucis contentus.

Reges Francorũ sub potestate maiorum domus erant.

Quocunque eundum fuerat carpento ibat, quod iunctis bobus, & bubulco, more rustico agente trahebatur. Sic ad palacium, sic ad publicum conuentum, qui ad Kalẽdas Maij annuatim celebrabatur ire solebat, & coram tota gente in solio residens, omnes salutabat, resalutatus ab eijsdem, sicq; domum ut uenerat reuersus otiosus domi usq; ad sequentem annum residebat. Ad regni administrationem, & omnia quæ uel domi, uel foris agenda, uel disponenda erãt, præfectus aulæ qui & maior domus, procurabat.

Saracẽni & Vuãdali Galliam uastãt.

Anno Hilderici regis secundo, qui fuit Dominicæ natiuitatis DCCXXXIX. Vuandali cum Saracenis iterum facta irruptione, Galliam uastauerunt, & in primis Aralatensem urbem ceperunt. Carolus autem Martellus, maior domus, misit ad Lintprandum qui uenit ad eum cum toto Longobardorũ exercitu. Quod audientes Saraceni mox omnes fugerunt.

Francorũ regno tota pene subijcitur Germania.

Anno sequenti Carolus exercitum mouit in Saxoniam & gentem illam rebellem, & Francis solitum pendere tributum obnitentem bello uicit, & ad subiectionem coegit. Vlterius inde progrediens totam penè Germaniam usq; ad Sarmatas bello superans Francorum dominio subiecit.

Carolus Martellus maior domus obijt.

Post multa fortiter gesta Carolus Martellus, id est, malleus, maior domus Frãcorum, Namurci comes, & Brabantiæ dux fortunatissimus, obijt anno Hilperici regis Frãcorũ quintò, Dominicæ uerò natiuitatis DCCXLII. indictione Romanorũ X. relinquẽs tres filios, Pippinũ, Carlomannũ, & Griphonẽ. Griphoq; minor natu erat matrẽ habebat nomine Suuãhildem Odilonis Bauariq; ducis neptẽ, quẽ illũ suo cõsilio, ad spẽ totius regni cõcitauit, licet frustra omnia tentarit.

Eodem

Eodem mox anno post mortem patris Pippinus & Carlomannus fratres primatum Francorum accipiunt, quem simul annis quatuor administrauerunt. Postea Carlomannus Romæ factus est monachus, & Pippinus deinceps maior domus, mansit solus annis VI. quibus euolutis omnium consensu procerum rex Francorum constituitur, ut infra dicemus.

Pippinus et Carlomānus patri succesſerūt in principatu.

Gripho autem dolens se contemptum à fratribus consilio matris Laudunum ciuitatem occupat ac bellum fratribus indicit. Qui celeriter exercitu contracto Laudunum obsident urbem & fratrem capiunt, quem Carlomannus in Nouo castello quod iuxta Aruernum situm est custodiri fecit, in qua custodia usq; ad monachatum Carlomanni annis quatuor detentus fuit.

Gripho fratrib. indicit bellum & ab eis capitur.

Anno Hilderici regis Francorum sexto Pippinus & Carlomannus Namurci comites ac Barbantiæ duces post obitum patris (ut dictum est) principatu maioritatis domus siue palacij comitatus potiti ad ordinandum regum atq; prouincias, quæ post mortem patris à subiectione Francorum desciuerat recuperandas animos studiosissime intendunt.

Gripho incuſtodiam ponitur annis quattuor.

In primis ergo ad recuperandum Aquitaniam communi animositate sublati, contra Himoldum illius prouinciæ ducem exercitum ducentes bellum principi indixerunt. At ille uidens se potestati Francorum non posse resistere, gratiam petijt & eorum se uoluntati subiecit.

Pippinus & Carlomānus regni ordinatione intenderunt.

Eodem tempore cum adhuc essent in Aquitania constituti Pippinus & Carlomannus in castello quod dicitur Lucasi, priusquam inde discederent principatum totius Francorum regni, cuius administrationem sub miserabili rege tenebant, inter se diuidere statuerunt. Diuiserunt ergo sicuti uoluerunt regni prouincias omnes procerum in potentia, regis Hilderici nec; consilio, nec; consensu, ad id requisito. Erat enim Hildericus, ut diximus, nō rex sed umbra potius regalis cuiusdā imaginis, seruus seruorum, & sine re nomen gerens inane. Complacuit regni proceribus intentio principum ut tempus postulabat.

Aquitaniam Franci recuperauerunt.

Itaq; communi decreto Pippinus & Carlomannus diuiserunt inter se omnes totius regni Francorū prouincias in eo loco, qui nuncupatur uetus Pictauis. In qua diuisione Carlomannus Austrasiam, Alemanam & Thuringiam assecutus est sorte, quarum prouinciarum per pagos & urbes ista sunt nomina. Treueris cum Mosellanis, Metis cum Austrasijs, Leodium cum Namurcis, Brabantinis Hollandinis inter mare & Rhenum, Colonia cum Tungrensibus, Batauis, Menappijs, Phrisijs & Hogijs, qui nunc sunt Vuestphali. Moguntia cum cisrhenanis, Vangionibus, Neometibus, Vuestrasijs & Cynonotis, Argenitna cum Alsatibus, Constantia cum Alemannis, Heluetijs, Rauricis, Curiensibus, & qui hodie nuncupantur Valesij, Vuirtzburg cum Sueuis Francisq; orientalibus, in quibus sunt oppipa & urbes Nuernberg, Babēberg, Forcheim, Vuinsheim, Hallis & multi comitatus, Suueinfurt, Cotenburg, Franckenburg, castellū Sebalstein, Vuichersheim, Vuardheim & alij plures, Bauaria cum urbibus, Ratispona, Viuario, Driopoli & alijs. Thuringia & Saxonia cum tota pene Germania Carlomanno contigerunt, in quibus singulis ferme prouincijs aut duces aut comites rempublicam sub potestate Francorum administrabant, principum nutu amonibiles.

Pippinus & Carlomānus inter se diuiſerunt regnū Francorum.

Pippinus autem in ea diuisione assecutus est Burgundiam, Vuestriam, prouinciam Aquitaniam, Campaniam, Vualcaniamq; & quicquid illis interiacet, quarum prouiciarum per pagos & urbes ista sunt nomina. In Burgundia quidem Lugdunum, Vienna, Auinion, Bisuntium, Losanna, Valentia, Massilia, & quicquid hodie in Sabandia, & Delfinatu continetur: In Vuestria, Parisius, Cabilona, Tullum, Turonum, Cathalonia, Tholosa, Cotomagus, & quicquid per totam est Galliam, Remis, Aurelianis, Suessionis, Beluacus, Blesus,

sus, Ambianis ab Hispanijs usque ad Scaldem fluuium.

Alemanni à fide Francorũ deficiunt. Hac diuisione inter se facta Pippinus & Carlomannus domum sunt reuersi. Eodem tempore mox ut Alemanni mortem Caroli Martelli audiuerunt, à subiectione Francorum recedentes, in rebellionem unanimiter conspirarunt.

Alemanni denuo superantur à Francis Quæ Sueuorum rebellio mox ut Carlomanno in notitiã et contractis copijs, exercitum mouit in Alemanniam, quam ferro deuastauit & igne. Verũ cernentes Alemanni quod Francorum impares essent uiribus, denuo se illis subijciunt & annuum tributum, ut prius consueuerunt, soluunt.

Odilo Bauarorum dux superatur à Pippino & Francis. Anno Hilderici regis VII. qui fuit Dominicæ natiuitatis DCCXLIIII. Carlomannus & Pippinus iunctis copijs cõtra Odilonem ducem Bauariæ, qui & ipse defecerat à subiectione Francorũ processerunt ad bellum. Imposuerat enim ipse sibi regium diadema seq; regem auctoritate propria iussit appellari, quod Francorum decreto fuerat illicitum. quia omnia regna suæ ditioni subiecta in prouincias redigerant, unam ex omnibus monarchiã constituentes, cui rex unicus Frãcorum præesset & solus. Odilo autem dux uenientes ad se Francos bello excepit, sed ab eis superatus & fusus est, & Bauaria denuo in deditionem Francorum sub acta.

Saxones etiam à Francis superantur. Eodem tempore à fide Francorum etiam pars Saxonum post mortem Caroli Martelli defecit. Vnde Carlomannus à cæde Bauarorum reuersus cum suis, expeditionem mouit in Saxoniam captoq; castello, quod incolæ Osnabrug nuncupãt, & est hodie ciuitas episcopalis, Theodoricum illius pagi comitem primarium in dedicionem accepit, qui fidem non seruauit.

Iterum Saxones à Francis superantur. Quocirca Carlomannus & Pippinus coniunctis exercitibus, anno sequenti qui fuit Dominicæ natiuitatis DCCXLV. Saxoniam iterum ingressi sunt, & captum Theodoricum totiens fidei transgressorem capite truncari fecerunt. Iterumque, Saxones compulsi Francis subiacere tributum dare cœperunt.

Carlomãnus fratri suo principatũ Francorũ dimisit. Anno Hilderici regis Francorum nominatiui otiosi IX. Dominicæ uerò natiuitas DCCXLVII. Carlomãnus princeps Francorũ nobilissimus maior domus comes Namurcensis & Brabantiæ dux natus, ac uice rex Germaniæ, Treuirorũ quoq;, Metensium, Leodiensium, Colonien sium, Moguntinensium, Vuormacien sium, Spirensium, Argentinensium, Basilien sium, Constantien sium, Alemannorum, Sueuorum, Bauarorum, Heluetiorum, Bohemorum, Austrasium, Francorum orientalium, Thuringorum, Phrisonum, & Saxonum, præfectus & principalis dominus unicus solus, potens & metuendus, omnia fratri suo dimisit.

Carlomãnus Romã profectus, ibi monachus factus est. Diuino etenim succensus amore, post posito tam latissimo principatu, qui olim simul & semel duodecim sufficiebat regibus, contẽptisq; diuitijs mundi & honoribus cunctis, Romam proficiscitur, & Zachariæ summo Pontifici se obtulit, à quo mox clericus factus est, mutatoq; habitu indumentis monachorum se fecit amiciri, factusq; monachus in monte Soracte, Ecclesiã sancti Siluestri construxit, in qua Domino seruiuit.

Carlomãnus à Roma uenit ad cœnobium sancti Benedicti. Verum post annos aliquot cum ex Francia multi nobiles Romam ex deuotione peregrinantes eum, ut olim dominum suum crebrius uisitarent, & quietis otium quo maxime delectabatur, sæpius interrumperent, locum mutare coactus est. Dimisso igitur cum Roma cœnobio ad monasterium sancti Benedicti quod est in monte Casino, secutus Dei Spiritum se contulit, & monachus inter monachos usq; ad mortem Deo seruiens permansit.

Monarchiã regni Pippinus obtinuit Post cuius conuersionem Pippinus frater eius maior domus omnem principatum totius regni Francorum solus administrauit consequenter adhuc annis v. quibus euolutis in regem est sublimatus & regnauit annis XVI. Et factum est omne

est omne tempus sui principatus post patrem, annorum uiginti sex.

Anno Hilderici regis Francorum XIIII. Pippini uerò principis IX. Dominicę autem natiuitatis DCCLI. indictione Romanorum quarta, sanctus Burghardus natione Anglicus, professione monachus, Vuirtzburgēsis Ecclesiæ primus episcopus factus est, & præfuit in magna sanctitate annis quadraginta. *Sāctus Burghardus fit episcopus Wirtzpurg.*

Eodem anno proceres totius regni conuenientes in unum, super abrogatione regis Hilderici inutilis cœperunt habere consilium. Placuit autem in commuui omnibus, ut regem Hildericum nullam regnādi uel peritiam uel potestatē habentem deponerent, & Pippinum penes quem totius regni summa manebat auctoritas, in regem sublimarent. Sed Pippinus in hanc rem consentire non uoluit, nisi prius consilium Romani Pontificis Sachariæ inquireretur causas allegans se mouentes. *Francorum proceres Pippinum ducē in regem eligunt.*

Cōmunicato igitur consilio mittuntur Romā, sanctus Burghardus, Vuirtzburgensis episcopus, & Voltradus abbas ad Zachariam Pontificem, ut consulerent eum super memorato regum negotio, quid uidelicet illi melius, iustius, rectiusq; uideretur fore. Vtrum nomen regium cum diademate illi debeat permanere, qui semper otiosus, nihil operatur nomine regio dignum, an potius alteri sit conferendum, id est Pippino, qui cuncta regni desponit negotia solus que facit laborem. *Sāctus Burghardus Romam mittitur à Francis pro Pippino*

Respondit Papa legatis, iustum sibi uideri ut ille qui regni perfert labores & cuncta disponit negotia, & nomen portet regium & diadema, potius quàm Hilderius, qui semper otiosius nihil ad regni facit utilitatem. Scripsit ergo episcopis & proceribus Francorum & consuluit, ut Hilderico abrogato & in monasterium detruso Pippinum facerent regem. Sancto etiam Bonifacio archiepiscopo Moguntino per Apostolica scripta mandauit, quatenus eūdem Pippinū in regem ungeret Francorum. *Zacharias Papa Pippinum declarat regē Frācorum.*

Pippinus iussu Zachariæ Papæ in regem Francorum in ciuitate Suessionum unctus & coronatus est per manus sancti Bonifacij archiepiscopi Moguntiacē sis, anno Dominicæ natiuitatis DCCLII. indictione Romanorum V. & regnauit annis XVI. Erat Pippinus Namurcī comes, Brabātiæ dux, maior domus siue comes Palatinus de antiquissima stirpe regum Francorum, cuius pater fuit Carolus Martellus, qui fuit Pippini senioris, qui fuit Ansegisi, qui fuit sancti Arnulphi, qui fuit Ansegisi, qui fuit Nicanoris, qui fuit Sigeberti, qui fuit Priami, qui fuit Heriberti, qui fuit Leoncij, qui fuit Merouei, qui fuit Dioclis, qui fuit Sūnonis, qui fuit Genebaldi, qui fuit Dagoberti, qui fuit Marcomeri, qui fuit Clogionis regis Francorum anno Dominicę natiuitatis CCCL. regnantis. Porrò Hildericus rex depositus iuxta Papę sentētiam monachus factus est, defecitq; in eo linea regum Francorum à Pharamundo descendentium. *Pippinus regnauit annis sedecim super Francos. Pippini genealogia ex Francorum regibus descendit.*

Eodem anno quo Pippinus in regem fuit coronatus inuentio & translatio corporum sanctorum Kyliani episcopi, Colonati presbiteris, & Torlinani diaconi martyrum apud Vuirtzpurg facta est, à passione eorum anno LXIII. indictione Romanorum (ut supra diximus quinta) cum exultatione populi. *Translatio corporū sanctorum Kyliani & sociorum eius martyrum.*

Hoc ipso quoq; anno Pippinus rex ad iustitiam sancti Bonifacij Moguntini archiepiscopi considerans fidem ad sanctitatem diui Pontificis Vuirtzburgēsis Burghardi quo mediante apud Papam urbis Romæ Francorum regnum fuerat assecutus, & quod episcopium eius adhuc nouum in temporalibus nō satis esset prouisum, de consensu filiorum suorū Caroli cognomine postea Magni & Carlomanni simul & omnium procerum totius regni Francorum, qui Suessionis eo die affuerunt quādo in regem fuerat unctus & coronatus, ciuitatem Vuirtzpurg cum omnibus prouentibus & utilitatibus eius regali munificentia donauit Ecclesiæ cathedrali, hoc est, sancto Burghardo episcopo Vuirtzburgēsi memorato *Sāctus Burghardus episcopus wirtzburgensis. Ciuitas wirtzburg datur sancto Burghardo episcopo primo ibi.*

morato & eius in perpetuam successoribus proprietatem. Castellũ quoq; Carlspurg cum uilla quæ Carlestat nominatur, & alia plura Ecclesiæ prædictæ contulit nouus rex Pippinus.

Ducatus Frãciæ orientalis donatur Ecclesiæ Vuirtzburgensi.

Titulum quoq; & dignitatem cum emolumento ducatus Francorum orientalium, idem rex Pippinus dono dedit perpetuo Ecclesiæ Vuirtzburgensi & sancto Burckhardo illius primo antistiti eiusq; successoribus in perpetuum, quibus & potestatem dedit iudicium ordinandi, & iudicandi secundum legem & cõsuetudinem Francorum, in omnibus causis per uniuersum ducatum.

Pippini regis Francorum expeditio in Saxoniam prima.

Anno regni sui secundo Pippinus rex cum magno exercitu Francorum intrauit Saxoniã, cui Saxones obstinatissime restiterunt. Postremò tamen uicti sunt, & iterum in uerba regis iurauerunt, quamuis non diu seruarũt fidem. In hac expeditione Hildegarius episcopus Frãcorum fuit occisus. Gripho etiã frater Pippini regis eodem anno à quodam interemptus est.

Sanctus Bonifacius ex monacho Moguntinus archiepiscopus passus est.

Anno Domini DCCLV. indictione Romanorum octaua, & fuit annus Pippini regis tertius, sanctus Bonifacius ex monacho archiepiscopus Moguntinus in Phrisia passus est prope Dockheim pro fide Christi martyrium, cuius corpus ad monasterium Fuldense relatum est, & ibidem in crypta honorifice sepultum.

Secũda regis Pippini expeditio facta in Saxoniam

Pippinus anno regni sui VI. contracto iterum ualido Francorum exercitu, mouit in Saxoniam & commisso prælio multa eorum milia occidit, & reliquos in deditionẽ accepit, & ad hoc eos coegit, ut promitterent se facturos omnia quæcunq; præciperet, & annis singulis CCC. equos illi daturos pro tributo, siue munere honoris, & in signum fidelis subiectionis. His ita compositis & more Saxonico confirmatis rex Pippinus in sua reuertitur.

Pippinus Frãcorũ rex moritur senex.

Anno Domini DCCLVIII. indictione Ramanorum VI. Pippinus rex Francorum VIII. kalendas Octobris moritur, anno principatus sui XXVII. regni autem XVI. cuius corpus apud sanctum Dionysium est sepultum, uxorem relinquens nomine Bertradem, & duos filios Carolum & Carlomannum.

Carolus rex Frãcorũ magnus regnauit annis 46

Carolus Magnus Pippini regis maior filius post patrem regnauit XLVI. Regnauit autem cum fratre suo Carlomanno annis tribus, quo mortuo solus regnauit annis XLIII. Cum regnare cœpit annum ætatis agebat XXVI. Hic prælia multa constituit, & regnum Francorum ualde ampliauit. In primis contra Hunoldum, qui Aquitaniam inuaserat, duxit exercitum, qui statim fugit à facie eius ad Lupum Vuasconiæ ducem. At Carolus missa legatione ad Lupum in Vuasconiam fugitiuũ cum uxore ab eo recepit, ipsoq; Lupo cum tota Vuasconia sibi obtemperante regressus est.

Conuẽtus fit principũ sub Carolo rege Magno Vormatiæ.

Anno DCCLXX. Carolus rex habuit conuentum principum regni generalem in Vuormatia ciuitate, Bertrada uero mater Regum cum Carlomanno minore filio apud Sels constituta pacis causa in Italiã proficiscitur, peractoq; negotio pro quo ierat, & orandi uoto rite soluto sanctis Apostolis, ad suos rediit.

Sãcti Othmari corpus in integrum reperitur.

Eodem anno corpus sancti Othmari quondam abbatis cœnobij diui Galli, in insula Rheni quę Stein nuncupatur qua defunctus est, per decem annos sepultum reperitur incorruptum, ablatumq; in Basilica sancti Galli sepelitur. Qui cum esset eiusdem monasterij abbas bonæ ac religiosissimæ conuersationis quorundam peruersorum fratrum inuidia pulsus est, & in memoratam insulam Stein relegatus, ubi & moritur anno Domini DCCLX. indictione XIII.

Carlomãnus rex frater Caroli magni obijt.

Anno Domini DCCLXXI. Carlomannus rex moritur, cuius uxor cum liberis fugit in Italiam ad Desiderium regem Lõgobardorum à facie Caroli regis, propterea quod erat sibi malarum in eum machinarum cõscia, cum alijs suis qui ex parte Carlomanni semper discordiam seminabant. Iam deinceps Magnus Carolus regnum Francorum solus tenuit annis XLIII.

Anno

Anno sequenti Carolus rex congregato iterum Vuormatiæ principum generali conuentu, communi omnium consensu bellum Saxonibus indixit. Contracto non paruo Francorum exercitu, Saxoniam intrauit, & cuncta ferro, & igne depopulatus est. Eresburg castrum quoddã cum obtinuisset, idolum Saxonica lingua Ermensul nuncupatum destruxit. Inde discedens ad Vuesaram fluuium processit, ubi conuenientes Saxones gratiam regis postularũt fidem promittentes. At rex acceptis XII. obsidibus pacem concessit. *Prima regis Caroli Magni expeditio in Saxones facta est.*

Anno Domini DCCLXXIII. cum Adrianus Papa insolentiam Desiderij regis Longobardorum, & oppressionem ecclesiæ diutius ferre non posset, missa legatione ad Carolum, eius opem implorauit. Qui collecto exercitu Longobardiam intrauit, ac Desiderium in Ticinensi urbe, quæ nunc est Papia obsedit. Lõga tandem obsidione ciuitatem, ad deditionem compulit, quam reliquæ ciuitates secutæ regis Caroli se potestati subdiderunt. Rex itaq; subacta, & prout tempus admisit ordinata Italia in Franciam reuertitur, Desiderium regem secum ducens captiuum. Adelgisus uerò Desiderij filius in Græciam fugit, ad Constantinum Imperatorem ibiq; uitam finiuit. *Carolus rex in fauorem ecclesiæ Romanæ uincit Lõgobardos*

Interim uerò quod rex Carolus erat bello implicatus in Longobardia, Saxones nacta de absentia eius occasione contiguos sibi Hassiorum terminos deuastare cœperunt. Venientes'que in locum, qui Fritislaria nomina tur, ecclesiam quam sanctus archiepiscopus Bonifacius quondam cõsecrauit, incendere moliti sunt. Erãt enim Saxones adhuc eo tempore cultores idolorum. Cumq; multa ui eam incendere conarentur, apparuerunt quibusdam tam ex paganis quã ex Christianis, duo iuuenes, in albis omne incendium prohibentes, quorum præsentia Saxones territi omnes, in fugam conuersi sunt nullo persequente. *Saxones sine fide Carolo regi fideles Hassios deuastant.*

Anno Domini DCCLXXIIII. Carolus de Lombardia domum regressus, priusquam eum Saxones uenisse sentirent, tripartitum in eorum terram misit exercitum, qui direptionibus, & incendijs cuncta uastantes, compluribusq; eorum qui resistere conati sunt interfectis, cum ingenti præda reuersi sunt. Et hæc secũda fuit expeditio Caroli regis in Saxoniam. *Secunda regis Caroli Magni expeditio in Saxones facta est.*

Anno Domini DCCLXXV. Carolus rex Magnus decreuit Saxoniam ingredi, & tam diu in ea perseuerare, donec aut fidem Christi susciperent, aut omnes exterminarentur. Toto igitur Francorum impetu Saxoniam petens, primò incursu Sigeburgum munitissimum castellum, qd ex opposito Rheni duobus à Bunna distat miliaribus, in quo Saxonum erat præsidium cepit Eresburgum à Saxonibus destructum restituens muniuit, in eoq; Francorum præsidium posuit, multaq; strage facta obsides ab eis, & à Vuestphalis acceptis pacem dedit petentibus & recessit. *Tertia Caroli regis Magni expeditio facta, in Saxones.*

Anno Domini DCCLXXVII. Carolus rex Magnus habito principum regni Francorum concilio in loco Padelbrunna, in finibus Saxoniæ ubi nunc est ciuitas episcopalis, iterum iam quartò exercitum duxit in Saxoniam omnesq; sibi fallaciter deuotos inuenit. Cuncti enim ad eum uenerunt præter Vuitikindum unum ex primoribus Vuestphalorum, qui multorum sibi conscius facinorum regem timuit, & cum paucis ad Sigefridum regem Danorum profugit. Cæteri autem qui conuenerant in tantum se regis potestati submiserunt, ut ea conditio ne ueniam, tunc mererentur quatenus, si eius statuta ulterius uiolarent patria, & libertate priuarentur. Multi ad instantiam regis baptizati sunt, quorum tamen pauci ueri Christiani extiterunt. *Quarta Caroli regis expeditio in Saxon. Saxones Imperatori cõpulsi obediunt.*

Anno Domini DCCLXXVIII. rex Carolus mouit in Hispaniam, & urbes quas suæ ditioni subegit atq; à Saracenis obsides accepit. Interea Saxones compertò quod rex longè abesset sumptis armis, usq; ad Rhenum profecti sunt. Sed cum amnem transire non possent, quicquid à Tuitio uilla, quæ est in opposito *Saxones deuastant partes Francorum.*

Coloniæ,usq; ad confluentiam,ubi Mosella influit Rhenum,uicorum,uillarũq; fuit, igni & ferro depopulati sunt,nullum sexus uel ætatis discrimen facientes, sed infantes,una cum matribus occiderunt.

Imperator Francos, & Alemannos contra Saxones mittit.

Quod cum rex Altisiodoro positus audisset,orientales Francos, & Alemannos,ad propulsandos eos continuò misit. Quorum aduentum Saxones audiẽtes confestim recesserunt Sed isti è uestigio illos insecuti, repererunt eos in partibus Hasiorum iuxta fluuium Adernam, statimq; in ipso fluminis uado illos adorti, tanta cæde strauerunt,ut pauciss imi remanserint.

Carolus Imperator Magnus quintò mouit in Saxoniam.

Anno sequenti qui fuit Dominicæ natiuitatis DCCLXXIX. Carolus iã quintò expeditionem mouit in Saxoniam in eo loco traducens exercitum ubi Lippia influit Rhenum haud procul à uico,qui Vuesel nuncupatur. Cui cum Saxones occurrerent armati,apud Bucholdz uicti sunt & multi eorum occisi, cæteri salutem fuga quęsierunt. Rex autem Carolus Vuestphalorum regionem ingressus eos omnes in deditionem accepit. Inde mouens ad Vuesaram castra locauit. Ibi Angrarij,& Ostphali obsides dederunt,& sacramenta iurauerũt, quibus peractis rex Vuormaciam reuersus est.

Bucholz.

Carolus rex Magnus iam sexto mouit, in Saxoniam

Anno Domini DCCLXXX. Carolus rex iam sextò mouit in Saxoniam,cui uenienti omnes orientalium partium Saxones occurrerunt,multiq; depopulo baptizati sunt. Veniens inde ad locũ ubi Hora,& Albis confluũt, ordinauit rex tam Saxones,quam Sclauos, reuersusq; in Franciam, & habito consilio, Romam causa orationis cum Hilde garde uxore liberisq; profectus est, ac natale Domini,in fine huius anni Papiæ celebrauit DCCCI.

Carolus rex Francorum Magnus fit Imperator annis XIIII.

Hoc anno Dominicæ natiuitatis indictione nona Carolus rex Francorum Pippini regis filius, postquam regnasset annis XXXIII. Anno ætatis suæ LIX. factus est Imperator Romanorum,& imperauit annis XIIII. Cum enim Romæ esset propter calumniã Leoni Papę tertio nimis in iurioſe factam, & natale Domini ibidem celebraret, in ipsa die sacratissima ad missarum solemnia ueniens,dum ante confessionem beati Petri Apostoli,ab oratione, nihil minus cogitanti,ne dicam speranti,quam Imperium, Leo Papalibus infulis ornatus capiti eius coronam imposuit, & imperatorem Romanum pronunciauit.

Leo Papa tertius, Carolũ Imperatorẽ coronat.

A cuncto mox populo Romano conclamatum est: Carolo Augusto à Deo coronato Magno,& pacifico Imperatori Romanorum,uita & uictoria. Post quas laudes unctus ab Apostolica manu, & more antiquorum principum adoratus à Papa & ablato patritij nomine quo antea fuerat insignitus, Imperator & Augustus appellatus est multarum fauore gentium.

Saxones cisalbim trãsferuntur in Franciam.

Anno Domini DCCCIII. Carolus Imperator Aquisgrani hyemauit. Aestate autem ducto exercitu in Saxoniam,omnes qui trans Albin flumen habitabant Saxones in Franciã transtulit,& pagos transalbianos ab Odriatis populis inhabitandos,& colendos sub tributo annuo concessit.

Bohemia regno Francorũ subijcitur

Anno Domini DCCCV. Imperator misit filium suum Carolum, cum exercitu in Bohemiam, qui depopulatis omnibus ducem terræ illius nomine Lechonem occidit, & eius ducatum regno Francorum fecit subiectum.

Carolus Imperatoris filius moritur

Anno Domini octingentesimo undecimo, Imperatoris Caroli maior natu filius,& ipse nomine paterno dictus Carolus, pridie nonarum Decembris obijt.

Ludouicus rex Aquitaniæ in cõsortem imperij à patre assumitur.

Anno Domini octingentesimo decimotertio, Carolus Imperator habito generali conuentu principum Aquisgrani,filium suum Ludouicum regem Aquitaniæ ad se uocauit, eique imponens coronam Imperialis nominis sibi consortem fecit. Bernhardum uerò nepotem suum,filium Pippini filij sui regem Italiæ constituit.

Eodem

Eodem anno pons Rheni apud Moguntiam, quem imperator per decem annos ingenti labore, & opere mirabili, de ligno ita construxit, ut perenniter dura re posse uideretur, in mense Maio, ita tribus horis fortuito incendio conflagrauit, ut præter hoc quod aqua tegebatur, nec una quidem hastula ex eo remaneret. Multa Episcoporum consilia eodem anno iussu Imperatoris facta sunt. *Pons Rheni apud Mogũtiam igne casuali comburitur.*

Anno Dominicæ natiuitatis DCCCXV. indictione Romanorum octaua, mẽsis Ianuarij, die uicesima octaua, Carolus cognomine Magnus rex Francorum, & Imperator Romanorum semper Augustus Aquisgrani moritur, & ibidem in Ecclesia Beatæ Mariæ semper uirginis, quam ipse construxerat, honorificè sepelitur, anno ætatis suæ XII. regni sui Frãcorum XLVI. Imperij autem XIIII. qui regno Francorum non minus prouinciarum adiunxit quam prius habuit. *Carolus Imperator Magnus moritur.*

Ludouicus Caroli magni regis, & Imperatoris filius patri succedens, tam in Romanorum imperio quàm in Francorum regno, utrũq; regnauit annis XXVI. quem Stephanus Papa quartus ueniens in Galliam anno regni eius secundo, post obitum patris in ciuitate Remorum Imperatorem consecrauit. *Ludouicus rex & Imperator filius Caroli annis XXVI.*

Anno Domini præsignato DCCCXV. Megingaldus nostro more, uel Megingaudus consuetudine Sicambrorum L. in V. mutantium, comes in Francia orientali consensu S. Burghardi Vuirtziburgensis episcopi, monasterium Suuartzachense, haud procul à Mœno flumine, opitulante Innua uxore eius construxit, cuius Ecclesiam sub honore Domini nostri Iesu Christi, in memoriã quoq; sanctæ Dei genitricis, sanctorumq; Sebastiani, & felicitatis martyrum consecrari fecit, & Monachos ordinis diui patris Benedicti ibidem collocauit. *Cœnobium Swartzach fundatur hic*

Anno Domini DCCCXVII. Ludouicus Imperator Aquisgrani conuentum celebrauit principum in quo Lotharium primo genitum suum nominis, & Imperij consortem sibi constituit, cæteros reges appellatos, unum Aquitaniæ, aliũ Bauariæ præfecit, regnum Francorum cum imperio sibi retinens. *Lotharius à patre in consortem imperij assumitur*

Anno Domini DCCCXL. indictione Romanorum tertia, Ludouicus rex Frãcorum Imperatorq; Romanus obijt, sepultusq; est in Ecclesia Metensi. Post cuius mortem Lotharius cum nomine Imperatoris tenuit Italiam, Pippinus Aquitaniam, Carolus Galliam, & Ludouicus Germaniam sortitus est. *Ludouicus rex Imperator moritur.*

Regni Francorum diuisio in duo regna, in Germanicum & Gallicanum.

Anno Dominicæ natiuitatis DCCCXLI. ab introitu Sicambrorum siue Francorum in Germaniã sedesq; acceptas ad ostia Rheni anno Millesimo CCLXXX. indictione Romanorum quarta. Anno ab excidio Troiano, bis millesimo tricesimo Francorum latissimum regnum tres Ludouici regis, & imperatoris filij, cum imperio Romanorum, inter se diuiserunt. In qua diuisione Lotharius, ut dictum est, Italiam cum nomine Imperij consecutus est, Ludouicus Germaniam. Carolus Galliam, & Pippinus eorum nepos Aquitaniam. *Regnũ Francorũ in duo Germanicũ, & Gallicum diuiditur. Anno Francorum III. XXX. regnum eorum diuiditur.*

Ab illo tempore cœpta regni Francorum diuisio bipartita mansit, iam per annos DCLXXIII. usq; in præsentem diem manebitq; deinceps perpetua. Quæ quidem diuisio literis, & iure confirmata maiorum, ex uno regno Francorum facit duo, quorum alterum est Germaniæ, alterum uerò Celticæ duntaxat, & Aquitaniæ. Nam Galliæ Belgicæ maior pars, in diuisione postea regno fuit adiudicata Germaniæ, in quo regno istæ prouinciæ sunt, cum ciuitatibus. *Regnũ Germanicum separatur à Gallico.*

Alemania siue Sueuia tota, cum urbibus suis Constantia, Basilea, Birtensibus, Heluetijs, Losanna, Sedunensibus qui & Valesij, Burgundia quoq; Bisuntini, Lotharingia, Metis, Leodium, Cametacum, Atribatum, Flandria, Hollandia, Seelandia, Brabantia, Traiectum, Colonia, Treueris, cum Mosellanis, Moguntia, Vuormatia, & Spira, cum Cynonotis, atq; Vuestrasijs, Vosegomibusq;, Argentina cum Alsacijs, cæteraq; omnia, his adiacentia, ad Germaniæ regnum pertinent. *Ad Germaniæ regnum quæ prouinciæ, & urbes pertineant.*

Sub regno suo est uniuersa Germania.

nent, dicunturq; ciuitates regni Germanici, & non imperij Romani. Deindè Germania tota huic subest regno in qua sunt: Phrisii, Saxones, Hassij, Vuestphali, Hogij, qui & Vuederauij, Thuringi, Misnenses, Marchionitæ de Brandenburg, Pomerani, Rugij, Stetinēses, Holstanij, Dani, Suedi. Nortuuegij, Pruteni, Poloni, Salesii, Sorabi, qui & sunt Bohemi antiquitus, & Schlaui nuncupati, Austrij, Carenthij, Stirij, Thiroli, Bauarij, Rhetij, & quicquid his interiacet. Sed & Italia uniuersa præter bona Ecclesię antiquo iure ad regnum Francorum Germaniæ pertinuisse manifesta est, sub ditione Caroli Magni.

Regnũ Germaniæ regẽ habet non indigentem confirmari.

Rex igitur Germaniæ quicunq; pro tempore fuerit, duo habet, Regnũ & Imperium. Ad regnum per principes eligitur, & nullius confirmatione indiget, ad Imperium uerò quod est regno iure annexum per Pontificem Romanum, & cõfirmari debet & ungi. Regnum est Germanorum nomine dicendum, Imperium uerò Romanorum. Confusè loquuntur, qui dicunt Maximilianum regem Romanorum, cum Germanorum dicere potius debuissent. Similiter qui dicunt Coloniam, Treuerim, Leodium, Metim, uel alias urbes Germanię ciuitates esse Imperiales, cum sint Regales, non rectè loquuntur.

Germaniæ regnũ manet liberum etiamsi auferatur imp.

Nam si aliquando contingeret à Germanis Imperium auferri, maneret nihilominus Germaniæ regnum, ut nunc est liberum, omnes prouincias, & ciuitates per omnia loca præscripta sibi habens, ut hodie habet subiectas.

Ludouicus Germaniæ non fuit Imperator.

Ludouicus igitur frater Imperatoris, Ludouici senioris filius, & Magni nepos Caroli, regnum Germaniæ in diuisione aslecutus, regnauit annis XXX. post quẽ filius eius nomine Carolus iunior Rex fuit Germaniæ, & Imperator Romanorum annis XI. sub quo regnum inter fratres suos fuit diuisum. Nam ipse cum Germania habuit Imperium. Ludouicus Ostrofranciam, Carolus Alemaniam, & Carlomannus Bauariam, cuius filius Arnulfus post modum totius regni Germanici simul, & Imperij monarchiam obtinuit. Ab hinc nomen Francorum, cũ Gallia regibus Galliæ mansit, & paulatim à Germanis deficere cœpit. Nos sumus Franci Germani: illi autem Galli.

Francoꝝ nomen Gallia tulit, nos sumus Franci Germani.

1514.

Compendij Ioannis Trittenhemij abbatis Diui Iacobi Vuirtziburgensis, de origine gentis Francorum, de regno quoq;, nomine & Regibus eorundem FINIS.

EPITOMA

EPITOMA GERMANICARVM RERVM, IACOBI VVYMPHELINGII SELESTADIENSIS.

IACOBVS VVYMPHELINGIVS

Thomæ Vuolphio Iuniori, pontificij iuris interpreti, summo amico, S.

VIDENS Romanas, Venetas, Anglas, Pannonumq́, & Bohemorum, ac Francigenum historias indies lectum iri, excitaueram nuper Sebastianum Murrhonem, ut ex priscis historiographis, epitomen saltem rerum à Germanis magnificè gestarum comportaret: minare studeant, nos ueluti somnolenti, & parui animi, glorięq; aultę cõtemptores, perpetuò dormitare uideremur. Morem mihi gesturus Murtho, quod cœperat, immatura morte interueniente, neq; perficere potuit, neq; reuidere. Ego itaq; quicquid ille meo hortatu aggressus, tanquam fragmenta post se reliquit, cogitabam in seriem distribuere, augere, & utcunq; absoluere, ubiq; mi suauissime Thoma dedicare, non solùm ad gloriam nominis tui sempiternam: sed etiam ut omnes Germani, in hac Epitome antiquitates Germaniæ uideant, uitam nostratium Imperatorum legant, Germanorumq; laudes, ingenium, bella, triumphos, artium inuentionem, nobilitatem, fidem, constantiam, & ueracitatem edi scant: atq; ut his breuibus ansam præbeamus studioſę posteritati, quo maiora indies studeant adijcere, & amplioribus rerum incrementis Germanorum laudes cumulare. Verùm à Germanicis laudibus Argentinam, unde tibi: & Selestadium, unde mihi origo est, cęterasq; ciuitates, ex hoc Rheni littore Galliam uersus sitas, nolumus excluſum iri, quoniam eas ab Octauiani ętate, Suetonio teste, Germani inhabitarunt: unde & Germaniæ nomen meruere. Et Plinius & Cornel. Tacitus, Ammianus Marcellinus, Franciscus Petrarcha, Blondus, Lupoldus, Hermannus, & Aeneas Syluius, inter Germaniæ fines illas dinumerant. Ecclesia quoq; Romana, inter Germaniæ metropoles Maguntinam, Treuerensem, & Agrippinam collocauit. Quumq; summus pontifex legatos à latere, ad Germaniam mittit, in his patriæ quoq; nostræ ciuitatibus munus legationis suę illi exercent: quod nisi Germaniæ pars essent, quas legati ad Germaniam missi dispensationes, indulgentias ac beneficiorum prouisiones in eis administrant, irritę uiderentur, & inanes: nam & ad Galliam alij à nostris mittuntur legati, qui in nostris ciuitatibus partes suas nequaquam explent. Adde quod ipse Carolus Burgundię dux, Maximiliani regis socer, ad principes electores perscripsit, sese & Germanum esse & dici uelle: cuius tamen terrę in hoc Rheni littore sitę fuerunt, imò ipsarum ciuitatum, & pagorum antiquissima nomina Germanicũ sonant, & minimè Gallicum. Et si uel Caroli Magni, aut filiorum nepotumq; suorum ętate, hic unquam Galli habitauissent, uersatum fuisset, & hîc proculdubio Gallicum idioma. At ubi nam inueniuntur ulla Gallicę linguę uestigia? ubi libri Gallici? ubi monumenta? ubi Epistolę? ubi epitaphia? ubi literę contractuum

tractuum rerum urbanarum & ciuilium aut feudorum? sicut & septingentis & octingentis annis, Latinæ & Germanicæ linguæ apud nos monumenta reperiuntur. Nec mihi persuaderi potest, optimos Sueuię duces, qui cathedralem apud Spiras Ecclesiam, quiq; cœnobium diuæ Fidis in patria mea Selestadio fundarunt & locupletauerunt, magnificas illas impensas, paternāq; substātiam in Galliā traducere, ac inter Gallos profundere uoluisse. Glorietur ergo ille mendicus blattero, qui nostram Germaniam atq; famam discerpit, se & suum patrē à Gallis descendisse. Nos mi charissime Thoma gloriabimur à maioribus nostris Germanis processisse: quorum in hac epitome mirificas & antiquas laudes, inter reliquas honestas lucubratiunculas, quas auidissime reuoluere soles, cum singulari uoluptate lecturum te confido, operamq; daturum, ut non solùm propediem calcographia disseminetur, sed etiam doctissimis uiris Baptistæ Mantuano, Philippoq; Beroaldo Bononiensi præceptori tuo in primis transmittatur ad gloriam Germanorum sempiternam. Vale fœlix ex eremitorio diui Guilhermi Argeñ. VIII. Kalendas Octobris, M. D. II.

THOMAS VVOLPHIVS IVNIOR

Iacobo Vuympheling io S.

SOLENT qui doctrina & eruditione pollent, lucubrationes suas summis terrarum principibus inscribere, ut quæ effecerunt fiant uenerabiliora. Sic Iulius Pollux ad Commodum Cæsarem de Grammatica scripsit. Sic Vitruuius ad Augustum de architectura. Sic Oppianus ad Antoniū de piscibus. Tu uerò, ut es omnis gloriæ & ampullosi fastus contemptor, epitomas Germanicas, opus mehercule & graue & eruditum sub nomine Thomæ, qui cum ærumnarum uarietate quotidie luctatur, publicare uoluisti: haud absimile quiddam à Platone agens, qui Phedoni Elidensi ex cohorte illa Socratica, quanquam is seruus fuit, eius tamen nomini illum librum diuinum, De immortalitate animæ dedit. Dicam quæ sentio, nullo unquā munere fui magis delectatus. Placeant alijs aurea, argenteaq; pocula, placeant uasa gemmata & thericlea, placeant structuræ magnificæ, atq; his se oblectent: nos monumenta literaria laudamus, extollimus, admiramur, & hanc præcipue historiam quam multo labore & uigilia in Germanorum decus excudisti: nihil ea tersius, nihil accuratius scriptum. Perinde ex fide hîc omnia narrantur, ac si fides ipsa dictasset. Quum iam defeceris mi doctissime Iacobe, exhibebunt te Epitomæ nostræ tanquam manu tuis posteris, ducentq; per ætates atq; urbes, ut te uideant qui nondum nati sunt, te audiant, te laudibus prosequantur: facient, mihi crede, ut semper sis in manibus, semper in ore uerseris hominum, & eorum maxime qui doctiores sunt & studia politiora amplectuntur. Non deerunt fortasse qui parum id operis probabunt: nec te propterea laboris pœniteat. Noui quosdam in hoc orbe, pene dixissem in hac urbe, qui tametsi initiati sunt, & in classe Ecclesiastica antesignani habentur, magis tamen ludo tesserario, aut chartulis lusorijs delectantur, quàm Hieronymi aut Cypriani scriptis. Sunt qui dum in æde sacra horarias preces psallunt, intus & in cute torquētur, quid uernula domi agat, & an piperatum egregiè conditum sit, an bene salitum assabulum, an lucanicę crassę sint, & delicatę, an scitè pisces fricti. Et hi nihilominus quando nec generoso sanguine nec morib. nec doctrina sunt spectabiles: ubi literatū proceres conueniūt, quod cum summo dolore refero, primi accumbere uolūt, & subsellijs honoratioríb. sedere, quasi locus ille eminentior splendorem ipsis afferat quum ediuerso locum homo, non locus hominem exornet, quod & Damonidas apud Cheronensem Plutarchū nō ignorauit, & canonica decreta testantur;

Volui

Volui hæc obiter dicere, ne illi qui fortuna duce, quę ſemper cæca eſt, uel officio uel dignitate prædíti ſunt, plus nimio ſibi blandiãtur & arrogent. Impuriſſimis uiris, quod nemo ignorat, ſæpe honores committuntur. Inde Græcanicum illud ac elegans adagium, Aſinus myſteria uel ſacra portat. Vale mi doctiſsime Iacobe, & ſucciſiuis temporibus conde ac compone, quę mox in tempore ſis deprõpturus: ut ſic agas negocium poſterorum teq; uixiſſe teſteris. Vale iterũ Argẽtinæ curſim ex ædibus noſtris, Anno Chriſti M.D.IIII. pridie kalendas Ianuarij.

GERMANORVM QVINQVE ESSE GENERA, CAPVT PRIMVM.

GERMANI quinq; conſtant generibus. Vindelico, quorum pars Burgundiones, quibus profecti hi qui Gallias obtinent: ſeu apud Eduos & Ararin fluuium ſedes habent, qui Germanorum coloni in ritus moresq; Gallicos deformati ſunt. Alterum genus Ingeuones, quorum pars Cimbri, Theutoni, ac Chaucorum gentes. Tertium, Iſteuones Rheno proximi, quorum pars Cimbri mediterranei: deinde Hermiones, quorum Sueui Hermunduri, Chatti, Cheruſci. Quintum genus, Peucini, dicti Baſtarnæ confines Dacis.

Cimbri Germanorum uetuſtiſsimi uicere Græcos, Boios, Illyricum, Romanos conſules & legatos plurimos, atq; Hiſpanos, Caput II.

EX his fama uetuſtiores Cimbri, ſiue illi Theutoni, ſiue mediterranei fuerint, Homeri celeberrimi poëtarum ætate, uel paulo ſupra eius ætatem, militiam agitauere uſque ad Mæotida paludem, ſuæq; expeditionis monimenta; Cimmerium Boſphoron reliquere: nam Græci Cimbros κιμμερίους uocant: audacterq; tratecto Boſphoro ad Ioniam uſque terram decurſarunt, Sardibus captis, & Magnetum gente à Treribus funditùs deleta, quæ gens Cimmerica diu ſecundis rebus uſa eſt. Cimbrorum clima ipſe poëta inſinuans, quod tenebroſum eſſet, ſic memorat. Aëre & nebula cooperti ſunt, Illis ſol nunquam Phaëton ſua lumina ſpargit, Pernicioſa ſuper nox ſemper tenditur iſtis. Habitant autem in Germaniæ ora Cimbricum Cherſonneſum ab eis appellatum, inter Albis & Chaluſi fluminum oſtia, inter Germanicum Sarmaticumq; Oceanum. Hi ſunt qui ad Ponti dexterã, mediterraneã regionẽ habitantes uſq; in Ioniam excurrebant: Hos Scythæ ex his ſedibus pepulerunt, Scythas aũt Græci, qui Panticapeum, & alias in Boſphoro urbes habitãt. De his noſtris populis, multa apud Strabonem reliquosq; Græcos hiſtoricos, apud Plutarchum Ariſtotelemq; philoſophos legimus. Vtinã tantũ animi noſtris Germanis principibus hodie ineſſet, ut quas Cimbri olim ob bellicam ſolùm gloriam ſubegerunt, hi pro Chriſti fide & charitate eas ſedes ex Turcarum manibus eriperẽt, quorũ hodie ſeruituti Ionia, Pontus, Græciaq; omnis, non abſq; magna omnium Chriſtianorum regum ignominia miſerabiliter & fœdiſſime ſubiecta eſt. Hæc cõmemorare libuit uti noſceres, quanta noſtrates gloria floruerint ante urbem Romam conditam, Syluijs Albæ regnantibus, anno centeſimo ſexageſimoq;. Hac enim ætate Homerum Heſiodumq; poëtas inuenimus claruiſſe. Romanis autem rebus florentiſsimis, poſt Punica bella omnia, interq; ſociale bellum, quod fuit anno urbis conditæ ſexingenteſimo ſexageſimo ſecundo, Boios Gallorum populos, qui Hercyniam ſyluam inhabitarunt, Cimbri agmine facto inuaſere, à quibus electi Iſtros & Scordiſcos Gallicas gentes petiere. Tum Theuriſcas & Thauriſcos, & hos quoq;

hos quoq; nationis Gallicæ, deinde Heluetios adierunt, uiros tum plurimo locupletes auro, cæterùm in pace uitam agitantes: quumq; conflatas hi bellicis artibus opes longè suis ampliores esse uiderent, Heluetios secum sollicitasse, præcipue Tigurinos, & Teygenos, quos uniuersos deleuere Romani, non tamen impunè. Prius enim Cimbri gens uaga, populabundi in Illyricum, hodie Sclauoniam, uenerunt: ab his Papyrius Carbo consul cum exercitu fusus est. Deinde M. Iunius Syllanus, etiam consul aduersum Cimbros infœliciter pugnauit. Post id bellum Cimbri per legatos à senatu populoq; Romano sedem & agros postulauerunt, quorum petitione spreta, Cimbri cum Tigurinis, quos ex Heluetijs secum in militiam sollicitasse retulimus, in Galliam migrauere in fines Allobrogum, ibiq; cum L. Cassio consule manus conserunt, eumq; cum exercitu trucidant. Milites qui ex clade supererant, datis obsidibus, & rerum omnium dimidia parte, ut incolumes dimitterentur, cũ Cimbris pacti sunt. M. Aurelius Scaurus consulis legatus, à Cimbris fuso exercitu captus, & in consilium ab his euocatus, quum deterreret eos, ne Alpes Italiam petituri transirent, eo quòd diceret Romanos uinci non posse, à Bolo Cimbrorum rege occisus est. Tum ab ijsdem hostibus C. Manlius, & Q. Seruilius Cepio, qui proconsulatum in Gallijs agebant, uicti prælio, binisq; castris exuti sunt: octoginta milia militum occisa, calonum ac lixarum (hi sunt militum ministri) quadraginta milia. Cimbri post eam uictoriam omnibus agris uicisq; iuxta Rhodanũ ac Pyreneũ uastatis, in Hispaniã transgressi sunt, ibiq; multa loca populati, à Celtiberis fugati, reuertẽtes in Galliam bellicosissimis Theutonis se coniunxerunt. Atq; C. Marij, qui iam lugurtham deuicerat, summa ui castra à Theutonis Ambronibusq; oppugnata sunt. Marius enim secundò & tertiò absens consul creatus, quartò consulatu contra Cimbros missus post defensa castra, duobus prælijs circa aquas Sextias Theutonis Ambronibusq; deletis, Marius absens quintùm consul creatus triumphum oblatum distulit, donec Cimbros uinceret. tantũ roboris in Germanis fuit. Cimbri repulso ab Alpibus fugatoq; Q. Catulo proconsule, qui fauces Alpium obsederat, & ad flumẽ Atesim castellum editum insederat reliqueratq;, uirtute sua explicata fugientem proconsulem, exercitumq; prosequuti in Italiam traiecerunt: uerùm iunctis eiusdem Q. Catuli, & C. Marij exercitibus, prælio uicti sunt, in quo cæsa traduntur Cimbrorum centum quadraginta millia, capta LX. Hæc sunt quæ Germani ad ea usque tempora gessêre.

De Ariouisto primo Germanorum rege, qui contra Iulium Cæsarem pugnauit. Cap. III.

POstea Ariouistus Germanorum rex primus propter bellicas uirtutes amicus Pop. Rom. à senatu salutatus est, C. Iulio Cæsare consule, oeinde prouinciam Galliam administrante, quum Heluetijs bellum inferret, Ariouistus cum Cęsare manus conseruit, uictusq; in Germaniam redijt. Crebra deinde bella cum Sueuis, Cæsare trans Rhenum agente, nihil tamen memoria dignum actum inuenio, quàm quod ponte Galliam Germaniamq; coniunxit. Germani equites ex nobilioribus, Cæsaris uirtute, uiriq; integritate moti ei se coniunxerunt, quorũ opera reliquis in bellis sæpe usus, eorum etiam fortitudinẽ in Pharsalo contra Pompeium expertus est: præcipuo enim eorum auxilio Pompeianum Romanumq; militem superauit. In Philippicis etiam cãpis certatum est inter exercitum Cæsaris & Pompeij æquo marte. Quum autem iussu Pompeij fusus à cornu erupisset equitatus: repente hinc signo dato, Germanorum cohortes tantum in effusos equites fecere impetum, ut illi esse pedites, hi uenire in equis uiderentur. Et ipse Cæsar in comentarijs suis, de Germanis, quod ad bella imperterriti fuerint, dum cum eis bellum gerere constituisset, hanc eorum ad se

fuisse

fuisse orationem scribit: Germanos neq; priores populo Romano bellum inferre, neq; tamen recusare, si lacessantur, quin armis contendant: quòd Germanorũ consuetudo hæc sit à maioribus tradita, quicunque bellum inferant resistere, neq; deprecari: hæc tamen dicere ueniisse inuitos eiectos domo: si suam gratiam Romani uelint, posse his esse utiles amicos, uel sibi agros attribuant, uel patiantur eos tenere quos armis possederint: sese unis Sueuis concedere, quibus ne dij quidem immortales pares esse possint, reliquum quidem in terris esse neminem quem non superare possint. 4. Com. in principio.

Germani Cæsaris custodes eliguntur, Quintilium Varum, Drusumq; Germanicum superant, Caput IIII.

OB singularem quoq; peculiaremq; Germanorum fidem & integritatem, D. Cæsar corporis sui custodes Germanos delegit, qui & Octauij Cæsaris simili curæ præfecti, usq; ad Variana cladem permansere. Quintilius enim Varus, cuius Horatius meminit, cum tribus legionibus, à Cheruscis obtrũcatus est. Salas fluuius Germaniæ est, inter quem & Rhenum Drusus Germanicus quum bellum gereret, uictor oppetijt: tam arduum est nostrates uincere: id quoq; bellum ante Quintilij Vari cædem gestum est. Vnde & cum Cornelio Tacito concludamus, sexcentesimum & quadragesimum, inquit, urbs nostra agebat annum, quum primùm Cimbrorum audita sunt arma, Cæcilio Metello, ac Papirio Carbone consulibus: ex quo si ad alterum Imperatoris Traiani consulatum computemus, ducenti fermè & decem anni colliguntur: tamdiu Germania uincitur: medio tam longi æui spatio multa inuincem damna non Samnis, non Pœni, nõ Hispaniæ Galliæ ue, ne Parthi quidem sæpius admouere: & subdit, Nec impune, C. Marius in Italia, diuus Iulius in Gallia, Drusus ac Nero Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. Mox ingentes C. Cæsaris minæ in ludibrium uersæ. Inde otium, donec occasione discordiæ nostræ & ciuilium armorum expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias affectauere: ac rursus pulsi inde proximis temporibus, triumphati magis quàm uicti sunt. Quæ laus maior dici potest, quàm quod homo Romanus, linguaq; Romana de Germanis triumphos actos esse, uerè autem nunquam uictos fuisse asseuerat? nisi quantum beneuolentia, ac benignitate in fidem Romanæ nobilitatis adducti sunt.

Germani externos etiam reges pepulere, Caput V.

REges etiam externarum gentium Germani non timuerunt. Quũ enim Magnus Alexander domuisset Triballos, Bœotiam, Thraciam, Spartanos, Thessalos, Achaiam, Peloponnesum, Ioniam, Lydiam, Lyciam, Liciã, Cappadociam, Cariam, Paflagoniã, maiorem & minorem Armeniã, Syriam, Aegyptios, Persas, Thauros, Hircanos, Medos, Sagas, Indos: deterritus tamen est aspectu & fama Germanorum, ad Danubiũq; ripam substitit: & qui omnem Orientem fœliciter calcauerat, eius uim una Germania repressit, impetum compescuit, audaciam retardauit. Darius & Cyrus potentissimi Asiæ reges, traiecto Danubio, Germanos non ausi sunt attingere. Lisymachus rex maximus, quum ingenti coacto exercitu Danubium traiecisset, à Romechæte rege, non modo uictus, sed etiam captus est. Tanta fuit Germanorum uictoria, tantæ eorum clades, qui Germaniam armis petierunt, ut natum sit inter finitimos prouerbium: Male qui uelit pugnare, cum Germanis pugnet. Quum'que Germani omnium uictores inuictissimi haberentur, ueteres Romani Imperatores illud certatim enixissimeq; contenderunt, ut sicut Scipio ab Africa Africanus, & alter ab Asia Asiaticus: ita ipsi propter splendorem prouinciæ Germani cognominarentur. Tyberius etiam Cæsar filium sibi natum, cupiditate eximiæ gloriæ Germa- *Prouerbiũ.*

nicum appellauit. Domitianus ac Nerua Cæsares titulis cæteris, quos senatus detulerat, repudiatis, solùm Germanicum recepere, in quo uno plus ornamenti esse, quàm in cæteris prouinciis positum arbitrabantur.

De armatura fœminarum & puerorum Germanorum ab ipsa natura, Caput V L.

MEmoriæ proditum est, fœminas quoq; Germanas sumptis aliquando pro patria armis, ex integro uirorum pugnas instauraſſe, & ad studia bellica prolem suam à primis incunabilis auspicatas esse, ueluti armis initiati & addicti, Martem singulare & præcipuum belli numen coluere. Enimuero peritis astrorum constat uim atq; influxum Martis, hoc est, appetitum quendam armorum, ardoremq; bellandi Germanis ineſſe, ut non solùm artibus ad arma sint idonei, sed natura ipsa ad rem militarem disciplinamq; bellicam geniti esse uideantur. Eam ob rem Germanos à natura bellicosos Dionysius uocat. Inde etiam corpora eximia ac procera: uultus etiam, quamuis pace lætos, tamen bello terribiles, & oculos in pugna minaciores atq; incensos, & uocem ad terrorem pleniſſime incutiendum naturam dediſſe uidemus. Huius non ignarus ætate noſtra Bap. Mant. poëtarum facilè princeps ad Robertum Seuerinatem Veneti exercitus ducem, à Germanis uictum atq; fugatum, inquit:

Sed neq; te imbelles Indi molleſue Sabæi,
Pygmæiue breues rapiunt, uerùm accola Rheni
Gens durata gelu, genus inſuperabile ferro,
Quod totiens Romam tum cùm ditione præmebat
Europæ, Lybiæq; urbes Aſiamq; minorem
Terruit: hi ſuperant Parthos, Thracumq; furores,
Quos Martem genuiſſe ferunt, hi ſpicula torquent,
Penthesylæa non inferiora ſecuri.

Germani Romanos Imperatores multos uicere, Caput V I I I.

OCtauij Auguſti fortiſsimæ quondam legiones contra Germanos miſſæ apud Cheruſcos a Germanis concorditer arma capientibus, ad internitionem ſunt deletæ, & quæ reliquum orbem uſq; ad ſolis ortũ perdomuerunt, uni Germanorũ exercitui pares eſſe non potuerunt. Ipſeq; Octauianus omnes graues ignominias, cladesq; non alibi quã in Germania accepit, ſed præcipue Varianam penè exitiabilem, tribus legionibus cum duce, legatisq;, & auxilijs omnibus cæſis. Hac nunciata, Auguſtum adeò conſternatum ferunt, ut per continuos menſes, barba capilloq; ſubmiſſo, caput interdum foribus illideret, uociferans, Quinti Vare, legiones redde, diemq; cladis quotannis mœſtum habuerit. Lugubrem hanc Romanorum cladem, & inſignem Germanorum uictoriam apud Auguſtam Vindelicam contigiſſe opinatum eſt, eumq; locum Perleig, appellatum, eo quòd illic peſierint legiones, commemorat Ottho noſter Phriſin, genſis Tiberius Auguſti ſucceſſor armis Vindelicos aggreſſus, Germanis inſurgentibus, breui è Germania diſcedere coactus eſt. Veſpaſianus ſummus poſtea Imperator, à Claudio Cæſare contra Germanos miſſus triginta & duabus pugnis uincere Germaniã nequiuit. Antonius Aurelius, & Alexãder Cęſares, poſtulauere à Germanis auxilium coactiq; ſunt præſidia, & copias omnes ex oppidis concordis Germaniæ deducere, & nationem Germanicam ęquis conditionibus in amicitiam ſocietatemq; recipere. Traianus ſuſcepto apud Coloniam Agrippinam imperio, non ui aut armis Germaniam coëgit, ſed manſuetudine, liberalitate, & iuſtitia inaudita incredibilique eam mitigauit. Hæ res igitur laudi Germanię fuere, uſq; ad ſalutis noſtrę initia. Tu aũt, ut religioni Chriſti addictũ theologumq;

Errant qui id aſtruunt. Nam hæc clades non accidit in Rhetia aut in Vindelicis, ſed in ſaltu Teutoburgenſi, in Germania, autore Tacito.

theologumq; decet, quid fidei, quid moribus humanis, artibus denique ac disciplinis humano contulerimus generi, à me iam explicari postulas. Fateor me tantis imparem rebus, sed quantum lectione percepi, memoriaq; suggeret, ad te perscribam. Tacebo autem quo pacto Rhetij, Noricíq;, Valeriano Imperatore salutato, per Transalpinã Galliã, Lombardiam uulgo dicunt, discursarunt flammis populabundi omnia uastantes, Rauennam usq; aut quas denicq; expeditiones cum Gothis, Vandalis, Hunnisq; gessere, inter quos Sueui, Herulíq; militarunt, & ex Germanis Alani: sunt enim alij Pontica natio, ex quibus Gothialani dicuntur Tatraconensem Hispaniam incolentes, quos uulgo Cathelanos dicimus. Fuere & Germani Longobardi, ut nomen sonat, licet ex diuersis Germanis gens collectitia, quæque ex fortuna duces sortiretur, auspicijs Narsetis militantes. Totila Theiateque Gothorum regibus oppressis, nomen Gothorum regnumque ex Italia pepulere. Vtinam uerborum barbariem ut regnum sustulissent.

DE ANTIQVITATE BAIOARIORVM.

De Carolo Magno primo Germanorum Imperatore post Græcos, & de inhumano facinore Gallorum Modernorum, Caput IX.

QVid de Pippinis, Carolis dicam, qui Germanorum ductores, Langobardorum potentiam, quæ collectitia, ut diximus, gens, toti Italiæ dominata est, comprimentes Desiderio & Aistulpho eorum regibus domitis uictisq;, ac in Germania custodiæ traditis, Rom. pontificibus sæpius rebelles, tandem sub iugum misêre, ducentesimum quartumq; post annum, quo in Italiã uenerant: Anno autem Christi D. CCLXXVI. Carolus enim Magnus, cui Francoma natale solum fuit, Platina teste in Hadriano primo, Romam petijt expectatus ab Hadriano cum clero suo in gradibus sancti Petri, pedes pontificis exosculatur, omnes Basilicas piè & religiosè inuisit, ac muneribus quibusdam ornauit: quæ dono pater Pippinus Gregorio tertio dederat, eadẽ ipse amplioribus priuilegijs confirmauit, Desiderium Ecclesiæ Romanæ persequutorem in exilium misit, Cassinum religionis causa diuertens, omnia monasterij dona ab alijs principibus diuo Benedicto data confirmauit. Mox deinde Carolus nulla interposita mora, in Saxones idololatras, qui ob eius in Italiam discessum rebellauerant, mouet, atq; eos post quam à primo in eos bello triginta cum hac gente annos bellauerat, uictos iugum Christi subire coëgit. Id eò spectat, ut Carolum Germanum esse intelligas, nam Transrhenanus est: ideoq; magnifice res per eum gestæ, nequaquam Francis modernis, sed Francis Germanis sunt assignandæ, à quibus hi Galli, qui Francorum regni titulo designantur, olim desciuere, uti & hodierna die cum Maximiliano Christianissimo Romanorum rege contra ius gentium humanam societatem integritatemq; defecerunt. Nam Maximilianus ex ea Domo ac familia genitus est, de qua Caroli Magni stirps propagata fuit. Carolus is est, qui Leonem tertium à populo Romano fraude Pascalis Primicerij & Campuli presbyteri captum & cæsum, in Germaniamq; usq; ad Saxones (contra quos tum bellum Carolus gerebat) profectum egregio comitatu, Romam remisit. Mox deinde Carolus non diu moratus, per Magontiacos in Belgis positos, Noricumq; montem in Forum Iulij descendens, Romã expectatus proficiscitur. Vrbem ingredienti, omnia certe, & meritò quidem, honoris genera adhibita sunt. Octauo autem die postea, quàm urbẽ ingressus fuerat, in Basilica Petri astante populo & clero, episcoporum omnium qui eò ex to-

ta Italia & Francia conuenerant, sententias de uita & moribus pontificis rogatæ uerum ab omnibus una uoce responsum est, sedem Apostolicam omnium Ecclesiarum caput à nemine, laico præsertim, iudicari debere: omissa autem ob tã graue responsum à Carolo quæstione, Leo pontifex qui id iudicium maxime expetebat, suggestum conscendens, ac Euangelia in manibus retinens, iureiurãrando affirmauit se omnium rerum quæ sibi obijcerentur insontem esse. Fuit is dies idibus Decembris, Salutis anno octingentesimo. Dum autem hæc Romæ agerentur, Pippinus mandato patris. Beneuentanos duce Grimoaldo, finitimos suos uexantes aggressus, magnis cladibus ita perdomuit, ut ægre se mœnibus tuerentur, cui bello Vinigisinum Spoletinum ducem præficiens, ad patrem reuertitur, imperij coronam breui sumpturum. Nam pontifex Carolo optime de Ecclesia Dei merito, aliquam gratiam relaturus, quũ uideret Imperatores Constãtinopolitanos ægrè id nomẽ tueri, ac ob eam rem urbem & Italiam ipsam magnas calamitates passam, in Basilica Petri, post solennia sacra populi Romani scito & precibus, ipsum Carolum magna uoce Imperatorem decernit, ac diademate donat, ter acclamante populo Romano, CAROLO AVGVSTO A DEO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI VITA ET VICTORIA. Pontifex item hominem inunxit, unà cum Pippino filio, quem Italiæ regem solenni decreto pronunciauit. Quid gloriosius, quid laude dignius Germanis unquam accidere potuit, quàm propter præclaras belli sacerdotijq; defensi uirtutes, supremi regni, & totius orbis monarchiam, summiq; principatus habenas & gubernacula meruisse, ac quoad sæcula stabunt possidere? Id certò constat. propter ignauiam Imperatoris Constantinopolitani à Græcis in Germanos Romanum imperium translatum esse.

Carolus magnus filijs suis regna distribuit, imperijq; fines decernit, Caput X.

CArolus autem iam senio grauis, quum intellexisset Pippinum: quem, ut diximus, Italiæ regem præfecerat. Mediolani mortuum esse Ludouicum filium minorem natu, Aquitanię regem & imperij successorem: Bernardum uerò nepotem, Italiæ regem declarat, eiq; mandat, ut Ludouico rebus in omnibus obtemperet. Fines Imperij hos esse uoluit, in Gallia: Rhenum ac Ligerim qui in Celtis oriens, eos à Biturigibus diuidit, in Germanis uerò, Danubium & Sauũ fluuios. His autem prouincijs, Aquitaniam, Gasconiam magnam partẽ Hispanię, Cisalpinam Galliam, Saxoniam, utramq; Pannoniam, Istriam, Liburnos addidit. Maritima uerò Dalmatię imperio Constantinopolitano subiecta erãt, quę nunc pro magna parte Turcis seruiunt: in dedecus principum Christianorũ, qui dum pro sua libidine decertant, magnam Europæ partem Mahumetanæ perfidię subiectam esse permittunt. Rebus autem ita compositis, dũ Aquisgrani esset ualetudinis causa, propter aquas calidas quæ ibi scaturiunt, febre ac dolore latera tum moritur, ætatis suæ anno LXXII. quinto Kalendas Februarij, Salutis uerò anno D.CCCXV. Eius autem corpus nullo non genere honoris adhibito, in templo beatæ uirginis, quod ipse magnis sumptibus Aquisgrani extruxerat, sepelitur, hoc addito epigrammate, MAGNI CAROLI regis Christianissimi, Romanorum Imperatoris corpus hoc sepulchro conditum iacet. Fuit autem Carolus (si eius res gestas tum domi tum foris inspicis) tantę amplitudinis & integritatis Imperator, ut postea neminem superiorem, nedum parem habuerit. Adeò autem quum ei per ocium liceret, studijs literarum delectatus est, ut primus, suadente tamen Albino, gymnasiũ Parisiense instituerit. Non dubito à te & abbate Spãheimensi Catalogo Germanorum, de quo mihi scripsisti, consignatum esse Bonifacium archiepiscopum Maguntinum, qui Germanos ad Christi fidem conuertit,

uertit. Necp̃ præterea Rhabanum illustrissimum theologum atcp̃ poëtam, Strabumcp̃, & Haymonem, uiros in studio sacratissimarum literarum præstantes:

De Ludouico Pio, Caput XI.

LVdouicus Pius imperator ubi intellexit Stephanum quartum, Romanum pontificem in Gallias proficiscentem ad sese in Aurelianis aduentare, statim honoratissimum ei quemcp̃ obuiam misit. Ipse uerò ad primum lapidē proditēs cùm hominem uidisset, ex equo descendit, atcp̃ eum (data acceptacp̃ salute) cum maxima ueneratione in urbem introducit, sustentatcp̃ pontificem imperator, propter impetum multitudinis studio uidendi concurrentis, crucem magni ponderis magnæcp̃ æstimationis sua impēsa beato Petro dicauit, dedisse dicitur Paschali liberam eligendorum Episcoporum potestatem, quæ antea ex imperatorum uoluntate pendebat. Ludouicus enim natura clemens & humanissimus fuit, Ecclesiæ iura & dignitatem semper tutatus est. Instituit etiam ne Christi serui ulli seruituti humanæ subiecti essent, & ut unaquęcp̃ Ecclesia suos prouētus haberet, unde sacerdotes uiuerent, ne ob inopiam rerum, cultum diuinum desererent, nēue ob necessitates quęstui sese dederēt. Idem præterea Ludouicus octingentesimo ac trigesimo nostræ redemptionis anno, synodum multorum Episcoporum habuit, in qua uanitates uestium, luxuscp̃ gemmarum, auricp̃ & argenti nimia pompa Ecclesiasticis interdictæ sunt. Vtinam nostris temporibus Ludouicæ uiueres. Sunt qui scribant rogatu Ludouici Gregorium sanctorum omnium celebritatem Kalendis Nouembris instituisse. Ludouicus Bernardum fratrem, Italiæ regem, qui ab imperio defecerat capitali supplicio affecit: Episcopos uero huius factionis autores, qui Bernardum instigauerant, in monasteria relegauit. Filium suum primogenitum Lotharium, imperij socium sibi delegit in conuentu apud Aquisgranum habito. Missitcp̃ ad pontificem Paschalem, à quo in Basilica Petri inungitur & Augustus appellatur. Moritur autem Ludouicus imperij sui anno XXXVI, Sepelituricp̃ Metis in Basilica beati Arnolphi.

De Lothario primo, Caput XII.

INter filios Ludouici exortum est odium, propter imperij diuisionem. Cumcp̃ Ludouicus & Carolus contra Lotharium fratrem suum acerrimè dimicarent, misit Sergius Papa secundus Georgium archiepiscopum Rauennatem, componendæ rei causa. Fratres totius regni calamitatē miserati, fœdera in hunc modum ineunt, ut pars illa occidentalis regni, quæ à Britannico Oceano uscp̃ ad Mosam flumen pertinet, Carolo obtemperaret, in eacp̃ etiam Francorū nomen maneret, utcp̃ Ludouico Germania contingeret, uscp̃ ad Rheni fluenta, & trans Rhenum quicquid genitor possedisset. Lotharius autem cum imperij titulo, urbem Romam obtineret cum Italia, & ea parte Galliæ, quæ olim Narbonensis, nunc Romana prouincia uocatur. Huic autem addidere eam quocp̃ partē, quæ inter Scaldim & Rhodanum fluuios Lothoringiæ à Lothario nomen accepit. Leo 4. pontifex accusatus de transferendo imperio ad Constantinopolitanos consilium inijsse, Lothario se purgans satisfecit, qui ob id delatione quorundam impulsus, Romam uenerat. Dicunt nonnulli Lotharium iā grandem natu sumpto monachorum habitu, filium Ludouicum imperatorem reliquisse. Vixit his temporibus Nodegerus Germanus primum abbas sancti Galli, deinde episcopus Leodiensis, in sacris & gentilibus literis eruditissimus. Quicp̃ Ecclesiasticas profas compositi, quę in Germania ante Euangelium in sacrificio Missę legunturieas enim ut legi in re diuina posuit. Nicolaus Papa primus approbauit. *Nodegerus.* *Nicolaus.*

De Ludouico secundo, Caput XIII.

Sergius 2. LVdouicus secundus, Lotharij primi filius, quem regni socium pater asciuerat, & in Italiam cum ingenti exercitu miserat, cum urbi appropinquasset, ei obuiam honoris causa Romani ciues prodierunt. Sergius secundus pontifex, mutuo osculo, mutuaq; salute data & accepta, eum regem oleo sacro inungit, corona donat, Italiæ regem decernit. Approbauit Ludouicus imperator, Nicolaus 1. edictum quo Nicolaus primus instituit, ne princeps ullus secularis aut impe- Hadrianus 2 rator, conciliis clericorum interesse auderet, nisi de fide ageretur. Cum'que Nicolao mortuo Romani Hadrianum secundum uirum sanctum elegissent, misit Ludouicus imperator literas, quibus Romanos admodum laudabat, quòd summum pontificem sanctè & integrè creassent, non expectato aliorum uoto, qui fortè ea in re ob ignorationem personarum minus iudicij habuissent. Qui enim fieri posse dicebat, ut peregrinus & hospes dignoscere posset in aliena Republica, quis potissimum cæteris præferendus sit. Sententia imperatore digna.

De Carolo tertio, Caput XIIII.

MOrtuo Ludouico, Carolum eius filium Ioannes octauus, quò ei liberius in urbe uiuere liceret, imperij corona donauit, tertiusq; Carolus appellatus est. Qui postea in Normannos exercitum mouens, Franciam & Lotharingiam uastantes, ita eos perdomuit, ut Rothifredus eorum rex, pacem petere & fidem Christi suscipere coactus sit, quem imperator Carolus in gratiam recipiens, baptismatis fonte leuauit, & filiam in uxorem dedit. Hic Carolus multa monasteria condidit, ac rem diuinam auxit: sed hæc eius præcipua laus, quod multos ad scribendum impulit. Nam & ad suam instigationem Milo beati Amandi Milo. monachus, eiusdem sancti uitam accommodatè scripsit, & Ioannes Scotus quæ Ioannes Scotus dam nostræ religionis acutissimè disputata grauissime composuit.

De Arnolpho septimo & Carolo Magno imperatore, Caput XV.

ARnolphus septimus à Carolo magno imperator, primo quidem strenuè sumptis armis Normannos rebelles perdomuit, uerùm mox in Ecclesiasticos sæuiens, Dei nutu pediculari morbo, quem Græci φθειρίασιν uocant, breui consumptus est, relicto Ludouico filio successore. Non inuenimus quempiam filios filiorum suorum uidisse, aut fœliciter tandem mortuum, qui clerum, qui Ecclesiam, qui Dei ministros persecutus, damno uel contumelijs eos affecisset.

De Ludouico tertio Arnolphi filio, Caput XVI.

LVdouicus in imperio suffectus, nusquam legitur coronam accepisse, tamen cum Berengario Foro iulianorum duce, qui à Longobardorum regibus originem ducens, auitum paternumq; regnum repetebat, armis decertauit, & Berengarium uicit atq; superauit: mox apud Veronam renouato prælio, Ludouicus magna suorum clade superatur, ac oculis genitalibusq; priuatur, sicut Germanorum annales referũt, ne successorem sibi generare posset. Qua uictoria, regnum Italicum iterum ad Longobardos peruenit, annos ferè post centum à Caroli, morte, à quo tempore ignaui principes apud Germanos, Italos, Francosq; occidentales fuere, pariter & in Petri sede.

De Henrico primo, Caput XVII.

HEnricus Germaniæ rex, ab hac ignauia liber & immunis, Hungaros qui Alemaniam Saxoniamq; populabantur, apud Meresburgam ingenti clade superauit. Eodem ferè tempore Rudolphus Burgundionum rex, Berengarium

rium secundum ex Italia in Hũgariam pepulit. Quo mortuo Berengarius tertius Berengarij primi ex filijs nepos, Italico regno potitur, Anno D. CCC.XXXV.

De Othone primo, Caput XVIII.

His ignauis principibus, successit Otho Germaniæ rex, ex nobilissima Saxonum domo, qui Venceslai Bohemorum regis mortem ultus est, eo maxime tempore, quo Romanę sedi Stephanus octauus pontifex prę fuit, qui & ipse Germanus erat. Quumq; Berengarius Henrico Bauarorum duce fugato, Italiã potitus imperatoris sibi nomen usurparet, filiumq; Adelbertum Italię regem dixisset, coniecta in carcerem Adalhaida Lotharij fratris filia, ne Papiam urbem dotalem repeteret. Agapitus pontifex, Italiæq; proceres ob tantam Berengarij superbiam, omnia sibi contra ius phasq; uendicantis, Othonem Germanum regem in Italiam uocant: qui quidem per Forum Iulij, cum quinquaginta millibus hominum prouinciam ingressus, deturbatis statim è regno Berengario Adelberto, Adelhaidam Lotharij filiam è carcere ductam, in uxorem accepit: ex qua postea filium suscepit, cui Othoni secundo nomen fuit. Otho tamen Italia discedens hac modestia usus est, ut Berengario & Adelberto gubernandæ prouinciæ arbitrium permiserit, compositis inter pontificem & Berengarium rebus. Idem Otho Ludouicum Francię regem magnis eò propere deductis copijs iuuit, quẽ proceres prouinciæ, adiuuante Hugone Parisiorum comite, ipsius Othonis sorore propè è regno depulerant. Otho enim tum magno in precio erat domito Boheslao Bohemiæ rege superatisq; tribus grauissimis prælijs Hungaris Germaniam uastantibus, ac captis tribus eorum regulis quos Germani, contradicẽte imperatore, uitã laqueo finire coẽgerũt. Interim mortuo Romę Agapito, Octauianus pontificatum occupat, assumpto sibi Ioannis duodecimi nomine, homo sanè ab adolescentia omnibus probris ac turpitudine contaminatus, uenationibus magis, si quid temporis à libidinibus supererat, deditus quàm orationi. Hac indignitate moti duo cardinales, Othonem literis obsecrant, ut clerũ populumq; Romanum, è manibus Ioannis duodecimi, simul etiam Berengarij tyrannide uendicare conetur. Hanc ob rem Otho in Italiam mouens, primo quidem Berengarium & Albertum filium in potestatem suam redegit, alterumq; Constantinopolim, alterum in Austriam relegat. Mox urbem ingrediens, ab ipso Ioanne honorificentissime suscipitur, coronaturq;, accepto Germaniæ Pannoniæq; titulo, quod reliqui imperatores deinceps obseruarunt. Otho autem composito aliquantulum statu ciuitatis, cum Ioanne secretò collocutus, hominem primò blandè appellando, à flagitijs deterrẽs, ad uirtutem adhortabatur: uerùm quum nequaquam moueri è sententia uerbis eum cerneret, ad minas conuersus concilium indicit, conuocatis Italiæ Episcopis, quorum iudicio uita sceleratissima hominis dijudicaretur. Is itaq; iudicium bene sentientium reformidans, in Hernicos aufugit, in sylu is'que, more feræ, aliquandiu delituit. Hanc ob rem Otho, persuadente clero, Leonem Romanum ciuem Lateranensis Ecclesiæ scriniarium, pontificem creat. Ioanne autem post discessum imperatoris, à suis amicis reuocato, & paulo post infœliciter mortuo, Romani in eius locum Benedictum subrogant, idq; ab imperatore qui tum Spoleti erat, confirmari contendunt. At imperator iratus Romanos tanquam iniusta postulantes à se repulit; eosq; ferro & flamma omnia circa urbem posita uastans compulit, electo Benedicto, quem secum in Germaniam exulem duxerat, Leonem suscipere, adactos sacramento, nil se earũ rerum immutaturos, quas ipse imperator in re pontificia constituisset. Leo autem statim Romanorum inconstantiam pertesus, eligendi pontificis auctoritatem à clero populoq; Romano ad imperatorem transtulit. Leone uero mortuo Ioannes tertius decimus pontifex Romanorum quoque

seditionibus fatigatur. Accersito enim Iofredo Campaniæ comite, Lateranenses ędes ui irrumpentes, Ioannem capiunt, captumq; primo in Hadriani molem quam sancti Angeli Castellum uocant, perducunt, mox in Campaniam exulatum mittunt. Otho cognita pontificis calamitate, cū Othone filio ingentibusq; copijs Romam perueniens, Consules & præfectum cum Decarchonibus, quales sunt qui regionibus urbis Romanæ præsunt, in uincula coniecit, sciturus cōiurationis capita. Quæstionum autem re cognita consules in Germaniam mittuntur, Decarchones uerò laqueo suspensi, pœnas statim dedere. Petrus autem urbis præfectus, malorum omnium fons & origo, diu cum ignominia per publica urbis loca tractus, ac uirgis cęsus, in Germaniam uinctus mittitur. Misit Otho filium suum cum exercitibus in Italiam, ut Sarracenos ex ea pelleret: nec contentus erat Otho filius, Sarracenos cædere, sed Græcos quoq; qui cum Mauris fœdera inierant, grauissimis prælijs ita perdomuit, ut eos ferè omni Calabria & Apulia eiecerit. Otho deinde egregius adolescens, Nicephorum Constantinopolitanum imperatorem pepulit, & Ioānem filiū in imperio confirmauit, Theophaniamq; sororem in uxorem accepit, quam Ioānes tertiusdecimus unà cum Othone marito apud Lateranensem Basilicam corona imperij ornauit, annuente Othone sene, qui filium consortem imperij fecerat. Otho uerò pater in Germaniam proficiscens senio confectus, optimus princeps, & acerrimus Ecclesiæ Romanæ defensor, Viennæ moritur.

De Othone secundo, Caput XVIX.

Lotharius.

OTho secundus primi Othonis filius, Henricum Bauarorum ducem rerum nouarum cupidum, perdomuit, & in Lotharium mouit, qui Lothoringiam Romani imperij prouinciam occupauerat, Aquisq; granēsemq; agrum popularus fuerat. Otho autem superato Lothario, uastatisq; Suessionum agris, ac incensis Parisiorum suburbijs, dum in patriam copias reducit, apud Auxonam fluuium nonnihil incommodi accepit. Deinde uerò comparato maiori exercitu, in Italiam contra Basilium & Constantinum Græcorum imperatores ueniens (qui iam Calabriam & eam Italiæ partem quæ ad Siciliam uergit occupauerant) dum apud Basentellum pugnaretur, propter desertionem & fugam, quam Romani et Beneuentani cœperant, superatus est; & ascensa scapha captus, beneficio linguę (Latinam enim & Græcam calluerat) Diuiq; Petri patrocinio quem inuocauerat ereptus est. Deinde comparato ingenti exercitu, in desertores Italos animaduertere decreuit: potissimum in Beneuentanos, à quibus initium fugiendi factū fuerat, dum apud Basentellum contra Græcos pugnaretur. Itaq; in Beneuentanos cōuersus, urbem capit & incēdit: translato inde corpore diui Bartholomei, Romæq; in insula Tyberina collocato. Moritur paulo post Otho Romæ, & in uestibulo beati Petri (Paradisum uocant) labro Porphyretico quod adhuc intro

Corpus sancti Bartholomei.

euntibus ad læuam apparet, honorificentissimè sepelitur.

De Othone tertio, Caput XX.

GErmani qui tum in urbe erant, Othonem filium imperatorem eligunt. Cuius authoritate Bruno ex Saxonum genere, Romanus pontifex creatur: Gregorij quinti nomine desumpto. Othone autem in Germaniam abeunte, Crescentius denuo cum summa potestate à Romanis Consul decernitur: qui statim Ioannem quendam natione Græcum pontificem creat, Gregorio reiecto. Qua indignitate motus Otho: magnis copijs in Italiam uenit. Crescentium cum Ioanne in molem Hadriani, quod est castrum sancti Angeli, fugientem obsedit acriter: arcem his in præsidio cum Crescentio erant defendentibus. Tandem sub spe ueniæ deditione facta, dum ex arce ad imperatorem se conferunt: Crescentius à

Gregorius 5. Crescentius. Ioannes XIIII.

tius à multitudine multis uulneribus confoditur, Ioannes pontificatu deijcitur: Gregorio restituto. Gregorius iste cognita imperij imbecilitate, uarietatecp fortunæ, utcp is qui cæteris uirtute præstaret, præesset etiam dignitate, sanctionem retulit haud abnuente Othone de imperatore deligendo: Anno Christi M. I I. quam usque ad nostra tempora seruatam uidemus, uidelicet solis Germanis licere principem eligere, qui Cæsar & Romanorum rex appellatus, tum demum imperator & Augustus haberetur: si eum Rom. pontifex inunxisset: Necp hanc electionis authoritatem electoribus deinceps Rom. pontifex adimere potest. Quis enim dedit populo Romano imperatoris eligendi potestatem, nisi ius & diuinum & naturale.

De defectione stirpis Caroli magni in Gallijs, decp indignatione Gallorum in electorum institutionem, Caput XXI.

QVamuis autem, magnanimo, constanti, & ueraci populo, nationicp, potius quàm pusillanimi, leui & uersi pelli, Ecclesiæ patrocinium imperiumcp Romanum commissum esset: uiuere tamen id iniquo animo Franci occidentales, quos nunc Gallos uocant. Verùm quoniam in Ludouico Lotharij filio, genus Caroli Magni in Gallijs defecerat, regimencp Galliarum ad Hugonem ducem, cognomento Caputium uenerat, repetere imperium destitere. Nec indigne cùm uera Caroli stirps sicut à Germanis ortum & originem habuit, ita in Germania permansit: in tribus quidem nobilissimis illustrissimiscp & potentissimis, Saxoniæ, Bauariæ, Austriæcp domibus. Crebris enim uictorijs, nunc Saxones, nunc Bauaros Carolus Magnus deuicit, quibus ex suis cognatis duces designauit: à Francis autem orientalibus qui Germaniam incolunt, ipse Carolus genus duxit. Omnes'que Franci Transrhenani à Troiana stirpe post Ilium captum, longa serie progenitri. Caroli autem, & huius patris Pippini genus ex Austrasia fuit, sicut Blondo placet, & Robertus Gaguinus asseuerat: qui & apud reges Francorum summo magistratui præpositus extitit, quem sub priscis regibus Magistrum domus appellauere. Beatus Arnolphus Ecclesiæ Metensis X X I X. episcopus, cum ante adeptum pontificatum, huic quoque magistratui præfuisset: ex legitima coniuge duos filios procreauit, & Anghisum & Clodulphum. Anghisi huius nomen ab Anghise patre Aeneæ (qui à Troia in Italiam uenerat) creditur esse deductum. Anchisus genuit Pippinum, quo nemo unquam fuit audacior: ex illo Cerolus nascitur uiris fortissimis conferendus: qui inter maxima bella quæ gessit, ita præcipue Saracenos contriuit, ut uscp in hodiernum diem, gens illa truculenta & perfidia. Francorum arma formidet. Hic itacp genuit Pippinum fortitudine sapientiacp clarissimum. Is Vascones cum principe suo Vasfario perdomuit, miracp facilitate debellauit.

Hugo Capetius
Saxonia
Bauaria
Austria
Blondus
Robertus Gaguinus
Arnolphus Metensis
Anchisus
Pippinus
Vasco

Carolum Magnum & Pippinum & patrem suum fuisse Germanos, Caput XXII.

HVic Pippino, filius fuit Carolus Magnus, quem ut Germanum fuisse luce clarius intelligant, qui Gallum eum arbitrantur, audiant coniugum liberorumcp eius nomina, quę Germanica sint, non solum uoce, sed & significato fuisse. Carolus ex Hildegarde coniuge, quatuor filios, & filias quinq procreauit. Habuit tamen ante legale connubium ex Himeltruda nobili puella, filium nomine Pippinum. Natorum sanè quos ex Hildegarde genuit, ista sunt nomina. Primus Carolus patris ac proaui uocabulo nuncupatus. Secundus item Pippinus. Tertius Ludouicus, qui cum Lothario in infantia mortuo, uno partu est genitus. Mortua autem Hildegarde apud urbem Metensem, in beati Arnolphi oratorio requiescit. Vbi & duę Pippini filię humanę sunt: Rodthaid una, altera Adelheid appellata

Rodtheid

appellata. Cum hæc nomina quíddam apud nos significent, & apud reliquas nationes sint barbara, consequens est non à Gallis parentibus, sed Germanis inuenta, & liberis indita fuisse. Hæc ex annalibus Metensium hausimus, quam ob rem Vrbanus secundus in consilio Claromõtensi Carolum Germanum fuisse, inter orandum commemorauit, quod & M. An. Sabellicus in Venetorum historia narrauit. Taceo quod Carolus in Germania natus, in ea crebram (dum per bella licuit) moram faciens, in Germania quoq; sepultus, Mensibus & uentis Germanica per sese indidit uocabula. Multasq; sacras ædes, multa sanctorum patrum cœnobia, Carolus & filij nepotesq; eius, in Germania, in Ringauia, & Francia Transrhenana siue orientali, & apud Magonum instituerunt, fundarunt, dotauerunt, extant'que hodie arx & ciuitas ab eo in Francia orientali sub episcopatu Herbipolẽsi extructæ, quæ à suo ipsius nomine adhuc Caroli ciuitas, & arx Caroli nuncupantur. Nemo uero credat Gallos ut Francos occidentales, in Germania Transrhenana ditionem & potestatem habuisse, non paterentur id Baioari, Sueui, ac Franci orientales, homines utique magnanimi ac constantissimi, uiros è Gallijs per Rhenum aduenientes, sibi dominari: quos neque Iulius, neque Augustus subiugare potuerunt. At Franci Transrhenani, qui sunt orientales, in Gallia dominati sunt, arcesq; & urbes & authoritatem in manibus suis tenuere. Dum enim rex quidam Frãcorum occidentalium regno inutilis à Pontifice deponeretur, Pippinum Caroli Magni imperatoris patrem ex Austrasia, quæ Germaniæ pars est, ortum in eius locum substituit: cuius rei sacri canones, & Baldus acutissimus iurium interpres, Blondus Forliuiensis, & multi doctrina præcellentes uiri subscribunt. Itaque Germani Gallis, non Galli Germanis dominari cœperunt. Adde quod & Innocentius tertius Romanum imperium à Græcis in Germanos translatum refert in personam quidẽ magnifici Caroli. Eũ ergo Germanum fuisse liquidò comprobatur, ipsumq; patrem suum, Pippinum ex Germania natum, frequentissimo prouerbio coniectari potest: quo nostrates uel pueri crebro alterutrum colloquuntur, huiusmodi uerbis: etiam si haberes prudentiam regis Pippini, uulgò Pippis. Et Aeneas Syluius in capite historiæ Bohemorum asseuerat, Francos siue Gallos ex Germanis descẽdisse. Errant igitur uehementer plerique etiam nostratium, qui Alsatiam, quinobilem Argentinam, qui cæteras terras à sinistra Rheni latere sitas) quæ ad Romanum imperium, & ad nationem Germanicam spectant) sub dominium Gallorum, & regnum occidentalis Francię pertinere arbitrantur. Audacter igitur Caroli gentem nobis uindicemus, nec sinamus superbos Gallos sibi arrogare, quod nostrum est, legem'que Faniam de plagijs intendamus, nititur enim Gallicus fastus cuncta sibi contra ius & fas usurpare. Memoriæ enim proditum est, & Aeneas Syluius palàm scribit, nullam esse gentem quæ Gallorum superet ambitionem. Scribit præterea Flauius Vopiscus quod non prætereundum duximus, Proculum imperatorem occisum prodentibus Gallis, quibus familiare esse ait, ridendo fidem frangere, eosdem nouarum rerum cupidos Iulius Capitolinus refert. Sed missa istæc faciamus, redeo iam ad Germanos qui huic inclitæ genti succedere.

Vrbanus 2.

Herbipolis Caroli ciuitas.

Innocentius tertius.

Aeneas Syluius.

Apud Vopiscum legitur Francis. Et intelligit de Francis Germanis, nam eo tempore nondum in Galliã transierant.

De Henrico sancto, Caput XXIII.

PRimus igitur occurrit Henricus ex ducibus Bauarorum, qui secundum institutionem Gregorij V. ex superius dicto senatusconsulto, maioris denicq; autoritatis Hortensia lege, primus ad imperium sufficitur: De cuius uita moribusq; nihil mihi dicendum assumo: supra enim uires pondus est: cum ob sanctitatem uitæ in numerum sanctorum relatus sit: & ne solam ei uirtutem suffragio fuisse intelligas, genus etiã Otthonis cõtingit, fuit etẽ magni Othonis ex fratre nepos.

Lex Hortensia.

nepos. Et ne ob pietatem religiosissima mq; uitam res bellicas neglexisse credatur, compositis rebus Germanicis in Italiam mouit, acceptaq; imperij corona Sarracenos à Capua expulit, ac Bubaganam Græcorum ducem, qui Mauris fauerat, acri prælio superatum, adeò persecutus est, ut eum quoque Troia spoliauerit, quam is condiderat, in eo loco ubi quondam Amilcaris filij Hannibilis castra fuere. Moritur autem sanctissimus rex, una cum Kunegunde coniuge sanctissima muliere, anno imperij octauo.

De Conrado Sueuiæ duce imperatore, *Caput* XXIIII.

POst huius sancti uiri mortem triennale interregnum fuit, cum electoribus minime constaret, quem potissimum deligerent, tandem legitimis suffragijs, Conradum imperatorem creauere, qui Franciæ orientalis & Sueuiæ dux fuerat: & ne cum Gallis quispiam erret, exploratum est omnes Rheni accolas Francos uocari, præcipue uerò Alsates conterraneos nostros. Quod si perpetuam historiam scriberem, uero certius id demonstrarem. Nomen enim Francus liberum denotat. Scimus autem inter cunctos Germaniæ populos, Alsates Romana libertate pollere. Conradus princeps strenuus, & in re militari præstans (qui apud Henricum diu ordinum dux fuerat) ad imperium suffectus, primo pacem teneri edita lege sanciuit. Et quia post mortem Henrici multæ ciuitates, Italiæ ab imperio desciuere: coactis copijs, quas prius sub Henrico duxerat in Italiam descendens, primò in Mediolanum mouit, ciuitatem obsidione cinxit, excidium & interitum urbi interminatur. Suadente autem Colonien sium antistite, cui ob id diuum Ambrosium in uisione apparuisse dicunt, obsidionem soluit, profectus deinde Romam accepta imperij corona, à Ioanne pontifice in Sclauos & Vngaros mouit, qui deficientibus rebellantibusq; Italis auxilia præstiterant, eosq; breui perdomuit. Ea tempestate Rudolphus Burgundionum dux, suorum seditionibus uexatus, fidei patrocinioq; Conradi se submisit: qua de re prouincia Burgundiæ deinceps imperialis aliqua ex parte dicta est, maxime ea quæ ad Pyrrhetensem comitatū inter Dubidē sita est. Persecutus deinde est Lupoldum comitem de Kalbo, quod ab eo initium turbatæ pacis, ocij aliquoties ortum fuerat, cuius filius Henricus, patre exule, rusticamq; uitam ducente, Contradi filiā uxorem duxit, diuino nutu, tandemq; ad imperium (quamuis bis ad occidendum traditus esset) peruenit. Romanis etiam Conradus exitium interminatus est, si diutius (quemadmodam cœperant) pontificem seditionibus uexassent. Moritur Conradus anno nostræ redemptionis M.XXXIX. pridie nonas Iulij in templo Spirensi quod fundarat & dotauerat sepultus.

Rhenus
Alsates
Francus

Mediolanū
Colonien sis
episcopus
S. Ambro-
sius

De Henrico secundo imperatore, *Caput* XXV.

HEnricus imperator gener Conradi, in loco natiuitatis suæ monasterium condidit, nomine Tempe ceruorum) uulgo Hirschouu) in Hercynia sylua adhuc extans. Mouit deinde in Bohemos exercitum, quoniam rex eorum Polonos iniussu suo uastauerat, decertans primo dubio Marte cum eorum duce Bislao: deinde anno sequenti, maioribus copijs collectis, transmissa sylua, ferro ac flammis cuncta uastauit. Tum certamine commisso, ducem superat & capit, uectigalemq; factum dimisit. Domitis deinde Hungaris, in Italiam cum magno exercitu ueniens habita synodo Benedictum nonum, Syluestrum tertium, Gregorium sextum, tria pessima teterrimaq; monstra abdicare se magistratu coēgit. Syndegerumq; Germanum Bambergensem Episcopum in Petri sede pontificē collocat, Clementem secundum appellatum, acceptaq; ab eo imperij corona, Romanos in sua uerba iurare coēgit, pontificū electioni nequaquam se interfuturos, nisi iussu imperatoris. Cōsiderabat enim bonus princeps eò rē deuenisse, ut facilo-

ut factiosus quisq; ac potens corruptis suffragijs, summam dignitatem uiteretur adipisci: quæ nisi diuino nutu, tum sanctitate uitę, tum doctrina bene meritis demandari non deberet. Inde in Apuliam profectus conductis militibus qui Saracenis hostibus resisterent, in Germaniam est reuersus: quo abeunte, Romano pontifice ueneno sublato, Damasus sine legitimis cleri populiq; suffragijs, atq; imperatoris iniussu, pontificatum occupat. Romani eius causa legatos ad imperatorem mittunt oratum, ut pontificem sibi daret.

De Leone IX. Germano electo in consilio Magun-tino, Caput XXVI.

HAbita synodo Germaniæ Galliæq; præsulum in Moguntiaco, statim Brunonem Episcopum Tullensem pontificem creat, Leonem nonum appellatum. Hic Leo ex Alsatia genitus est, ex comitibus de Dabisburg, sicut ipse in Bulla propria, quæ est in cœnobio Altdorffensi Argentinensis diœcesis mentionem facit, quam ego ipse Iacobus Vuympheling Seletstad. & uidi & legi. Multaq; eius monumenta extant: locus est Sanctę crucis appellatus, ubi monasterium monialium instituit, quod paulum supra nostram ætatem defecit, redactiq; sunt census ad Decani administrationem. Multæ ibidem reliquiæ à Leone loco donatæ sunt. Tres arces iuxta Marpachium & Egisheim uidemus, in quarum una diuus Pancratius frequentissime colitur, per Leonem consecrata. Quare semper Alsaticis Papa Leo in ore est, ab anno Christi M. XLIX. ex Alsatia enim natus est, multisq; miraculis clarus, de nostraq; patria optime meritus: qui & nonnulla contra hæreses Græcorumq; errores scripsit, innocentia, pietate, mansuetudine, hospitalitate nulli secundus. Deniq; apud Deum adeò clarus, ut Angelos cantantes (ego cogito cogitationes pacis) audire, & Christum in pauperis leprosi que specie hospitio excepisse meruerit. In religionis & fidei rebus adeò diligens solersq; fuit, ut Berengarium quendam de fide nostra malè sentiętem damnauerit, Constantinopolitanumq; imperatorem suis monitis impulerit, Dominicum sepulchrum Hierosolymis à Barbaris fœdatum corruptumq; restituere. Idem Leo Argentinę eadem sancti Petri lunioris anno M.L. dedicauit, maximas concedens indulgentias. Moritur hic uir sanctus, quinto sui pontificatus anno.

De Victore secundo Germano antea Globbardo qui Simoniacos priuauit, Caput XXVII.

LEoni nono Victor secundus suffectus est patria Bauarus, iussu Hęrici Romanoq; plebiscito. Quę multos Episcopos Simoniaca labe infectos à magistratibus deieciisse constat. Hunc etiam Victorem in Germaniam uenisse legimus, ibiq; Henricum 3. Henrici secundi imperatoris filium, Cæsarem creasse. Quamuis nonnulli id legato eius Hiltebrando asscribant, cum quo postea pontifice & Gregorio septimo super iure electionis Romanorum pontificũ multis contentionibus decertauit. Quandoquidem potestatem Reip. per priores pontifices imperatori traditam, ad populum clerumq; Romanũ Gregorius trãsferre niteretur. His temporibus floruere Burchardus Vuormatiensis, & Bruno Herbipolensis Episcopi, docti ac boni, & Hermannus Contractus, acutus mathematicus, qui & de quadratura circuli scripsisse perhibetur.

De Henrico tertio & Mathilde, Caput XXVIII.

HEnrico tertio admodum iuuene ad imperium sublimato, cuncta agebantur per Agnetem matrem eius, quæ mulierum prudentissima optimumq; ad prouinciarũ præfecturas instituit, principesq; & Henricũ filiũ in officio cõtinuit. Qui accepta imperij corona, toto tẽpore pontificatus Nicolai secũdi

Allobrogis,

Allobrogis, qui Stephano nono Lotharingo Germano reiecto Benedicto succesſerat, nihil contra Eccleſiaſticos molitus eſt. Nequaquam hîc ſilentio prętribo Stephani Romani pontificis memorabile factum. Is enim pontificatu adepto ſtatim Mediolanenſium Eccleſiam (quæ à Romana ducentis ferè annis defecerat eò redegit, ut Romanæ obtemperaret tanquam ueræ omnium Eccleſiarum parenti ac altrici, quam uſq; huc tanquam pientiſsimam matrem uti uera filia obſeruauit. Vtinam & noſtro ſæculo Romanus pontifex & principes noſtri, qui Chriſtiani dici uolunt efficaciter tandem cogitarent, de reducendo Boemiæ regno ſub Eccleſiæ Romanæ ſanctam ac indiuiſam unitatem, ſiue id pietate & clementia, ſiue armis & bello commodius fieri poſſe uideretur. Nec ſilebo Beatricem Henrici II. ſororem filiamq; eiuſdem Beatricis Mathildim, ex Bonifacio nobili ac potentiſsimo uiro Luca oriundo progenitam, nuptamq; Gotfrido clariſsimo uiro, quæ matronæ pudiciſsimæ cum ab omnibus hiſtoricis paſſim decantatæ ſint, merito à nobis quoq; collaudabuntur. Hæc eſt illa Mathildis quæ à Radicophano Senenſis agri oppido, Ceperanum uſq; interiacentem terram Romanæ donauit Eccleſiæ, quod beati Petri patrimonium ſequentes appellarunt. Hæc eſt illa Mathildis, quæ cum Eccleſia Romana ſenſit, eo tempore quo Ciſalpini Epiſcopi Cadolum Parmenſem Epiſcopum, contra Alexandrum II. in pontificem elegere. Hæc eſt, quæ orta inter Henricum imperatorem Gregoriumq; ſeptimum (non abſq; magna Chriſtianæ Reipublicæ iactura) ignominioſiſſima diſceptatione, ob pontificum Romanorum electionem, ac cæterorum præſulum confirmationem (quæ utræque res ad imperatorem tum ſpectabant) ſemper cum Eccleſia optime ſenſit: quę etiã cum Azone Eſtenſi (qui nunc Ferrarienſis uocatur) quem uirum poſt Gotfridum duxerat, crebris bellis pugnisq; cum Henrico imperatore decertauit. Tametſi tandem per Henricum apud Parmam fuerit ſuperata. Qua uictoria elatus imperator, Romam hoſtili animo proficiſcens, in pratis Neronianis caſtra collocauit. Cum uerò urbem ingredi non poſſet, Tybur conceſsit, unde tanquam ex arce Romanos eò inopiæ crebris incurſionibus redegit, ut pacem quouis pacto poſtularent. Admotis deinde urbi copijs pontificem in mole Adriani, quod Angeli caſtrum dicunt, obſidione cinxit, acriter qui in præſidio erant, arcem defendentibus. Verùm Henricus cognito Guiſcardi Apuliæ ducis aduentu, in Germaniam rediit. Miramur hunc Henricum tantis diſcordijs Gregorium uexaſſe, cum alioquin eum principem multis eleemoſinis deditũ legerimus. Fuit profectò in rebus bellicis ſtrenuiſſimus. bis enim & ſexagies ſignis collatis pugnauit. M. Marcellum, Iuliumq; Cæſarem ſupergreſſus. Quorum alter trigeſies, alter uerò quinquagies, bis pari Marte decertauerunt. Quibus prælijs Saxones ſæpe deuicit, quorum dux Rudolphus contra eum per Gregorium, depoſitum à principibus ad imperium ſuffectus fuerat. Tandem uero Rudolpho in prælio interempto, Saxones ſub iugum miſit. De quo bello pulchrum & elegans poëma Heroicum à Germano quodã lucubratũ eſt, quod in bibliotheca Spirenſi uidimus & legimus. Captus demũ ab Henrico filio proprio, quem principes Cæſarem creauerant, & pedore & ſitu carceris defunctus eſt, Anno M.LVI. tertio nonas Octobris, in ornatiſſimo Spirenſi templo ſepultus.

Boemiã.
Beatrix
Mathildes
Bonifacius
Alexãder II.
Azo Eſtẽſis.
Guiſcardus
M. Marcellus Iulius Cæſar Rudolphus dux Saxoniæ Gregorius VII.

De Henrico quarto, Caput XXIX.

SVb Henrico quarto imperatore, Vrbanus II. in Gallijs apud Clarum monstem concilium celebrauit. Principibus ita animatis ad recuperandam Hieroſolymam, iamdiu à Sarracenis occupatam, ut circa annũ Domini M. LXXXIIII. trecenta hominum milia nomen in Chriſti militiam dederint, crucisq; ſignum ſuſceperint, inter quos quidam Petrus Heremita uita clarus, incomparabili ſanctitate

ctitate ac innocentia præditus, Germanos (per Pannoniam iter faciens) Constantinopolim usq; perduxit. quos non multo pòst secuti sunt tres fratres, Gotfridus, Eustachius, & Baldouinus, cognomento Bulionij siue Lothariorũ duces, siue Galaciæ comites, uiri & animi constantia & corporis robore insignes: tum etiam Robertus Flandriæ comes: qui traiecto Thracio Bosphoro, Nicea, Nicomedia, Iconio, Tarso, multisq; Ciliciæ urbibus captis, Antiochiam Syriæ, tum demum Hierosolymam tricesimo nono die postquam obsideri cœpta est, Anno salutis nostræ M. X C I X. ceperunt, Anno C C C C. X C. posteaquam imperante Heraclio à Sarracenis occupata fuerat. Maxima laus Gotfrido data est, quoniam primus in parte à se oppugnanda murum conscendit, fratriq; Baldouino potestatem fecit, ut in urbem descendens Christianis portas aperiret. Vnde uno omnium Christianorum consensu, Gotfridus Hierosolymæ tex declaratus est, quod regnum quoad ea Lothariorum familia superstes fuit, posteri strenuè gubernauere. Tam præclaris autem ducibus mortuis, iterum ad infidelium manus usque hodie peruenit. Ex hac Lothariorum magnifica uictoria, creditu facilè est, Renhardum hodie Lothoringiæ ducem, Hierosolymitani regni titulum sibi desumpsisse. Sunt qui scribant Carthusienses eo tempore à quodam Brunone Agrippino Germano originem habuisse. O nobilem auctorem sanctissimæ religionis, quæ nunquam à legibus suis & bona institutione cecidit, sicut cæteræ ferè omnes misere labascunt. Quo autore Brunone, haud indigne nostra Germania lætatur. Henricus autem IIII. patre mortuo Italiam ingressus, tum Italos tum Romanos pontifices multis affecit incommodis, tandem ægre à Paschali corona imperij suscepta in Germaniam rediit. Cumq; pontifex promissa imperatori quæ per uim extorta dicebat, dissolueret; iterum in Italiam cum magno exercitu descendit. Et quoniam pontifex tum in Apuliam concilium habebat, à Bracharensi archiepiscopo ante corpus Beati Gregorij iterum coronatus, in patriam reuersus est. Tertio quoque Italiam hunc imperatorem, hostili animo uastasse legimus. Tandem Caliuo II. confirmationem Episcoporum sacrosanctoq; Cardinalium collegio liberam Romani pontificis electionem tradidit. Missis ob eam rem in Germaniam legatis, Lamperto Hostiensi Episcopo, Arone sancti Stephani in monte Celio presbytero, Gregorio'que, sancti Angli diacono, cardinalibus. Hoc tempore fuisse cõstat Raymundũ, Guilhelmi Austriq; ducis filiũ, cui Antiochia, quę olim Reblata dicta est, cũ ducatu cõmissa fuit. Nã ei filia Bohemundi Apuliq; ducis nupserat, qui quidem Bohemundus unà cum Tancredo fratris filio, præcipuam operam in capienda Antiochia obsidendaq; nauauerant, Præclarũ est etenim apud historicos nomen Bohemũdi, qui saltẽ de expeditione illa Christianissima scribũt. Quapropter nec generũ ignauum, sed strenuum solertẽq; delegisse putandus est. Moritur Henericus IIII. anno Christi M. C. VI. septimo Idus Augusti, in sacro templo Spirensi sepultus.

Raymundus Guilhelmus dux Austriæ Bohemũdus Tancredus.

De Lothario Saxoniæ duce imperatore, & Innocentio Papa, Caput XXX.

TVrbatis deinde Rebus per Petrum Leonis potentissimi Romani ciuis filium, qui facinorosis quorundam seditionibus Antipapa creatus spoliatis Ecclesiarum thesauris, direptisq; urbis Romæ templis, tantum pecuniarum conflauit ut factiosum quenq; facilè in sui sententiam traheret: tum etiam ciues cum Innocentio II. sentientes, pecuniaq; multos corrumpit, & ab integritate dimouet sibi conciliat; & quo factionem suam magis stabiliret, Rogerium comitis Siciliæ filium obnoxium sibi facit, eo utriusq; Siciliæ rege creato. Innocentio igitur à bello Apulo in urbem redeunte, cum omnia turbata inuenisset, remq; ad cædem multorum spectare cerneret, sponte cedens, primò Pisas, Genuam deinde, demum in Franciam peruenit: habitoq; apud Clarum montem concilio, Petrum cum

Innocentius secundus Rogerius.

cum Antipapa damnauit. Viso deinde Aureliani Philippo Francorum rege, quamuis perbenigne acciperetur, nihil tamen ei auxilij contulit, donec ad Lotharium Saxoniæ ducem (quem iam mortuo Henrico principes Cæsarem creauerant) Leodium perueniret. qui expeditione statim parata, pontificem se restitutorum pollicitus, magno cum exercitu in Italiam mouet, admonitoq; pontifice quid fieri oporteret, partitis copijs Innocentius transmisso ponte Mameæ (à matre Alexandri imperatoris nomen habente) in Lateranum perducitur. Lotharius occupato Ianiculo monte (qui Onofrij hodie dicitur) urbem ingressus, nusquam apparente Antipapa cum sua factione Innocentium restituit, mirocq; ingenio factionem eò redegit, ut minime Innocentium uexare posset. Quamobrem pontifex Lotharium imperij corona exornat, tanquam benefactorem, decq; Romana Ecclesia benemeritum. Abijt tum in Germaniam Lotharius cum bona pontificis uenia, ad compescendos motus, ob absentiam eius in Germania exortos, quibus compositis, dum pontifex concilium Pisis celebrat, rursus Antipapa Rogerio Siculo adiuuante in pontificem cornua erigit. Quare Lotharius iterum cum exercitu Italiam repetit: Pisani quoq; classem potentissimam, auxilio pontificis educunt. Quibus copijs Lotharius cum Pisanis Romæ seditione oppressa, Rogerium terra marique oppugnatum amissis rebus omnibus in Italias in Siciliam breui pepulere. Audita tanta uictoria Ioannes Constantinopolitanus imperator, legatos statim ad Lotharium mittit, de superato hoste congratulans. At uerò pontifex ne abeunte imperatore Rogerius iterum Apuliam repeteret, comitem Lotharij Hamonẽ cũ aliquot cohortibus relictum, ad propulsandam pontificis iniuriam, ducẽ Apuliæ creat. Lotharius ille sapiens & industrius, amicus & deuotus Ecclesiæ, diuitijs & uictorijs magnus annis 11. fœliciter imperauit.

Ioannes Cõstantinopolitanus.

Hamo comes

De *Conrado secundo*, Caput XXXI.

EA tempestate urbs potentissima Edessa per Sarracenos euersa est. Qua clade audita S. Bernardus Burgundio Germanis imperatoribus familiarissimus, uitæ & sanctitate uitæ & doctrina clarissimus, patrocinio Christianæ religionis assumpto, principes oẽs Christianos tũ nuntijs tum literis exhortatus est, uti crucẽ in Sarracenos sumerent. Statim igitur Cõradus Sueuus qui Lotharjo in regnum Romani nominis successerat, nomen in militiam dedit, multiq; ex Germanis principes præsulesq;, comparato igitur magno cruce signatorum exercitu, Constantinopolim Conradus peruenit, tum precibus Hamanuelis imperatoris Constantinopolim compellitur, nullo comparato commeatu Iconium ducere: omnia enim se præstaturum pollicitus est Hemanuel, quæ exercitui necessaria forent. Conrado igitur crebris congressibus hostes superante, tandem Iconio obsessa, natura & arte satis munita, acriter his qui urbi præsidio erãt eã defendẽtibus, facinorosus Hemanuel Græco usus ingenio, gypsum farinę miscuit. cumq; ex ea re panis efficeretur, quo Christianus aleretur exercitus, tot statim milites obiere, ut re infecta obsidione relicta, in Thraciam imperator Romanus se cederet. Inuicta tamen Germanorum uirtus, quamuis fracta in Syriam tendit, iunctiq; copijs Ludouici Francorum regis, necnon Baldoini Damascum Syriæ Metropolim socijs armis obsident: cumq; tandem fame sitiq; laboraretur, non sine contumelia obsidionem soluunt. Tandem Conradus & Ludouicus comminutis per uaria bella exercitibus, reuertuntur in Europam, Anno salutis nostræ M.C.L11. Obijt Conradus cum regnasset annis XV.

S. Bernardus

Constantinopolitanus Hemanuel.

Damascus.

De *Friderico primo glorioſiſsimo Germanorum imperatore ex gente Sueuorum*, Caput XXXII.

SVffectus est deinde Fridericus I. cognomento Barbarossa, cuius si magnifica gesta recensere uelim, liquidò omnibus notũ erit, cũ nec Carolo Magno inferiorem

inferiorem, imò sine contentione parem fuisse. nam imperator creatus Cisalpi-
Hadrianus. nam Galliam ingressus Dertonam ui cepit, magnaq; celeritate Romam uer-
sus iter facit. cumq; pontificem Hadrianum quartum contra se ciuitates imperij
confirmare animaduerteret, remq; mali exempli præsertim in Petri successore
ægre ferret, hostili animo in Romanos mouit. At pontifex imparem se tanto ex
ercitui cernens, pace per internuntios composita, in agro Sutrino imperatori
fit obuiam, qui ex equo descendens, Hadrianum, ut uerum Christi uicarium salu
tat. Cumq; ad urbem uenissent, & pontifex in Basilica Petri Fridericum impe-
rij corona donaret, Pop. Rom. per Hadriani pontem erumpens, Theutonicos
non quicquam tale timentes passim cædit. Imperator autem tanto tumultu ex-
citus intromisso exercitu, qui in pratis Neronianis consederat, Romanos ex Va-
ticano in urbem retrudit, multis captis cæsisq;. molestè enim ferebant Romani
imperatorem, & Theutonicos cum pontifice sentire. Tantę autem tum clemen-
tiæ imperator tum pietatis erat, ut captiuos (pontificis precibus lenitus) incolu-
mes dimitteret. Interim Tiburtini ad imperatorem uenientes, se ac urbem om-
niaq; sponte dedunt: quam Fridericus pontifici restituit, neq; ita diutius mora-
tus in Germaniam rediit. Tum iterum in Cisalpinam Galliam rediens Cremo-
Alexãder 3. nam obsidet: ubi per legatos ab Alexandro III. rogatur, ut interposita imperiali
autoritate seditionem tollat, quæ ob pontificatum inter Octauianum Roma-
num ciuem, & Alexandrum ipsum exorta fuerat. Respondit tum bonus prin-
ceps, utrunq; pontificem Papiam ire debere, quò & ipse proficisceretur, cogno-
scendæ disceptationis causa: Alexander uir elati animi, spreto tam salubri re-
sponso, Anagniam se contulit. tum imperator honestos episcopos de religione
Christi bene sentientes, ad Alexandrum mittit, qui eum ad concilium citarent.
Hi ab Alexandro confutati, nimiumq; superbè reiecti, ad Octauianum se con-
ferunt, eumque Papiam perducunt. Habito deinde concilio, Fridericus Octa-
uianum pontificem confirmat. Alexander hac re permotus, Octauianum & Fri
dericum anathematis uinculo colligat. Fridericus hac iniuria lacessitus, exerci-
tum in ditionem Ecclesiæ duxit, & iam præter Vrbem ueterem & Anagniam,
omnes Ecclesiæ ciuitates occupat. At cum Alexander in Franciam contendis-
tum Fridericus direpta Dertona, Mediolanum quoq; solo æquauit. Vnde tri-
Corpora tri um Magorum corpora Coloniam Agrippinam translatatum crediderim, à Ru
um regum. dulpho Colonienſi Archiepiscopo. Vastata tum Cisalpina Gallia, Frideri-
cus Papiam se recipiens litteris ac nuncijs regem Franciæ adhortatur, ut tollen-
di schismatis causa Alexandrum secum ad concilium ducat: quò & se una cum
Victore (ita enim Octauiano nomen erat pontificium) profecturum pollicetur.
Ad locum igitur concilij Fridericus (compositis Italiæ rebus) cum Octauiano
profectus est, uerum Alexander ad concilium se iturum recusabat: Fridericus
uerò in Germaniam rediens Antipapam in Italiam misit, quo Lucæ mortuo
Guido Cre- Guido Cremensis Octauiano surrogatur. Interim Alexandro Romam aduenti-
mensis. ente cisalpinæ Galliæ populi innata perfidia anno Christi M.C.LXV. iugum
Friderici reijciunt, fideique immemores, arma sumunt, præsidia imperatoris ex
arcibus deijciunt. At Fridericus comparato ingenti exercitu in Italiam ueniens,
nequaquam perfidis innoxius Padũ traiecit: in agrumq; Bõnonienſem descen-
dens, copias partitur, missis quibusdam cohortibus Lucam quibus Antipapa
tutior esset: ipse cum reliquo exercit in agrum Picenum proficiscitur: Anconãq;
aliquamdiu obsidens, in suam tandem redegit potestatem. Eodem tempore Hai
no comes, quem suprà Hadrianus ducem Apuliæ creauerat, Tusculanis præsi-
debat. Is accersitis Germanis, qui apud Nepesum Sutriumq; consederant, tanta
Romanos clade afflixit, ut deinceps uix se mœnibus tueri, nedum hostem lacesſ-
sere potuerint. Mouerant enim Romani in Tusculanos, cum tributa immode-
ratius

ratius imperata recusarent. Tum uerò Fridericus Ancona discedens Romam mouet positisq; in pratis Neronianis castris, paululum constitit, si saltem Alexander tanquam bonus pastor, debitas conditiones aliquando acceptare uellet. Pontifex autem non satis tuto in Laterano consistens, cum irrupturos Germanos uideret, ni boni principis modestia obstitisset, in ædes Fregepanum ad palladium diuertentes confugit. Instabat cum Pop. Rom. cui pacem promittebat, Fridericus, uti Cardinales de duobus pontificibus digniorem se eligerent, altero eliminato reiecto'que. Quam rem cùm pontifex respueret, nocte abiens nauigatione, salutem sibi fuga quæsiuit. Moritur interim Guido Cremensis Antipapa in Basilica beati Petri, quam magno Friderici præsidio adhuc obtinebat. Friderico mox ob pestem ex urbe in Germaniam profecto, sufficitur in locum Guidonis, Ioannes Sirmiensis abbas ex Pannonia. Fridericus per montem Cinisium in Italiam quintò rediens, Secusam diruit: Astenses in deditionem accipit, Alexandriam (quam ciuitates rebelles condidere) graui obsidione premens; tandem ob honorem omnipotētis Dei in die pascatis obsidione soluta, Papiam uenit, ubi de pace Italiæ est actum. Verùm cum nequaquam conditiones æquę seruarentur, Fridericus in Italiam cum maximis copijs descendens, frequentibus prælijs Mediolanenses socias'que ciuitates afflixit. In quibus prælijs ex Comensibus Papiensibusq; qui imperatori fauebant, cùm multi desiderati essent, eorum calamitate motus Fridericus, cum pontifice in gratiam redire statuit, maxime cùm Antipapa furto infamis esset. Conuenerat iam Venetias Alexander, componendæ pacis Italiæ causa, eò & Fridericus accedens in uestibulo sancti Marci pontificis pedes osculatur, simul deinde ad altare maius profecti; acceptа datаq; salute, de fœderibus pacis inter se multum diuq; collocuti sunt, quæ postea sequenti die ex sententia confecta est. Abiens deinde imperator cum bona pontificis uenia, Rauennam primo, mox Bertonorum se contulit, quod oppidum cum retinere ob oportunitatem loca instituisset, rogatu Alexandri Ecclesiæ tandem restituit. Oppugnabatur tum Hierosolyma à Saladino, cuius humanitas ac fides multū Christianis obfuit. Deuictis enim Christianis sinistra pugna (qua ferè omnes Asiaticos principes cepit, maxime Guidonem regem & tēplariorum magistrum, quorum etiam multos secure percussit) tandē hijqui in præsidio erant, desperatis suppetijs LXXXVIII. anno postea quam à Gotfrido Lotharingiorum duce capta fuerat, Hierosolymam hac conditione dedidere, ut tantum abeunti cuique ferre liceret, quantum suis tantummodo humeris sustinere posset. Hanc ob rem Fridericus imperator copias mouet in Christi hostes, per Hungariam iter faciens, Thraciamq; iam Constantinopolim peruenerat: quem certè Isaac imperator, eius potentiam ueritus, traicere Bosphorum statim adhortatur. Fridericus copijs traiectis Philomenam urbem de Turcis capit, agrumq; Iconio adhærentem depopulatur, & Armeniam minorem in potestatem suam redegit, multisq; præclaris rebus æditis, hostibusq; sæpiùs deuictis, dum lauandi causa rapidum amnem ingreditur, in undis perijt, cum maxima Christianæ Reipub. iactura. Eo enim solo principe Saladinus uinci potuisset. Nescio quidnam potius admirer? pontificis ne superbiam? an imperatoris contumaciā? uel cæterorum principum secordiam ignauiamq;? quod cum tanto Reipub. Christianæ interitu, ac irrecuperabili detrimento tam detestandam execrabilemq; pontificis imperatorisq; discordiam pertulere. omnium enim malorum fontem inde usq; ad nostra tempora profluxisse arbitramur. Imperauit tamē hic strenuissimus & uictoriosissimus Fridericus ex inclyta & nobilissima Sueuorum domo progenitus, magnifice annis septem & triginta.

Ioannes Sirmiensis.

De Henrico quinto Friderici primi filio, Caput XXXIII.

SVcceſsit patri optimo & maximo principi, Hēricus filius, qui accepta in matrimonium Conſtantia Rogerij Normani Sicilię regis filia, ſtatim Sicilię regnum dotis nomine repetit à Tancredo, qui Guilhelmo ſuffectus fuerat: Obſeſſaq; diutius Neapoli, ſoluit tandem obſidionem peſte coactus, quæ exercitum populabatur, mortuo tandem Tancredo regnum occupat, adiecit tamen animū bello Aſiatico, miſſo ad id bellū fratre Philippo duce, & archiepiſcopo Maguntino cum magnis copijs. Germani igitur his imperatoribus in Aſiam traiicientes, Berytum muniuere à Sarracenis deſtitutum, & Ioppen obſeſſam à Sarracenis liberauere. Oritur tum ob mortem ducis qui in caſtris extinctus fuit, ingens tumultus, ut Germani bellum Aſiaticum relinquere cogerentur, tum etiam ob mortē Henrici imperatoris, qui uita functus eſt an. Virginei partus, M. CL XXV. decimo Kalendas Maij. in Eccleſia Spirenſi tumulatus.

De Othone quarto & Philippo Sueuiæ duce in controuerſia electis, Caput XXXIIII.

MOrtuo Henrico ſtrenuo & aſpero, pars electorum Othonem Saxoniæ ducem, pars Philippum Sueuiæ & Hetrurię ducem, Henrici Germanum (quem Henricus tutorem filij ſui Friderici infantuli teſtamento reliquerat) imperatorem optarunt. At uerò Innocentius pontifex (ut omnia tum ultu cōplerentur) Othonem confirmat. Et ne quid mali ad perturbandum Aſiaticum bellum deeſſet, rex Francię Philippo: Anglię rex Othoni fauebat. Indignatus igitur Philippus ſe à pontifice ſpretum neglectumq;, Hetruria Sueuiaq; pręſidio munitis, in Othonem magnis copijs mouet, prius multis principibus in ſua uerba iurare coactis, quos omnes bello deuicit, inter quos Argentinum epiſcopum Othoni fauētem, igne, ferro oppidis uicisq; exuſtis inferiorem (ut dicunt) Alſatiam omnem depopulatus eò redegit, ut uix munitiſsimis caſtris ſe continerer, obſediſſe tum ciuitatem Argentinam eum conſtat, quæ in partibus Othonis erat: Deinde Maguntiæ curia de more celebrata, principibus priuilegia confirmauit, tum Otho colonię Agrippinæ ſe continebat quam Philippus obſidione cingēs, breui coegit ad eruptionem Colonienſis, cum quibus & Otho erumpens, cum uiribus Philippi retruderetur, minime à Colonienſibus receptus fœda ſibi fuga (ut ſæpe prius) conſuluit. Colonienſes unà cum archiepiſcopo ſtatim deditionē faciunt, tandē Philippus Bābergę inſidijs à quodam Comite palatino petitus occiditur. Spirę ſepultus anno ſaluti noſtrę M. CC VIII. XI. Kalen. Julij. Quo mortuo res ad Saxonem deuenere, Othonē IIII. appellatū: quo Romæ ab Innocētio coronato, ſtatim cum copijs quas ſecum duxerat, occupatis Monteflaſcone Radicophano multisq; alijs Romanę Eccleſię oppidis, in regnū Neapolitanū mouet: id adoleſcenti Friderico 2. ablaturus, cuius ob ætatē tutores curā adhuc gerebant.

De Friderico ſecundo Sueuiæ duce & Siciliæ rege magnificentiſsimo imperatore, Caput XXXV.

HAnc ob rem principes Fridericum ſecundum Siciliæ regem uigeſimum ætatis annum imperatorem deligunt. Quo audito Otho ſtatim in Germaniam rediit, ditioni paternæ conſulturus, deinde comparaturus exercitū quo Friderico reſiſteret. Cum enim Fridericus (quamuis legitimis ſuffragijs electus) coronam imperij ab Innocentio conſequi non poſſet (credo quiddam odij, in eā familiam latuiſſe) in Germaniam proficiſcitur, diademate à Maguntino archiepiſcopo accepto, in Othonem q; mouet, quem in Sueuia obuium habens, eum Friderici conſpectum ferre non poſſet, cum exercitu fugientem uſq; in Saxoniā perſecutus

persecutus est. Tum eo Aquisgrani deuicto, statim uexillum crucis erexit, ut Asiaticis principibus contra Sarracenos pugnãtibus auxilio esset. Interea Honorius 3. Papa pessimo Christianorum fato, Fridericum anathemate notat, & imperij dignitate priuatum denunciat. Ob quam rem Soldanus (quod ei de inimicitia pontificis imperatorisq; constabat) comparato ingenti milite, fortissimoq; exercitu, Christianos Nili excrescentia nostris insolita adiuuante, eò pepulit, ut pacem inirent ea cõditione, ut relicta Damiata, captiuis utrinq; dimissis, reddito à barbaris crucis ligno, Christianis Aconem Tyrumq; redire liceret. Damiata itaq; barbaris reddita est, ipso natali beatæ Mariæ uirginis, cum eam in eiusdem celebritate purificationis bello cepissent: anno salutis M.C.C.XXI. quo quidẽ anno Tartari gens Scythica usq; ad Sarmatas peruenere. Tum Fridericus ducta in uxorem filia Ioannis Hierosolymitani regis, qui cum Christianis in Italiam uenerat, cum nihil in Asia moliri auderent, promulgatoq; Henrico filio Alemanniæ rege, omnibus statim cruce signatis mandauit, ut ad certam diem Brũdusij cum armis adessent. Conuenit eò magna Germanorum multitudo, quorum de numero multi tabe perierunt, præcipue Langrauius Hassiæ: Tum Fridericus in Cyprum usq; nauigans, Aconem tandem peruenit, nunciis rogans pontificem, ut se absolueret anathemate, quoniam in eius potestate deinceps semper sit mansurus. Verum pontifex non solum eum non absoluit, sed & Ioannem Hierosolymitanum regem, in Friderici præfectum Rainaldum, cum magnis copijs misit, tum Cardinalem Columnam in sancti Germani præfectum Friderici auspicijs militantẽ cõcitauit. Quibus rebus moti qui in Vmbria & Picentibus Friderico militabant, relictis quæ occupauerant, in regnum redeunt. Interea Fridericus belli Asiatici cupidus, in Italiam rediit cum Gregorio IX. pontifice in gratiam rediturus, quam tandem ægre obtinuit, uncijs auri centum & uiginti millibus Ecclesiæ ob illata damna persolutis. Deinde cum Romani non satis pontifici obedientes forent, legemq; rogassent, uti oppida Ecclesiæ iuxta urbem posita, Romanis uectigal penderent, neq; monitis castigationibusq; pontificis ad sanitatem reduci possent. Fridericus Reatę pontificem conuenit, cumq; eo in hãc sententiam consensit, ut primo quoq; tempore coniunctis copijs Romanos adorirentur. Abeunte deinde Friderico in Germaniam, Germani milites ad pontificem confluxerunt tãta multitudine, ut Romani nequaquam ausi fuerint aperto marte cum Ecclesiæ copijs congredi. Recuperauit tum Gregorius pontifex Germano milite patrimonium sancti Petri, Sabinumq; agrum. Ea tempestate Ecclinus Patauinus (cuius auus Teutonicus sub Othone copias duxerat) acceptis à Friderico militibus, magnum sibi in transpadana Italia pontẽtatum comparauit, in suam potestatem redactis Taruisio, Patauio, Vincentia, Verona, Brixia. Tũ Fridericus in Italiam rediens Mediolanenses sociasq; ciuitates apud nouam curtem (ita enim locus appellatur ubi pugnatum est) aggressus, ingenti clade superat trucidatq;. Tum Fridericus iterum à pontifice imperio priuatus, in Venetos mouet qui pontificis partes tuebantur: Eos tum (ueluti ranas) paludibus cõclusos uehementer oppressit, maximisq; calamitatibus afflixit.

De Guelphis & Gybellinis, Caput XXXVI.

INterim uerò conspirantibus omnibus transpadanis ciuitatibus, duce Gregorio Monte longo Bononiensis ciuitatis legato, anno salutis M.CCXL. imperator qui tum Pisis erat, cum non satis sibi constaret qui partes suas, qui ue pontificis sequerentur, ciuitates Italicas in duas factiones tum primum diuisit, nam qui pontifici fauebant Guelphi, qui uero imperatori Gibellini appellari sunt. Hæc quidem duarum factionum nomina, bella plusquam ciuilia Italiæ pepererunt, primum apud Pistorienses audita sunt, cum Cancellarij Pansaticos Gibellinos

ab urbe eiecissent, cumq; alteri factioni, Guelph. alteri Gibel, Teutonici fratres fauerent. Florentini præterea nobiles suos Pisania Gibellinarum partium fauẽtes in exilium eijciunt, pelluntur & Guelphi ab Aretinis Senensibusq;. Tanti constat Italis ab imperio Germanorum Romanoq; desciuisse. Fridericus deinde in Samnites mouet, Beneuentum ui cepit diripuitq;, ac mœnia circum quaque euertit, Soramq; quondam Samnitium ciuitatem, ad Lirim fluuium sitam ferro flammaq; uastat, Rauẽnam in potestatem suam deniq; redegit. Tum Picenum percurrens in Flaminiam usq; Fauentiam & Bononiam aliquantulum resistentem ui occupat, schola eorum Patauium translata. Cũ Fridericus suis suarumq; partium cognitis, omnibus eorum qui aut diuersarum censerentur partium, aut qui neutris consentire uellent, expugnata oppida locaq; populatus est. Accepit tamen in suam potestatem Fulginates, Viterbienses q;, quos statim secuti sunt eò filio Encio cum parte copiarum misso, Ortam, Tuscanium, Cornetam, ac Mõtem falisc um inhabitantes, qui corrupte Montefiascon enses defecissent tum Romani si celerius Fridericus urbi copias admouisset. Tum pontifex humanis destitutus auxilijs, ad rem diuinam supplicationesq; animũ deuertit, quibus (Deo agente) Fridericum auertit hostem. Mouet deinde in Campanos: Beneuentum ui captum uastans, diripiendum militibus concessit. Tum delatus in Picentes Asculum obsedit. Inde in Romandiolos ducens: Encium Sardiniæ regem filium agitandis sibi de Piceno aduersantibus subigẽdisq; dimisit: à quo adolescẽte patri simillimo, direptiones, incendia uastitatesq; sunt commissę, & quicquid resistere ausum est, ad calamitatem maximam est perductum. At Fridericus statim Rauennam populo frequẽtem ditissimamq; tum diu imperio rebellem subegit.

De Obsidione Parmæ à Friderico secundo deq; Entio filio & Innocentio quarto, Caput XXXVII.

MOrtuis demum Gregorio põtifice Celestinoq; suffecto, uacat tum sedes XXI. mensibus, detinebantur enim multi Cardinalium à Friderico, quæres comitia distulit. Valuit tum apud Fridericũ Balduinus precibus autoritateq; ut cardinales aliosq; Ecclesiasticos, quos captiuos detinebat dimitteret incolumes, qui statim Anagniæ conuentum habuere, in quo Innocentius patria Genuensis, familia Flisca, ex Lauaniæ comitibus, pontifex creatur, qui cum Friderico antea aliquando familiarissime uixerat, multisq; beneficijs eam familiam affecerat Fridericus. At pontifex beneficiorum immemor, uel ut uerius dicam, potentatus auidior, mutato cũ fortuna animo, acerrimus Friderico hostis effectus est: quod diuinasse Fridericum ferunt, cum nuncij Friderici exaltationẽ familiarissimi ex cardinalium cetu denunciarent. Instabat tum annus M.CC.XLVI. salutis nostræ. Pontifex in Galliam proficisitur, concilium Lugduni celebraturus, quod contra Fridericũ indixerat. Seduxit tum pontifex amicos consanguineosq; suos à Friderico, clam monitos ut uel nudi ad Placentiam commigrarent. Quod quã primum est factum, sentẽtiam excommunicationis in Fridericum depositionis priuationisq; pronunciat, omnibus iuramento absolutis, quo illi tenerẽtur, potestate electoribus tradita alium quem uellent principem deligendi. Quo nunciato Fridericus pontificis necessariorum ædes Parmæ, & uillas speciosissimas funditus euertit. Inito deinde fœdere cum duce Burgundię, proficisci Lugdunũ statuit, mouitq; Parma comitatum ducens non armatorum magis quam togatorum, qualem quantumq; post stantis Romani imperij tempora, nullus aut domi habuerat, aut itinere duxerat imperator. Dimissa igitur Italicarum rerum administratione Encio filio, ea iniuncta conditione, ut sese apud Parmam contineret, quæcunq; remotius ingruerent gerenda per legatos administraret: per uenerat iam ad Taurinos Fridericus, cum ei nũciatum est extorres Parmensiũ (superato Henrico

Henrico quẽ Parmę Encius prefecerat, cum ipse contrà quã à patre in mandatis habuit, in Brixianos mouisset) Parmã ingressos urbeq; potitos esse. Hãc ob rem Fridericus timens cęterarũ urbium rebellionẽ (omisso itinere) Parmam obsidere pergit, quã statim pontifex misso eò Gregorio Montelongo sedis Apostolicæ legato (quẽ Innocen. pontifex Aquilien si Patriarchatu ornatũ apud Mediolanẽses, Placẽtinosq; iusserat permanere) Bononien siũ, Ferrarien siũ, Reginorũ, Mutinen siũ, præsidijs muniuit. Continuatũ est postea per XI. annos bellũ atrox uariumq;, & Lõbardię omniq; Italię pernicios issimũ. Fridericus castra in urbis mõdũ uallo fossaq; munierat, eo animo ut direpta Parma, eo loco ubi statiua habuerat, Victoriã urbẽ conderet, inditumq; est castris nomen Victoriæ, sanctusq; Victor martyr tutelaris de more Christiano in cathe. Ecclesia nũcupatus est. Et fuit plane urbs Victoria (ut Blondi uerbis utar) uario gentiũ & rerũ gestarũ cõmercio, ac multitudine frequentata, quòd per singulos pene dies ex Africa, Mauritania, Asia, Aegypto, noui homines, noua ueste, nouis moribus sunt uisi. Animalia etiã uidit urbs Victoria, quę post theatrales stãtes Romani imperij ludos Italia non uiderat, elephantes, dromedarios, pãtheras, leones, pardos, lynces, & ursos albos, cũ canes tunc uidisse asserat noster theologus, hinc magnitudine aspectuq; horribili, inde extrema pusillitate. Aues quoq; & rapaces & cicures Fridericus curauit, præter usitatas in Italia multas, in quibus falcones chiluonesq; astures & girfalchi albi, & quod eã decuit maiestatem imperialem, immensæ magnitudinis barbati bubones fuere perspicui. Hæc Blondus. Velim ego has copias tũ pontificis, tum Friderici in Tartaros conuersas fuisse, qui anno antè tertio in exercitum coacti in numerũ, bipertito agmine in Asiam Europamq; descẽderant, & qui in Asiam duxere, Georgianam thamithanorũ olim regionẽ primũ, pòst superiorem Armeniã peruagatur, Iconium usq; Turcorũ regiam peruenere. Alia manus duce Batone Poloniam & Hũgariam excursionibus populati, ad marc ponticũ deflexerunt, ubi Russiam siue Ruthenian & Garam amplissimas regiones uastitate maxima afflixere. Eodem quoq; tempore Grossonij gens Arabica Soldano Babylonis impellẽte. Templarios Hospitalariosq; aggressi eos fundunt, ac Hierosolymã facile capiũt, mœnibus carentẽ: Christianos, qui tum in ea erant trucidant, sepulchrum Christi quouis genere turpitudinis fœdantes.

De Henrico Thuringo contra Fridericum Innocentij autoritate electo, Caput XXXVIII.

ET ne in Germania res quietæ essent, electores imperij Innocentij autoritate innixi Henricũ Lantgrauium Thuringię, Alemannorũ Romanorumq; regẽ designant, & Conradus adolescens Alemannię rex à Friderico genitore pridem institutus, Thuringũ regni ingressu & possessione prohibet, sed prædicata in Cõradum Friderici q; fautores (iubente pontifice) crucis signatio multos in noui regis Lantgrauij præsidia fautoresq; cõciuit. Breui tamen Lantgrauius uictus apud Francofurdiã fugatusq; mortuus est. Postea cũ Fridericus Parmæ ui expugnandæ spẽ abiecisset, fame illam in deditionẽ cogere est annixus, tandem anno obsidionis XI. propè exacto Gregor. Montelongus cũ præsidio sociarum ciuitatũ eruptione facta, Fridericum nil tale metuentem fundit fugatq; castrisq; exuit. Reparauit tum breui exercitum in Hetruria mouens: Encio filio cum parte copiarum Fauentiæ relicto, ut Rauennam proximaq; in potestate retineret: Nam Forliuienses, Ariminenses, Vrbinates ac totum Picenum Friderico parebant in Vmbria præterea defecerant omnes à pontifice præter Tudertinos, Perusinos, Asinates, Etruria pariter tota præter Florentinos, quorum maior pars factionis Guelpæ: quos certe adeò bello Fridericus uexauit, ut tandem eos coegerit Guelphos ex urbe pellere, sinereq; factionem Gibellinam rerũ potiri. Electi pars in exilium abijt, pars uaga & dispersa in Friderici potestatem redacta est, pars in qua nobilitas præcipua fuit, comitem Rudolphum de Vrsaria & Reyne-

rium Bondelmontem secuta, concessit in Vrsariam. Quos insecutus est Friderici cus, & castello ui capto Rodulphus in aqua enectus, Reynerius cum nobilibus quibuscunq; excœcatus, & sub custodia in Apuliam relegatus est. Statimq; Fridericus Panormi mortuus est, ad eum diem, quæ diei respondet, in qua secundo ante tricesimo anno Romanorum imperator fuerat designatus.

De laudibus Friderici secundi, Caput XXXIX.

FVit Fridericus ille secundus potentissimus imperator, Italiæ, Siciliæ, Sardiniæ, Hierosolymæ, & Sueuiæ rex: quo nullus potentior Romanũ tenuit imperium à Carolo Magno: fuit armorum strenuus, linguarũ peritus, fuit uir haud dubiè dignus omni bellica laude, non animi solùm uigore, sed etiam corporis uiribus excellẽs. Haud dubio illa ætate, qua nulla uirorum fortium feratior fuit, nemo unus erat uir, quo magnis innixa fides Christi stare potuisset, si arma quæ in Italos debacchata sunt, in res Asiaticas uersa fuissent. Sed nescio quo malo fato actum sit, ut rebelliones Italorum totiens Christianæ Reip. nocuerint noceantq;. Conferamus cum Friderico Hannibalem Pœnum, qui sedecim annorum possessione Italiam tenuit. Hic noster Germanus duplum supergressus, nõ à patria (ut ille bello) auocatus, quę sub Cõradi filij præsidijs tuta fuit patris auspicijs militantis, sed morte surreptus. Quid de Alexandro Macedonum rege? dixerim ne eum Friderico superiorem? nequaquam, cui cum Dario res fuit: quem mulierum ac spadonum agmen trahentem, inter purpuram atq; aurum ornatum, fortunæ suæ apparatibus prædam potius quàm hostem inctuentus deuicit, longè alius Italiæ quam Indiæ situs est. Apuliæ Lucaniæq; montes ac Apẽnini saltus, nõ adeò citam uictoriam Pelleo iuueni præstitissent. Quid de Athenien sibus, Lacedemonijs, Thebanis? qui separatim in Græcia rerum potiti sunt, dicemus: sunt ne Germanis Friderico duce comparandi? qui cõtentionibus potius ac dissidijs inter se certasse dicentur, quàm ob principatũ in posteros descensurũ bella gessisse. Quidã enim ex Græcis in Siciliã profecti ob alterius spem imperij, uictoria caruere. Græcorũ quippe potentia etsi maximis conflictata prælijs, nũquam ultra Græciã firmiter progressa est, uerũ potentes duntaxat extitere inter se liberos aliquãdiu & inuictos se præstando. Fridericus igitur totiẽs Italis deficientibus debellatis, Guelphis factiosis totiẽs deuictis: omnib. bellis uix unã alteràq; fortunę aduersitatẽ perpessus, uictoriosissimus imperator uita functus est (quę multo pòst tẽpore, nec mortuũ quidẽ creditũ est, cui si arma in Christi hostes ferre Itali impedimẽto nõ fuissent, sicq; minus põtifices inuasissent, iuri maximè imperatoris nomẽ apud Asiaticas gẽtes obtinuisset, immortaliq; gloria dignissimus cẽseret.

De filijs Friderici secundi, & Manfredo filio eius ex nobili concubina genito, Caput XL.

RElinquit autem Fridericus tantæ gloriæ successores, Mãfredum filium aeterni ingenij ingentisq; spiritus adolescentem, forma speciosissimum & literis exornatum, quem non minus ipse diligebat: quàm si eum ex legitimo matrimonio suscepisset, fuit enim ex nobili concubina progenitus: uoluit autẽ eundem partem suam habere, in qua uitam uirtute sua dignam duceret. Tarentinum eum principem instituẽs, multis illi oppidis & castellis additis, quæ principatus titulo prius non continebantur. Ad Conradum enim legitimo matrimonio editum, quem ex Iole Ioannis Hierosolymitani regis filia suscepe rat, regnorum potentatusq; omnis successio deuoluebatur. Qui primo quoq; tempore Ecclini de Romano amicitia fretus, in Italiam Veronam uenit, traductoq; in Apuliam exercitu amplissimo paratissimoq;, Neapolitanos primo per oratores aggressus, est, eos ad deditionem compellãs. Læsæ enim maiestatis eos reos arguit. Cumq; legitimam defensionem aduersus ambitionem Manfredi, non rebellionem aduersus legitimũ Friderici successorẽ quęsitam ostensuros, minime audire uellet eos obsedit: fameq; ad deditionem nono mense obsidionis cõpulit, muru urbis

euertit,

euertit, tum meliores quasq; urbis ædes. Inde in Capuam conuersus, quæ Neapolitanis ante ipsius in Italiam aduentum fauerat, eam quoq; muro diruto diripi fecit, pariter Aquinum nobile oppidum ui captum spoliatumq; incendit, tãdem secũdo quo aduenerat anno, omni potitus Trinacria & Siciliæ regno, obijt. Testamento autem Conradus Conradinum ex fratre Henrico nepotem regnorum instituit hæredem, datis illi ex Germania tutoribus, quibus regni Siciliæ administratio demandatur. Fuitq; is Henricus, quem ex Constantia regis Castellæ sorore, uxore sua, Fridericus susceptum in carcere interfecit. Manfredus uir uigilãtissimi ingenij tres potentissimas Italiæ prouincias, Etruriam, Galliam Cisalpinam, & Transpadanam, mortuo Friderico in suis partibus retinere summa diligentia annisus est: adeoq; id egit ut plus in illis certo tempore quàm in Neapolitano Siciliæ regno potuerit. Nam post Friderici mortem factio Guelpha, Florẽtia in libertatem uendicata, omnibus Gibellinarum partiũ electis, cæteras Etruriæ ciuitates, Senenses, Pistorienses, Aretinos, Pisanos eò perpulere, ut conciuibus Gibellinis expulsis, fœderibusq; factis pepigerint, illicitum esse alterius partis extorres fouere, ob quam rem cum Senenses, tum Florentinos, qui eos fœderum fractores dixerant, statim misit. Quibus copijs Senenses, extorresq; Florẽtini cum aduersæ factionis copijs congressi, Guelphos tanta clade uicere, ut ordines relinquere coacti sint, post ingentemq; fugam, deditionem fecere ingenti Guelphorum cæde facta, quamuis ex Germanis plericq; desiderati, tamen quatuor millia, captiuorum, cum Carrocio spolijs signisq; militaribus Senas fuere perducti. Qui prælio superati in patriam reuersi sunt, magnam animorum conseruationem Etruriæ Guelphis fecere, sed apud Florentinos maximam, quibus nec extorres expectandi consilium, nec urbem defensandi spes erat. Itaq; undecimo post pugnam die, quam Septembris sextamdecimam anni salutis M.C.C. LX. fuisse constat, omnes Florentini Guelpharum sectatores partium, pars Lucam, pars Bononiam migrauere, urbemq; Florentinam paucis habitatam uenientes, Iordanus extorresq; patente porta ingressi, in Manfredi dominatum subiectionemq; ceperunt. Qua item tempestate Octauianus Cardinalis gẽte Vbaldinus re Neapolitana & illius administratione Manfredo relicta, ad pontificẽ Alexandrum Viterbij agentem, est reuersus. Cuius põtificatus nihil felicius uidit, quam Ecelini Albricique fratris excidium: quibus mortuis proditorieq; trucidatis, Cisalpini libertatem sunt secuti: quam tamen ægre retinuere Gibellinis factionem Guelpham ubiq; opprimentibus. Redegit tum Manfredus penè omnem Tusciam Picenumq; agrum in suam potestatem, Iordano & Guidone nouello egregijs suarum copiarum ductoribus. Tandẽ Manfredus acerrima pugna cum Carolo Andegauensi, quem Vrbanus pontifex Siciliæ regem dixerat decertans, ab Italis in secunda acie desidentibus derelictus, strenue pugnans oppressus est. Mortuo itaque Manfredo, Gibellini duce carentes, Conradinum Friderici nepotem auitum regnum imperiumq; repetiturum in Italiam uocant. Qui cũ aliquandiu Veronæ desedisset, interim Carolus Bonicio deditione ab oppidanis facta potitus in Pisanos duxit: & populationibus incendijsq; late commissis, castella aliquot expugnata diripuit, turresq; communientes Pisanum portum diruras solo æquauit: maiora perpetraturum nuncij in regnum reuocarunt. Fridericus Hispanus namq; omni pene Sicilia (Panormo Syracusis & Messana duntaxat exceptis) pro Conradino potitus erat. Quàm primum uerò Carolum mouere, ut se in regnum reciperet, est conspectum: Senenses omnium primi post Pisam, deinde Romanus Senator Conradinum nuncijs ad iter ineundum epistolisq; compulerunt, qui per Papiam in Liguriam mouens Pisana classe Pisas deductus, confluentibus undiq; Gibellinis exercitum in Lucenses exposuit, uastitatem & incendia undiq; committens, tandem iuxta Aretium cum Marescallo

(ita enim Galli copiarum ducem dicunt) congressus est Conradinus: ubi facta in Guelphis Maresc allum comitantibus ac Gallico milite ingenti cæde, Maresc allus quoq; suis copijs omnino superatis occubuit. Confluxerunt per id tempus ad Conradinum alij à Lombardis Romaniolis Etruscisq; Gibellini, maiot militum pars ea quam à Germania eduxerat. Nec fuit tunc dubium quin si moram ibi uel paruam fecisset, Conradinus Aretio primum, pòst omni Etruria fuerit potiturus. Victoria potita deflexit Senas Conradinus, aliquot ibi moratus dies, inde recta in Viterbienses campos quartis castris se contulit. Propinquanti Romæ Conradino Senator Hẽricus põpam educens, imperatoribus introducendis adhiberi solitam, illum ad pontem Miluium excepit: selectiq; ex omni ordine & dignitate primores quiq; Romani, Conradinũ circunfusi in equo sedentem pedibus sunt secuti: & præcedens ac subsequens longo & composito agmine populus in capitolium usq; deduxit. Mouet deinde magnis à Senatore acceptis copijs per Tyburtinos in olim Equiculorum, nunc Tallacotij montes, & inde in Marsorum campestria peruenit exercitus. Congressus itaq; (eo loco prius insidijs à Carolo occupato) Conradinus ex uictore uictus, cum Austrię duce fuga elapsus est, dum enim nostri post uictoriam auidius spolia legũt, ab hoste ex insidijs prodeunte sternuntur, fugãtur, dissipanturq;. Octaua post die Conradinus Austriæq; dux recogniti ad Carolum perducti, publico iudicio capitibus resectis interfecti sunt. Hunc finem rex Sueuorum in Italia habuit. Commissum est hoc prælium v. Kalendas Septembris, Anno salutis nostræ M.CC.LXVIII. Gloriosissimi magnificentissimiq; Sueuiæ duces diuino & occulto iudicio, miserabilem hunc exitum sensere. Poterat gloriam & magnificentiam illustrissimæ domus, sua uirtute resuscitauisse Eberhardus quem Barbatum uocabãt, multis pòst annis Deccensis & Vuyrtenbergensis dux in regione Sueuorum à Maximiliano rege nostro apud Vangiones institutus, si diutius illi uiuere contigisset: sed fata (ne Germanorum gloria altius emergeret) hunc è medio sustulerunt. De uirtute huius principis non multa loquor, quia Marsilius Ficinus maximus ætate nostra Platonicus: in epistolari uolumine hũc Eberhardum speciosissimis laudibus, non minus uere quàm grauiter & eruditè exornat.

Eberhardus dux Vuirtẽbergensis senior.

Maximilianus Marsilius Ficinus.

De Rudolpho de Habisburgo Rom. Imperatore, Caput XLI.

CVnq; res Germanica post Friderici filiorumq; eius interitum, diutius sine rege certo fuisset, tandem Gregorio x. Pontifice, Lugduni concilium celebrante, Rudolphus comes de Habisburgo Alsatiæ superioris Lantgrauius, ab electoribus in regem Romanorum electus est. Qui statim accepta de more Aquisgrani corona, principes in sua uerba iurare coegit, collectoq; ingenti exercitu, in Otocarum Bohemorum regem mouet, qui inter Bohemiæ reges quintus Venceslao fratre defuncto regnum acceperat. Fuit autem Otocarus suapte natura uir belli appetens, & cui ad res gerendas magnus esset animus: extenditq; regnum à mari Baltheo (quod Sarmatici Germaniciq; Oceani sinus est) usq; ad Danubium, & ad internum mare, quod Adriaticũ dicimus. Nupserat Otocaro Margarita Friderici Austriæ ducis soror, quæ prius Henrico Friderici II. filio nupta fuit quo mortuo sine sobole in patriam reuersa, fratri superstes Austriæ duci sine liberis uita functo in hæreditatem succesit. Principatũ igitur Austriæ consecutus Otocarus (more humano) quo plura possedit, eo maiora concupiuit. Vlricus eo tempore Carinthorum principatum tenebat, qui cum uirili prole careret, Carinthiam illi, Carniolam, Marchiam Sclauonicam, & Portum Naonis pecunia accepta tradidit. Tum Veronenses, Feltrini, Taruisini, & multi Forliuienses, sese Otocaro submiserunt. Bellum Hungaris indixit, commissoq; prælio uictor Stiriam prouinciam illis ademit. Rudolphus repetitis prouincijs tanquã iuris

Lugdunum Alsatia.

Otocarus.

iuris imperij, cum Austria nequaquam muliebre feudum (ut dicunt) esset, nec Vlricus inuisso Cæsaris prouinciam uenundare potuisset: cumq; semel interuentu amicorum res compositæ fuissent, ut acceptis datisq; filiabus affinitas utrinque iungeretur, prouinciæ de quibus lis esset dotales fierent: Rudolphus Austriam adeptus, Otocarum in uerba sua iurare (more maiorum) expoſcit. Indignatus autem rex id à se postulari, ab eo præsertim qui magister curiæ suæ fuisset, id superbo animo tulit, exortæ sunt rursus nouæ lites, tandem Otocarus ueritus Rudolphi potentiam, in uerba sua iurauit. Quod cum ægrius ei coniunx Kunigunda (quam Margarita uiuente insolenter desponsauerat) sæpius obijceret, Rudolpho bellum indicit. Conuenere exercitus in campis Austriæ iuxta Danubium, atrox prælium dubio marte commissum est, cum Bohemi multitudine ac robore, Sueui Alsatesq;, quibus Rodulphus fidebat, ordine ac arte superiores essent, cecidere quàm plurimi ex utraque parte maior tamen Bohemorum strages, ad extremum Otocarus relictus à suis, dum fortiter pugnat, occiditur. Asligna tum Rudolphus Austriæ ducatum Alberto filio, qui postea & in imperio ei sufficitur. Bohemis deuictis Rudolphus in Heluetios mouet, qui tum comiti Sabaudiæ subditi erant, quibus subiugatis in quendam Pseudofridericum arma dirigit, cui iam multi principes ciuitates'que adhæserant. Constans enim fama fuit Fridericum mortuum minime fuisse, ideo in spem dominationis adipiscendæ, se quidam Fridericum simulauerat, quo deuicto Nusiæq; igni consumpto, principibus ciuitatibusq; qui Pseudofridericó fauerant mulctatis, primo quoque tempore in Sueuos tumultuantes, ob defectionẽ familiæ ducum Sueuiæ copijs ductis, Eberhardum Vuyrtenbergium reliquosque dynastas ac reguIos Sueuorum perdomuit. Gesit tum multa bella, ob tumultum qui ferè tota Germania frequentissimus fuit. Credo equidem illis temporibus teterrimam factionum labem non solum Italiam, uerumetiam Germaniam inuasisse, quæ res sine bono principe haud facilè extirpari potest, qualem Rodulphum fuisse certum est. Fuit enim pietate, clementia, religione, humanitate, modestia, humilitate, insignis. In Italiam non uenit, quamuis Bononiam amplissimam Italiæ ciuitatem totam'que Flamminiam Ecclesiæ Romanæ dederit, sed tumultuantes Guelphos per Lucinum uicecomitem imperij uicarium, missis ad eum Germanis equitibus bellis attriuit, tum misso ad Italiam epistolarum suarum magistro, pacem ciuitatibus pecunia accepta tradidit, ut tamen imperio fideles essent. Statuerat'que bonus rex, milites in Asiam mittere, obsessæ Ptolomaidæ opitulaturos: uerum orta inter Christianos principes qui in ea ciuitate erant, discordia, quorum multi partim captatis abeundi causis, partim clandestina per noctẽ fuga desertores effecti sunt: manserunt tamen ex primoribus, rex Cypri, Patriarcha Hierosolymæ, & hospitalis Templariorumqúe Magistri, multitudine prius emissa, quam statim rex Cypri perfidia usus, per fugam est consecutus, fuitq; exemplo, ut omnes quibus nauigiorum facultas esset, Ptolomaida emigrarent. Qui postea cum Patriarcha primum prospera usi nauigatione, tandem sub ipsam Cyprum naufragio periere, eadem die qua Soldanus Ptolomaidam male defensam ui cepit, mortalibus in ea repertis ad unum cæsis, mœnibus inde & urbis parietibus passim solo æquatis, tum fundamentis ita confossis dissipatisq;, ut nullum urbis, nullum post hac ędificij uestigium appareret, annus erat salutis M. C C X C. quando reliquias amisimus uictoriæ illius celeberrimæ, quam anno ante C. X C IIII. Conradi Franci auspicijs & uirtute Christianorum expeditio inchoauerat. Saluæ tamen mansere Cyprus insula & Armenia minor, priùs Cilicia dicta, quę eiusdem expeditionis occasione in Christianorum manus deuenere. Moritur deinde Rudolphus anno quarto Nicolai Romani pontificis eiusdem nominis quarti: anno regni sui

Heluetij Pseudofridericus

XVIII. anno uero Christi M.CCLXXXXXI. Mẽse Iulio in die diuisionis Apostolorum, sicut & sepulchro suo in nobilissimo templo Spirensi inscriptum est. Vixit his temporibus Albertus Magnus totius literaruræ absolutissimum decus, & quo maiorem in philosophia & literis sacris terrarum orbis non genuit, & qui Thomam illum Aquinatem tantum quantus est, effecit, extat celebris oratio, à Philippo Beroaldo præceptore tuo Bononiæ habita, quum rector Germanicus iniret scholasticam præfecturam, ubi Germanos à studijs litterarum neque abhorrentes neque retorridos contendit, quod ut reliquos inquit præteream, uel unus Albertus abundè demonstrat omnifaria doctrina refertissimus, qui meritò Polyhistor & multiscius ac Aristoteles alter, latine loquens dici potest, Magnus uulgo nominatus à magnitudine (opinor) disciplinarum potius quàm Alemannus. Hic etiam Albertus cognomento Magnus, dum esset Ratisponensis episcopus, huc Argentinam uenit, ac in æde. S. Petri Iunioris, in qua tu Canonicus existis, aram quandam in honorem. S. Columbæ uirginis & martyris consecrauit manibus propriis, anno Christi M.CC.LXVIII. Præterea fuere & alij diuersis tempestatibus etiam Germani Theologi præstantissimi, Thomas & Vdalricus Argentinenses. Marsilius de Ingeln: Hugo de Sletstat Bonauenturæ sectator & Ioannes Theutonicus decretorum interpres elegantiss. Præpositus Halberstatensis obijt, anno M.CC.XLV. ibidem.

De Adolpho de Nassou Rom. Rege, deq; Baronibus de Rapolstein, Caput XLII.

ASsumptus deinde est in spem imperij que titulum, Adolphus comes à Nassone, uulgò Nassou, qui statim exercitu comparato, in Colmarienses mouet, qui Alberto Austriæ duci filio Rodulphi fauebant, quem aduersum resistentemq; Adolphus habuit, ob Tyrannidem in quam procliuis habebatur. Capto igitur per deditionem oppido, una cum generoso Anselmo de Rapolstein oppidi prætore ac filio, ablatoq; dominatu eorum, arces & castella Henrico fratri Anselmi tradidit. Nitebatur tum Adolphus Albertum à dominijs ducatuq; deturbare, cui forti animo atque acri restitit Albertus, Alsatum auxilio fretus, qui iam odium in Adolphum conceperant, ob auaritiam tyrannidemq;. Nam quos imperij uicarios in Alsatia constituit, prouinciam citra transq; Rhenum flammis cædibusq; læsere, tum Argentinam eorumq; præsulem. Ob quas res principes moti, Albertum Austriæ ducem regem delegere, Adolpho abrogato, iustisq; suffragijs depositio. Comparato igitur ingenti exercitu ex Austria, Danubioq; traiecto, Albertus Mogunciam Germaniæ Metropolim peruenit, statimq; in Adolphum mouens, qui pari strenuitate uiribus collectis ad eum tendebat: conuenere tandem in Vangionibus in monte Hasenbul, prope agrum Spirensem, ubi prælio commisso Adolphus occubuit, cum ad medium diei dubio Marte incertáque uictoria pugnatum fuisset, anno Domini M.CC.XCVIII. sexto nonas Iulij, anno regni sui VIII. Spiræ sepultus. Plures eo in prælio capti, inter quos & filius Adolphi, reliqui fuga sibi consuluere. Verum cum Albertus electionem de se factam minus legitimam æstimaret, propter Treuerensem præsulem & Palatinum comitem (qui comitijs non interfuerant) iuri suo renunciauit. Tum electores communibus suffragijs eum elegere, coronatúmque Aquisgrani tanquam legitimum regem uenerari sunt. Duxit deinde exercitum in Bohemos, quorũ regnum filio suo, Rudolpho tradidit, deiecto duce Carinthiæ Hẽrico, quem sibi Bohemi iniussu imperatoris regem delegerant. Mortuo deinde Rudolpho anno regni primo, Fridericũ filiũ

Albertus

Albertus Bohemis regem declarans, magnis copijs Bohemiam ingressus, regionem longe lateq; afflixit: Henricum tamen deijcere non quiuit, eò quod Gallis bellum illaturus esset, quorum rex Philippus à pontifice Bonifacio defciuerat, regnumq; Franciæ Alberto pontifex assignauit. Quibus bellis cum exercitus comparat, à Ioanne fratris filio inter Rysam Arulamq; Eluetiorum flumina Rheno proximus, anno Christi MCCCVIII. Kalendas Maij interficitur. Eo'que loci per reginam Hungariæ monasterium sanctimonialium ordinis sanctæ Claræ constructum nomen retinet Regij campi. Alberti corpus iuxta patrem suum Rodulphum, in ornatissimo templo Spirensi sepelitur.

De Henrico Lucelburgio, Caput XLIII.

ANno igitur M.CCCVIII. Henricus ex comitibus Lucenburgensium ad imperium deligitur, quem Aquisgrani principes corona & insulis decorauere. Qui statim præmissis in Italiam oratoribus, & aduicina Germaniæ propinqua alpibus loca scisciturus, qui suas secuturi essent partes, comparatis q; tribus ingentibus exercitibus, unum aduersus Vuirtenbergenses sacro imperio rebelles, quibus ex octoginta castellis & munitissimis oppidis quæ obtinebant, LXXII. expugnata ademit: Alterũ in Bohemiam ex Francis orientalibus & Bauaris coactum, duce Petro Moguntino Archiepiscopo misit, filio Ioanni id quæsiturus, cui Elisabet Venceslai soror denupserat. Tertium, cui ipse præfuit, in Italiam mouet Gibellinis auxilio futurus. Transgresso alpes Henrico Taurini popularitèr obuiam facti, sese & urbem eius arbitrio permisere. Pariter paulo post fecere Astenses. Philippus Papię comes, Simon Collubianus Vercellarum, Antonius Visceragus Laudæ urbium primarij ciues uel potius Tyrannuli, Henrico occurrentes datos ab eo uicarios quisq; in suã urbem recepere. Mediolanẽsium res tum in potestate Turianorum & Vicecomitum erat, qui de potentatu contendentes potius ciuitatem premebant, quàm ut ipsi gubernarent, aut à populo gubernari permitterent. Mapheus igitur uicecomes ad Lupoldum Austrię ducem, diu sibi notum, mittens, Henrico ipsum fecit urbis potiundæ. quorum conatibus cum Guido Turianus resisteret, Henricus pacis auidior quàm belli, ab utriusque factionis capitibus urbem accepit in suam potestatem, imposito urbi præsidio: cui Leopoldus cum Germanis cohortibus præficitur. Orta deinde ciuium rebellione cum passim Germani fœde cæderentur, dux introductis copijs quæ in suburbijs consederant, Gibellinis auxilio fuit: electi'que Turiani Vercellas se contulerunt. Ad quem tumultum nonnulli Lombardiæ populi à promissa Henrico fide recesserunt. Primi'que Cremonenses. In quos statim Henricus coactum exercitum duxit, cuius urbis Guelphi resistere diffisi, Brixiam cum uxoribus, pueris, & asportata leuiore suppellectile emigrarunt. Cremonæ à Gibellinis deditæ, mœnia portas'que & Guelphorum domos Germani euerterunt. Duxit paulo post in Brixiam Henricus, edita'que est in agro omnium quæ excindi, uri euerti'q; potuerunt uastitas. Fugientibus in montana Guelphis, urbs dedita murorum portarumque munitiones amisit. Placentini pulso Alberto Scotto Guelphorum duce (imperialem uicarium admisere. Interea Veneti classem Henrico spondent, qua ad regiones urbi Romæ uicinas transportaretur: Veronenses Vicetini Patauini necnon Taruisini uicarios ab Henrico ad se missos acceperunt. Robertus interea Neapolitanorum rex Matrescallum suum in Etruriam misit, uti Ferrarienses, Bononienses, Florentinosq; in partibus conseruaret, at Henricus Genuensium classe Sauonensium-que pilas petijt, equitatu terra per Lucenses præmisso, tum Romam à pontifice missis qui tum in Gallijs habitabat, ob tumultum deinde patrium cum neutri studiosus esset, Tybur migrauit. Agentem Tybure Henricum, nuncij Friderici

Vuirtẽberg.

Petrus Moguntinus Archiepiscopus.

derici Aragonum regis adierunt, cum quibus promissa apud Genuam fœdera constituit, affinitatem quoq; regi Siculo honestissimam obtulit. Paulopost Tyburę profectus imperator, per Sabinos Vmbrosq; Perusiū & inde Aretiū amicissimam tunc sibi delatus, uallis Arni superioris oppida & castella nemine resistere ausо, cepit. Ductum est inde Florentiā, quibus Lucenses, Miniatenses q; & Senenses copias miserant, à Bononiēsibus regis Roberti uenerat equitatus. Obsidione igitur incursionibusq; uexatis Florentinis, imperator hyeme instāte ad Cassianum oppidum uia Senensi, octauo à Florentia miliario consedit, & præfecti ex Gibellinis duo, unus apud Scarpariam, alter alio loco cū Germanorum copijs relicti, capta de Florētinis seruare, & simul urbem incursionibus infestare curarunt, eoq; Florentinos fame oppressos redegerunt, ut deditionē facere cogitarent. Contulit se deinde Pisas, ut Robertum maiestatis reum citaret, quem terno edicto citatum nec comparentem, regno priuatum denunciat. Interim tamen Lucenses Miniatenses q; tantis affecit cladibus, ut Lucenses amissis agri oppidis apparuerit eo anno simul cum Florentinis in deditionem fuisse uenturos. Acta igitur Pisis maiori æstatis parte, imperator per Senensem agrū ubiq; uastatum, contulit se Aretium: qua in urbe cū maximis honoribus susceptus, Robertum regem priuatum regno pronunciauit: quam tamen sententiam Clemēs in suis constitutionibus improbauit, plus imperatoris odio quàm iuris prudentia. Incidit tamen in ægritudinem imperator, ex qua ut conualesceret (consulētibus medicis) ad Macerati balnea se contulit, à quibus multo imbecillior reuersus Bōconuentum, quod oppidum XII. à Senis miliario distat, obsidere pergit, ubi ueneno intoxicatus moritur nouo, inaudito ac uix credibili ausu: quod nisi à Florentinis factum esset nemo crederet, misso equidē ueneno in eucharistia. Dū sacra Christi communione perfuitur optimus princeps, animæ pabulum uitæ uerò exitium sumpsit, subornato ad tam crudele uenefícium pollicitationibus & præmijs Prædicatorum ordinis fratre quodam, ut Ptolemæus Lucensis scribit. At ne tanti principis mors inulta maneret, quingenti equites Germani Henrico militare soliti, Hugucionem Fagiolanum ducem secuti, Lucenses agris mulctatos, pacem iniquis conditionibus à Fagiolano accipere coegerunt, ager namq; Lucensis Pisano est additus & Gibellini exules Albiq; in urbem sunt reducti.

De Ludouico quarto Bauariæ, & Friderico Austriæ in controuersia electis, Caput XLIIII.

INterim principes electores conuenientes, duos in controuersia delegerunt Ludouicū Bauarię, nepotē ex filia Rodulphi de Habspurg, & Fridericū Austrię duces. Qui imperatores primò apud Franckfordiā cōgressi, Mœno fluuio diuisi ad pugnā nō uenere, cōparato interim ingēti exercitu, Leopoldus Austrię dux fratri auxiliaturus Ludouico ad Spirā occurrit, fugit Ludouicus, tandem cōiunctis copijs, Leopoldus cum fratre Friderico, in Sueuia fugientem Ludouicū sunt secuti, dubioq; Marte certatum est apud Esselingam, multis utrinq; desideratis captisq;, ut neutri uictoria cessisse uideatur. Secundo maximis copijs cōparatis, ad Bruscam Alsatiæ fluuium conuenere, qui fluuius Alsam per nobilē Argentinam ducit) ibiq; longius statiuis collatis, prælium utrinq; pepigere. Videtum Fridericus Bauarum peditatu abundare, statuit & ipse equitibus equisq; dimissis pedes pugnare, quo uiso stratagemate Ludouicus Bauarus in fugam uersus in Bauariam se recepit: Tandem Ludouicus Fridericum (fratre Leopaldo absente) aggressus uincit, capitq;: nihilo tamē minus Leopoldus Bauarū bello persequitur, quo tandem Argērinæ defuncto Ludouicus regno potitur, uictoriaq; elatus pro imperatore illico se gessit, ardentibusq; bellis dissidijsq; Italię ciuitatibus uicarios imperatorio eis nomine imposuit. Primumq; uice cōmites Matheum

theum (alij Mapheum scribunt) Galeatiumq́, tum Marcum Luchinū Ioannē & Stephanū eius filios ita fouit, ut Mediolano potiti sint, idq́ eò fecit, quo facilius Romam profecturus coronam aureā acciperet. Sub idem fere tēpus Robertus rex Genua Sauonaq́ partis Guelphæ opera potitus, ad Ioannē XXII. pontificē in Gallias se contulit, suadente tum pontifice, Carolū regis Franciæ Philippi filium in Italiam cū copijs misit, Guelphis Lombardię Vercellis apud Guidonem de turre congregatis auxilio affuturū. Ingressus Vercellas Carolus dominiū urbis (quod tamē paruo tēpore retinuit) accepit. Coactis enim statim Gibellini auxiliaribus Ludouici copijs, quę cū Galeatio militabant, Vercellas arcta obsidione cingūt, ut Guelphi statim cōmeatus inopia, pòst fame cōpulsi, urbe simul cū Gallis emigrauerint, quā Galeatius dominio suo subegit, uictis deinde ingenti pugna Florentinis per Accium filium Castrutij Lucensis auspicijs militantem, qui tū in Etruria imperatoris partes fouebat. Et quo Italia turbatior esset, Ioānes pontifex Ioannem Vrsinum cardinalem in Italiam legauit, cui factionis Guelphæ gratiam multos fauores sperauit allaturam. Postquam igitur legatus in Italiā uenerat, statim Guelphos extollere & fouere, ac Gibellinos opprimere annisus est. Vnde Gibellinæ factionis principes, Ludouicum precibus pollicitationibusq́ uictum in Italiam descendere coegerunt. Qui superatis alpibus, aliquamdiu Tridenti substitit, deinde Brixiam, tum Mediolanum peruenit. Vbi ciuibus libertate donata permisit ut, XXIIII. ex omni populo creatis Reipublicę administratio relinqueretur, quibus ipse præsidem addidit, ea solummodo imperatoria autoritate gesturum, ad quæ externi magistratus (quos potestates dicunt) consueuerunt in liberis ciuitatibus deputari. Placatis tum principum animis, ab eo paululum alienatis ob Galeatium ac filios quos ob tyrannidem in carcerem coniecit, in Etruriam iter ingressus à Castrucio Lucæ honoribus summis excep-tus, imperatoribus exhiberi solitis, statim in Pisanos mouens urbis dominio potitus est. Commoratus Pisis duos fermè menses Ludouicus, Romam iturus, per maritimam tetendit oram, cumq́ Viterbium peruenisset cum Germanis Castrucijq́ militibus, Carolus statim Florentia relicta & ipse cum copijs profectus ad genitoris regni'que præsidia festinauit. At Ludouicus à Pop. Rom. ingenti honore exultantiq́ fauore susceptus coronationis pompam tamdiu distulit, quoad proceres & urbium Italicarum primores, qui continuē confluebant, omnes aduenissent, quoadúe pompa prídem ad omnia templa urbisque Basilicas destinata, & ad eius accessum inchoata, die præfixa quiesceret. Quo die Kalendas Iunij nona, Stephanus senior Columna iussu cleri & populi corona illum insigniuit. Aggressus tum rem haud tanto principe congruam, instigantibus Romanis (qui ægre pontificis absentiam ferebant) Petrum Corbarienſem ordinis Minorum fratrem erexit in Antipapam, ob quam rem à Ioanne pontifice, qui eum excommunicauerat depositus, redijt in Germaniam copijs Germanicis, quæ ab eo defecerant sub Marco Vicecomite relictis. Post Ludouici reditum in Germaniam Philippo Franciæ rege hortante, Ioannes Bohemiæ rex Henrici Lutzelburgensis filius (quem apud Bonconuentum oftendimus obijsse) ad pontificem misit sequestrum se exhibens, ut Bauarus Ecclesiæ reconciliatus, iuri quod imperij electione prætenderet, renunciaret, alteráq́ Henricus, & ipse dux Bauariæ imperator ordine crearetur. Ludouicum enim Bohemus suo suffragio elegerat, ideo'q ue propensior in hanc Bauarorum familiam fuit. Interim Florentini potiundi Luca auiditate flagrantes, eam obsedere, qua breui fuerant potituri, nisi noua Italiæ Germanica turba incubuisset. Ioannes enim Bohemus rex à Brixianis accersitus Gibellinis, in Italiam ueniens, eam urbem ui cepit: Bergomumq́ tum Spinulæ Genuensi uiro nobili ac ditissimo, qui Lucam à Germanis emerat, duo millia equitum, peditum paulominus immisit, solutaq́

Petrus Corbariensis.

ſoluta'que Lucæ obſidione, Florentinus ager populationibus & incendijs eſt fœdatus. Parma Rhegium, Mutina, regis Bohemiæ Dominium eligentes, ſe ei illi miſſis oratoribus dediderunt. Mutatáque eſt exinde rerum in Italia conditio, ut quibus pontifex Romanus rexq; Bohemus aduerſarentur, Robertus rex Florentiniq; nullo Guelphi Gibellinique nominis diſcrimine fauerent. Qua de re fœdus inierè, Vicecomites, Maſtinus Scaliger Veronenſis, Philippus Gonzaga Mantuanus, Carraria Patauinus, Eſtenſis Ferrarienſisq; cum Roberto Neapolitano & Florentinis. Quo fœdere Ioannes permotus Carolo filio cum copijs Parmæ Regij & Mutinæ urbium cuſtodiæ relicto, in Germaniam ſe contulit, maiores copias & tantis neceſſarias conatibus contracturus. Interea Manfredus Pius Carpi dominus inita cum Carolo ſocietate Eſtenſem aggreſſi ad Felicianum, fundunt, fugant'que. In ea fuſi exercitus pugna, octingentos ex Ferrarienſibus occiſos conſtat, captorum numerus ingens: in quibus præſtantiores, Nicolaus Reinaldi Marchionis frater, Theodobaldus de Caſtabilis & Iacobus de Agerijs, & plerique ciues Ferrarienſis nobilitatis primores. Interim cum equitatu quem in Germania comparauerat reuerſus, eoq; Parmæ relicto, Bononiam ad legatum ſe contulit, eiq; aſſiſtentes Brixia Bergonumq; ab eo deſciuere. Tum Accius Vicecomes Papiam ingreſſus, arcem oppugnat, præfectum regis deiecturus. Tum rex in agrum Mediolanenſem conuerſus, magnam ædidit uaſtitatem: uixq; Parmam redire potuerat, cum Lucæ ciuitatis audit rebellionem, quibus populorum leuitatibus perpenſis in Germaniam rediit, Italicas factiones perteſus. Interim pontifex Benedictus prudenti (ut ſibi apparuit) conſilio, ſed peſsimo in poſteros exemplo, Tyrannos & Lombardiæ primores principes legitimos confirmauit. Luchino enim uicecomiti & Ioanni ei Germano fratri, quem Mediolanenſem Archiepiſcopum inſtituit, uicariatum Mediolani autoritate Apoſtolica attribuit, pari modo Maſtinus Scaliger Veronæ & Vincentiæ, Philippus Gonzaga Mantuæ & Rhegij, Albertinus Carrarienſis Patauij, Eſtẽſes Ferrariæ, Mutinæ & Argentę uicariatus Apoſtolica autoritate receperunt. Ludouicus ut par, pari (ut aiunt) referret, in ditione Eccleſiaſtica multos uicarios autoritate imperiali confirmauit. Ioannem de Vico Vrbis præfectum Viterbij: Galeotum Malateſtam & fratres Arimini, Peſauri, Faniq; Ferretranum Vrbini, Nolphum & Galeatium fratres, Callij: Alegretum Clauellum Fabriani, Bulgarutium Matelicæ, Iſmedutium S. Seuerini, Gentilem Varraneum Camerini, Michaelem montis Milonis, Pangonum Cingoli, Nicolaum Boſcaretum Eſij, Guidonem Polentenſem Rauennæ, Franciſcum & Sinebaldum Ordelaphos & Forliuij & Ceſenæ, Ioannem Manfredum Fauentiæ. Fuit Ludouicus ſuapte natura, quieti animi, uir comis, blandus ac perbenignus, quibus rebus Germanos obſequentiores habuit, quàm alij armis habuere: Ideóque cum pontifex Clemens VI. Carolum Ioannis filium Cęſarem in Ludouici dedecus depreſſionemq́ue declaraſſet, Ludouico tamen uiuo ad imperium peruenire non potuit, tribus etiam poſt mortem Ludouici ſuffectis, Eduardo Anglorum rege, Marchione Miſnæ & Gunthero comite de Nigromonte.

De Carolo quarto, Caput XLV.

PEruenit tandem Carolus ad imperium neutiquam patri auoq; ſimilis, plus enim regno Bohemię, quàm imperio per eum conſultum eſt. Vuenceslaũ filium ignauiſsimum obligatis imperij publicis uectigalibus Cæſarem fecit,
Huſsitæ. XV. agentem annum. Sub hoc ſecorde ſtulto rege, ueſana Huſſitarum hęreſis, auorum noſtrorum ætate ortum habuit, quæ multis malis Germanos circum

Boemiam

Boemiam habitantes afflixit, quæ utinam ex inferiori Germania non tandem ad superiorem serpat & penetret. Libet in superiorum principum gloriã decusq; magnificum, eius ætatis uiri disertissimi omnium´que bonarum artium instauratoris Francisci Petrar. epistolæ cuiusdam uerba recitare, in qua Nerio Forliuiensis sic scribit. Omnis potestas impatiens consortis erit, cuius rei si qua antiqua non sufficerent, uereor, ne recens nobis exemplum casus attulerit, neu iam Põtifex Romanus principem Romanũ Romæ esse uetuerit, quod fama loquitur: quem nunc diademate contentum ac imperij titulo Romani non solum patitur, sed iubet: & quem dici imperatorem sinit, imperare nullo modo siturus est. Ad ipsum uero Carolum Petrarcha sic dicit. Nescio quid Romano pontifici pollicitus iureiurando interposito, quasi muro ualido seu monte iunio Rom. urbis aditu prohiberis. Quænam ista superbia est, principem Rom. publicę libertatis autorem, libertate priuare, ut cuius esse debent omnia, ipse non sit suus? Innocentius enim pontifex Carolum anno sui pontificatus 4. per duos cardinales ad eam rem missos, ea conditione coronari petmisit: ut neq; Romę neq; in Italia diutius moraretur. Sub hoc Carolo multa mala perpressa est Alsatia ab Anglis, qui deuicti Franciæ populis ingenti prælio, in quo Ioannes Bohemus Caroli pater occisus fuerat, Italiam petiere, anno salutis M.CCC.LXV.

De Venceslao ignauissimo & secordissimo rege, Caput XLVI.

MOrtuo demum Carolo Bohemo Venceslaus eius filius, ignauiter imperium potius occupauit quàm rexit, Passus est enim Husitarum hæresim inualescere. Quamquidem perniciosissimam factionem sanctæ Romanæ Ecclesię, papalisq; excellentiæ, & ceremoniarum Ecclesiasticarum contemptricem inde ortũ sumpsisse reperio, quòd doctores & insignes literatura uiri, in Pragensem Ecclesiam cathedralem nullo pacto assumebantur. Eius rei Aeneas Syluius in Bohemorum historia capite XXXV. testis est. Ne simile uirus in Germanica natione erumpat, caueat Spirensis Ecclesia, caueat & Augustensis, caueant & reliquæ, quæ eliminatis & explosis uiris doctis, ingenio & eruditione florentibus, uel eos solos recipiunt, aut recipere laborant, qui generis nobilitate tantũm superbiunt, qui uenaticos & aucupatorios canes, cincinosq; suos Christianæ Reipublicę præferunt, pro libris, quum initiati sint, clypeos & galeas ostentantes. Vt autem ad Venceslaum transeamus, is à regno Romano omnium suffragijs abrogatur. Discant in hoc Venceslao reges & principes nostri, regna & principatus fœliciter regi, conseruari, amplificariq; non posse, ignauia, torpore, ocio, luxu, delicijs, calamistratura, choreis, libidinibus, aucupio, uenatu, hastiliumq; congressu: sed labore, uigilantia, strenuitate, sapientia, uirtute, iustitia, prudentia, frugalitate, religione, Reipublicę amore. Discant ad gubernandos populos nequaquam esse opus calamistratis, ueris & fictis fatuis, pantomimis, susurronibus, effœminatis, adulatoribus, Ecclesiasticæ libertatis & omnium bonarum literarum inimicis: sed grauibus uiris, grandæuis, prudentibus, ueracibusq;, magnanimis, constantibus, integris, doctis, sapientibus & sapientiæ amatoribus. Iusto dolore commotis libuit hæc paucula contexere, nunc ad institutum nostrum reuertamur.

De Roberto Bauaro Rege Rom. Caput XLVII.

DEposito Venceslao Robertus gente Bauara comesq; Rheni Palatinus, Philippi hodierni proauus imperio sufficitur, uir iusticiæ gloria clarissimus. Hic à Florentino populo in Italiam uocatus est, ut Ioannis Galeatij (quem Venceslaus pecunia accepta ducem Mediolani dixerat, potentiã comprimeret. Comparato igitur fortissimorum militũ exercitu, in Italiam descendit, & agrum

Brixianum

Brixinam ad Benaci lacus oram ingressus, copijs Galeatij congreditur: Vbi fugam Italis perfidè cientibus fractus, Tridentum se recepit: unde uocantibus Venetis Paduam est delatus, ad quem Florentini oratores sumptuosissimo apparatu, sed copias minus egregiè instructas ut bellum resumeret, transmiserunt. Videns optimus princeps, Florentinos copiarum paucitati pecuniarum quoq; paululum addidisse, in Germaniam redijt, sinens Italos suis se militibus conficere. Moritur Robertus M C C C X. & in choro Ecclesiæ sancti Spiritus Heidelbergensis sepelitur, cum hoc epigrammate sarcophago inciso. Robertus Bauariæ dux co. rhe. Palatinus, Romanorum rex iustus, pacis & religionis amator, dignus Deo uisus, qui pro iustitia pateretur, huius sacræ ædis & collegij institutor, hic cum castissima coniuge Elyzabetha, Norici montis Burggrauia quiescit, uita functus anno Christi M.CCCX. Kalendas Iunij XV.

De Sigismundo magnificentissimo Imperatore, deq; testimonio in eius laudem Ioannis Gerson, Caput XLVIII.

SVccessit huic optimo principi in imperium Sigismundus Hungarorum rex. Ad quod regnum adoptatus fuit à Ludouico Hungariæ rege sine liberis defuncto: & Carolo eius ex fratre nepote, quem proceres Hungariæ ex Neapolitano regno, cui imperabat Ioanna cum uiro expulsa, accersierant, à regina quę odium dissimulauerat obtruncato anno salutis M CCC.LXXXV. Is Sigismundus cũ doctrina tum humanitate, tum multarum notitia princeps fuit clarissimus: sæpius cum Turcis pugnauit, terra mariq;, duos & triginta Turcorum regulos securi percussit. Tum imperator designatus ægreferens Ecclesiæ Christianæq; plebis labem (quam post mortem Gregorij XI. ambitione & superbia Gallicoq; fastu contraxerat) Vrbano VI. & Gebennensi cardinali ad pontificatum fuffectis: cum Itali & Germani Vrbanum: Galli & Hispani Clementem sequerentur, aggressus est facinus Augusto dignissimum magni excelsi'que animi. Per-

Concilium Cõstantien. agratis e nim Europæ prouincijs singulis regibus principibusq; domi conuentis, effecit, ut concilium ex omnium põtificum sequelis ad Constantiam Germaniæ urbem haberetur. Inter multa autem quæ triennio toto summa grauitate à patribus constituta sunt: illud accuratissime ac spiritu sancto indubio autore decretum fuit, ut qui in eo in conuentu pontifex crearetur quinto: & successores deinceps singuli VII. quoq; anno: pro seruanda Christianorum unione generalia celebrarent concilia: in quibus liberum foret quæcunq; in rem Christianam uiderentur corrigere, addere, immutare: præsertim in capitibus, quæ dum nutant membra, labant. Creatus est tum omnium nationum suffragijs Otho Co-

Martinus 5. lumna patricius Romanus pontifex, Martini V (ut fit) nomine desumpto: spretis Petro Luna uiro doctissimo, Angelo Veneto, Corario, & Balthesare Cossa patria Neapolitano: quorum primus Benedicti XIII. Secundus Georgij XII. ultimus uero Ioannis XXIII. nomen in pontificatu desumpserat. Venit tandem Sigismundus in Italiam per Belitionam ingressus: inde à Philippi ducis copijs pompa Cæsare digna Mediolanum deductus, accepta Mediolani ferrea corona, Romam proficiscitur, uana spe Philippi multa promittentis (ut perfidis quibusdam Italis mos frequens est) sæpe delusus, auream coronam ab Eugenio recepturus substitit Senis per menses aliquot, in gratiam pontificis reditu rus: quem eo quod morigerus Philippo Mediolanensi fuisset, læserat. Post uarios itaque hominum utrinque missorum conatus, tandem Caspare Sliechio Sigismundi epistolarum magistro oratore misso (qui prima legatione re infecta redierat) impetratum extitit, ut Sigismundus Romam ueniret imperiali diademate, coronaq; sublimandus. Ingressus est igitur urbem ad diem Kalendarum Iuniarum XI. populo Romano cum ingenti illum pompa deducente ad scalas

usque

usque Basilicæ diui Petri. Pontifex cum cetu Cardinalium obuius comiter eum excepit: ac pridie earundem Kalendarum solennissimis ceremonijs coronatum, Imperatorem Augustumq; salutauit. Abiens tum Roma Basileam petijt: dissidioq; patrum, qui tum ibi concilium à Martino v. indictum & decretum & ab Eugenio confirmatum approbatum'que (Platina teste) celebrarant, ab Eugenio dissidentium sedato: rebus Hungaricis rite dispositis Bohemiam ingressus, Pragam peruenit, anno M. C C C C. X X X V I. ab ortu saluatoris nostri, ubi summis honoribus exceptus est: quem paulo antè Bohemorum hostem censebant. Hic Sigismundus cum mœrore dicebat, sese erubere propter ignorantiam principum electorum, qui Latinas literas neq; legere neque intelligere possent. Habuit semper in precio literas & literatos, quos supra illos qui genere tantùm sunt nobiles, in sua curia honorabat & locabat. Interrogatus cur id faceret, nobilitatemq; & illustri natos genere contemptui haberet, Respondisse fertur: Iurè ego illos colo, & cæteris mortalibus præfero, quos natura parens & Deus singulari donauit ingenio. Subijciens illos solos à natura & Deo posse creari, in sua autem potestate situm, ut nobiles titulo & prædijs faceret: quocũq; placeret momento. Is etiam Sigismundus, quod præterire nolo, in consilio Constantiensi reprehensus à Cardinale Placentino, quod contra grammaticorum præscripta, uerba quædam pronunciasset: non minus scitè quàm festiuiter ait: Placentine si supra leges sumus, quare supra Grammaticam esse non possumus? Placentine Placentine, quibus places, placeas, mihi non places. Latinum autem Sigismundum fuisse & sapientem Christianissimus Parisiensis gymnasij Cancellarius, Ioannes Gerson testis est, qui inter alia de Sigismundo, sic loquitur: Serenissimus rex Romanorum semper Augustus, priusquam recederet ab hoc concilio ad locum conuentionis cum rege Arragonum, & Petro de Luna, orationem ad depuratos habuit, omni religiosa pietate, & uera Christiana religione plenissimam: quam his auribus non sine pia compunctione lętus audiui. Idemq; Theologus Ioannes Gerson alio quodam in loco sic ait. Vellem daretur hic spacium, quo Sigismundum Romanorum regem comparare liceret ipsi Dauidi. Eum namque incredibilis labor actiuæ uitæ iugiter exercet, in quo nihilominus spiritum deuotionis habere compertum est per collocutiones deuotas, usque ad compunctionem lachrimosam audientium: his oculis uidi & sensi, laus erit hæc Sigismundi sempiterna. Multi uero nostrę tempestatis principes literas odiunt, Latinum sermonem (etiamsi sciant) loqui erubescunt. Quoniam assentatores & calamistrati qui principibus noctes & dies (sicut sanguisugę) cohęrent, auertunt in nocentissimos eorum animos, dicuntq; esse indecorum principi, discere & loqui nobilissimam linguã. Timent enim impudici canes, & mãcipia diaboli, si principum spiritus inuadat sanctus ardor sapientię, studij literarum, prudentię, uirtutum, historiarum, sese qui barbarie pleni sunt contemptum iri: doctosq; & graues uiros sibi pręponi: qui nihil didicere aliud quàm aucupio, uenatu, furore, blesphemia, crudelitate, luxu, ocio, ludo, libidine, humani sanguinis Ecclesiasticarum rerum siti, & omni uestium, uerborum, operum leuitate, calamistraturaq; nostram nationem infamem despectamq; reddere, ac mirum in modum apud exteros contemptam & abiectam. Persuadent etiam principibus nostris hę sanguisugę posse Respu. fœliciter gubernari, absq; doctis & literatis hominibus: nescientes quod scribit Iulius Capitolinus historiographus elegantissimus, Marcum Imperatorem semper in ore habuisse, illud diuini Platonis, Florere ciuitates si aut Philosophi imperarent, aut imperatores philosopharentur.

Gerson.

De Alberto Austrio Bohemiæ & Hungariæ rege, in Romanum regem electo, Caput XLIX.

MOritur tandem Sigismundus, morbo ætateq; confectus: Albertū Austriæ ducem generum suum, uirtute præstantem, & nobilitate sublimem, regnorum relinquens hæredem, quem statim nobiles Hungariæ Bohemorumq; regem salutauere. Postquam uerò Sigismundo parentatum extitit, Albertus in Alba regali cum coniuge sua Elisabetha summo consensu applausuq; populi coronatus est. Inter hæc electores imperij apud Francofordiam conuenientes, rem Romanam Alberto demandat: quam sine Hungarorum consensu ei accepta re non licuit: id enim eis promiserat, cum se regem suscepere. Postremo multis utrinque habitis consultationibus, proceres Hungarorū Friderici ducis Austriæ tunc adolescentis, hodie imperantis, præcibus uicti, assensum præstiterē: imperium summa Germanorum congratulatione, ab Alberto est susceptum. Praeconterea factionis hæreticæ caput, Polonorum regis fratrem XIII. annos natum regem appellat: qui acceptis à fratre auxiliaribus copijs Alberto Bohemiam ingredienti aliquandiu restitit, nunquam ausus tamen pugnæ facere copiam: relicto tandem Vlrico Ciliæ comite, qui regnum gubernaret, Albertus in Slesiam peruenit. Vratislauiensibus uerò (ea est ciuitas nobilis ac potens & Slesitarum caput) Albertum Marchionem Brandenburgensem petentibus belli ducem dedit, qui Poloniam sæpe infesto exercitu petens, longè latéque prædas egit. Per idem tempus Despotus Seruiæ cum sacerdotibus & nobilibus in Hungariam profugerat, Turcorum impetum ueritus: uno tamen filio relicto, qui Synderauiam castellum in ripa Danubij situm, & à Turcis obsessum tueretur. Albertus ab Hungaris inuitatus, obsessis opem laturus Budam petijt, aduersus Turcos exercitum ducit: qui iam castello capto aufugere, quo rescito Albertus dimisso exercitu Budam redijt, ubi ob calorem æstatis uehementiorem morbum contraxit, tandemq; in Austriam iturus in rure quod Longum dicitur condito testamento VI. Kalendas Nouembris decessit. Princeps clementia, liberalitate, ac fortitudine clarus, & qui cæteris rebus longe religionis studium antepossuit. Regina Elysabetha Sigismundi filia VIII. Kalend. Martij iam filium ex Alberto pepererat Ladislaum nomine, cui postea utrunque regnum paruit.

De Ladislao Alberti filio, & de integritate Alberti Bauariæ ducis, Caput L.

ALberto tamen mortuo Bohemi de rege disceptātes (licet regina filium regem natum in cunabulis ostenderet) in uarias partes scinduntur: nonnullis persuadentibus, ut Sigismundi & Alberti regum meminerint: neporem filiumq; Ladislaum ne respuant contra ius gentium paternam hæreditatem puero ne adimant, fœdera cū Australibus percussa ne uiolent, pupilli atq; orphani misereantur. At in contrarium ij, qui Albertum regem oderant proponunt regem à regendo dictum, qui regendus sit regem uocari non posse. Victi hac sententia. Albertus itaq; Bauariæ dux maiore procerū uoto rex declaratur, qui apud Venceslaum quondam nutritus, Bohemicę linguę non ignarus erat. Mittuntur primores regni ad Albertum, inter quos Vlricus Rosensis, homo se tempori accōmodās: prius enim partes Alberti regis fouebat. Albertus uerò Bauarię dux ea uirtute atq; animi moderatione usus est, quę postquàm reges esse cœpere rarissima semper fuit. Nam uenientibus ad se Bohemorum legatis, amplum & nobile regnum offerentibus gratias egit, qui se unum ex omnibus regem elegissent: multa se idcirco Bohemis debere. At cum regis Alberti filius extet, indecorum esse cum alterius iactura regnum quærere: paternam hęreditatem nulli auferē dam: qui pu-

qui pupillos suo iure spolient Deo atq; hominibus inuisos. Quàm præclara sen tẽtia iusto atq; optimo principe digna. Hic Albertus Bauariæ dux, Bohemorum rex esse potuisset: sed quia iure nõ potuit assumere, recusauit. Si idem nostri hodie principes efficerent, ut nulli suum contra Deũ & prẽter iustitiã auferrẽt, dominandi libidine incitati, pax uigeret, iustitia crescceret, charitas seruaretur, pauperes non interirent: pacta & fœdera manerent illesa, Christiana uirtus in Turcis augeretur, principibus ad superos pateret ascensus, qui sua uiolentia & iniusta principatuum & dominiorum amplificatione seipsos in stygiam paludem præcipitant atque demergunt.

De *Friderico Austrio tertio Romanorum Imperatore*, Caput LI.

FRidericum Austriæ ducem, electores Cęsarem decernunt, qui & tutorem Ladislao se pręstitit, magnaq; cum integritate ei muneri pręfuit. Tandẽ inssidijs, disceptationibus multis bellis etiam Bohemicis, Hungaricis, & Australibus fatigatus, adolescentem pręstantissimę indolis regnis suis tradidit: quem nondum principatus initiantem, Bohemi per Georgium Podiebratium & Rochezanam hęresiarcham (quod Fridericus uir integerrimus semper ueritus fuit) ueneno interfecere: qui solus patriæ spes, & fidelium defensor futurus sperabatur. Fridericus ad imperium legitimis suffragijs suffectus, compositis statim Austrię rebus: primo quoq; tempore legem promulgat, qua cunctos sub imperio degẽtes, ad pacem minis pœnisq; compellit, tum animum sedulo applicat ad scissionem tollendam, quæ inter Eugenium pontificem, & concilium Basiliense suborta fuerat: in quo conuentu Amedeus Sabaudiæ dux (reprobato Eugenio (in pontificem per patres declaratus fuerat: qui ad eam rem suasu Philippi ducis Mediolani hostis Eugenij inducti, Amedeum ipsum, Felicem uocatum, pontificem creauere. Eugenio tamen uiuo res subdolè orta sopiri non potuit, quamuis crebris legationibus, prudentissimorumq; deniq; principum consultationibus sæpius laboratum sit, dissolutio tamẽ concilij facta fuit, tum peste, tum bello quod Eugenius Suitensibus & Basiliẽsibus (ut Platina scribit) indixit per Lodouicum Caroli regis Franciæ filium, quem Delphinum dicunt: qui uictorem exercitum Anglis ex regno peturbatis, in Basilienses per Sequanos ingressus traduxit in Germaniam: uictiq; prælio haud ineruento (subsidiaria manu Suitum, quæ Basilienssibus ex omnibus Suitũ pagis selectissima subsidio missa fuit) mille & quingentis peditibus occisis Germanos se uicisse (ut mos est populo) omnes iactantes, quamuis triginta Gallorum millia in paucos Suitenses duo forsitan millia irruerint, tamen Suitenses quasi leones per omnem exercitum uagantur, cędunt, sternunt: & non in spem uictoriæ, sed in mortis ultionem pugnant, nõ tam uicti quam uincendo fatigati, prius tamen octo milibus Armeniacorum occisis cecidere. Quatuor Armeniaci Heluetium unum insequebantur: quem cum telo confodissent strauere, & in corpus exanime grassabantur. Tum alter Heluetius huius comes arrepta bipenne in quatuor illos effœminatos Gallos fertur, ex quibus duos obtruncauit, alios uero in fugã dedit, ac deinde semianimũ corpus super humeros recepit: & inuitis hostibus portauit ad suos. Quia gloriosa uictoria Gallorum, qui non uirtute, sed multitudine superarunt, sicut ipsi solent, & de eis Vegetius scribit. Miror Lepontios, siue Suitenses paratiores esse ut sequantur signa regis Gallorum, quam Romanas aquilas, cum tãta immanitate, tamq; lugubri & cruenta strage superiores Gallorum reges absq; iusto bello sine causa, innocentes eorum patres, & auos, patruos, & auunculos affecerint & obtrũcarint: Miror etiam quosdam ex nostratibus, qui cupiunt Gallos Germaniæ dominari, quos ego admonitos uelim, ut quis finis inde sequeret, diligenter cogitent, neq; post factum (quod stultissimum esse Cicero affirmant) dicant: Non putaramus

id, quod crebro fatua res est negotio peracto consilium quærere, & acta agere? Qui principibus nostris persuadent gratiam inire fœderaq; percutere cum externis regibus, si nihil aliud agunt, id saltem efficiunt, ut nunciꝰ & oratores facti, alienas terras uideant: uiarum solatio tædium leuent, & donaria forsitan secum asportent. Optarem principes nostros pituita non laborare, sed mutuã inter se concordiam fouere, quo solo patriæ salutem, sibi decus, posteritati gloriam, ac in quoslibet hostes præcipue Turcum collectas inuictasq; uires cõpararent. Nihil utilius, nihil felicius credidit Cornelius Tacitus Romanis optari posse, quam si eorum inimici inter sese dissiderent & altercarentur. Maneat, inquit Cornelius quæso, duretq; gentibus si non amor nostri, at certe odium sui, quando urgentibus imperij fatis, nihil iam præstare fortuna maius potest, quàm hostium discordiam. Missa istæc. Gallorum rex Ludouicus quum Delphinis cum suis Armeniacis, & cæteris gentibus uniuersos Alsatię uicos, & nonnullas ciuitates, dolo, proditione, blandimẽtis intrauit, fidem ægre seruauit, Alsatiam omnem (ea tempestate Cerere & Baccho locupletissimã) miserè uastauit, ędes, domos, casas ciuium, pauperũ uiduarũ, orphanorum, puerperarũ, atq; ipsa Dei nostri sacratissima templa, igni succendit: Anno salutis nostrę M.CCCC.XLIIII. atque ubi satis sęuitum est in nostros, cum omnia uitę alimenta uorasset, & omnem libidinẽ in ruinas ædificiorum expleuisset, mutilum fractumq; exercitum in Gallias cepit traducere) uix tertia adhuc salua, incolumi restanteq;. Neque illam quidem partem (quantulacunq; supererat) integram & illesam potuit ad sua reducere: quamuis crederet Alsaticos usqueadeò perculsos & attonitos, ut nec quispiam eorum ẽ secretissimis suis penetralibus, prodire foras auderet.

De triumpho & uictoria ciuitatis Seletstadij in ultimam Delphini cohortem. Caput LII.

CVm enim Delphinus cum copijs quæ supererant, diuisis tamẽ exercitibus in Galliam redire instituisset, ultimam eius cohortem (quæ prædas pallium ab Alsatibus direptas tutò sperabat ad Galliam inferre) Seletstadienses ciues, & magna præsertim eorum cohors, qui ex uicis & uillis eò tanquam ad asylum fugerant, quibus una salus fuit, nullam sperare salutem, sese de ensis saltibus & præruptis nemoribus abdentes, insperatoq; ex insidijs erũpentes duce & primipilo Conrado (quem Longum uocabant) secundis auspicijs obtruncarunt, ac spolia quæcunque fœliciter ademerunt, eaq; in uicum imperij Romani Seletstad cum magno plausu glorioſe inuexerunt. Belli quoq; signa plurima magnifice per nostros conciues à Gallis capta, in templo parochiali, ut omnibus uidenda pateãt, erecta sunt, in tanti triumphi memoriam sempiternam. His rebus concilio dissoluto diffractoq; neutralitas (uti dixere) schismaq; Nicolao quinto pontifice Romæ à Cardinalium senatu electo, Friderici Cæsaris industria, religionisq; ac pacis amore tum cessauere. Floruere sub Friderico tertio Germani ingenio præstantissimi tum in Theologia, tum in mathematica & astrorum scientia, humanitatisq; literis, non solum Latinis, sed etiam Græcis, quales fuere (ut aliquos saltem & perpaucos nominemus) Nicolaus de Cusa Treuerensis, Cardinalis sancti Petri ad uincula, & episcopus Brixiensis, cuius doctrinã omnifariam, eloquentiam singularem, ingenium perspicacissimum, Ioannes Andreæ Alerienſis episcopus eleganti quadam epistola laudauit & extulit. Hic Nicolaus de Cusa multa in mathematicis, multa in Teologicis disciplinis cõscripsit. Cardinalatum doctrina & uirtutibus meruit. Obijt Tuderti, anno salutis nostræ M.CCCC. die undecimo Augusti. Eius cadauer Romam aduectum, & in Ecclesia sancti Petri ad uincula humatum est. Floruit & ea tempestate Iacobus Teutonicus ordinis Carthusiensium, uir diuinarum scripturarũ eruditissimus, dubiorum cautissimus interpres, uita & cõuersatione deuotus, hac tempestate multa ac uaria edidit opuscula:

Der lãg Cõrat. Erat ministeꝛ publicus ciuitatis Seletstadiensis

Nicolaus de Cusa.

Iacobus Teutonicus.

ſcula: de anno Iubilei, de cauſis paſſionum, de moribus Chriſtianorum, de tri-
plici ſtatu hominum, & multa alia clariſsima opera quæ numerare eſſet longiſsi-
mum. Dionyſius natione Teutonicus, & ipſe Carthuſienſium ordinis profeſſus *Dionyſius*
uir & Theologia atq; aliis diſciplinis eruditiſsimus, hac tempeſtate claruit. Qui
cum eſſet ingenio ſubtilis, & eloquio diſertus, tot & tanta ſcripſit, ut numero o-
puſculorum præter diuum patrem Auguſtinum, apud Latinos parem habuerit
neminem. Laurentius Teutonicus patria Colonienſis Theologus atq; philoſo *Laurentius*
phus maximus, diſputator acerrimus, gymnaſiũ Pariſienſe, quod in Gallijs cele-
bratiſsimũ eſt, legendo, docẽdo, diſputãdo, ac uarios libros ac tractatus cõponẽ-
do egregie illuſtrauit. Henricus natione Teutonicus patria Colonienſis, præcla- *Henricus*
rus fuit theologus & declamator, haud ignobilis, homo admirandæ ſanctitatis.
De præceptis decalogi, de tribus partibus pœnitentiæ, & multa alia opuſcula *Ioannes ab-*
edidit. Ioannes abbas in monaſterio Nuicellenſi in Theologia & iure Canonico *bas*
eruditiſsimus, ſcripſit opus inſigne & præclarum, quod prænotauit, Canonum
& Bibliæ concordantia. Benedictus Germanus patria Saxo, ex Halli oppidulo *Benedictus*
ortus, oriundus'que, in Philoſophia & Theologia atque aliis liberalibus diſci- *Saxo*
plinis habitus fuit clariſsimus. Apud Gymnaſium Erphordienſe, quod apud *Laus Gym-*
nos Germanos principem locum obtinet, multa dictauit opuſcula, doctrinæ nõ *naſij Erphor-*
prottitæ, nec lectionis ſpernendæ, ut ſunt eius commentaria in Geneſim, in Exo *dienſis*
dum, in Leuiticum, in Deuteronomium. Georgius Purbachius Viennæ mathe- *Georgius*
maticam docuit, & in eo diſciplinæ genere pulchra uolumina reliquit. Ioannes *Purbachius*
de Monte regio Georgij Purbachij diſcipulus, uir & Græca & Latina lingua pe- *Ioannes de*
ritus, cuius ingenium in mathematicis & aſtronomicis diſciplinis etiam doctiſ- *Monte regio*
ſimi Italorum extollunt & laudãt, ut Picus Mirandulanus comes in libris contra
aſtrologos. Is multa ſcripſit in Gerhardum Italum natione Cremonenſem, quæ
& grauia ſunt & erudita. Scripſit præterea Ephemerides. Mortuus eſt Romæ
accitus à Sixto quarto pont. max. ut emendaret paſchalem Dionyſij compo-
tum. Ioannes de Vueſalia ſacerdos, Theologus, & philoſophus acutiſſimus *Ioannes*
Erphordienſe ſtudium uarijs libris à ſe editis, & lectione publica mirifice deco- *Vueſalien.*
rauit. In eodem etiam ſtudio, & eodem tempore floruit Lutrea doctor inſignis.
Rodolphus de Grunigen natione Friſo, uulgo Agricola cognominatus, phi- *Rodolphus*
loſophus fuit & rhetor atque poëta eminentiſſimus, Græcæ, Latinæ, atque He- *Agricola*
braicæ linguę non imperitus, cuius ingenium & eruditionem, & ſummam mo-
rum innocentiam ipſi Itali laudauerunt. Extat Hermolai Barbari uiri eloquen-
tiſſimi in eundem Epithaphium Rudolpho noſtro teſtimonium præbens, quod
hic ſubnotatum eſt,

Inuida clauſerunt hoc marmore fata Rudolphum
Agricolam, Friſij ſpemq; decusq; ſoli.
Scilicet hoc uiuo meruit Germania, laudis,
Quicquid habet latium, Græcia quicquid habet.

Illuſtrauit & legendo & docendo gymnaſiũ Heidelbergenſe, in quo obijt An-
no 1486. die 28. Octob. Ex Hebræo Pſalterium tranſtulit, ex Græco autem quę-
dam Platonis opera, Dionyſium Areopagitam quo minus traduceret, morte eſt *Petrus*
impeditus. Compoſuit & alia multa. Petrus Schottus, patria Argentinenſis, cõ- *Schottus*
terraneus noſter in literis politioribus Rodolpho Agricola uſus præceptore, Bo
nonię Pontificias & Cęſareas leges ſitienter hauſit. In Academia Pariſienſi phi-
loſophiam & Theologiam didicit. Fuit in his omnibus eruditiſsimus, nec Græ-
cas literas ignorauit. Scripſit multa, quę paſſim circumferuntur. Mortuus eſt Ar
gentinę in natali ſolo, Anno ętatis ſuę XXXI. Sepultus in ędę ſancti Petri lu-
nioris, in qua Canonicus fuit. Mihi quoque ſumma amicitia iunctus extitit, & *Conradus de*
meum Thomam Vuolphium iuniorem ex baptiſmatis fonte leuauit. Conra- *Zabernia*

dus de Zabernia oppidulo, ad quartum lapidem ab Argentina distante, ipsum Amphionem in Musica superauit. Scripsit de Monochordio librum unum. De modo bene cantandi librum unum, & Sermones uarios, quæ omnia & ingenij, & doctrinæ suæ magnitudinem præ se ferunt. Fuit idem sacerdos, & homo magnæ religionis, & exempli recti. Henricus Friso Carthusiensis scripsit Chronicam sui ordinis, librum de nouitiorum institutione, de uita Christi librum unum, & multa alia. Nicolaus patria Moguntinus, philosophus ac Theologus fuit clarissimus, ob eius ingenium & doctrinam, Friderico Augusto fuit charissimus. Edidit commentaria in libros Sententiarum, & alia quædam non absurda. Iacobus Stralem sub hoc Friderico philosophus & Theologus, fuit in studio Colonienſi maximus senex. Theologiam glorioſissime docuit: Composuit acutissimas quæstiones in Apocalipsim Ioannis Apostoli. Gabriel Byel Spirensis, Theologus fuit magni ingenij & doctrinę, legit in Gymnasio Tubingensi cum summa gloria. Composuit commentaria in libros Sententiarum, & quædam annotamenta super Canonem missæ. Et hos paucos ex multis numerasse sufficiat. Vt autem ad Fridericum Cæsarem redeamus, fuit is Imperator pacificus, quietus, admirandæ patientiæ & mansuetudinis, clero & Ecclesiasticis nequaquam inimicus.

Henricus Friso

Iacobus Stralem

Gabriel Byel

De *prudentia rei militaris*, Caput LIII.

VT ad rem, de qua scripsimus reuertar, sine controuersia quæ sentio dicam. Administratores bellorum (quos ueteres Imperatores appellauere) Germanos iurè optimos esse & fuisse dijudicandos. Si enim exercituum copiã, metandorum castrorum peritiam, signorum collationem acierum instructionem, ordinum pertinacem obseruantiam, oppidorum solertem oppugnationem considereſ, ac commeatuum facilitatem frugalitatemq; & stratagematum, insidiarumq; faciendarum & uitandarum occasionem, neq; Athenienſium Miltiadem Cononis filium, neque Themistoclem Neoclis, neq; Aristidem Lysimachi, neque Cononem Miltiadis, Alcibiadem Cliniæ, neque Thrasibulum, Cononem, Iphicratem, Chabriam, Thimoteumq; Germanicis Imperatoribus comparabis. Cedant Lacedæmonij, Leonidas inclytus rex, Pausanias magnus homo, sed in omni genere uitæ uarius, Lysander qui Athenienſium rempublicã destruxit, tyrannidẽq; Athenis induxit, Agesilaus optimus rex, cum à cęteris scriptoribus, tum à musa Attica Xenophonte Socratico collaudatus, quod Thebanũ Epaminundam quem & musicen didiciſſe egregieq; saltaſſe comperimus, quod multis à persona principis alienum uidetur, qui alienos mores ad suos referunt, & quę eis leuia uidentur pari modo apud cęteros arbitrantur esse, sed Grecanicum est etiam in olympia uincere, Epaminundam dico Pelopidamq; num Germanis comparabimus? Quid de Philippo Amyntę filio, Alexandroq;, Antigono, Demetrio, Seleuco, Lysimacho: Ptolemęo, innumerisq; alijs, qui ab Alexãdro uelut ex equo Troiano prodierũt. Habeant Pœni, Hamilcares, Hãnibales, Asdrubalesq;, relinquant nobis Henricos, Othones, Carolos, Conrados, Fridericosq;. De Assyrijs, Persis: Partisq; non est quod dicam, cum principum nostrorum serui libertiq; illis Ventidios præstare queant. Possem hic mille numerare Germanos, qui humili loco nati, nullis opibus, sed sola militaris rei pericia & fortitudine subnixi, apud exteras gentes immortalem gloriam sunt consecuti. Sic nostra ætate Martinus Schuuartzius nouus homo, sed instar Marij in armis acer fuit bellicosus: cuius pugnæ & uictoriæ in conuiuij Britannorum (quorum tamen hostis fuit) crebrimè ad lyram cantantur.

Martinus Schuuartzius

De triumphis

De triumphis Germanorum, quodq; eorum auxilio Romani quoq; triumpharint, & quod ipsi quandoq; Romanis dominati sunt, Cap. LIIII.

Dicam igitur quod sentio, Germanos omnium gentium uictores, uictricemq; gentem, nedum à Romanis, qui omnium gentium præstantissimi uictores triumphatoresq; fuere, uictos: & si partem aliquam Germaniæ uicere, non tamen sine Germanis uictoria potiti sunt, sed Germanis militibus totius mundi populos deuicere. Meritò igitur gentem uictricem dixerim, cuius auxilijs alij certauere. Ipsi in toto liberi, tandem florentissimam Romanorum rempublicam aggressi, quod stipendijs militiaq; meruerant imperium, & totius orbis monarchiam sibi subdidere. Vera nobilitas, uera libertas, & in militari disciplina fides, robur, fortitudo, constantia apud Germanos sunt. Historicos mirari soleo ueteres probatissimos (non hos nouos, qui assentatores potius appellandi sunt) quibus cum lex prima sit, ne quid falsi dicere audeant, deinde ne quid ueri taceant, ne qua suspitio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis, quod cum de Germanis scribunt, uitia narrare soleant (& ea quidem minima) uirtutē uerò quasi cum fastidio celebrant, uel non debita laude pronunciant, uel silentio prætereundo obticent. Quare optime Alexandrum dixisse legimus, cum Achillis sepulchrum contemplaretur, ô Fortunate adolescēs, qui uirtutum tuarum præconem Homerum inueneristi. Si Germanis ea copia scriptorum fuisset, quæ fuit Imperatorum, non Scipiones, non Catuli, non Metelli frequentius in oratorum ore uersarentur, quàm Germanorum & duces & Imperatores, atquè maximarum urbium expugnatores: quorum tanta copia, tanta multitudo fuit, ut si quispiam domesticas solùm res bellicas narrare inciperet, Liuianum codicem scriptis suis exequaret.

De Friderico Bauariæ duce Philippi Moderni patruo & tutore. Cap. LV.

Sola Friderici Bauarorum ducis uictoriosissimi facinora, propriam historiam flagitarent: qui Philippi principis Comitis Rheni palatini tutor & patruus, raptores & prædones in primis exterminauit, eorumq; arces solo æquauit, terrarum itinera uiolatorib. tutissima fecit, tres illustres & nominatissimos hostes deuicit, pridie Kalend. Quintiles, Anno Christi M.CCCC.LXII. inter Rhenum & Neccarum miliari uno ab Heidelberga, ad hoc inligne certamē Dietherus Isenburgensis, Maguntinus archiepiscopus suppetias Friderico tulit. Moritur Fridericus pie, & catholice, corpusq; eius humatum est, in sacello à seipso extructo apud Cordigeros Heidelbergenses. Cuius sarcophago sequens Epigramma per circuitum inscriptū est: Fridericus Bauarię dux, Comes Rheni Palatinus, sacri Romani imperij elector, salus patriæ, prædonum fulmē, tris illustres hostes uicit, principatum auxit, & pie uiuis excessit, Anno 1476. pti die Idus Decemb. Fuit eius uitæ socia uirtus, gloria mortis comes.

De alijs quibusdam ducibus Bauarorum. Cap. LVI.

Fuit eidem Friderico pater Ludouicus princeps pius, qui Christi amore Hierosolymam petijt, Teutonicorum ordini apud Prussiam auxilio fuit, Latinas literas (Catonis exēplo) senex didicit, quod audierat Sigismundum imperatorem dixisse, pudore sese affici ob principum electorum barbariem, qui latinarū inertes essent literarū, quas tamen necessariò scire deberent. Fuit hic Ludouicus Roberti filius, quem inter Romanorū reges posuimus. Cuius pater eiusdē nominis, duobus prælijs Saxones uicit, & Robertus auus Heidelbergense gymnasium

nasium ex Ecclesiasticis prouentibus in Germania primum & antiquissimum fundari & erectum iri à summo pontifice impetrauit. Habuit quoq; Fridericus fratrem Ludouicum principem pacificum. Huic successit Philippus. Patruelem habuit Fridericus Roberti regis nepotem, Albertum Argētinensem episcopum qui nostra ætate non solum cum pace & mansuetudine terras suas gubernat, sed etiã Ecclesiæ, cui præest nõ modica iura, quondam alijs obnoxia restituit. Quod ego monitis Cancellarij sue illustrissimę clementię redegi in sequens carmen,

Ex ducibus Bauaris Albertus episcopus istam
Instaurans arcem nobile fecit opus,
Mansuetusq; pater patriæ, multo ære redemit
Vallem, cui nomen perflua Prusca dedit.
Et quæ pro uoto poterant intrare Trebotes
Oppida cum pagis libera restituit.

Hoc idem soluta oratione hortatu meo ita expressisti.

Albertus ex illustri Bauarorũ familia procreatus, Argentinensis antistes hanc arcem carie & uetustate inter rudera penè obrutam pristino decori munificentius restituit. Vallem eius fluminis quod incolæ Pruscam uocãt graui ære redemit. Arces ac oppida quæ ciuibus Argentinensibus seruitutem seruiebant uelut alter Brutus libertati reddidit, Anno à natali Christiano secundo & quingentesimo supra millesimum Alexandro VI. Pont. Max. & Maximiliano Augusto regnantibus. Valete posteri.

Operis uiolator infœlix esto.

Ad Ludouicum patrem Friderici redeo: cuius ætate ex Germania supra quadraginta milia equitum, ad Bohemicam sectam expugnandam conuenisse traduntur. Aberat autem Ludouicus Palatinus, qui comiti Videmontensi contra Lotharingos opem tulit, missis ab eo in eius auxilium electissimis ex uniuerso palatio militibus: qui miseranda leuium quorundam Gallorum siue fuga, siue proditione circumuenti sunt, deseiri sunt, occisi sunt, anno salutis nostræ M.CCCC.XXXI. sexto Noñ. Quintiles. Ad id bellum Videmontanum Ioannes Vuimphelingius patruus noster adolescentem forma & nobilitate insignem de Hohenstein nuncupatum iussu amicorum secum duxit: horrendamq; proditionem pro sua prudentia sentiens, innocentissimum ephebum à strage fœlicitet eripuit, incolumemque in terras nostras reduxit. Fuit ille adolescens ex nobilioribus patriæ nostræ familijs satus, licet & aliæ quoq; sint altissimo stemmate fulgentes, qui & principes auos possint referre: sicut est mi Thoma, Albertus ex familia Ratsamhusen in Stein, Theseus tuus, quem tu ubiq; cõcelebras, utpote hominem & literis & ingenio, & armis clarissimum. Magnam mihi uoluptatem affert mirum hoc Tetrastichon Bapistæ Mantuani, ubi in amicitiam uestri ita suauiter olim Bononiæ cecinit,

Fallor? an hi duo sunt? duo sunt, pluresq; duobus
Hi duo, & hi plures, sunt tamen unus homo:
Corporibus duo, corde unus, cum uiribus addat
Vnio, tres, sic sunt, tres duo, & unus homo.

Ausim hoc affirmare, me nihil in lingua Latina repperisse quod his uersiculis sit tersius, qui uel soli sufficiunt ad uestri nominis immortalitatem. Sed nunc de bello Burgundico paucula dicamus.

De bello Germanico cum Carolo Burgundionum duce, Caput LVIII.

POssem hic bellum afferre Germanicum cum Carolo Burgundionum duce magnanimo & potenti Maximiliani regis nostri socero, qui Romani imperij loca

ſi loca ſiticns, Nuſſiam expugnare, Lotharingorum ducem uincere, & Alpinates, Alſaticoſq; ſupprimere moliebatur. At illi Nuſſia conſtantiſſime multis mẽſibus reſtitit, duce ac patrono gauſa Hermanno Haſſiæ tum Lantgrauio, hodie archiepiſcopo Agrippino: tandemq; Friderici Imperatoris tertij aduentu, abſq; bellorum periculis, & abſq; humani ſanguinis effuſione prudenter erepta. Caro lus autem paulopoſt à Germanis tum Leopontijs aut Alpinatibus, tum Alſaticis, potiſſimum uerò Argentinenſi Repub. ex conſilio & ductu Petri Schotti prudentiſſimi ſenatoris. (Is eſt ille Petrus Schottus, qui poſtea filium habuit eiuſdem nominis, cuius editiones & ingenij monumenta ubique expetuntur.) Reinhardo Lotharingiorum duci auxiliantibus, à Nanſenſi ciuitate pulſus, uictus & occiſus Ignorabat enim Carolus (licet antehac perſæpe fugatus) nõ tam facile Germanos atq; leues Gallos (quos pro nutu ſuo uſque ad Pariſiorum urbem uexauerat) bello uel abſterreri uel ſuperari poſſe. Verum conſtantiam, magnanimitatẽ, rei militaris exercitationẽ, in trepidasq; Germanorum uirtutes crebra ſua fuga, theſauri maximi direptione apud Granſiam, terribilicq; ſuorum ſtrage apud Murtham expertus eſt, & tandem apud Nanſen miſerrimè occiſus Anno Chriſti ſuper M. CCCC. LXXVI. nonis Ianuarijs. Cecinit de hac re tritũ diſtichon Ludouicus Dringenbergius præceptor meus.

Nuſsiá *Hermannus* *Haſſo*

Reinhardus Lotharingorum dux

Granſiá *Murtha*

Oppida trima tibi dux Carole dura fuere,
In rebus Granſen, grege Murtheim, corpore Nanſe.

De *Conſtantia Germanorum*, Caput LVIIII.

NEc ſolum Nuſſia Carolo conſtanter reſtitit, ſed aliæ quoque Germanorum ciuitates, hoſtibus ſeſe obſidione prementibus, animosè reluctatæ ſunt, adeò ut exercitus, moræ impatiens, deſperata expugnatio ne ſæpe caſtra ſoluere uideretur. Hanc conſtantiam uidimus in Vualshuda à Lepontijs, in Vuyſſenburgo à Friderico Bauarorum duce, in Metenſibus à Lotharingorum ducibus, in Brunſuiga ab eiudem nominis principibus, in Bopardia à Treuerorũ pontifice occupata & afflicta. Non enim ſolent Germani, cum obſidione prẽmuntur facile hoſtem admittere, aut ſe in deditionem offerre. Quippe qui prouerbium iſtud exterorum apprime deteſtantur & abhorrent. Viuat qui uincit.

De *bellis Maximiliani*, Caput LIX

MAximilianus Auguſtus, ipſo Alexandro Magno uerè dici poteſt militarior: Qui dum adhuc ephebus eſſet & imberbis: cum Gallis, Sicambris, Batauis, Morinis, Eburonibus: nunc eques nunc pedes in prima acie congreſſus, de eiſdem etiam glorioſiſſime triumphauit. Sub hoc Cæſare fœliciſsime degimus, quo uno nemo in ſuos benignior, in hoſtes atrociot. Cuius præclaras uictorias, Hermolaus Barbarus, & Marullus Conſtantinopolitanus, hic uerſu, ille proſa laudauit. Fortitudinem Cæſaris noſtri ipſi quoque Pannonij, mortuo Mathia Coruino eorum rege, cum magna calamitate (quod nemo ignorat) experti ſunt. Sed quid uetera memoramus? quid illud eſt? quod ſuperiore æſtate fœliciter confecit? Vicit Bohemos, & in ipſa acie primus hoſtium telis ſe obiecit, omnesq; occidione occidit. Præterea quoſdam Germaniæ principes diuitijs & copijs militaribus inſtructiſsimos, Romano imperio rebelles, penè funditus deleuit. Fuit profectò glorioſiſſimus triumphus, quem ex hac Bohemica ſtrage reportauit. Huic præclaro facinori & pluſquam memorabili, non ſine gloria interfuit Caſpar Vuolphius, qui ut Cæſari ſuppetias ferret, à S. P. Q. Argentinenſi cum quingentis peditibus in Bauariam miſſus, & illic ſtrenui ducis officio fungens, perinde ac alter Furius Camillus pro patriæ libertate fortiter depugnans,

ex Bohemis opima ſpolia reportauit, quatuor militaria uexilla, ui & armis ex hoſtibus cepit. Ea in hanc urbem Argentinam magno totius populi applauſu aduexit, nunc in templo maximo urbis noſtræ affixa uiſuntur. Huius in re militari peritiam, fortitudinem, fidem, agilitatem, conſtantiam, in bello Cimbrico, Gallico, Britãnico, Burgundico, Pannonico, Bohemico ſæpius Germana nobilitas experta eſt. Itaq; in ipſis caſtris, ab Alberto Saxonum duce, non ſemel militari cingulo donatus. Anno autem proximè tranſmiſſo: qui fuit à Natali Chriſtiano quartus & quingenteſimus ſupra milleſimum, à Maximiliano Cęſare inuictiſſ. haud procul à Ratiſpona, una cum Philippo de Rechbergk eques auratus deſignatus eſt, & inſignia gentilitia ſibi & liberis & ſuis ex fratre nepotibus, hoc eſt, tibi chariſſime Thoma Vuolphi, fratribusq; tuis, ac omnibus ex eiuſdẽ legitime deſcendentibus, pro Cæſarea liberalitate, liberaliter decreta ſunt: non ita ut multis, qui nunquam in acie ſteterunt, nunquam caſtra uiderũt, nunquam denicq; tubarum ſonum (niſi in ſpectaculis) audiuerunt. Ab imperatore noſtro non fuit moleſtum, ad Caſparem Vuolphium patruum tuum diuertere, quòd is Romanas aquilas, & tyro & ueteranus ſequutus, de imperatore, de Repub. noſtra, de literis ac literatis bene meritus, mihiq; amicitia non uulgari coniunctus. Igitur Vympfelingum hoc uiro in omni uita integerrimo, inuicto, infracto, prę ſtantiſſime nullus admiratione capiatur.

De bello Sigiſmundi Archiducis Auſtriæ contra Venetos, Caput LX.

TAceo memorabile bellum Sigiſmundi Archiducis Auſtriæ, in quo Veneti Germanicam uirtutem experti ſunt. Dux exercitus Venetorum Robertus Sanſeuerinas Italorum Achilles, una cum magna exercitus ſui parte, in flumine Atheſi ſubmerſus eſt. Cæteri partim uel deleti, uel occiſi, uel capti ſunt: partim ſibi ſalutem pedibus quæſiuerunt, uel prope arcem Biſenum, quod nobiles cognomento Tarppi, incolunt. Facta eſt hæc ſtrages die Laurentij: Anno M.CCCC.LXXXVII. Senſerunt tum Veneti (ut aliâs ſæpe) quam periculoſum ſit cũ Germanis ferro ac armis decernere. Multi Itali à noſtris parua manu fuſi ſunt. Hoc memorabile bellũ Burckhardus de Anuuil Germanus, uir nobilis & egregius uerſu Heroico complexus eſt. Extat quoq; Baptiſtæ Mantuani ad Andreã Bentiuolum de eadem re elegans carmẽ. Roberti Sãſeuerinatis cadauer paucis poſt diebus inuentum ad Vdalrico de Frundſperg, tunc pontifice Tridentino, & eius ciuibus in æde Diui Vigilij honorifice tumulatũ. Eſt in eũ tale Epitaphium.

Italiæ victor Seuerina ſtirpe Robertus,
Sigiſmundum Auſtralem ſenſit in arma ducem.
Ter proceres Veneti, bello petiere Tridentum,
Ter victi, hic victus ecce Robertus adeſt.

Filius quoque Roberti Sanſeuerinatis Antonius Maria, quem tu Bononiæ et Mantuæ ſæpiſſime uidi, cum nepote principis Camerini captus fuit. Poſtea tantum ſingulari certamine congreſſus cum Ioanne comite de Sonnenburg: ab eodem quoq; uictus, ita ipſi Veneti in omni re uirtute noſtra inferiores extitere.

Solas quinq; Germanorum gentes exercitum uictorem in Turcos ſuppeditare poſſe. Et de ordine Theutonicorum, Caput LXI.

QVid uerbis opus eſt, cum ex quinquaginta & eo amplius Germanorũ gẽtibus quinq; duntaxat, Bauari, Sueui, Lepontij, Saxones, & Cymbri, quocunq; hoſtes, quoduis regnum, ipſos etiã immaniſſimos Turcos & Sarracenos, auſpicante Deo aggredi & ſuperare poſſent? Id deoq; mirum & monſtro ſimile eſt atq;

est atque solius dæmonis inuentum (qui inter Germanos discordiam semi nat) quod uniuersi Christianæ religionis principes & populi somno pressi, Constantinopolim non eripiunt, finitimis'que Christianis non succurrunt, Illyricos, Dalmatas, Styrios, Croacios, Lyburnos, Pannonios, Austrios ab impijssimis perfidissimisq; Turcis, & ab eorum miseranda seruitute, in quam indies abducuntur, non liberant, non protegunt, neque cogitant rem quoque eorum agi, proximus cum paries ardeat, & neglecta uires incēdia sibi cumulare. Posset nimirum hic bello magnas præstare suppetias ordo Teutonum à Teutonibus ex pietate Christianæq; religionis amore apud Sarracenos cœptus proq; incremento ac defensione fidei nostræ laudabiliter institutus.

Ad uniuersos Germaniæ principes, *Caput* LXII.

QVid nō speratis uos facturos, posita prius simultate, cùm exigua quondā Germanorum portio, ex incognita insula collecta manu, breui omnem Europam & Africæ atque Asiæ partem subiugarint. An non uniuersi uos nunc non poteritis, quod olim Gothi exigua pars uestrūm potuere? An erit minus in uniuerso corpore quàm in uno digito uirium? Quousque igitur finitis, ô uos saltem magni Germanię principes, fidem catholicam negligi? Constantinopolim orientalis imperij caput, ac totius Gręcię columen iniustè occupari. Vrbes incendi, Christianum sanguinem effundi, altaria euerti, sanctorum reliquias canibus obijci, Dei & suę matris imagines lanceis effodi, sputis luto'que deturpari, Christianos in seruitutem abduci. Iusta forsitan inter uos geritis bella. At iustius est pro Christo pugnare, maiorq; necessitas Christi est hęreditatem quàm uestram defendere. Cogitate de communi periculo, maiora minoribus antepōnite. Ne grauemini pacis causa, & Dei redemptoris uestri amore, ęqualibus deferre. Sumite sapientiam, qua furori temperantiam, arrogantię humilitatem, duriciei mansuetudinem, obijciatis. Ponite tandem latens odium. Sit finis Germanicę discordię, ut quorum consueuit in armis esse inuicta uirtus, unitis iam uiribus ac concordibus animis, in Turcos militaria signa feratis. Redimite, liberate infœlices Christianos, qui à Turcis in compedibus retenti, miserè seruitutem seruiunt. Byzantium regiam urbem quę nunc Cantinopolitana dicitur quo pacto recuperetis cogitate. Id uester honor, id uera Christi fides, & religio, id Christianę Reipublicę salus exposcit. Nobiles estis, insignia militaria palam geritis, & ceruices torquibus auratis, & digiti uestri annulis, enses'que & calcaria auro resplendent: Christiani estis, Christiani dici & censeri uultis, agitè nobilitatem, militiam Christianam, religionem atque fidem re ipsa & facto ostendite. Ne sinite gloriam uestram à uobis transferri. Cauete ne uobis ęmuli, secordiam, ignauiam, ocium, ebrietatem, luxum, choreas, spectacula, uenerem, furorem, pusillanimitatē, delicias, aucupium, uenatum, obiectare possint. Nolite calamistra uti & mulierosi uideri. Attendite gloriam uestram, respicite Christum pensate salutem patriæ. Moueant uos exhortationes iamdudum in conuentionibus uestris Ratisponæ, Nurenbergæ & Francofurdiæ factæ, à Bessarione Cardinale Græco, à Ioanne Antonio Campano, ab Aenea Syluio Senensi. Moueant uos asperа, sed uera uerba, Francisci Petrarchæ, quæ uobis in uita sua solitaria facit. Discite quid hij uobis loquuti sint. Mouebitur cor uestrum, si saltem ulla Christiani sanguinis gutta uobis inhęserit.

Ad Maximilianum Romanorum regem, *Caput* LXIII.

QVid opus est, inuictissime rex Maximiliane, adhortari maiestatem tuam, cùm ipse pronus sis ad bellū contra Christi hostes susciendō, ad succurrendum

rendum fidelibus, ad Christi fidem amplificandam, ad eripiendam Constantinopolim, ad comprimendam Turcorum rabiem, ad ulciscendam Christi suæque matris iniuriam, ad honorem sacratissimis locis restituendum, ad recuperandam terram in qua Christus pro nobis natus & mortuus est, in qua simul omnes astabimus ante tribunal eius iudicandi, ad reparandas terras auitas & paternas, ad illustrandam Austriæ domum, ad satisfaciendum regali titulo, quo decoratus es. Tu Ecclesiæ patronus es, tu fidelium defensor, tu dux & caput militiæ Christianæ. Surgat igitur tua maiestas, & Christianæ religionis periculo remedium adhibeat. Cæteri principes in te suos oculos torquent, neque à Carolo Magno unquam fuit rex, de quo sibi omnis ordo, sexus, ætas, uel maiora uel plura sponderit. Tu etenim regnorum terrarumq; potentia, militari gloria, experientia rerum, diuersarum linguarum noticia, sapientia, laborum & uigiliarum tolerantia, omnes imperatores, quantumuis egregios uincis, superas, excellis.

De machina oppugnatoria, quam uulgo Bombardam uocant, à Germanis inuenta, Caput LXIIII.

ANno Domini M.CCC.LXXX. inuentum est bellici tormenti genus à Germanis nostris, quod uulgo Bombarda dicitur, à sono, ut opinor ac tonitru. Hac una re nihil solertius, nihil terribilius esse contendit Philippus Beroaldus præceptor tuus. Quod enim teli genus, quæ tormenta maiorē formidinem, terrorem, iacturam ipsis hostibus afferunt, quam maiores, minoresq; Bombardę, quę non modo rumpi muros, sed cœlum etiam quati posse docuerunt. Ita non solum Germani nostri (uel ipsis exteris testantibus) bellatores semper fuisse acerrimi, sed instrumentorum quoq; bellicorum inuentores subtilissimi uidentur.

De inuentione celeberrimæ artis impressoriæ, Caput LXV

ANno Christi M.CCCC.XL. Friderico tertio Romanorum imperatore regnante, magnum quoddam ac pene diuinum beneficium collatum est uniuerso terrarum orbi à Ioanne Gutenberg. Argentinensi nouo scribendi genere reperto. Is enim primus artem impressoriam (quam latiniores excusoriam uocant, in urbe Argentinensi inuenit. Inde Maguntiam ueniens eandem feliciter compleuit. Interea Ioannes Mentel id opificij genus inceptās, multa uoluminā castigatē ac politè Argentinæ imprimendo, factus est breui opulentissimus. Huic successit Adolphus Ruschius, mox Adolpho Martinus Flaccus, qui & ipsi Argentinenses in natali solo cum laude & gloria hanc artem exercuerunt. Is est ille Martinus Flaccus, qui dum in humanis esset, iunctus affinitate fuit nostro Mathiæ Schurer, homini sane docto, probo ac integro, cuius quotidiano conuictu, assidua familiaritate ac consuetudine, charissime Thoma, & ualde recrearis, & mirificam uoluptatem capis. Nec solum nostri in hac arte Argentinæ floruerunt, sed eandem etiam alibi tractantes, & decus & emolimentum sunt consecuti. Ita Sixtus Rusinger Argentinus, Neapoli anno M.CCCC.LXXL. liberos quomodo imprimi possint, primus monstrauit. Ob quod factum Ferdinando regi & Neapolitanæ nobilitati charissimus extitit. Huic sæpe ab ipso rege episcopatus & amplissimæ dignitates oblatæ sunt. His omnibus patriam Argentinam præferens, ad nos concessit, estq; hodie uita superstes, uir ob dignitatem sacerdotalem & senium reuerendus. Præterea Vdalricus cognomento Han, sub idem fermè tempus formas liberarias, rem inauditam, nec unquam Romanis uisam, Romam attulit. Fuit is natione Germanus, cui cognomentum (ut dixi) erat Han, id latine gallum gallinacium significat. Hoc ideo scribo, quia Campanus & aliquot docti existimauerunt hunc Vdalricum natione Gallum fuisse, quod plane falsissimum est. Is tamen error ideo emanauit quod cognomen

gnomen familiæ traductum fuit in latinum, quod Hermolao Barbaro auctore nũquam fieri debet, nomina enim & cognomina, oppidorum, propria, sicut hominum quacunq; lingua retineri solent. Itaq; Vdalricus Han, cum hoc diuino opificio, rem litterariam ex inopia ad ingentem ubertatem perduxisset, Antonius Campanus in illum iocatus hoc Tetrastichon edidit.

Anser Tarpeij custos Iouis, unde quod alis
Constreperes, Gallus decidit, ultor adest
Vlricus Gallus, ne quem poscantur in usum,
Edocuit pennis nil opus esse tuis.

Non est prætereundus Ioannes Prus municeps noster, qui hanc artẽ hodie in urbe Argentina diligenter excolit, qui infinita uolumina literarum studiosis legenda dedit Multi summi & celebres uiri hoc impressorium munus laudauerũt, ut Polydorus Vrbinas, ut Beroaldus præceptor tuus. Is in quadam oratione sua, quod inquit ingeniosius inuentum, quàm litteraria Impressoria, uel ut Latinius loquar excusoria, qua nihil utilius. Et alibi idem Beroaldus in quodam hendecasyllabo: O Germania muneris repertrix, Quo nil utilius dedit uetustas, Libros scribere quæ doces premendo. Non piguit in præsentia eos qui chalcographiam, uel inuenerunt, uel illustrarunt, memorare. Non sunt enim tantæ rei autores sua laude fraudandi, præsertim ut posteritas sciat: quibus hoc diuinum & immortale munus acceptum referre debeat.

De *Architectura Germanorum*, *Caput* LXVII.

IN Architectura Germani excellentissimi sunt, quorum ædificia Aeneas Siluius mirari se potuisse scribit nõ cõmendare. Sunt meo, inquit, iudicio Theutonici mirabiles Mathematici, omnesq; gentes in Architectura superant, hoc homo Italus de Germanis testatur, nec falsa loquutus est, quod ut cætera ædificia (quæ passim in Germania magnificentissimè extructa sunt) omittã, Argentinense templum & turris in eo ædificata abundè demõstrant. Hac una structura nihil in uniuerso orbe conterendum esse preciosius, nihil excellentius. Quis satis mirari, satis laudare potest Argentinẽsem turrim, quę cælatura, statuis, simulachris, uariarumq; rerum effigie, omnia Europæ ædificia facile excellit, cuius altitudo excedit numerum CCCCC. & XV. cubitorũ. Miraculum est tantam molem in tã altum attolli potuisse, quid si isti à laudatis autoribus laudati artifices reuiuiscerent, Scopa, Phidias, Ctesiphon, Archimedes, profecto in Architecturę disciplina se uictos esse â nostris uel palàm faterentur: atq; hoc opus Dianæ Ephesiæ tẽplo, & Pyramidibus Aegyptiacis, atq; his omnibus quæ inter septem spectacula numeratur longe anteferrent.

De *Pictura & Plastice*, *Caput* LXVIII.

NOstrates quoq; pictores esse omnium præstantissimos uel ipsa experientia (quæ rerum magistra est) apertissime docet. Icones Israelis Alemanni per uniuersam Europam desiderantur, habenturq; à pictoribus in summo precio. Quid de Martino Schon Colmariensi dicam, qui in hac arte fuit tam eximius, ut eius depictæ tabulæ in Italiam, in Hispanias, in Galliam, in Britanniam, & alia mundi loca abductæ sint. Extant Colmariæ, in templo diui Martini, & sancti Francisci, præterea Seletstadij apud prædicatores in ara quæ diuo Sebastiano sacra est, imagines huius manu depictæ, ad quas effingendas exprimendasq; pictores ipsi certatim confluunt, & si bonis artificibus & pictoribus fides adhibenda est, nihil elegantius, nihil amabilius, à quoquam depingi reddiq; poterit. Eius discipul. Albertus Durer & ipse Alemannus hac tempestate excellentissimus

mus est, & Nurenbergę imagines absolutissimas depingit, quę à mercatoribus in Italiam transportarentur, & illic à probatissimis pictoribus non minus probantur quam Parasij aut Apellis tabulæ. Ioannes Hirtz Argentinensis non est omittendus, qui dum in humanis esset, apud pictores omnes in magna fuit veneratione, cuius in pictura peritiam clarissimæ ac speciosissimæ imagines tum alibi, tum Argentinæ in natali solo depictæ testantur. In Plastice (hoc est figulina arte, quę ex terra similitudines itidem fingit) Germani præstãtes sunt, quod ipsa figulina uasa & plurima uasorum fictilium genera, quæ modo humanæ uitæ usui sunt, indicant & demonstrant. Hic sunt quos uel Corebus Athenienſis figulinæ artis inuentor admitari possit & laudare.

De fortitudine Germanorum, Caput LXIX.

MVlti Græci & Latini autores fortitudinem Germanorum extulerunt. Breuitatis tamen causa multis obmissis Philippi Beroaldi præceptoris tui ex quadam oratione uerba subnotabo. Germani, inquit, quos & uulgus & historici luculenti Alemannos appellant, in uniuersam animosi, liberales, ingeniosi, scriptores Prisci Germanos extollunt, quod à paruulis duriciei & labori studentes in uenationibus, atque in studijs rei militaris consisterent, quibus arma tractare ludus fuerit, feras excipere uoluptas, quàm acres forent bellatores, & libertatis retinentissimi, sæpe Romani experti sunt, & quidẽ infœliciter, quorum exercitus quinque consulares sub totidem ducibus per interualla temporum fusi profligatiq; . Nec impune Caius Marius cum pugnacissima gente conflexit. Diuus quoq; Iulius magis arma Germanis ostentauit quàm intulerit. Augustus Cæsar uirtutem Germanicam duabus cladibus expertus, Loliana scilicet & Variana. Sed Varianam adeo extiabilem sensit tribus legionibus cum duce cæsis, adeoq; consternatus est, ut barba capilloq; promisso caput interdum foribus illideret, uociferans, Quintili Vare legiones redde. Quid mulias? Germani ob unicam fortitudinem ac uim bellicam, Herculem, Martemq; perinde ac uirtutis præsides in primis coluerunt, nihil neque publicæ rei, neque priuatæ, nisi armati agentes, præditi proceris corporibus, & statura prorsus militari. Necapud nos Germanos soli uiri pugnaces & egregij sunt bellatores, ipsæ fœminæ cum res postulat ad arma paratæ sunt studia bellica tractantes. Proditum est memoriæ fœminas quoque Germanas sumptis aliquando pro patria armis ex integro uirorum pugnas instauraſſe, & sicut Cornelius Tacitus autor est, nullam aliam dotem afferre consueuisse in Maritorum domos quàm frenatum equum, & scutum, & frameam.

De nobilitate Germanorum, Caput LXX.

IOannes Teutonicus ille egregius Decretorũ interpres in quadã glossa dist. XXXIIII. Germania, inquit, à germine dicitur, est enim uerum germen nobilitatis. Atque hunc Teutonem dices & suæ genti blanditum. Alterius igitur nationis hominem afferam Germanorum alioquin hostem & detrectorem Antonium Campanum, qui de Germanis loquens sic ad uerbum ait: Illi domi cõcordes, foris strenui, & acquisiuere imperium, & tantam illustrium uirorum multitudinem pepererunt, ut per reliquum orbem ueluti Colonijs nobilitatis usquequaq; deductis familias nobilissimas & regias propagauerint: nec ulla sit familia in Gallijs, ne regia quidem, nulla in Hispania, aut in Italia paulo illustrior, quæ si antiquitatem repetat suam, non statim è Germania esse prædicet, & ueluti è seminario quodam ueræ nobilitatis è uobis uenisse glorietur. Nam quis obsecro familiam Gallorum regum tam celebrem, tam laudatam protulit? Germania, Pippino Germano autore. Quis Hispaniæ domum tam insignem

insignem, quæ nunc regnum obtinet, & prope ad Lybiam usque protenditur Germania, Richardo Vtilgotho Germano autore. Quis tot nobilissimas familias per uniuersam Italiam, tanquam excusso gremio nobilitatis fudit, sparsit, seminauit? Germania, Henrico Germano autore, qui Ordelaphos, Varanos, Malatestas, Manfredos, Gallassos, Feretranos, Vicecomites, Gonzagas, aliasq; innumerabiles & instituit nobiles, & locupletauit: ut uerè dici possit, fontem nobilitatis uiuum & perennem fuisse Germaniam, aut mare potius, quod omnes prouincias Europæ suo splendore uelut æstu quodam nobilitatis inundauit, dum in Galliam, in Hispaniam, in Italiam nationes'que alias propagauit imperium. Non ergo à Romanis Germania traxit, sed Romanis potius Germania nobilitatem immisit, quam maiores nostri uirtute, gloria, rebus gestis magnifice pepererũt. Si enim à uirtute nobilitas nascitur, Germani profectò Romanis uirtute minime inferiores extiterunt, utpote qui fidem, integritatem, iustitiam, liberalitatẽ, ueritatem semper coluerũt. Si magnificentia rebusq; gestis nobilitatem adipiscuntur homines, quæ natio magnificentior, minusq; inuicta Germanis? Quod si ex antiquitate & longo æuo nobilem quempiam iudicabimus, fuere Germani longè uetustiores Romanis. Roma enim Christum antecessit annis septingentis & quinquaginta duobus. At nobilissimam urbem Treuerim, quæ Ammiano Marcellino autore in Germania sita est, cõstat duobus annorum milibus Christi ortum excedere diuturnitate, id quod ipsi Romani inficiantur.

De *liberalitate Germanorum*, Caput LXXI.

GErmanos comes faciles, & pecuniæ liberales esse, nemo unquam negauerit, quum non solùm inter sese, sed etiam in aduenas & peregrinos hospitalitatem (decorum liberalitatis genus) obseruent: quorum domus hospitibus nõ modo facile patent, sed etiam ipsi errantibus comiter & sine fastidio uias demõstrant: tamen in quo uirtutem suam cæteris impendere nituntur, & in quo laudẽ mereri debent, in eo ignominiosam uitij labem sibi cõparant, gulæ enim & ebrietatis arguuntur ab his, qui suã auaritiam & odiosam tenacitatem simulata moderatione fictaq; frugalitate norunt obumbrare. Germanorum humanitate diuus Athanasius quum in toto orbe tutus non esset, furorem Imperatoris ab Ario seductus euasit, ac duobus ferè lustris hospitio clam exceptus, apud Germanos fidei symbolum cæteraq; conscripsit. Germanorum humanitatem, liberalitatem, & in hospites munificentiam Cornelius Tacitus probat. Conuictibus inquiens, & hospitijs non alia gens effusius indulget. Quemcunque mortalium arcere tecto nefas habetur. Quid mirum, nos hodie hospitalitatem diligere, posteaquàm Christus & diuinissimus Paulus eam tantopere commendarint, quum maiores olim nostri nondum Christianæ religionis conscij, naturalis solum rationis ductu, in aduenas beneficij fuerunt, & perliberales. Viderint qui nobis ebrietatem ascribunt, si non uirtutem nostram in uicium calumniatores uertant.

Hoc ideo dicit, quòd plerique Belgarũ à Germanis sunt oriundi. Nam alioqui constat Germanos sub Cõstantio nõdum in Galliam fuisse trangressos.

De *fertilitate Alsatiæ*, Caput LXXII.

VT multas Germaniæ regiones obmittamus. Alsatiæ fertilitatem prosequamur, ea tametsi Germaniæ portiuncula est, tamen aëris temperie, soli fertilitate, aquarum copia, nemorum salubritate, Cereris ac Bacchi abundantia, ac omnium rerum ubertate est effluentissima, quæ merito cella penuaria & Germaniæ nutrix nominari potest. Aegyptus, Sicilia, Italia, Hispania, sicut receptissimi autores prodiderunt, sunt quidem regiones uberrimæ fertilissimæq;: frumenta tamen & uina quæ illic colliguntur, crassa sunt & pinguia, & sciti saporis, minime tamen duratura, quæ tamen apud nos ad 60. usq; annum incorrupta, illesa, sincera, pura,

pura,& ad mortalium usum accomodatissima permanent. Huc adde,quod Alsatici diuina ingenia sortiuntur ex aëris loci& temperie. Multos protulit patria nostra claros doctrina & erupitione uiros. Extant& hodie etiam in quocunque disciplinę genere peritissimi.Si Theologum desideras,ad manũ est Keyserspergius:si iureconsultum, Bernardus Vurmser condiscipulus tuus in promptu est, qui tecum unà Bononiæ diuini & humani iuris professoribus operam dedit, & in legali doctrina ita acutus,ita disertus euasit, ut meritò dici possit nostri temporis Papinianus.Is quanquã ætate iuuenis,tamen eruditione ueteranus est.quod & illius responsa & consilia lucidissime testantur. Sed heu succurrit nunc Amãdus Vuolphius tuus Germanus frater iurecon. egregius, qui superiori æstate morbo intercutis aquæ periit,cui si uitam prorogasset Deus, exornasset sæculũ nostrum.Sunt in medicina,sunt in mathematica, oratoria, Poëtica,qui nec spernendi sunt,nec abiiciendi.Loquar de Thoma nostro Aucupario, ob breuitatem reliquis obmissis, qui nescio quid magni ac alti de se pollicetur, qui si ætate processerit, proculdubio non tam Alsatiam quàm Germaniam poëmatis suis illustrabit.

Conclusio per Epilogum.

DEnique ut ad calcem properemus, exploratum esse non dubitamus in toto orbe Germaniam cæteris præstare nationibus uirorum multitudine, fœminarum pudicitia, ducum, principum excellentia,eorum& sincera ac pura nobilitate, militum fortitudine & proceritate, atque communi liberalitate, fide, integritate, libertate,constantia artium& præcipuo ingenio,episcopatuum magnificentia, urbium & ciuitatum numerositate,magnitudine, ac studiosissima templorum instauratione,Romanæ sedis obedientia,decimarum & elemosynarũ largitione,honesto uestium usu,tum situ salubritate& cœli iucundissima.Præterea ipsa Germania, benignissimo uentorum afflatu, latissimorum fluuiorum & Thermarum copia, nemorum & saltuum iocunda utilitate, crudelium ferorum& animalium carentia,& magna soli fertilitate principatum obtinet. Quicquid est quo uita nostra carere non potest,id omne Deus Germanię non inuidit opes,pabula,lacus,fruges,uineta,uarii& generis uina, uel unica Alsatia, multis exteris abundè præstat,uellera,lina,uestes,iuuenci,equi.Meralla,aurum,argentum,es,ferrum,non solum montes, sed & flumina Rhenus, Danubius& profetunt,ut nec Pactolo,nec Tago cedat Germania,longe à mari distans,quod Plato improbitatis magistrum appellat. Sunt demum Germani sacrosanctę Christi religioni deditissimi, ac obseruantissimi, à qua nec uinculis, nec carcere, nec ipsa denique morte diuelli possunt, sicut neque à ueritate (quam ipsis Persis sanctius colunt) recedere uidentur,quod profectò sanctissimum & omnium præstantissimum est dijudicandum.

FINIS.

SERMONES

SERMONES CONVIVALES

CLARISSIMI VIRI CONRADI PEVTINGERI IN QVIBVS, QVAMPLV-rima ad illustrationem Germaniæ spectantia explicantur.

VDALRICVS ZASIVS LEGVM DOCTOR

Friburgensis Thomæ Vuolphio iuniori Iuris Pontificij, literarumq; humanarum, & integritatis adsertori celeberrimo, Felicitatem.

VOS Sermones conuiuales clarissime Thoma, ingenio, & uigilijs omniũ nostra ætate absolutissimi uiri Conradi Peutingeri elucubratos, mihi ostendisti, dici non potest quantum mihi placuerint. Est enim in eis non solùm eruditio rerum Germanicarum remotior, utpote quibus & rara & in hunc diem incognita prodierint, sed etiam copiosa summoq; artificio elaborata tradi tio. Quantum, Dij boni Germaniæ non quota portio doctissimo huic uiro debeat? Quæ (mensoribus ante hac, nescio quem falsum modum dicentibus) frustrata amplissimis & finibus & territorijs fuit: Nunc Conrado iudice peritissimo in re præsenti & uelut manu conserta agitatã litem dirimente sit restituta. Error uulgaris, Tribotes, Nemetes, Vangiones, Vbios, & bonam Cisrhenanorum partem Galliæ tribuit: At Conradus (id quod ante eum Iacobus Vuymphelingus communis amicus noster, uir doctrina, moribus, ætate, integritate, uirtute, uenerabilis & conspicuus, non mediocriter attigit) suo quoq; loco, suæ conditioni, suæ origini ita reposuit, ut Germania nostra (quod à quadringentis annis, & eo amplius non potuit) in corpus solidum coiuisse iure optimo glorietur. Mira est huius uiri exquisitio, ingenij promptitudo incomparabilis, memoria tenacissima, qui infinitis prope negotijs, tum Regiæ Maiestatis apud quem potiores partes agit, tum etiam suæ urbis Augustensis, quæ ab eius auspicijs non modice pendet, tum denicq; amicorum suorum quibus omnia se debere putat imperditus, tam uaria tam à cõmuni cognitione recedentia, & quę annixissimos labores continentissima studia, multijugam lectionem requirant, colligere potuerit. Quis itaq; nostræ ætati non gratulabitur? Quis Sueuorum inclytam nationem? Quis Augustensis præcipuè, non maximi fecerit? qui eo decorantur uiro, quem unum uetustati obijcere quam uerissime ualeamus. Taceo hic ex industria suam incredibilem humanitatem, qua & uocare ultro ipse, nedum desiderantes recipere in suam amicitiam consueuit. Mitto suam affabilem comitatem, munificentissimam liberalitatem, qua ędes sua non quidem affectata elegantia conspicuæ: sed Heroica dignitate uenerabiles literatis omnibus, uelut quondam Cymonis possessiones peregrinis patescunt. Prætereo alias suas uirtutes plurimas, quæ uel singulæ singulos claros efficerent, in Conrado coagminatim splẽdentes. Eas inquam tametsi proprio experimento, didici, uidi, noui, mitto tamẽ quãdo epistolaris breuitas tã diffusa nõ patitur, & satius est de magnis uiris silere

quam modica dicere. Tu igitur mi Thoma nihil potuisti facere, uel consultius, uel quod uirum bonum plus deceret quàm eam desumere operam, qua Sermones tanti uiri typis faceres informati: Rem Germanam (quam antehac in Vuymphelingi nostri operibus & defendisti animosè, nedum luce adiuuisti) istiusmodi conuiualibus publicandis ita demerebere, ut cum ipsa omnem suum splendorem, dominatum, fines, agros Conrad. nostro maxime, nec minus Vuymph. debeat, tibi proximas beneficij partes sit concessura Addo literatorum omnium uicem, quibus hoc labore mirificè commodabis. Facis quidem pro ingentibus animi tui dotibus quas etsi seminarijs quibusdam ingenitas, exercitio tamen in optimis disciplinis iam ab adolescentiam esudato mirificè illustrasti. Tu & Italiam uniuersam peragrasti, & præceptoribus in toto orbe illuminatissimis Bartholomæo Soccino, Vincentio Paleoto, Iurium professoribus, præterea Philippo Beroaldo, eiusdem Vincentij genero, Antonio Codro Reipublicæ literariæ principibus, operam impendisti, præclaris consociatus maximiq; nominis discipulis, Ioanne Baptista pio, Philippo Beroaldo iuniore, Henrico Caiado Lusitano, Mutiano Rufo Germanorum doctissimo, & qui alter Varro in omnigena sit doctrina perspectissimus: Ad hoc etiã Theodorico Gresmundo, Ioanne Esticampiano academiæ Moguntinæ illustratoribus primarijs. Tu cum iuuenis studij causa Romæ ageres periculo te uitæ subiecisti, ut abstrusa ignotaq; Romanæ uetustatis monimẽta, quæ propediẽ proditura speramus, eruens, posteritati consuleres. Quominus mirum fecerim, si omnẽ tuam operam, omnes uigilias, omnem laborem, in eo absumas, quò & multis profis & literatos præcipuè adiuues: homo enim ad optima quęq; natus, quid nisi benefacias? Duo sunt præcipua quibus uelut alis in ueram gloriam mortales subuehuntur: Literatura & liberalitas: Quæ utraq;, ita in te admiramur ut periculum sit, utro excellas. Illa quippe ingenij tui opulentissima fœtura, castissimaq; eruditione elucescit. Hæc uerò usque adeò & sæpe comprobata est, & quotidie comprobatur, ut Frãciscus Picus Comes Mirandulanus omnium doctrinarum lumen, nuper cũ Conrad. Peutingero illo nostro Collaurioq; uiris splendidissimis tuo exceptus hospitio Sympo-sium sapiẽtum, domum tuam, teq; Philosophorum esse hospitem prędicauerit. Probat id non domesticorum modò, sed externorum concursus. Baptista Mantuanus nulli ex maioribus posterior, suis te operibus celebrat. Vuymphelingus tibi est coniunctissimus, Gallinarius Aucuparius, Philesius literarum humanarum sacramentarij adsertores, te ut patronum obseruant. Quid dicam quantum in te momenti collocet Mutianus Ruffus nostræ ætatis Cicero? Quid Maternum Pistoriensem hominem ex asse formantum? Quid Petrum Eberbachium Erdfordiensem adolescentem, suprà quam sua ætas ferat eruditum, qui accepta à parentibus optione cui potissimum pestis tempore cohabitaret, te iamtũ ignotum elegit? De me uerò quantulas inter eruditos partes habeam (neq; enim in tuo sum albo) quid loquar? qui tot â te sum officijs affectus, ut omnia tibi me debere putem. Quæ cum ita sunt non possum non iure optimo detestari, & uelut luem quandam abominari senetiones quosdam, extrema iam ætate confectos, quos nutu significo, qui cum tibi & sint gentiles quoq;, ne dũ cognomines, prouentibusq; opulentissimis prouisi, utpote numerosis prebendis, canonicatibus, sacerdotijs (quę beneficia uulgus uocat) consarcinati, te tamen uirum optimum, iustum, humanum, & doctissimum, odisse, rebus tuis insidiari non cessent. Habet hoc auaritiæ sordes, ut nummos tanquam idola colat, in eosq; solos, spem, uitam, quin & humana diuinaq; omnia ponat, uirtutem oderit, bonos lacessat, persequatur pios, & præcipue consanguineos euiscerare uelit. Sed exitus acta probabit: Illos pernicies, te manet ampla salus. Hæc tamen aliquando pluribus. Tu sicut cœpisti perge, Conuiuales'que illos sermones à uiris peritissimis approbatos,

approbatos, & proinde pro Platonis sententia luce dignissimos, fac formis exprimas. Sicut enim auctorem scribentem, immortalis laus, ita te publicantem magnifica gratulatio comitabitur. Vale.

Eiusdem Vdalrici Zasij ad auctorem pro liberata Germania.

Rhenus utrumq; latus Germana gente uetustâ
Cinxit: & armigeris se extulit usq; uiris,
Perfidus abstulerat fines tibi Rhene resessos
Hostis, fraudosa & corripit arua manu
Germanam solus Conradus restituit rem,
Hostibus oppressis iusta trophæa locans.

PETRVS EPISCOPVS TERGESTINVS REVERENDO PATRIDOMINO MATTHAEO LANG

Præposito Augustensi Cæsareæ Maiestatis Consiliario, S.P.D.

LEGI nudius tertius libellum tibi dicatum, quo Conradus Peutinger conterraneus tuus multiplicis eruditionis uir, Genialis conuiuij uestri sermones uarios luculentissimè complexus est. Vbi etsi pleraq; alia obscura prius, & recondita: in lucem ædidit, quæ paucis admodū nostri temporis hominibus cognita fuerant. In eo tamen imprimis apud immortalem gratiam consequi meritò debet, quod dum communis Symposij fabulationes, scriptis referre studet, non modò te, ac munificentissimā hospitalitatem tuam, posteritatis memoriæ commendauit. Sed quod debet esset digno uitro iucundus, Patriæ ac natiui soli gentisq; uestræ nobilissimæ abscissam à desertoribus propriæ uestis laciniam, acerrimus assertor occurrens, ita uendicauit, ut nemo posthac detrahere quidpiam possit, quin oculis quamprimum omnibus manifeste furtum appareat. Pro quo quidem beneficio nequaquam mihi dubium est, quin his laboribus suis Conradus Peutinger, si minus apud præsentes (qui plerunque uitio malignitatis humanæ uiuentium scripta, etsi lectio placeat, fastidio tamen quodam prætereunt) apud posteros non paruam laudem & gloriam sit adepturus. Non accedo Operis huius adulator apud te, qui ingeniorum nostri temporis es solertissimus censor, perpendes ipse inter legendum, quo studio, qua industria, quot citatis, & nostri, & prisci temporis autoribus, quot inquisitis Marmoribus & ueterum Nomismatis, Germaniæ partem non ignobilem citra Rhenum, quam sibi Galli quidam seu potius Germaniæ desertores adscisscere ausi sunt, imperio & nomini nostro restituerit. Dignus profectò cui non minus Germania tota debeat, occupatæ Regionis assertori, quam ijs obnoxia est, qui fines suos ultra præfixos à natura terminos in Gallias antiquitus protulere. Videbit igitur dignatio tua ex scriptis Conradi nostri, quibus indubitatis argumentis occurrere possis, ijs qui aliquando Argentoratum, Nemetes, Vangiones, Moguntiacum, Agrippinenses & pleraque loca alia citra Rhenum Germanos, Galliæ inscribere populos sunt ausi. Nihil enim omisit, quod ad rē attinet, quod summo labore, summa diligentia, & fide non adduxerit, in paruo hoc libello suo. Neque id profectò mirari satis possum, quomodo uir arduis ac continuis Reipublicæ suæ negotijs occupatus, bonarum literarum studijs tantum operę impendere, tot autorum uolumina euoluere potuerit, quæ si rectè quanti momenti sint tecum ęstimes, singula sibi totum requirere hominem reputabis. Est tamen ita celeris, ita præsentis ingenij noster Peutinger, ut in maximis etiam Reipublicæ occupationibus, ueterum semper scriptorum quidpiam

legat,& ne in aliquo desit patriæ commodis,dum sibi ex agendis negotijs otium supperit, immortalibus scriptis suis, patriæ decus,utatur & excolit: Hanc breue epistolã Reuerende præpositе,eò tibi iucundiorem futurã certo scio,quod & libenter audis amicissimi hominis præconiũ:Et is es qui inter cæteros excellentis ingenij uiros,uirtutem colis,magnifacis,amplecteris,& quamuis sacratissimi Cæsaris Maximiliani maximo negotiorum pondere deprimeris, ut uix è laboribus respirare liceat, nihil tamen tibi dulcius est, nihil suauius, quàm cum uiris doctis uersari & literarum amatoribus oblectari plurimum. Inter quos (mihi aliorum pace dixisse liceat) primam arcem possidere uideris. Vale nostri memor ex Oeniponte XV. Kalendas Ianuarij M.D.IIII.

REVERENDO IN CHRISTO, PATRI AC DOMINO MATHAEO LANG ECCLESIARVM GVRCEN-

sis administratori, Augustensis Præpositо, sacræ Cæsareæ maiestatis Consiliario, Domino suo in primis obseruando, Conradus Peutinger iuris utriusque Doctor, S.P.D.

VRBS Augusta Vindelicorum (unde nobis origo est) gaudet plurimum, & hac præcipua uoluptate afficitur, sibi te eum ex Patritia gente ciuem natum, atque datum esse, qui naturæ bonis omnibus refertissimus, continuusq; apud Imperat. Cæsarem Maximilianum Augustum, Patrem patriæ degeres, & universitati tui natiui soli, & Ecclsiasticæ & seculari præesses. Obtines quidem post Reuerendissimum Episcopum dignitatis gradum primum, primus item Patriæ patronus, utriusque honor atque decus, quibus potissimum accedit, singularis illa tua bonarum literarum eruditio, atque humanitas, ijs enim circa te fortuna mutauit nihil, nec (ut plærique solent) quicquam superbè, tumidè ue, nihil denique cupidè uel libidinosè agis, sed omnes ad te ingredientes beneuolentissime excipis, comitaris, propè eos subsistis, omnibus & occurris, heremus lateri tuo, quicq; accedimus, quod etsi emines, ambulas tamen inter nos quasi pares tibi essemus. De insignijs militaribus ordinéque equestri, tibi partis omnes gratulantur, dum pridie idus Septembris, noster inuictus Cæsar Bohemorum 4. Mil. in campis Noricis non longè à Ratispona Danubiana sua, & Imperij Rom. libera ciuitate, primus ante suos hasta congressus, fudit, profligauit, occidit, & plærisque captiuis ultam elargitus, sarcinisq; armis & uniuersis eorum impedimentis in prædam cõcessis, cum exercitu, ouans atque triumphans Ratisponam est reuersus: Vbi tu etiam unà tuis stipatus iustum sacri Imperij bellum fouens armatus insidens equo, quid Marte fremente, ualida manus possit, cõflictu facile expertus es. Admirandum & illud profectò, quod inuictus Cæsar tam incunctanter celeritatéque nimia apud Rhenum sita oppida, arces, gentes, & prouincias subiugauerit. Danubium deinde petens Bohemica uictoria potitus, ad fines alpium tandem Rheticarum oppidum Kuefsteinium munitissimum, super Oenum flumen, ab accolis Inum appellatum, in Baioarico Ducatu non longe ab illustris Comitatus Tirolensis finibus situm, per dies continuos decem, quibus id, & arcem eius, obsidione cinxerat, tormentis minacissimis (quas à sono Bombardas nuncupant) adeò conquassauit, ut muris solo æquatis, facilem sibi ingressum aperuit, oppidóque V. idus Octobris in deditionem coacto ad XVII. Kalendas Nouembris ipsam denicq; arcem quasi inoppugnabilem muris laceratis atque

atque fractis cepit. Deo itaque Maximo Optimo adiutore, Maiestatem eius in dies maiora aggressuram speramus. Sed ut tandem ad te redeam, qui uirtutibus tuis perpollentibus, eam tibi famam conquisiuisti, ut omnes in amore tuo, quotidie deuincas, & ne splendori (qui tibi acumulatissime accedit) quicquam deesset, ad septimum idus Octobris Ioannem Caprum diuinarum humanarumq; rerum interpretem doctissimum, nobiles & uenerãdos Ecclesiæ tuæ canonicos, Bernhardum Vualchirchium & Hieronymum Lochner, simul quoq; Sebastianum Illsung æquè patritia domo Augustensi natum, iurisconsultos disertissimos Ioannem Iung seniorem, & Ioannem Othonem, artis medicæ, & syderalis scientiæ expertissimos professores, & etiam me, prandio tuo præsentes esse uoluisti, ad conuiuium inuitati conuenimus, recte scilicet instructum, atque lautissimum & accumbentibus nobis, seueritate omni postposita, de uarijs & admirabilibus ipsius naturæ, & alijs rebus, inter nos iucundissimus, plenusq; uoluptatis, & ut Seneca ad Lucilium scribit: Nullam rem usque ad exitum adducens sed aliunde aliò transiliens, Sermo habebatur.

Ossa diui Dionysij non in Gallia, sed Ratisponam translata, ibiq; ad sanctum Emeranum condita esse.

OMine optimo euenit, ut de diuo Dionysio Athenien sium Episcopo diceremus (eo enim die festum eius agebatur) qui unà cum Apollophane Sophista in Aegypto Heliopoli, quando Christus Iesus passus est, solem uidit præter naturam obscuratum, & terram noctem subitò terris obductam, cognouitq; mox uerum omnium Deum, eodem Sophista respondente (ut ipse ad Policarpum scribit) rerum has Diuinarum uicissitudines esse. Tunc Caper nobis referebat, Gallos hunc ut eorum Apostolum uenerari, & credere ossa eius, ad secundum lapidem à Parisiensium urbe ad ædem sacrã sepulta esse, contrà tu mira suauitate recensebas, te atque R.D. Episcopum & Comitem Tergestinum Petrum Bonomum bonarum literarum studiosissimum, compertum habuisse, ossa hæc ex Gallia Ratisponam ad sanctum Emmeranum translata, ego ut ea comprobarem exemplar literarum Apostolicarum, mihi à monasticis eiusdem Monasterij datum, Capro postea perlegendum misi, in eo enim Leo IX. Pont. Maxi. Bruno antea uocatus, Tullensium episcopus, procurantibus Gallorum Legatis Imperatore Cæsare Henrico secundo Augusto præsente (cum beatũ Vuolfgangum in diuos retulisset) declarat diuinum Dionysium Ariopagitam Ratisponæ quiescere, & hæc acta esse anno Christianæ salutis M.LII. Anno pontificatus sui IIII. Indictione V. Nonas Octobris.

De coniugio Pauli Apostoli ex Ignatio Antiochiæ Episcopo.

SErmo noster sequens erat de coniugio, domesticaq; rixa, atque pugna, multæ tunc Apostolorum principis sententię afferebantur, tum Caper rem nobis omnibus penitus incognitam aperuit. Ignatium Martyrem Marci Euangelistæ discipulum referre, Diuum Paulum coniugatum fuisse, ego postea domi considens, epistolas eius diligenter perspexi, & in una quã ad Philadelphenses ex Troia dedit, ita scriptum comperi: Non detraho autem cęteris beatis, qui nuptijs copulati fuerunt, quorum nunc memini, opto enim Deo dignus, ad uestigia eorum in regno ipsius inueniri, sicut Abraham & Isaac & Iacobus, sicut Ioseph & Esaias, & cæteri Prophetæ, sicut Petrus & Paulus, & reliqui Apostoli, qui nuptijs fuerunt sociati, qui non libidinis causa, sed posteritatis subrogandæ gratia, coniuges habuerunt.

De Lusitanis nautis qui in Indiam nauigant.

NOn unus, sed uarius nobis erat sermo, & collocutione ulteriori ad ipsum etiam Oceanum, eiusq; recessum atque refluxum, & Lusitanici Regis fortunatissimi nauigationem Indiam uersùs compertam deuenimus, qui ex Indis aromata, cæterasq; merces ad nos aduehit, speramusq; prope diem auspicio inuicti Cæsaris nostri, & adsensu Lusitani Regis, nostros Augustenses, nauibus propriis atque mercibus Indiam petituros. Res profectò admiranda eundem Regem, ea gratia diuina adfectum, ut solus illuc primus nostro sæculo ex occidentalibus penetrauerit, egoq; mihi facilè persuaderem, eam transfretationem, uel etiam similem, maioribus nostris penitus incognitam, & priori ætati intentatam fuisse, nisi C. Plinij Secundi uerba me ambiguum parumper redderent, inquit enim ipse, libro secundo capite LXIX. in Sinu Arabico C. Cæsare Augusti filio res gerente, signa nauium ex Hispanicis naufragijs fuerunt agnita, & Hanno Carthaginis potentia florente circumuectus à Gadibus ad finem Arabiæ nauigationem eam prodidit scriptor. Præterea Nepos Cornelius auctor est, Eudoxum quendam sua ætate cum Lathyrum Regem fugeret, Arabico Sinu egressum Gades usque peruectum, multoq; ante eum Cœlius Antipater uidisse scribit, qui nauigasset ex Hispania in Aethiopiam commercij gratia. Idem Nepos de Septentrionali circuitu tradit, Q. Metello Celeri, C. Afranij in Consulatu collegæ, sed tum Galliæ Proconsuli, Indos à Rege Sueuorum dono datos, qui ex India commercij causa nauigãtes, tempestatibus essent in Germaniam obrepti. Pomponius Mela libro tertio post descriptionem Germaniæ, non Sueuorum, sed Bohemorum regem refert. Pliniana tamen lectio similior uero, Hermolao Barbaro placuit & nobis placet, quæ nauigationes, per alium fieri commodè non poterant, nisi per eum Oceanum, quem Lusitani nautæ hodie transfretant. Idem Mela: Vnde in eas terras deuenissent, requirendo, cognosce, ui tempestatũ ex Indicis æquoribus abreptos emensosq; quę intercrant, tandem in Germanię littora exijsse. Pius secundus Pontifex Maximus in sua Asia præmissis subiungens ait: Nos apud Othonem legimus, sub Imperatoribus Teutonicis Indicam nauim & negotiatores Indos in Germanico littore fuisse deprehẽsos, quos uentis agitatos ingratis, ab orientali plaga uenisse constabat. Verum propter nitorem ferculorum uarium, non dico triuialem abundantes que uinorum propinationes, sermonibus proximis non contenti Sed tua conuiuali comitate acrius admoniti, ad alia prouocati sumus fabulandum.

Quòd cisrhenanæ ciuitates ab Agrippina ad Argentinam & aliæ à C. Cæsaris Iulij Dictatoris & superiori tempore, non Gallis, sed uel Germanis, uel Rom. Imp. Cæsaribus Aug. uel Regibus semper paruerint.

AT quia Rhenus fluuius Oceano ipso miscetur, pro Germaniæ nostræ latitudine Ammianum Marcellinum referre dixi, ambas Germanias primam & secundam, eas ita appellat, inter Belgas & Rhenum sitas esse, tunc Sebastianus noster Iacobi Vuympheling Germaniæ illustratoris memor factus est, is enim contra Germanos quosdã Patriæ desertores, pugnam subijt, & unà cũ suis peritissimis cõmilitonibus Thoma Volphio iuniore & alijs uicit. Tu uero pro solita tua mansuetudine, iniũxisti mihi, ut si quę huic rei conducibilia scirem, adnotarẽ tibiq; transmitterem, quibus facilius non solum ijs desertoribus, sed etiam Gallis (si qui essent) Germanias hasce affectantibus, obuiam ire possemus. Sed quia eruditione tua & rerum experimentis excellis, quinimo apud inuictum Cęsarem nostrum, affluentibus quotidie ex omnibus nationibus disertissimis uiris, singula comprehendis, prout tenes uberrime, non uideo quomodo, ex tuacuo, im-

ple-

in plenum calicem aqua influere debeat. Verùm tibi nihil denegandum, imò uerius Patrono atque ductori optimo esse obtemperandum censeo, præstare'que obsequium debebo, facio quantum possum. Mola enim salsa litant, qui thura non habent.

Cæsar Dictator Commentariorum libro secundo de bello Gallico, refert Remos Belgas uicinos Germanis Cisrhenanis, per primos ciuitatis sibi renunciasse, cum Belgæ contra P. R. coniurassent, cæteros in armis esse Germanos qui cis Rhenum incolunt sese cum his coniunxisse. Belgas item plerosq; à Germanis ortos, Rhenum antiquitus traductos, propter loci fertilitatem ibi cõsedisse; Gallosq;, qui ea loca incolerent expulisse. Quod M. Antonius Sabellicus libro quinto Enneadis sextę a pertius (ut mihi uidetur) declarat. Inquit enim: Ex his cognitum est à Germanis Belgas ortos, qui soli feracitate allecti, alij alio tempore Rhenum trangressi, eam terram quæ Belgica diceretur occupassent. Idem etiam Cæsar eodem libro: Condrusos, Eburones, Ceresos & alios uno nomine Germanos appellat: Præterea Rhenus non ex omni loco Gallos à Germanis, uerum (si Claudio Ptolemæo credimus) Germaniam magnam à superiori & inferiori, à prima & secunda separat, superi & inferi Germani Belgas à Rheno diuidunt. Idem Regionem circa Rhenum à Mari usque ad Obrincam fluuium, in descriptione sua, Germaniam inferiorem appellat, & ab Occidentali parte locat, post alios, Aggrippinenses, Bonnam, Moguntiacum; & suprà uersùs meridiem, Germaniam superiorem, ubi Vangiones, Nemetes: Tribochi, Argentini & alij. Caius etiam Plinius Secundus qui bellorum Germaniæ xx. libros: quibus omnia quæ cum Germanis Romanis gesserunt collegit, inchoauitq; cum in Germania militaret, ut C. Cæcilius Plinius de auunculo illo suo ad Marcum scribit libro quarto capite decimoseptimo, naturalis historię, ita ait: Rhenum autem accolentes Germaniæ gentium in eadem prouincia, Nemetes, Tribochi, Vangiones, Gubi, Colonia Agrippinensis, Guberni, Butani, & quos in insulis diximus Rheni, hi sunt Batui, Cannefaces, Phrisij, Chauci, Phrisiaboni, Sturij, Marsatij, hæc eodem libro capite decimoquarto & decimoquinto. Ennumerat etiam Germanorum genera quinque, Burgundiones, Varinnas, Charinos, Gutones, Vindelicorum partem. Germanię unum genus asserit, proximos Rheno Istęuones appellat, quorum pars Cimbri mediterranei, Hermiones quorum Sueui, Hermunduri, Chatti, Cherusci. Cæsar ergo & Plinius & Ptolemæus Cisrhenanos non Gallos, non Belgas, sed Germanos Rheno proximos dicunt.

Et quia Rheno proximos Plinius Istęuones appellat, non incongruum erit de Istęuonibus, alijs plerisque Germanorum nominibus latius euagari. Cornelius Tacitus de situ Germanię ita inquit: Celebrant carminibus antiquis, quod unum apud illos memorię & animalium genus sit, Tuisconem Deum, terra ęditum, & filium Mannum originem gentis, conditoresq; Manno treis filios assignant, è quorum nominibus proximi Oceano Ingęuones, medij Hermiones, cęteri Istęuones uocẽtur. Quidam autem licẽtia uetutastatis, plureis Deo ortos, plures q; gẽtis appellationes: Marsos, Gambriuios, Sueuos, Vandalos affirmãt uerum Berosus (ut Iosephus Mathatię filius contra Appionem Grammaticum refert) genere Chaldeus fuit, notus autem eis qui doctrinę eruditionię congaudent. Quoniam de Astronomia, de Chaldeorum philosophia, ipse Gręcas conscriptiones exposuit; antiquissimus secutus historias de facto diluuij, & hominũ in ea corruptione, sicut mos est conscripsit. Is libro primo historię suę, ita ait: Ante diluuium unus inter gygantes erat, qui Deorum ueneratior & prudentior cũctis in Syria, Noa nomine cum tribus filijs Samo, Iapeto, Chem, & uxoribus Titea magna Pandora, Noela & Noegla, & cum omne genus aquis suffocatum esset, ipse cum familia sua quę naui erepta est, in Gordyę montis uertice qui euit.

Idem quoq; secundo libro: Siccato ab aquis orbe non fuisse nisi dictos octo hō-
mines in Armenia Saga, & ab his omne genus hominum in terris seminatum,
atque ob id Schytas recte dicere & appellare Noam omnium Deorum patrem
maiorum & minorum, & gentis humanæ auctorem, & chaos & semen mundi,
Tyream uero Aretiam, id est, terram, in quam semen & chaos posuit: & ex qua
tanquam ex terra cuncti prodierunt. Ipseq; Noa ut idem libro tertio refert, Ianus
ob uitis inuentæ beneficium, quod Arameis sonat, quod uinifer siue uinifer, item
Cœlum & Ogyges cognominatus est. Genuitq; post diluuium filios plures, in
ter quos Tuisconem Germanorum & Sarmatum patrem, & cum partitus esset
terram omnem, eundem in Europa Sarmatiæ præfecit, ut libro quarto docet. I-
psius quoque termini erant, Tanais atque Rhenus. Tuisconi etiam iuncti sunt
filij Histri, & Moesæ cum fratribus suis, ab Adula monte Mæsembriam usque
Ponticam: Adulam autem à filio Histri sic cognominatum, Moses Aduram uo
cat. Tuiscon autem Beroso docente, apud Sarmatas, populos multos fecit. Moe
sa cum filijs Histri Priscos Mœsios ab Adula ad Mæsembriam protendit. Idem
Tuiscon Gygas anno Nini quarti apud Rhenum Sarmatas leges docuit, genu-
itq; Mannum, qui Semiramidis anno sexto regnauit apud Rhenum, non ergo
improbamus à Tuiscone *Teütschen* nuncupatos. Manno autem successit Ingeuō
filius, unde prædicti Ingæuones: Alterum à Plinio Germanorum genus, con-
tinens Cimbros Teutonesq;, quos Ingæuones Annius super Berosum ex Tal-
mutistis ædiculum incertum interpretatur, quasi ex genitore Schytico more edo
cti, ædes uagas habitauerint. Cornelius Tacitus ait: Nullas Germanorum po-
pulis urbes habitari satis notum est, nec pati quidem inter se iunctas sedes, co-
lunt discreti, atq; diuersi, ut fons, ut campus, ut nemus, placuit: uicos locāt nō in
nostrum morem connexis & cohærentibus ædificijs, suam quisque domum spa
cio circundat, siue aduersus, casus ignis siue insciti ædificandi. Ingæuoni apud
Tuiscones ut idem Berosus refert, succesit Istæuon, à quo Istæuones. Istæuone
defuncto filius eius Hermion subrogatur. Vnde Hermiones, de quibus dictum
est superius. Post Hermionem, Marso filio eius relicto, Tuisconum regnum de-
legatur. A' uerbo Arameo Maresus quod principem siue ducem consiliorum, ut
diuo Hieronymo placet, significat. Marsus uocatus, unde Marsi populi, de qui-
bus Strabo Cappadoces, siue Gnosius Amasinus lib. septimo sic inquit. Quæ-
dam uerò in profundam regionem transmigrās peruenit, ut Marsi postea Tui-
sconibus præfuit Gambriuius, id est, coronatus, à quo Gambriuij, genuitq; filiū
Sueuū, cuius regni tēpore Osiris & Isis ad Germanos naue per Rhenum portati
sunt à Sueuo appellati Sueui. Idem Tacitus libro decimonono historiæ Augu-
stæ: Trahuntur in partes Sydo atq; Italicus Reges Sueuorum, quibus uetus ob-
sequium ergo Romanos, & gens fidei commissæ patientior. Cæsar quoque li-
bro quarto de Gallico bello inquit: Sueuorum gens longe maxima & bellico-
sissima Germanorum omnium. Horum pars, eodem Tacito autore: Isidi sacrifi-
cabat, ea causa mihi persuadeo, nostrates Augustenses, falsò Cisam deam appel
lare, templumq; hoc quod fuisse credunt, ubi nunc Augustæ Prætorium conspi
cimus, non Cisæ ut quidam dixerat:

Quem male polluerat cultura nepharia dudum:
Gallus monticulum hunc tibi Cisa tulit.

Sed Isidis fuisse, collisq́ue ibi publici cæteris, non Cisen, sed Isenberg, quasi
Isidis montem appellant. Nec ego apud doctos legi, nisi fortè pro Cisa Cererem
putaueris, noster Adolphus Ottho Phrisius Augustam prius Cisroim, à Vin-
dæ & Lici confluētia dictam credidit, nostri Cisaram à Cisa, antequā Vindelica
diceretur fuisse cognominatā asserunt. Inter scribendum hęc, aduenit sororius
meus Christopherus Vuelser, linguę Lacialis, nō ignarus, & me super illa effigie
lapidea

lapidea uetustissima ædibus sacris diui Vdalrici Augustensium Patroni affixa admonuit, eam non esse Cisæ, ut uulgus credit, sed Medusæ. Sculptos enim habet crines grossos uipereos, collum eius plectentes, & in eius gemmam, quàm nobis monstrauit hoc epigramma protulit:

Exemptum media de Pallados Aegide dicas,
Gorgona, quam paruo claudit in orbe lapis.
Quin & monstrifici præstant miracula uultus,
Vidit & innumero palpitat angue caput,
Tam similis non ipsa sibi est, se forsitan illa
Vidit, & à speculo saxea facta suo est.

Hanc eandem refert. M. Ann. Lucanus Cordubensis, Pharsaliæ libro nono.

Finibus extremis Libyes: ubi feruida tellus
Accipit Oceanum demisso sole calentem,
Squallebant latè Phorcynidos arma Medusæ,
Non nemorum protecta coma, non mollia sulco:
Sed Dominæ uultu confecta aspera saxis,
Hoc primùm natura nocens, in corpore sæuas,
Eduxit pestes, illis è faucibus angues.
Stridula fuderunt, uibratis sibila linguis,
Fœmineæ qui more comæ per terga soluti,
Ipsa flagellabant, gaudentis colla Medusæ.
Surgunt aduersa surrectæ fronte colubræ,
Vipereumq; fluit depexo crine uenenum.

Item P. Ouidius Naso Metamorph. libro quarto, —*tamen excipit unus*

Ex numero procerum quærens, cur una sororum,
Gesserit alternis immixtos crinibus angues.
Hospes ait, quoniam scitaris digna relatu,
Accipe quæsiti causam, clarissima forma,
Multorumq; fuit spes inuidiosa procorum
Illa, nec in tota conspectior ulla capillis,
Pars fuit, inueni, qui se uidisse referrent.
Hanc pelagi rector templo uiciasse Mineruæ
Dicitur, auersa est, & castos Aegide uultus,
Nata Iouis texit, néue hoc impune fuisset,
Gorgoneum crinem turpes mutauit in hydros.
Nunc quoq; ut attonitos formidine terreat hostes:
Pectore in aduerso quos fecit, sustinet angues.

Et quia Germania uitibus, tunc inepta erat, docuit Osiris ex hordeo potum fieri, haud multum uirtute gustuq; uini inferiorem, ut Diodorus Siculus libro primo attestatur, & idem Tacitus ait: Potui humor ex hordeo, aut frumento in quandam similitudinem uini corruptus est. Domitius Vlpianus lureconsultus ait, Certè Cerzusum, uel in quibusdam prouincijs ex tritico, uel ex hordeo, uel ex pane conficitur, non continebitur. Simili modo nec Camũ, nec Ceruisia. Virgilius tertio Georgicorum.

Et pocula lacti fermento atq; acidis imitantur uitea sorbis.

Sueuo deinde successit Vuandalus, à quo idem Ioannes Annius certis argumẽtis Vindelicos esse ortos docet, quod non satis probo, cum Vuandali & Vindelici longè differant. Vuandalum postea in regno Tuisconum secutus est, Teutones, qui Mercurius Germanorum traditur fuisse. Hic sacrificos ritus indidit, De quo Lucanus:

Et quibus inmitis placatur sanguine diro,
Teutanes, horrensq; feris altaribus esus.

Ab eodem Teutonicos dictos existimo, refert etiam Berosus, Herculem Almanum regnauisse apud Tuyscones. Hic est ille Hercules, de quo Tacitus ait: Germani apud eos Herculem fuisse commemorant, primumq; omnium uirorum fortium ituri in prælia canunt. Annius putat hunc Almannum dictum, uel quod Manni filius fuerit, uel ei in regno successerit. Noster Ladislaus Regius Capellanus me certiorem reddidit, ædem sacram Insulæ Rhenanæ Augiæ maioris: à Deo ipso Alman, ab accolis cognominatam. Hinc Sueuos Alemannos dictos credant, hos Fl. Vopiscus in Proculo commemorans ita inquit: Nam Alemannos, qui tunc Germani dicebantur, non sine gloriæ splendore contriuit nisi Alemanni (ut plærique credunt) à Lemanno lacu nomen habuerint, quodcunq; sit, diutius in Germanorum nominum uetusta conquisitione euagati, ad rem redeamus. Germaniæ uocabulum recens esse dicunt, libro vij. Strabo & Tacitus nuperq; additum, quoniam qui primi Rhenum transgressi sunt, Gallos expulerint: at nũc Tungri, nunc Germani appellati sunt: ita nationis nomẽ, non gentis eualuisse paulatim, ut omnes primùm à uictore ob metũ, mox à seipsis inuento nomine Germani uocarentur. Ego autem id magis uetustum credo: Prisco enim Tarquinio Romę, & Ambigato supra Gallos regnante, in Italiam Gallorum trãsitum T. Liuius libro quinto, primæ decadis describit, & de Bellouesо Ambigati sororis filio, cui augurio quodam Dij lætiorem in Italiã uiã dabant, ita inquit: Alia subinde manus Germanorum Elitouio Duce, uestigia priorum secuta, eodem saltu fauente Bellouesо, cum transcendissет alpes, ubi nunc Brixia ac Verona sunt. Retuli etiam prius, Belgas à Germanis plęrosq; ortos Rhenum antiquitus traductos, ut Cęsar Dictator ait. Habet autem ab Oriẽte Germania Dacos: à Meridie Italiam, ab Occidente Gallos, à Septentrione Sarmatiam prope Oderam. Idem Strabo libro quarto. Post Heluetios Sequani & Mediomatrici Rhenum incolunt, in quibus Tribochi natione Germani, relicto natali solo Rhenoq; traiecto sedes posuerunt. Tribochos autem noster Cęsareus Poeta Conradus Celtis Protucius, à tribus quercubus antiqua religione Nymphis consecratis nuncupatos affirmat. Triboteśq; uocabulo corrupto cognominatos nunc Argentinenses, de quibus etiam postea Suetonius Tranquillus scribit: Germani ab Augusto Cæsare ultro Albim fluuium submoti, ex quibus Sueui, & Sicambri dedentes se, traducti in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocati sunt. Idem Strabo libro septimo, Germaniæ portionem quandam ad Galliam traduxere Romani. Si igitur Belgæ ut plurimum à Germanis orti, Germani etiam ante Cæsaris Dictatoris tempora Cisrhenum habitarunt, & inter Belgas ac Rhenum medij sunt. Gallos quoq; expulerunt, ipsisq; imperauerunt: non uideo quomodo antiquitus: Gallis Germani paruerint. Ammianus Marcellinus, historiæ Augustæ conscriptor diligentissimus, qui & sub Imperatore Cęsare F. Claudio Iuliano August. F. Constantij, fratris Cõstantini Maximi filio militauit, diuq; in Gallia atq; Germania fuit. Libro suo decimoquinto, sic inquit: Superiorẽ & inferiorem Germaniã Belgasq; duæ iurisdictiones ijsdẽ tẽporibus rexere, at nunc numerãtur Prouincię per omnẽ ambitũ Galliarũ, Secũda Germania, Prima ab occidentali exordiẽs cardine, Agrippina & Tungris munita ciuitatib. amplis & copiosis: dein prima Germania ubi præter alia municipia, Moguntiacus, Vangiones, Nemetes, & Argentoracus Barbaricis cladib. nota: Post has Belgica prima Mediomatricos ꝓtendit, & Treuiros domicilij Principũ clarũ: huic annexa est secunda Belgica, qua Ambiani sunt, urbs inter alias eminẽs fuit, ex illa diuisiõe dilucide cõperimus, Germanias cisrhenanas olim fuisse, & hodie esse: quod Strabo eodẽ lib. quarto cõfirmat inquiens:

quiens: post Mediomatricos & Tribochos Trinsgri Rheno adiacent, apud quos Rom. Imperatores contra Germanos belligerantes hac tempestate pontem ædificant, loca hæc trans Rhenum incolebant Vbij, quos ad interiorem ripam traduxit Agrippa, nec inultos quidem. Contigui Trinsgris sunt Neruij & hi quoque natio Germanica. nouissimi ad utrunque fluminis ripam habitant Menapij, his per paludes & nemora domus sunt, non proceræ quidem materiæ, sed densæ & dumosæ. Secundum istos & Sicambri Germani consistunt, huic fluuiatili regioni toti supereminent Germani alij quos Sueuos appellant, qui potentia & hominum frequentia cæteros antecellunt, credebam uerbum Vbij supra positum, in Strabone minus emendatè impressum esse, sed cum Hermolai Barbari castigationes Plinianas perlegissem, comperi eum referre. Strabo Vibios appellat, credo tamen Vbios dici, ipse quoque dicit uiculum esse contra Coloniam Agrippinensem ultra Rhenum Vbium cognominatum, sed de Vbijs alia subiungemus. Idem Tacitus ait ipsam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt, Vangiones, Tribochi, Nemetes. Vbij quidem Rom. Colonia esse meruerint, ac libentius sui conditoris nomine uocantur, origine erubescunt, transgressi olim, & experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati sunt ut arcerent, non ut custodirentur. Tranquillus in Otthone Cæsare inquit: Sub idem uerò tempus Germanicianus exercitus in Vitellij uerba iurauit, quod iuramentum factum esse constat, Agrippinæ per Fabium Valentem, quem secuti sunt exercitus superioris Germaniæ. Idem Tacitus libro duodecimo. Sed Agrippina Augusta Claudij Cæsaris coniunx, quo uim suam sociis nationibus ostentaret, in oppidum Vbiorum in quo genita erat, ueteranos Coloniam'que deduci impetrat, cui nomen inditum ex uocabulo ipsius, ac forte acciderat, ut eam gentem Rheno transgressam auus Agrippa in fidem acciperet. Vnde Iulius Paulus Iureconsultus, qui unà cum Domitio Vlpiano assessor Papiniani fuit, ab Antonino Heliogabulo Cæsare (qui se inuictum & summum Solis sacerdotem appellauit, ut clarè ex eius nomismatis perspectum habui) uel à Marco Aurelio Seuero Alexandro Cæsare Præfectus factus, ita scribit: In Germania inferiori Agrippinenses, Italici sunt Iuris. Extat adhuc oratio apud Tacitum libro x x. historiæ Augustæ, qua Tencteri Rheno discreti gens missis legatis mandata apud Concilium Agrippinensium edi iubet; quam ferocissimus unus è legatis in hunc modum protulit. Rediisse uos in corpus nomen'que Germaniæ communibus Deis, sed præcipue Deorum Marti grates agimus, uobis'que gratulamur, quod tandem liberi inter liberos eritis, nam ad hunc diem flumina ac terras & cœlum quodammodo ipsum clauserant Romani, ut colloquia congressus'que nostros arcerent, uel quod cotumelioßius est, uiris ad arma natis inermes, & propè nudi sub custode & precio coiremus, sed ut amicitia societas'q; nostra in æternum rata sint, postulamus à uobis, muros Coloniæ munimenta seruitij detrahatis, etiam fera animalia si clausa teneas, uirtutis obliuiscuntur. Romanos omnes in finibus uestris trucidetis, haud facile libertas & domini miscentur, bona interfectorum in medium cedant, ne quis occulere quicquã, aut segregare causam suã possit, liceat uobis nobis'q; utranq; ripã colere, ut olim maioribus nostris, quomodo lucẽ diem'q; omnib. hominibus, ita omnes terras fortibus uiris natura aperuit. Instituta cultum'q; patriũ resumite labruptis uectigalibus, quibus Romani plus aduersus subiectos quam armis ualent. Sincerus & integer, & seruitutis oblitus populus, aut ex æquo agetis, aut alijs imperitabitis. Agrippinenses cõsultandi spacio sumpto in hunc modũ respõderunt: Quæ patriæ libertatis facultas data est, auidius quã cautius sumpsimus, ut uobis cæteris'q; Germanis, consanguineis nostris iungeremur, muros ciuitatis congregãtibus fetum maxime Romanorum exercitibus, augere nobis quã di-

ruere

ruere tutius est. Si qui ex Italia aut Prouincijs alienigenæ in finibus nostris fuerant, eos bellum absumpsit, uel in suas quisque sedes refugere. Deductis olim & nobiscum per connubium sociatis, quique mox prouenere, hæc patria est, nec uos adeò iniquos æstimamus, ut interfici à nobis parentes, liberos nostros uelitis. Vectigal & onera commertiorum resoluimus, sint transitus incustoditi, & diurni, & inermes, donec noua & recentia iura, in uetustatem & consuetudinem uertantur, arbitrum habebimus Ciuilem & Velledam, apud quos pacta sanctientur. Velleda autem qui fuerit Tacitus ibi declarat. Hanc orationem & Agrippinensium responsionem ideò referendas censui, ut etiam ex ijs Agrippinenses Germanos esse cognoscceremus, sic de Moguntiaco satis constat, de quo diuus Hieronymus & etiam alijs ad Geronciam ita scribit: Moguntiacum nobilis quõdam ciuitas capta, atque subuersa est & in Ecclesia multa hominũ millia trucidata. Vangiones longa obsidione deleti. Remorum urbs præporens, Ambiani, Atrebates extremiq; hominum Morini, Tornacum. Nemete, Argentoracum translatæ sunt in Germaniam. De Nemetibus Sebastianus Brand optimæ eruditionis uir & communis amicus noster ad Marcum:

Inter Germanos, Nemetum celeberrima Spira
Quondam erat, à nobis nomen habere studens,

De Moguntia Celtis noster ad suam Vrsulam cecinit.

Moguntiacæ quæ stant in mœnibus urbis
Sollicitas oculos unica cura meos,
Inter quæ Drusi stant ardua busta Neronis,
Clara à Germanis nominá primus habens.

Idem Celtis ad Rhenum.

Argentoracos, Nemetes & Vangionasq;
Abluit irriguo fons tuus ille uado,
Iamq; Moguntiacam uastus te flectis ad urbem,
Quæ prima impressas tradidit ære notas.

De hac arte impressoria idem Brand.

Nuper ab ingenio Rhenanæ gentis, & arte
Librorum emersit copia larga nimis,
Et qui diuitibus, uix Regi obuenerat olim,
Nunc liber in tenui cernitur esse casa,
Gratia Dijs primum, mox impressoribus æqua
Gratia, quorum opera hæc, prima reperta uita est.
Quæ doctos latuit Græcos, Italosq; peritos,
Ars noua, Germano uenit ab ingenio.

Mouit mihi stomachum præceptor meus, rerum uetustarum alioquin solertissimus inquisitor Pomponius Lætus, uoluit enim nobis Germanis, inuentę artis impressorię laudem prępripere, ad Augustinum Mapheum scribens, ira ait: Imprimendi facultatem, multis sęculis intermissam paulo antè reuocatam esse. Vnde hoc diceret ego plurimum cunctatus sum, tandem ex Francisco Cardulo Narniensi didici, eum diui Cypriani sententia fertum fuisse, is enim de Idolis scribẽs inquit: Saturnus literas imprimere & signare nummos in Italia primus instituit, qui licet rarus apud Pomponium uetustatis inuestigandæ Christianus restis est, fidem tamen non facio, Diuum Cyprianum de ea impressoria arte (qua nunc utimur) locutum fuisse, sed & Saturni tempore calami uel pennæ usus non erat, literas forte ferro uel lignis impresit, cęterosq; docuit, non coniunctim, uerum singulas particulatim imprimendo debito ordine locare: Vel ut idem noster Episcopus Tergestinus opinatur, Saturnum docuisse literas imprimere eas quæ in nomismatis expressę sunt, non quę nunc papyro imprimuntur.

Signauit

Signauit enim ęs primum in Italia cum Iano monetam, & in ęs impressit literas. Sic Deus etiam uerus apud Hieremiam capite XXXII. ait: Agri ementur pecunia, & scribentur in libro, & imprimetur signum.

Reditum facio, ad utramque Germaniam. Idem Tacitus libro duodecimo, historiæ Augustæ ijs temporibus in superiore Germania trepidatum aduentu Chattorum latrocinia agitantium: Deinde L. Pomponius legatus auxiliares Vangiones & Nemetes, addito equite alario, monuit, ut antè irent populares. Idem lib. XX. Spreto Flacco inferiorem Germaniā petiuere, ut Claudio Ciuili iungerētur, erat enim regia stirpe Batauorū princeps, Herennius Gallus Bōnam obtinuit. Titus Liuius lib. CXXXVII. L. Floro in epitomate referente: Ciuitates Germanię cis Rhenū & trās Rhenum positas à Druso oppugnatas fuisse. Idem Florus libro tertio Epitomatum de bello Gallico. Drusus missus in Germaniam prouinciam, primus domuit Vsipetes, & Marcomannorum spolijs insignibus, quendam æditum tumultum, in trophæi modum excoluit: inde ualidissimas nationes, Cheruscos, Sueuos & Sicambros pariter aggressus est. Germani postea, Quintilij Vari libidinem & superbiam, haud secus quàm sæuitiam, odisse cœperūt, & Arminio duce armis correptis occisæ sunt Vari tres legiones. Nihil ea cæde per paludes, perq; syluas cruentius, nihil insultatione Barbarorum intolerantius, præcipue tamen in causarum Patronos; alijs enim oculos, alijs manus amputabant, unius os consutum recisa prius lingua, quam in manu tenens Barbarus, tandem, inquit, uipera sibilare desiste: ipsius quoq; Consulis corpus quod militum pietas humi abdiderat effossum, aquilas etiam duas Barbari possederunt, tertiam signifer: priusquam in manus hostium ueniret, euulsit, mersaq; inter baltei sui latebras gerens, in cruenta palude latuit. Hac clade factum, ut imperium Rom. quod in littore Oceani non steterat, in ripa Rheni fluminis staret, tunc ea Vari clade siue Titi Ennij prætoris cæde, legione etiam Martia amissa, Ciuitas nostra plurimum nobilitata forum publicum apud nos Perlauem, à perdita legione cognominant, ubi aliquando inscriptum fuit:

Indicat hic collis Romanam nomine cladem,
Martia quoq; legio simul perijt.

Ceciditq; ea pugna cum equitatu Macedonico Auar Græcus Bogudis filius, tustici ex eo domus non longe ab Augusta adhuc Criechsauar appellantur.

His nomen terris Bogudis dat regia proles
Græcus Auar pecudis de Sueuis more litatus.

Ex urbis tunc principibus occubuere, Habino à quo collis Habinberg inscriptus est:

Præfectus Habino se uictum atq; sepultum
Perpetuo montis nomine notificat.

Et Cacchus qui uillæ Cacchingo nomen dedit, auxit hanc soli nostri natiui nobilitatem. Decimus Drusus Tiberij Neronis filius Cæsaris Augusti ex Liuia Drusilla priuignus restituit quidē urbē ædificijs, & arce contra Pannones munitissima, cuius uestigia in campo Burgi in suburbijs portæ Virgineæ adhuc conspicimus. Amplificaturq; in dies ab inuicto Cæsare Maximiliano August. Pio felice Patre patriæ Supra scriptos itaque auctores, testes inculpatę uitę, summę doctrinæ, & experientiæ, fide nulla uacillantes referre uolui, ut tua Dominatio aperte perspiceret, Germanias ambas, inferiorem & superiorem, primam & secundam, inter Belgas & Rhenum antiquitus, etiam ante Cæsaris Dictatoris tempora fuisse, Gallos expulisse fixisseq; ibi sedes suas, & quod Rhenus, easdem à magna Germania separaret.

Contra nos fortè parte Germaniæ desertores testes eosdem proferent, quibus si poterimus, satisfaciemus, dicunt ipsi: Idem Cæsar libro primo de bello Gallico ait:

co ait: Belgæ proximi sunt Germanis, qui transrhenum incolunt. Idem Tacitus Germania omnis à Gallijs Rhetijsq; & Pannonijs Rheno & Danubio fluminibus à Sarmatis Dacis'que mutuo metu aut montibus separatur, cætera Oceanus ambit. Idem Tranquillus in Dictatore: Gessit autem nouem annis, quibus in Imperio fuit hæc, ferè omnem Galliam quæ à saltu Pyrenæo Alpibusq;, & monte Gebenna, fluminibus, Rheno & Rhodano, continetur. Idem Plinius suprascripto capite decimoseptimo: Agrippa uniuersarum Galliarum, inter Rhenum & Pyrenænm, atque Oceanum ac montes Gebennam & Iuram, quibus Narbonensem Galliam excludit, longitudinem CCCCX. M. passuum latitudinem CCCXIII. computauit. Et Solinus de mundi mirabilibus inquit: Galliæ inter Rhenum & Pyreneum, item inter Oceanum & montes Gebennam, ac Liren, porriguntur fœlices. Paulus Orosius: Gallia Belgica habet ab Oriente fluminis Rheni Germaniam. Item Eutopius libro decimo de gestis Romanorum ait: A Iuliano Cæsare Constantij Cæsaris sororio, atque patruele, modicis copijs apud Argentoratum Galliarum ingentes Alemannorum copiæ extinctæ sunt, Paulus etiam Diaconus in additionibus ad Eutropium capite tertio: Gratianus apud Argentariam, oppidum Galliarum formidolosissimum bellum incredibili fœlicitate confecit. Ex ijs autoribus, nostris'que testibus Germaniæ desertores, argumentari uolunt, Prouincias omnes cisrhenanas ad Gallos spectare debere, quod inficiari uolumus. Et id approbamus: Vetustissimos Galliæ terminos aliquando ad Rheni fluminis partem protensos fuisse, ex eo'que Germani cisrhenani, ad Gallos non pertinent, sed Gallis repulsis, Germani cisrhenum sedes proprias fixerunt, ibiq; Germaniæ, superioratque inferior, appellatæ, nunquam Gallis, sed uel Romanis, uel Cæsaribus Augustis, uel etiam Regibus uera origine Germanis paruerunt, & multo etiam tempore liberi fuerunt, præscripti etiam testes, ut certo persuasum duco, cum de Rheno loquuntur, non proximum hunc terminum, sed magis notiorem significant. Illud tamen non nego, ueteres Heluetios & Rauracos ad Nantuates usq; quos appellant Constantienses olim Gallos, nunc autem Germaniæ superioris esse. Plinius quidem Nantuates non meminit, uerum post Rauracos à Cæsare Rauracios dictos. Principium Tribochorum, ad Germaniam cisrhenanam superiorem porrigitur: nec Orosius Galliam eo loco usque ad Rhenum describit, sed ad Germaniam Rheni fluminis, hoc est, cisrhenum, ut Ammianus docuit. Præterea si Gallia Belgica aliquando usq; ad Rhenum, non tamen in omnes ipsius fluminis partes protensa fuit, quod satis docet Strabo libro eius quarto ad cuius initium ita inquit: Belgas uero nominabant, reliquos Oceano confines, usque ad ostia Rheni, & nonnullos Rheni & Alpium uicinos incolas: & etiam per hoc certo constare non poterit, Germanos cisrhenanos Gallis paruisse, nisi uictor uicto paruerit. Galli enim sunt uicti à Germanis atq; expulsi.

Quod autem Heluetij antiquitus fuerint Galli, & quod eosdem à Germania magna diuidat Rhenus, docet Cęsar libro primo de bello Gallico: & Cornelius Tacitus libro decimoseptimo ait: Irritauerunt turbidum ingenium Heluetij gens Gallica soli in armis. Nunc autem ab Alpibus Italię imminentibus, & Rheni origine, siue is ex Lepontijs (ut idem Cęsar libro quarto inquit) oriatur, siue Rhetos Tacito auctore & Noricos interfluat, siue ut idem Strabo predicto libro ait: Et Nantuante lacus'que Pelemena per quem Rhodanus effertur, & fluminis ipsius fontes non longe autem ab istis sunt Rheni fontes, & mons Adualla, ex quo in Septentrionem Rhenus excurrit, & diuersa ex parte Adua in lacum Larium iuxta Comum intrans. Verbum Adualla credo legi debere Adula. Heluetij non sunt Galli, sed Sueui Germani, scribunt que se iuratos, ueteris confœderationis Sueuię, de quibus noster Celtis ad Vrsulam suam:

Pulcher

Pulcher Heluetias ubi Rhenus concoquit uuas
Gallia Germanis proxima rura secans.

Rursus cum quibus controuersia est, nobis obiiciunt, si Germani cisrhenani non paruerunt Gallis, quid de Franciæ regibus, Clodoueo scilicet, qui Argentorati, ut audio Ecclesiam, maiorem & diui Petri erexit. Dagobertus Clotharij secundi filius fundauit cisrhenana monasteria Albiburgium, qui tamen non Latino, non etiã Gallico, sed Germanico nomine, anno Christianę salutis DCXXIII. die XI. Maij, anno regni sui XXIII. ex loco Vuissenburg appellauit. Inseruit'que eisdem fundationis literis alia plura locorum cisrhenum Germanica uocabula, & domum nouam prope Vuormaciam Neuuhusen cognominatam: consederatq; Rubiaci, ubi arcem munitissimam Germanico nomine appellatam extruxit. Item alijs Pippino & eius filio Carolo Magno cęterisq; eorum posteris, quibus totus Rhenus paruit, & sub eorum iugo fuit, Argentinenses utuntur lilio, in nomismate, insigni scilicet regum Franciæ, ergo eis subesse debent, proh fortissimum argumentum.

Ego respondeo, si Germanus Romanorum Cęsar, siue rex supra Gallos, Frãcosq; occidentales regnaret, eidem iurè, non solum Rhenus, sed & Germania uniuersa subesset, & sic Franciæ occidentalis rex, ut Germanus Romanorũ Cæsar, sub ditione sua Rhenũ & Germaniã haberet uti habet, Rogo ex patriæ Germaniæ desertoribus, qui fuerunt Francię reges, Rhenum possidentes, certe non Galli, non Hispani, sed uera origine Germani, olim enim & antiquitus, Francia non erat pars Galliæ, sed Germaniæ, Blondus Flauius Foroliuẽsis historiarum ab inclinatione Imperij libro primo sic inquit: Sed Franci & ipsi Germani ex ea Prouincia quę nunc etiam Franconia appellatur, oriuntur, tunc erant in Gallijs, eos autem primus Romanorum Ducum domuit in patria Constantius Flauij Constantini filius, eaq; accepta clades tunc effecit, ut semper postea usq; ad Honorij & Arcadij tempora fuerunt in Patria quietissimi. Eorundem uerò Imperatorum anno septimo mutandi melioris soli gratia, patrijs sedibus relictis Rhenum transmiserunt, & apud Treuiros, Mediomatricos & Metenses, ac Leucos qui & Tullenses Veredim ẽses q;, confederant, quos Sueuis ob uetustas simultates instigantibus, Vandali, Burgundiones, atq; Alani, per uim & arma, in Franconiam se recipere compulerunt, Francis ultra Rhenum pulsis, Vandali, Alani et Sueui, ad diripiendas uastandasq; Gallias sunt profecti, Burgundiones autem sedes illico capere constituerunt, easq; delegerunt apud Heduos, Hesuntios, Lingonas: Cabilonenses & Matisconenses, in quibus proximisq; ciuitatibus adhuc usq; tempora mansere, ut ipsis in locis, pars eius regionis quæ prius Gallia Belgica fuit dicta, annos iã mille Burgundia nominetur. Vandali aũt, Sueui & Alani interea eã Gallię partẽ, quę Aquitania appellatur, à Ligeri ad Pyrenęũ, Britãni cumq; mare pertinet, populationibus incẽdijsq; fœdarũt, fuitq; ijs Barbaris animus Pyrenæo transmisso in Hispanias irrumpere, sed ab eius montis salebris repulsi, in Gallię mediterranea se cessêre, licet postea incolarũ uirib. deturbatis, intra Hispanias admissi sunt, Vãdali, Sueui, & Alani, plerisq; urbibus expugnatis, ad Lusitanos contendentes, Vlixbonenses pecunijs mulctarunt, qui diuisis inter se prouincijs interioris Hispaniæ, Vãdalis Betica, Sueuis atq; Alanis Lusitania obuenit, postea sorte irerum inter Alanos & Sueuos ducta, Iij Vlixbonã & quicquid ultra pertinet ad Beticam, illi Emeritam cum omni Gallitia habuerunt, soli Cantabri & Astures Gallitiæ prouinciæ populi, Romanorum iudices conseruarunt. Hæc de Sueuis nostris inseruisse placuit, quod olim Lusitanos armis oppugnabamus, nũc eos negotiationibus perimus, maiores nostri exteros aggressi, nos bellis atq; seditionibus intestinis, inuicem atterimur, & sæuitijs mutuis obruimur. Sed ad Francos redeo. Etius Patritius Gaudensij Mœsij ex Dorostana

urbe

urbe filius, Exercitus Romani dux insignis, Francos iterato Rheni ripas insidentes, irrumpentesq; in Galliam magna superatos cæde in Germaniam repulit. Idem Blondus libro secundo inquit: Diximus suprà, Francos uetusta origine ex Franconia Germanos, à Vandalis, Burgundionibus & Alanis primo, & pòst ab Etio fuisse ex Gallijs in patriam repulsos. Hi ergo temporibus Valentiniani tertij. Constantij & Placidiæ filij Cæsaris, Etium in bello Burgundionum implicati, & Imperatorem amissis in Africa copijs, eneruatum uiribus audientes, Clodione & Meroueo filio ducibus, ex Franconia sunt profecti, & Rheno transmisso, nullis iam qui resisterẽt reliquis, in Senonum prouincia sedem apud Aurelianenses Parisiosq; ceperunt, tunc eapars Galliæ Sennonensis Parisiorum ab Imperij inclinatione, anno XXVI. subiecta est Francis, id est, Franconíbus Germanis, iterum Gallos sub iugum suum mittentes. M. Antonius Sabellicus libro nono, Enneadis septimæ, ita inquit: Erat per id tẽpus præter Sueuos altera Germanorum gens in Gallia, Francos se à Franconia dixerunt Germaniæ parte, unde aliquot ante annos fuerant profecti. Idem præterea libro primo, Enneadis octauæ superiorem Blondi historiam comprobat. Si ergo Clodouei, Clotharij, Dagoberti, & cęteri ad Pippinum usq;, ex stirpe atq; sanguine Clodionis & Marouei Germanis Franconibus procreati Orientalis, & Occidentalis Franciæ Reges, Rheno dominati sunt, propterea Germani cisrhenani, non sub Gallis sed Francis Germanis erant. Idemq; Dagobertus secundus non solùm Francis rex constitutus erat, sed & supra Burgundiones & Austrasios regnabat, qui tunc sub Germanis cisrhenanis computabantur, non ut occidentalis Franciæ, sed ut Rex Austrasiorum, quos modo Lotharingos & ex Lotharij regno dicimus, & ex quibus Brabantini Principes, Duces, se ex Lotharij regno scripserunt, ex Austrasia scilicet inferiori, superior enim circa Metas erat, eorundem Regnorum distinctionem noster Sebastianus Brand in uita diui Germani declarat:

Tempore quo Francis Dagobertus rex ueneranduś
Præfuit Austeriæ, & Gallica sceptra tenens.

Et quia uniuersa tunc Germnania Frãconibus subiecta erat, Germanis cisrhenanis imperitabant. Quorum ciuitates insignis & eorum armis, coloribus non Regum Franciæ occidentalis, non etiam ranis nec lilijs, sed Francorum Germanorum albo scilicet & rubeo, usi sunt hodieq; utũtur. Vetusta Coloniæ Agrippinensis arma, Ducatus Franconiæ, acies triangulariæ albæ & rubeę, quibus etiam diuis Magis tribus eò translatis (acie semotis) & ijsdem coloribus retentis Coronæ tres additę sunt. Habet Mogũtia rotas duas albas in cãpo rubeo. Vuormacia clauem albã, in campo similis coloris. Spira Ecclesiam rubeam in campo albo. Argentina campum album, quem (ut uulgi uocabulo utar Strata per medium scindit, à Strasburgio desumpta. Tholossæ etiam regnum tunc in Gallia separatum Ariberto & Chilperico filio regibus defunctis, Dagoberto cesserat. Supra etiam mille & centum annos, illustris Maso Sueuorum dux Monasterium quod Masonis appllant, apud Sungoios non longe à Rheno erexit, ibiq; cũ filio tumulo conditus est. Euerhardus eiusdem prouinciæ dux Ecclesiam Morbacensem Alsatiæ Christianæ religioni dedicauit, adeò Alsatiæ Christianæ religioni dedicauit, adeò quod etiã antiquitus non omnis Rhenana regio sub Francis Germanis fuit. Et Leone quarto Cæsar August. Constantinopolitano Childericus XXI. & ultimus Merouei Germani Franci prosapiæ ex clerico rex, qui Eticonem diuę Otilię patrem consanguineum suum Alsatię Ducem creauerat, alias cum à prædecessorũ suorũ moribus descisceret, & regibus Germanis Frãcis ob uitia quibus immersus lõge ablimilis opportunum necessariumq; esset, ut iterum Gallis Germanus rex proficeretur, idcirco consilia Zachariæ Pont. Max.

Max. Pipinus Dux Brabantinus, & Austrasiorum, etiam Germanus maiorq; domus Franciæ (agebat enim in palatio Treuirensi) per proceres Franciæ Rex declaratur, cuius posteri Germani origine usq; ad Ludouicum Arnulphi Cæsaris filium supra Gallos regnarunt, ut postea latius declarabimus.

Francorum modò originem altius repetamus: Pius secundus Pont. Max. in Europa sua inquit: Franci quidem Troiani Ilio deleto, Priamo duce, Priami ex sorore nepote per Pontum Euxinum in Meotidas, & in Scythiam peruenere, ibiq; Sicambriam condiderunt, à qua dicti Sicambri; & manserunt ibi uestigales, ad Valentiniani Cæsaris tempora, cuius iussu quod Alanos rebelles in dedi tionem eius coegissent, in decennium libertate donati sunt, & mutato nomine Franci appellati, mox effrenes facti, iugum Romanum recusantes, Scythia digressi, & in Germaniam profecti, Turingiæ consederunt, & Pharamundū Marcomedi filium Antenoris nepotem supra se Regem constituerunt, cuius filius Clodoueus Crinitus, siue Clodio & Franci transmisso Rheno Romanos fugauerunt, & aucti potentia, subiugatisq;, Moguntia, Treueri, Agrippina, Tornaco, Cameraco, Remis, Suessona, & Aureliano, regnum eorū ab Aquitanis usq; in Baioariam extenderunt. Clodoueo successit Meroueus filius, à quo Franci dicti sunt Merouingi. Rupertus Gaguinus in Francia sua, Meroueum hunc, nō meminit Clodionis filium, sed sibi sanguine propiore iunctum, ego mihi persuadere non possum, nec etiam credo, sub Valentiniano Cæsare, Sicambros primùm Francos appellatos, in Germaniamq; profectos fuisse. Miror etiam eundem Gaguinum Francos Germanos subticuisse, sed fortè non mirandus, cum aliàs rerum ordinem non satis complexus est. Sicambri ante Cæsaris Dictatoris tempora, sedes suas fixas apud Germanos habuerunt. Libro enim quarto de Gallico bello inquit: Vsipetes & Teuchateri se trās Rhenum in fines Sicambrorum receperūt, quare ipse ponte supra Rhenum extructo, in fines Sicambrorum contendit, de quibus M. Val. Martialis ad Domitianum Cæsarem.

Crinibus in nodum tortis uenêre Sicambri.

Et Iuuenalis Satyra quarta

Tanquam de Getis aliquid tornisq; Sicambris.

Et Celtis noster ad Rhenum ait:

Ad Lobicas arces mox incipis ire tricornis,
Cum trifido scindens flumine Rhene caput.
Insula ad Arctoas gentes, sed Balus in Austros,
Rhene sed in medio gurgite nomen habes.
Hæc Batani, madidiq; habitant loca nota Sicambri,
Quos modo Gelrenses flamineosq; uocant.
Hollandosq; cauis habitant qui littora terris,
Suspensos dubio, per freta sæua metu.

Sic ergō longè ante Valentianum Cæsarem Sicambri Germani fuerunt, & etiam Franci in Germania appellati, à uocabulo Germanico Francken, quod liberum interpretatur, quasi iugo Romanorum sepositio, Germani in libertatem proclamabant, de quibus Flauius Vopiscus ait in Aureliano Cęsare: Idem apud Moguntiacum Tribunus Legionis sextæ Gallicanę Francos irruentes, cum uastarentur per totam Galliam sic afflixit, ut ccc. exīs captos, septingentis interemptis, sub corona uendiderit. Vnde iterum de eo facta est cantilena: Mille Sarmatas, mille Frācos semel, & semel occidimus, mille Persas quærimus. Et in Floriano Cęsare responsum est ab Auruspicibus, quandocunq; ex familia eius, & Taciti Cęsaris fratris sui Imperatorem Romanum futurum, seu per fœminam seu per uirum, qui det iudices Parthis ac Persis, qui Francos & Alemannos sub Romanis legibus habeat. Et idem in M. Aurelio Probo: Enimuero quę mundi pars

est,quam ille uincendo non didicerit, testes sunt Mamaricę in Africæ solo uicti testes, Franci inuijs strati paludibus,& quod idem de Francis in Proculo refert præterire colui. Quare Blondus,ut præmissum est,iure optimo Francos Germanos scripsit. Sic etiam Eutropius libro 10. inquit:Constantinus Maximus Maximiani Herculij gener in Gallijs & militum & Prouincialium ingente fauore regnabat,cæsis Francis & Alemannis,scriptumq; est,in Panegyrico eisdem Cęsaribus dicto:Fortitudinem autem illius iam tum in principijs consecutus es, multa ille Francorum milia qui & Batauiam aliasq; cis Rhenum terras inuaserant, interfecit, depulit, abduxit. Ammianus præterea Marcellinus ait:Francos petit quos consuetudo Salatios appellauit,ausos olim in Romano solo apud Toxandriam,locum,habitacula, sibi figere. De Toxandris Plinius lib.4.capite 17.scribit. Ego autem puto Salatios à Sala flumine Franconiæ dictos,quod in monte Vichtilberg à pinis uulgo appellato oritur,celebratum à Celti nostro.

Francia Germano mihi stirps & origo poetæ
Herciniæ medio cincta beata sinu,
Quam Mœnus mediam perlambit uitifer oram,
Cuius quadrifluuio nascitur unda iugo
Pinifer is,cuius de uertice flumina quattuor,
Quattuor in partes orbis amœna cadunt,
Mœnus ad occasum Francorum fertur in oras,
Sala sed Arctois perditur Albis aquis.
Egra sed Eoi petit ardua regna Boemi,
Sed Nabus Histrinis insinuatur aquis.

Inde Salicam legem à Salatijs dictam,quę incipit: Moses gentis Iudæorum,& subiungitur,Theodoricus Rex Francorum cùm esset Catalonis, ipso dictante, iussus scribere legem Francorum, Almannorum, Baioariorum,unicuiq; genti, quę in eius potestate erat,secundum consuetudinem suam addidit, quæ addenda erant,& sequitur:Quicquid Theodoricus Rex propter uetustissimam Paganorum consuetudinem emendare non potuit, post hęc Ildebertus rex inchoauit,sed Clotharius rex perfecit. Hęc omnia Dagobertus Rex gloriosissimus per uiros illustres, Claudium, Codonidum magnum, & Agilufum renouauit. Et iterum sequitur: Dictauit legem Salicam, Proceres ipsius gentis,qui tunc adeorant, Rectores,id est,Vuisogaste,Salegaste,& Vuidogaste,Arogaste,Bedogaste,Vironadi,in loco cognominato,Salechamne,Bodecamne & Vuidocamne, nescio cur Gaguinus hanc Saliquam appellet. Verum si suppetabis Cæsares à Valeriano usq; Valentinianum 3.sub quo Franci Germani regnum suum in Gallos extenderunt,inuenies illos non solum sub Valentiniano,sed etiã antea Francos Salatios Germanos dictos fuisse possumus coniectura admitterre, cum Sicambrorum pars ad Germaniã inferiorem contenderit, etiam ante Cæsaris Dictatoris tempus,reliquos in Germania(ubi nunc Franconia est)consedisse.quorum reliquias Cæsar Augustus,ultra Albim adhuc constitutas, Sicambros Germanos submouit, & ad Rhenum collocauit, sic Francis Germanis, Gallis in deditionem coactis,regni sui auctis finibus ab Occidente à Rheno,Ligeriq; Oceano,ultra Danubium & ad Salam,Sorabes à Thuringis diuidentem. Carolus Martellus,Magni Caroli auus,Eutonicos Alsatiæ ducis nepotes,Lunfridum & Eberhardum expulit. Magnus uero Carolus paterno regno adiecit, Hispanos penè omnes, Aquitanos,Vascones,Britones,& Italiæ partem quæ Longobardorum erat:Item Saxones qui à flumine Albi Veseram usq; à uentorum nominibus) quæ idem Magnus Cæsar lingua sua natiua Germanica primus indidit) Ostueldi, hodie etiam Saxones, & à flumine Vesera ad Rhenũ Vuestueldi,nũc Vuestuali appellati,quasi Saxones Ostrocampestres,& Viso campestres. Bilcos

suo

suo nomine Veletabos Nortmannos nunc Nortuuegios dictos, Danos, Auares, Bohemos, utroscp Pannones, Histrienses, Liburnos, Dalmatiam terrestrem, & Germaniam omnem, intra Rhenum Vistulam & Oceanum sitam, quare satis perspeximus, Germanorum Franciam duplicem fuisse Regnum, scilicet, Orientale & Occidentale, quod & multo tempore apud Francos Germanos coniunctum fuit. Verum Ludouico seniore, Ludouici Pij filio Caroli Magni nepote, auitum paternumcp regnum cum fratribus diuidente, Lotharius primus Cæsar & frater suus rex Carolus pòst Cæsar Occidenti præfuerunt. Ludouicus senior, & filius Ludouicus iunior supra Orientales regnauerunt, quod literis erectionis Ecclesiæ Vuysenstaig, Augustēsis diocœsis, cōprobamus, in quarū calce ita scriptū est: Acta est hæc traditio in ipso loco Vuisontes steiga sub die 8. Idus Decēbris, Anno ab incarnatione Dñi D.CCCLXI. in dictione 10. regnāte Dño Ludouico super Orientales regiones, Anno XXVIII. regni eius. Præfuerūt tunc Imperio & Frāciæ Occidētali Ludouicus 2. Lotharię primi Cæsaris filius, & Carolus Caluus 2. Cæsar Ludouici senioris prædicti ex Ludouico Pio Cæsare Augusto frater. Item in literis donationis Monasterij sanctorum Felicis & Regulæ in Turego factæ, ita continetur: Ludouicus diuina fauente clementia rex, qualiter pro serenissimi Imperatoris aui Caroli & præstantissimi Ludouici Augusti Domini & genitoris nostri, necnon & sempiterna rememoratione, ac pro coniugis & prolis nostræ charissimæ perpetua mercede, Curtim nostram Turegum in Ducatu Alamanico in pago Turganensi, &c. actum XXXII. Regni nostri, in Orientali Francia regnante. Datum Reginspurg ciuitate regia. Licet postea Ludouicus iunior huius senioris filius, Baioarico regno contentus fuerit, ut ex literis Gotzuualdi Abbatis Monasterij Altacensis, cognoui, quibus rex Ludouicus iunior ita scripsit: Ludouicus gratia Dei rex Bauarorum ex quo regalis dignitas &c. Datum Heligbrun in nostro palatio regali, ab incarnatione Christi Anno D.CCCL. die XVIII. Augusti regni nostri 7. De hac Orientali Francia Otho diui Leupoldi Austriæ Marchionis filius & Frisingensis Episcopus ita scribit: Per idē tempus Ludouicus rex orientalium, occidentalia regna uocatu quorundā Principum regnicp terminos occupans, Senonas uscp progreditur. Præterea eodē tēpore regnū Galliæ à Franciæ regno diuersum erat. Carolus enim 3. ob corporis proceritatē grossus appellatus, Cæsar Augustus in literis suis in Monasterio superiori Ratisponæ datis ita inquit: In nomine sanctæ & indiuiduę Trinitatis Amen. Carolus diuina fauente clementia Imperator Augustus: Si membri Christi, &c. data 14. Kalend. Martij, Anno Dominicæ incarnationis D.CCCLXXXVI. indictione 4. Anno Imperij pijssimi Imperatoris in Italia 6. in Francia 5. in Gallia 2. actum in uilla quæ Rotuilæ uocatur. Item Arnulphus Ludouici Senioris nepos. Carolomani ex illustri fœmina filius naturalis, primum Carentaniæ dux (Grosso ægrotante) rex, mox Cæsar Augustus declaratus, omnem orientalem & postea Franciam occidentalem in deditionem suam accepit, regnauitcp supra Gallos plures annos. Vnde idem Frisingēsis ait: Arnulphus totam Orientalem Franciam quod modo Theutonicum regnum appellatur, id est, Baioariam, Sueuiam, Saxones, Thuringiam, Phrisiam, Lotharingiam rexit. Occidentalem uero Odo ex eius auctoritate habuit. Præterea diuus Henricus Bambergij tumulo conditus antequam Cæsar coronatus fuisset, se illius Francię regem scripsit, quod eius literę apud Monasterium Vueissenburgense attestantur, quibus inquit: Data XVIII. Kalendas Februarij, Anno incarnationis Dominicæ M.III. Henrici gloriosissimi regis regni in Francia primo, indictione prima, actum Drodenhoff. Sic etiam Carolus Magnus, & posteri eius prosapię, qui supra Gallos regnauerunt, Germani origine fuerunt, noster Brand de translatione Imperij cecinit:

Translato imperio à Græcis Germana repente
Natio, ſuſcepit regia ſceptra, & opus.
Germanus, quia nam, noſtro quoq; natus in orbe
Carolus, & uero ſemine Teuton erat,
Nempe orientalis Francus fuit, unde recepit
Francia Gallorum, quod modò nomen habet.

Defunctis autem Carolonis, & pleriſque per ignauiam regno Franciæ abdicatis, Henricus primus rex Auguſtus Magni Otthonis pater, ob frequẽtem animi aucupationem auceps appellatus, primus item libera poteſtate in Saxones uſus, ſuaſu generi ſui Gisberti Belgici ducis, cum Francis orientalibus à Carolo occidentalis Francię rege deſciuit, eoq; adſentiente, Galliam Belgicã quaſi uniuerſam cum palatio Aquiſgrani, Regno Burgundionum excepto: omnem ſcilicet Auſtraſiam, quæ Franconibus Germanis Regibus occidẽtalis Franciæ huc uſq; paruerat, Germaniæ imperio adiecit, & in ſignum perpetui pacti atq; fœderis, diui Dioniſij Ariopagitæ manũ dono accepit: ea cauſa Lotharingia ipſa atq; Lotharię regnum cæteraq; prouinciæ Belgarum cum Germanis cis Rhenum ſuperiori & inferiori, in hunc uſq; diem ſub Romanorum Imperatoribus Cæſaribus Auguſtis fuerunt. Idem Otho Magnus Ludouicum Caroli prædicti filium Belgas repetentem arce Briſacẽſi capta fugauit, & Prouinciam eam iterum ſubiugatam Germanico imperio pacatam reddidit: Primumq; Alſatiæ ſuperioris prouincialem Comitem creauit, Kiburgenſem Comitem, cuius familia poſt deficiẽte, inuicti Cęſaris noſtri maiores Hapſpurgenſes, in ea dignitate ſucceſſerũt. Sic idẽ Otho in prędicto Henrico Aucupe ait: Othonẽ Magnũ in Decretis Pontificũ primũ regem Theutonicorũ uocatum, quod regnũ modò Romanũ eſſe cernitur, partẽ eſſe regni Francorũ, denicq; ut oſtenſum eſt, tẽpore Caroli regnum Francorum tota Gallia, id eſt, Celtica, Belgica, Lugdunenſis, totaq; Germania à Rheno ad Illyricum uſq; terminus fuit. Dehinc diuiſo inter filios filiorũ regno aliud orientale, aliud occidentale, utrunq; tamen regnum Francorum dicebatur. In orientali ergo quod Theutonicorum dicitur, deficiente Caroli ſtirpe, manente adhuc in Occidentali Francia ex ſucceſſoribus Caroli, Carolo, primus ex gente Saxonum, ſucceſſit Henricus, cuius filius Otho qui etiam Imperium à Longobardis uſurpatum reduxit ad Theutonicos orientales Francos: forſan dictus eſt primus rex Theutonicorum nõ quod primus apud Theutonicos regnauerit, ſed quod primus præter eos, qui à Carolo Caroli uel Carolingi, ſicut à Meroueo Merouingi dicti ſupra, ex alio, id eſt, Saxonum ſanguine natus, imperium ad Theutonicos Francos reuocauerit, ſicut Merouingis deficientibus. A Carolis ſuccedentibus Regnum tamen manſit Francorum, ſic & Carolis decedentibus ex alia familia in uno tamen regno Othones ſubintroiêre, quæ uarietas humanarum rerum defectum prodens, ab utero mundi uſq; in præſentem diem alternatur. Præterea Imp. Cæſar Fridericus primus Auguſtus Sueuus, prodiſapiæ Hohenſtauffen, ſcripturis & monumentis ſuis publicis, quibus (obtenta ut uulgo appellant canoniſatione) Carolum Magnum Cæſarem in Diuos retulit: Aquiſgrani datis, Anno Dominicæ incarnationis M. C LXIIII. indictione XIIII. ſexti Idus Ianuarij, Anno regni eius XIIII. Imperij uero XI. Eiuſdem Caroli de Aquiſgrani reſtauratione documenta inſeruit inter cętera referentis: Noſcitis qualiter ad locum qui Aquis, ab aquarum calidarum aptatione traxit uocabulũ, egreſſus ſolito more cauſa uenandi & perplexione ſyluarũ, erroreq; uiarum, à ſocijs ſequeſtratus, inueni thermas calidarũ fontium, palatiaq; reperi, quę quondam Granus, unus de Romanis principibus, frater Neronis & Agrippę, a principio conſtruxerat, nunc uero uetuſtate longa, frutetis & uepribus occupata renouaui, & ibidem monaſteriũ ſanctę Mariç matri Ieſu, cũ labore & ſumptu quo

quo potui ædificaui, pignora quoq; sanctorum Apostolorum, Martyrum. Confessorum ac Virginum à diuersis terris & regnis (& quę prę sertim Grę corũ) ibidem recollegi, ut eorum suffragio regnum Romanorum firmetur, ac peccatorũ indulgentia condonetur. Prę terea à Domino Leone Romano Pontifice huius templi cõsecrationem & dedicationem fieri impetraui, prę nimia deuotione quã erga idem opus habui, prę sentibus unà nobiscum Romanis Cardinalibus, multis Episcopis quoq; Italię ac Gallię, Abbatibus, Clericis & principibus diuersis, ut sunt Romani Duces, Marchiones, Comites, Principesq; regni Italię, Saxonię, Bauarię, Alemannię, Francięq;, utriusq; tam orientalis quam occidentalis in omnibus uoto & desiderio meo obsequentes. Obtinuiq; ab omnibus, ut in loco prę fato Regia sedes locaretur, ac esset caput Gallię trãs Alpes, quod ab omnib. est annutum, & hoc à Domino Papa Leone prę fato confirmatum, &c. Ecce Carolus Cæsar noster Romanum Regnum & eius sedem Regiam, etiam in Gallijs trãs Alpes, & citra Rhenum, Aquisgrani constabiliuit, si saltem concedimus, quod cis Rhenani Galli fuerint, necessario eos etiam tunc, sub Germano Cę sare fuisse. De Aquisgrano, Celtis 3. Amorum:

Vrbs ubi sumat aquis Chraneo ab Appolline dictis,
Corpora quæ morbis tincta liquore leuant,
Quáq; patent celsæ Genetricis templa tonantis,
Sanctius in nostro queis nihil orbe micat
Hanc caput Imperij statuit rex Carolus olim,
Dum Gallos nostro subderet Imperio.

Ottho prę terea 2. Cę sar magni & diuę Adelheidis filius, Lotharium, Ludouici filium regem Francię, iterum in Austrasios noua molientem eam prouinciam iureiurando abdicare coëgit. Gotfridus Bullionus Eustachij senioris Comitis & Ide filius Soceri sui in Ducatu regni Lotharij succes sor, & primus ex Germanis Hierosolymitanus rex, eundem comitatum Bullionis, ut scriptor Colonien sis refert, Sperto Episcopo Leodiensi M C C C. Marchis argẽti uendidit. Vnde eius successores, se Bullionis duces siue Comites ab Imperatoribus Germanis inuestitos appellant. Tunc Henricus 4. Rex, Cę sar Aug. 3. Henrico Limburgij Comiti, regni Lotharię Ducatum contulit, sed poste a eodem capto, à Henrico V. Regẽ, Cæsare Augusto 4. idem Ducatus, Gotfrido Barbaro Bruxellarum & Louaniæ Comiti, ex prosapia Caroli Magni & Gebirgæ Othonis Ducis Brabantini sorore prægenito datus fuit. Ex eo scilicet certo comperimus, quod utraq; Austrasia & superior & inferior, quibus pleræq; ciuitates Cisrhenanæ compræhensæ erant) à Carolo Magno usq; in hunc diem, sub Cæsaribus Germanis & ditione Germanica fuit. Item Archiepiscopus Treuirensis sacri Romani Imperij per Galliã & regnum Arelatense Archicãcellarius ex eo est, quod illa Gallia & Arelatẽse regnum, imperio subesse debent. Prę terea quot Episcopi, quot Principes, quot alij Ecclesiarum Prælati, Comites & Barones cis Rhenum, Cæsarem & sacrum Romanum Imperium, ueris simam suam dominationem uenerantur, obseruant, & eidem fidelitatem præstant, quod per annos plures supra D C. ita obseruatum est. Sic publica auctoritas & memorię uetustas causa eadem ambulãt, ut inquit Paulus Iureconsultus Cassiũ referre. Nec etiam uideo, si Germani Frãci imperauerũt Gallis, quomodo Germania cis Rhenum ipsis subesse debeat. Si inuicti Cę saris nostri nepotes, Carolus super Gallos, & Ferdinãdus super Hispanos regnarẽt, propterea Archiducatus Austrię, cęteræq; prouincię huius nobilissimę domus, à mari Adriatico, ad Oceanũ usq; Germanię inferioris protensę, sub iugo Gallorũ uel Hispanien siũ nõ essent. Sed illustrissimi Austrię Archiduces, Gallis & Hispanis, imperarẽt, quod de lilio Argentinẽsium, in eorũ nomismatis referunt Patrię Germanię desertores: nõ ex hoc Argentinẽses quod Gal-

lis parere debeant conuinci possunt: quia non omnes subiecti Gallis, liliis utuntur, & non omnes utentes liliis, Gallis subiecti sunt Florentini habent lilium in nomismate, & tamen de iure Gallis parere non debent. Cætera urbi argentinæ si argumenta contra blaterones, noster Iacobus Vuimpfelingus, accommodatissimè expressit. Hæc sunt quæ Dignationi tuæ referre uolui. Gallos nunquã fuisse dominatos Germanis, quod ne in posterum fiat, Germani maiorum suorum exemplis, animorum magnitudine, simulatibus intraneis longe sepositis, innata fortitudine militari, & ut iure naturæ patriæ astricti sunt, conatu omni, studere, eniti, & efficere atq; curare debent. Valeat tua Dominatio, cui me plurima humilitate commendo. Datum Augustæ in Taberna nostra libraria XIIII. Kalendas Nouembris, Anno salutis M.D.IIII.

VENERANDO ET NOBILI VIRO DOMIno Matthæo Marescalco Iurisconsulto Augustensis Ecclesiæ Canonico Domino suo inprimis obseruando, Conradus Peutinger S.P.D.

LEgi nudius tertius eum Iuniani Maij locum, quẽ tu, tuiq; Canonici nobiles & doctissimi uiri Bernhardus & Conradus Adelmanni, mihi de Brenno ostendistis, ubi inquit, Bergomum Gallicum uerbum à Sennonibus Brenni Milit condita, quorũ lingua Monta urbs significatur, inde Bergomenses, quod etsi auctorem nõ nominet, ego tamen diligentius inuestigando compertum habui, ad eandem Bergomi interpretationem Iohannem Tortellium Polycratum referre, nobisq; ex uocabulo Germanico Berg, quod montem significat, ea interpretatio placet: Fortissimum enim ex uocabuli nomine argumentum, etiam si id in Latinam linguam effluxerit coaluerit q; . Bergomum nõ à Gallis uerum à Germanis conditam uel restitutam fuisse. Refert enim Strabo de Orbis situ lib. 7 Sennones Sueuorum natio, ut superius dixi, partim intra, partim extra syluam habitant, Getarum contermina genti. Et Cornelius Tacitus de Germaniæ situ, uetustissimos se nobilissimosq; Sueuorum Sennones, sed credo Sennones Sueuos sicut alios Germanos, in Galliã concessisse antiquitus. Reddit tamen me ancipitem Cæsar Dictator, qui de bello Gallico lib. quinto ait: Sẽnones ciuitas firma & magnæ inter Gallos auctoritatis, quam Plinius in Lugdunensi Gallia locat. Item Brennum Plutarchus in Camillo regem, Titus Liuius Regulum, & ex Trogo Pompeio Iustinus, Valerius quoq; Maximus, Ducem Gallorum appellant, qui postea quàm Galli Celtici (Prisco Tarquinio supra Romanos, & Ambigato supra Gallos regnãtibus) siue ex intestinis discordijs, & assiduis domi dissentionibus, siue Bellouesi Ambigati sororis filij augurio, siue optimi uini admiratione allecti, in Italiam uenissent, Romanos integros, & nondum ractos apud Alliam flumen uictoria insigni profligauit. Vrbem Romam captam incendit, & etiam ut idem Iustinus ait, unà Gallorum portione in Italia dimissa, per Illyricos penetrans, Pannonios domuit, & diuisis agminibus, per Belgium Ducem Macedoniam depopulatus, Ptolemæum eius prouinciæ regem interemit, ipse Græcia deuastata, & cæteris regibus ultro non lacessitis, pecunia pacem mercari coẽgit, Victoria tamen insolenter usus, in Macedoniam contendẽs, Delphos ciuitatem & templum Apollini dicatum, ob spem prædæ ingentis, oppugnare constituit, scurriliter tunc in deorum cultum iocatus ait: Locupletes Deos largiri hominibus oportere, ipsosq; opibus nullis egere, cum eas præstare alijs soleant, quare per Delphos Deo supplicantes, uiribus etiam minores, repulsus, & montis portione ex terræ motu abrupta, cum suis stratus, dissipatus, & etiam saucius, uulnerum dolore (quem ferre nõ poterat) oppressus, pugione sibi mortem consciuit: hic Brenni exitus. Strabo quoq; lib. 4. eundem Delphos incursauisse, & à plerisque Pransum appellatum, quod que tunc sacrilegio contaminatos, &

etiam

etiam sequenti tempore, casibus aduersis iactatos fuisse. Idem Maximus Brennus Gallorum Dux, Delphis Apollinis templum ingressus, Dei uoluntatæ in se manus uertit. Refert idem Liuius, solum Elitonium cum manu Germanorum (fauente Bellouesо, cùm transcendissẽt Alpes, Gallorum uestigia secutum, eo saltu ubi nunc Brixia atque Verona sunt) in Italiam uenisse. Præterea Iustinus ait: Tuscos à Gallis eiectos, amissis sedibus amissis, Alpes occupauisse, & eorum Ducis nomine Rhæti, gentem Rhætiorum, condidisseq; Gallos, Mediolanum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, & Vincentiam. Sed ad Bergomum reuertamur, quam Plinius refert & Comum, & Licinsforum, ex Catone, & Cornelio Alexandro, Orobiorum stirpis, sed originem eius gentis Cato se ignorare fatetur. Alexander uerò esse è Græcia docet nominis interpretatione uitam in montibus degentibus. Ego relegi Catonis de originibus fragmentum, quod in manibus habeo, quo ait: Qui cum Orobijs colonis, ibi primus insedit, quorum origo incerta, uti Comi, Bergomi, Licinsfori, & aliquot circà populorum. uocabulum ergo aduẽtitium quod non solum unam, sed linguas diuersas recipit, incertum est. Alexandri idcirco argumentatione negata, de ortu incerto modestius locutum fuisse Catonem, commentator eius credit. Græcæ quidem Oros mons & bios uictus siue uiuens dicuntur, quasi in montibus uiuẽtibus. Verùm non solum Græcum sed Orobium, Sagum, Arameum, uocabulum est, quarum linguam idem commentator, Sagos, Lanigenas, usos existimat, apud quos & Hebræos Talmutistas. Oros etiam mons dicitur, Bit filius uel filia, hinc Orobij filij montis quem incolunt. Orobij ergo Comenses & Bergomenses, conuenæ Tuscorum Alpium incolæ, quod si tum Catoni uel etiam Alexandro credendũ, nec Galli nec Germani Bergomum condiderunt, sed conijciendum erit, cum oppidum Orobiorum Barra interfluisset, ut Plinius scribit, nomine editissimi montis retento, Germanos Sueuos, Sennones, tunc sub Brenno militantes Bergomum restituisse potius, & à uerbo suo Germanico uocabulo Berg eam Bergomum cognominauisse. Cæterum tuæ D. officiũ erit, si quid habes, unde Brennus coniectura saltem Germanus comprobetur, me doceas, quod ut facias non solũ essflagito, sed diligentia ea qua possum, rogo. Vale & me tui obsequentissimum dijudicato, ex taberna nostra libraria 4. Nonas Martij, Anno Christianæ salutis M.D.V.

IN PRAESTANTISSIMI ILLVSTRATORIS GERMANIAE DOMINI CONradi Peutingeri Augustensis Sympossiarchi, conuiuales Sermones, Sebastiani Brant.

MVlta Peutingero debes Germania nostro,
Vindelica imprimis, Rhætica terra, simul
Quæ quondam in tenebris latuisti terra beata,
Nunc per eum illustri tramite carpis iter.
Perge liber fœlix, fausto pede, porrige frontem,
Italicis, Gallis, omnigenisq; uiris.
Omnia Theutonicam cernant modo sæcula gentem:
Quam uetus, & quàm sit polliciti illa tenax,
Artibus, ingenijs, armis, rebusq; probatis,
Belligerisq; uiris Theutona terra uales.
Ergo Peutingero grates, Lycus, Ister & Enus,
Obryncus, Rhenus, Neccarus, Isar, Agat.

THOMAS AVCVPARIVS POETA Laureatus, in conuiuales Sermones Conradi Pentingeri Epigramma.

SPlendida Germani nitidæ conuiuia menſæ,
Hæc noua feſtiuo Peutiger ore parat.
Gurgite non turpi ueterem redolentia luxum,
Quanta uel Antonius uel Cleopatra dedit.
Quantaq; regali poſuit ſplendore Lucullus,
Quanta uel Albini cœna ſuperba fuit.
Claudius aßiduo, uel quanta Vitellius uſu,
Sergius aut Galba prandia quanta dabat.
Quæ putrida ſenſus hebetant pinguedine, mentem
Extenuant ſomno, turgida membra grauant.
Iſta ſed Ambroſiæ dulci perfuſa ſapore,
Largifluo ſacri nectaris imbre madent.
Qualia Plutarchus, uel Aſellius ille Sabinus,
Qualia diuino condidit ore Plato.
Pierides ubi diſcumbunt Dryadesq; Camœnæ,
Magnus & aurata ludit Apollo Lyra.
Quæ celebri decorant animum conuiuia laude,
Et faciunt uita nobiliore frui.

RINGMANNI PHILESII VOG. Iambicum Sen. Hypo. ad Lectores Epigramma.

C	onradus hæc Pytingerus docta man	V
O	pem ferens Germanicæ ſcripſit re	I
M	andauit eadem Vuolphius pòſt Iunio	R
I	nſignibus calcographi ut typis preman	T
T	anti præcemini ut uiri uiuant di	V
É	t uos amatores beate uiui	TE.

SERMONEM CONVIVALIVM Conradi Peutingeri, FINIS.

ARMI

ARMINIVS DIALOGVS HVTT. QVO HOMO PATRIÆ AMANTISSIMVS, GERMANO laudem celebrauit.

In Hutt. Arminium Eob. Hessus.

NOT sua stat populis gestarum gloria rerũ
Salua suũ tot adhuc sæcula nomẽ habẽt
Audet adhuc ueteres reminisci Roma triũ
Et mortis quadã uiuere parte suæ. (phos
Quæ nequit ipsa suas ostendere Troia ruinas
Meonio clarum carmine nomen habet.
Inuida non totas merserunt funera Thebas
Viuit adhuc Spartæ non moriturus honor.
Nondum Palladiæ prorsus cecidistis Athenæ,
Quicquid & eximiæ Græcia laudis habet.
Integra floret adhuc Pellææ gloria gentis,
Persarum nomen fama superstes habet.
Innumeræ gentes aliæ sua nomina seruant,
Quasq; superuacuum quasq; referre mora est:
Vna suæ meritò fraudata est laudis honore
Semper, & incelebris Teutonis ora fuit,
Cur ita? quæ nobis res hunc inuidit honorem?
Fido alibi, cur hic fama maligna fuit?
An quia non rebus clari, non Marte potentes?
An quia nos uictos sæpe fuisse pudet?
Non ita, nam rebus nec clarior ulla per orbem
Gens fuit, aut nullo tempore uicta minus.
Cur igitur? quia non rebus, sed nomina rebus
Quæ facerent scriptis nos caruisse liquet
Præcipue cum floreret Germanica uirtus,
Et nondum hic nostras luxus haberet opes.
Tunc memoranda alijs nostri gessere parentes,
Tunc rerum uirtus unica causa fuit,
Tunc quia scriptorum nos defecere labores,
Gloria Lethæas nostra subiuit aquas.
Nondum tota tamen, quoniã (licet inuida) nostrũ
Non potuit totum fama tacere decus,
Et sparsim Romana suis ea littera rebus
Inseruit, quæ nunc pauca, sed apta, uides.
Atq; ea si quæras quæ sint & qualia, debes
Hutteni patriæ uindicis esse memor.
Is quæsita suis patriæ monumenta libellis
Aedidit, & lucem iussit habere nouam:
Nam quia sparsæ alijs incognita quæq; latebant,
Qui legeret rarus quicq; teneret, erat.
Ille suas patriæ laudes, atq; eruta passim
Nomina digna legi, fecit ubiq; legi.
E quibus unus hic est, quẽ condidit ipse, libellus
Sed non auspicijs ædidit ipse suis,
Nanq; immatura præreptus morte, reliquit
Hunc quoq; ceu partem funeris esse sui.
In quo si qua leges non qualia forte requiras,
Parte bona ueniam quo mereatur habet:
Condidit Huttenus, non ædidit, ergo futurum
Quod fuerat melius conijce quicquid erat.
Hunc tibi Mauritius gentili Huttenus honori
Fidus, ab æternis noctibus adseruit
Hic ferus Arminius patrijs qui uictor in armis
Afflixit uires Martia Roma tuas.
Qui nisi adhuc iuuenis perijsset fraude suorum
Tu Dominus Tyberi Rhene futurus eras.
Hunc quod habes patriæ Lector studiose libellũ,
Hutteno debes munera prima tuo,
Altera Mauritio, Ioachimo tertia, nobis
Quarta, aliquis nobis si locus esse potest.

VLR. HVTT. EQVITIS GERMANI ARMINIVS DIALOGVS.

INTERLOQVVTORES: ARMINIVS, Minos, Mercurius, Alexander, Scipio, Hannibal, Corn. Tacitus.

ARMINIVS:

HOC tandem iniquum est, ô Minos, iudicium, si fuit ullum uti quam tuum. *Min.* Bona uerba quæso Armini. Nam quæ hæc noua est calumnia, quicquam iustissimũ iniuste Minoẽ statuisse? Quod illud uerò est iudicium? dic agendum. *Armin.* Dabis hanc mihi ueniam primũ, si te offendit dicẽdi libertas mea: Germanis est peculiare hoc, minus blandè loqui, cum loquuntur liberè & serio. Quæri me uerò decet, quod, cum honorem habes, & ueluti præmia statuis Imperatorib. qui ubicq; fuerũt optimis, ipsum me, quasi qui non uixerim, sic præteris. Iampridem enim sententiam ferente te, Imperatorum primus, toto Elysio campo, & beatorum hac regione, pronunciatus est Alexander Macedo, ab eoq; secundus honore Romanus Scipio, & tertius Carthaginensis Hannibal. Solus in nullo ego habitus sum numero, qui tamen, si certandum mihi cum illis unquam putauissem, equidem in nullo posuerim dubio, quin, te iudice, principem locum obtinuissem. *Min.* Caussam profecto habes Germane. Sed cum hoc illi certamen apud me inirent, quid non admonebas tuipse quoq;? *Armin.* Quia neq; putaui quicquã licere ulli hic ambire, neque unquam dubitaui, quòd in uita bene aut male quis meruerit, summa in omnes æquitate abs te distribui. *Min.* Neq; nõ fit hoc sedulo. Sed iudicamus secundum confessa plerunq; hic, sitq; copia dicendi, quod in rem suam quilibet arbitratur. Cętera facilè transimus occupati. Prętertim ad ambitionem quę sunt nisi postulati, negligentes. Vides enim negotiorum quę sit moles, quod iudicium onus, quàm uarium & multiplex, deinde otij quã arcta sint tempora. Quam quam sit recordatus fuissem, quod nunc digitis in memoriam mihi, uocassem ultro, & cum alijs audissem. *Arm.* Et non audiẽs nunc, reuocatis huc de quibus nuper iudicastis? *Min.* Quid ni audiam? Accerse huc ad nos Imperatores Mercuri, qui de præstantia, in re militari & bellica, contenderunt paucos ante dies. *Merc.* Treis illos? memini, En adsunt. *Min.* Hic ille est optimi uetus Germanorum dux Arminius, qui pro libertate cum Romanis certauit olim, & uicit, cunque uos audiat de Imperatoris præstantia contendisse, ac sententiam ea superre tulisse me, indignè asserit se prætcritum ibi. Habet enim, quæ cum afferet, ostensurum se putat, neminem rectius hanc ad palmam peruenire. *Alex.* Igitur dicat. *Scip.* Valde. *An.* Haud moror. *Min.* Dic Armini. *Arm.* Prius sisti uelim huc Tacitum ex Italia quendam, ut is dicat, quid mihi tribuerit in historia. *Min.* Etiam ipsum uoca Mercuri. *Merc.* Huc te Tacite, huc te, huc ad me, ut loquaris tandẽ. Eccum hominem. *Arm.* Operepręt ium est, ô Itale, Elogium illud meum, quod in historijs tuis est, recitare hic te. *Tacit.* Eo loco, ubi de interitu quoq; tuo cõmemoratum à me est? *Arm.* Eo ipso. *Tacit.* Cæterũ Arminius, abscedentibus Romanis, & pulso Maroboduo, regnum affectans, libertatem popularium aduersam habuit, petitusq; armis, cum uaria fortuna certaret, dolo propinquorũ cecidit.

cidit. Liberator haud dubie Germaniæ, & qui non primordia populi Romani sicut alij Reges Ducesq; sed florentissimum imperium lacessierit, prælijs ambiguus, bello non uictus. Septem & triginta annos uitæ, duodecim potentiæ expleuit, canituróq; adhuc Barbaras apud gentes, Græcorum Annalibus ignotus, qui sua tantùm mirantur, Romanis haud perinde celebris, dum uetera extollimus, recentium incurioſi. *Arm.* Fuit alicuius iste in uita fidei Minos? & uir bonus fuit? *Min.* Profectò fuit: sed tu melius nosti Mercuri, qualiter uixerit, coluit te enim peculiariter. *Merc.* Sancte uerò. Nam candidus in primis fuit, & quo nemo syncerius scripserit historiam, minusq; affectibus tribuerit. Etiam autem Germaniam uiderat, & gentis eius mores descripsit, ac rerum ibi gestarum fuit, perquam studiosus. *Arm.* Igitur talis iste cum fuerit, & rerum mearum haud ignarus, sic de me scriptum reliquerit, ut taceam deinceps ego, dubitari non potest, quin maximi esse momenti iure debeat, hoc ab hoste perhibitum mihi testimonium. Principiò liberatorem Germaniæ uocat, quod est aliquid credo, eripuisse ui, ac armis prouinciam Romanis, ut tunc fuerunt, & ijsdem inuitis summoq; contrà nisu conantibus, uindicasse in libertatem, quos seruire illi decreuerant. Deinde quod recte maximi sit, illud me imperium, non cum adolesceret tum, & incrementum acciperet, sicut alij reges ducesq;, Pyrrhus, autumo, Antiochus, & iste Hannibal, sed cum consistebat iam, & maximè florebat, non bellum inferens sustinuisse, uerùm ultro lacessendo armis impetijsse, unumq; ex omnibus, inuicte bellum contra Romanos transegisse, dicit. Quare etiam dignissimum arbitratur, quem Græcorum pariter, & Latinorum Annales celebrent. Quod si omnium consensu, nulla fuit unquam maior quàm Romanorum potestas, nullum amplius à condito æuo Imperium, & hos ego uici cum in flore essent, ac uigerent plurimum, rectissimè summum Imperatorem, & in re bellica omnibus præstantem me, iudicandum arbitror, infinitam potentiam, maximas uires, summum imperium qui bello superauerim. Etsi minus nihil uelim, quã alienam defraudare gloriam, aut rerum ab istis gestarum, famam premere. Nam æquissimo semper animo feram, quantus quisq; est, tantum haberi ab omnibus, de meq; cum dicam, sine inuidia dicam: Fuit hoc semper studium mihi, propter se uirtutem colere. De gloria curaui haud multum. Quippe satis esse conscientiam factis existimaui. Neque nunc iam ea est arrogantia, ut præ me alios Duces contemnam, nec illud quidem mihi sumo, ut esse nullum me superiorem cõtendere uelim. Potius si quis est, æquum censeo, ut ipsius quoq; habeatur hîc ratio. Sed dignus uenia sum, si eorum qui de hac laude certauerunt adhuc, ex conscientia negauero, ulli à me concedi oportere. Idq; haud temere sentire me ostẽdam, si audient isti, ut audituros pollicentur, bona arbitror ratione. *Min.* Audient, pro ipsis spondeo. *Armin.* Primùm igitur, quia plurimum ferunt, in hoc ponere te Hannibal, quod à paruis initijs, ad amplissima incrementa progressus sis, docebo, si hæc gloria sit, quanto debeatur mihi rectius, quàm aut tibi, aut ulli. Nam eorum qui res præclaras gesserunt, nemo maioribus difficultatibus enisus aut grauioribus circa impedimentis eluctatus est. Cui potẽtia quidem esse quæ potuit, rebus sic perditis, & deploratis? Authoritas uerò ut esset, ipsa nõ sinebat ætas. Quare, solus non fuit Alexander, qui immatura ætate gerendis rebus accesserit. Etiam ego quartum & uigesimum, haud dum egressus annum, cum multa prius miles teciſſem strenue, dux esse incepi exercitus, quem nondum habebam, qui nondum coierat, quemq; conscribi celerrime cum oporteret, an existere posset, à tanta dispersione, dubium quoq; fuit. Nam pecunia haud uereor, ne quis suspicetur ualuisse me, quæ tum Germanis nulla erat. Itaq; in summa rerum, atq; hominum inopia, misera egestate, desertus ab omnibus, impeditus undiq;, tamen ad recuperandam Libertatem, uiam mihi communiui, citraq; omnem

nem extra opem,omne adiumẽtum,& auxilium,hoc ſolo præditus & ſuffultus animo,à meipſo rerum initia petiui,& bellum extremè periculoſum,non antea cœptum,proſequutus ſum,ſed ab omnibus deſperatũ,& à cogitationibus quoque hominum iampridem relegatum,prouocaui,me dignũ arbitrans, nihil fortunæ intentum,deſtinatam mihi ſortem,alacriter mouere potius quã exſpectare ſollicitè.Nam quemadmodum audiuiſtis,ultro bellum intuli, & denunciaui obſtante etiamnum domeſtica Segeſtis,& Iguiomeri perfidia, ac fratre Flauio, magna apud hoſtes ui aduerſante,cum milite omnis diſciplinæ ignaro,nec ullius in re militari ſcientiæ,armorum uerò habitu penè inutili, & apparatu belli adeò non ſuppetente,ut ne ferri quidem ad telorum fabricam ſatis eſſet. At hæc omnia,animi conſilio,& alacritate correxi & ſarciui. Cumq; eſſet permagnus mei contemptus,in hoſtium eum calamitatem uerti, ac tanta celeritate irrui, ut prius pugnam conſeruerim,quàm bello auſurum me homines crediderint,antè cædem fecerim,quã conflati exercitus fides fuerit. Nec leuibus uerò momentis tantæ molis initia auſpicatus ſum. Tres primo ſtatim impetu legiones, & in ijs Martiam,cum auxilijs omnibus fortiſsimum exercitum, & quo non alius diſciplina magis,ac rei militaris experientia, uicq; & uirtute, Romanos inter milites tunc ualebat,ipſumq; ſimul ducem & legatos,ad internitionẽ uſq; occidi & deleui. Quo tempore in unius mea perſona,patriæ incolumitas conſtitit. Vt dicere non debeat Scipio,tam conſternatam ſe rem Romanam, tamq; acciſam reſtauraſſe,quàm ego penitus proculcatam, & diſcerptam breui Germaniam reſtituiſſe. Quanquam rei ipſius magnitudinem, non eſt quod uerbis ego aſſequi ſtudeã, ipſi quotidie hic ueteres Romani loquuntur hoc, quantæ eis calamitati fuerim tunc, quàm miſere potentiſsimam ciuitatem, Imperium florentiſsimum confuderim,& quod non alius magis illos rerum dominos,gentemq; togatam,metu & trepidatione conſternauerit. Certè enim quod tu non effeciſti Hannibal, ad urbis uſq; portas obequitans, ego in ultima conſtitutus Germania, tanto interuallo,tot mediis fluminibus,ac paludibus,tot interpoſitis montibus,ac locis nullo dum itinere hominum exploratis,aut cognitis,ipſis etiam dirimentibus,mõtium altiſsimis Alpibus, eò deſperationis adegi ciuitatem Romanam, ut ille Auguſtus Imperator, quem ſolum alioqui perpetuò felicem uocant homines, & quo nemo potentior,quod omnes ſciunt, Imperio illi præfuit, ita obſtinatè primùm mori decreuerit,ne uideret puto,quod mihi in mentem nunquam uenerat,Romam capi à me,ut caput foribus illiſiſſe eum memoriæ proditum ſit,tandem excubias tota urbe,in portis ſtationes, extra præſidia diſpoſuerit, rectoribus prouinciarum Imperium prorogauerit, Ioui Opt. Max. ſi in meliorem ſtatum uertiſſet Rempub. magnos ludos uouerit.Breuiter,ita de rerum ſumma conſultauerit,ac in ſuprema neceſsitate fieri ſolet, neque alio tempore ſollicitius cautum illud Romæ ſit,ne quid detrimenti Reſpubl. caperet, pauor ubique confuſiſsimus hominum mentes perculerit. Fuit enim grauiſsima hæc Romanis clades, penè exitiabilis etiam. Et hoc cœptum atque perfectum, à me eſt, conciſo atq; peruulſo penitusq; depoſito Germaniæ ſtatu, illius uerò Reipub. florentiſsimis rebus, fortuna ſecundiſsima, maximis incrementis,cum neque,ut Alexander à patre regnum, neque ut iſti à Senatu exercitum cum Imperio accepiſſem. Deinde alios, atque alios continue domi motus compreſsi. Omneis undique defectionis authores poſtulaui, & nonnullos quidem aſſenſu popularium puniui,alijs uerò ueniam petentibus dedi. Qui transfugerant, reprehendi. Qui in deditionem erant,recepi. Omnia flagitijs perpurgaui. Neque pro Germanis habui, qui tributa exteris penderent, aut alijs conditionibus obnoxios teneri ſe paterentur. Summumq; nefas proclamaui, quod inter Albim & Rhenum, uirgæ & ſecures, ac Romana illa toga conſpecta ſemel eſſent.

Ibi

essent. Ibi tum excitatis iterum ad capessendam libertatem popularium animis, promisi fore paulo post, neullę in Germania Romanorũ saltem reliquię superessent, pene memoria aboleretur. Nec id multo pòst præstiti, quamuis haud secus omnia contra hostes conarentur. Nam ut maxime strenuus quisq; & primæ in iuuentute spei Romæ fuit, ita Germanicum illi bellum, ulciscendi Variam cladem studio, demandatum est. Missi haud cõtemnendus bello uir Tyberius Nero, & in paucis cõnumerandus illius frater, egregie cordatus homo Drusus, atq; alij, sic mecum certauerũt, ut Romam reuersi, ipsi quidem triumpharint, ego uero glisscente indies Libertate, immunem & sui iuris Germaniam obtinuerim. Tunc & uigentem animi alacritate Imperatorem Germanicum, & longo militiæ usu pollentem illius legatum Cæcinnam, cum mille etiam naues, tanquã ad expugnandam Troiam, aduersus me agerentur, magnis ac miseris cum populi Romani cladibus sustinui ac repressi, & Cariovaldum Batauorum duce, inter auxilia Romana multis cum nobilibus cecîdi. Cattos ac Phrysiòs, à diuersa & ipsos parte, uindice bello contudi. Interea machinante illinc fratre Flauio, Iguiomero domi conniuente, flagitiosa facta à Segeste transitio est. Qua nefarius proditor, ne filię quidem suę, uxori meę, & eidem grauidæ pepercit, sed & hanc, & alias quasdam nobiles fœminas, in pudendam secum captiuitatem, & ad triumphum Romam abduxit. Item, Segimerus cum filio perfugit ad hostes. Multi domesticorum pecunia corrupti, insidias uitæ meæ construxerunt. Popularium nonnulli hostilia omnia machinati sunt. Adgandestrio Catto inprimis adeò nihil non pertentante, ut inauditum illa tempestate Germaniæ scelus, uenenum à Romanis, quo me conficeret, petierit. Ipse nihil motus uerò, constantissime cœptis instititi, neque aliquid prius habui, quàm fas patriæ, & auitum Germaniæ decus. Cum'que esset efficacissima tunc permouendi Germanorum animos caussa, si cuius uxor apud hostes teneretur, neq; alio magis nomine captiuitatem timerent homines, meamq; ego amarem ardentissime, & ab ipsa præstanti inuicem fide redamarer, quod'que omnium dolentissime afficiebat, grauidam amisissem, tamen uel sic immotum me præstiti, neq; passus sum priuatum dolorem patriæ in me charitatem minuere. Quin uerò in iram uersus dolor, alacrius omnia conari impulit, quàm conatus antè essem. Vbi & mihi testes esse oportet inferos, quantam quotidie Romanorum multitudinem huc demiserim, uehementi ac uaria in patriæ proditores cæde pergrassatus, funestumq; & atrox per aduersarios bellum circũferens. Plane ostendi Romanis ibi, magno iniecto pudore, non proditione me, neq; aduersus fœminas grauidas rem gerere, sed palã armatos deposcere mihi, in quos dignę ultionis aculeos defigerem. Qua re factum breui est, ut Romanos Germania penitus eicerim. A quo deinde tempore, usq; in hunc puto diem, nullum fuit illorum ibi imperium. Restabat Maroboduus Sueuus, qui cum mihi ex fœdere, quod cum Romanis ipsi fuit, aduersaretur, tota à me belli mole petitus est. Grauissimum id difficillimumq; certamẽ fuit, cum Rege potentissimo, ac bellicæ omnis rei scientissimo, bellicosos Sueuorum populos, ingentem sociorum uim, immensa auxilia post se trahente, cum interim à Romanis iuuaretur pecunia, & Iguiomeri perfugio, magnam mihi manum, abrupisset. Tamen uel sic uariè, ultro citroq; tentata Fortuna, tandem inclinante ad æquioris caussæ partes, Deorum uoluntate uictum atroci prælio, in ultimos Hercyniæ secessus propuli. Vnde paulo post de ulteriori cauens periculo, in Italiam confugit, ibiq; pulchrè, fallentibus Romanis, qui liberaliter omnia promiserant, & spe frustratus sua, inglorius consenuit. Ego Germaniam intra se coniunctam reddidi, & unanimem, ac olim iam optato libertatis bono, tandemq; adsecuto, frui cœpi. His oportet, ampliora gesserit, qui me sibi secundum esse uelit, aut qui præ ad primam ego palmam

uenire

uenire non debeam. Sed quia de rei militaris peritia, & imperandi scientia, ac ducendi exercitus industria, certamen est, præferat aliquis ibi se mihi, ac neget affuisse hæc illi, qui tantas in huiuscemodi difficultatibus, talem contra hostem res gesserit, easq; ad finem uitæ, bello inuictus continuauerit. Nihil alienam emulor gloriam: sed isti, absit dicto inuidia, mediocrem quisq; potentiam, & disperlor gloriam: sed isti, absit dicto inuidia, mediocrem quisq; potentiam, & dispertitas ut plurimum uires, agressi sunt. Ego terrarum orbis imperium, idq; ut dictum est, ualentissimum tunc, tot in unum coactas nationum uires, ac renascens ab omni clade bellum, & diutissime, nulla intermissione succedentes sibi uices, ultro audens q; in me concitaui, & ad ultimum, quod ne hostes quidem negant, uici ac profligaui, patriam externo decusso iugo, ex omnium prope mundi gentium, in communem seruitutem consensu, immunem, & libertatis memorem retinui. Neque ulla hoc liuerit ratio Iudex, ut persuadeat Alexander tibi, tam facile debellaturum se fuisse, uel ut illa fuerunt tempestate Romanos, quam aut molles Asiæ populos, quibusde postea ex Romanis quidam nullo negotio absse deuictis, memorabile hoc triumpho suo prætulit, Veni, Vidi, Vici: aut inermes Indiq; nationes, quas bellorum insolentes, commessabundus iste ebriolorū & bacchantium circa se militum exercitu, quatenus adire potuit, in fugam & deditionem coegit. Nam quos magnifacit Scythas, uidit tantùm. Certè ipsius Iauditionem coegit. Nam quos magnifacit Scythas, uidit tantùm. Certè ipsius Iauculus, clarus Epirotarum rex negat, qui non cum Romanis quidem, sed in Italia tamen bellum gerens, dicere solitus est, se in uiros, nepotem suum in fœminas incidisse. Præterea, summum fuit semper uirtutis studium mihi, nulla gloriæ sitis aut auritiæ. Neque enim ita erexi trophæa mihi, ut Romanis delecti, aut pro opibus, uel imperio decertaui: Sed fuit mihi scopus, ad quem direxi omnia, reddere ui ademptam patriq; libertatem. Egique totam in summis uirtutibus ætatem, donec premente domestica inuidia, & propinquorum dolo facinus patrante, liberum, & omnium uictorem hucanimum, ex conscientia optimorum in patriam meritorum, ac uitæ per omnia bene actæ, transmissi. Iam tuum Minos est, considerare, quem mihi præferre uelis, qui uel ex grauiori angustia, ad tantam sua uirtute amplitudinem emerserit, uel maiora bella gesserit, uel scientius rem militarem tractauerit, uel æquabilius imperium administrauerit, uel meliore pro caussa arma sumpserit, uel maiores uires contriuerit, uel minus in uitæ cupiditatibus dederit, uel constantius in bono perstiterit. In summa, quis sit omnium, qui his laudibus excelluerunt, ad quem tu primas optimo iure referas. Min. Generosam profectò, & non summo tantùm Imperatore, uerum bono etiam uiro dignam habuit Orationem iste. Atque ita esse ut narrauit, omnia, neque aliquid affinxisse eum scio. Equidem memini admiratum me tunc, istiusmodi ferre industriam barbaricum. Quamobrem, cum & optimam iste conatus sui caussam habuerit, & tantum animo ac uirtute, militariq; scientia ualuerit, neque aliter quam ad patriæ commodum periclitatus sit, minimumq; uitijs concesserit, non uideo, per Iouem, quis rectius Imperatorum summus haberi debeat. Nec dubium est, quin, si primo statim uobiscum, ô Alexander, contendisset hic, palmam ei ultro addixissem. Nunc iam, quia quod iudicatum semel hic est, rescindere illud fas prohibet, neque constitutum ante ordinem mouere licet, satis habere decet te Armini, hoc in animi sententia esse mihi, quod uerbis quoque pronunciassem, si cum istis ambitiosus tu esse uoluisses. Quia uero fuisti liberator Germaniæ, & bello pro libertate suscepto inuictum omnes confitentur, neque ibi uel periculi plus exhausit quisquam, uel commodi in publicum assecutus est, placet cum Brutis ponere te, & inter patriæ libertatis uindices, primo loco. Mercurio autem huic negotium do, ut in foro, plateis, circo, triuijs, & ubi ubi hominum ac Deorum frequentia est, pronunciet Arminium Cheruscum liberrimum, inuictissimum

fectissimum & Germanissimum, sicq; iubeat passim ab omnibus acclamari tibi. Id quod decretum & constitutum esto, neq; ulli posthac refragari liceat. *Alex.* At seruiuit aliquando hic. Ego semper rex, semper fui liber. *Arm.* Ego minime uero mente obnoxius ulli unquam fui. Semper enim libertatis memor, cum aliud nihil agitarem animo, nisi quomodo possem, oblata occasione, iuuare patriam, in illa popularium seruitutis patientia, donec facta præstare non potui, consilium quoque dissimulaui, & clausam intra me Libertatis curam tenui. *Alexan.* Hoc est, quod ferunt illi, non licuisse tibi discisscere ab ijs, quorum semel iugum accepisses. *Armin.* Atque hoc est, quod ego contrà respondeo, neque accepisse iugum me, uel animo in seruitutem consensisse, neque si eo necessitatis inquo aliquo tempore coactus, me impedi uissem, non licuisse per occasionẽ, quã docunque ea se dedisset, inde rursus expediri. Nam quod ius habere potest, qui naturæ beneficium alteri eripit? Vel quæ iniuria est, suum sibi uiolenter detractum, pari uiolentia recuperare? *Alexan.* At fidem dederas. *Armin.* Vt indigne aliquid paterer, non dederã. Potui tamen honeste & liberaliter parere, si mo deste illi & ciuiliter imperare uoluissent. Sed ut dedissem exortam ui & iniuria, communis hoc uita sanciuit, fidem non esse, quam raptores exigunt, ab eis, qui necessitate coacti, ea concedunt facile, quibus nec ipsi carere debent, nec uti, qui rapiunt. Porrò, qui alteri iugum injcit, nonne eatenus sibi obnoxium habet, quatenus ui tenere potest? Aut non licet armis per iniuriam adempta, armis per occasionem repetere? Neque puto, contra naturam cum sit, ex libero seruum fieri, contra leges esse debere, ad naturæ donum respicere. Ea demum fides est, qua damus quod debemus. Age autem, quis tam iniuriæ patiens esse debet, ut ea ferat, quæ in Germania faciebant Romani tunc, quæ que Varus, homo omnium puto quos terra protulit auaritissimus, & iniquissimus? Qui cum Syriam ante spoliando circumrasisset, Germanos ex toto consumere peculando instituerat. Ibi que ea fuit superbia & animi impotentia, ut mente conciperet, bestias esse Germanos, & ratione carentia bruta, non homines, neque ullam tantam esse indignitatem, quam auersari nos deceret, aut contra quam resistere. Itaque nihil amentiæ suæ temperauit, omne flagitium, & omne ausus est scelus. Quapropter ego, illud cum consciui facinus, non erga legitimos dominos fidem fefelli, sed contra iniquissimos Tyrannos, ius patriæ, & commune fas obtinui. *Min.* Ingenue causam tutatus est, & sic ego existimo, neminem ita alteri pace obstrictum esse, ut talibus percitus causis, mutandæ ius non habeat. *Scip.* Et tamen perfidiam objciunt huic nostri, ac nimis crudeliter uidetur Varianam exercuisse uictoriam. *Armin.* Eadem Scipio ratione perfidi fuerint tyrannicidę ubique omnes, & patriæ libertatis adsertores, uestri præsertim, qui Tarquinios ejecerunt, & Cæsarem interfecerunt, ac summam ob id laudem, sempiternam inter uos gloriam consecuti sunt. Denique eorum est perfidia, qui ad fortunæ motus spectant & mutabilem ad hos fidem circumferunt. Me causæ æquitas, contra aduersos quoque casus niti perpulit. Dicat iste uero Minos, talem tamque importunam Quintilij atrocitatem, an non licuerit mihi, cum occasionem Dij tribuissent, alia inuicem atrocitate punire. *Min.* Censeo, licuit Hannibali. Ecce autem qui iactas nihil tam necessarium tibi uisum, quin patrię studium peruicerit, tamen regnum affectasse diceris, & qui alienum gloriaris animum te iugum, à popularibus, tuum ijsdem intentasti, quod nefas in meum molitum nunquam cecidit, ut uel huius ergo præponi ipse tibi debeam. *Arm.* Minime tu quidem hanc ob causam, si quando apud se esse uõlet hic Minos. Nam regnum capessendi nunquam mihi cupido incesit. Sed fuit inimicorum ea inuidia, quæ suspitionem hanc hominibus iniecit. Omnes autem intelligimus sic humanitus comparatum esse, ut quorum plurimæ sunt uirtutes, eorum

par contra sit inuidia. Nam soli inuidiam non sentiunt, quorum in conspicuo uir tus non est. Eos maximè illa petit, quos altissime euexit hæc. Necesse est autē multum in commune possit, cui rerum summa procuranda est. Quam facilè pessum redijsset publica libertas, si ad uniuscuiusque prauam de me opinionē, uires, quibus tuenda ea fuit, dimisissem. In hoc propositum cum potentiam retinerem, gratumq; id bonis facerem, in affectatę tyrannidis calumniam apud malos incidi. Quod si regnum occupassem etiam, cui id magis conueniebat, quā ei, qui ab externa seruitute redemerat, quos sub patrium regnum collecturus erat? Mihi nondum parem retulisset gratiam patria, si pro restituta sibi libertate, seq; ab interitu prope uindicata, regnum ultro detulisset. At uerò languescente post temporis interualla, accepti beneficij memoria, passa est imperi calumnia primùm, deinde opprimi scelere. Quod nec primo mihi, nec ultimo reor contigit. Tuis enim benemeritis grati fuerunt Carthaginenses? Aut non fuit quæ te premeret. immo quæ oppressit tandem inimicorum domi insectatio? Hann. Fateor, fuit. Armin. Nam Scipioni, credo, uicem reddidit patria, in qua ab se amplissime decorata, post tot edita præclara facinora, ne mori quidem permissus est. Certè Alexandro domestica inuidia mortem concinnauit. Min. Etiam hoc expediuit. Ita enim est: Nemo clarus unquam fuit, cui non aliquando fraudi sua esset uirtus. Necesse est uerò, hunc qui norunt Arminium, præclaram ob indolem, ualde ament. Proinde, auctum honore decet esse te Germane; neque nos tuarum uirtutum fas est, unquam fieri immemores. Sed iam ipsum iube sequi te Mercuri, ac facesse actutum iussa. Vos ad uestra hinc redite. Merc. Sequere.

FINIS.

LIBER

LIBERTAS GERMANIAE,

QVA GERMANOS GALLIS, NEMINEM VERO GALLVM A' CHRISTIANO natali, Germanis imperasse, certissimis classicorum scriptorum testimonijs probatur.

ENCOMIVM SACRAE ROM. REGIAE, AC CATHOLICAE MAIESTATIS, Illustrium Romani Imperij Principum Electorum.

NANTVANTES, HELVETIOS, RAVracos, Tribotes, seu Alsatas, Nemetes, Vangiones, Moguntiacos, ac Vbios, non Gallos, sed uerè Germanos esse, haud proletariorum scriptorum attestatio.

HIERONYMO GEBVILERIO AVTORE, in singulare totius Germaniæ, & Alsatiæ præconium congesta.

ORIGO FRANCORVM GERMANORUM, ac eorundem uictoria in Germanos, & Gallos, Cap. I.

DVBIA, & Gordij nodis intricatior, iamdudum plerisq; uel doctis suboritur contentio, imperarint'ne Galli unquam Alsatis, Argentinensibus, ceterisq; Rheni accolis. Quibusdam omnem Rheni tractum, imò totam fermè Germaniam, Thuringiã, Sueuiam Saxoniam, & Bauarorum fines, Francorum Regibus audiuisse, pernaciter contendentibus: Alijs uerò quasi Germanicæ gloriæ id notam quandam inureret, Teutones & Alsatas Gallis nunquam fuisse subditos; uerùm Germanos ultra quinq; secula ei genti & Reges, & principes dedisse, certissimis argumẽtis probare adnitentibus. Illis relictis, classicorũ scriptorum testimonio conuictus, ijs facilius subscribo. Nam si Gallorum Regum (quos nunc ex usu Francigenas dicimus) originem, & stemmata oculatiùs inspexeris, Germanos, quos tunc communi uocabulo Francos appellabant, quingentos quinquaginta annos Regio fastigio Celtis præfuisse, clarius luce reperies. Sed ne fabulam dixisse uideamur, à Francorum orientalium exordio negotium altius repetendum duximus.

Destructo iam Ilio, Troianorum reliquiæ patria orbatæ, nouas quærere colonias coactæ, pars Italiam petentes, Aenea duce, urbi Romæ initia dedere: Alij

ad Meotidas paludes nauigio delati, subductis nauibus Sicambriam ciuitatem, à qua & Sycambri dicti, extruxerunt: ubi usq; ad Valentiniani Cæsaris tempora degentes, in magnum creuere populum. Qui ut cæteræ prouinciæ Romanis uectigales annuum censum exoluunt, donec Valentiniani iussu Alanos populos tunc Romanis rebellantes, ac tributum dare negantes, bellica uirtute pristino censuali iugo subdidissent. Qua uictoria contra Alanos obtenta, Valētinianus Imperator Sycambris, Troiano sanguine natis, in laborum compensam, ad decennium tributarium onus remisit. Vnde & Franci, hoc est, liberi appellati fuerunt, etsi hoc nomen à quodam Frācone, Hectoris, seu Priami filio ei genti inditum nonnulli adstruant. Quo non soluendi census decennio completo, Quirites decennali tributariæ libertati satisfactum esse contendentes, Francos de soluendo censu denuo sollicitant, qui dulcedine concessæ immunitatis illecti, uectigale iugū omninò renuentes, se prorsus nihil daturos pertinacissimè constituunt: alacriorum propositi sui fiduciam capientes, quod Romanorum potentiam prouinciatim in occidente, ob Imperatorum segniciem iam torpescente mcernerent. Vnde consilio inito, ad Istri fluminis ripas per Pannoniam irruentes, Germaniam copioso milite inuadunt: complures ciuitates traiecto Danubio capiunt. Demum Franconis uadum, clarissimum Germaniæ emporium extruūt. Sunt qui Gratiano Imperatore nonnulla contra hos præsidia Germanis auxilio missa fuisse, ac propter Argentarium Galliæ oppidum, pernicioſam ijs Francis cladem intulisse asserant. Alij Theodosio Imperatori hanc pugnam adscribunt: quod is Nanne & Quintino militum præfectis, Francos Germanos inuadētes, adoriri præceperit. In qua pugna cum ad Francos inclinasset uictoria, tot cùm Romanorum, tum Germanorum desiderata fuisse milia, ut ex eo tēpore Franci omnibus finitimis terrori esse cœperint, eoq; facilius collimitias Germaniæ ac Galliæ regiones suæ ditioni subiecerint. Ordinatis igitur ducibus quibus cæteri auscultarent, Simone Genebaudo, & Marcomiro, utramq; Rheni ripam suo potentatui adijciunt. Vndè magna Germanorum parte illorum iugo subiecta, qui prius Germani seu Teutonici, nunc per Francorum admixtionem Franci dicebantur: nomine profectò ei genti congruentissimo, quæ libertatem auro, & gemmis hodiè præferens, tyrannidem morte duriorem iudicat: quocirca Francus & Germanus solo nomine, (cum res eadem sit) discrepabant. Ea tempestate Tribotes, seu Alsatæ, ipsa quoq; Argentinensium clarissima ciuitas, à Diui Julij temporibus Romanis tributarij Francorum dominatui ac nomini sese subiecerunt. Hic finibus martialis Francorum populus contentus, principatum suum ampliorem reddere cupiens, Treuerim urbem Belgarum, tunc quoq; Romanis subiugam cuiusdam Lucij patricij Romani (cuius uxorem Lucius Galliæ præses stuprauerat) proditione cepit. Qua capta, cùm angustiores sedes haberent, proferre terminos statuentes, trium & uiginti milium copias, Hybro duce, in penitiorem Galliam transmittunt. Qui ad Sequanam usq;, Parisiorum Leuteciam circumfluentem, percurrentes, ex animo quoq; obtinent. Vbi amœnitate loci, agrorum fertilitate, aëris'que salubritate permoti, & ad Sequanæ uidelicet ripas subsiderunt. Erat autem ante hanc Francorum Germanorum irruptionem tota Gallia Romanis etiam tributaria. Francis itaq; Germanis magnam & Galliæ, & Germaniæ portionem occupantibus, Marcomirum ducem, cuius nunc meminimus, Francum Germanum, quem longa propagine à Troianorum rege Priamo satum, summa obseruatione colebant, principem, cui omnes obediant, constituunt: qui præterquam uallo, & mœnibus urbes cingere, præclari gessit nihil. Huic erat filius corpore ac animo præstans, cui Pharamundo nomē, quem patris consilio Franci communem sibi Regem, plenaria regendi potestate illi permissa, humanæ salutis anno quadringentesimo uigesimo eligunt. Quæ Francorum seu

seu Germanorum progenies ad annos fermè quingentos & quinquaginta Gallis Reges sine ulla interruptione protulit. In duabus namq; stirpibus, Merouei rum uidelicet,& Carlingorum,usq; ad Hugonem Capetum perstitit. Longè igitur hallucinantur, Gallorum quempiam Germaniæ Argentinensibus, seu Altatis, post Diui Iulij tempora imperasse credentes,cum certo certius Francos Germanos ad aliquot sęcula Gallis dominatos fuisse probetur. Cuius rei ueritatem, (ne fabulam recitasse uideamur) clariorem fieri cupientes, Francorum Regum originem ac nomina à Pharamũdo usq; ad Hugonem Capetum,quem Gallum fuisse asserunt,strictim oculis subijciemus.

FRANCORVM GERMANORVM REgum series à Pharamundo usq; ad Chilpericum, Cap. II.

PHaramundus Marcomiri ducis filius, natione Germanus,primus (ut dixi) Frãcorum rex constitutus,cum undecim annis regnasset,uitã morte cõmutans,filium reliquit Clodium,cognomẽto Capillatum,seu Crinitũ,qui patri hęres succedens, augendi regni desiderio, cùm adhuc in Germania angustis finibus arctaretur, Thuringos sibi finitimos ditioni suæ adiecit:occupato Tuischiburgo oppido,quod Tuiscónis primi Teutonũ regis olim regia fuit. Vbi regni sede constituta.Gallos postea inuadens,quatuor lustris Francorum regni habenas moderatus, sine liberis diem clausit extremum. Quocirca Meroueus princeps,& Francogermanus illi sanguine coniũctior, regio diademate insignitur, in cuius progenie fasces regij usque ad Pupini Pusilli tempora continuantur. Hic Meroueus etsi ab Hunis, Gallias tunc depopulantibus, grauissima perpessus fuerit pericula: Etij tamen patricij Romani præsidio in campis Cathaluniacis aduersus Athiliam Hunorum regem felicissimè pugnauit. In eo namq; prælio centum & octuaginta milia occubuisse traduntur. Horum Clodij & Merouei ductu, Francos Germanos Rhenum transgressos, Gallias occupasse, ac temporis progressu Francorum nomen tota Gallia auctum fuisse, Sabellicus testatur.Quare Meroueus pro genuina Germanici sanguinis indole regno commodissimus,decennio principatus sui completo,naturæ debito satisfaciẽs,unicum filium Childericum regni reliquit hæredem.Qui à paternis moribus prima adolescentia degenerans libidine ac adulterio apud suos penitus uilescebat:maturiore tamen accedente ætatula lubricum & petulans ingenium bellica uirtute permutans clarissimis nobilitatus uictorijs,Basinam Thuringiæ regis uxorem (quæ inuita marito discesserat)consortem tori accipiens,Clodoueum primum, non citra portentosorum insomniorum apparitionem suscepit,qui ob corporis elegantiam Pulcer cognominatus,parenti suo post uigesimum quartum administrati sceptri annum fatis sublato, hæres successit. Hic ut egregia forma erat,ita & magnanimitate,pręclarisq; moribus facilè gratiam omnium sibi comparans, ethnicus adhuc, Crotildim Burgundionum regis filiam Christo initiatam, coniugem duxit:cuius persuasu à Beato Remigio Remen.archiflamine ipse quoq; lustrali baptismatis unda emaculatus,olei uasculum,quo Francorum reges inũguntur:pannum item sericeum,quem auri flammam dicunt,peculiare contra hostes Francorum præsidium:& tria lilia diuinitus cœlo sibi demissa uidere meruit.Quare ijs donis supernè missis Gallia nihil glorietur, cum Germanorũ Francorum regi Clodoneo hęc pręrogatiua contigerit, qui fidei lumine illustratus,in Diuinorũ honorem templa erexit,quibus primaria Christiparæ uirginis Marię Argentin.ædes connumeratur, quam ligneam à sui initio, non uiuo marmore, ut non nunc cernitur, extructam fuisse ait. Quo Clodoneo post trigesimum optimè administrati regni annum, morte sublato, quatuor uirilis stirpis superstiti-

tibus liberis, in Francorum regno Clotharium seu Lotharium primum habuit successorem, cæteris tribus aliorum principatuum gubernamine ac emolumẽto prouisis. Lotharius patriæ uirtutis imitator, quum quinquaginta fermè annos regio solio cõsedisset, naturæ satisfaciens, quatuor item masculei sexus relictis hæredibus, Chilpericum Francorum regno præfecit.

FRANCORVM GERMANORVM REGVM

series ab Hilderico usq; Pippinum Pusillum, Cap. III.

CHilpericus seu Hilbericus successionis iure & Francorum regno potitus, insidijs ac dolo Fridegundis uxoris suæ, adulterij nota diffamatę, à uenatu domum rediens crudeliter trucidatur, post uiginti trium annorum regni sui moderamen, Lonhtario secundo ex se genito regios fasces relinquens. Hic Lotharius martis, ac bellorum studiosissimus, compluribus uictorijs nobilitatus, consortis regni impatiens, fratribus suis regia administratione ui repulsis, solus dominabatur. Tandem ex duarum uxorum connubio totidem filios suscipiens, ex priore Berẽdruda Dagubertum Magnum, ex altera uerò Richilde Haibertum genuit; mortuus anno regni sui quadragesimo quarto. Cuius regalis tyarę Dagubertus ille magnus, legitimus hæres, primum Austrasię, hinc Burgũdionum ac Francorum monarchiam adeptus est. Quem dum soli Austrasię regio moderamine præesset, Alsatiã crebrius, ueluti cæteris regijs suis gratiorem, inhabitasse legimus. Arcem præcipuè Isenburg oppido Rubeaquen. adiacentem, extruxit, & aliam prope Marlen, quam Troiam nouam dici uoluit, uulgò Kircheym appellatam, cuius duntaxat diruta hodie uidentur mœnia. Quo zelo diuinum cultũ prosecutus fuerit, Benedicti ordinis diuersa & in Germanijs & Gallijs magnificè extructa cœnobia facilè arguunt, quę annuis censibus, nemoribus, pascuis, curtibus, ac decimis in Deo illic famulantium sustentationem reddidit locupletissimã. Testimonio sunt Vuissenburgense, Sarburgense, Haselocense, & Erdfordiensium Scotorũ cœnobia; quorum nonnulla summi præsulis indulto, postposita cuculla, in secularis cleri collegia transmutata sunt. Hic insignem Argentinensem Ecclesiam episcopali sedis fastigio sublimãs, redditibus, emolumẽtis, uillarum, pagorum dominijs dotauit magnificentissimis. Tunc quoq; præclara Argentinensium ciuitas, intemeratę uirgini Marię dono tradita creditur, sub cuius numine, si dignè colatur, periclitabitur nunquam. Francorum igitur Reges, si Episcopia seu cœnobia per Germanias erexisse legeris, tales non Gallos, uerùm Teutones, ac Germanorum Francorũ reges exstruxisse suspiceris. Vsus est hic Dagubertus familiarissimè sacerdotibus, sanctimonia uitę, ac doctrina celeberrimis, Amando, Arbogasto, & Florentio, quos Argentinensi Ecclesię pastores præfecit. Tandem sedecimo monarchię suę anno spiritum exhalans, Diuorum rationario inscriptus habetur. Quem filius Clodoueus secundus in Francorum regno secutus, sedecim annis sceptra gubernans, mortem oppetijt, regium diadema filio suo Lothario tertio cõmendans, qui nulla prole auctus, quarto sui principatus anno extinctus, Theodoricum fratrem suum natu iuniorem habuit successorem, cui uel sine prole mortuo alius fratrum Childericus Austrasiæ rex Francorum regni hæres instituitur. Quem citra sobolem è uiuis excedẽtem, tertius fratrum Clodoueus in regio solio subsequitur, qui liberis carens, naturæ debitum exoluens, Childebertum regni Francorum habuit hæredem. Quinihil clari gerens, regno exauctoratus, unicum filium, cui Daguberto secundo nomen erat, principatus sui reliquit successorem, quem eius stirpi ultimum regẽ fuisse asserunt Præfati sex ultimi Francorum reges, quanquam Germani, ac Germano sanguine essent geniti, diuitijs tamen, uoluptatibus, & otio (quibus præclara

claro ingenio pernicioſius nihil) ineſcati, omnem regni ſui adminiſtrationem maioribus domus permittentes, ad id contemptus deuenere, ut totius populi ſollicitatione regale ſceptrum ab illorum, Meroueorum uidelicet gente penitus (ut ſequenti capite dicetur) ſublatum ſit.

QVI MAIORES DOMVS DICEBANTVR, ET qualis fuerit ſub illis regum Francorum conditio, ac quo pacto, Meroueorum ſtirpe deficiente, Pippinus Puſillus Francorum regno primus in Carlingorum ſtirpe potitus eſt, Cap. IIII.

MAiores domus appellabãtur, quos ex nobilioribus regni primatibus, palatijq; præfectis, ſeu cubicularijs eligebant, omnem liberam regni adminiſtrationem illis permittentes. Hinc principum permiſsione ac ignauia euenit, ut Regibus titulo tenus honoratis, uel nulla, uel modica eſſet imperandi poteſtas. Nam opes & regni potentia penes maiores domus conſtitutæ. nihil reliqui fecere principi, quàm ut regio tantùm nomine contẽtus, crine profuſo, barbaq; ſubmiſſa ſolio reſidens, dominantis uultum præ ſe ferendo, legatos undecunq; uenientes audiens, abeuntibus reſponſa, quæ uel ipſe doctus, uel iuſſus erat, ueluti ſeipſo autore redderet. Siquidem præter inutile regis nomen, ac præcarium uitæ ſtipendium, quæ præfecti aulæ miniſterio exhibebatur, nihil aliud poſſidebat, præter perexigui reditus uillam, qua & domum, & pauciſsima obſequia famulitio habebat præſentia. In regiam, quod palatium dicitur, ſemel duntaxat in anno, Calendis uidelicet Maij admiſſus, congregato illic populo uidendus producebatur, mox in uillam ſuam redire iuſſus, inertia torpebat. Regni etenim gubernacula, & omnia, quæ uel foris, uel domi agenda, ſeu diſponenda erant, præfectus aulæ, maior, inquam, domus procurabat. Quo honore Pippinus Puſillus hæreditario iure ſub Hilderico in Auſtraſia, & demũ ſub Theodorico in Francorũ regno functus, deſidia, torpore, ac ocio regũ attentis, totius populi conſenſu, Zachariam primum tunc Romę Eccleſię antiſtitẽ literis conſuluit, utet illorum regio faſtigio dignior habendus, is ne qui regio nomine gaudens, nec conſilio, nec opera ſubditis quicquã prodeſſet, aut qui omnẽ regni adminiſtrationẽ occupans, præter maieſtatis nomẽ, & pacis, & belli conficiũdi plenariũ ius poſſideret: Zacharias hunc potius regẽ habendũ decreuit, penes quẽ ſumma regiæ adminiſtrationis citra nomen conſtitueretur. Quare Childerico detonſo, ac monaſterij clauſura ſepto, Pippinus Puſillus in Frãcorum regno ex Carlingorum ſtirpe primus rex eligitur, quem ex nobiliſsima Francorum Germanorum ſtemmate ortum traxiſſe ſequenti capite deducemus.

DE STIRPE ET ORIGINE PIPPINI Puſilli, & Caroli Magni, Cap. V.

LOthario primo Francorum regno præſidente, Ansbertus uir nobilis Francogermanus, diuitijs, ac uirtute in Auſtraſię finibus celebris, præfati regis filiam, Blydilt nomine, uxorem ducens, tres filios & unam filiam genuit, quorum Arnoldus iuuentutis annos adeptus, coniuge accepta, Arnolphum poſtea Metenſem epiſcopum procreat, qui adultior factus, & pubertatis annos egreſſus, maritali capiſtro frenatus tres filios propagauit. Tandem thori delicias pertæſus, mundo renuncians, eremi ſeceſſu carnis & mundi illecebras peruigilio, ieiunijs, ac perpetua corporis flagellatione domitans, in Mediomatricum præſulem electus ſanctimonia uitæ & doctrina, commiſſum gregẽ uberrimè paſcens, mortuus cœlitum albo inſcribitur. Cuius filius Anchiſus ex Begga uxore Pippinũ maiorem ſeu groſſum generat, uirum ob excellentem audaciam, prudentiam, ac conſiliũ, Daguberto Magno gratiſsimũ, ac maioris domus honore eo nomine

sublimatum. Huic Pippino duos fuisse filios nonnulli asserunt, Carolomanum & Carolum Marcellum. Marcellus ferrea & robusta natura homo, defuncti parentis prefecturę palatij honorem, compluribus etiam cruentosis prelijs, candidatos & competitores retundendo, forti manu obtinuit. Longè lateq; bellando gentis gloriam auxit, Saxones, Sueuos, & Alemannos Francis rebelles uicit. Saracenis Pictauorum fines irruentibus, cum Eudone occurrens principe, non ciera funestissimam cædem hostes profligauit, eo quippe prelio trecenta & septuaginta Saracenorum milia desiderata sunt: ex Francis mille duntaxat & quingentis occisis. Hic Marcellus cùm Francorum rem per annos uiginti quinq; fœliciter administrasset, obita morte in diui Dionysij templo conditus est, ante tamen liberis distributo imperio. Carolomanno concessit Austrasiã, Sueuiam, Alemãniam, & Lotharingiam: Pippinum Gallis prefecit, Gryphonem natu minimum testamento preterijt: quocirca fratribus maximum bellum, Saxones in eo sollicitando, Grypho intulit. Quibus marte contritis, Carolomannus gloria fortiter ac preclarè gestarum rerum satiatus, secessit in cœnobium ad Soracte: quod & ipse construxerat: religioni ac diuino cultui mancipatus, omni rerum cura Pippino Pusillo fratri relicta. Pippinus Pusillus, Francorum regno maior domus, in patris locũ constitutus, Imperij sui limites paterno more amplians, hostesq; singulos uictoriosissimè conterens, uiso Francorum regum, qui ex Merouea gente descenderant, inertia Samuelem quendam olim cucullatum, ac in Dagubertisecundi demortui locum, mutato nomine à regni proceribus regio solio intrusum & Chilbericum appellatum, pontificis Zacharię (ut diximus) decreto totius cleri, ac populi cõsensu deijciens, & ad monasterij clausuram denuò tonsum redire compellens, regio insignitus diademate à diuo Bonifacio Maguntino Archiepiscopo, unctione (ut moris est) consecratus: hinc transcensis Alpibus laborãti Stephano Romano pontifici contra Longobardos opem ferens nauantissimã, primus Francorum regum Christianissimi cognomentum adeptus est. Tãtum præterea singularis prudẽtiæ Germani huic suo Pippino tribuere, ut sagacissimum ac solertissimum quenq; nunc etiam Pippinum, Teutonicè *Kunig* Pipis appellent. Quem procul dubio Germanum fuisse genus indicat, atq; patre Teutonico Carolum Magnum editum, fidelissimi scriptores in literis retulerunt. Tandem 17. regni sui anno uita functus, duos principatuũ suorum legitimos habuit successores Carolomãnum & Carolum Magnum, qui ambo reges procerum decreto designati, sed paucis exinde diebus Carolomanni fabula uitæ exacta, summa rerum ad fratrem Carolum relata est.

DE CAROLO MAGNO, IMPERII QVE *in eum à Græcis translatione*, Cap. VI.

CArolum ex magnificè rerum gestarũ superabundantia Magni cognomine decoratũ, Germano patre Pippino inter Germanos in regio palatio Ingelnheym duobus à Moguntia ciuitate miliaribus distante genitũ, Lupoldus de imperat. iuri. cap. 5. testatur. Hic à Stephano Papa in Francorum regem Parisij consecratus, Adriano pontifice maximo per legatos implorante copias in Italiam duxit: Desiderij ultimi Longobardorum regis, in pontificem tumultus reprimens, omni bellica uirtute destitutum, tandem in deditionem coẽgit. Hinc tota fermè subiugata Italia, Romam petit, Resurrectionis festum cum pontifice celebraturus. Platina in Adriani pontificis uita, Franconiam Caroli Magni natale solum fuisse asserit, quocirca eos Teutones nemo dubitabit. Vrbanus item Papa secundus in concilio Claremontensi hunc Carolum Magnum Germanũ fuisse commemorauit, cui Aeneas Syluius in Europa sua adstipulatur: Carolus (inquiens) quamuis Gallię potiretur imperio, Germanus tamen fuit, in Germa-

nia

nia natus, alitusq; , cuius sedes plerunq; Aquisgrani fuit, quæ ciuitas Teutonica est. Leone prætereà tertio impiè uerberibus affecto, ac pontificio pallio spoliato, Carolus indignitate rei permotus, Romam cum maximo exercitu reuertitur, Leoni sedem, & honorem restituit. Quare ipsi de Ecclesia meritissimo, pontifex aliquam gratiam relaturus, cum uideret Imperatores Constantinopolitanos ægrè id nomen tueri, & eo nomine urbẽ Romam, ac totam Italiam multis torquerit calamitatibus Pop. Rom. scito, & precibus, uniuersi cleri consensu, in diui Petri Basilica ipsum Carolum Stentorea uoce Imparatorem decernens, imperiali diademate donat, ter acclamante Pop. Rom. Carolo Augusto à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori, uita & uictoria. Hinc ab Italia soluens, ad Francos repetebat: Saxones Christianæ pietatis hostes manu forti debellans, Hispanos tunc fidei lumine carẽtes ultimos deuicit, cuius singularem pietatis zelum, magnifica ipsius expensis extructa cœnobia, complurium item Ecclesiarum dotationes magnificentissimę liquidò comprobant, præcipuè nobilissimum Christiparæ parthenices templum Aquisgrani extructum. Quo thesauris auri & argenti, diuorum quoq; reliquijs liberalissimè locupletato, mortuus sepeleri uoluit. Nec in huius Caroli personam duntaxat imperium à Græcis translatum arbitremur, uerum & in Caroli Teutonicam posteritatem, ac eo deficiente in solos Germanos, quod Francigermani oppressam Ecclesiam, non citra sanguinis sui profusionem crebrius erexit. Quocirca nemo Gallus Imperij Romani fasces unquam posledit. Tibi igitur haud parum gratuleris inclyta Germania, martialium uirorum fœcundissima, tot clarissimis illustrium, ac generosum principum & comitum stemmatibus refertissima, è quibus uacanti Cæsareæ sedi prudentẽ & pacifero Augustũ, largiloqua Gallorum gẽte procul repulsa præficias: ne quę cæteris hactenus imperaueris, quam'ue exteræ nationes cum tremore quodam suspexerint, extorri quopiã, non Germano sanguine progenito, hoc insigni adornato, ueluti mãcipium seruire cogaris. Sed ad Caroli heroica gesta reuertamur, quæ tot, tantaq; fuisse fido testimonio percepimus, ut hunc Germanorum Numan, Herculem, ac Hectora meritò appellemus. Quorum legendorum desiderio si quisquam capiatur, Turpinum, & alios historicos reuoluat, hac in re exactissimos. Exuit hominẽ Carolus septuagesimo secundo ætatis suę anno, regni quadragesimo secundo, Imperij Romani decimo quarto, Salutis uerò humanę octingẽtesimo, & quinto decimo: Ludouico Pio regni & imperij ipsius potiẽte.

DE LVDOVICO PIO, CAROLI FILIO, LOthario, Carolo Caluo, & Ludouico Bauarorum rege primo, & Ludouico secundo Lotharij filio, Cap. VII.

LVdouicus à clementia morum, & religione Pij cognomẽtum adeptus, etsi multa præclara liberaliter, & sanctè gesserit: haud tamen ad eandem uitæ amussim filios traducere potuit, singulare inconstantis & lubricæ fortunæ ludibrium. Nam sub patris mortem ab Aquitania Aquisgranum contendens, diuersarum gentium legationibus auditis, concilium ibidem congregans, Episcopos nouarum rerum autores, mitius cum eis agendo, cœnobijs inclusos uita donauit. Tandem à filijs captus, tanquam in Carolum natu iuniorem propensior esset, Imperium eiurare cogitur. Sunt qui prodigalitatem illius in causa fuisse dicant. Alij ludith uxoris suæ impudicissimæ adulterium incusant. Quicunq; igitur nouercantis fortunæ insultu concuteris, huius regis calamitate attenta, patientiæ facilius studebis: quem maximũ Imperatorem & regem omni uirtute nobilitatum, cum coniugis adulterium, tum filiorum summa impietas immodicè

fugillauit. Verum quod ignis auro, id tribulatio præstat uiro iusto. Virtus etenim in infirmitate perficitur. Eueniunt item plerunq; maximi æstus, ut gratior subsequens habeatur serenitas. Tandem tumultuante optimo quoq;, Ludouicus à filijs facti pœnitentibus, è custodia liber demissus, honori & autoritati restituitur. Quibus non multò post functus, partito prius filijs imperio & regno, anno Imperij 27. Mogũtiæ uita migrauit, Metis sepultus, cuius mortem solis deliquiũ, ac cometes præcessisse dicitur. Tres superstites liberi huic Ludouico fuere, Lotharius natu maximus, quem uiuẽs adhuc pater, Imperij socium sibi deligens, præter Italiç & Romanum regnum, ea Austrasiæ regni portione, quę Mosæ ac Vosago interiacet, potitur, quam à suo nomine Lotharingiam uocauit. Carolus natu minimus à Mosa flumine usq; ad mare Gallicum Francigenis Imperat: Ludouico tota Germania, Sueuia scilicet, Bauaria, Carinthia, Styria, Austria, Carniola, Missnia, Thuringia, Hassia, Morania, Bulgaria, Saxonia, & Selãdia, usq; ad mare Lybicense hæreditati cesserunt. Neue ullus ipsorum regio titulo careret, conuentum est inter eos, ut Lotharius Romanorum Imperator, & Carolus Frãcorum rex, Ludouicus uerò Germanorum, seu Bauarorum rex diceretur: item quod posthac futuris temporibus, qui Galliæ Celticæ dominaretur, Francorum regio nomine gauderet. Ad eam quippè ætatem soli Francorum, id est, Teutonicorum ac Germanorum reges eo titulo gloriabantur, quod Francorũ & Germanorum uocula re ipsa nil discordabant, ijdem enim Germani, qui & Franci. Celtæ præterea si exactius rem intueri uoluerimus, non Franci, sed & Francigenæ nominẽtur. Vndè legentes Sigebertum Francorum regem diui Galli monasterium erexisse, Gallum quendam id egisse arbitrantur, cum tamen is Germanus, & Germanorum Francorũ rex fuerit. Ludouicus primus & ultimus rex Bauarorum, nulla prole auctus moriens, Lotharium regni sui instituit hæredem, qui in cõplures principatus, Marchionatus, Lantgrauiatus, & comitatus eas terras (ut hodie cernitur) diuidens, diuortio ab uxore sua Himelgarde in pago Erstein sepulta separatus, monachali habitu, tædio rerum aduersarum (ut opinantur) affectus, diem clausit extremum. Ludouicus secundus Imperator, Lotharij filius uiuenti patri consors regni, imperijq; efficitur, quare defuncto genitore cũ fratre suo Lothario, cui ex patris testamento Austrasiæ pars, quæ Lotharingia dicitur, obediebat, imperij gubernacula administrates, quum sine liberis discederet, Carolum Caluum patruum, Frãcorum regem habuere imperij successorem.

DE CAROLO CALVO IMPERATORE, LVdouici Calui filio, Balbi cognomento, Ludouico nil faciente, ac Carlone, Carolo Grosso Imperatore, Carolo Simplice, Ludouico sine prole, illius filio, Lothario, & Ludouico Francorum regibus,

Caput VIII.

LVdouico secundo mortuo, summa Imperij ad Carolum Frãcorum regem, minimum Ludouici Pij natum, redierat, quanquam Ludouici Bauarorum quondam regis filij, hunc bello lacessentes, sibi Imperium uendicare conarẽtur. Quibus contritis, Carolus Caluus à Ioanne Pontifice coronatus, ueneno à Sede chia medico Iudaici sanguinis dato, obijt anno regni Francorum 34. Nobilitatur hic Carolus multorum extructione monasteriorum, quæ in diuini cultus augmentum sparsim in Gallijs & Italia sumptuosè erigi curauerit. Ludouicus Caluus filius, patre fatis sublato, Frãcorum regni habenas obtinuit, qui Balbus à linguę impedimento dictus est. Is apud compendium naturæ concedens anno salutis octingentesimo octogesimo, relictis duobus filijs, Ludouico nil faciente, & Carlone, quos ex honesta puella, sed nõ ex iusto matrimonio susceperat. Huius Ludouici in tertium secuta est uaria Francorum seu Fracigenarum mutatio, tumultuan-

tuantibus hinc atque illinc diuersarum partium studiosis. Ludouicus etenim & Carlon Ambiani conuenientes, paternum regnum inter se partiuntur: Ludouico Francorum regnum cum omni Neustria, Carloni Burgũdia cum Aquitania concessa est, Ludouicus post aliquot bella Turonis morbo correptus, sine liberis moriens, fratrem Carlonem regni habuit successorem. Quo regnante Normanni ex Germanijs Campaniam inuadunt. multis urbibus ac templis direptis ac incensis. Quibus incommodis indignatus Carolus Imperator eius nominis tertius, cognomento Crassus aduersus hos barbaros & Christiani nominis hostes, ex Vuarmatia, ubi palatiũ regium habebat, insurgit, & egregio nixu prælians, Normannos sternit, occidit, fugatq; Carlone ab humanis exempto filius eius Ludouicus paternum decus accepit, hunc ab inertia, nihil facientem appellabant. Nulla enim re insignior habitus est, quàm quod uestalem uirginẽ, cuius amore deperibat, ex cœnobio quodã abductam, uxorem accepit. Cuius inertissimi regis ætate, Normanni denuò Franciam crudeliter inuadunt, quæ causa fuit plerisq; sacerdotibus, & uiris religiosis oratoria sua relinquẽdi, & aliò transferendi. Hoc Ludouico mortuo, Carolus Simplex regio Francorum diademate insignitur, quẽ nonnulli iam dicti Ludouici filium fuisse asserunt: alij ex Ludouico Balbo genitum affirmãt, qui quum sine fuco & fallacijs uiueret, Simplicis cognomentum meruit. Hic Alginã, Anglorum regis filiam, uxorem ducens, ex ea Ludouicum suscepit. A Rollone Normanno Deorũ cultore, bello lacessitus obtulit ei Stillę filię matrimonium ea conditione, ut ab armis discederet, & dogma Christianum susciperet. Accepit Rollo conditiones pacis, & in dotem Neustriam, quę mox à Normannis colonis, Normannia dicta est. Francorum regno tot, tamq; atrocibus incursionibus desolato, proceres regni regis inertiam, ac pusillanimitem accusantes ac ab eo deficientes, quasi regẽ non haberent, de alio eligendo cõsulunt. Eligitur Radolphus Burgundiæ Ducis filius. Carolus simplex ab Heberto in uincula conijcitur. Ludouico Caroli Simplicis filio, cum Algina matre, ad Anglos confugientibus, Carolus Simplex in carcere moritur: Radolpho item, postquam duodecim annos regnasset, è uita migrante, Franci Ludouicum, Caroli Simplicis filium, ad regni gubernacula reuocant, redeuntem regijs fascibus adornant. Qui Othonis Romani Imperatoris primi eius nominis, filiam uxorem ducens, duos ex ea suscipiendo liberos, Lotharium & Carolum uarijs bellorum agitatus procellis, rarò prosperam fortunam sentiens, Remis extremum diem clausit, Anno salutis humanæ 1460. superstitibus quibus dixi filijs. Quorũ Carolus priuatã uitã Bruxellis egit. Lotharius, qui nihil illa persona dignum gesisit, nisi quod contra Normannos, & Othonem auum profectus, reduxit exercitum parum decorè, moritur nulla prole auctus, ac Remis in eadem æde, qua pater, sepelitur. Robertus Gaguinus Lothario filium fuisse, Ludouicũ nomine, adstruxit, patriq; in regno successisse, breui tamẽ sine liberis mortuum. Quocirca Carolus iam dicti Lotharij frater regni gubernacula, tanquam legitimus hæres, recuperare tentauit, sed ab Hugone Capeto custodiæ mancipatus, proposito frustratur, nec aliquis post Lotharium ex Carlingorum stirpe, regio Frãcorum sceptro admittitur: Hugone Abbate, cum cæteris regni proceribus, in nobilium Francorum Germanorum stirpem, quæ ad annos fermè quingẽtos & septuaginta bellicosissimos, ac uictoriosos, diuini honoris cælatores reges & principes Gallis ediderat, conspirantibus. Hic Hugo animi magnitudine, & rebus potens, & natione Gallus (quem Parisiorum comitẽ fuisse aiũt) quum nemo conatus suos reprimeret, animo tumens, ut peculiare Gallorũ ingeniũ est, uiatq; armis regni se diademate insigniri extorsit: primus Frãcorum regẽ natione Gallus. Quotquot enim hunc præcesserũt, ex Francorũ Germanorũ stirpe originem, ueluti diximus traxere. Hũc Hugonẽ quidã Abbatẽ cognominarũt, quod

cum Roberto Parisiorum comite, primus relicta monachis & sanctimonalibus prædia, prouentusq; occupauerint, ea sibi, suisq; militibus attribuentes, seq; Abbates appellantes, atq; impartientes monachis, prout uolebant, adhibito uictus ac uestitus, moderamine. Quod ingenium in Gallis quibusdam nec hodie deesse audiuimus, cum aureis & argenteis Diuorum statuis, calicibus, cęteris præterea preciosis uasis, sacro usui deputatis, belli tempore parcatur nusquam, omnia in æs conflantur, quo martialis populi stipendijs satisfiat. Absit procul hæc tyrannis ab inclyta Germanorum natione, quorum inuictissimi Imperatores, ac reges, Dei cultum potius augere, quam diminuere sata gentes, magnificentia, pietate, clementia, æquitate, ac fortitudine Romanũ Imperium à Græcis translatum, posthac perpetuò habere meruerunt. Quod suę ditioni nemo Gallus armis, auro, seu fauore adipisci confidat. Sit Galliarũ rex suis limitibus contentus, ne plus ęquo petenti, quemadmodũ Aesopino cani contigerat, quod habuerat, auferatur. Liberum namq; & ferox Germauorum ingenium seruitutis impatiens, regiam Gallorum tyrannidem sustineret nunquam.

TESTIMONIA PRO SVPRADICTO-rum approbatione, Cap. IX.

SEd ne Siculis gerris, aut Persicis nugis uaniora scripsisse uideamur, dictorũ nostrorum testes citabimus haud repellendos. Fauet in primis sententię nostrę Lupoldus in eo, quem de Imperij iuribus scripsit, libello, Francorum reges Germanos fuisse, testimonijs persuadens luculentissimis. Nec desunt opinioni nostrę Eusebius, Rhegino Abbas, Godefridus, Francorum annales, Platina, Sabellicus, Robertus Gaguinus, & quotquot Francorum Germanorum memine re. Firmissimo demum munimento nobis futurus Christianus ille Maro Mantuanus Baptista, quem Cyclopediam absoluisse nemo dubitat, cui quoq; nihil non historiarum perfectissimum fuisse liquido constat, qui in Diui Dionysij uita de Francorum Germanis regibus ita cecinit:

Postquam Roma diu Gallos possederit, arma
In nouæ iurabunt Franci, Germanica proles,
Si genus inspicias hominum, Troiana propago:
Regnaq; transmisso uenient in Gallica Rheno.
Hos inter regale decus Pharamundus habebit
Primus, & hinc ueniet series longissima rerum.
Quintus ab hoc Clodoueus erit, qui falsa relinquẽs
Numina, nostrates primus libabit ad aras.
Hic erit ille, Deus cœli cui mittet ab alto
Cærulei breue uas olei, quo tempora regum
Gallia profundat, pater hoc dignabitur illos
Munere præ reliquis uenturi regibus æui.
Quartus ab hoc magna tibi religione superbum
Ponet opus, nomen regi Dagubertus, & amplis
Sumptibus educet cœlo sublimia templa.
O quantos olim, qualesq; habitura triumphos
Ista sub Imperio Christi Germanica proles,
Semper clara quidem, sed tum clarissima, quando
Regia Pippinus sumens insignia, priscos
Excludet regnis Ephoros, & liber habenas
Pacis & armorum plena ditione tenebit.
Carolus hinc, cui maiestas non regia solum,
Sed titulis augusta nouis, cui nomine Magno
Maior erit uirtus, cui summa potentia, & ingens
Religio, qui res hominum clementer, & æqua
Lance gubernabit.

Et reliqua carmina, quę in Caroli Magni laudem eadem pagina scribũtur, sedulus lector requirat. Libro item tertio eiusdem carminis Hugonem Capetum Gallorum stirpe creandum, electum iri prędicit:

Sed tamen hæc regum series infecta redibit
Ad Gallos tandem, cum scepta receperit Hugo,
Non genus à Francis ducens, sed origine Gallus,
Illuc usq; dabit tellus Germanica reges.

Quid hoc carmine proposito nostro accommodatius? quo manifestario omnes Francorum reges usque ad Hugonem Capetum Germani fuisse perhibentur. Nec suspitionis alicuius Mãtuanum facilè argues, cum Italus Gallo & Germano ęquè faueat, nudę ueritatis assertor

Encomium

ENCOMIVM SACRAE ROM. REGIAE, AC *Catholicæ maiestatis, illustriumq; Romani imperij principum Electorum,* Cap. X.

QVis igitur tam secors, adeoq; consilij inops, qui illustres & nobilissimos sacri Romani Imperij Electores, non habere aurum, sed habentibus impetrare petentes, Germanæ libertatis amantissimos, ea uel impudentia, temeritate, aut inconsideratione arbitretur, ut ullis pollicitationibus, pecunijs, aut fauore corrupti, iurisiurandi sacramento posthabito, quempiam Gallum suffragijs suis uacanti præficiant imperio? Genuinum certè Alemannorum in Gallos odium uehementius renititur. Nobilis insuper Germania, multo cruore iampridem assertæ libertati assueta, seruile Gallorum iugum subit nequaquam. Quantam etè nim crudelitatem hæc Gallorum gẽs in uictos exerceat, Aisatia olim sub Ludouico Delphino experta, obliuiscetur nunquã. Qua insuper iniuria uictores Galliuictos afficiant, multi Germanorum sub eius gentis stipendio militantiũ perdidicere. Sunt præterea Germanis illustrissimę ac generosæ domus principum, ac comitum fœcundissimæ, è quibus Romani regni uacantis regem deligere queant, quas & prioribus sæculis Augustos non pœnitendos dedisse, Germanorum ephemerides indicant. Quis Archiducalem Austriacorum principũ sobolem hac maiestate indignã censebit? quę à Rudolpho ex comitibus de Habsburg, eius familiæ primo Romanorum rege, non paucos Teutonibus augustissimos, & Imperatores & reges proferens, diuũ quoq; Maximilianum nuper, nõ citra totius Germaniæ singularem luctum, terris ereptum, ad triginta fermè tres annos Romani sceptri gubernatorem enixa est, cuius obitum grauius ferẽdum censeremus, ni illustrium principum, sacri Romani imperij Electorum, Germanæ Reip. optimè consulentium, solerti prudentia & integritate, diuino inspirante numine, potentissimum dominum Carolum Archiducem Austrię, &c. dum hęc scriberemus, in aui paterni regiũ decus electum, accepissemus, cuius regnorum, potentatuum, ac diuitiarum amplitudini nemo Christianus rex conferatur. Quem toto Christiano orbe pacato, & Romanæ Ecclesię mõstroso statu in melius reformato, ferocissimam immanium Turcarũ gentem oppressurũ, ac Christianæ religionis suauissimo iugo facilè subditurum dubitamus minimè: modo nec ueneno, nec alio quouis morbo immatura morte (quod Dij prohibeant) inimicorum insidijs hominem exuat. Cui procul dubio Caroli Magni uestigijs innixuro, totus orbis olim acclamabit: Carolo Augusto à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori uita & uictoria, cuius in Romani regni soliũ sublimationi nemo Germanorum non congratulatur, quòd ab auita probitate ipsum nequaquam degeneraturum speremus. Magno itaq; præconio sacri Romani Imperij, Illustrium principum Electorum adamantina fidei integritas toto orbe extollatur, qui ambientis Gallorũ regis, auro, & pollicitationibus posthabitis, Germanæ libertatis memores, Teutonici sanguinis principẽ, Romano (ut decuit) præfecerunt Imperio, cuius nutu, auspicijs, & remigio Christianę Ecclesię, iam aliquot annis uariorum fluctuum procellis agitatę, tutissimo nunc portu succurrisum iri nihil hæsitamus.

NANTVANTES, HELVETIOS, RAVRACOS, TRIBOTES *seu Alsatas, Nemetes, Vangiones, Moguntiacos, ac Vbios, non Gallos, sed uerè Germanos esse,* Cap. XI.

NOn deerũt scio Germanię mastiges, nasum Rhinocerotis in morẽ torquẽtes, cur Gallos reges tã procul à Romani regni fascibus abigendos clamitemus oblatraturi: primarijs triũ Archiflaminum sacri Romani Imperij Electorum sedibus. Nantuãtibus item, Heluetijs Rauricibus, Tribochijs, Nemetibus, Vangionibus,

Vangionibus, Moguntiacis, & Vbijs satis ampla Romanæ ditionis portione Galliarum nomini subiectis. Indignum quippe uideri, Gallum regem usq; adeò à Gallis contemni. Quorum frigidiuscula argumenta, probatissimorum scriptorum testimonijs circumsepti, facilè diluentes, præfatos Moguntiacos, Vbios & cæteros non Gallos, imò uerè Germanos esse ostendemus, quando omnes Germanica lingua utentes, semper Germanos fuisse, apertissimè indicat Agathias, asserens illos Galliarum maximam possedisse partem, non propriam, sed ui, & in posterum occupatam. Transtulerunt igitur Teutones Galliam in Germaniam, partim submotis, partim occisis habitatoribus, quod diuus quoq; Hieronymus in epistola ad Gerontiã ijs uerbis testatur: Remorum, inquiens, urbs præpotẽs, Ambiani, Atrebates, extremiq; hominũ, Morini, Tornacus, Nemetes, Argẽtoratus, translati sunt in Germaniam. Adstipulatur diuo Hieronymo Eutropius, qui Atrebates, Ambianos, Menapios, Veromanduos, Conduenses, Eburones suo æuo Germanos fuisse affirmans, Augustum quadringentas captiuorum Chiliades ex Germania transtulisse, & supra ripam Rheni in Gallia collocasse testatur. Cui rei maiorem fidem conciliauit, quæ in secundo belli Gallici libro Cæsar in literas retulit: Germanos, dicens, cis Rhenũ Belgis uicinos, & pleroscq; Belgas ortas esse à Germanis, Rhenum antiquitus traductos, propter loci fertilitatem ibi consedisse, Gallosq;, qui ea loca incolerent, expulisse. Subscribit opinioni nostræ Strabo quarto Geographiæ suæ libro: Tribochi inquiens, natione Germani, relicto natali solo, Rhenoq; traiecto sedes posuerunt. Imperator præterea Agrippinenses, qui & Vbij, in Germania inferiori dicit Italici iuris esse, ut est apud Iurisconsultos l. i. ff. de censibus, Ammianus item Marcellinus Coloniã Agrippinam ampli nominis urbem esse in Germania refert: Hoc itẽ de Treueris, quam domicilium principum appellat. Insuper & in prima Germania, præter alia municipia Moguntiacos, Vangiones, Nemetes, & Argentoracos locat. Demum Cornelius Tacitus de situ Germaniæ, Tribotes, qui & Alsatæ, Germanis interferit, quibus Nemetes, hodiè Spirenses, Vangiones, hodiè Vormacienses, Vbios quoq;, nunc Colonienses annectit. Quod si minus apud quosdã uerba mea habuerint locũ, doctissimorum ac integerrimorum uirorũ Iacobi Vimpfelingij, præceptoris nostri Germaniã, sermones item conuiuales de mirandis Germaniæ antitiquitatibus Conradi Peutingerij pellegant, procul dubio, nisi desipiant, scriptis nostris assensuri.

VNDE PRIMVM GALLIA DICTA: GERMANOS QUOQ; GALLORUM NOMINE OLIM COMPREHENSOS FUISSE, CAP. XII.

NOn nescimus ueteres Romanos, communi Gallorum nomine, cum Germanos tũ Gallos compræhendisse, ad Galatę regis dominatũ fortasse respiciẽtes, quẽ Hercules Aegyptius aliquot sæculis ante Troianum excidiũ bello aduersus Gerionẽ moto, in Celticam ueniens Alesia ciuitate ibidem condita, genuit, qui Galatę adultior iam factus coæuos suos tàm animi uirtute, quàm uiribus excedens, uirilem ætatem ingressus, paterno regno susceptо plures, proximas oras sibi subdidit, sicq; præclaris rebus gestis, omnes à suo nomine Galatas appellauit: Vnde & omnis ea regio illi subiecta, Galatia dicta est, quam Romani figuratè, at, syllaba intercepta, Galliam dixere. Testis est Diodorus Siculus lib. sexto, ubi & magnos fluuios per Galatiam, id est, Galliam labentes enumerans, nominatim Danubij ac Rheni meminit, quasi in Galatiam profluentium. Huius Galatarum regis Berosus quoque in decimoquinto libro mentionem facit. Herodotus præterea Danubium in Celtis oriri scribit, quem tamen

tamen ex supremis Hercinię syluę montibus deriuari constat, quod Græci Celtarum uocabulo Germanos, & Gallos indiscriminatim nominauerint, quæ tamen contra nos contorta iacula, ut minus ualida, reiscimus, quod in nostris lucubraciunculis, uetusta & abolita illa Galliarum appellatione reiecta, de ea duntaxat loquamur, quæ Rheno flumine, cæterisq; limitibus, à diuo Iulio præscriptis contenta, Germaniam à se discretam habens, in tres partes, Aquitaniam uidelicet, Celticam, & Belgicam secatur, pro uulgi opinione, quotquot Gallias inhabitant, ac illorum duntaxat lingua utuntur, Gallos appellando, quorum nemi nem Germanis unquam imperasse iamdudum probauimus. Studeat igitur summo conatu hæc Gallia, bellicosum Germaniæ populum, sine quo nihil gloriosæ uictoriæ unquam ex hoste retulit, maxima beneuolentia suscipere, nulla uerborum contumelia, ueluti & hactenus sacræ Cæsareę maiestati, felicissimę recordationis, & Germanæ plebei, mẽdicitatis probrum crebrius obiectum fuit, exacerbare, secq; de illorum uel imperio, uel regno nihil prosus ingerere, ne oculatissimi pauonis, inuictissima Iouis alite obumbrati, ductu, & auspicijs, tota denuo in Germanias transferatur. Huius quidem potentissimę sacræ Romanorum regiæ, ac catholicę maiestatis uictricib. aquilæ signis, nihil est, quod obstare possit, modò diuina prouidentia trisæclis Socratica ualetudine nobis superstit.

CONRADI CELTIS DE SITV ET MORIBVS GERMANIAE,

PRAEFATIO.

PER Demogorgoneum memorantur cuncta tumultum
Ex ueteri prodisse chao, dum uentre tumeret
Forte senex, totumq; ferens in corpore mundum,
Distendit grauidam maturi ponderis aluum,
Quod fuit æterni conceptum ab origine mundi,
Impatiensq; oneris, cupidusq; reponere tandem
Pondus imers, molemq; rudem, se uętre prementem,
Indignatus ait: uacuas te proser in auras
O mundi deforme chaos, superisq; pudendum,
Et uos cunctarum discordia semina rerum,
Ignaua in nostris quæ tanto tempore membris
Delituistis, acres facientia sæpe dolores,
Viscerib⁹ tumulata meis, dum bella mouetis,
Ite ite actutum iubeo, pulchroq; decore
Condite luciflui rutilantia sidera cœli,
Et me iam uestro uacuum præstate tumultu,
Dum mundi fabricetis opus: quod pace perenni
Alliget æternus concordi fœdere mundus.
Dixit, & excutiens uterum, mox terra polusq;
Et mare fluctiuomum liquidusq; & turbidus aer,
Quiq; subest gelidæ lunæ nunc proximus ignis,
Exierunt: proprijs spacio & disiuncta figuris,
Atq; lacunosas uentris liquere cauernas,
Moxq; per octauam simulacra micantia sphæram
Ignisiuis radiata comis, per quinq; patentes
Zonas se totum subito expleuere per orbem.
Hinc uerucx & libra pares facientia noctes,
Et Caper & Cancer, quæ maxima tempora luci
Et tenebris referunt, & quæ prolata sub axes
Signa micant, cursum peragunt mox fixa diurnum,
Bisq; duodenas redeunt reuecta per horas,
Donaq; per teneras cæperunt fundere terras,
Et uarijs radijs lucere per aera deorsum
Infusa uirtute noua, quæ semina rerum
In terræ tumulata sinu cæcoq; in aceruo
Digessit: iussitq; suis distare figuris.
Hinc tellus uarijs florum redimita coronis,
Arboribusq; suis, fructus frugesq; creauit,
Atq; homines, pecudesq; simul produxit in arvis.
Hinc uolucres aer, piscesq; receperat æquor
Per mare squamigeris ducentes corpora pinnis.
Hinc etiam octauo quæ sunt contra mundo
Astra suis uarijs cœperunt currere cyclis,
Saturnus, totumq; regens qui Iupiter orbem,
Et Mars, qui miseras immittit sydere clades,
Et Phœbus Veneri socius, cytharaq; repertor
Mercurius: gelidæ Lunaq; nouissimus orbis
Quæ nunc retrogrado properantia tempora motu

impediunt

Impediunt, tradantq; uagas procedere causas,
Et rursus statione sua fluitura morantur,
Vt stabili fixoq; meent sua fata tenore,
Dum miscent refluo uolitantia semina motu
Per uarias reditura uices, ut longa per æuum
Compleat æterno mundus sua sæcula cursu,
Illa iubente Deo rapidis qui præsidet astris.

DE SITV GERMANIAE ET MORIBVS.

GENS inuicta manet toto notissima mũdo
Terra ubi se deuexa globo demittit in ar-
Solis et algoris patiẽs, duriq; laboris (ctõ,
Ingrata ignauam uitæ tolerare quietem,
Indigena, haud alia ducens primordia gente,
Sed cœlo producta suo, Demogorgonis aluus
Protulerat patulas ubi cuncta creata sub auras.
Germanos uocitant Itali, Graij sed adelphos,
Quòd fratrum soleant inter se uiuere more,
Nomen nobilibus quod adhuc uenerabile nostris
Pectoribus, similes ingentes corporis artus,
Prodiga cui natura dedit per lactea colla
Candida proceris tollentes corpora membris.
Flaua coma est, flauentq; oculi, flauoq; colore
Temperie iustam retinent sua membra staturam.
Vox habitum mentis, cum gestu, & pectora prodit,
Vox quæ nil muliebre sonat, sed tota uirilis,
Martia crassiloquo testatur corda palato.
Commune his studiũm uenari, equitare, uagari,
Atq; suum uarias uictum quæsisse per artes,
Vel Bacchum uiduis crescentem iungere palis,
Aruaq; quadrijugo proscindere pinguia aratro,
Nec patrio tepuisse solo iuuenilibus annis,
Sed mox doctiloquæ præcepta adijsse Mineruæ,
Vel uaga ueliferas duxisse per æquora naues,
Atq; suis terris uarias adducere merces,
Nec censere nefas animum intendisse rapinis,
Dum fera belligeri meditantur prælia Martis,
Atq; illum regum celsas quæsisse per aulas,
Quatuor ad fines, quas Teutonis ora coercet,
Siue per Herciniæ nemorosa cacumina syluæ
Dentatos prosternere apros, syluisq; uagantes
Aeripedes ceruos ursosq; agitare feroces,
Vnguibus accipitres tructibusq; iubere rapinas
Tollere, & euulsas dispergere in æthera plumas.
Hinc animus dubijs audens se credere rebus,
Nec segnis timidusq; mori, roseumq; cruorem
Pro patria & charis certans effundere amicis,
Atq; auidus cædis, si qua ulla iniuria læsit,
Quiq; fidem sancto & constanti pectore seruat,
Religionis amans, superumq;, & cultor honesti,
Et ueri iustiq; tenax, mens consona labris,
Ficta coloratæ fugiens mendacia linguæ.

DE SIDERIBVS VERTICAlibus Germaniæ

QValia ab Herculeis memorantur pectora stellis
Perseo Andromedæq; uago descendere Olympo,
Fortia robustis animare & corpora neruis,
Quiq; sub extremo monstratur cardine Cepheus,
Vltimus algenti quem torquet circulus orbe,
Nocte carens, calidi dum Sol stat sydere Cancri
Et Bacchi Phœbiq; decus, rigidusq; Bootes,
Eniochusq; suo uolitans per sydera curru,
Vrsa minor maiorq; trucem complexa Draconem,
Nunquam ceruleas subeunt quæ Thetyos undas,
Sydera Germanas radios iaculantur in oras.

DE QVATVOR LATERIbus Germaniæ.

PVlcher ab occiduo, quas claudit limite Rhenus,
Rhenus qui pulchras rapido alueo præterit urbes,
Et tandem externum triplici cadit ore sub æquor
Nosq; à Sequanicis desiungit flumine Gallis.
Vistula purpureo sed terminus extat ab ortu,
Vistula Sarmaticis qui famosissimus oris
In Codanum trifidis effundens faucibus ora,
Hic ubi Pruteno clara est Germania portu,
Et capit innumeras Codonea per æquora naues,
Quæ glessum eijciunt, quod succinusq; ore Latino
Dicitur, & nostris tantùm reperitur in oris.
Danubiusq; rapax & amictæ nubibus Alpes,
Austrinos faciunt fines, metamq; resignant
Italicæ Illyricæ Scythicæ & contermina genti,
Solus Germanas Ister sed deserit oras,
Lata peregrinis inducens flumina terris,
Germanos concepta solo, quæq; Vngarus acri
Barbarus ore bibit, Metanastaq; Teutonus haurit,
Hic ubi nunc pulchro stat Transsyluania tractu,
Septenis tandem qua faucibus exit in æquor,
Non Nilo nec Gange minor, quæ maxima toto
Orbibus ex alijs memorantur flumina mundo.
Sed mare Codoneum Germano & nomine dictus
Oceanus, fines posuit natura sub arcton.
Quos ultra tria regna manent gelidusq; Britannus
Orcadibus qua cincta suis Tylæ: Et glacialis
Nuper Hyperboreo quæ inuenta est insula Regi
Noruegos Dacosq; regens Suedosq; bibaces
Vltima concreti qui cernunt sydera cœli

Aestatis

Aestatis uerisq; inopes, hyememq; perennem
Perpetuasq; niues cœlo patiuntur inerti.
Inter quos memorant Lappones nomine dictos,
Qui uitare specubus ducunt, syluisq; niuosis,
Venantes, Madros & molles pelle Sabellos,
Et nostri fugiunt rigidi commercia mundi,
Congressusq; hominum, nec habentes ore loquelas,
Horrida barbaries rigido damnata sub axe.
Atq; feris similes, quorum cognoscere mores
Et ritus qui forte uelit, petat ille libellos,
Quos de Germanis nuper conscripsimus oris.
Talis ab Arctoo nostra est Germania tractu,
Sauromatis uicina feris, Asiæq; potenti,
Hic ubi se Tanais sinuoso littore uoluit
Impetuosus aquis rigidis, uastamq; paludem
Et matrem marium ditat glacialibus undis,
Interiora rigat terræ sed maximus Albis,
Qui rapidus mediam fluuius perlabitur oram,
Et quantum Rhenus, sic Vistula distat ad ortus,
Tandem & Cimbriacũ uagus exoneratur in æquor
A Cimbris quod nomen habet, quos proxima Dacis
Chersonesus habet rigidum porrecta sub axem,
Istmos ubi geminum sua littora pandit in æquor
Oceanum Codonumq; uidens, ubi Scandia diues
Haleces totum mittit piscosca per orbem.

DE TRIBVS IVGIS ET montibus Germaniæ.

Sed nemus Hercinium mõtes & ab Alpibus orti
Cum ramis totam se diffudêre per oram,
Iamq; sub occidui tendentes brachia solem
Hinc Austrum Boreamq; petunt, Eurumq; sonorum
Donec in Euximum procumbant uertice pontum,
Quoq; Byzantinas augustat Bosphorus undas.
Sex tria Germanæ tollunt iuga maxima terræ
Verticibusq; suis ferium uaga sydera cœli,
Impositasq; ferunt nebulosis montibus arces,
Et scabris latebris spumantia flumina fundunt.
Primum est immani dorso quod spectat in Arcton
Germanos Gallosq; uidens Italosq; potentes,
Quod Rheni Rodaniq; parens Eniq; sonantis,
Quod ueteres prisco dixerunt nomine Adulam
Atq; suis longis ramis nunc procreat Alpes,
Hic ubi cum rapidis Athesis se concitat undis
Adriaco miscere salo, Venetisq; superbis
Dicere, Germano quo dedant colla tyranno.
Ast aliud Carpathus habet, qui spectat in Eurum,
Auspicium nostris niueo dans uertice terris.
Quem Sueuum in priscis memini dictũ esse libellis,
Qui cuproq; auroq; scatens uarijsq; metalli,
Pannoniam largo locuplet at munere gentem,
Herciniumq; iugum medio Germania tractu
Erigit, & multis despergit cornua terris,
Ex quibus ingenti dorso stans Pinifer, atrum
Tollit in astra caput, liquidoq; à uertice stillans
Quatuor ad mundi fundit uaga flumina partes:
Mœnus in occiduum festinat currere Rhenum,
Et Sala qui Drusi gestat præclara trophea,
Algentes petit Albis aquas, exit Nabus in Austrum,
Egra sed Eoos flectit sua cornua in ortus,
Et secum Herciniam trahit alto uertice syluam.

DE TRACTV HERCINIAE SILuæ per Germaniam.

Quæ uarijs porrecta plagis, nunc uasta sub Arcton
Iniq; Eurum Zephyrumq; suis cum saltibus errans,
Explicat immensos annoso robore lucos
Relligione sacros ueteriq; ex more uerendos,
Qui Druidum densæ per opaca silentia syluæ
Plurima magnificis seruant cœnobia tectis,
Quæ diti nigris operantur sacra cucullis,
Vallibus irriguis constricta ubi murmure blando
Vnda sonans placidos inducit corpore somnos.
Sed transfrenanas ubi sylua reliquerit oras,
Tendit ad innumeras Germano sanguine gentes,
Per Sueuos Caucosq; feros, madidosq; Sicambros,
Algionesq; truces, Rheniq; ad fluminis ortum,
Perq; lacus geminos candentes præterit Alpes,
Eluetijs porrecta iugis, durisq; Cheruscis,
Vindelicos Rhætosq; petens & Norica rura,
Perq; lacus plures capientium ab alpibus undas
Boiorum deserta petit, rursusq; sub Arcton,
Brachia longa iacit, Sueuos Francosq; Turogos
Circuit, Abnobios mõtes, quæ particula alpium est,
Saxonicisq; reducta plagis Phrisijsq; bubulcis,
Vissegothis, Ostroq; Gothis, Cimbrisq; uetustis,
Donec Germanum prope tangat saltibus æquor.
Ast ubi spumiferi fontes contexerit Istri,
Astriacas aditura plagas, Ceciumq; comantem,
Qui dum nubigeras radicem accepit ad Alpes
Quas Carnus Stiriusq; tenet, Sclauusq; bilinguis,
Hic ubi Dauubius posituras nomina ponto
Proxima Dalmaticæ radit confinia terræ.
Sed longum Austriacas dorsum protendit in oras
Quod tandem rapido calua fronte imminet Istro
Vnde sibi totum sunt nomina nota per orbem
Hunc sylua obliquis ramis & collibus atris
Integit, atq; feris foliosa cubilia sternit,
Siluiferum caput nemoroso uertice uestit,
Sylua prius latè Bauaras sed sparsa per oras

Ante

Ante ſub Auſtriacas quàm tendat brachia terras,
Obliqua ad Vilſi protendens cornua ripas,
Vilſus in Iſtrinis qui tandem perditur undis.
Aſt ubi per Bauaros ingentia cornua flexit,
Mox Francos Turgosq; petit Bemosq; feroces,
Tanquam natiuo claudit quos undiq; muro,
Quos medio nutrit bellax Germania tractu,
Pingue ſolum frugumq; ferax, ſyluæq; perennis,
Plurima Germanis quæ emittit flumina terris.
Albim, Oderam, quæ nigra fuit memorata uetuſtis.
Quos ubi deſeruit, Carpathi culmina ſpectans
Marcomanos Gepidasq; petit Iaſigesq; potentes,
Hic ubi nunc cultis eſt Tranſyluania terris,
Moribus Almanis gentem linguaq; creauit.
Inde iterum uaſto diffundit cornua flexu,
Visburgos Sabocosq; petens durosq; Gelonos,
Quáq; manet pulchro diues iam Pruſsia portu
Sarmaticis obducta plagis, quosq; ultimus orbis
Angulus abſcondit, Agytarſos limite claudit
Ad Tanais fontes Rypheoq; in uertice late,
Diffuſa & fines Europæ uaſta pererrans,
Diuerſasq; feras uolucresq; in ſaltibus abdens
Per Maſouina truces abſcondens rura Viſontes
Proinde metalliferos extollens undiq; montes
Argentiq; auriq; ferax uarijsq; metallis
Plurima perpetuis effundens munera uenis,
Fornacesq; cauas, rapidus quibus æſtuat ignis,
Quem fouet excuſsis uentoſis follibus aura.
Quas circum ualido ſe tollit malleus ictu,
Quem rapidis leuat unda rotis, & machina molis
Ingenti ſonitu ferit aſtra uolantia cœli,
Brontis opus Steropisq; gerens, liquefacta metalla
Extendit uarias ubi ferri lamina formas.

DE QVALITATE TELLVRIS per Germaniam.

TErra hominum pecudumq; ferax, quæq; ube re gleba
Spiciferam Cererem multo cum fœnore reddit,
Paſcua florigeris extendens pinguia pratis,
Ingentesq; lacus, uarias uaſtasq; paludes:
Et fluuios uarios ſapido qui piſce redundant,
Collibus apricis agrisq; & montibus altis,
Plurima uitiferi qui fundunt munera Bacchi,
Vicino iam ſole nouo, qui ſydere læto
Proximior noſtris infundit lumina terris.
Hinc uarij cultus, cultisq; in mœnibus urbes,
Mitior & populus Germano naſcitur orbe,
Exploſa ruditate fera, quam Barbarus olim
Syluicola in riguis ſeruabat ſaltibus ortus.
Illa ſuperficies Germanis traditur oris,
Quæ mihi bis quinos fuerat luſtrata per annos.
Quam ſyluis fluuijsq; ſuis & montibus altis
Et uarijs populis uario & diſcrimine linguæ
Syderibusq; ſuis Deus & natura creauit.

FINIS.

AE N AI

AENEAE SYLVII GERMANIA, EXCERPTA EX 2o LIBRO, QVO GRAVAMINA NATIONIS Germanicę, à Martino Mereo Iurisconsulto Moguntino, sedi Romanę obiecta, diluit: in qua urbes, ciuitates, Ecclesiæ, Episcopatus, principatus, & nobilissimæ familiæ Germanorum describuntur.

DE ANTIQVIS GERMANIAE MORIBVS, VBI SVEVIAE RITVM

particulatim adfert, eius gentis feritatem describens, ac eam sub Adriano Cæsare, mitiorem factam esse ostendens, Cap. I.

VNC tempus est, ut ad id trāseamus, quod tu secundo loco affirmas, hoc est, de paupertate Germanicę gentis, quę licet olim ditissima & potentissima fuerit, his tamen Rom. curiæ moribus seu rapinis, ad inopiam summam'que impotentiam eductam esse uideri cupis. Aduersamur in hac re tibi, non minus quàm in cæteris. Nam neque pauper est Germanica natio, neque impotens, neque (ut tute ais) ancilla, neque si sit, Rom. curia culpanda est, tanquam eius inopię causa. Quod ut manifestius declaremus, ostendendum in primis est, quenam fuerit olim Germania, & quæ sit hodie, quo facto liquebit, nunquam Germanici nominis eas fuisse uires aut opes, quales sunt hodie. Reperamus igitur uetusta tempora, non dicimus aut Iani, aut Saturni, aut Iouis. Nec rursus aut Romuli, aut Camilli, uel Alexandri Magni. Quibus regnantibus incompertum nobis est, qualis fuerit Germaniæ facies. C. Cæsaris ætatem inspicere libet, cùm *Cæsar.* ille militaret in Gallia, cùm iam Christi noua per carnem natiuitas instaret, cum plenitudo temporis penè adesset. Quænam tum (oramus) Germanorum opes fuere, quæ uires erant, quę possessiones? Fatemur, bellicosi, & in armis exercitati Theutones habebantur. Cæterum uitam eorum describens in commentarijs, Cæsar Germanos omnes ait, in uenationibus atque in studijs rei militaris à paruulis institutos fuisse, labori ac duritiei studētes. In fluminibus promiscue esse perluisse, pellibus animalium pro uestibus usos, magna corporis parte nuda, agriculturæ non studuisse, maiorem partem uictus eorum in lacte, caseo & carne fuisse, nec quenquā agri modum certū aut fines habuisse proprios. Sed magistratus ac principes in annos singulos gētibus cognationibusq; hominum, quibuscunq; unà coierunt, quantum ei quo loco uisum est, agri attribuisse, atque anno post aliò transire coēgisse, ad frigora atque æstus euitandos non ædificasse accuratius, Ciuitatibus maximam fuisse laudem quàm latissimè circum se uastatis finibus solitudinem habere, uini usum apud eos incognitum fuisse. Sic Cæsar gratissimus auctor. Strabo quoque, qui situm orbis terrarum elegantissimè conscripsit, cum prius dixisset: Statim igitur regionem trans Rhenum ad ortum uergentem Germani colunt, nationem Gallicam paulisper imitantes, & ueritatis *Strabo in principio lib. 8.*

abundantia, & proceritate corporum & colore flauo. Postea tamen cùm ulteriora Germaniæ describeret, sic inquit: Sueuorum quidem gens amplissima, à Rheno siquidem usq; ad Albim peruenit fluuium, eorum portio etiam trans Albim loca depascitur, quemadmodum Eumũduri & Lancosargi. Nunc autem isti trans-fluuium, in fugam compulsi exciderunt. Commune autem est omnibus, qui hunc tractum incolunt, ut aliò facilè migrent, & propter uictus tenuitatem, & propter agrorum ignauiam colendorum, & propter pecuniarum inopiam. Cum'que in tugurijs habitent in diem habent suppellectilem, plurimam è pecoribus trahunt alimoniam, sicut & Nomades, eorum instar, qui domesticum in carris colentes instrumentum, quocumq; fors tulit, & opinio, suis cum armentis conuertuntur. Is igitur fuit Germanorum status Strabonis tempore, quẽ usque ad Tiberium Cęsarem uixisse constat. His ferociora de Germanis scribit Cornelius Tacitus, quem in Adriani tempora incurrisse perhibent. Parum quidem ea tempestate, à feritate brutorum maiorum tuorum uita distabat. Erant enim plerunque pastores, sylvarum incolæ, ac nemorum. Cuiusmodi uitam inertem ac pigerrimam esse Aristoteles auctor est. Nec munitę his urbes erant, neque oppida muro cincta, non arces altis innixæ montibus, non templa sectis structa lapidibus uisebantur. Aberant hortorum ac uillarum delitiæ, nulla uiridaria, nullę cõsitiones, nulla tẽpe, nulla uineta colebantur: prębebant largos flumina potus: Lacus & stagna inseruiebant lauacris, etsi quas natura calentes produxerat, aquę. Parum apud eos argentum, rarius aurum, margaritarum incognitus usus. Nulla gemmarum pompa, nulla ex ostro uel serico uestimenta. Nondum metallorum inuestigatę minerę. Nondum miseros in uiscera terręmortales truserat auri fitis. Laudanda hęc & nostris anteferenda moribus. At in hoc uiuendi ritu, nulla fuit litterarum cognitio, nulla legum disciplina, nulla bonarum artium studia. Ipsa quoque religio barbara, inepta & (ut proprijs utamur uocabulis) ferina ac brutalis. Talis tua Germania fuit, usque ad Adrianum Cęsarem. Quamuis iam cęterę orbis prouincię, excultæ artib us ac moribus essent. Sub illo autem Imperatore, tota Germanica natio in potestatem Romanorum facta est, post annos ducentos, quam Romano primùm milite debellari cœpta est. Ex inde mitior facta, ciuilem cultum accepit. Eratq; tunc longe angustior breuiorq́ue, quàm modo sit. Si quidem Germania uniuersa, inter Rhenum & Albim, ut alij uolunt Oderam, siue ut alij rursus autumant, Viscellam ab Occidenti ad Orientem protensa, solum ab austro Danubij flumine â septentrione, Britannico Oceano & mari, quod Balthicum uocant, undique claudebatur. Hæc de ueteri Germania, te minime ignorasse putamus.

Cornelius Tacitus.

Quãta olim fuerit Germania.

Veterem cum noua Germaniam comparans, intra Rhenum Danubiumq; antiquam contentam asserit. Quæ ad Germanos defecerunt regiones enumerat, eamq; potius à germinando quam à Gallorum fraternitate sortitam nomen contendit, Cap. I I.

COmparemus ergo cum ueteri nouam, & primum de amplitudine dicamus. Danubius ac Rhenus qui quondam Germaniæ limites clausere, nũc medios Germanorum dilabuntur agros. Belgica regio, quæ Galliæ prius portio tertia fuit, nunc maiori ex parte Germaniæ cesit, lingua & moribus Theutonica. Heluetij quoque gens, antea Gallica, in Germanos transiuere. Rethia tota & ipsum Noricum, & quicquid Vindelici nominis inter Alpes Italas, ac Dannbium fuit, ad Germanos deficit. Ita ut etiam Alpes ipsas cœlo uicinas, & perpetua niue rigentes, nomen Germanicum penetrans, in Italia quoque

Belgica regio.

Heluetij.

quoque sedes posuerit. Brixione, Merane, Bubrano'que in ualle Athesis occupato. Austria, quæ apud priscos Pannonici iuris fuit, & Norici portio in Germanicum nomen conuersa est. Stiria, quam ueteres Valeriam uocauêre, Theutonicum morem atque imperium subijt. Carni quoque, quos modò Corinthianos, Carniolosq; nominant idem fecêre, ita ut fontes Draui Sauiq; nominatorum fluminum, Theutonici iuris existant. Neque Alpes ullæ inter Italiam atque Germaniam sunt. Quarum summa cacumina non possideant. Theutonici, qui ad Orientem non modò Albim, sed Oderam ac Viscellam transmiserunt, & in ipsa quidem occidentali Sarmatia, Vlmerigorum, & Gepidarum agros inuasere: Nam & Austria trans Danubium, & Morauia & quidquid Silesitæ ultra Oderam possident, Sarmatici quondam fuit soli, quin & in Oceano & Balthico sinu, mediis insulas sui iuris fecere Theutones: Adeoq; uestra natio germinauit, ut nomen uestrum uerius à germinando tractum putemus, quã Straboni consentiamus, qui Germanos quasi Gallorũ fratres dictos arbitratus, uos forma & moribus & uiuendi rationibus pares illis esse asseruerat, sed tota aberrat uia, quãdo neque similitudo morum, neque ulla uos inuicẽ beneuolentia conciliet, qua fratres appellari possitis, & uetustis utrinque certetis odijs, quamuis circa Rhenum in uestitu tantummodo conformitas quędam existat. Verùm ne longè uagarer, amplior est uestra natio, quàm unquam fuerit at, que adeò magna est, ut nulli gẽti cedat, meritoq; illud affirmare possit, quia deest gens tã grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut adest Germanico populo Dominus Deus noster, ac tantum de magnitudine nationis recensuisse uelimus.

Austria. Stiria. Austria. Schlesia.

Faciem Germaniæ præstantiorem multo quàm quondam, ōmnem amœnitatem etiam in rure Germanis surrepsisse, nonnulla eius oppida & urbes nominatim describendo dicit, Caput III.

FAciei autem ornatum quis ignorat longè præstantiorem esse quàm olim fuit? Nam agros ubiq; cultos uidemus, Noualia, uineta uiridaria, uiolaria, pomaria rustica & suburbana, ædificia plena delitijs, uillas amœnissimas, arces in montibus sitas, oppida muris cincta, splendidissimas urbes, quas plerunque maxima præterlabuntur flumina, aut amnes ambiunt limpidissimi, lapideis aut ligneis pontibus permeabiles. Percurramus parum per Germanici nominis memorabiles urbes, & quanta sit huius nationis gloria, qui nitor, qui splendor, manifestius elucebit.

Facies Germaniæ.

De Colonia Agrippina ubi trium Magorum ossa sunt sepulta, Caput IIII.

QVid ea Colonia quę de coniuge Claudij, matre Neronis Agrippina dicta est, & tria Magorum ossibus illustrata? Nihil magnificentius, nihil ornatius, tota Europa reperias. Templis, ædibus nobilis, populo insignis, opibus clara, plumbo tecta, prætorijs ornata, turribus munita, flumine Rheno & lętis circũ agris lasciuiens.

Colonia.

De Gandauo etsi iuris Gallici uidetur, Germanorum tamen sermonem mores q; amplectitur, Brabantiæ urbes se præteriturum ait, Caput V.

TRansimus Gandauum populosissimam urbem, & totius Occidentis in Brugensi oppido frequentissimum emporium. Quæ licet Gallici iuris

Brabantia. esse uideantur, Theutonico tamen sermone, & moribus uestris utuntur. Transi-
Antuuerpia. mus nitidas Brabantiæ ciuitates, Bruscellam, Mechiliniam, Antuuerpiam ac Louanium. Ad Rhenum reuertimur.

De Moguntia, Cap. V I.

Moguntia. MOguntia urbs uetusta, Variana clade insignis, templorum magnificentia priuatis ac publicis ædificijs exornata, nihil habet quod reprehendere qu eas, nisi uicorum arctitudinem.

De Vuormatia, Cap. V I I.

Vormatia. DE Vuormatia quoq; etsi non magnæ amplitudinis est, nitidam tamen, & amœnissimam urbē esse nemo negauerit. In qua ille Germanorū conuentus habitus est, qui Rom. Ecclesiæ Calixto secundo inuestituram episcoporum remisit, cùm ab Ottone primo usque in ea tempora Germanos episcopos ipsi Cæsares inuestirent. In hac urbe nos præposituram cum palatio nobili obtinemus, & eius causa in schola Heidelbergensi cancellariatum.

De Spira, Cap. VIII.

Spira. NEc Spiram quisquam contempserit populo plenam, & magnificis ædibus ornatam. Cuius nobile templum, quamuis anno Iubilei conflagrauerit, ita tamen postea restauratum est, ut fœlix incendium illud fuisse uideatur. In hoc templo non pauci iacent Cæsares, inter quos Rudolfus situs est: Is qui Austriæ familiæ auctor habetur.

De Argentina, Cap. I X.

Argentina. ARgentinæ uerò tantus splendor, tantum decus, ut non abs re id nomen ei inditum fuerit. Quę similitudinem Venetiarum exhibet, multiplicibus diuisa canalibus, quę naues in omnes ferme plateas uehūt, eo salubrior atq; amœnior, quòd Venetias salsæ & graue olentes, Argentinam & dulces & perspicuę percurrunt aquæ: hinc Rheni brachio, inde tribus alijs fluminibus urbem intrā-
tibus, & triplicem murorum ordinem ambientibus. Ecclesia pōtificalis, cui monasterio nomen est, secto lapide magnifice cōstructa, in amplissimam fabricam assurrexit, duabus ornata turribus, quarum altera quæ perfecta est, mirabile opus caput inter nubila condit. Sunt & alia sanctorum delubra, & monachorum cœnobia, & amplitudine & ornatu splendidissima. Prætorium excellens, & ciuium ac sacerdotum ædes, quas nec reges incoluisse piguerit.

De Aquisgrano ubi Theutonicorum Cæsarum statuæ uisuntur, Indusium beatæ Virginis ostenditur: Vbi & Caroli Magni caput reliquijs adiectum Caput X.

Aquisgranū OMisimus Aquisgranum, Germanici regni sedem, ubi palatium illud tota Germania nobilissimum Cæsarum, qui ex Theutonicis uere petiti sunt, egregias ex lapide statuas ostentat, & delubrum insigne in quo reges unguntur, singulis decennijs beatę Marię uirginis interiorem uestem quam camisiam uocant, uenerabile sacrum populo uisendam exhibet, & Magni Caroli caput inter reliquias seruat.

De

De Treuiri quæ Roma uetustior est, Basileæ, quia de ea antea mentio facta est, hîc mentionem non facit, pariter & Constantiæ, cùm utraq; à Concilijs clara censeatur, Cap. XI.

OMissimus & Treuerim metropoliticam sedem, cuius aûctorem Atrebam asserũt, Nini & Semiramis filium, & Roma seniorem trecentis & mille annis affirmant. Sedente autem beato Petro salutiferam Christi religionem inbuisse. De Basilea non est cur uerba fiant, quandò eius regendi modestia, & grauitas apud omnes peræquè gentes in notitia sit. Cùm nostra illic tempestate, generale cõcilium coactum fuit, quod totam tremefecit Ecclesiam. Pari modo & propter sinodi receptionem nec Constantia prætereunda est, interduos lacus constituta, quos Rhenus implet atque exonerat.

Treuiris metropolitica sedes.
Basilea.
Constantia.

Enumerat Heluetiæ oppida, quæ à splendore summopere extollit, & primò de Berna, Cap. XII.

ESt memorabile oppidum in Heluetijs, quod Bernam uocant, cuius consulatus quotiens in bella progreditur facilè in armis, uiginti milia pugnatorũ exhibet. Turegum quoque & magnum & splendidum oppidum, ad lacum situatum est, quem Lemanus fluuius patrem habet. Vnde Alemannos dictos nonnulli autumant. Hunc hodie fluuium Limachium appellant, qui propter balnea tota Germania illustria, in agro Suitensium effluens, non longè ab oppido Lauffenbergio in Rhenum exonerat. Trãsimus Campidonam, & Memmingam illustria oppida, Augustam Vindelicam (S. Vdalricus huic præsidet, qui Papam arguit de concubinis) ad Licum fluuium iacentem. Haud facilè inuenies quæ ciuitas altera superet, siue nitorem urbis siue populi & cleri diuitias, & Rei publicę formam contempleris.

Turegum. Zürich. Limager See, Campidona. Memmingẽ. Augusta Vindelica, Lechs

Enumerat Bauariæ oppida, quæ à splendore summoperè extollit, Caput XIII.

IN Boiaria uix oppidum reperias cuius munditias non magnopere admire-re. Saltzburga quæ de fluuio dicta est cui adiacet, olim Aruiniæ nomen fuit, metropolitica sede, & diui Roberti uetussimo templo insignis, nihil est, quod ad splendidissimæ ciuitatis magnificentiam desideres, siue publica spectes, siue priuata opera.

Saltzburga.

De Ratispona, ubi diui Dionisij corpus quiescit & alijs quibusdam urbibus, Cap. XV.

MAior tamen ea est Ratispona, beatissimi Apostoli Petri delubro & ponte, quo Danubius transmittitur lapideo, & pluribus sanctorum Ecclesijs memoranda. Atque in primis S. Emerammi monasterio in quo Leo pontifex maximus beatum Dionysium ex Parisijs pro furto deductum iacere affirmat. & in hac urbe sæpe Theutonici Cæsares habuere conuentus, & Conradus cùm iturus esset in Asiam maximus certe Monachi nitor, nec minus Strobunge, Lantzhute quoque, & Burckhusen haud facile platerarum mundicias, atque ædium magnificentias retulerimus.

Ratispona.

Strobingen-sen. Burckhausẽ

De Patauia ubi Danubius Oenusq; confluunt,
Caput XV.

Patauia. Passau. PVlcra est & amœnissimo sita loco Patauia, hîc Oeno & inde Danubio perfusa. Nam ibi maxima hæc duo flumina inuicem coniunguntur, tam pari magnitudine, ut non facile iudices cui uictoria cedat, quamuis iudicio ueterum superior Danubius Oeno auferat nomen.

Describit ciuitates Austriæ, intra quas Nouæciuitati primas tribuit. Quanquam clariorem Viennæ quæ quondam Flauiana dicta mirabile turris sancti Stephani ædificium adfert, Prænominataq; oppida in noua continenti Germania, per Epilogum concludit.
Caput XVI.

Austria. Noua ciuitas Vienna. Flauianum. IN Austria complura sunt oppida digna nomine, inter quæ Nouaciuitas non infima est, incolatu diui Friderici Cæsaris illustrata. Sed omnium præclarissima est Vienna, prisci Flauianam appellauere, & hic credimus aras fuisse Flauianas, de quibus Ptolemæus commemorat. Hæc ducum Austriæ uetusta sedes, & pallatia digna regibus habet, & templa quæ mirari Italia possit. Ex quibus diui Stephani delubrum admirabilius est, quàm nostris exprimi uerbis queat. Cuius turrim cum aliquando inspexissent Bosnensium legati, & tum artificium, tum altitudinem admirati essent, in eam sententiam uerba profuderunt, ut turrim illam pluris constitisse dicerent, quàm regnum Bosnæ uenundari posset. Tacemus priuatarum ædium splendorem & amplitudinem, quarum non paucas inueniras ad excellentiam fastigiatas. Cæterum hæc urbs & quæ memorauimus oppida extra Germaniam illam tuam ueterem in noua Germania continentur.

Procedit ad enumerandas Germaniæ ueteris urbes. Primoq; de Vratislauia, Germanorum miram potentiam & mari & terra enarrat. Tornense oppidum his adiungens.
Cap. XVII.

Vratislauia Brunna. Olmuntze Gendanum Dantzgen Tornense oppidum ATque neque Germania ipsa uetus, non illustrata est præclarissimis ciuitatibus atque oppidis. Quippe ad Orientem super Oderam Vratislauia iacet, urbs lateritia, non minus, decora quàm potens, cuius olim episcopatum aureum appellauere. Brunna in Morauia nobilior Olomuntio est, quamuis eius pontifici pareat. Inter Prutenos notissima Gendani fama est, terra mariq; potentis oppidi, cuius populum ad prælium exiens, haud minus quàm quinquaginta millia bellatorum educere ferunt. Naues eius in Balthico pelago complures negotiatorum nauigant. Est & Tornetis oppidi haud uulgare nomen, quamuis supra Viscellam ad Sarmatas olim pertinuerit.

Bohemiam Imperio Germ. subesse, eius urbes describendo probat, Cap. XVIII.

Bohemia BOhemia quamuis Sclauonico sermone utitur, sub imperio tamen Germanico esse continet, & moribus utitur Theutonicis, & pauci sunt inter Bohemos saltem nobiles, qui nõ utranq; nouerunt linguam, & undique cincta est ea terra Teutonicis plebibus: Illud quoq; Germanicam esse Bohemiam palam ostendit, quod inter Ecclesias Theutonico tamen sermone instruere populum sacerdotibus permissum est modò, in cimiterijs autem Sclauonico.

De

De Praga capite huius gentis, & alijs quas nominatim affert, & de arce Thabor, Cap. XIX.

IN hac prouincia Praga est gentis, maxima & pulcerrima urbs, nec Hetrusca Florentia minor, nec dissormior, uerum flumine interfecta cui Muldauię nomen est, multo maiori quàm sit Arnus, cuius regia inter opera Germaniæ admodum excellens: Sunt & Colonia & Broda & Lithomericia, & Pilsina, & Litomes, Licia & Pudeuuisa aliàs Pudicea) inter Bohemos insignes urbes. Preterimus Thabor arcem hæreticorum munitissimam, & Nouam domum, & plurima illius gentis populosa & prestantia oppida: prope Oceani ripam, haud pauças ciuitates memoratu dignas inuenias.

Praga Bohemiæ caput.

Bohemiæ, urbes.

Thabor arx hæreticorũ.

De Lubeco & insigni huius urbis auctoritate, Cap. XX.

SEd omnibus præstat Lubecum, altissimis ædibus, templisq; munitum ornatissimis, cuius urbis ea auctoritas est, hæ opes, ut ad eius nutum tria maxima regna, Daciæ, Sueciæ, atq; Noruegiæ, uel admittere uel excludere consueuerunt reges.

Lubecum.

De Lunenburgo, Rostochio, Vuerdia, & Brunsuuiga, unde Otthones Imperatores orti, & alijs, Cap. XXI.

LVnenburgum salinis quondam diues nunc ad egestatem redactum, nam dum cleri bona affectat & dilexit, sua amittit. Est Roschauia, & Magnopolis in mediterraneis, ciuitas Hildesemensis haud contemnẽda: Vuerdia quoq; & Brunsuuicum nobile, Saxonum sedes atq; Otthonum quondã Cæsarum patria. Bremis uetus metropolis, & Danorum gentis in Christo mater, non sine laude nomen habet.

Lunenburgum.

Rostoc.

Brũsuuicum

Bremen.

De Virginopoli ac Martinopoli, ubi Friderici tertij fit mentio, Cap. XXII.

VIrginopolis quoq; magna & insignis habetur, & ipsa inter Saxones archiepiscopalis sedes. Nec Martinopolim quisquam contempserit, quo exlocoFridericus Barbarossa duos fratres de regno Bulgariæ dissidentes, cũ se arbitrũ elegissent, & ad eum in Saxoniã uenissent, concordes domũ remisit. Quis enumeret uel Phrisię, uel Holãdiæ, aut Vuestualię, quot sint memorabiles urbes.

Virginopolis

Martinopolis:

De Traiecto & alijs Phrisiæ, Holandiæ, Vuestualiæq; oppidis, ubi Susatem, urbis obsidionem adfert, Cap. XXIII.

TRaiectum quidam è Phrisijs tradunt, potentem & splendidam urbem. Dodratum excellẽs oppidum, Holandrini suum dicũt. Vuastuali Monasterio gaudent, & Osnaburga & Mindensi & Padelporna, ciuitatibus minime paruipendendis, & oppido Susatensi quod tempestate nostra cum Ecclesiæ Colonensi rebellasset, magnis obsessum copijs, quamuis Saxonię dux Vuilhelmus cum potenti manu Bohemorum inter obsessores dies noctesq; præsens paciscceretur, nulla ui superari flectiq; potuit.

Traiectum.

Dodratum.

Dortrich.

Vuestualiæ urbes.

De Ertfordia maxima Thuringiæ ciuitate, & Egra peramœno Terræ aduocatorum oppido. Quæ Hypotheca Bohemorum facta, Casparem Schlick hominem magnæ fame celebrat, Cap. XXIIII.

Haßia. IN Haßia quoque non pauca oppida commendaueris, sed plura in Thuringia, quorum & maximum & famosissimum est Ertfordia, populo & opibus plena. Nec aduocatorum terra suis laudibus caret, in qua Egra est urbs peramœna, à flumine quo perluitur nominata. Quę quamuis iuris imperij sit. Hypothecamen Bohemorum facta, ad Slickensem familiā deuenit, cuius caput fuit Caspar Slickius, de nobis (ut nosti) optime meritus, uir rarissimæ laudis. Nam trium Cæsarum, qui sibi inuicem succederē, cancellarius, & quidem acceptissimus fuit, & coniugio ducali illustratus.

De Franckfordia ubi Rom. Imperatores eliguntur, Cap. XXV.

Frāckfordia IN Franconia supra Mœnum iacet Franckfordia, inter inferiores & superiores Theutones commune emporium, & urbs quamuis magna ex parte lignea, plurib⁹ tamen palatijs ornata lapideis, in queis & reges haud indignē recipiantur. Templa uero Deo sacra ex secto lapide superbissima uisuntur. Et pons saxeus mirę longitudinis partem urbis trans Mœnum minorem maiori cōiungit. Hic & prætorium nobile, in quo sæpe principes electores conueniunt, de rebus acturi cōmunibus, & hic cùm uacat imperium, Cæsarem eligunt.

Aschenberg Postponimus Aschenburgiam Maguntini tui refugium, & omnium molestiarum laxamentum.

De Herbipoli & Bomberga, in qua S. Henricus quiescit, Cap. XXVI.

Herbipolis. Bamberga. HErbipolis ad eiusdem fluminis ripam sita est, ducalis & pontificalis sedes, templis & ipsa nobilibus memoranda, & arce munitissima. Bamberga quoque illustris ciuitas, delubro & insigni & peruetusto, in quo sanctus Henricus imperator eius nominis secundus reconditus, & miraculis claret. Transimus Forcheym, niueo pane famosam. Et Onspachium, & Rotēburgam, & alia pene infinita Francorum oppida, quorum neque munitiones neque ædificia quisquam contempserit.

Forcheym. Onspach. Rotenberg.

De Noriberga, & eius urbis magnificentia, Caput XXVII.

Regnisia, id est, Nurnberga. NOricorum oppidum flumine Regnissa intersectum, nam hodie Francorum datur, præterire non possumus: Dic rogamus, nam hinc uxorem duxisti castissimam æquè ac pulchram, quæ nam facies huius urbis, qui splendor, quæ amœnitas, quæ deliciæ, quis cultus, quæ forma regiminis, quid illis ad ciuitatem omni ex parte perfectam desiderare quispiam poterit. Quis uenientibus Franconia inferiori & procul spectantibus eius urbis aspectus, quæ maiestas, quod decus ab extrà uisentibus, quis intus nitor platearum, quæ domorum munditię? Quid sancti Sebaldi templo magnificentius, quid splendidius diui Laurentij delubro? Quid arce regia uel superibus uel munitius, quid fossa, quid mœnibus, illustrius? Quot ibi ciuium ædes inuenies, regibus dignas. Cuperent tam egregiè Scotorum reges quàm mediocres Nurnbergæ, ciues habitare.

Templū sancti Sebaldi.

Vlmam

Vlmam Sueuiæ Reginam nominat nonnulla Bauariæ, oppida à splendore laudat. Quasdam Italiæ urbes nostris anteponit. Si tamen natio nationi conferatur, non est unde possint Germanis ciuitatibus italicæ anteponi,

Cap. XXVIII.

HAbent Sueui trans Danubium multas urbes, regina tamen omnium Vlma est, & ipsa potens, & non immunda ciuitas. Baioarij quorum Danubio tranimisso Aichstatū & Ambergā & Nouum incolunt forum, & alia non pauca oppida. In queis multæ munditiç, multus nitor, quod si quis ad uerū loqui uoluerit, nullam esse in Europa nationem, cuius urbes mundiores, aut aspectu lætiores quàm in Germania sint. Possis forsitan ex Italicis urbibus nonnullas præferre, ueluti Venetiam, Genuam, Florentiam, Neapolim, quibus summus ineſt splendor atque ornatus. At si nationem nationi conferas, non est quod urbes Italiæ Germanicis anteponas. Noua quodammodo Germaniæ facies, & urbes ipſæ ueluti nudiusquartus constructæ, atque erectæ uidentur, quibus ex rebus constat nationem tuam non esse inopem, neque enim pauperes ædificare magnifice possunt. Quod si uerum est, quod aiunt, ibi opes esse, ubi negotiatores, fatearis necesse est, opulentissimos esse Germanos, quorum pars maxima lucris inhians, mercaturis intenta, alienas longe lateq; prouincias peruagatur. Ac sicuti Flaccus ait: Per mare pauperiem, per saxa per ignes, fugiens, non nisi diues domum reuertitur.

Vlma.
Amberga.
Nouū forū.
Flaccus.

De montibus & fluuijs in quibus auri uenæ reperiuntur, disserit. Ex hoc Germaniæ paupertatem tollere nititur,

Caput XXIX.

ADde uenas auri, atque argenti (quas ignorauere priſci) apud uos repertas. In Bohemia montes Cuthni in Saxonia Ranſzbergij, in Misnia Fribergi, uiliorni niualesq; montes, inhaustas ostenderunt argenti mineras, duces Austriæ in Oeni & Anasi uallibus, & in Stiria apud S. Leonhardum, non longe à Vuolfspergia argentum effodiunt. Rhenus aureas euoluit arenas: Et in Bohemia fluuij sunt in queis ad magnitudinem ciceris aurea grana Thaboritæ reperiunt: Ferrum & auri chalcum & æris, magnam uim domi reperitis. Vngaria quoque aurum quod apud Cremeciam reperitur. Ipſi plerunq; contracti magnasq; domum refertis opes, quod ſuppellectiles ueſtræ demonſtrant & onuſtæ argento q; menſæ. Nā quod diuersoriū apud uos est, in quo non argento bibatur, quæ mulier nō dicimus generoſa sed plebeia, nō auro nitet? Quid torques equitū, & equorum frena ex auro puriſsimo referamus, & tot calcaria & uaginas gemmis rectas, & annulos, & balthea, & thoraces, & Galeas auro fulgentes. Quāta in Ecclesijs preciosa ſuppellex? Quot reliquiæ, margaritis & auro ueſtitæ, quis ornatus altarium ac sacerdotum? Quid sacrarijs ueſtris inueniri ditius poteſt. Pauper ipſe ingenio fuerit, qui Germaniam pauperem affirmauerit, etſi uobis non quæ cupitis omnia ſuppetant, nam ea paupertas animi, & auaritia potius appellanda est, quam rerum indigentia. Hæc deopibus parcè dicta ſint. Depotentia nationis paululum differamus.

Cuttenberg.
Raſzberg.
Freiberg.

Triplicem Germanorum potentiam principes, & ſi unum habeant caput: ſuis tamen libere imperare. Tres primos Archiepiſcopos, quid unicuiq; officij dignitatiſq; ſit, deſcribit. His Saltzburgenſem confert eius ſuffraganeos inſerens,

Caput XXX.

POtentia Germanorū trifariā diuiſa est. Nā & prælati, & principes, ciuitates, quamuis unū habēt caput, in cuius uerba iurant Imp. Rom. ſuo tamen arbi-

De potentia Germanorū

trio plerunq; mouentur, & quasi libertate potiantur, suis imperant subditis: Inter prælatos tres sunt, opibus & potentia excellẽtes, atq; inter electores Imperij honoratiores. Archiepiscopi & Archicancellarij, per Germaniam Moguntinus, & per Gallias & regnum Arelatense Treuerensis. Per Italiam Colonienſis: & Moguntinus quidem electorum decanus habetur, qui ubi necessitas ingruit, eos conuocat. Treuerẽsis uero in electione Imperatoris primam habet uocem. Colonienſis autem nõ modo electoratus honore fungitur, sed etiã dux Vuestphaliæ appellatur. His maximę ciuitates parent, opulentissima oppida, multi & potentes nobiles. Nec minor his Saltzburgensis episcopus est in sua prouincia legatus (ut aiunt) natus, qui ut latam diocœsim suam melius regeret, quatuor episcopatus suo ære fundauit. Gurcensem, Secouiensem, Clementem, & Louantinum, Hisq; curam plebium & sacramentorum commisit, quos ipse sibi assumere & conseruare consueuit. Sed Gurcensis, ei subtractus est, quem Romana sedes (nostra tempestate) assumpsit. In prouincia uero suffraganeos habet, Saltzburgensem: Ratisponẽsem, Patauiensem, Frisingensem, & Brixionẽsem, ex quibus episcopatibus, Patauiensis ditior, Ratisponẽsis dignior, Frisingẽsis antiquior, Brixionẽsis tutior haberi consueuit. Possident tamen omnes munitas arces, & oppida plena populis, plurimosq; uasallos habent.

Primatem Germaniæ cum cæteris Archiepiscopatibus describit, Cap. XXXI.

NAtionis uerò Germanicæ primatem Magdeburgensem archiepiscopum esse tradunt, & ipsum potentem atq; opibus abũdantem. Bremensis sextus archiepiscopatus Germanorum, & ipse temporali dominio ualidus. Septimus Germanicę nationis archiepiscopus inter Bohemos Pragensis est, qui cum esset olim suffraganeus archiepiscopi Moguntini, instante Carolo Imperatore Sigismundi patre à diocęsi Moguntina, ad eius metropoliticum sublimatus est. Sed hic nutante regno, & Husitarum hęresim admittẽte ad inopiam deductus, iam pluribus annis pastore caret. Inter Germanos episcopatus florẽtissimi sunt Leodiensis, & Traiectensis, quorum si alter in bellum exeat, non minus quadraginta milibus pugnatorum à subiectis sibi populis in armis habebit.

Herbipolensis Ecclesiæ potentiam Rudolphi de Scherrenberg de ea optimè, meriti mentionem faciendo palam facit, Cap. XXXII.

FVit & Herbipolensis quondam ditissimus, quem Francones ducem suum appellauere. Hodie uero per Rudolfum episcopum de Scherrenberg ibidem ditatus & gloriosus, qui ultra uiginti mille bellatores in armis bellicis, ad prelium ducere potest. Prouincia multis nobilibus, ciuitatibus, oppidis, castellis, castris ingentibus, uillis ornata. Mœnus flumen, nauigijs regijs per medium rigans quæ Francia orientalis nuncupata est, magnis & potentibus uasallis comitum, militum, plurimorum nobilium, quasi sine numero circumsepta est.

Bombergensis Episcopatum celebrat ultra quinquaginta apud Germ. episcopatus esse, quibus si Italici comparantur parrochiæ nuncupandæ uenient quasdam Ecclesias à susceptione extollit, Cap. XXXIII.

Bõbergensis Ecclesia. BOmbergensis quoq; diues Ecclesia quamuis inter Francones sita est, in Carintia tamen haud parui momenti oppida possidet. Villachum ac Valsperg am omittimus, Augustensem, Constantiensem, Hildesemẽsem, Hestadiensem, & alias complures Ecclesias, ne tædium longitudo pariat. Nam supra quinquaginta Pontificiales Ecclesias, Germani possidẽt. In quis diuites & potentes episcopi præsident, quibus Itali nostri comparati, plebani potius quam pontifices dicendi uidebuntur. Adde canonicatus, & prælaturas Ecclesiarũ, quot pro possi-

Augustensis episcopus.
Constantien.
Hildenens.
Hestadiens.

turæ

turæ, decanatus, archidiaconatus, quot in his uiri nobiles, quot iuris interpretes, quot theologi relident. In Colonia & Argentina, ad primas præbendas non admittuntur, nisi genere illustres. In Mogũtina uetusta & magna ei nobilitas probanda est, qui canonicatum expetit: In Leodio supra septuaginta præbendas in maiori Ecclesia numerant, in collegiatis delubris multo plures. Vratislauiensem episcopatum aureum quondam appellauere, sed hunc quoq; Hussitarum uesania extenuauit. Hîc canonici dum canonicas horas canunt, rubeis cappis ornati cardinalium Romanæ Ecclesiæ morem tenent.

Supra quinquaginta episcopatus habet Germania.

Aureus episcopatus.

Vratislauiensis.

Præterit monasteria, Abbates & Abbatissas principum fungi honore, Theutonicorum ordinem regibus parem dicit, Cap. XXXIIII.

PRæterimus opulẽtissima monasteria, in queis & monachi ubertim aluntur, & hospitalitas cuiusuis generis hominum magnifice obseruatur: Scimus q; nonnullos abbates adeò in Germania potentes esse, ut principatus honore fungantur, qualẽ & Fuldensem & Erberdensem. Quid dicimus. Abbatissas quoque eiusdem honoris participes nouimus, sicut in Stiria & Colonia, ad undecim millia uirginum in quo monasterio solum illustres fœminæ admittuntur. Præterimus ditissimas præposituras, opulentissimos Archidiaconatus, uberrimos decanatus, & parrochiales Ecclesias, Italicis episcopatibus præferendas. Tacemus ordinem Theutonicorum fratrum, quos Beatę Merię uocant, qui nunc Polonico bello uexantur, quorum potentia par regibus est.

Nusquam illustriores reperiri familias quàm apud Germanos, præcipuas enumerando testatur, immaturam Ladislai Vngariæ regis mortem mira uehementia describit, gentis Venetæ inconstantiam in Franciscum Volscarum collatam ingratitudinem manifestando deducit, Cap. XXXV.

AD principes laicos impetus festinat orationis. Nam quæ natio sub cœlo est, tot clarissimis domibus, tot illustribus exornata principibus, ubi tantam inuenias, aut nobilitatem, aut armorum gloriam, sicut apud Germanos Relinquimus militares familias, & quæ torneamento dignę censentur, quorum pene infinitus est numerus, quamuis nulli ad id genus ludi admittantur, nisi uetustissimi nobiles, quorum progenitores supra memoriam hominum, & opibus & potentatu claruerunt. Eas recensere prosapias longum est, quæ idcirco dici imperiales queunt, quoniam ex his sæpe lecti Imperatores fuere, inter eas clarissimæ sunt Australes, ac Baioarica, uetustissima Brũsuuicensis mater Otthonum, de Romana Ecclesia optime meritorum. Suuetia iam defecit, & Lucenburgensis. Quæ cùm Romano imperio, ditissimum Bohemię regnum, Stirensibus impulsis ad se recepit. & ferocissimis Europę gentibus Vngaris imperauit, insuper ex hoc sanguine nobilissimus adolescens Ladislaus ex filia Sigismundi Cęsaris, & Alberto Imperatore natus. Sed hunc crudelissima lues VIII. Kalendas Decembris, anno superiore apud Pragam, Bohemię metropolim immatura & acerbissima morte præripuit, quo moriente, & nobis simul & multis gentibus obtenebratus est sol. Expectabamus fœlices nuptias, & orbe toto nobiliores. Iam enim legati Margaritam accersitum ierant, Christianissimi regis Francię Caroli generosissimi filiam, sed dum altissimi sanguinis coniugium præstolamur, immaturum (prohdolor) funus extulimus. Eumq; regem sepeliuimus, in quo suarum miseriarum unicum solamen, & Vngari & Bohemi, & Australes & Slesitę, & Moraui reposuerant. Nec Christianus erat, qui non fidelium reipub. multa

De potentia & numero Principum Germaniæ.

Domus Australis.

Domus Baiuarica.

multa & magna de tanto rege promitteret. Sed illi sua mors uita fuit, qui ex obscurissimis tenebris ad candidam lucem migrauit. Nobis eius obitus funestus est, & deflendus, qui tot regna, tot gentes, tot dominia, suo priuata domino in bello cernimus, & crudeles strages, sed leuius sit patientia, quicquid corrigere est nephas. Nec nos potuimus ei regi uerba non consecrare, quo cum puero diu uixerimus, & à quo fuimus supra meritum dilecti, cùm inter scribendum eius orbitus enuntiaretur. Insignis hic annus fuit, ex tanti regis interitu, & Ioannis Portugalliæ infantis filij, qui à rege Ciprio gener ascitus, & in spem regni assumptus, non sine opinione erepti ueneni diem obijt, simulq; Francisci Foscari Venetiarum ducis, qui, cùm quinq; & triginta annos magna gloria patriam gubernasset, tandem (ut sunt inconstantes populi & nihil nisi præsentem utilitatem pensitantes) grandeuus senex abire magistratu iussus est, qui ea per motus suorum ciuium ingratitudine, & palatium simul & uitam reliquit.

De Sacri Rom. Imperij primatibus, Electores & sacros & seculares describendo, Marchionum item adferendo dignitatem, Comites quoq; Imperij habenas gubernasse ex quibus Morsatenses præcipuè celebrat.
Cap. XXXVI.

SEd iam reliqua prosequamur, quandō & in regē & in aratorem par est mortis imperiū. Diximus treis Archiepiscopos in electione nō imperatoris uocē habere, sed cum his quatuor alij concurrunt ex principibus sæcularibus. Quorū primus est, Rex Bohemorum, secundus, comes Palatinus Rheni, qui & unus est ex domibus Baioarię, id est Bauarię, tertium ducem Saxonię facitūt, & ultimum Marchionem Brandenburgensem. Et in curia quidem Cæsaris, Rex Bohemię, pincernę officium implet, Comes dapiferi, Dux Marscalci, Marchio camerarij. Preter has, ducales domus quam plurimæ Slesiæ, Pomeraniæ, Magnipolenses, Montenses, Cliuenses, Geldrenses. Inter marchiones post Brandenburgensem clarissimi Badenses & uetustate insignis, & opinione iustitię. Comitum quoq; claritudo inuenta est, ut ex his quoq; Imperatores lectos inuenlamus. Siquidem comites de Nassau, & de Nigra ciuitate imperauerunt. Lantgrauius Hassię, qui hodie uiuit (ni recusasset) Imperium obtinuisset. Sunt & comites Morsatenses admodum insignes, ex queis ętate nostra quatuor prestantissimi principes claruere Iohannes qui patris comitatum administrauit, Theodoricus qui Colonien. Ecclesiæ iam supra sex & quadraginta præsidet annos, & contra Susatenses (qui à se desciuerant) multa & magna prælia uario euentu gessit. Hēricus qui longo tempore Monasteriēsem gubernauit Ecclesiam, & Vualramus, qui cum electus ad episcopatum Traiecten. non admitteretur, diuturno bello eam regionem afflixit:

Suuartzenburg.

Zost.

Primas comitum Germ. Vuirtenburgenses tenere, defeciſſe Cilienſes, Philippum, etsi Gallus, tamen Germanorum oppida obtinere, libertatem ciuitatum Imperij effert, quæ proprio marte principibus resistere queunt.
Cap. XXXVII.

SEd omniū comitum qui hac tempestate apud Germanos clarent, potentissimi sunt Vuirtenbergenses, nec Marchionibus, nec magnis ducibus inferiores. Cilienses comites nostro tempore defecerunt. Ipse quoq; Philippus Burgundionum dux, quamuis Franciæ regio sanguine ortus, latissimas tamen & diutes in Germania prouincias obtinet, quorum causa Imperij uasallum se se fatetur. Quam igitur & qualem esse horum potentiam principum, quam formidabilem

Comites. Vuirtēberg. iam Duces.

bilem, quàm terribilem putas, si uno in loco se ostenderit. Ciuitates etiam quas uocant liberas, quomodo Imperatori solùm subiiciuntur, cuius iugum instar est libertatis, nec profectò usquam gentium tanta libertas est, quanta fruuntur huiusmodi ciuitates. Nam populi, quos Itali uocant liberos, hi potissimè seruiunt, siue Venetias inspectes, siue Florentiam, aut Senas, in quibus ciues præter paucos, qui reliquos ducunt, loco mancipiorum habentur. Cùm nec rebus suis uti, ut libet, uel fari aut quæ uelint, & grauissimis opprimantur pecuniarum exactionibus. Apud Germanos omnia læta sunt, omnia iocunda, nemo suis priuatur bonis. Salua cuique sua hæreditas est, nulli nisi nocenti magistratus nocent. Nec apud illos factiones sicut apud Italas urbes grassantur. Sunt autẽ supra centum ciuitates hac libertate fruentes. Nã & in Rheno & in Danubio multæ sunt, & mari proximæ, quas appellant Stagnales, quàm plurimæ, & in mediterraneis aliæ quæ simul fœderatę iniurias principum propriis armis propulsant:

De Germanorum militari disciplina, & ab eis inuenta bellica arma describit. Trium præcipuè qui omnium capitaneorum primates dici merentur mentionem adfert. Tres apud Germ. quibus exercitum in Turcas mouendorum prouincia tradi potest Cap. XXXVIII.

QVanta insuper uel principum uel ciuitatum armorum peritia est, quantus usus, quanta reipublicę disciplina? nati in Germania pueri, prius equitare quam loqui discunt, currentibus equis immobiles hærent sellis: Lanceas dominorũ longiores ferũt, frigore ac sole durati, nullo labore uincuntur. Nullus inermis, aut Sueuus aut Franco ingreditur, eques. Tam leuiter arma quam membra fert Germanus miles, non solum nobiles, sed ciues quoque ex plebe nati, armamentaria in domibus habẽt, & ad quosuis inopinatos incursus siue rumores, armati continuò prodeunt. Stupenda res est, ac fermè incredibilis, quanta peritia est equos erigere, flectere, atque in gyrum ducere, quanta sagittandi ars? quãtus lancearum usus? quę clypeorũ agilitas? quę stringendi uersandiq; gladiorum scientia? quę machinarum, & tormentorum experientia. Rideant necesse est reliquas armorum officinas, qui publica Theutonicorum armamentaria uiderint, totibi maiores balistę, tot catapultę, tot arietes, tot insolitę magnitudines ęnea tormenta uisuntur, quas uocant bombardas, quarum & ipsi Theutones reperatores habentur. Adde singularum copiarum duces, quos nostra ferunt tempora. Quot apud uos claræ militię ductores? Quanta est Alberti Marchionis Brandenburgensis gloria, siue fortitudinem hominis, siue prudentiam exigis. Is, ab ipsa pueritia in armis educatus, pluribus interfuit bellis, quam alij fortasse legerint. Militauit in Polonia, Slesia, Prussia, in Bohemia, in Austria, in Vngaria, in Saxonia, in omni fermè Germania, nullus est angulus quem nõ calcauit arma tus: Duxit exercitus copiosos, prostrauit ferocissimos hostes, cũ Nurnbergensibus nouem bella gessit, in octo uictor, in uno uictus, in quo proditione deceptus, quamuis pene captus uideretur, fortuitum tamen periculum subita superauit industria, primus in cõgressibus iniit pugnam, uictor ultimus excessit. De prælio ad singulare certamen sæpius inuitatus, nunquam non strauit hostem, in ludo quo soli tecti clypeo, acutis sese lanceis impetunt, septies & decies cucurrit, semper uictor, & in oppugnationibus urbium sæpe primus murum ascendit. Qui ex rebus non iniuria Theutonicus appellatur Achilles, nec profectò quem quam nouimus, quem nemo sibi præferat, at ne dicamus, æquet. Neque enim in hoc homine tantùm militares artes, & imperatoriæ uirtutes, singulari quodam modo relucent, sed nobilitas generis, proceritas corporis, uenustas faciei, facundia

De disciplina miliari Germanorũ

Alber. Marchio Brandẽburgen.

Theutonicus Achilles Marchio Albertus.

Vuilhelmus dux Saxoniæ

Georgius rex Bohemorum.

Ioannes Huniat pater Mathiæ regis Vngariæ

Ioannes de Pulchro mõte.

dia linguę, & uirium robur, admirabilem eum efficit: Sunt Vuilhelmus Saxonię dux, & Georgius Poggiobracius Bohemiæ gubernator, quos laborum aut tẽpus rerum experientia multarum, oculus in rebus subitis perspicacissimus, incredibilis diligentia, solertissima cura, animus inquietus, & nullius ignarus artis, quas bello necessarias ducunt, Alberto proximos faciunt. Nec minor his Ioannes Giscka Bohemus, qui gubernatorem Vngariæ Ioannem Huniatem fama clarum, & magnis fultum copijs, sæpe cum parua militum manu fudit. Incipit & nunc nomen sibi assumere Ioannes comes de Pulchro monte, qui Prutenorum causam fratrum defendens, magnas per hos dies Polonis strages intulit. Longum esset quoque omnia eius gloriosa facta recensere. Per Saxoniam, Sueuiam Franconiam'que, uiri clari sunt, numerosos exercitus ducere, idonei. Siquidem & Fridericus Palatinus princeps Elector, & Albertus Germanus Imperatoris, & Carolus Marchio Badensis, digni omnium iudicio existimati sunt, qui copijs in Thurcos educendis præficerẽtur. Hęc Germanię tuę potentia est Martine, quàm si uel paruã, uel contemnendã dixeris nõ deerunt, qui te cõtemnant potius, & parui existiment esse iudicij. Sed quoniã de potentia satis dictum est.

In ueteri Germania Deo nullum exhibitum cultum, rapinas laudi fuisse dicit, quæ etsi unicæ ex prisca Barbarie remanserint, nulla tamen libertate, sed acerbissimo rotatu puniri, à iusticiarijs omnia recte ductu legum commendat administrari, Cap. XXXIX.

DE moribus ac doctrina nonnihil dicendum occurrit, ut liqueat in hac etiam parte nouam Germaniam, ueterem illam (quam tãtopere laudas) haud parum superare. Et mores quidem hominum, duplici uia considerauimus. Nam & quales homines inter sese ipsi sint, animaduertere solemus, & qualem Deo cultum exhibeant, utramque superiùs uitam apud ueteres Germanos, auctoritate maiorum ostendimus, monstrauimusq; in natione tua nec Deo uerum cultum exhibitũ fuisse, nec Theutones ad ciuilitatis usum exercitationem habuisse, qui & uana simulacra colebant, liberos suos dæmonijs immolantes, & rapinis cædibusq; gaudentes, iniuriari uicinis eosq; bonis spoliare, in laudem trahebãt. Nunc uerò ad uos legittima Dei nostri sacra deducta sunt, & unum cum sancta Romana Ecclesia uerum & unicum Deum Christum colitis. Et quamuis adhuc ueterum nonnulla rapinarum uestigia maneant (nam hoc unum est ex prisca barbarie uitium, inter uos relictum) non tamen ea prædarum libertas est, quæ olim fuit, nec ciuitates uestrę prędonibus, si quando in potestatem earum ueniunt, ueniam prębent, sed eos acerbissimo rotarum supplicio enecant. Vidimus iudicia uestra, & concilijs uestris, quę de Repub. gerebantur (ut antè diximus) ipse pius interfuimus, omnia & prudenter & grauiter administratis, nẽc facilè à recto tramite deflectimini, nec uobis ciuiles leges, nec iura desunt pontificalia, litterę quoque & omnium bonarum artium studia apud uos florent.

Germaniam à publicis literarum gymnasijs commendans in ea nihil præter sermonem patrium remansisse barbari, hoc dicit, Cap. XL.

De uniuersitatibus Germaniæ.

SCholas quoque & in quibus iura & medicina, & liberales traduntur artes, in Germania plures urbes habent, ut Colonia Agrippina, Heidelberga, Praga, Ertfordia, Liptzka, Vienna, Rostauia, Basilea, in quibus doctissimi uiri claruerunt, & nostra quoque ętate non inferiores clarent. Suscipiuntur hospites apud uos lęto uultu, sed meliore corde. Et primarij urbium ciues hospitalitatem exercent

exercent, apud quos nulla suspitio fraudis esse possit. Conuiuitis humanissimè omnibus gentibus, tantusq; hodie & hominibus uestris, & rebus nitor interpositus est, ut præter sermonem patrium nihil inter uos Barbarum remansisse uidea tur. Quod si qui uos amplius appellauerint Barbaros, ipsi uerius Barbarissimi censendi fuerint, siue Græci siue Latini. Atque utinam terra Macedonia, Thessalia, Achaia, Peloponesus, Epirus, & illa Italiæ ora, quam olim magnam Græciam uocauere, non minus quàm Theutonia Barbarizaret. Profectò non est quod priscam Germaniam quouis pacto huic præferas, quam modò uidemus. Vellemus, à mortuis aliquis ex illis ueteribus resurgeret: aut Ariouistus ille, qui copias ingentes ex Germania ducens, cum Iulio pugnauit in Gallia: aut Bannascus, qui Claudio imperante, ferocissimam Cauchorum gentem, contra Romanos armauit: aut Vannius qui Drusi Cæsaris amicitia potens, Sueuis præfuit: aut Vangio & Sidio, qui Vilpium Hermundurorum regem regno pepulerunt: aut Veritus & Maloriges.

Frisiorum ad Neronem legationem commemorat. Priscos, si reuiuiscerent nequaquam hanc, quæ nunc Germanorum est, terram, suum dicturos natale solum. Caput XLI.

FRisij qui legationem quondam ad Neronem gerentes, cùm intrassent Pompei theatrum, uidissentq; quosdam cultu externo inter senatores sedere, & intellexissent, id honoris earum gentiũ legatis exhiberi, se Germanos esse exclamauerunt, ac digredientes inter patres consedêre, ob quam rem amplos Nero ciuitate donauit. Nam si quis horum nunc audiri posset, audiremus eum profectò Germaniam non esse aspernandam terram, quã tam bene cultum uideret. Negaret enim quiuis horum, eo se loco natum, in quo tantũ nitoris, tantũ urbanitatis atque humanitatis, & in exercitibus Romanorũ probatus, itẽ Ciuilis ille, qui sub Vitellio ac Vespasiano res Germanicas conturbauit. Omnes isti, si modo tumulis excitarentur, fortasse oculos attollentes, cũ inde Vrsam & Triones & Cynosurã cernerent, primò cœlũ recognoscerent, & illis sub astris se quõdã natos reminiscerẽtur. At cũ terra inspicerẽt, hinc florẽras urbes, inde mores hominũ placidos, & agrorũ culturã & sacrorũ ceremonias inspicerẽt, negarent suam esse patriam, cuius faciem non recognoscerent. Quæ cum ita sint, audes dicere nationem Germanicam ad inopiam esse redactam, & ancillæ formam induisse, quæ domina gentium fuit, & imbecillem iacere spretam atq; contemptam? Non est pauper Germania ut probauimus, non impotens, non contemptibilis, quæ tam longe lateq; dominatur, quæ tot clarissimis urbibus illustrata est, quæ tot principes habet, armorum gloria potentia sublimes.

Nota historiam de Frisijs

Imagines tuas cœlestes.

Imperij uires non parum defecisse, etsi omnia facilè recuperari possent, nonnihil auri quandoquam Rom. mittatur, ad nos tamen redire dicit. Non illic potentiam ubi auri abundantia latet, exemplariter deducit. E Scithia Turcarum originem exilijsse dicit. Cap. XLII.

SEd replicabis sub Carolo Magno uestri generis principe, non Germaniã solũ sed Galliam atq; Italiã, Hispaniã Theutonibus paruisse, sub Ludouicis, sub Ottonib. sub Henricis, sub Fridericis, altissime dominati sumus: Nunc extra Theutonicam linguam nihil obtinemus, quando nec Italia iuris Imperij certissima

ſima prouincia imperata facit, fatemur imperium ueſtrum non eſſe, quod ſub Carolo fuit, & potentiam ueſtram poſt Fridericos non parum defeciſſe. Sed nihil eſt quod Apoſtolicæ ſedi poſsis imputare, nec ſi uelit natio ueſtra, impediri poteſt, quin priſtinam gloriam recuperet. Tibi perſuaſum eſt unicum eſſe nationis tuæ malum, quòd aurum ueſtrum ad ſedem Apoſtolicam referatur. Nolumus diſſerere quantum id ſit, & quomodo Germanici hodie Rom. curiam ſectantes, magnam eius partem in patriam ſuam referunt: Teſtes ſunt, Ioannes Iouianus Verchius, & Henricus Roſcopius, atque alij complures qui Romæ dilatati ſumptuoſiſsimè domi ædificauerunt. Illud te minus perite arbitratum certe nimus, quod in auro prouinciarum excellentiam fœlicitatemque collocas, & ubi aurum eſt, ibi credis eſſe potentiam, atque imperium. Quod ſi ita eſſet neque Philippum, neque Cyrum opulentiſsimos reges Scythарum, pauper ſuperaſſet exercitus. Neque ditiſsimum Perſem Græci profligaſſent inopes. Neque Darium aut Porum proſtrauiſſet Alexander diuitijs inferior. Neque Perſen Paulus Aemilius captiuum abduxiſſet. Neque Antiochum Scipio Africanus trans montem Taurum repuliſſet. Stabant falcati currus, ebore atque argento nitentes, & equorum Phaleras cooperiebant gemmæ. Nulla equitis galea, nullus militis gladius, nullus baltheus, non auro ſplendebat. Quæ cũ uidiſſet Hannibal, ſatis hęc, inquit, Romanis erunt, etſi ſunt auariſsimi. Significans aurum ad prædam expoſitum eſſe, Nec mentitus eſt, uicto enim ſtatim Antiocho, omnis gaza in Romanorum poteſtatem educta eſt, nec magnum & opulentiſsimum regem defendere aurum potuit, Virtus hominum, non pecunia prouinciam nobilitat, ubi uirtus, ibi & opes ancillantur. Sunt tamen neceſſariæ pecuniæ, & nerui reipublicæ appellantur, Memorabile illud eſt Romani hominis dictum, qui Romanos non auro imperare uelle, ſed hominibus aurum poſsidentibus ait. Quod ſi ueterum annales repetamus, inuenimus eas pleruſque prouincias, atque urbes alijs imperaſſe, quæ minus auri poſſederunt. Nam Romani, & Athenienſes, & Spartani, & Carthaginenſes, non opibus aut auro, ſed armorum peritia & animorum fortitudine imperia parauerunt. Atq; idcirco Europę gentibus, Aſiam ſemper inhabitantes, inferiores habiti ſunt, Neque Turci quos hodie miramur, ex diuiti prouincia emerſere cùm Aſiam occuparunt. Sed hiſpida & pauper Scythia, illis patria fuit, unde & fortiſsimus ille Tamerlanes erupit, qui nobis puerulis Armeniam, Capadociam, Aſiam, Bithiniam, Ciliciam, Siriamque uaſtauit, & nobiliſsimam urbem incendit Damaſcum, uiris fortibus, & animo excellenti præditis, ſæpius auri copia quàm inopia nocuit, Siquidem magnas opes, & delitię & uoluptates conſequũtur, quæ uiros alioquin præſtabiles emaſculant, & uim omnem uirtutis elidunt,

Pecuniæ nerui Reipublicæ appellantur.

Ex Scythia Turci & Tamerlanes.

Duas Germanorum impotentiæ cauſas aſſignat, uoluptatum exuberantiam, & Principum copioſitatem, unde ne Cæſari (Fridericum tertium adferendo) obediatur exoritur. A Græcis ad Germanos tralatum imperium. Quo pacto apud nos ſeruari queat, hoc dicit, Cap. XLIII.

ATque hæc fortaſſe cauſa eſt, quæ ueſtrum Imperium exinaniuit: Nam cùm ueſtri maiores agendo, inſtando, uigilando, res præclaras egiſſent, latiſsimásque prouincias, ac robuſtiſsimas & ditiſsimas gentes Germanico regno ſubieciſſent, quò fortuna uictoriam impulit, eo & ſpolia & diuitias intulit, communes hominum peſtes. Videmus enim Germaniam (ut diximus) argento & auro plenam, omnibúsque delitijs affluentem, ita ſeipſa contentam eſſe, ut

arma foris nusquam afferat. Quod si mos maiorum in hanc usque diem manſiſſet, ueſtros que frequentes exercitus ſubactæ gentes in oculis habuiſſent, non eſſet minor ueſtra, quàm illorum potentia fuit. Siquidem Imperium) teſtante Criſpo Saluſtio) ijſdem artibus retinetur, quibus ab in initio partum eſt. At patres ueſtri, regni fines armis, non pecunia propagarunt, Armis igitur retinenda maieſtas fuit, quibus etſi plurimum ualet ueſtra iuuentus, ut antè relatum eſt) illecta tamen domeſticis uoluptatibus, extra Germaniam prodire non audet. Sed eſt alia maior ratio, quæ ueſtrum Imperium comminuit & ad nihilum rediget, niſi occurretis, pluralitatem Principum philoſophi abhorrent, uos ea gaudetis. Nam quamuis Imperatorem & regem & dominum ueſtrum eſſe fatemini, precario tamen ille imperare uidetur, nulla eius potentia eſt, tantum ei paretis quantum uultis, uultis autem minimum, libertas omnibus in communi placet, neque ciuitates, neque principes, quod ſuum eſt Imperatori præbent, nulla illi uectigalia, nullum ærarium quiſque ſuæ rei moderator & arbiter eſſe uult: Hinc diſcordiæ inter uos crebræ, & aſſiduæ bella graſſantur, ex quibus rapinæ, incendia, cædes, & mille malorum emergunt genera, quemadmodum ibi interuenire neceſſe eſt, ubi plura dominantur capita, nam quo pacto alijs dominentur, qui ſibi ipſis neſciunt imperare. Nulla unquam ciuitas, nulla gens, nulla natio, in aliam protraxit imperium, niſi prius imperium ipſa ſubiuit. Diſcant ſuo principi ſeruire oportet, qui alijs cupiunt imperare. Quod ſi uos Germani ſic diuo Friderico Cæſari obediretis, ut ueſtri progenitores primo Carolo paruerunt, haud dubium quin priſca ad uos gloria rediret. Quando uiris, equis, armisque, & rei militaris peritia, non minus quàm ueteres abundatis., At uos ſi uera ſunt, quæ tua tradit epiſtola, non ſolùm Imperatori ſua reddere iura non cogitatis, ſed Apoſtolicæ ſedi ſuum auferre priuilegium enitimini, ne maiori luminari minus inuideat, & utrique gladio acies deſit, ſed de hoc poſtea diſputabimus, nunc ſatis eſt oſtendiſſe non eſſe in culpa Romanam Eccleſiam ſi Germanicum elanguit Imperium, quemadmodum tua ſcripta uidebantur aſſerere. Nam prima ſedes (ut poſtea ſuo loco monſtrabimus) Imperium ex Græcis ad Germanos tranſtulit. Quod ſi quoquo modo conaretur euertere, ſuum opus ipſa deſtrueret & iniquè ageret, ei nationi nocens, quæ non ſine maximis obſequijs idhonoris emeruit. Vos tamen ſi priorem cupitis eminentiam uendicare, priſcas uirtutes, priſcos reſumite mores, fortitudinem ignauiæ opponite, liberalitatem auaritiæ, ſolicitudinem deſidiæ, iuſticiam iniquitati. Et (quod eſt inprimis neceſſarium) Vnitatem diuiſioni præferte. Et capiti ueſtro, tam ſpirituali, quàm temporali, ſuos honores, ſuam obedientiam reddite. Quod ſi feceritis haud dubium quin uetus nomen recuperantes, multis & magnis gentibus leges dicetis.

Saluſtius.

Cæſari obediendum.

Tres cauſas inopiæ epiſcopatuum Germaniæ aſſignat, Cap. XLIIII.

VErum qui nonnullas Eccleſias in Alemannia ſuis deſpoliatas poſſeſſionibus, & ad mēdicitatem penè deductas non ignoramus, ut Herbipolenſem, Vratislauienſem, Conſtantienſem, & alias: Reſpondendum illis eſt, qui huius culpam, in Apoſtolicam ſedem reijciunt, quæ medio fructus primi anni exigere ſolet, quod ſi uerum eſſet, omneis eadem calamitas oppreſsiſſet, ex omnibus enim id iuris parimodo recipitur. Sed ſunt tres potiſsimę cauſæ, quibus & monaſteria & Eccleſiæ Germanicæ nationis, è priori fortuna exciderunt. Prima eſt, quoniam bellorum turbinibus quàm frequentiſsimè agitantur, in

Tribus rebus deſtruũtur Eccleſiæ Germaniæ.

quibus, si quid uictorię iure acquirunt, ueluti modestiores, euestigio facta pace restituere compelluntur. Si quid amittunt, perpetuo apud hostem manet.

Secunda causa est, quod amicis & necessitudine iunctis, quam multa prælati elargiuntur, quod nisi faciant, illi suopte ingenio Ecclesiastica bona compilant.

Tertia est, quod omnes principum more, equos canes'que alunt, & histriones parasitósque nutriunt, neque sine magno comitatu esse uolunt. Nec tu aliter quam in aulis regalibus, apud prælatos tuos instrui cõuiuia uidebis. Quibus ex rebus non ineptè hoc loco dixerimus, quod Hobunsardam princeps cocorum muros Hierusalem destruxisse legitur, quia uenter cui cocorum multitudo deseruit, ædificia uirtutum ad solum redigit. Luxuria & ambitio Germanicas Ecclesias, non Romana curia exhaurit.

AENEAE SYLVII GERMANIAE FINIS.

GERMANIAE

GERMANIAE ATQVE ALIARVM REGIONVM, QVÆ AD IMperivm vsqve constantinopolitanum protenduntur, descriptio, per Sebastianum Munsterum ex Historicis atq; Cosmographis, pro Tabula Nicolai Cusæ intelligenda excerpta.

Item eiusdem tabulæ Canon.

CONRADO PEVTINGERO IVRE consvlto, avgvstano, historico atq; Cosmographo doctissimo, Sebastianus Munsterus S. D.



VVM nuper Andreas Cartander in studiosorum utilitatem publicare statuisset Tabulam Germaniæ, ab insigni illo mathematico Nicolao de Cusa descriptam, à te uero uir ornatissime, pro Germaniæ nostræ illustratione redemptam, non inutile uisum fuit, Canones quosdam, aut si mauis, succinctam adijcere declarationem, qua simpliciores adiuti, aut uerius illecti, auidiori animo nobilissimum Cosmographiæ complectatur studium, quo ego in mundo desiderabilius non scio, quod scilicet lectoris animum plus capiat, & quod non mediocrem afferat fructum rerumq; peritiam, & imprimis Historicorum lectoribus sit necessarium. Sunt hodie multi, qui etiam in eruditorum habentur numero, quibus domi tam curta in mathematicis rebus est supellex, ut etiam ferè ignorent, quanam parte cœli quatuor mundi consistant plagæ, aut unde accidat quod Aquilonaribus æstiui dies longiores sint Australioribus. Quibus hactenus parum consultum fuit, dum multæ passim Geographicæ figuræ in lucem prodierunt, sed nulla linearum, circulorum, numerorum, atque aliarum id genus rerum, quibus dictæ tabulæ ueluti incancellantur, explicaret rationem. Aediderunt quidem de hac re optimos & utiles libros Schœnerus & Appianus, sed qui nullam adiunctam habent regionum tabulam, & ob id à multis neglectui dati, quum nullus mathematicarum rerum expers, hinc emolumenti aliquid sibi accessurum sperarit. Proinde ego quum primum decreuissem tuæ elegantissimæ tabulæ exiguum adijcere libellum, qui scilicet regionum longitudines, latitudines, climata, parallelos, dierum incrementa & decrementa duntaxat explicaret, mox aliud animus suggessit consilium, nempe nõ parum me studiosis profuturum, si ueluti manu eos ducerem in regionem, & obiter indicarem, quando uel quomodo hæc uel illa prouincia surrexerit uel in Comitatum, uel in Ducatũ, aut etiam in regnum, quomodo populus pepulerit populum, & regno successerit regnum, quidq; memorabile accidérit, aut quid peculiare inueniatur in hac aut ista terra. Hæc enim historiarum studiosis imprimis blandiuntur, & miram quandam secũ adferunt uoluptatem ut talium lectione nemo facilè satiari possit. In regno tamen Constantinopolitano, primum à Christianis erecto, & deinde à fœdissimo Turca usurpato, aliquanto prolixior fui scribendo, quod sciã apud plerosq; Historicos cõfusionem esse in Turcicarũ rerũ narrationes. Cæterũ hoc quicquid est laboris, sub tuo nomine, uir clariss. tibi nuncupãtes, in lucẽ ædidimus: partim quod tabulã istam tã egregiè pictã & sculptã nobis Germanis indicaueris: partim quod iam à multis annis diligẽtẽ egeris antiquitatũ & historiarũ indagatorẽ, quim̃et insignẽ geographũ: id quod nobilis liber à te ædi-tus indicat, in quo Germanos ultrarhenanos à Gallis asseris. Vale. Basileæ, mẽse Augusto, an. M.D.XXX.

GERMANIAE

VNIVERSALIS ET PARTICVLARIS DESCRIPTIO, ET PRIMO

qualis olim facies eius fuerit.

MIRARI non debes lector, si hodie Germaniam nostram uideas tam uarijs efferri atq; celebrari prçconijs, & alijs atq; alijs Geographicis depingi figuris. Olim cùm ager eius incultus & squalidus iaceret, agrestiumq; hominum patria esset, ciuitatibus & amœnioribus destituta habitaculis, à paucissimis curabatur: quippe quę magis ferarum, quàm hominum habitaculum censeretur: donec Romanorum libidini intolerabile uideretur totum ferè subegisse orbem, & hac solùm carere prouincia: non quòd multum utilitatis ex ea deuicta sibi ipse rarint accessurum, quum adhuc inculta, ut diximus, & uasta iaceret, sed quòd uniuersorum dominium, etiam Barbararum nationum, usque adeò ambibant, ut parum se habere arbitrarentur, nisi totum adepti essent. Quanquam autem Ptolemæus, & alij quidam, quos ille sequutus est, nonnulla in Germania signarint loca, cultamq; suis temporibus scribant, uidentur tamen illa mihi mera esse commenta, è suis conficta cerebris: quum hodie nec unum extet in uera Germania oppidum, quod uetustum illud suum retinuerit uocabulum: quin & apertum sit in historijs, omnes insigniores urbes, & quæ uetustiores censentur, citra Caroli Magni æuum extructas, paucis demptis, quæ à Sicambris, seu Francis, in partibus Saxoniæ, & iuxta Magonum, ante Carolum extructę feruntur. Adde quòd nec inter scriptores ipsos conuenit de populorum, quos olim Germania habuit, nominibus: imò ut audacius quiddam dicam, non facilè licebit ex antiquorum monumentis elicere, ubinam gentium olim Sueuorum nominatissima natio habitarit. Sunt qui solũ illud quod hodie incolunt, semper eos habitasse affirment, cædemq; illam insignem, quæ Augusti Cæsaris contigit temporibus, iuxta Lacum in Augustensi commissam agro. Alij uerò ex Cæsaris commentarijs & Tacito

multa etiam milia in Galliam transmiserit, tamen Germaniã non subegit. Gessit quoq; post Drusum bella, nempe per Tyberium & Varum: sed quid profecerit, indicat casus Vari, qui cum tribus cohortibus succubuit. Tyberius post Augustum duobus exercitibus Germaniam impugnauit, sed non uicit. Vespasianus primum sub Claudio, & deinde ipse factus Cęsar, ferè semper in Germanos bella gessit. Post hunc Domitianus gloriam affectans Germanorum, ob quod & sibi nomen Germanici imposuit, iuxta Rhenum Cattos domuit, sed non totam Germaniam. Traianus quoque per Rhenum descendens, Germanos debellauit. Gessit & apud Danubium bella, ultra quem fluuium pontem lapideũ extruxisse fertur. Post eum Antoninus Pius Marcomannos, & multas gentes uicit. Deinde Antoninus Commodus fœliciter contra Germanos pugnauit. Hunc subsequutus Pertinax, clarus fuit trophæis Germanorum. Deinde Maximinus Imperator fœliciter & ipse contra Germanos pugnauit, multa milia occidit, prædam abduxit, domos incendit: & nisi Germani in syluas & paludes fugissent, subegisset totam prouinciam. Postea Aurelianus Germanos armis intactos nõ dimisit. Probus etiam imperator Germaniam ditioni Romanorum penè subegit: unde literas scripsit Romam huiusmodi: Dijs, Patres conscripti, gratias habeo, quòd subacta est omnis Germania. Habui quoque multos reges nouos ante pedes meos, imò uestros. Occidit deinde Constantinus etiam multa milia Germanorum, qui rebelles fuerunt, & Galliam uastauerunt. Strauit & Iulianus Germanos iuxta Rhenum apud Argentariam, & Germaniã Romano imperio iterum restituit. Valentinianus denique Saxones deuicit: & post eum Gratianus imperator in Germaniam profectus, iuxta Argentariam occidit ultra triginta milia Alemannorum, ut scribit Hieronymus in Supplementis. Itaque ducẽtis & decem ferè annis Germania tandẽ uicta est à Romanis, qui & ob nullã gentem tanto dispendio laborarunt, quàm Cermanico bello: de quibus etiam gloriabantur, uolentes uocari Germanici, etiamsi parũ quid egissent contra Germanos. At Germani ipsi interim non segniter, nec unquam Romanis incruentam reliquerunt uictoriam. Et utinam Romani scriptores Cæsaribus non adeò adulati fuissent. Nam ea ferè solum scripserunt, quæ Cæsares egerunt, Germanorum uerò egregia facta plerunque tacuerunt. Constat autem Cęsarem bis à Germanis succubuisse, in quę una fuga crure percussum. Drusus bello Germanico mortuus est. Augustus duas graues clades in Germania fuscepit. Harum grauior fuit, quando apud Vindelicos (ut quidam putant) tres legiones amisit, unà cum Varo Quintilio duce exercitus. Tyberius in tribus annis quinque legiones amisit. Antoninus Pius Germanos fregit, sed tanta iactura, ut ærarium penè exhanserit. Quàm uiriliter putas lector, pugnauerunt fortissimi illi Germani, maiores nostri, ducentis illis & decem annis, contra infatigabilem illam Romanorum constantiam, antequam perdomarentur? nullis defensi aut castris, aut mœnijs, aut muratis urbibus, quas nullas aut rarissimas habuerunt: sed ultimum regium in syluis, quæ ferè totam obduxerant Germaniam, præsertim nominatissima illa sylua, quam Herciniam Cosmographi uocant, constituentes, hostes non raro in ipsorum perniciem in tam retrusa illexerunt loca, ut non citra grandem iacturam illis reditus pateret. Certe nullibi legis Germanorum aliquas urbes à Romanis fractas, aut castra diruta, sed solum populos in syluis petitos. Et hinc est, quòd Cornelius tot enumerat Germaniæ populos, nullas autem urbes. Non enim tunc in urbibus, sed pagis habitabant, quorum plerąq; nomina usque in hunc durant diem. Vocant enim Germani pagum in uernacula lingua Geu, ut est, Nortgeu, Algeu, Brisgeu, Kreichgeu, Meyngeu, Hegeu, &c. sed temporis successu Romanorum moderatione ciuiliores facti, insignes urbes extruere cœperunt, ut hodie uisuntur Vlma, Nurnberga, Bam-

berga, Herbipolis, Ertfordia, Lipsia, Parthenopolis, utraque Franckfordia, & aliæ multæ: quæ omnes recentiores sunt, quàm ut uetustatem aliquam insignem præ se ferant: id quod alio quodam uernaculo libro fusissimè tradam, in quo geographiam cum succinctis locorum historijs describam. Hæc itaque olim Germaniæ nostræ fuit facies. Carebat urbibus, inculta & squalida iacebat, uinum nullum ferebat, ferè tota dumetis & syluis obducebatur, erat tristis cœlo, ut Tacitum utar uerbis, uiuebant incolæ eius, caseo & lacte, humi dormiebant, uilia tugu-ria contra aëris intemperiem erigebant, nullus luxus in uestibus & cibis erat, cum extraneis nulla commercia habebant: & ut semel dicam, simplicissimam uitam uiuebant. Excitabatur propterea multorum curiosus animus, nouarum rerum explorandarum nunquam non cupidus, qualemnam gens hæc duceret uitam, quæ usqueadeo ab alijs sequestrata erat nationibus, quales haberent mores, leges & ritus, qualeq; possiderent solum, unde tanta corporibus proceritas, & intrepidus animus. Erant iam satis cogniti Gallorum, Hispanorum & Britannorum mores uiuendiq; ritus: tantùm de Germanis nihil ferè cognosci poterat, quum exterorum non admitterent quenquam. Indicabat septentrionalis maris littus, prouinciam multis, hisq; egregijs & amœnis irrigari amnibus, quum illic omnia Germaniæ flumina, præter unum Danubium, in mare sese effundant: unde facilè arguere licuit, regionem ipsam fœcundissimo patere solo: quanquam Tacitus longe aliud sequutus est iudicium, qui ex hominum habitu terram sterilem, horridã tristemq; cœlo scripsit, aut certè ex infimarum partium dispositione, quæ in Battauia, Frisia, & interiori Saxonia, paludinosæ plerunque & uastæ inueniuntur, & non rarò maris alluuiones patiuntur, totam Germaniam incessebat. Quid putas, hodie scriberet, si Germaniam ipsam lustraret, uideretq; tam cultam, tamq; fertilem, ut nulla nunc regio sub sole sit, cum qua non certare in fertilitate & fœcunditate posset? quicquid etiam spectare uelis, quod humanæ uitæ commodum sit, frumentum, uinum, metalla, pecora, pisces, feras syluestres, ligna & lapides, homines, urbes, oppida & castella. Non habet tantas ut Hispania solitudines, nec tantos ut Italia calores: caret noxijs animalibus, habet temperatum aërem, abundat frugiferis arboribus, scatet multis & saluberrimis thermis, atque alijs potabilibus aquis. Quantam argenti molem iam ex Germaniæ montibus erutam putas? Vbi plus picis ex arboribus colligitur quàm in Germania? Noui hominem non longè ab Argentorato in Nigra sylua habitantem, qui singulis annis ducentos abiegnæ resinæ colligit massas, quas centenarias ponderatores uocant. Et quid dicam de byssо quæ circa Vlmam Sueuiæ, & item apud Diuum Gallum Heluetiæ oppidum annuatim ex terræ fundo colligitur? Certè retulit mihi nuper, quum essem apud Diuum Gallum,

Ioach. Vadianus.

VADIANVS, homo qui iandudum eximiam suam eruditionem in Pomponio Mela ostendit, quiq; hoc tempore illius loci gerit magistratum, annuatim ex tam angusto terræ solo, nempe cui à tergo Alpes perpetua niue candentes imminent, colligi & parari linum pro ducentis aureorum milibus: id quod mihi pene incredibile uidebatur, quum facies illius terræ stuporem quendam præ se ferat, & horrorem intuentium oculis ingerat, nisi id à uiro tam docto & graui audissem. Sed quid pergo ista prosequi, cùm nemo sit inter doctos, qui ignoret quam dissimilis hodie sit Germania sibijpsi ueteri: ut ex squalida heremo paradisus uideatur natus, & ex sterili agro ברמל quidam prodierit, ut Hebræi uocant fertilissimum agrum. Aspice nunc quæso tabulam, quæ tibi Germaniæ aliquod specimen ob oculos ponit, & uidebis quem decorem induerit, post antiquam illam deformitatem suam. En quot fluuijs & riuulis fœcundatur, quot Principatibus, Ducatibus & Comitatibus hodie floret, quot egregijs urbibus adornatur, quàm amœnis & fœcundis montibus syluis q; decoratur, quàm pulcherrimum

obtinuis

obtinuit situm. A septentrione clauditur mari, à meridie Alpibus, ab Occidente Rheno, & ab Oriente Sarmatica sylua: quãquam olim alijs circumscripta fuerit limitibus, quando non linguæ, ut hodie, sed montes & flumina regionem disterminabant à regione.

Quos terminos olim, & quos hodie habeat Germania.

CONuenit inter antiquos, præsertim Straboném, Ptolemæum & Tacitum, Germaniam ab Occidente Rheno à Gallia desiunctam, littusq; Rheni occidentale à Iulij temporibus magnis excultum urbibus, præsertim Mogunciaco, Argentorato, Vangionum, Nemetorum & Rauricum colonijs. Ab Oriente uerò quidam magnam Germaniam ad mare usq; Euxinum extendunt: in quod scilicet Danubius multis ostijs sese effũdit, quos & Cusanus noster in hac Germaniæ tabula sequutus est. Alij uerò Vistula uoluerunt Germaniam ab Europea dirimi Sarmatia, quæ hodie est Polonia. Porrò à meridie priscorum scriptorum cõsensus Danubio Germaniam separauit à Rhœtis, Vindelicis & Noricis: quas etiam partes Romani multis annis subactas tenuerunt, priusquam Germaniam ipsam intrare possent, habentes circa Ratisponam multa & atrocia bella cum Marcomannis, qui Bohemi uel Moraui putantur, antequam eos domarent. A septentrione uerò Germanis ad mare aquilonare patebat, includens simul Dacos & Selandios, quos olim generali uocabulo Cimbros uocabant, quorum robur & sæuiciam Romani non sine grandi iactura aliquando senserunt. Hos etiam terminos Germania ferè hodie habet, nisi quòd ei postquã Romanis subacta est, accessit bona pars ultra Rhenum, quam olim Galliã Belgicam, & deinde regnum Austrasiæ constat uocatam: hodie uerò est Alsacia, linea Rheni, Eysalia, Brabantia, Geldria atq; Holandia. Sed & ultra Danubium extenditur nostra ætate usq; ad Alpes, includens Rhetiam, Vindelicam & Noricum, quas partes hodie uocant Algauiam, Lechgauiam & Bauariam: tametsi non ignorem quosdam pro Rhetia intelligere solum lacus Podmici, quem Pomponius lacum Acronium uocat, qui hodie est Constantiensis. Accessit & Pannonia superior, quæ iam est Austria atq; Stiria. Proinde quum Bohemia contineatur intra Germaniæ limites, undiq; piceis cincta arboribus atq; uallata mõrib, Germaniæ cõnumeratur, fuitq; olim Ducatus: sed anno Christi M. LXXXVI. Henricus quintus creauit Ducem Vratislaum in regem, adijciens nouo regno Schlesiam atque Moraniam. Per populum Sclauonicum, qui quondam hanc occupauit prouinciam, lingua Sclauorum in ea prœualuit. Nam eadem est lingua Bohemorum, Polonorum, & Sclauorum.

De antiquis Germaniæ populis.

VT suprà commemorauimus, Germania olim non fuit in tot scissa regiones & prouincias, seu Ducatus, ut hodie, sed habuit multas familias & populos: inter quos præcipui fuêre Sueui, qui centum describũtur habuisse pagos: ex quibus multa milia armatorum singulis annis in prœlium producebant, & reliquos agriculturæ deputabant. Scripserunt autem de Germanis quatuor, uiri non uulgaris in historis autoritatis, nempe Berosus, qui circiter trecentos annos ante Christum natum in humanis fuit: Strabo, qui Christi tempore uixit: Cornelius Tacitus & Ptolemæus, qui aliquot annis, sicut & Plinius, post Christum uenerunt. Itaq; Berosus in hũc modum de Germanis scribit: Tuiscon, à quo Ger- *Berosus.*

mania nostra primum Teutonia uocata est, postea autem à Romanis Germania, habuit hos filios: Mannum, Ingeuonem, Hermionem, Marsum, Gambriuiũ, Sueuum, Vuandalum, Hunum & Teutanem. A Marso denominati sunt Thiet marsi & Vuilmarsi, qui nostro æuo iuxta Albis ostia habitant. A Vuandalo procreati sunt Ruteni, Poloni, Bohemi, Sclaui & Croacij, qui omnes una utuntur lingua. A Sueuo Sueui descenderunt. Sunt etiam qui aiunt Sueuum regem fuisse in Germania, idq; Balentis undecimi regis Babyloniæ tempore. Porrò Strabo hos enumerat Germaniæ populos, qui suo tempore celebriores in ea fuerũt, Bructeri, Sueui, Coldni, Marcomanni, Luij Zumi, Butones, Mugilones, Sibini, Senones, Sicambri, Catti, Gambriuij, Cattuarij, Chaubi, Cimbri, Caulci, Campsiani, Bisurges, Cherusci, Catisci, Ampsani, Chenisci, Landi, Subattij, Hermunduri, Boij. Cornelius uerò ponit Cattos, Vsipetes, Tencteros, Bructeros, Frisos, Cheruscos, Cimbros, Longobardos, Marcomannos. Quados, & alios multos quos hic omitto. Proinde Plinius quinque enarrat Germanorum genera. Primùm ponit Vuandalos, sub quibus continentur Burgundiones, Varnini, Carini & Guttones. Alterum Ingeuones, sub quibus Cimbri & Teutoni comprehenduntur. Tertium Isteuones, qui iuxta Rhenum consedisse memorantur. Quartum Hermiones, sed quibus fuerunt Sueui, Hermanduri, Catti & Cherusci. Quintum genus fuerunt Peucini & Basternæ. En quàm uarios & multos olim Germania habuit populos, etiam priusquã ciuitas aliqua insignis in ea conderetur. Et quis non miretur horum omnium nomina usqueadeo abolita, ut prę ter Sueuos & Baioarios ferè nullius populi hodie extet nomen? Torquentur hic mirum in modum & Historiographi & Geographi, dum indicare uolunt, quam quis populus Germaniæ obtinuerit partem, & in quod aliud uocabulum priscũ suum nomen abierit. Et quidem coniecturis licebit propemodum deprehendere, qui populi moderni priscis illis successerint familijs. Cimbri sunt Dani aut Holiacij. Chaucis successerunt Frisij, Bructeris Vuestuali, Sicambris Geldrenses, Sorabis Vuandali uel Thuringi, Tenteris & Fiscinis Badenses inferiores. Cheruscis Kreuchgauienses, uel ut alij putant, Cheruschabitauerunt iuxta Albim. Sunt etiam qui eos Otronicam syluam habitasse putant. Cattos plerique interpretantur Hassones. Boij olim, hodie sunt Bauari, qui & Auares à uicinis uocantur. Tauriscí uidentur esse Stirij, & Harelungi Brisgaui. Sclaui & Vuilzi sunt Bohemi & Vandali. Vuinos uolunt esse Pomeranos, sicut & Vuinulos Prutenos: unde Longobardi olim prodijsse feruntur. Obotritos Albertus Krantz intelligit Meckelburgenses, & Vuagros Holsatios. Battaui sunt Holandi, & olim Norici hodie sunt Bauari. Vbijs successerunt Colonienses, & Menapijs Geldrenses uel Cliuenses, qui & pro Sicãbris aliquando computati sunt. Raurices habẽtur pro Basilensibus, & Heluetij pro Suitẽsibus, seu Cõfœderatis.

Strabo.

Tacitus.

Plinius.

De fluuijs Germaniæ.

IN tota Europa uix esse natio aliqua creditur, quæ tot & tantis ut nostra Germania irrigetur fluuijs, hisq; piscosissimis. Primus atque præcipuus est Danubius, ubique terrarum nominatissimus, qui & in Vualachia per aliquantum terræ spacium Hister à Græcis appellatur. Hic originem ducit ex Sueuia fontem habens in Nigra sylua, in uilla quæ Doneschingen uocatur, non longe à Rotuuila oppido noto distans: fluitq; solus uersus Orientem, in ponticum seu Euxinum mare sese exonerans, quum omnes alij septentrionem uersus cursum suum inclinent. Hic maximus inter omnes totius Europæ habentur fluuios, quippe qui sexaginta alios insignes amnes priusquam mare ingreditur, in se recipit: unde &

Danubius.

ende & mirum in modum augescit, perpetuoq; aquosior redditur, donec cursus sui finem facit: id quod tibi tabula Cusana clarissimè ostendit. Sunt ex ueteribus qui errore lapsi, huius fluuij originem iuxta Rheni fontes constituerunt, quum ille apud extremos Rhetos, hic uero apud Sueuos, ut diximus, initiũ sumat. Tenuit olim magnus quidam ardor uisendi huius celeberrimi fluuij fontes, aliquos insignes uiros, qui & expensis nõ parcebant, modò accedere liceret Abnobam montem, ex quo hunc prodire credebant fluuium: & præsertim de Tyberio legimus, quum semel ad lacum uenisset Podmicum, nolebat aliò diuertere, nisi prius Danubij scaturiginem suis conspexisset oculis. Alius insignis Germaniæ fluuius, apud ueteres quoq; celeberrimus, est Rhenus, qui ex Curiensibus Alpibus originem suam trahit. Veteres montem origenis suæ Aduam uocant. Hic duos magnos lacus mox postquam ab Alpibus in planitiem sese effuderit, efficit. Primus hodie uocatur Constantiensis & Brigantinus, quòd hæ & multæ aliæ ciuitates, nempe Lindoia, Buchhorna, & Vberlinga in littore eius extructæ sint: uulgò uerò uocatur Podensee, hoc est, Lacus Podmicus, à dominis Podmen, qui ditionem suam & prædia olim illic habuerũt, sic uocatus. A Pomponio uerò, Acronius nominatur, quòd nunquam, uel rarò frigore constringatur. Sunt qui & mare Germanicum ipsum uocent, quum in longitudine ferè sex miliaria contineat Germanica, & in maxima latitudine, duo. Alius uerò lacus, qui mox infra Constantiam crescere incipit, Cellensis à Cella oppido uocatur, & est priori multo minor, trigonam ferè habens figuram, atq; in meditullio sui insignem insulam, quam diuitem uocant, circumscribens. Hinc Rhenus Basileam uersus cursum instituens, continuò ex Heluetiorum, quos recipit, fluuijs augescit, nempe Tura, Reussa, Limata, Arari & Bersa: qui simul iuncti maiorem efficiunt riuum, quàm sit Rhenus ipse Constantię, aut iuxta Schaffhusen. Proinde apud Argentoratum adhuc tumidior redditur ex insignibus quibusdã amnibus, qui utrinq; accurrunt, nempe Kintziga, qui ex Nigra sylua: illa, qui ex Alsacia: & Brussa, qui ex Vasto regno & Lothoringiæ profluit mõtibus. Non lõgè ab Heidelberga Neccarus quoq; in Rhenum sese effundit, cuius origo modico interuallo à Danubij fontibus distat, alluitq; medium Vuirtenbergense solum. Moguntiæ Mogonus ex Franconiæ extremis montibus stillatus, atq; mediam perlabens Franconiam, eamq; plurimum fœcundãs Rheno miscetur. Bingæ Naha fluuius ex Hunorum præsidio uulgò Hunsruck prolabens, Rhenum intrat. Confluentiæ uerò Mosella, insignis etiam fluuius, à Lothoringia per Treuiros currens, quem olim Obrincam ex Ptolemęo uocatum constat, Rheno incorporatur. Cæterum apud Cliuenses Rhenus profundissimis turgens aquis, in duos scinditur riuos: unus, qui occidentem uersus labitur, Vuala uocatur: alius uerò pristinum retinet uocabulum. Interiecto deinde exiguo loci interuallo, Rhenus rursum in alios duos secatur riuos: quorum unus Issella nomen habet, alius autem Rheni uocabulum usq; ad mare nunquam amittit. Post Rhenum, si Germaniam ingrediaris, occurrit Amasus fluuius per Frisiam currens, & antiquos Saxones à Vuestualis secernens. Hinc uenitur ad Visurgim, qui & alio nomine Vuesera uocatur, per antiquam fluens Saxoniam. Hunc deinde sequitur Albis, insignis fluuius, qui ex Bohemiæ montibus filum sui cursus ducit. Rursus ex eisdem montibus scaturit Sueuus, quem uulgò Spre uocant. Etsi longius orientem uersus progrediare, trajicientibus est Viadus, qui hodie Odera appellatur, celeber hodie ab urbe Franckfordia, littori eius incumbente. Portò extremus fluuius est Vistula, qui olim Istula, hodie uerò Vuixel uulgo appellatur, Sarmatiam à Germania dirimens. En hæc sunt Germaniæ insigniora flumina. Cõsultò prętereo hic paulò minores amnes, quos penè innumerabiles Germania habet: quales sunt Licus apud Vindelicos, Isera apud Monacum, Enos apud

Rhenus. *Neccarus.* *Mogonus.* *Mosella.* *Amasus.* *Visurgis.* *Albis.* *Sueuus.* *Odera.* *Vistula.*

Patauiam, Anisus apud superiores Pannonios. Item Nabus, Salus, Egra & Pegnicus apud Nortgauios, qui omnes ex uno scaturiunt monte, quẽ uulgò Fichtelberg uocant, & propemodum inter Bohemiæ montes connumerari possent. Lana apud Hassones, Cochera & laxtus atq; Tubera apud Ottonicæ syluæ colonos: Alemannus, uulgò Altmyl apud Rysios, quo nullus Germaniæ fluuiolus insignior habetur optimorum & maximorum cancrorum propagatione.

Germanica natio hodie in multas & uarias est taxata prouincias atque principatus.

NEscie bat olim Germania sectionem aliquam, nisi quòd quidam superiores, alij uerò inferiores non secus quàm hodie uocati sunt Germani. De Saxonia, Thuringia, Hassia, Francia, Vuestualia, Misnia, Schlesia, atq; alijs prouincijs tum nihil sciebatur: quanquam certi quidam populi & familiæ in his regionibus tunc residebant, ut suprà indicauimus. At postquam Germani limites suos ergredi cœperunt, traiectoq; Rheno Gallorum uiciniores regiones occupare contenderunt: & item transito Danubio Vindeliciam, Rhetiam, Heluetiam, Noricam atque Pannoniam superiorem sibi usurpauerunt: tunc Germania ipsa sensim cœpit in prouincias uarias distrahi, tametsi certò sciri nequeat, quando & quomodo id euenerit. Constat equidem apud ueteres Galliam usque ad Rheni littus à Germanis habitatum. Idem sentiendum de regionibus ultra Danubium sitis. Quas quidem ueteres à Germania secreuerunt: uerum & interim legimus Germanicam linguam illis in usu fuisse. Hæc duo littora Romani facile sibi subegerunt, atque insignibus urbibus & castris, quorum uestigia adhuc hodie uisuntur, contra Germanorum impetum munierunt, ex quibus & longo temporis tractu Germaniam ipsam impugnauerunt, & tandem expugnauerunt, sed nõ diu subactam tenuerunt. Nam quum paulatim à sua deficerent potentia, Baioarij, proprium constituerunt regem, & item Saxones extraneorum repudiantes gubernaculum, sibijpsis principem elegerunt. Sic & Thuringis placuit sub proprio uiuere moderatore, quem regem esse uolebãt. Interim autem gens Sueuica sui uetusti nominis non oblita, & ipsa quoque nulli alij populo subijci uoluit, sed terminos suos usque ad Thuringos extendens, pacificè cum illis uiuere nequiuit: quapropter Thuringi legatione ad Sicambros facta, qui tum à duce Franco Franci uocari cœperant, aduocarunt illos, & uelut murum in Mogonico pago inter Sueuiam & Thuringiam illos collocarunt, amplumq; locum concesserunt, quem & hodie possident, Herbipolim, uulgò Vuirtzpurgum habentes pro metropoli. Tandem uerò quum sub Carolo Magno tota ferè Germania ad fidem Christianam conuerteretur, imperiumq; ab Iralis, uel potius à Thracibus in Germanos transferretur, Germania in uarios distracta est Principatus, in Ducatus, Comitatus, Marchionatus, Lantgrauiatus, Episcopatus, & alia dominia, ut est dies hæc. Vltra Rhenum sunt Hollandia, Brabantia, Geldria, Lothoringia, Vastum regnum, Alsacia & Helueria, quam uulgò Suitiam uocant. Et hæ ferè omnes regiones quondam Dagoberti regis tempore erant unum regnum, quod Austrasiam uocabant. Alsaciam sic uocari putant ab Alsa fluuio, quem hodie Illam uocant. Hæc regio ab Ottone tertio imperatore in Lantgrauiatum est subuectá: cuius superior pars, nempe Sundgauia, & bona pars Heluetiæ, peruenit ad Comites Habspurgenses. Et quum sub Rudolpho Comite Habspurgensi, atque eodem imperatore,

Franconum origo.

Alsacia.

Austria

Austria seu Pannonia superior legitimo uacaret hærede, Electorum principum consensu imperator filio suo Austriæ Ducatum unà cum Comitatu Habspurgensi concessit: sicq; hæc duo dominia in unum coierunt: licet postea ob præfectorum duritiam multę Heluetiorum ciuitates ab Austriorum Ducum defciuerint obedientia: quibus & imperiales quædam ciuitates paulò pòst adhæserunt. Vastum regnum, uulgò Vuestrych, sic uocatum quidam putant à Neustria, quæ aliquando in Francia distinctum & proprium fuit regnum. Verùm hi toto errant cœlo. Multi potius probatur ab Austrasia Vuestrych denominari, cuius pars aliquando fuit, licet Germani non Austrasiam ut Galli, quibus illud regnum ab Oriente fuit, sed Vuestrasiam, uulgo Vuestrych uocabant, quum Occidentem uersus regionem illam conuerentur. Idem habetur iudicium de Vuestualis & Ostualis, & item de Ostrogothis, & Visigothis. Geldria anno Christi D CCCCXXXV. facta est Comitatus, nomen illud ab oppido Gellern sortita, uel ut alij putant, à Comite Gerlaco: sicut & Brunsuuicum, seu Brunonis uicus, à Duce denominatur Brunone. Deinde anno Christi M. CCCXXIX. factus est ex Comitatu Ducatus, id'que per imperatorem Ludouicum. Terra Iuliacensis quondam Comitatus, anno Christi M.CCCXXIX erecta est in Marchionatum, & deinde post triginta annos in Ducatum. Terra Montensis quondam Comitatus, anno Christi M.CCCLVI. per Carolum quartum facta est Ducatus, habet'que Deuselberg præcipuum oppidum. Terra Cliuensis anno Christi M.CCCCXVII. per Sigismundum imperatorẽ in Ducatum promota est. Ducatus Limpurgensis ab imperatoribus Henricis olim erectus, citò defecit, peruenitq; partim ad Comitatum Geldrensem, & partim ad Ducatum Brabantinum. Comitatũ Holãdinũ putãt sub Carolo Caluo, annò Christi DCCCLXIII. institutum. Hęc terra olim Battauia uocata est. Nostro uerò ęuo Holandiam putant uocari, quòd cauum seu cauernosum habeat solum. Cęterum citra Rhenum in uera Germania inuenies hodie ferè innumeras regiones & prouincias: ut sunt Frisia, Vuestualia, Saxonia, terra Brũsuuicensis, Hassia, Thuringia, Missnia, Franconia, Sueuia, Palatinatus, Marchia Badensis, Marchia Brandenburgẽsis, Pomerania, Meckelburgum, Schlesia, Nortgauia, Voitlandia, Morauia, Nigra sylua: & ultra Danubium Algauia, Vindelicia, Bauaria, Stiria & Austria. Omitto hic ex industria minores regiones, ut sunt Ottonica sylua, Vuestenualdia, Brisgauia, Noricum, & multę his similes, quę tamen insignibus ornantur oppidis, ut Brisgauia Friburgo, Noricum Nurnberga & Amberga, Hegauia Schaffhusena, &c. Marchiam Badensem Otto tertius instituit, oppidisq; Badenia, Stolhofena & Etlinga dotauit. Postea Fridericus secundus & alia quędam adiecit oppida. Sueuia ab antiquo, nempe Iulij, Augusti & Tyberij temporibus dicitur habuisse reges, præsertim Ariouistum, Morauinum, & alios quosdam, sed Caroli Magni temporibus habuit Duces, peruenitq; ad eiusdem posteros is Ducatus. Quibus deficientibus multos & uarij generis habuit Duces, donec tandem anno Christi M. CCLXVII. ultimum amisit Ducem, Cõradinum nomine. Tunc ciuitates quędam illius Ducatus ad imperiũ deuoluebantur, & Comes Vuirtenbergensis plurima quoq; oppida suę adiecit ditioni. Anno Christi M.CCCCXCV. Comitatus Vuirtenbergẽsis surrexit in Ducatum. Palatinatus ab Ottone tertio primùm putatur institutus, uocatusq; est primus Palatinus Elector Hẽricus, qui anno Christi M.I. electioni diui Henrici imperatoris interfuit. Et quoniam huius posteritas citò defecit, peruenit Electurę dignitas ad Ducem Sueuię Conradum nomine, cuius unica filia Agnes nomine, principatum hunc ad Henricum Saxonem, cui nupsit, trãstulit. Et quia hic quoque nullum filium, sed filiam, Gertrudẽ nomine reliquit, peruenit cũ ea Palatinatus ad duces Bauarię, anno scilicet Christi M. CCXXV. Accepit enim maritum Ducem

Vastũ regnũ

Geldria.

Iuliacum

Bergen.

Cleue.

Holandia

Hegauia

Marchia

Badensis

Sueuia

Palatinatus

Ducem Ottonem, qui simul Dux fuit Bauariæ, & ob uxorem Palatinus Rheni. Post quem Ludouicus filius eius, & Ludouicus nepos eius utrique Ducatui præ fuerunt, Domini scilicet Bauariæ existentes, & Palatini Rheni. Nam usque ad Ludouicum posteriorem Palatinatus coniunctus fuit Ducatui Bauariæ. Et qui is duos genuisset filios, Ludouicum & Rudolphum, accepit senior, nempe Ludouicus, Bauariæ Ducatum, & reliquit Rudolpho Palatinatum, qui tum non admodum ampla pollebat ditione. Ex Ludouico descenderunt hodierni duces Bauariæ, & à Rudolpho Palatini Duces. Hæc multo fusiùs descripsi in uernaculo libro, quem de huiusce rebus omnibus, quos potui habere, collegi Historicis & Cosmographis. *Bauaria.* Bauaria, ut suprà memorauimus, olim Noricum uocata est, deinde Baioaria, habuitque tempore Christi, & aliquot annis post reges proprios. Nam legimus apud Iulium, Ariouistum Teutoniæ regem, quem alij Sueuorum faciunt regem, duxisse in uxorem sororem regis Norici. Referunt etiam historiæ, Garibaldum regem Baioariæ anno Christi DXC. filiam suam Theolindam locasse in uxorem regi Longobardorum. Huic Garibaldo succesisit Tassilo: post quem Bauaria aliquandiu habuit Duces. Deinde Cacanni regium fastigium iterum aliquandiu assequuti sunt usque ad Tassilonem, qui in periurio deprehensus, à Carolo Magno depositus est, & in monasterium Lauriscinã detrusus, anno scilicet Christi DCCLXXXVIII. Quos uerò publicos moderatores Bauaria habuerit post hunc Tassilonem usque ad tempora nostra, explicabo in libro uernaculo. *Franconia.* Franconia, seu Francia orientalis, quondam sub Thuringorum existens ditione, Sicambris habitanda offertur, anno Christi CCCXXVI. Venerunt autem Sicambri cum rege suo Marcomiro, anno ante Christum natum, CCCCXXXIII. ex Scythiæ citerioribus partibus, & primum quidem consederunt ad Rhenum, inhabitantes regionem illam ultra & citra Rhenum, quæ hodie Geldria uocatur. Quumque ibidem multos reges & Duces habuissent, assequutus est tandem super eos imperium Dux quidam, Francus nomine, qui ob integerrimam uitam suam, & laudabile regimen, usqueadeo illis placuit, ut maluerint deinceps ab eo Franci, quàm Sicambri denominari. Hæc nominis mutatio contigit ante Christum natum anno circiter XXIIII. Ab illo tempore & deinceps magno conatu laborarunt pro Galliæ adeptione: quam & tandem pro maiori parte obtinuerunt, Romanos expellentes, & à se Franciã denominantes. Interea uero temporis quum Thuringi à Sueuis non parum molestarentur, pacificèque in confinijs uiuere nequirent, inuitati Franci ab ostijs Rheni, uenerunt cum Duce Genebaldo, qui regis Francorum, nempe Clodomiri frater fuit, & Mogoni pagum, ubi iam est Herbipolis, possidendum & colendum acceperunt. Scribit autem Hunibaldus Francorum historicus, uenisse cum Duce Genebaldo triginta milia agricultorum, & duo milia, DCLXXX. artificum, unà cum uxoribus, familia & iumentis, qui omnes ueluti murus fuerunt inter Thuringos & Sueuos. Contigit autem hæc profectio anno Christi CCCXXVI. Vabuit proinde hæc Francia successiue XXI. Duces: & ultimus Hetanus nomine, quum migrasset sine hærede, Pippinus Franciæ, seu Galliæ rex donauit Ducatum Burchardo Episcopo, & omnibus suis successoribus, anno scilicet Christi DCCLII. Legimus tamen post illud tempus & alios Duces fuisse in Franconia, inter quos Conradus quidam appellatus est, qui in Romanorum regem electus fuit. Non igitur tota prouincia Franconiæ primum Episcopo data fuit, sed temporis successu ambitiosi Episcopi ditionem suam mirum in modum ampliauerunt: & præsertim quum ultimus Dux *Austria.* Voitlandiæ sine uirili decederet prole. *Stiria.* Austria & Stiria olim fuit Pannonia superior, cuius metropolis est Vienna, quæ olim Flauianum à Flauia eius restauratore fuit dicta, sicut & Stiria à filia Diocletiani aliquando Valeria dicta

ëria dicta fuit. Huius Stiriæ populi pro magna parte sunt agrestes & strumosi, adeò quidem ingenti struma, ut ipsis loquelam impediat, & mulier lactans post tergum perinde atque saccum reiiciat, ne infanti impedimento sit. Strumæ causam aquæ aëri'que quibus uescuntur incolæ tribuunt. Fuit autem olim Austria Marchia, uocatáque est Marchia orientalis, sed anno Christi M. CLXX. facta est per Fridericum primum Ducatus, nonnihilq; ademptum est prouinciæ Bauariæ, & additum ditioni Austriæ. Deinde anno Christi M. CCLXXXII. quum Duces Austriæ uirili destituerentur prole, Rudolphus Romanorum rex, Comes Habspurgensis, filium suum Albertum fecit Ducem Austriæ, cuius posteri usque in hunc diem Ducatui illi præsident. Hassia à monte Hasso, uel ut alijs placet, à Chattis sic uocata, olim fuit Comitatus, Thuringorum subditus ditioni: at postea, ut ferè omnibus contigit prouincijs, ad altiorem subuectus est dignitatem, factus Lantgrauiatus, ut uulgò uocant. Thuringia, uel ut alij scribunt, Doringia, olim habuit populos qui Sorabi uocabantur, factiq; sunt adeò potentes, ut proprium sibi delegerint regem, extenderint'que fines suos usque ad Mogonum. Vbi dum Sueuorum uicinorum quotidianas molestias ferre nollent, uocarunt ex inferioribus Germaniæ partibus Francos, illisq; circa Mogonum locum concesserunt habitationis, quod breui pòst tempore illis exitij causa fuit. Nam anno Christi DXXIIII. redactum est à regibus Franciæ, qui & bonam Germaniæ partem sibi iam subdiderant, regnum ipsorum in prouinciam. Cæterum imperator Lotharius primum Thuringiæ Lantgrauium creauit Ludouicum, cui & filiam suam in uxorem locauit. Deinde anno Christi M. CCXLI. quum ex Lantgrauijs nulla supereffet uirilis proles, Fridericus secundus Thuringiæ dominium tradidit Marchioni Misniæ. Marchia Misniæ ab Ottone tertio instituta putatur, uocatur'que Misnia à metropoli eius Misna, tametsi hodie Lipsia in opulentia & celebritate singula Misnię excellat oppida. Saxonia olim latissima prouincia, comprehendebat Brunsuicum, Vuestualiam, & eam terram, quæ hodie Saxonia appellatur. Hanc Carolus Magnus triginta annis impugnauit, antequam eam posset subdere fidei Christianæ, usqueadeo addicti erant Saxones cum principe suo Vuedekindo superstitionibus idolorum. Cæterum temporibus nostris Saxonia diuiditur in superiorem & inferiorem. Superior Saxonia uocatur ea terra, quæ est circa Vuittembergam, quæ & insignior habetur propter Electuræ dignitatem. Inferior uerò est circa Lunæburgum & Leoburgum, cui & Holsatiam annumerant, quæ olim Vuagaria uocabatur, erátque Comitatus: at hodie est Ducatus, cui regis Daciæ primogenitus præsidet non secus quàm propinquior regis Galliç hæres Delphinatui. Brunsuicum, seu Brunonis uicus, anno Christi DCCCLXVIII. exordium sumpsit. Huius urbis prima fundamenta iecit Comes Bruno, patruus Henrici primi regis Romanorum, breuiq; tempore urbs mirum in modum creuit in diuitijs & potentia. Anno Christi M. CCXXXVIII. Fridericus secundus ex Comitatu Brunsuicensi fecit Ducatum. Lunęburgum primo fuit Comitatus per Ottonem primum institutus, atque bonis Meckelburgensibus locupletatus, postea uerò, anno Christi M. CCXXV. Fridericus secundus ex Comitatu fecit Ducatum. Vuestualia olim pars fuit, ut diximus, Saxoniç. At postquam hę gentes cum Longobardis in Italiam profecti fuissent, & postliminio in patriam redijssent, barbaro uocabulo Vuestuualen uocati sunt, ut quidam scribunt. Vocant enim Germani Italos Vualen. Hos quum Carolus Magnus olim in officio catholicę fidei contineri non posset, quin ab ea toties suscepta iterum relaberentur, subornauit quosdam secretos iudices, qui fidefragos & alios facinorosos homines citra omnem prçuiam accusationem, exculationem & citationem suspenderent, aut alio mortis interficerent genere. Sed autoritatem istam

Hassia. *Thuringia.* *Misnia.* *Saxonia.* *Brũsuuicum.* *Lunæburgũ* *Vuestualia.*

non

non leuibus, & qui ea abuterentur, concessit personis, ut hodie iudicium illud in abusum ueniſſe uidemus, sed probis & integris. Terruit hæc res non parum Vuestualos atque Saxones, & in fide perseuerantes atque constantes continuit. Nam sæpe inuenerunt in syluis magnos quosdam, & etiam mediocres uiros, suspendio sine præuia excusatione exanimatos. Quumq; mortis scrutarentur causam, deprehenderunt eos uel à fide desciuisse, aut facinus aliquod admisisse. De hoc iudicio fusius in uernaculo libro mentionem faciam. Vuestualia pro maiori parte hodie paret Episcopo Colonienſi, idq; à tempore Friderici primi, qui Ducem Henricum Leonem hinc & ex tota pepulit Saxonia. Frisij putantur olim fuisse Cauchi, qui & postea à Duce quodam Franco Grunes appellati sunt, qui metropolim illius regionis extruxit, & à se Gruningam denominauit. Parent hodie, quanquam ægrè, Episcopo Bremensi. Anno Christi M.CCXXXX. inundatio maris penè totam submersit Frisiam. Nam perierunt in illo diluuio supra centum milia hominum. Marchia Brandenburgensis anno Christi D CCCCX|X. per Henricum primum Romanorum regem instituta est: qui & urbem Brandenburgum gladio obtinuit, & populos ultra Albim habitantes ui ad fidem Christianam coëgit. Nam ad tempus usque illud, populi ultra Albim habitantes infideles erant, uocatiq; sunt omnes uno uocabulo Vuandali, Christianis infestissimi. Scribunt Historici Brandēburgum extructum ante Carolum Magnum, nempe circa annum Christi CXL. à Brandone Duce quodam Franco, quando Franci partes Rheni inferioris adhuc habitabant, sicut & Franckfordiam iuxta Oderam fluuium eadem tempestate ab alio quodā Francoædificatam uolunt. Habuit hæc Marchia intra ducentos annos multos & uarij stemmatis principes. Nam quum anno Christi M.CCCXIX. uirili desti tueretur hærede, peruenit ad Duces Bauariæ: qui rursus eam pro magna suma pecunię uendiderunt Carolo regi Bohemię. Cuius successores eam etiam uendiderunt, nempe Marchionibus Morauię. Qui & ipsi paulò pòst eam impignerauerunt pro magna ui pecuniæ Vuilhelmo Marchioni Misniæ. Tandem in Concilio Constantiensi obuenit Friderico Burggrauio Nurnbergēsi, qui Comes erat à Collern: cuius successores eidem usque in hunc diem præsident.

Meckelburgum. Meckelburgum, seu Magnopolis, & Megalopolis, olim fuit magna ciuitas, unde tota regio denominabatur: hodie uerò oppidulum est cum munitissimo castro. Anno Christi M.CCCXLIX. Carolus quartus Albertum & Iohannem dominos huius terræ creauit Duces.

Pomerania. Pomerania sub Henrico quinto per Ottonem Episcopum Bambergensem primò ad fidem Catholicam conuersa est, anno scilicet Dominicę incarnationis M.CXX. Bugslaus unà cum fratre suo Casmiro sub Friderico primo primi creati sunt Duces.

Prussia. Prussia, siue secundum alios Borussia, quę olim uocata fuit Hulmigeria, est tam fertilis terra, ut si Iouí è cœlo esset cadendum, fertiliorem & cultiorem, in quam sese demitteret uix inuenire posset. Haud procul ab ea est insula quędam Glessaria nomine, quam uulgo Sudau uocant, ubi mare generat succinum seu electrum. Anno à Christo nato M.CCXX. quum Prussi nondum agnoscerent Christum, & Polonis maxima inferrent damna per ignem & gladium, Dux uerò Poloniæ, qui nondum erat rex, illis citra externum auxilium resistere nequiret, Fratres Teutonici ordinis Ptolemaida per Saracenos pulsi, in armis exercitatissimi, quippe qui terram sanctam multis defenderant annis, à Friderico imperatore obtinuerunt, ut si gentem Prussorum per arma à sua ferocitate cohiberent, atque Christo lucrarentur, perpetuò illius terræ futuri domini essent. Venientes igitur Fratres Teutonici unà cum Duce Poloniæ contra infideles Prussos, tam diu contra eos pugnauerunt, donec tandem peruicaciam eorum confregerunt, atque ui subiecerunt suæ obedientiæ. Hæc de Germaniæ regionibus bre-

bus breuiter dicta sufficiant. Ciuitatum & oppidorum, quorumcunque potui, originem in uulgari libro descripsi.

Quomodo & quando imperium in Germanos translatum sit.

QVum Itali Romanum imperium ferè usque ad annum Christi CCCXXX. tenuissent, translatum est in Græcos per Constantinum Magnum, qui Byzantium Thraciæ insignem urbem, quæ postea ab eo Constantinopolis est appellata, imperij sedem constituit: possiederuntq; Græci orbis monarchiam annis circiter CCCC. Nam anno Christi DCCLXXVI. Aquila imperij biceps facta est. Interea uerò temporis quum imperatores Constantinopoli residerent, & solis Græcis regionibus gubernandis intenderent, malè habere cœpit occidentalis Ecclesia, & præsertim Italia. Nam undiqde irruebant acerrimi hostes & lupi rapaces, qui gregem Domini dissipabant, urbes subuertebant, terras in solitudinem redigebant, & multa mala passim nemine resistente perpetrabant, sectq; ipsos Italiæ reges faciebant: inter quos Odoacer Hunorum rex primus fuit, qui anno Christi CCCCLXXVI. Italiam intrauit, & Augustulum, qui solùm per annum & duos menses ubicunque regnauerat, expulit. Contra quem missus est ab imperatore Constantinopolitano Theodoricus Gothorum rex, deuictóque Odoacro factus est ipse Italiæ rex, & peruersus Arrianus hæreticus, qui catholicis multa irrogauit mala. Post Gothos uenerunt Longobardi in Italiam, à quibus totum Romanum imperium tremuit, præsentiens futura mala, quæ à gente illa feroci passurum erat. Non habebat tunc Italia publicum aliquem rectorem, nec exercitum aliquem imperatorium, sed quælibet ciuitas quantum ualuit hostium tyrannidi resistebat. Misit tamen imperator ex Græcia Longinum quendam, qui tutaretur Rauennam contra Longobardorum insatiabilem cupiditatem, qui que imperatoris loco esset in Italia, & ablato regis atque Augusti nomine, Exarchus uocaretur. Hæc Exarchatus potestas cœpit anno Christi DLXX. & durauit usque ad annum Salutis DCCLVI. Interea uerò temporis quum Italia multifariam à Longobardis uexaretur, pertæsi Itali, & præsertim Rauennantes & Venetiani, imperatoris segnitiem & negligentiam, qui usqueadeo Italiam perire sinebat, tractare cœperunt cum Leone Papa de imperatore Constantinopolitano deserendo, & nouo, qui Ecclesiæ occidentali præesset, eligendo. Solicitabantur interim & aliæ multæ Italiæ ciuitates ad hoc ipsum atquefacile consentiebant, uidentes quàm nihil curarentur & defenderentur ab Imperatore, qui passim omnibus extraneis nationibus prædæ essent. Imperator uero audito hoc rumore indignatus, misit alium Exarchum, nomine Eutichium, qui Italiæ compesceret seditionem, ulciscereturq; iniuriam suam ubi posset, de Papa & Romanis: Longobardos uerò ut amicos tractaret. Itaq; Itali uidentes Longobardis iam grassandi apertam fenestram, maturandum sibi putantes negocium, mittunt pro Carolo Magno, qui miserè succurrat contra Longobardorum & imperatoris tyrannidem Italiæ, atq; in suum confugiunt tutamen. Erat autem Carolus iam paulo antè Franciæ & Germaniæ factus rex, uir magnanimus, fortis, bellicosus, prudens, iustus & Christianissimus, qui quum aliquot annis palatio regis Frãciæ præfuisset, & regnum illud fœlicissimè gubernasset, reges uerò omnino ignaui & effœminati facti, præter regium nomẽ nihil quod regis esset haberent, sed totum gubernaculum à Carolo maiore domus (sic enim uocabatur) penderet, indignum rati maiores regni ipsum regio priuari nomine, accedente Papæ consensu, Carolum regem salutant, detruso in monasterium legitimo, sed inutili rege. Quo facto, uocatur Carolus in Italiam contra Longobardos, qui pro libidine sua cuncta uastabant, ut insolentia

tia illorum repressa, Romanæ Ecclesiæ pacem & trãquillitatem procuraret, quæ tot annis, tantis & tam uarijs subiacuerat calamitatibus, & exterarum nationum incursionibus. Carolus igitur, qui iam aliquoties fœliciter in Hispania contra Saracenos pugnauerat, cum fortissimo exercitu in Italiam profectus, breui tempore Longobardorum fregit peruicacitã, sedauitq; omnes quos excitauerant tumultus, & reddita Ecclesiæ Romanæ pristina libertate, pro tanto beneficio accepit à Papa imperialem coronam, assentiẽtibus omnibus quorum intererat Italiq; primoribus. Hoc itaq; pacto Romanum imperium, quod iam CCCXXX. annis collapsum in Italia iacuerat, restauratum & innouatum est, anno scilicet salutis DCCCI. Quod quum audisset imperator Constantinopolitanus, iratus se à Romano exclusum imperio, multis annis contendit amissum recuperare imperium, sed incassum laborauit. Hic itaq; mira exorta est inter Gallos & Germanos contentio, dum illi Carolum suum esse uolunt imperiumq; in suam translatum nationem: hi uerò contrà Carolum ex sua ortum uelint natione, & sese imperij putent donatos dignitate. Certe referunt omnes ferè historiæ, Carolum Magnum in Ingelheim, patria mea dulcissima, natum: ubi & in hunc usque diem conspiciuntur mira quædã uetustatis monimenta: licet antiqua illa ædificia plerunque iam sint collapsa, & recentia, quæ Carolus quartus in memoriam Caroli Magni instaurauit, adhuc supersint: præsertim monasterium quod ex Caroli patellatio fecit. Abductæ sunt meo æuo à principe Palatino fusiles quædam lapideæ columnæ, quas Carolus Magnus aliquando è Roma adduxit, unà cum multis aliijs columnis, quibus Aquisgrani ornauit templũ. Cõstat præterea ex historijs, Carolum Magnum duodecim mensibus, & item duodecim uentis nomina Germanica imposuisse, id quod non potuisset si Germanus non fuisset. Taceo quòd omnia uetè imperialia Comitia in Germania celebrauit, puta Vuormaciæ uel Ratisponæ, uel Aquisgrani, aut in Ingelheimensi palatio. Quomodo igitur sub Ottone primo, ut Franci aiunt, imperium iam primum ad Germanos deuolutum est? Fuit quidem is Carolus Franciæ rex, fuit autem & Germaniæ rex, quũ & Sueuiam & Thuringiam, atque Frãciam orientalem, tandemq; & Saxoniam audientes haberet. Accessit ultimò & Bauaria, quũ rex Taisilo in Ingelheimensi principum conuentu morte dignus iudicaretur. Sed quoniam hic Carolus originem è Sicambris, seu Francis illis Rhenẽsibus duxit, & illi sese partim Galliæ, partim Germaniæ insinuauerant, & ob uirtutes eximias, quibus conspicui erant, ad principiatus gerendos rapiebantur, hinc est quòd tam Galli, quàm Germani hunc uirum suum esse uolunt, qui utrorunq; principem egit. Manserunt autem imperij fasces apud diui Caroli posteritatem usque ad annum Christi DCCCCXIII. tunc deficiente Carolino semine, noua contẽtio de imperij usurpatione nascitur, dum Itali id ad se trahere moliuntur: & item Galli sibi id deberi putant: Germani uerò, in quos iandudum translatum fuit, id nequaquam alteri nationi permittendũ arbitrantur: quin & imperator Constantinopolitanus nouas excitat in Italia tragœdias, ut imperium illud occidentale postliminio ad se reducat, immissis etiam Saracenis, qui terram perderent. Et Itali quidem Berengarios reges in Italia creant, Germani uerò Henricum, Aucupem dictum, Saxoniæ ducem eligunt in Romanorum regem, qui quum imperij coronam à Papa non recepisset, ab Italis in catalogo imperatorũ non recensentur. Porrò Galli Germanis principibus obedire recusantes, proprium instituunt regem, nempe Hugonem Capetum: anno uidelicet Christi DCCCLXXXVIII. Succedens uerò Henrico Romanorum regi filius suus Otto primus, cognomẽto Magnus, omnibus alijs præualuit, & imperium quod exteræ nationes ad se trahere conabantur, potenti manu apud Germanos retinuit. Profectus præterea in Italiam, Berengarium tertium, qui se pro Romanorum rege gessit, cepit, secumq; Bam-

bergam

bergam duxit:ubi & mortuus est.Italiam uerò ipsam,Longobardiam,Siciliam; Calabriam & Apuliam,quę Berengarijs obaudierunt,iterum Romano subiecit imperio.Deinde cum Gallis pugnās,qui omnes transrhenanas prouincias imperio abstulerant,recuperauit iterum Lothoringiam,Brabantiam,& Burgundiam,perpetuôque Romano subiecit imperio.Gessit & magna prælia contra Vngaros,inimicos Christiani nominis,quos & insigni clade fudit apud Vindelicorum Augustam:quapropter & Otto Magnus appellatus est. Firmato itaq; per hunc Ottonem imperio apud Germanos,adhuc canonica imperatoris electio non fuit,sed quem imperio dignum prior Cæsar moriturus designabat,hunc regni principes plerunq; instituebant:& hoc pacto filij ut in plurimum quasi hęreditario iure patribus successerunt.Qui eligendi modus à Carolo primo duravit usq; ad annum Christi DCCCCXCIII. Nam quum eo anno Otto secundus moreretur,moliebantur Romani imperium iterum ad se reuocare,turpe ducentes quod Romanum imperium potius apud exteram esset nationem,quam in Italia,ubi primo ortum fuisset,& incrementa tanta accepisset,ut etiam toti dominaretur orbi. Volebant igitur deinceps habere pro Romanorum rege uel ciuem Romanum,uel principem aliquem ex Italia,qui uniuerso præesset imperio.At Germani contrà nulla intercedente mora,elegerunt Ottonem tertium,secundi Ottonis filium,in regem Romanorũ,postergatumq; est & hac uice Romanorum consilium.Et defuncto Papa Iohanne,imperator Otto propinquum suum Gregorium quintum in locum eius suffecit,legemque tulit,seu formam electionis Cæsaris præscripsit,quam & Papa confirmauit,nempe quòd deinceps nulli liceret eligere Romanorum regem,nisi Germanis principibus,qui ex seipsis,aut extera natione imperio idoneum eligerent,& electus ui electionis mox Cæsar & Romanorum rex appellari deberet,non autem Imperator Augustus,nisi coronam prius à Romano suscepisset Pontifice.Et antequam hanc electionis formulam publicauit,conuocatis principibus & promoribus Germaniæ,qui imperatoris electioni interesse consueuerant,indicauit multos in electione sæpenumero inueniri,qui uel seipsos aut suos permouerent ad imperij dignitatem:& nisi huic ambitioni uia præcluderetur,futurum esse,ut aliquando grandis hinc emergat dissensio & periculosa simultas,& ob id præstare,pauci eos interesse electioni,qui omnium nomine deinceps uota sua in idoneum,& imperij fascibus dignum conferrent. Videri sibi quoq; aiebat operæprecium,si principes Electores cõstituerentur ex imperij Officialibus,quibus potissimum notae essent regni negocia & consuetudines.Qum autem hoc Cęsaris consilium principibus non displiceret,omnium consensu statutum est,quòd deinceps septem duntaxat principes Romanorum eligerent regem,nępe tres imperij Cancellarij:Episcopus Moguntinus,Germaniæ Cancellarius:Episcopus Treuirensis,Cancellarius prouinciarum,quas imperium ultra Rhenum in Gallia habet: Episcopus Colonienſis,Cancellarius Italiæ.Palatinus Rheni,imperij summus dapifer:Dux Saxoniæ,imperij summus ensifer,seu Marscalcus:Marchio Brandenburgensis,regni Camerarius:Rex Bohemię,imperij pincerna,qui illo tempore,nempe anno Christi M.I.quum hæc sanctio fieret,adhuc Dux fuit.Fiebant tunc & sequentibus temporibus & aliæ quoque constitutiones & ordinationes in imperio,uarijq; dignitatum gradus statuebantur,nempe quòd imperium pro sua maiestate & dedecore quatuor haberet Duces,quatuor Marchiones,quatuor Lantgrauios,quatuor Burggrauios,quatuor Comites,quatuor liberos,quatuor milites,quatuor ciuitates,quatuor uillas,& quotuor rusticos:quos omnes tibi sigillatim lector explicuissem,ni ueritus fuissem hæc tibi molestiæ esse. In uernaculo libro hæc omnia fusius expectabis: in quo etiam scribam,per quos Cæsares imperium usqueadeo imminutum est,ut hodie ferè nemo eidem pa-

reat, sed omnes passim conentur Romanam deplumare Aquilam, & suam priuatam augere ditionem. Nunc ad alias transeamus regiones.

Aliarum regionum, quas præter Germaniam continet Tabula Cusana, succincta enarratio.

HActenus Germaniæ nostræ prouincias quoad potui succincto descripsi stylo, nunc ut reliquarum quoq; nationum adeamus terras, quas Tabula complectitur Cusana, ordo ipse expostulat, uisuri scilicet eas quasi per transennam, & annotaturi quàm breuissimè fieri potest, ea quæ suppeditat lectio Historicorum atq; Cosmographorum, præsertim ea quę notatu digniora, & lectione iucundiora uidebuntur. Igitur post Germaniam, orientem uersùs, ueteres Sarmatiam descripserunt unà cum Pannonia inferiori, Iazigo, Dacia, Mœsia inferiori & Mœsia superiori, Dalmatia, Epiro, Gręcia, Macedonia, & Thracia. Sarmatia hodie est Polonia, Lituania, Liuonia, Russia, Podolia & Moscouia. Pannonia inferior est Vngaria atq; Transyluania. Iazygum hodie putant esse Septem Castra. Dacia est Vualachia, Bulgaria atque Rascia, sicut & Mœsia inferior, in qua Danubius labitur in mare. Mœsia superior est Bosna & Seruia, seu Sirfia, quę & Sagaria nunc uocatur. Aliqui annumerãt etiam Muldauiam Bulgarię. Dalmatia, Illyricum, Coruacia, Croacia, Carinthia, & Liburnia, hodie ferè uno nomine Sclauonia appellantur. In Thraciam hodie quidam extendunt Bulgariam, tametsi à quibusdam etiam Græcia appelletur. Macedonia quoque nostro æuo aliquid de Albania habet, sicut & Epirus. Verùm de his nunc singillatim aliquid scribemus.

Bohemia.

BOhemia olim habuit populos Quados, uel Marcomãnos, fuitq; pars Germaniæ, à rege Bohemo sic denominata, uel ut alij putant, à Croatino quodam uiro, qui hanc prouinciam in possesionem accepit, & Sclauonicam intulit linguam. Fuit autem à multis annis Ducatus, uocatusque est primus Dux Zechius, licet alij Primislaum, Pragæ fundatorem, primum uelint esse Ducem. Anno Christi M.LXXXVI. Dux Vratislaus factus est ab Henrico quinto primus rex, additis Bohemiæ regno Schlesia, Lusnitza & Morauia. Postea Carolus Bohemiæ rex factus Romanorum rex, quartus scilicet nomine, supra modũ istud ditauit regnum, non sine detrimento Romani regni. Anno Christi M.CCCLX. idem Carolus fecit ex Episcopatu Pragensi Archiepiscopatum. Deinde anno Salutis M.CCCLXX. instituit Pragę publicum litterarum studium, quod illic durauit usq; ad annum Christi M.CCCCVIII. Tunc ob Husiticum dogma, quod nouum uidebatur, supra duo milia doctorum, & studiosorum adolescentum ad Lipsiam Misniæ oppidum, sese transtulerunt.

Vngaria.

VNgariam olim Pannones inferiores, qui & Peones, inhabitarunt: deinde Gothi quoq; aliquandiu eam incoluerunt: post Gothos Huni, post Hunos, Longobardi, & rursus post Longobardos Huni: post Hunos tandem Vngari, populi Scythici, prouinciam hanc usque in hodiernum diem inhabitant. Dicq; regio ista ab antiquis temporibus diuersarum nationum diuersorium fuit. Gothos pepulerunt Huni, & Hunos excluserunt Longobardi. Qui quum XLII. annis eam prouinciam possedissent, anhelantes pro Italiæ acquisitione, Hunos iterum intromiserunt. Creantes igitur Huni Attilam regem, ferè totam Europã ex Vngaria pugnauerũt: habuerũtq; in uno exercitu decies cẽtena milia armatorũ uirorũ. Attilę uero hic erat titulus: Attila filius Bẽdeucũ, nepos magni Nimbroth,

broth, educatus in Engaddi, gratia Dei rex Hunorũ, Medorũ, Gothorũ, atq; Dacorũ, pauor orbis, & flagellũ Dei. Quũ igitur Huni per multos annos omnes in circuitu spoliassent prouincias, & Vngariã supra modũ exterarũ nationũ rapinis ditassent, circundabant terram suam nouem circulis, quos hagas Germani uocant, ex magnis scilicet quernis stipitibus, siue fagineis, distantesq; erant hi circuli uiginti miliaribus Germanicis, unus ab alio propinquiore. Intra hos aggeres erant uici uillæq; ita constitutæ, ut ab una ad aliam uox hominis audiretur, ædificia ualidissimis muris præmunita. Tubarum clangore unus circulus alteri cuiusq; rei certa signa dabat. Hunc immanissimum populum tandem Carolus Magnus octo annis impugnauit, & expugnauit, non sine immensa humani sanguinis effusione. Interijt enim in illo bello omnis nobilitas Hunorum, & indicibilis thesaurus auri & argenti intra hos circulos, præsertim in regia ipsa, inuentus est, quem direptis Germania, Gallia, Italia, Macedonia, Illyrico, atq; alijs nationibus, illuc congesserãt. Deletis itaq; à Carolo Magno Hunorum nobilibus, & fortissimis quibusq;, uenerunt ex Scythiæ partibus sub Arnolpho imperatore, anno scilicet Christi DCCCC. uel propè, Vngari, & relictis in Pannonia Hunis sese iunxerunt ueluti propinquis suis, ut aliqui putant, & prædecessorum suorum uestigijs inhærentes, multis incursionibus uastauerũt Germaniam, præsertim Bauariam, Thuringiam, Alsaciam & Saxoniam, donec ab Henrico primo cæsi, domi aliquandiu remanere coacti sunt. Sunt autem qui scribunt, ultra Tanaim fluuium in Scythia esse aliam Vngariam, unde primò nostri illi prodierunt Vngari, habentes utrinq; unam & eandem linguam, uocantq; hodie prouinciam illam Iuhram, quæ Moscouitis tributaria esse dignoscitur, solis preciosis animalium pellibus præparandis occupata. Caret enim auro & argento, atq; frugifero solo. Anno Christi DCCCCLIIII. quum Vngari nõ cessarent diripere & deuastare Germaniam, fusi sunt apud Augustã Vindelicorum ab Ottone Magno, ingenti atq; toto orbe memorabili cæde. Paulò pòst, anno scilicet Domini M.VI. diuus Henricus primus imperator sororem suam Giselam, Vngarorum principi in uxorem locauit, fretus hac spe, quòd uir infidelis per mulierem fidelem Christo acquireretur, quod & contigit: nam baptizatus est cum toto regno suo, uocatusq; Stephanus. Omitto hîc quanta damna & incommoda Tartari & Turcæ intulerint usq; ad tempora nostra Vngariæ, quum hæc passim in historijs legenda occurrant.

Polonia.

POlonia olim Sarmatia, regio est uasta & plana, atq; nemorosa. Est & pascuis idonea, atq; uenatione diues. Habet equos syluestres, & boues feros, Romani Vros uocant. Mellis copia est illis atq; Ruthenis tam ingens, ut non satis loci supersit, quibus illa recondant. Arbores nanq; omnes & syluæ aluearibus nigricant. Habent & salis maximam copiam, quod maximum toti regioni præstant emolumentum: quo nulla regi ipsi maior in toto regno gaza extat. Nã sub terra excidũtur ingentia salis saxa, & extra terram aliud sal ex aqua decoquitur. Regni metropolis est Cracouia, quam scribunt à Craco rege quinquaginta annis post Christum natum fundatam. Anno salutis DCCCCXCIIII. eruditus Adelbertus Episcopus Pragensis, Bolissaum Ducem Poloniæ in fide catholica, conuertitq; ad Christum. Otto secundus sublimauit Ducatum Poloniæ in regnum. Sed quum rex eius paulò pòst rebellis esset imperio Romano, iterum degradatur, & ex rege fit Dux, sub tributo seruiens. Et quum circa annum Christi M.LXXVII. omnes fere Germaniæ principes contra imperatorem Henricum quartum tumultuarentur, Dux Poloniæ mente elatus, atq; contemnens imperij iugum, propria autoritate sibi coronam imposuit, inũctus à sui regni Episcopis. Est autem hodie regnum uniuersum in quatuor uelut regiones diuisum,

quas in orbem rex quotannis inuisit. Singulæ ternis mensibus alunt regem regiumq; comitatum. Etsi casu is in una regione diutius manserit, nihil debetur ipsi amplius. In Cracouia celebri & amplissima urbe regia, est totius regni gaza. Cæteræ ciuitates parum nitidæ sunt, ex macerie domus ferè omnes compositæ, plerecq; luto collinitæ.

Lituania.

LItuania Poloniæ connexa, magna sui parte palustris & nemorosa, & ob eam rem difficilis aditu. Hyeme commercia cum Lituanis sunt habiliora, paludibus & stagnis alta glacie concretis, niueq; superinfusa fiunt omnia mercatoribus peruia. Quo fit, ut uelut alto mari, quando nulla sit certa uia aut semita, syderа signent iter. Accolarum diuitiæ sunt pecora pellesq; multigenarum ferarum. Ceræ ac mellis abundans est terra. Inter se matronæ palàm concubinos habent uirorum permissu, quos connubij uocant adiutores: contrà, pellicatus uiris probro datur. Soluuntur facilè matrimonia mutuo consensu, & iterum atq; iterum nubunt. Sermo genti ut Polonis. Caput regionis Vilna est, Episcopalis ciuitas: & est tantæ magnitudinis, quantæ Cracouia cum suburbijs omnibus. Domus tamen contiguæ non sunt in ea, sed ueluti in rure horti intermediant & pomaria. Tartari quidam circa Vilnam in assignatis pagis habitant, qui agros colunt & merces uehunt, Mahometum & Saracenorum professi sectam, atq; Tartarica loquentes lingua. Est Lituania amplissimus Ducatus, plurimum in Aquilonem uergens. Nam eleuatur polus Borealis Vilnæ LVII. gradibus. Fuerunt ante aliquot annos Lituani sub principe Kiouenli, donec Vithen plebis consensu & auxilio seipsum Ducem fecit, & Ruthenis peruicaci animo tributum annuũ negauit: imò exteros quosdam populos sibi tributarios fecit. Passi sunt Christiani multa damna ab huius Ducis successoribus usq; ad annum Christi MCCC LXXXVI. Tunc enim Dux Iagellus baptizatus, & Vladislaus uocatus, accitis quibusdam Episcopis, & alijs religiosis uiris, subditos suos omnes ad fidẽ Christi fecit conuerti, qui prius ignẽ, nemora & serpentes adorauerunt. Ipse uerò ducta filia regis Poloniæ in uxorem, factus est rex Poloniæ, tradito Lituaniæ Ducatu fratris sui filio, Vitoldo nomine. Qui quum uir esset bellicosissimus, breui tempore adiecit Ducatui suo Ducatum Plescouensem, Ducatum Nouogrodiensem, cuius metropolim uocant Nugardiam, & Ducatum Smolnensem. Ipse uerò facta in regionibus suis pace, proficiscens contra Tartaros, multas turmas secum captiuas in Lituaniam duxit illicq; terræ cultores locauit. Nouigrodum urbs, quę hodie etiam Lituanię asscribitur, paulò amplior Roma dicitur esse. Nã forma in suo circuitu habet sex Alemannica miliaria & dimidium: Nouigrodũ uerò complectitur septem Germanica miliaria. Hanc urbem expugnauit Iuuã, hoc est, Ioannes Moscouita, anno Christi M.CCCCLXXIX. & abduxit trecentos currus, auro, argento, gemmis, & alijs preciosis oneratos mercimonijs.

Liuonia.

LIuonia non dissimilis est Lituanię & Prussię, quibus contermina est. Est enim terra palustris & nemorosa. Patiuntur incolę eius multas à Tartaris incursiones & direptiones. Anno Christi M.CC. quidã religiosi & docti uiri Liuoniã adhuc Christo non credentem adeuntes, prędicauerunt illis fidem catholicam, nouum etiam instituentes Ordinem, & uestitum suum gladio signantes: unde & Ensiferi dicti sunt: uerum quum parum proficerent, adiunxerunt se Teutonicis Fratribus in Prussia morantibus: & facile quod cupiebant, perfecerunt.

Russia.

Russia.

RVssia & Ruthenia, quæ & Podolia, olim uerò Roxalana, regio est fertilissima, ut etiam agro obiter culto, frumento q; insperso, tribus perpetuis annis fructum ferat: Nec opus est agrum quotannis inuertere, sed inter metendum segite leniter excussa, alia in sequentem annum sua sponte crescit. Gramẽ adeò procerum producit, ut perticam transcendat: Vnde ibi apum tanta est copia, ut mella nedum in aluearijs & arboribus, uerùm & rupium atq; terræ cauernis reponant, ex quibus optimus medo, & grandes cerarum fiunt orbes. Non impiscantur ibi piscinæ & stagna, sed, ut aiunt, pisces ex cœli succrescunt influentia. Versus Tanaim & Mæotim calamo aromatico & reupontico abundat, pluribus q; herbis & radicibus alijs alibi non uisis. Solo uino carent Rutheni, sed quod aliunde aduehitur, nempe ex Vngaria, Moldauia, & Vualachia. Quædam Russiæ pars protenditur ad Sarmaticos usq; montes, cui dominantur Poloniæ nobiles, & huius Russiæ metropolis, insignis urbs. Maioris uerò Ruthenię metropolim aiunt esse urbem Moscouiam, ad amnem Moscum sitam: sed hæc regia est Moscouitarum, quorum regi Russia paret. In Russia inueniuntur uariæ hominum sectæ. Nam sunt ibi Christiani, Armeni, Iudæi, & Græci.

Moscouia.

MOscouia regio latissima, à Mosco fluuio sic denominata, extenditur in lõgum quadringentis ferè miliaribus, habetq; propriũ regem cui multi sub sunt Ducatus potẽtissimi, nẽpe Ducatus Tuuertzka, Ducatus Rzesen, in quo oritur fluuius Tanais: & prouincia Rozanska, quã inhabitãt Tartari, parentes tamen regi Moscouitarum. Vtitur Moscouia lingua Sclauonica, & est terra plana, nemorosa, & paludinosa, plena piscibus & feris non secus quàm Lituania: sed est frigidior, quũ magis in septentrionem porrigatur, quàm Lituania: Vnde & pecora minora sunt, carent que cornibus. Frumentum ob nimium frigus rarò matureſcit, sed manipulatim in hypocaustis torretur. Nutrit terra uaria animalium genera, sicut & Prussia, Lituania, & Liuonia, quæ ferè uno circumscribuntur climate: & præsertim habet Vros, quos Bisontes uocant, Alces, ceruis haud difformes, nisi quòd habent carneam promuscidem, & sublimiora crura. Hos uulgò Helendos uocant. Habet quoque magnos & nigros lupos, nostris aliquanto truculentiores. Regia eius est urbs Moscha, quam alij Moscouiam uocant, habens poli Aquilonaris eleuationem LVIII. graduum, distatq; CCLXXX. miliaribus à Cracouia. Caret hæc regio arboreis fructibus, præter cerasa. Melle uerò & cera supra modum abundat. Sequuntur incolę eius, religionem & ritus Græcorum, credentes exutis animabus nihil suffragari uiuorum bona opera. Purgatorium quoq; ceu humanum figmentum irrident. De his uide Paulum Iouium. Supra Moscouitas sunt multæ aliæ gentes Scythicæ, sed quæ regi Moscouitarum parent, nempe Perm, Baskird, Ciremissa, Iuhra, unde Vngari prodisse scribuntur, Corela & Permska: qui omnes ægre in Christiana fide à Moscouitarum principe continentur. Aliæ uerò nationes paulò septentrionaliores manent obstinatæ in suo errore, adorantes solem, stellas, & feras, & quicquid demum ipsis occurrit. Hi agros non colunt, non seminant, nec metunt, nullo uescuntur pane, nec habent usum pecunię: satiantur carne ferina, bibunt aquam, & habitant in densis syluis sub tugurijs, brutis animalibus non multò prudentiores. Vestitus eorum sunt uarię animalium pelles. Qui uerò mari uiciniores sunt, ut Coreli & Iuhri, uescuntur piscibus & uitulis marinis, quos Vornolos uocant. Sed longius expatior quàm Tabula nostra sese extendat. Si de his nationibus, & incolarum moribus, plura legere te delectat, consule Mathiam à Michau Polonum, & mirabilia inuenies. Nos igitur è septen-

trione regredientes, proficiscemur ad regiones meridionales, præsertim ad eas quas Tabula continet Cusana, ut sunt Illyricum, Dalmatia, & tota Græcia cum suis prouincijs.

Sclauonia.

ERant olim inter Pannoniam & mare Adriaticum seu Venetianum, duę insignes prouinciæ, nempe Illyricum & Dalmatia: sed nostris temporibus Illyricum in multas abijt regiunculas, nempe in Carinthiam, Coruaciam, & Croaciam. Sunt qui etiam Bosnam Illyrico adnumerent: imò quidam dicunt Illyriam generale fuisse uocabulum, atq; complexam non tam memoratas regiones, quàm Stiriam, Seruiam, Mœsiam atq; Dalmatiam. Aiunt quoq; Liburniam hodie esse Croaciam. Carinthia plurimùm est montosa & stagnosa, abundatq; aquis fluuialibus, inter quas Drauus primas tenet. Imperium eius Austriæ principes obtinent. Est huius prouinciæ consuetudo in oppido Klagen, furibus durissima: Si quis in furti suspicionem uenerit, é uestigio suspenditur. Postridie de suspicione iudicant: Si sontem inueniunt, pendere sinunt, donec per partes ad terram defluat cadauer: Insons uerò repertus sepelitur, & exequiæ ex publico persoluuntur. Vtuntur Carinthij lingua Sclauonica, sicut & Dalmatæ, Bosnitæ, Croacij, Carni, Bulgari, Seruij, Mœsi, Poloni, Bohemi, Moscouitæ, Cassubi, Russi, & aliæ multæ nationes. Vnde multi putant, non latiorem esse linguam in terris, quàm Sclauonicam, quam alij Vuandalicam uocant. Bosna olim fuit superior Mœsia, uocatur'que regia, seu metropolis eius laica. Anno Christi M. CCC CL XI. subegit Turca hoc regnum, & in huncusq; possidet diem. Dalmatia olim nominatissima & potentissima fuit prouincia: cuius etiam incolæ inuictis audebant rebellare Romanis, quinquaginta elegantum castellorum & ciuitatum freti fiducia: quę tamẽ Cęsar Augustus igne combussit & subuertit. Trãsit per Dalmatiam mons quidam oblongus, Adrius uocatus, à quo mare putãt Adriaticum appellari, qui prouinciam ipsam in duas partitur medietates: unum uersus, Pannoniam, & alteram uersus mare relinquens: in cuius fine orientem uersus, est ciuitas quædam, Apolloniam nomine, iuxta mare habens situm: ubi inuenitur quędam petra ignem spirans, & subter petram sunt fontes, calidas euomentes, aquas, atque bitumen, pręsertim quando petra igne rutilat. Non longe ab eo loco foditur è terra æs & metallum: & foueæ sic uacuæ relictæ, post aliquod tempus iterum ęre replentur. Quòd si mox terra oppleantur, erescit ibidem pro ęre bitumen.

Dacia.

REgio illa quę olim Dacia fuit uocata, hodie in uarias est diuisa prouincias, nempe in Transsyluaniam, Rascią, Seruiam, Septem Castra, & Bulgariam. Transsyluania uulgo Zipserland uocatur, habetq; trans syluam situm suũ. Sunt qui Getas olim putent Transsyluanos fuisse, & Triballos atq; Mœsios Rascianos, qui uulgo die Retzen appellantur. Ante paucos annos regiones istæ omnes fuerunt sub corona Vngarię: iã uerò Turcę obaudire cogũtur. Sunt prę terea qui dicunt, Dacos populos septentrionales olim uias has occupasse regiones, & ab ipsis Daciam nuncupatam. Hodie uerò possidetur à Germanis, Siculis & Valachis. Germani olim ex Saxonia per Carolum Magnum illuc sunt destinati, uocanturq; isto tempore Septemburgenses, à septem castellis, quę ibi extruxisse feruntur.

Vualachia.

VValachia à meridie terminatur ad Danubium. & à septentrione ad Rhoxanes, qui hodie sunt Rutheni, possederũtq; olim eam regionẽ Getę, populi in historijs notissimi. Sed posteaq; à Romanis fuerũt deuicti, appellata est regio

regio ipsa à Flacco duce exercitus Flaccia: quod uocabulum nonnihil sequentibus temporibus immutatum est, dum pro Flaccia Falachia, & à Germanis Vualachia legitur. Incolæ eius usque in hodiernum diem utuntur Romana lingua, quanquam plurimum immutata sit, ut etiam cum magna difficultate Italus Vualachum intelligat.

Macedonia.

EST hodie Macedonia pro magna parte Albania, quæ in Epirum quoque porrigitur: uocabatur que ab antiquissimis temporibus Emathia, à rege Ematho. Fuit autem Macedonia primò angustum & paruum regnum, sed regū uirtute, & uulgi prudentia latissime propagatum est, dum non modò uicinas regiones suæ subdiderunt ditioni, uerùm & quæ longissimè semotæ erant, sibi audientes fecerunt. Quum enim Græciæ ciuitates inter se prælijs maderent, & quædam regem Philippum Macedonem in Ducem elegissent, quo alijs potentiores essent, breui factum est, ut Philippus tam has, quàm illas urbes suo subijceret regno, uarijs usus insidijs & astutijs. Deinde Epirum quoq; sibi audientem fecit, expulso eius terræ rege. Sed & regi Scythiæ, cuius ditio protendebatur ab Aquilone usq; ad eum locum, ubi Danubius in mare sese effundit, inæstimabilem abduxit rapinam, tantasq; equitum & militum copias in unum collegit, ut etiam Persiæ rex sibi timeret, qui imperium suum ampliauerat usque ad Ponticum mare. Et quum breui pòst tempore percussus moreretur, filius eius Alexander Magnus regnum illud Macedonicum propagauit ferè usque ad Indiam. In Mācedonia est Thessalonica, metropolis Philippensium, quæ modò Salonica uocatur, quam diuus Paulus olim epistola sua honorauit. Est quoq; in Macedonia mons Olympus, cuius uertex usqueadeo in altum erigitur, ut putetur cœlum contingere. Scribit Solinus in huius mōtis cacumine nullam aëris esse commotionem, quippe qui mediam aeris pertranseat regionem, & ob id nullis afficitur tempestatibus, id quod probant characteracteres cineri inscripti, qui post anni reuolutionem sub diuo adhuc illæsi reperiuntur. Porrigitur autem secundum quosdam hic mons decem stadijs in altum.

Thraciâ.

THracia hodie Romania uocatur, & sequitur Macedoniam, à septentrione Istrum habens, & ab oriente Pontum ac Propontidem. Regio est ut Pomponius scribit, nec cœlo, nec solo fœcunda satis & temperata, nisi ubi mari uicinior est. Frigida est, ideò quæ seruntur malignè fert. Raro usquam pomiferam habet arborem. Vites habet, sed fructus eius non matureſcunt, nisi frigora frondium obiectu per cultores arceantur. Homines habet feros & asperos, & numerosos, adeò ut si unius imperio regerentur, & idem sentirent, ut dicit Herodotus, inexpugnabiles essent, & omnium gentium ualidissimi. Sed quia arduum hoc illis est, ideo imbecilles sunt. Thraces olim quando tonabat & fulgurabat, in cœlum sagittas excutiebant, Deo minitantes. Ociari & ex rapto uiuere, pro re honesta habebant, contrà agros colere, pro despicatissima. Corporum magnitudine omnes homines Thraces antecedunt, truci uisu, terrifico uocis sono, annosa ætate. In regis electione non nobilitas prævalet, sed suffragium uniuersorum: populus enim eligit spectatum moribus, & inueterata clementia, etiam annis grauem, sed qui filios non habeat. Etsi fortè dum regnat pignus sustulerit, potestate exuitur: maximè enim custoditur, nec regnum hereditarium fiat. Vrbes insigniores olim in Thracia fuerūt Apollophania, Enos, Nicopolis, Caliopolis, Perinthos, Byzantiū, quę postea à Cōstātino Cōstantinopolis dicta est, & facta imperij sedes, totiusq; orientis caput. Hęc primū à Pausania Spartanorū rege extructa creditur, & per septem annos possessa: deinde uariante uictoria, nunc Lace-

dęmoniorum, nunc Athenienſium fuit: demum à Conſtantino primo in nouam ampliata, & in regiam urbẽ exaltata, translataq; eſt in eã omnis Romanę dignitatis gloria, & dedicata in ſedem Romani imperij, atq; Noua Roma appellata. Sed euolutis annis circiter CCCCLXVII. diuiſum eſt Romanum imperium à Cõſtantinopolitano, ut ſuprà quoq; memorauimus, & primus imperator Carolus Magnus inſtitutus eſt: quod malè habuit Græcos, meditantes malum imperatoribus Latinis. Vnde contigit Ottonis ſecundi tempore, quando Græci ſciebant imperatorem occupatum multis bellis, ueniebant in Italiam cum multis Saracenis: quibus imperator occurrens cum multis legionibus Romanorum & Beneuentanorum; initaq; pugna fugiunt Romani primùm, deinde Beneuentani cum magno dedecore: & occiſæ ſunt ferè omnes copiæ imperatoris, ut facilè Græci tota Italia & Roma potiri potuiſſent, ſi uictoria uti ſciuiſſent. Imperator deſertus fugit ad littus: & quum ſe ſcaphæ commiſiſſet, à piratis non cognoſcẽtibus eum interceptus, in Siciliam ductus eſt, ibíque cognitus: & ingenti pecunia Siculis promiſſa, ut Romam perduceretur, obtinuit. Tranſtulit autem Conſtantinus è Roma imperij ſedem in orientem, quo Parthorum compeſceret excurſiones. Ampliauit propterea antiquam illam urbem, noua mœnia erexit. turribus urbem muniuit, adeoq; ornauit, ut magis deorum habitaculum, quàm hominum uideri poſſet. Nomen urbi Nouam Romam indidit, ſed uicit obſtinatio uulgi, ut à conditore Conſtantinopolis uocaretur. Poſteri quoq; imperatores mirum in modum eam urbem exornauerunt. Erat triãgularis formæ, quarum duas alluit mare. Hanc urbem poſtea Galli cum Venetis quinquaginta quinq; annis poſſederũt: deinde Paleælogorum clara familia Genuenſiũ: quod hac occaſione accidit. Anno Chriſti M.CCII. Alexius filius Iſachij imperatoris Conſtantinopolitani, fugiens inſidias patrui ſui, uenit ad Venetorum Ducem, orans ne ſe pateretur imperio fugari: pollicens, ſi in auitum reſtitueretur regnũ, magnum auri pondus bona fide perſolueret. Motus Dux precibus Alexij, & cæteri Galliæ Duces, qui iam contra Turcam exercitum mouebant, uenerunt nauigio contra Byzantium, quibus iuncti ſunt Cretenſes, & oppugnant urbem terra mariq;. Tunc Alexij patruus rebus deſperatis fugam occupat, & Alexius imperator ſalutatur. Et quum idem Alexius animum intenderet, ut Ducibus gratificaretur muneribus, oritur tumultus in ciuitate contra Alexium, quòd pueriliter profunderet pecuniam auarę genti, quæ inimica eſſet Græco nomini. Puer timens ſibi, mittit ad Bonifacium propinquum ſuum, pro auxilio in uitę periculo, ipſe uerò curaret, ut porta qua intraret, ad tempus pateret. Fuit in his, qui eius conſilij participes erant, Myrtilus, ex infima ſorte per Alexij patrem ad dignitatem euectus homo ambitioſus, & proditor, qui Alexij conſilium aperit, & perſuadet multitudini, quòd in his periculis non opus eſſet puero, ſed uiro prudenti & forti, qui res imperij uirtute & conſilio erigeret: & alia blanda uerba loquens, obtinuit ut una pars multitudinis eum prefectum urbis, alia belli ducem, tertia imperatorem declararit. Tunc ipſe confeſtim ſtipatus ſatellitum & propinquorum caterua, proripuit ſe in Alexij domum, & puerum propria manu iugulauit: deinde conſtituit Gallos & Venetos armis pellere: ſed uicta eſt acies eius. Tunc Galli & Veneti fœdus ineunt, ut quicquid urbium, inſularum & locorum ex illo imperio quæreretur, inter ſe diuiderent. Inde urbs eſt impugnata ſexagintaocto diebus: & quum uicina eſſet captioni, Myrtilus cum uxore & pellicibus, magnaq; ui auri fugit nocte. Quod uidentes ciues urbem dediderunt, & ueniam ſupplicabant atq; pacem. Tunc Veneti & Galli Byzantium recipientes, creauerunt Balduinum Flandrenſem imperatorem: & Veneti dederunt urbi Epiſcopum. Deinde omnia loca, præter Adrianopolim, ceſſerũt Gallicis & Veneticis armis, & omnia ſubijciuntur Balduino. Venetis datæ ſunt inſulæ, præ-

ſertim

sertim Creta, Eubœa, quæ iam est Nigropontus, & aliæ multæ paruæ insulæ in toto Aegeo mari. Deinde anno quinquagesimooctauo, postquam Byzantium à Gallis & Venetis captum fuit, iterum amittitur, & à Palæologo possidetur.

QVOMODO ET QVANDO FOEdissimus Turca imperium Constantinopolitanum sibi subiecerit.

TVRCAE dicuntur ex Scythia primò uenisse, idq; circa annum Domini DCCLV. sensim illabentes in Pontū & Cappadociam: habueruntq; initiò multas pugnas cum Saracenis, donec tandem aliquas terras illis abstulerunt. Et ut quieti ab eis essent, Mahumeticam superstitionem assumpserunt. Horum primus Dux fuit Otomannus, à quo omnes posteri Turcarum imperatores Ottomanni appellati sunt, homo infimę sortis & abiectus, sed qui apud Tartarorum imperatorem bellis exercitatus & animosus factus, ob leuem iniuriam sibi illatam cum quadraginta equis fugiens, cepit montes Cappadociæ, & multos sibi adiunxit raptores: quibus stipatus, & indies perditorum hominum adhæsione fortior factus, subegit Cappadociam, deinde Pontum, Bithyniam, & Asiam minorem. Alij dicunt in Nateliam Armeniæ castrum fugisse, Ottman nomine, ubi perditorum illorum hominum colluuies primò collecta fuerit, cœperuntq; primum Græcorum uillas exurere, terras diripere, & homines abducere: ac inde potentiores facti, etiam regiones sibi subditas fecerunt, ita ut Persarum quoq; regnum Saracenis abstulerint: quanquam postea illos secum regnare permiserint, quo quietius alias infestarent regiones. Huic Ottomanno, postquam XXII. annis imperauit, successit filius eius Archanes, qui partum regnum non minuit, sed auxit. Tertius imperator fuit Ammurates, Archanis filius. Hic notabis lector, quòd quum imperium Constantinopolitanum latissimè in orientem extenderetur, nempe usq; ad fluuium Tigridis, qui terminus erat occidentalis imperij Persici, & limes orientalis regni Byzantini, & imperator Constantinopolitanus ubiq; regnum suum tutari non posset, posuit Ducem seu rectorem quendam in urbem Trapezuntinam Cappadociæ, qui gubernaret prouincias illas orientales, idq; fecit annuatim, ut scribit Haytonus Armenus. Accidit autē ut quidam ex illis Ducibus imperatori rebellis factus, retinuerit dominium illud pro se, fecerit q; se nominari regem, & postea imperatorem, quemadmodum etiam usq; in hunc diem Turcarum imperator, uocat se imperatorem Trapezuntinum, posteaquam urbem illam, & totam ditionem orientalem sibi subiecit, sicut & imperatorem Adrianopolitanum, & item Cōstantinopolitanum se scribit, de quo postea. Quum igitur imperator Constantinopolitanus oppugnaret Trapezuntium Ducē, qui se in regem eleuauerat, uocat Trapezūtinus dictum Amuratem Turcarūm imperatorē, transmittitq; ultra Hellespontū in Thraciā, promittens magnam pecuniam, si imperatorem Constantinopolitanum à se liberaret. Turcauero insidijs plenus, non tantum studuit Trapezuntino suppetias ferre, quantum ditionem suam ampliare, ideoq; maiorem partem Thraciæ sibi subiugauit. Post hunc regnauit filius eius Baiatzet, qui expugnauit Macedoniam, Thessaliam, Phocidem, Bœotiam & Atticam. Bulgariam quoq; & Bosnam oppugnauit. Deinde Constantinopolim quoq; obsedit & coangustauit. Interea uerò temporis Tartarorum imperator irruens in Turciam omnia uastabat, & apprehendens Baiatzet, ligauit eum aureis catenis, quem tamē post aliquod elapsum tempus, liberum dimisit. Alij uerò sic scribunt hanc historiam. Circa annū Christi M.CCCC. Tamerlanes rex Tartarorum transito Euphrate cum CCCC. milibus

equitum, & DC. milibus peditum in Asia minori regem Turcarum superauit, & interfectis aliquot suorum milibus ipsum cepit, & catenis aureis uinctum inclusit in caueam in modum feræ, & circunduxit per omnem Asiam ut spectaculum humanarum rerum. Prandens uerò quasi canem sub mensa sua comedere iussit: & ascensurus equum eo tanquam scabello usus est. Huic successit Alpinus, contra quem profectus Sigismundus imperator, iuxta Danubium in fugam uertit. Post hunc regnauit sextus Turcarum imperator Mahumetes, qui non parum armis suam ampliauit ditionem. Et hic moriens reliquit filium Ammuratem nomine, qui celebertimã Thessalonicensium urbẽ subuertit, & Cyprum atq; Aetoliam expugnauit. Hic Triballos, seu Mœsios, qui sunt Seruij, Sclauos & Vngaros apud Varnensium lacum, non longe à Bosphoro, cum multa nobilitate deuicit, anno scilicet Christi M.CCCCXLIIII. Fuerunt in exercitu Christianorum Vngari, Vualachi, Poloni, rex Poloniæ, Cardinalis Iulianus, & multi Pontifices Vngarię, & circiter triginta milia equitum. Occubuit autem rex Poloniæ, & Iulianus insidijs Christianorum latronum interfectus est. Ex qua uictoria elatus, Peloponnesum maxima ui aggressus oppugnauit, & murum Isthmi Corinthiaci deiecit, qui unicum Peloponnesiorum putabatur esse præsidium. Post hunc regnauit filius suus Mahumetes, octauus imperator, qui Christianis innumera & maxima intulit damna. Nam anno Christi M.CCCLIII. Constantinopolim urbem diu florentissimam quinquaginta diebus obsedit, & terra mariq; oppugnauit: habuitq; in exercitu trecenta milia pugnatorum. Et quum Græculus imperator poscceret auxilium ab Ecclesia, Pontifex Romanus exprobrat ei dissessum ab unione Ecclesiæ. Habuit autem urbs formam triãgularem: duas partes alluit mare, & tertia pars quæ est ad terram, post altos muros ingenti claditur fossa. Et dum Turca neq; interdiu, neque noctu intermittit oppugnationem, pars muri bombardis disiecta, fossam magna ex parte oppleuerat, ita ut Turcæ per ruinas scandentes peruenerint ad antemurale. Tunc imperator Palæologus, non ut regem decuit pugnando, sed fugiens in ipsis portæ angustijs cadens, calcatus pedibus obijt. Et quoniam pauci aderant qui Turcarum impetum sustinerent: qui autem sustinuerunt, tandem uicti occubuerunt: tum subitò capta urbe in rapinas itur, & omnia miscẽtur cædibus & stupris: & præ nimia auaritia rapiendi, hostes in mutuam pernitiem grassantur, dum quisq; pecuniam uel dona templorum attraheret maiore ui. Coacti sunt serui uerberibus & tormentis abdita scrutari ac eruere, inuentiq; sunt non pauci thesauri, quos ciues à principio belli foderant: quibus si pro defensione urbis usi fuissent, suam fortasse uitam & patriam seruassent. Sed auaro in aurum nulla potestas. Paulò post iussit tyrannus principes & optimates ciuitatis captos decollari: & defectum imperatoris caput hasta sustixum in castris circumfertur in cõtumeliam uictorum. Potitus itaq; hac urbe & capite Græciæ, omnes alias ciuitates facilè in suam redegit potestatem. Nam Peloponnesum, seu Moream postmodum armis deuicit: sic Achaiam, Acarnaniam, Epirum, Bulgariam, Rasciam, & Seruiam deuicit. Lesbon quoque, quæ & Mitylene, nobilem Genuensium insulam, cum magna humani sanguinis effusione cepit. Hic idem tyrannus anno Christi M.CCCCLVI. pergit cum CL. milibus pugnatorum uersus Albam, quæ olim Tauruni dicta est, hodie uerò Belgradum, uulgò Kreichesuuyssenburg, castrum munitissimum, dispositisq; tormentis maximis, priores muros deiecit, inter quos & alios interiores muros magnum spacium erat, ubi Christiani milites tyrannum expectabant. Ingressi igitur Turcæ per ruinas, pugnatum est summa utrinque, donec pulsi Turcæ extra mœnia: sed instigante Mahumete imperatore Turcæ iterum irrumpunt, & acriter pugnant eum Christianis, quousq; à Christianis in fugam cæduntur: quos nostri insecuti sunt tandiu, donec cunctæ machinæ &

tor-

& tormenta sunt nudata custodijs, & capta. Multi principes Turcæ occisi tyrannus quoq; ipse grauiter sauciatus, cogitur cum magno dedecore redire in suum regnum. Ceciderunt autem ex suo exercitu quatuor milia Turcarum. Anno Domini M.CCCCLXXI. idem Mahumetes cepit Eubœam, siue Nigropontum, Venetorum insulam, & plurimam cædem in ea fecit. Deinde occupauit Athenas, quæ nunc Sethine dicitur, & alias multas præclaras urbes. Diripuit quoq; Sinopem urbem uetustam & Trapezuntiam, atq; earum imperatorem cum filiis captiuũ abduxit. Et ab hac urbe debellata deinceps se imperatorem scripsit Trapezuntinum, & à Constantinopoli Constantinopolitanum, sicut primò ab Adrianopoli Adrianopolitanũ, ubi prædecessores sui centũ circiter annos ante deuictã Constantinopolim sedem imperialẽ constituerant. Est autem Adrianopolis, quam alij uocant Andronopolim, urbs præclara Macedonię. Dici non potest quanta damna hæc teterrima & infernalis pestis intulerit Ecclesię Dei. Nam præter dicta loca, quæ Christianis ui abstulit, obtinuit quoque munitissimum castrum Smederouu, iuxta Danubium situm: ex quo postea plurimas excursiones fecit in Sclauoniam, Croaciam & Stiriam. Expugnauit etiam urbem Caffam unà cum tota insula Taurica, quæ Genuensium tunc erat, iacet autem hæc insula, ut uides in tabula Cusana in Mæotidis paludibus, quam hodie incolunt Tartari, Vlani dicti, habetq; tres ciuitates, uidelicet Solat, Kirkel, Caffam, & duo castra, nempe Mankup & Azau. Solat uocant Tartari Chrim: & Caffa primus uocata fuit Theodosia. Porrò insulam iam appellant Precop, & princeps eius uocatur imperator Precopensis, cuius subditi ferè singulis annis in Russiam uel Lituaniam, uel Vualachiam, uel Poloniam, uel Moscouiam irruunt, & prædas abducunt. Anno Christi M.CCCCLXXX. iam sæpe dictus Mahumetes maxima ui aggreditur Rhodum insulam, cum classe scilicet centum uelorum, & cum centum milibus militum. Sed exactis LXXXIX. diebus, cum magna clade & ignominia domum reuertitur, & præmœrore animi illo anno moritur. Reliquit autem duos filios, Baiazeth & Zyzimi, quem alij Zeliab nominant. Et quum ambo regnare uellent, prævalui senior suffragijs populi, & iuniorẽ exturbauit regno. Qui fugiens ad Sultanum, obtinuit ab eo exercitum: sed qui facile à maiore fratre superatus est. Tunc desperatis omnibus rebus Zyzimi fugit ad Christianos, nẽpe ad Rhodios, quos pater suus paulò ante acriter impugnauerat. Susceptus igitur honorifice à Magno magistro, mittitur Romam ad Papam, qui etiam gaudet, Ecclesiam talem nactam utrum, per quem amissas regiones recuperandas pasim cuncti sperabant. Sed & frater suus Turcarum imperator non parum sibi metuit, sciens plurimos in suo esse imperio, qui fratri potius quàm sibi optabant regnum Papa igitur quum misisset Zyzimi ad regẽ Galliæ, ille rursus eum misit Romam: ubi aliquandiu detentus moritur, non sine suspicione dati uenen. Baiazeth uerò mortuo fratre suo, Christianos ubiq; oppugnat, præsertim in Moldauia Album castrum, & nominatissimam urbem Moldonam, quam & obtinuit, quæ tunc ad Venetos spectabat. Huic successit filius suus Zelembeg, qui proprium iugulauit fratrem, ne æmulum pateretur regni, cominatusq; est Christianis multa mala, sed à Sophi rege Persarum hostiliter inuasus, propositum suum exequi non ualuit. Hunc alij uocant Solymum, qui Sultano infestus, Hierosolymam & Aegyptum è sua potestate eripuit. Reliquit autem filium Solymanum, qui anno Christi M.DXXIII. Rhodum insulam expugnauit: & paulò pòst, anno scilicet salutis M.DXXVI. Vngariam diripuit, regemq; eius Ludouicum occîdit. Idem tyrannus anno Christi M.DXXI. Belgradum, Vngariæ unicum præsidium expugnauit, non sine magna Christianitatis iactura. Hæc de Turcarum rebus, & imperij Constantinopolitani amissione breuiter annotata sufficiant.

Ciuitatum

Ciuitatum quarundam & locorum, quæ continet Tabula, ocularis demonstratio.

AGe, ueni nunc mecum, si placet, & lustremus primò lineam Rheni & loca adiacentia, quò aliquãto familiarior tibi fiat Tabula. Plurimum enim tibi profuerit, si singulorum exploraueris locorum situs, distantias, & mutuos aspectus, hoc est, num hæc ciuitas illam respiciat ab occidente uel meridie, &c. & in his perquirendis, & contuendis egregiè te exercueris.

Rhenus igitur, ut uides, originem suam ducit ex Heluetiorum montibus, parum supra ciuitatem Coram, quam uulgò Chuor uocamus. Hinc sequitur oppidum Feldkirch, & lacus Constantiensis, olim lacus Podmicus uocatus, in cuius littore iacet Lindoia, & supra eam Pregantia, infra uerò Hagenoia insignis uilla, Merspurgum, Vberlinga, Cella, Schaffhusena, quorum nomina adscripta sunt obspacij angustiam, sed locorum duntaxat insignia iuxta lacum conspiciuntur. Porrò ultra lacũ uides Constantiã, & situm diui Galli, ubi Turgadia scribitur, quod uulgò Thurgeu uocant. Exprimit quoq; Tabula insigniora Heluetiorũ oppida, quæ sunt, Friburgũ, Berna, Lucerna, Soloturnum, Tigurũ, & iuxta ipsum Badenia, ubi salubres habentur thermæ: Flaurana, quod Vraniam, uulgò Vri, legendum censeo. Nam apud Vranenses initiũ sumit Lucernensis lacus & fluuius ex eo prodiens Reussa uocatur, sicut & Tigurensis lacus ex Lima ta colligitur fluuio. Vides quoque originem Rhodani fluuij ex Alpibus Sultensium duci, qui & à Losanna episcopali ciuitate usq; ad Geneforam urbem, uulgò Gẽf, insigne emporium, magnum efficit lacum, quem ueteres Lemanum uocauerunt, unde aliqui Germaniam (sed falsò) Alemanniam uocatam putauerunt. Quòd si cursum Rhodani ultra sequutus fueris, occurrent multæ insignes urbes, nempe Lugdunum, quod uulgò Lyon uocatur, Vienna in Delphinatu, Valentia, Auenion, Tarascon, Arelatum, uulgò Arle, à quo aliquando Arelatense regnum denominatum fuit. Et ut rursum redeamus ad Rhenum, unde digressi sumus, occurrit nobis Basilea, ad dextram habens Brisgauiam, & ad sinistram Sundgauiam atq; Alsatiam. Insigniora loca Sundgauiæ sunt Dañ, imperiale oppidum, & Einsheim. Alsacia uerò has habet præcipuas ciuitates, Colmariã, Selestadium, Cæsaris montẽ, Argentinã, Zaberniã, & Hagenoiã. In Brisgauia autem sunt Nouumburgum, Brisacum, & Friburgum: quibus annumerari potest Offenburgum: quanquam illud sit in Ortnau'. Ad dextram Hagenoiæ per tria miliaria est Badenia inferior ubi Marchio residet Badensis', & ubi thermæ habentur exquisitæ, contra uarios morbos salubres. Post Hagenoiam sequitur Vuyssenburgum, deinde Landoia, inde Spira. Parum infra Spiram miscetur Neccarus Rheno: qui & ipse habet aliquot insignia oppida in ripa sua sita. Primùm itaq; ascendenda est Heidelberga, insignis quidem ab uniuersali studio, & principis Palatini residentia. Post hanc sequitur Vuimpina, & deinde Heilprũna, ambo imperialia oppida. Hinc Eslinga, imperiale quoq; oppidum, & Stuckgardia, locus residentiæ principis Vuirtenbergensis: à quo si per tria miliaria ascendas, occurrit Tubinga, oppidum uniuersali decoratum studio. Hinc unius miliaris spacio emenso, uenitur ad Rotẽburgum, ubi Neccarus originem suam non trahit, ut hæc Tabula indicat, sed prius ascendendum est ad oppidum Horbam, & deinde ferè usq; ad Rotuuilam, Nigræ syluæ præcipuum oppidum, & ibi uisuntur prima Neccari stillicidia. Porrò si à Spira per Rhenum descendas, occurrit Vuormacia, & deinde per Oppenheim eundo, uenies ad Mogunciam, uulgo Mentz: ubi Mogonus fluuius absorbetur à Rheno. Hic Mogonus originem suam ferè ducit ex Bohemiæ montibus, habetq; insigniora loca, Franckfordiam

fordiam, celeberrimum Germaniæ emporium, Miltembergam, Vuertham, Herbipolim, uulgò Vuirtzburg, Tœttelbachium, Kitzingam, Hasfurdiam, & Bambergam: ubi alium recipit fluuium, nempe Pegnitzam, qui ab Amberga Norici per mediam labitur Nurnbergam, alluitq; mœnia Forchemiæ & Bambergæ priusquam Mogonum ingreditur. Erratum itaque est in tabula, ubi Bamberga ad montes usq; Bohemiæ collocata est, quum ipsa & Nurnberga iuxta unius Pegnitzæ ripam fundatę sint. Sed redeamus ad Mogunciam. A Moguncia usq; ad Bingam in dextra parte Rheni est Rhingauia, seu Rheni pagus, terra ab optimo uino, quod producit, etiam apud Britones celeberrima. Apud Bingam uides ingredi Rhenum Nahamfluuium, qui ex Hunorum præsidio uulgò Hunsruck, prorumpit, unum habens insigne oppidum, Crutznacum nomine, in littore suo situm. Post Bingam est Bachracum, Vuesalia superior, Diuus Goarus, uulgo S. Geuuere, Boparta, Landstein: ubi ex media Haisia amnis Lana profluens iungitur Rheno, habetque multa oppida & uillas in ripa sua sitas. Proximum Rheno oppidum, & magis præcipuum, est Limpurgum. Est & alius quidam locus iuxta hunc amnem situs, Bims uulgo uocatus, qui ob salubres thermas etiam à remotis partibus est cognitus. Post huius fluuij ostia occurrit Confluentia, ubi Mosella miscetur Rheno. Hunc fluuium si ascendas, uenies Treuerim, uetustissimam illam urbem, quam Abrahæ temporibus primò conditam multi asserunt, à Trebeta Nini Babylonici regis filio. Scribit Aeneas Syluius, insignis mathematicus, hanc urbem mille & trecentis annis uetustiorem esse Roma. Inter hanc urbem & Confluentiam super riuulum Mosellæ habes locum anonymum, patriam scilicet autoris huius Tabulæ, Cusam: quæ tanti uiri ortu celebris facta est. Habet autem situm suum ferè in Eiflia, ubi tamen tabula falsò habet Eislia. Mox à Confluentia descenditur per Rhenum ad Andernacum, inde Bonnam atq; Agrippinam Coloniam. Hic ad sinistram habes terram Iuliacensem, in qua ferè est Aquisgranum, ubi olim fuit sylua Ardenna: ad dextram uerò conspicis terram Montensem. Sub Colonia est Nusia, quam ante aliquot annos Carolus Dux Burgundiæ tam obstinato oppugnauit animo. Paulò inferius est Vuesalia inferior: ubi Lipia, seu ut alij nominant, Lupia in Rhenum ruit: cuius fluuij in gestis Caroli Magni toties fit mentio. A Vuesalia descenditur ad Emricham, quæ occidentem uersus habet oppidum Cliuense: ubi scilicet Rhenus in duos scinditur riuos, Vualam & Rhenum. Super Vualam iacet Neomagus, & Buscum Ducis, uulgò Hertzogenbusch, ubi Mosa ferè iungitur Vualæ. Post Emricham est Dauentria, ubi scilicet maiusculis literis scriptum est, CLIVIS, & paulò pòst sequitur oppidum Suuol. Hinc habes insulam Holandiæ cum multis alijs insulis & ciuitatibus, quarum particularem recensionem breuitatis gratia hic omitto. Nunc, si placet, prosequamur etiam lineam Danubij, ab origine sua usque ad mare Euxinum, ubi fluendi finem facit. Danubius igitur in Nigra sylua, seu in Hegauia (ubi falsò scriptum est Hegasia) initium sumit, non, ut Tabula perperam habet, in Vindelica, sensim'que perlabens oppida Simringen, Reidlingen, & Ehingen augescit, donec ueniat Vlmam Sueuiæ: ibi recepto Blauo amne, prosequitur cursum suum: alluens mœnia oppidorum Guntzpurgi, Lagingæ, Tillingi, Vuerdæ, Rainæ, ubi recipit Licum, qui ex Alpibus per Augustam Vindelicorum descendit. Hinc fluit ad Ingolstadium, oppidum propter publicum literarum gymnasium passim orbi cognitum: & deinceps peruenit ad oppidum exiguum, quod Kelheim uocatur: ubi ex influxu amnis Altmolæ, quem alij Alemannum appellant, augetur. Hic amnis ferè originem suam trahit à Rubro castro, uulgò Rotenburg, imperiali ciuitate, quæ iuxta amnem Tuberam situm habet, sed qui in septen-

trionem

trionem nitens, à Mogono prope Vuertham absumitur. Porrò insignioraloca quæ iuxta Altmolam condita inueniuntur, sunt, Guntzenhusen, Huyssenburgum, & Eystatia episcopalis ciuitas. A' Kelheim per Danubium uenitur ad Ratisponam, urbem imperialem & uetustam, ubi Nabus & Rhengus amnes Danubium adhuc maiorem reddunt. Hinc passim innumeri affluunt amnes, partim ex Alpibus, & partim ex Bohemiæ montibus: inter quos hi duo, Isara & Oenos insigniores habentur. Isara alluit muros Monaci, Frisingæ, Lanshutæ, & Landoiæ. Oenus uerò descendit ab Oenoponte, uulgò Insprug, per Schuuatz, Vuasserburgum, Brunam & Scherdingam, Patauiæq; miscetur Danubio. A' Batauia usq; ad Viennam Austriæ, ab utraque ripa Danubij multæ occurrunt ciuitates & amnium ostia, præsertim Peuerbachium, Lintza, Ens, Melcha, Ipsa & Kremsa. Proinde si à Vienna descendas ad Budam Vngariæ, occurrit primò insignis ciuitas Polonium, uulgò Presburgum, deinde Lauriacum, uulgo Rab, hinc Stringonium, Archiepiscopalis ciuitas, quæ uulgò Gran uocatur: ad cuius dextrā est Alba regalis, aliquantulum à Danubio semota, quæ uulgò Stuluuyssenburg apppellatur, ubi scilicet reges Vngariæ electi coronari solent & inungi. Buda uero, uulgò Ofen, regia est Vngariæ, ad ripam, ut uides, Danubij sita. Hinc si proficiscaris ferè usq; ad ostium fluuij Murę, uenies ad locum, ubi Ludouicus rex Vngariæ anno Christi M.D XXVI. gladio impiorum Turcarum occubuit. Cęterum in confluentia Sai fluuij atque Danubij uides oppidi cuiusdam depictam figuram, quæ indicat situm fortissimi castri & oppidi, quod uulgò Albam Græcam uocant: apud autores uerò uocatur uel Taurinum, uel Belgradum, uel etiam Nonderalba. Hoc fortalicium, & totius Vngariæ propugnaculum Turca maximis uiribus anno Christi M. CCCCLVII. oppugnauit, sed minimè expugnauit. Anno uerò Salutis M.D XXI. ipsum obtinuit, non sine grandi iactura Vngariæ, imò & Germaniæ. Post Belgradum sequitur Galombecium, oppidum famosum miserabili Christianorum strage, qua anno Christi M. CCCCIX. sub Sigismundo imperatore in fugam à crudeli Turca cęsi sunt. Hinc uenitur ad urbem Nicopolim, Bulgariæ metropolim, quam eadem tempestate Sigismundus maximo exercitu Christianorum obsedit, sed à fortiore superueniente Turca turpiter repulsus est: Nam occubuerunt quasi uiginti milia Christianorum. Consimilis clades accidit Christianis prope locum, qui hodie Varna dicitur, distans parum à mari, ubi uidelicet supra scalam scribitur Sagora: ibi enim Vladislaus, Poloniæ & Vngariæ rex mortem occubuit unà cum Iuliano Cardinali, anno scilicet Dominicę incarnationis M. CCCCXLIIII. Cęsa quoque sunt in eodem bello supra triginta milia Christianorum: & huic tantæ stragi occasionem præbuisse dicitur Cardinalis Franciscus Condelmarius, qui quum supremus dux belli naualis esset, sicut Iulianus exercitus terrestris sum mum egit ducem, permisit Turcarum imperatorem cum centum milibus armatorum trajicere angustias maris, quas nostro æuo Brachium sancti Georgij uocant, adeoq; impie egit cum Christianorum exercitu, ut ne quidem prćmonuerit eos de Turcico insperato aduentu. Sed quum nunc peruenerimus usque ad mare, relicta terra & terrestribus habitaculis, in aquis quoque aliquantisper uagemur, & quæ scitu digna sunt, commemoremus.

Vnum & idem mare diuersa habet nomina.

NOn secus quàm ipsa terra, quæ una est sphæra, & tamen diuiditur per maris interruptiones in multas partes, primò scilicet in Europam, Asiam & Afri-

Africam, & deinde quælibet pars in uarias prouincias: ita quoq; mare quum unum sit & una aquarum collectio seu congregatio, ut sacra docent: tamen propter uarias quas alluit terras, propter uarios sinus, stagna, paludes, figuras, angustias, influxus, & etiam ob quosdam euentus, alia atq; alia sortitur uocabula: quanquam prima diuisione duo principalia habeat nomina. Est enim uel Oceanus, uel mare mediterraneum. Oceanus circumscribit terram ab Occidente, meridie, Oriente, & septentrione. Mediterraneum uerò efficitur ab Oceano, qui in Betica, quæ hodie est Granata, apud Gades per angustas fauces, quasi hominum industria intromissus, irrumpit, & mox in maximam diffunditur latitudinem. Fauces introitus uocant Herculis columnas. Nam sunt ibi duo sublimes montes: unus in Mauritania, quem Abilam uocant: alter ex opposito in Granata, qui Calpe nominatur, quos Herculis fortitudine dissectos Gentium fabulosa prodidit antiquitas. Alij uerò aiunt insulas Gaditanas, quæ propẽ sunt, Herculis uocari columnas, quas aliquando inuisit. Mihi uerò magis probatur, per diluuij uniuersalis aquas, quæ isse atque redijsse describuntur, Oceanum primum in terram irrupisse, atq; mare mediterraneum constituisse, quum ab initio creationis aquas omnes ad locum unum conuenisse Scriptura commemoret. Quanquam contentiosus aliquis aliud ex uerbis illis, quæ mox sequuntur, & ad collectionem aquarum uocauit maria, arguere posset. Sed alijs id discutiendum relinquamus. Mare itaque illud mediterraneum Europam disparat ab Aphrica, & in utroque littore, præsertim in Europeo, multos & uarios efficit sinus, in quibus & plurimæ inueniuntur insulæ: quarum aliquas uidetelicet in Tabula Cusana, & ab illis uarias quoque sortitur mare ipsum denominationes: ut est mare Siculum, mare Creticum, mare Rhodium, &c. sicut & à solidis terris, quas alluit, uocatur mare Hispanicum, Gallicum, Africum, Germanicum, &c. In Tabula nostra partem exiguam habemus maris mediterranei, id quod apud Massiliam Prouinciæ (ubi Tabula perperam habet Mafilia) uocatur mare Gallicum: & apud Ligures, qui sunt Ianuenses, Ligusticum: apud Romanos, seu Latinos & Hetruscos uocatur Tyrrhenum à Tyrrheno, qui ex Lydia coloniam illic collocasse dicitur. A Sicilia uerò sinum maximum efficit, qui usque ad Venetos extenditur, & dirimit Italiam ab Illyrico, Dalmatia & Epiro, uocaturq; sinus Adriaticus, à monte Adrio, qui per Dalmatiam extenditur, uel ut alijs placet, ab oppido Adria, quod non longe à Venetijs in solida terra situm est. Hic sinus hodie propter Venetorum celebritatem, & ingens dominium, plerunque uocatur mare Venetianum. Si hinc uersus Græciam procedas, inuenies apud Macedoniam alium sinum, quem facit mare mediterraneum, uocatúrque mare Aegeum, cuius aliquam partem in Tabula uidere poteris. Hinc uerò per angustissimas terræ fauces penetrat ad Aquilonem, uocatúrque ibidem Hellespontus, siue Græciæ pontus: & mox sinum quendam exiguum efficiens, qui Propontis appellatur, quòd pontum ipsum præcedat: apud Constantinopolim iterum in meatum artissimum constringitur, quem hodie, ni fallar, Brachium sancti Georgij uocant: & rursum egressum has fauces, in latissimum diffunditur sinum: quem Pontum uocant, & mare Euxinũ, in quod Danubius multis ostijs sese exonerat. Sciendum quoque hic est, quòd angustiæ illæ maris apud Byzantium antiquo nomine uocantur Bosphorus Thracius (est enim & alius Bosphorus, nempe Cimmerius, per quem mare ponticum in paludes Mæotides apud Tauricam insulam transmittitur) ubi scilicet os pontici maris contrahitur in angustias quatuor stadiorum, angustè fluens per centum & uiginti stadia longitudine in Propontidem Euxinum, qui in lato habet circiter quingenta stadia, sed in longitudine triplo est maior.

Deinde

Deinde iterum mare angustijs excipitur, & uocatur Eurypus, seu Hellespontus, septem scilicet existens stadiorum. Habet autem stadium centum uiginti quinque passus, & octo stadia faciunt unum miliare Italicum. Sunt præterea qui dicunt, circa ponti ostium in ora Asiæ fuisse locum, quem incolæ bouem dixerunt, & hinc angustiam illam maris Bosphorum uocatam. Alij uerò dicunt mare illud sic uocatum à transitu bouis, qui ab uno littore ad aliud natare posset. Est enim ibi, ut diximus, omnium angustissimum. Per hanc angustiam Darius rex Persarum & Medorum fecit pontem per naues, & exercitum DCC. milium equitum & peditum in Europam transmisit. Quod ideo hic commemoro, ut uideas quantum patrocinetur Cosmographiæ studium historicæ lectioni. De angustijs Cimerijs hîc nihil dicendum statui, quum in hac Tabula uideri nequeant: quanquam Tauricam insulam, quæ hodie est Tartaria, ferè integram uideas, iuxta quam est Bosphorus alius Cimericus, per quem mare transmittitur in paludes Mæotides, uel ut alij dicunt, paludes Mœotides per Bosphorum transmittuntur in pontum. Cæterum mare illud quod in partibus Aquilonaribus, hoc est, circa Daciam, Suetiam, Selandiam uides diffusum, & uarias cõstituere insulas, nõ est aliud ab Oceano qui illic in tot secernitur particulares sinus, id quod in typo orbis uniuersali dilucidius uidere poteris.


CANON TABVLÆ.

QVOMODO SCALAE TABVLAM

includentes exprimant regionum longitudinem & latitudinem.

QVVM terra sphæricæ sit figuræ, unâque superficie conuexa contecta, nulla potest in ea signari regio, quæ quadratum constituat rectangulum, sed alterum latitudinis latus altero semper minus est, nisi sub æquinoctiali circulo malueris ponere regionem, cuius medius limes sit æquator. Nam quum omnes circuli, quos meridianos uocant, eiusdem sint magnitudinis, intersecentq; sese in utroq; polo, necesse est ut hi circuli eo arctiore interuallo sibi iungantur, quo huic uel illi appropinquat polo. Imaginamur autem æquè in terreno globo, ut in cœlesti orbe, polos, æquatorem, meridianos, parallelos, & alia id genus puncta, lineas & circulos. Verùm quum paucissimi sint qui sciant quid sit regionum longitudo atque latitudo, per figuram id aliquanto clarius explicabo. Intelligas autem oportet per figuram hic descriptam, globum seu sphæram, molem terræ repræsentantem, quæ cœlorum & totius mundi occupat meditullium, in nullum declectens latus, seorsum aut deorsum, dextrorsum aut sinistrorsum, aut aliò quoquò uersum, sed cœlorum concentricorum ipsissimum est centrum: & propterea omnes circuli, puncta, paralleli, & lineæ, ut sunt poli, æquator, tropici, axis, meridiani, in terra correspondenter cœlo signantur: & ut stellarum loca in cœlo per longitudinem & latitudinem inuestigantur, ita ciuitatum, aliorum'que locorum situs & distantiæ in terra deprehenduntur per mundi latitudinem & longitudinem. Quæ ut omnia luculenter intelligas, aduerte figuram sequentem.

In primis



In primis autem per circularem hanc figuram necesse est, ut imagineris corpus aliquod solidum & sphæricum, seu globum quendam in plano proiectilem, per cuius medium transeat filum aliquod ferreum, in quo globus ipse circumrotari possit: cuius utrunq; foramen, ubi scilicet filum intrat & exit, sint literæ a b. Et hæc puncta in terra uocantur poli terræ, sub polis cœli directè consistentes. Linea uerò quam ab a ad b transire imaginamur, uocat axis terræ: quæ si per medium diuidatur, erit punctus ille diuisionis centrum terræ, per quod axis transit. Aequinoctialis uerò circulus est, qui globum terræ in duo æqualia diuidit: una scilicet medietate ad septentrionem relicta, & altera ad meridiē. Nam æquator ubiq; æquidistat ab utroq; polo: unde si posito uno circini pede in utrolibet polo, aliū in medium sphęrę extendas & circunducas, æquinoctialem describes circulum. Hic uerò in nostra figura circulus ille nō potest nisi per depressam signati lineam, quū in plano linea curua eleuari nequeat. Tu igitur per iacentē illā lineam imagineris circularē lineā, quæ in medio per semicirculi arcū sit erecta. Huic lineæ seu circulo ad utrunq; polū multos circulos parallelos seu æquidistātes Astronomi imaginātur, & præcipuè tropicū Cancri, & tropicū Capricorni, quorū utercq; 23 gradibus & 30 minutis ab æquinoctiali distat, uocaturq; hæc distantia in terris, latitudo, in cœlis uerò declinatio. Hinc latitudo regionis aut ciuitatis alicuius, nihil aliud est, quàm certa distantia ab æquinoctiali. Capitur aūt latitudo regionis, & eleuatio poli pro eodē. Nam quāta est eleuatio poli in aliqua ciuitate, tāta est distātia eius ab æquinoctiali. Vt hîc Basileę attollit polus septentrionalis 47 gradib. & ferè 30 minutis supra horizontē, & totidē eadē urbs remouetur ab æquinoctiali. Vnde duę ciuitates dicunt differre latitudine, quando una est meridionalior alia: ut Basilea & Mediolanum differunt latitudine tribus gradibus, & decē minutis, quę faciūt ferè 47 miliaria Germanica. Nam latitudo Mediolani est 44 graduū, & 20 minutorū. Illa uerò locadicūtur habere eandē latitudinē, quę præcisè æquè distāt ab æquinoctiali circulo, & sub eodē iacent parallelo: ut sunt in tropico Cancri duo asteriſci, duas representantes ciuitates. Vtraq; enim distat ab æquinoctiali circulo 23 gradibus & dimidio, id quod ex numeris utrinq; ab æquinoctiali uersus polum ab uno ad 90. auctis aduertere poteris. Nunc igitur intende Tabulam Cusanam. Habes in ea ad dexteram & ad sinistrā scalam numerorū, qui utrinq; ab 41. usq; ad 41. ascēdunt, representantq; integros gradus: quorū quilibet primò in tres diuiditur uigesimas, & una uigesima in quatuor quintas. Facit aūt una quinta quinq; minuta: quando quidē 60 minuta unū constituunt gradū. Porrò unus gradus facit 15 cōmunia miliaria Germanica. Igitur duæ laterales scalæ indicāt quotūlibet locorum latitudinem, seu eleuationem polarem, quā hoc ingenio licebit inuenire.

Poli.

Axis.

Aequator.

Latitudo regionis.

Latitudo loci quomodo quærenda.

Trahe filum ab una literali scala ad aliam, ita ut utrinq; unum & eundem ab scindat numerum, & simul locũ, cuius latitudinẽ habere cupis, cõtingat: tunc numerus per filũ sic abscissus indicat tui loci latitudinem, seu poli eleuationẽ. Vt pro Basilea inuenies 47 grad. & 30 m̃. pro Praga uerò Bohemiæ ferè 49 grad. p̃ Roma 41 grad. & 40 m̃. Hæc te scire oportet, si uelis in muro aut plano erigere stylũ aliquẽ horarũ indicẽ. Sic igitur uides tot ab una scala ad aliam posse trahi neas parallelas (quæ tamen in terra sunt circuli paralleli) quot singuli gradus habent minuta. Sed inter illos parallelos quidã cæteris in Cosmographia sunt insigniores, qui scilicet climata distinguunt, & maximorũ dierũ quantitatem ostendunt. Est uerò clima, zona quædã terrã ambiens, hoc est, spaciũ terræ inter duos parallelos interceptũ, in quo maximè diei ab initio climatis ad finẽ usq; est dimidiæ horæ uariatio. Ponuntur aũt à ueteribus septẽ climata, quæ sua nomina ab insigni aut urbe, aut fluuio, aut monte sortita sunt: quorũ per ordinẽ hîc adñcere libuit nomina, tametsi Tabula nostra hæc non omnia cõplectatur. Primũ trãsit per Meroen Aphricæ ciuitatẽ. Secundũ per Sienẽ Aegypti urbẽ. Tertiũ per Alexandriã, Aegypti quoq; urbẽ. Quartũ per Rhodũ insulã. Quintũ per Romã, q̃ in Tabula nostra habetur. In huius principio maxima dies habet 14 horas, & 45 m̃. estq; ibi poli eleuatio graduũ 39, minuti nullius. Et terminatur ubi attollit polus gradibus 43. minutis 30. ubi maxima dies habet horas 15, minuta 15. Sextũ clima transit per Boristhenem, cuius initium sumitur à fine quinti climatis. Porrò finis eius est, ubi poli eleuatio est graduum 47, m̃ 15. Septimũ uerò incipit à priore fine, transitq; dicitur per Ripheos montes, definens ubi polus eleuatur super horizontem gradibus 50. m̃ 30. Et hîc maxima dies habet 16 horas, & 15 m̃. Hæc tamen paulò aliter signata sunt in Tabula. Posset aũt præter hæc septẽ climata terra ultra partiri. Latitudo tamen semper magis magisq; decresceret. Ad modicam quippe distantiã uersus polũ dies sensibiliter augetur. Vnde in parallelo, qui trãsit per gradũ 56, habet maxima dies horas 17 & semis, differtq; ab æquinoctiali (ubi dies perpetuò duodecim cõstat horis, & nocti semper æqualis est) quinq; horis & dimidia. In parallelo uerò qui transit per gradum 61, porrectissima dies habet horas undeuiginti, differens septem horis ab æquinoctiali. Porrò ubi polus attollitur 70 gradib. Sol in media æstate cõspicitur duobus mensibus antequã occidat. In parallelo qui per 72 grad. transit, dies una erit triũ mensium. Sole à medio Tauri ad medium Leonis uagante. Crescent itaq; dies paulatim, donec ad polum perueniatur. Sub ipso quippe medietas sphæræ mundi semper suprà horizontẽ relinquitur, altera iugiter occultatur, & æquinoctialis cũ horizonte concordat. Quũ igitur Sol est in medietate supra horizontem, continuus dies est dimidij anni. Sic Sol si mouetur in medietate sub horizõte, cõtinua nox est dimidij anni. Veruntamen cũ ibi Sol ultra signũ unũ sub horizonte nunquã demergatur, radijs suis superiora semper aliqualiter illustrat, & sic quasi semper dies est ibi, nisi quantum aeris grossities, & nebulositas inturbat. Hęc de latitudine regionũ: nunc de lõgitudine. Longitudo regionis attenditur ab occidente in orientẽ: ut duo asteriscí supra in figura signati solũ differunt in lõgitudine, & nõ in latitudine: nã æquidistãt ab æquinoctiali, sed nõ ab occidente. Notandũ igitur, q̃ æquinoctialis circulus diuiditur in 340 partes, quas gradus uocãt: respondentq; uni gradui æquatoris quindecim miliaria Alemanica cõmunia. Haud dissimiliter omnes alij paralleli diuidũtur in tot gradus, sed qui eo minores fiũt, quo paralleli uiciniores polo existũt. Vnde in parallelo sexagesimo duo gradus unũ faciunt gradũ æquatoris. Et ut sub æquatore uni gradui respõdẽt 15 miliaria Germanica, ita sub memorato parallelo uni gradui respondent duntaxat septẽ miliaria & semis: nã proportio est subdupla. Id igitur est quod ad sinistrã Tabulæ uides signatũ aliũ & aliũ numerũ miliariũ. Sunt aũt illa miliaria Italica, quorũ sexaginta

Clima.

Dierũ maxima incremẽta.

Longitudo regionum.

ginta unũ faciunt gradum æquinoctialis,& triginta unum gradũ paralleli sexagesimi Longitudinem itaq; duplicibus uides signatã numeris,sed correspõden tibus,in basi scilicet ferè Tabulæ & in capite.Gradus incipiunt à 24.& desinunt usq; ad 61.Quorũ initium statuit Ptolemæus paulò ultra littora Hispaniæ, quũ illic alia terra nõ appareat: alioqui licuisset initiũ sumere uel à Pyreneis montib. uel à Rheno,uel à Græcia,aut alio certo loco,nisi q; cõmodius uisum fuit ibi primũ statuere meridianũ,ubi terra initium habere putabatur. In cœlis uerò Astronomi initiũ longitudinis statuunt in capite Arietis. Vt aũt suprà diximus,per singula minuta graduum latitudinis posse describi parallelos, qui locorũ distãtias indicant ab æquatore,ita quoq; per singulos gradus æquatoris & graduũ minutias possunt trahi circuli,qui memoratos parallelos ferè ad angulos rectos interfecãt,uocanturq; circuli meridiani,& cõcurrũt omnes in utroq; polo, per quos regionum addiscimus lõgitudines, hoc est,quantũ distent à primo meridiano, quẽ Ptolemęus in extremis collocauit Hispaniæ finibus.Exẽplũ.Vis scire quãta sit lõgitudo urbis Basilienſis:intra Tabulã,& quære situm eius,& mox uidebis eam habere 27 grad.& ferè 30 m̃. hoc est,dimidium gradum.Itẽ,uis scire lõgitudinem urbis Constantinopolitanę:Quære eam in Græcia,ubi scilicet maiusculis literis scribitur, PROPONTIS MARE,& illico docebit te scala lõgitudinis,Byzantiũ distare à primo meridiano ferè 56. gradibus. Sed dices: Ad quid prodest scire quorũlibet locorũ longitudines? Dicã. Quando duo loca lõgitudine differunt 15 grad. illa in tẽpore different una hora,hoc est, quũ in occidentaliori loco est meridies,in orientaliori iam ante unã horã fuit meridies: & eclypsis, siue soliş sit,siue lunę,quę in occidentaliori loco cõtingit hora secunda,apparet orientaliori loco hora tertia.Idem sentiendũ de cõiunctionibus & oppositionib. luminarium,& aliorum planetarũ. Vis nunc scire quantũ meridies Cõstantinopolitanus præueniat meridiẽ Basilienſem? Subtrahe longitudinem minorẽ à maiori,&relictum,nempe 28 gradus,30 m̃. quę sunt differentia illorũ locorũ,indicabit tibi Constantinopolitanos propemodũ duabus horis nostrũ præoccupare meridiẽ.Id aũt accidit ob terræ rotunditatẽ,& continuũ solis motũ. Vocantur aũt hi circuli,qui æquatorem & utrunq; polũ interſecant, meridiani, quòd quũ sol suo motu unum illorum apprehenderit, omnes sub eo habitantes simul habent meridiem: Vt,sub meridiano Constantinopolitano inuenies has urbes,Cyzicũ in Bithynia,Grosseã & Lycostoã iuxta ostia Danubij, Rigã in Liuonia, omnes unotemporis momento simul habere meridiem atq; omnes horas diurnas pariter & nocturnas,præterea eclypses,oppositiones & coniunctiones. Nec refert quòd circuli illi meridiani uersùs polũ semper arctiores inter se fiunt:quia paralleli quantũlibet cotracti, per quos transeunt meridiani, ęquè pro sua diurna reuolutione opus habent 24 horis,ut æquator maximus circulus. Gradus quidẽ minores fiunt minorib. parallelis,sed tẽpori ob id nihil decedit. Vt aũt omnes q sub eodẽ habitant meridiano,simul habẽt luminariũ eclypses (præsertim Lunę) cõiunctiones & oppositiones,non aũt easdẽ per annũ dierum quantitates: ita uicissim qui sub eodem habitant parallelo, siue eandẽ habẽt latitudinẽ, habent per totum annum ęquales dies & noctes,hoc est,quantũ ęstiuo tẽpore in uno loco crescunt singuli dies,& rursum decrescũt hiberno tẽpore,tantũ quoq; in alio loco augescũt & minuuntur:habent eandẽ poli,planetarũ, & stellarũ fixarũ elevationem:sed ortũ & occasum diei,atq; omnes horas diei & noctis diformiter habent.Nunc ubi Tabula nostra,seu potius Germania nostra, locum habeat in terræ globo,tibi ostendã. Aduerte igitur superiorẽ figurã,quę typũ dimidij globi terreni gerit: in hac uides meridianos circulos à polo in polum per ęquatorẽ traductos, quindecim gradibus à seinuicẽ distantes,quorũ primus in occidente à Ptolemæo,ut suprà quoq; diximus,cõstitutus est,Parallelos uerò,ex transuer-

initiũ longitudinis.

Ad quid cõducat longitudo.

Meridiani circuli.

so meridianos secantes, nullos præter æquatorẽ & utrunq; tropicũ inscripsimus: quãuis facilè inscribi potuissent officio duorũ quadrantũ, seu semimeridianorũ, quos uides ab æquatore ad polũ arcticũ in nonaginta diuisos gradus. Germania itaq; secundũ longum arctatur inter meridianũ uigesimũ quartum, quẽ literæ c e demonstrant, & sexagesimũ, qui notatur literis d f. Secundũ latũ uerò clauditur à septentrione per parallelũ c d, qui sexagesimus est ab æquatore, & per parallelũ meridianum e f, qui quadragesimus primus est ab æquatore. En uides nũc quẽ locũ in terreno globo nos Germani sortiti sumus, quã longè remouemur à medio cœli, hoc est, ab æquatore, quã uicini sumus polo arctico, siue septẽtrionali, & q; propinqui extremitati terræ ab occidente, ut ferè angulum mundi in terræ diuisione sortiti uideamur. Sed si eam zonã conferas cũ habitatione quæ est sub æquinoctiali, quã torridam uocant zonã, multò temperatiorem, & humanæ habitationi cõmodiorẽ inuenies. Nam non habet tantos æstus, ut illa, ubi etiã hominũ sanguis exuritur, & pellis in nigredinem cõmutatur, & omnia ferè terræ nascentia sicciora sunt, quã quæ cõmodè nutrire queant hominum corpora: & propterea tota illa zona minus populosa est nostro climate, multas & uastas habens solitudines, quas dracones, nõ homines inhabitãt. Sed de his alibi. Vltimò canon quoq; ponendus est de locorũ distantijs, ex Tabula inueniendis, isq; hic est iuxta geometricã rationẽ. Quum duorũ locorum, quæ cõtinet Tabula, distãtiam scire uolueris, extende ab uno ad alium circinũ, aut filũ aliquod, & acceptã intercapedinem applica uni ex lateralib. scalis, quæ uice duorum extremorum sunt meridianorum, & interceptos gradus multiplica per quindecim, & prodibit distantia in miliaribus Germanicis. Quòd si ultra integros gradus adhuc aliqua superstint minuta, accipe pro singulis quatuor minutis unũ miliare, & adijce prioribus miliaribus, quæ ex gradibus elicuisti, & habebis totã distantiã. Exemplũ. Cupio scire quanta distantia à Basilea sit usq; ad Romã Italiæ metropolim: & iuxta iam expressum modum inuenio gradus octo, atq; minuta uiginti quatuor. Redigo igitur primò gradus in miliaria, & inuenio centũ & uiginti. Deinde ex uiginti quatuor minutis colligo adhuc sex miliaria, quæ prioribus adiecta constituunt centum uiginti sex, quæ Romam usq; propiori uia sunt. Item, uolo scire quot miliaribus Germanicis Constantinopolis distet à Venetijs: & primò quidem inuenio intercipi gradus sedecim, qui faciunt miliaria Germanica ducẽta & quadraginta: & insuper minuta decem, quæ resoluuntur in duo miliaria & semis. Est igitur tota distantia à Venetijs usq; ad Byzantium, ducentorum quadraginta duorum miliarium, atq; semis. Iuxta arithmeticam uerò rationem maiori opus est labore, quando duarum ciuitatum, uel quorumlibet duorum locorũ interualla inuestigantur. Tunc enim primò animaduertendum, an illa loca differant uel latitudine tantum, uel longitudine tantũ, aut longitudine & latitudine (ut plerunq; fit) simul. Quando latitudine tantùm differunt, tunc illa differentia solum redigenda est in miliaria, & habes distantiam. Sin longitudine tantũ differant, differentia longitudinis primò uertenda est in gradus æquatoris (nã gradus parallelici minores sunt gradibus æquatoris & meridianorum) & deinde hi gradus resoluendi in miliaria. Quòd si longitudine & latitudine differant, differentia longitudinis iuxta mediam illorũ locorum latitudinẽ accepta, uertenda primò est in gradus æquatoris, & deinde in se multiplicanda. Similiter autem & differentia latitudinis in se ducenda est, & productum addendum numero qui prodijt ex multiplicatione differentiæ longitudinis, atq; totius aggregati quærenda radix quadrata, quæ multiplicata per 15. ostendet locorum distantiam. Est ista quidem aliquando tibi clariora trademus. Hæc pro declaratione Tabulæ Cusanæ sufficere putamus.

FINIS.

HISTO-

HISTORIA ARMINII GERMANORVM CONTRA ROMANOS DVCIS, EX FIDE DIGNIS HISTORICIS ANTE ALIquot annos à Georgio Spalatino lingua populari conscripta, nunc in sermonem eorum, ex quibus desumpta fuit, transfusa Petro Kenlero autore.

QVA OCCASIONE ARMINIVS bellum Romanis mouerit, *Caput primum.*

OCTAVIO Augusto Cæsare rerum Romæ potiente, eam partem Germaniæ, quæ nunc ducatus Bergensis dicitur, ab ora Rheni ferè ad Visurgim usq; filius Sigemeri bellica uirtute clarissimus, & ut ex multis colligere licet, antiquorum Saxonum dux, à Romanis Arminius, à suis uerò Hermannus uocatus, tenuit. Cùm uerò Imperatores Romani contra Germanos maximè Cheruscos, ad Rhenum, Amisam, Lupiam & Visurgim Tyberio Druso, & Germanico ducibus, ut ex fide dignis historijs Cornelij Taciti, Velleij Paterculi, Orosij & Stranonis clarè uidere est, bella gererent, Arminij uirtus præ cæteris ita emicuit, ut cùm non saltem libertatem suæ patriæ, sed & totius Germaniæ defenderit, ac Romanis plurimum negotij consilio armisq; fecerit, Paterculus eum dignum titulo liberatoris Germaniæ censuerit, cum hac commemoratione, quòd cùm alij non prius arma contra Romanos sumpserunt, quàm cùm horum potentia inclinari, & imminui cœperit, hic Romanos inuadere, eorũq; exercitus cædere, cùm ipsorum potentia atq; imperium omnium latissimè paterent ausus sit. Temporibus namq; Augusti Imperium Romanum lõgè amplissimũ potentissimumq; fuisse, nemini non notum est. At cum, ut Suetonius & historici omnes, concordi uoce testantur, Augustus toto Imperij tempore, quod ad quinquaginta tres annos sese extendit, omnia bella secundo Marte gesserit, atque hostes suos feliciter ac gloriosè deuicerit, duplicem tamen cladem in Germania accepit, alteram sub duce Lollio, alteram sub Varo Quintilio contra Cheruscos, quę tanta fuit, ut etiam Plinius libro 7. naturalis historiæ cap. 45. inter maximas Augusti aduersitates hanc Vari cladem recenseat, illamq; eius maiestati fœdę suggillationi extitisse scribat.

Strabo Græcus auctor, lib. 7. Geographiæ, cladis huius causam hanc fuisse cõmemorat. Sicambri qui nunc Geldrenses uocantur, instinctu ducis sui Melonis rupta pace, ac fide uiolata bellum contra Romanos mouerunt, cui etiam Cherusci se socios adiunxerunt. Nam in Cheruscorum terra, quæ partim Marchia Iuliacensis, partim Ducatus Brunsuicensis, cum Comitatu Lippensi fuit, teste eodem Strabone, hæc clades accidit, scribente, exiguam fidei atq; famæ suę rationem

nem à Cheruscis habitam Arminio ad tale facinus eos concitante, à qua narratione nec Cornelius Tacitus dissentit. Attamen Velleius Paterculus & Florus memoriæ tradiderunt, Romanorum ducem Varum Quintilium non penitus culpa eius cladis caruisse. Eum etenim hominem auarum, parcum restrictũ, elatum, inhumanum, ac crudelem fuisse, quique Syriam, cui eum Romanus Imperator præfecerat ita administrarit, ut qui eò paruis opibus profectus fuerat, ditatus inde redierit, terra inope atq; egente post se relicta, ut Paterculus refert, Ex Floro colligi potest eum libidinosum atq; impurum hominem fuisse. Ea'ne res uel alia Arminium contra Romanos commouerit, affirmare non habeo. Ipse sanè, ut Tacitus. Paterculus, & Strabo commemorat, Cheruscos eò impulit, ut rebellione facta contra Romanos arma caperent, eosq; publicè inuaderent.

Quomodo Arminius Varum Quintilium Romanorum ducem cum omnibus copijs profligarit, Caput secundum.

HAec clades Druso Cæsare, & Caio Norbano consulibus accidit. Nam etsi Germanico ob deuictos nonnullos Germanos triumphus iam decretus esset, tamen rumore Romam allato de dissensione Arminij socerique eius Segestis, Romani occasione eius certam indubitatãq; spem de ipsis subiugandis concipiebant. Etsi enim Arminius Segestis gener esset, tamen hic quod is filiam suã Thuaneldam alteri desponsatam se inuito rapuisset, ei, perquam exosus erat, ac licet Segestes Varum Quintilium, ut sibi caueret admonuerat, Tacito & Paterculo auctoribus, nihil tamen profecit Nam quemadmodum eorum hic tradit, Varus eam admonitionem spreuit, negauitq; se credere à gente, quæ antea Romanis fida atq; amica fuisset, infesti quid agitari. Quæ securitas & ei, & toti exercitui exitio fuit: Quamuis etiam Segestes popularium consensu in bellum contra Romanos tractus esset, in partes tamen Romanorum, quàm generi Arminij propensior erat. Veruntamen aliter fieri non potuit, quàm accidit. Segestes sæpius Varo significarat rebellionem parari, facilè eam opprimi posse, si auctores eius comprehensi uinciantur. Hoc etenim facto, plebem facilè quieturam, nec ausuram quicquam. Verùm hæc inania fuerunt, paulo enim ante cladem Germani eius loci cum ex composito lites finxissent, alter alterum iniuria prouocãtes: Varus ad lites sedandas in æstiuis sese armauit quidem, sed nihilominus consilium coegit, & in castris ius dicere cœpit, quasi uiolentiam Germanorum uel lictoris uirgis, uel prœconis uoce posset inhibere. At illi, qui iam pridem rubigine oblitos enses Romanorum hebetata arma, inertesq; & marcidos cernerent equos, ac solita armis discerni, iure ab ipsis terminari, duce Arminio arma corripiunt, & ui in Romanos irruunt. Cum uerò Varo tanta pacis fiducia esset, ut tumultuantes ad tribunal citare, & iurè cum ipsis agere conaretur, tanto impetu undiq; in eum insurrexerunt, ut ipsum cum tribus legionibus, totidemq; legatis, & alis, ac sex cohortibus magnaq; multitudine auxiliarum ad internecionem ferè cęderent. Varus grauiter in prælio uulneratus, cum perditas res cerneret, eodem eas, quo Cãnensem diem Paulus Aemilius & fato & animo est secutus. Accidit uerò hęc clades in saltu Teutoburgensi, inter Amisam & Lupiam amnes, ut Tacitus testatur, quamuis Melanthon & Charion circa Visurgim eam accidisse autument. Porrò, uera ratione cæsorum subducta ingens eorũ numerus, nec infrà quinquaginta millia fuit: nec Paterculo auctore, ulla post Crassi in Parthis animum in externis gentibus grauior Romanis calamitas illata est. Iusta historici de ea uolumina scripserunt, & Paterculus qui ea ętate uixit, ac parentẽ in bellis Germanicis præfectum atq; legatum habuit, integra uolumina de ea condere instituit.

De Augusti Imperatoris consternatione Varianæ cladis nuncio allato, Caput tertium.

SVetonius scribit Augustum Imperatorem nuncio Varianæ cladis accepto, tantopere consternatum, ut præsidibus prouinciarum, Imperium propagarit, ut à peritis & assuetis socij continerentur, & excubias diu noctuq; per urbē indixerit, metu ne Germani uictoria freti Romam contenderent, eamq; diripere rent. Ad hæc barbam, capillosq; per continuos menses submiserit, ac caput interdum foribus illiserit, uociferans, Quintili Vare redde Legiones, diemq; claudis mœstum quotannis habuerit ac lugubrem. Denicq; quod magnos ludos uouerit Ioui optimo Maximo, si Rempub. in meliorem statum uertisset, Tanta tre pidatio Imperatoris uictorijs totius terrarum orbis illustris, tunc temporis metu Germanorum fuit.

Quàm ignominiosè Romani post cladem Varianam à Germanis sint habiti, Caput quartum.

FLorus memoriæ prodidit, id quòd omnino in hac clade horrendum est, Romanos more pecudum trucidatos, nec ullam cuiusquam personæ, uel nobilis, uel plebeiæ rationem habitam. Cumq; Romani syluarum, paludum, ac lacum, in quę confugerant, ignari essent, eos in ipsis miserabiliter ad internetionem cæsos, nihil quoque Germanorum insultatione in illa strage intolerantius fuisse, præcipue tamen, ut idem scribit, causarum patroni crudelissimè sunt habiti, quorum alijs oculi eruti, alijs manus sunt amputatæ. Vnius os sutum rescissa prius lingua, quàm in manu tenens, Germanus dixerit, tandem uipera sibilare desiste. Ipsius quoque Vari corpus, quòd militum pietas humi abdiderat effossum, Cui cum alij, tum Segimerus filius fratris Segestis, ut Tacitus refert, præcipuè illusit. Signa quoque & aquilas duas Romani in hoc prælio amiserunt. Tertium signifer, priusquam in manus hostium ueniret euulsit, mersaq; inter balthei sui latebras gerens, in cruenta palude, sic latuit.

Cladis Varianæ effectus, Caput quintum.

HAc clade, ut Florus scribit, factum est, ut Imperium Romanum, quòd in littore Oceani non steterat, in ripa Rheni fluminis staret, nec Romani ulterius progredi auderent. Adeò dura, molestaq; hæc Arminij uictoria ipsis fuit. Ac, ut omnia in pauca conferam, Græci cum Latinis in hoc consentiunt, tres legiones in Variana clade cæsas, cuius præcipui testes sunt: Strabo, Cornelius Tacitus, Florus, Suetonius, Paterculus & Orosius. Incidit uerò hæc clades in annū urbis conditi 3672. A diluuio 2315, ut diligenter annotauit Paulus Phrigio in suis Chronicis. In annum à Christo nato undecimum. Imperij Octauiani Augusti quinquagesimum secundum. Vrbis conditæ 762. Ab expulsis regibus 518. Consulibus Publio Cornelio Dolabella, & Caio Iunio Syluano, quinq; annis ferè ante obitum Augusti. Hic etenim Imperio præfuit annos 56, ut Suetonius, & alij scriptum reliquerunt. Continuit autem Legio ad minus sex, interdum septem milia ciuium Romanorum. Vt uerò illustris Germanorum uictoria contra Romanos fuerit, non tamen eius gaudium diuturnum fuit. Nam, ut Strabo lib. 7. Geographiæ scribit, Paulo post graues pœnas sub Germanico iuniore dederunt. Velleius Paterculus, qui ut & parens, nouem annis sub Tiberio in Germania præfecti munere functus est, inter cætera scribit, quòd uix, postquam Tiberius ultimam Pannonico ac Dalmatico bello manum imposuerat,

ei funestæ ex Germania epistolæ cæsi Vari, trucidatarumq; legionum trium totidem alarum, & sex cohortium allatæ sint.

De moribus Vari, & qua ratione res in Germania administrarit, deq; causis acceptæ cladis, Caput sextum.

PAterculus monumentis annalium prodit Varum Quintilium, uirum ingenio mitem ac placidum, moribus quietum, otio magis castrorum, quàm bellicæ assuetum militiæ, sed pecuniæ quàm par sit, cupidiorem fuisse. Eum, cùm exercitui Romanorum, qui erat in Germania præesset, concepisse, Germanos esse, qui nihil præter uocem, membraq; haberent hominum, quiq; gladijs domari non possent, posse iurè mulceri. Quo proposito mediam ingressum Germaniam, uelut inter uiros pacis gaudentes dulcedine, iurisdictionibus, agendoq; pro tribunali ordine, traxisse æstiua. At Germanos in summa feritate uersutissimos, simulasse fictas litium series, & nunc se prouocasse mutuis iniurijs, nunc gratias egisse, quòd eas Romana iustitia finiret. Cùm ergo solita armis discerni, iure terminarentur, in summam socordiam Varum prolapsum fuisse, usq; eò, ut se prætorem urbanum in foro ius dicere, non in medijs Germaniæ finibus, exercitui præesse, crederet. Id Arminium uirum sensu celerem, ingenio promptum, Romanæ militiæ assuetum, ac ciuitatis Romanæ ius, Equestremq; gradum consecutum animaduertisse, ac segnitia Vari in occasionem sceleratæ rebellionis usum, haud imprudenter speculatum, neminem celeriùs opprimi, quàm qui nihil timeret, & frequentissimum initium esse calamitatis securitatem. Primò igitur ipsum paucos, mox plures in societatem consilij recepisse, suadendo, Romanos opprimi posse, deinde decretis facta iunxisse, ac tempus insidiarum constituisse. Hisce idem Paterculus subiungit, exercitum omnium fortissimum disciplina, manu experientiaq; bellorum inter Romanos principem, marcore ducis, perfidia hostis, iniquitate fortunæ circumuentum, ad internetionem trucidatũ esse. Duce plus ad moriendum, quàm ad pugnandum animi fuisse, quippe paterni auitiq; successorem, seipsum transfixisse. Ceionio quoq; castrorum præfecto crimini dat quòd cùm longè maximam partem exercitus amisisset, auctor deditionis supplicio, quàm prælio mori maluerit. Similiter Volumnium, uel ut alij legendum arbitrantur, Valerium Numerium, Vari legatum, cętera quietum ac probum, turpe exemplũ in eo prælio prodidisse. Nam ipsum suos, qui à Germanis spoliati erant, reliquisse, ac fuga cum aliquot alis Rhenum petijsse. Quod eius factum Diuina ultio exceperit. Non enim desertis superfuisse, sed desertorem in Rheno occidisse.

Quam inhumaniter in Vari cadauer sæuitum sit. Caput Septimum.

PRæter hęc Paterculus tradit, Germanos tam efferè atque immaniter in Vari cadauer sæuijsse, ut corpus semiustum lacerarint, caput eius abscissum, latumq; ad Maroboduum, & ab eo missum ad Cæsarem Tyberium, qui id Gentilitij tandem tumuli sepultura honorarit.

Ne

De Tyberij profectione in Germaniam post cladem Varianam, & rebus ab eo gestis, Caput octauum.

PRæterea Paterculus historiam hanc prosequens, subnectit, Cæsarem Tyberium, hisce in Pannonia auditis, ad patrem Octauianum Augustũ, tanquã perpetuum patronum Romani imperij reuolasse. Missum igitur ab Augusto Tiberium in Germaniam. Et quamuis Germani post hanc cladem, Cymbricam Teuthonicamq; Italię minitati fuerint, nihilominus Tiberium in interiora Germaniæ ultra Rhenum penetrasse, limites aperuisse, agros uastasse, domos ulsisse, obuios ac resistentes fudisse, maximaq; cum gloria, incolumi omnium, quos transduxerat numero in hyberna reuersum.

De uirtute quorundam Romanorum in prælio Variano, Caput nonum.

VLterius Paterculus L. Aspernati, hoc testimoniũ tribuit, quòd legatus sub auunculo suo Varo militãs, gnaua uirilisq; opera duarũ legionum, quibus præerat, exercitum immunem tanta calamitate seruarit, matureq; ad inferiora hiberna descendendo uacillantium etiam cis Rhenum sitarum gentium animos confirmarit. Quibus idem addit, nec L. Cedítij Romanorum prefecti uirtutem silentio prætereundam. Eum enim cum suis Alisone (quæ in Palatinatu inter Vuormatiam & Ebenburgum arcem olim Franciſci Sickingij sita est, & hodie Alsheimium dicitur) immensis Germanorum copijs circumdatum, omnibus difficultatibus superatis, quas inopia rerum intolerabiles, uis hostium fecerit inexsuperabiles, nec temerario consilio, nec segni prudentia usum, ferro sibi ad suos peperisse reditum. Ex quo apparet, Varum grauem sanè & bonæ uoluntatis uirum, magis defectum Imperatoris consilio, quàm uirtute destitutum militum se, magnificentissimumq; perdidisse exercitum. Celeri quoque eulogio Paterculus ornat Caldum Celium, uetustate familię clarissimum, qui cùm à Germanis in captiuos sęuiretur, complexus caternarum seriem, quibus uinctus erat, ita illas illiserit capiti suo, ut protinus pariter sanguinis cerebriq; profluuio expirarit. Id quod abundè satis testatur Romanos cladem Varianã per quam acerbè tulisse. Nec dubitandum, quin multa memorabilia de Arminij & Germanorum uirtute referri possent, nisi historię ab auctoribus conscriptę, singulari Germanorum odio à Romanis suppressæ fuissent. Mihi etenim neutiquam fit uerisimile, omnia quæ Plinius, Liuius, Paterculus, & alij classici historici, non tanquam gregarij milites, sed duces, bellorum præfecti, atq; legati, uerè fideliter ac diligenter literarum monumentis consignarunt absq; dolo & fraude deperdita esse. Veruntamen cùm illa interciderint, Germanis fragmenta ueritatis extantia, atq; honorifica testimonia exterorum ante mille quingintos annos, de maiorum suorum uirtute conscripta, amplectenda erunt. Ac potius eaexempla nobilitas Germanica tanquam in speculum quoddam intueri, eaq; imitari debebat, quàm dies noctesq; helluando continuare, nec dignum quid nobilitate tentare uel audere. Cladis Varianę quoque Paulus Orosius, licet breuibus uerbis, meminit historiarum suarum libro septimo, capite 21. qui natione Hispanus, adeò studio addiscẽdarum sacrarum literarum flagrauit, ut ex Hispanijs ab Oceani usq; littore ad diuum Augustinum in Africam, & inde ad Hieronymum in Syriam properarit.

De expeditione Cæsaris Germanici contra Arminium, Caput decimum.

POst Tyberij in Germaniam reditum & abitum, Cæsar Germanicus, auctore Tacito contra Arminium eiusq; socios profectus est, & quatuor legiones, & quinque auxiliarium millia cum tumultuarijs cateruis Germanorum cis Rhenum colentium Cæcinnæ tradidit, ac totidem legiones, duplicemq; socium numerum ipse duxit. Cæcinnam contra Marsos, qui hodie Bergenses esse existimantur, mittēs, quos is cōgredi ausos prospero prælio cohibuit, ipse expeditum exercitum in Chattos rapuit, L. Apronio ad munitiones uiarum & flumina relicto. Fuerat animus Cheruscis iuuare Chattos, sed exterruit Cæcinna huc illuc ferens arma.

De defectione popularium Segestis soceri Arminij, hoc eos ad ipsam impellente, Caput undecimum.

INterea populares Segestis instinctu Arminij ab ipso deficientes, ipsum circumsidebant, ualidiore apud eos Arminio bellum suadente, quàm Segestes Romanorum amicitiam spectante. Quare Segestes filium Seigimundum una cum alijs legatis auxilium oraturis ad Germanicum misit, etsi conscientia cunctaretur, quippe qui anno quo Germani desciuēre, sacerdos apud aram Vbiorum creatus, uittis ruptis ad rebelles profugerat. Adductus tamen in spem clementiæ Romanæ, patris mādata pertulit, atq; à Romanis benignè exceptus est.

Quomodo Cæsar Germanicus Segeste obsidione liberato filiam eius, Arminij uxorem grauidam, captiuam abduxerit, Caput duodecimum.

GErmanicus legatione Segestis audita, Seigimundum filium eius cum præsidio Gallicam in ripam misit, ipse agmine conuerso in obsidentes Segestem pugnauit, eumq; magna cum propinquorum & clientium turba eripuit. Inerant fœminæ nobiles, inter quas Arminij uxor, eademq; filia Segestis Thusnelda uterum ex Arminio ferens, mariti magis quàm parētis animo, neq; uicta in lachrymas, neq; uoce supplex, compressis intra sinum manibus grauidum uterum intuens. Ferebantur & spolia Varianæ cladis, pleriscq; eorum, qui tum in debitorem ueniebant prædæ data. Simul Segestes ipse, ingens uisu, & memoria bonæ atq; constantis societatis, ad Germanicum deductus uerba in hunc modum fecit. Non hic mihi primus erga populum Romanum fidei & constantiæ dies, ex quo à diuo Augusto ciuitate donatus sum, amicos, inimicosq; ex uestris utilitatibus delegi, neq; odio patriæ (quippe proditores etiam eis quos antepo-nunt inuisi sunt) uerùm quia Romanis Germanisq; idem conducere, & pacē, quàm bellum probabam. Ergo raptorem filiæ meæ, uiolatorem fœdetis uestri Arminium, apud Varum qui tum exercitui præsidebat, reum feci. Dilatus segnitia ducis, quia parum præsidij in legib. erat, ut me & Arminium & conscios uinciret flagitaui. Testis illa nox, mihi utinam potius nouissima. Quæ secuta sunt defleri magis, quàm defendi possunt. Cæterùm & iniecti cathenas Arminio, & à factione eius iniectas perpessus sum. Atq; ubi primùm tui copia, uetera nouis, & quieta turbidis ante habeo, neq; ob præmium, sed ut me perfidia exoluam, simul genti Germanorum idoneus conciliator, si pœnitentiam, quàm perniciem maluerit. Pro inuēta & errore filij ueniā precor. Filiā necessitate huc adductam fateor. Tuū erit consultare, utrū prævaleat, q̄ ex Arminio cōcepit, an q̄d ex me genuit

genita est. Cæsar clementi responso liberis, propinquisq; incolumitatem, ipsi sedem ueterem in prouincia pollicetur. Hæc fama dediti benigneq; excepti Segestis uulgata, ut quibusq; bellum inuitis aut cupientibus erat spe, uel dolore accipitur. Arminij uxor in Italiam abducta, Rauennæ uirilis sexus stirpem, quã Strabo Thumelich uocatam scribit, edidit, quæq; ibidẽ Cornelio teste, educata est.

Quantopere Arminius captiuitate uxoris commotus sit, & eius inuectiua contra Romanos, & Segestem socerum, Caput decimumtertium.

FTsi Arminius natura uehementis ac incitati ingenij esset, tamen super insitam uiolentiam, rapta uxor, seruitioq; uterus uxoris subiectus, magis uecordem, transuersumq; agebant. Quapropter per Cheruscos uolitabat, arma in Segestẽ, arma in Cæsarem poscens. Neque à probris temperabat, egregium patrem, magnum Imperatorem fortem exercitum, quorum tot manus unam mulierculam auexerint. Sibi tres legiones, totidem legatos procubuisse. Non enim se proditione, neq; aduersus fœminas grauidas, sed palàm aduersus armatos bellum tractare: cerni adhuc Germanorum in lucis signa Romana, quæ dijs patrijs suspenderit: coleret Segestes uictam ripam: redderet filio sacerdotium: hominem Germanos nunquam satis excusaturos, quod inter Albim & Rhenum urgas, & secures, & togam uiderint: alijs gentibus ignorantia Imperij Romani inexperta esse supplicia, nescia tributa: quæ quando Germani exuerint, irritus discesserit ille, inter numina dicatus Augustus, ille delectus Tyberius, ne imperitum adolescentulum, ne seditiosum exercitum pauescerent: Si patriam parentes, antiquã mallent, quàm dominos, & nouas colonias, Arminium potius, gloriæ libertatis, quàm Segestem flagitiosæ seruitutis ducem sequerentur.

De gentibus per Arminium contra Romanos concitatis, Caput decimumquartum.

COnciti hac oratione non modo Cherusci, sed cõterminæ gentes, tractusq; in partes Inguiomerus Arminij patruus, ueteri apud Romanos auctoritate: Vnde maior Cæsari metus, & ne bellum mole una ingrueret, Cæcinnam cum quadraginta cohortibus Romanis distrahendo hosti per Bructeros ad flumen Amisiam mittit. Equidem Pado præfectus finibus Phrysiorum ducit, ipse impositas nauibus quatuor legiones per lacus uexit: simulq; pedes, eques, classis apud prædictum amnem conuenêre. Chauci, cum auxilia pollicerentur, in commilitium asciti sunt. Bructeros sua urentes, expedita cum manu L. Stertinius missu Germanici fudit, interq; cædem & prædam reperit undeuicesimæ legionis Aquilam cũ Varo amissam. Ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum: quantumq; Amisiam & Lupiam amnes inter uastatum.

Quàm honestè Cæsar Germanicus interfectorum in Variana clade corpora sepulturæ mandari curarit, Caput decimumquintum.

HAud procul Theutoburgensi saltu (is paucis miliaribus Dusseldorpio oppido, duci Iuliacensi in Marchia Bergensi subdito distat) reliquiæ Varri legionum que insepultæ dicebantur. Igitur cupido Cæsarem inuadit soluendi suprema militibus ducí que, permoto ad miserationem omni qui aderat exercitu, ob propinquos, amicos, denique ob casus bellorum, & sortem hominum:

hominum: præmisso Cæcinna, ut occulta saltuum scrutaretur, pontesq; & aggeres humido paludum, & fallacibus campis imponeret. Incedunt mœstos locos, uisuq; ac memoria deformes. Prima Vari castra lato ambitu, & dimensis principijs, trium legionum manus ostentabant: dein semiruto uallo, humili fossa accisæ iam reliquiæ consedisse intelligebantur. Medio campi albentia ossa, ut fugerant, ut restiterant, disiecta, uel aggerata. Adiacebant fragmina telorum, equorumq; artus, simul truncis arborum antefixa ora. Lucis propinquis barbaræ aræ, apud quos tribunos, ac primorum ordinum centuriones mactauerant, & cladis eius superstites pugnã, aut uincula elapsi, referebãt, hîc cecidisse legatos, illic raptas aquilas, primũ ubi uulnus Varo adactũ, ubi infelici dextra, & suo ictu mortem inuenerit: quo tribunali cõcionatus Arminius, quot patibula captiuis, quæ scrobes: utq; signis & aquilis per superbiam inluserit. Igitur Romanus qui aderat exercitus, sextum post cladis annum, trium legionum ossa, nullo noscente, alienas reliquias, an suorum, humo tegeret, omnes ut coniunctos, ut consanguineos, aucta in hostem ira, mœsti simul & infensi condolebant. Primum extruendo tumulo cespitem Cæsar posuit, gratissimo munere in defunctos, & præsenti bus doloris socius. Quod Tyberio haud probatum, seu cuncta Germanici in deterius trahenti, siue exercitum imagine cæsorum insepultorumq; tardatum ad prælia, & formidolosiorem hostium credebat. Neq; Imperatorem auguratu, & uetustissimis cæremonijs pręditum, attrectare feralia debuisse.

De leui prælio inter Germanici & Arminij copias, commisso, Caput decimumsextum.

CVm ergo Arminius in auia recessisset, Germanicus eum insecutus, ubi primum copia fuit euehi equites, campumq; quem hostis insederat eripi iubet. Arminius colligi suos, & propinquare syluis monitos, uertit repente, mox signum prorumpendi dedit eis, quos per saltus occultauerat. Tunc noua acie turbatus eques, missęq; subsidiariæ cohortes, & fugientiũ agmine impulsæ auxerãt consternationem: trudebanturq; in paludem gnaram uincentibus, iniquã nescijs, ni Cæsar productas legiones instruxisset: inde hostibus terror, fiducia militi, & manibus æquis abscessum. Mox reducto ad Minisiam exercitum, legiones classe ut aduexerat, reportat. Pars equitũ littore Oceani petere Rhenũ iussa.

Quid quantumq; negocij Arminius Cæcinnæ regredi uolenti exhibuerit, Caput decimumseptimum.

POstea Cecinna suum militem per pontes longos, quã maturimè, idq; monitus, ducebat. Augustus is trames, uastas inter paludes, & quondam à L. Domitio aggeratus: cætera limosa, tenacia graui cœno, aut riuis incerta erant: circùm syluæ paulatim accliues, quas tum Arminius impleuit compendijs uiarum & cito agmine, onustum farcinis armisq; militem cum anteuenisset: Cæcinnæ dubitanti quonam modo ruptos uetustate pontes reponeret, simulq; propulsaret hostem, castra metari in loco placuit, ut opus & alij prælium inciperẽt. Germani perfringere stationes, secq; inferre munitoribus uisi, lacessunt, circumgrediuntur, occurrant: miscetur operantium bellantiumq; clamor, & cuncta pariter Romanis aduersa, locus uligine profunda, idem ad gradum instabilis, procedentibus lubricus, corpora grauia loricis, neq; librare pila inter undas poterant. Contrà, Cheruscis sueta apud paludes prælia, procera membra, hastæ ingentes ad uulnera facienda, quamuis procul. Nox demum inclinans tum legiones aduersæ pugnę exemit. Germani ob prospera indefessi, ne tum quidem sumpta quiete,

quiere, quantum aquarum circumsurgentibus iugis oritur, uertere in subiecta metsaq; humo, & obruto, quod effectum operis, duplicatus militi labor.

Quomodo Arminius Cæcinnam cum suis in fugam compulerit, Caput decimumoctauum.

QVadragesimum stipendium Cæcinna parendi aut imperitandi habebat; secundarum ambiguarumq; rerũ sciẽs, eoq; interritus. Igitur futura uolens, non aliud reperit, quàm ut hostem syluis coherceret, donec saucij, quantumq; grauioris agminis, anteirent. Nam medio montium & paludum porrigebatur planicies, quæ tenuẽ aciem pateretur. Deligũtur legiones, quinta dextro lateri, undeuigesima in leuum, primani ducẽdum ad agmen, uicesimanus aduersum secuturos: Nox per diuersa inquies, cùm Germani festis epulis, læto cantu, aut truci sonore subiecta uallium ac resultantes saltus complerent, apud Romanos inualidi ignes, interruptæ uoces, atq; ipsi passim adiacerent uallo, oberrarent tentorijs, insomnes magis quàm peruigiles: ducemq; terruit dira quies. Nã Quintilium Varum sanguine oblitum, & paludibus emersum, cernere, & audire uisus est, uelut uocantem, non tamen obsecutus, & manum intendentis repulisse. Cœpta luce missæ in latera legiones, metu, an contumacia locum deseruêre, capto propere campo humentia ultrà. Neq; tamen Arminius, quanquam libero incursu, statim prorupit: sed ut hęsêre cœno, fossisq; impedimẽta, turbati circùm milites, incertus signorum ordo, utq; tali in tempore, sibi quisq; properus, & lentæ aduersum imperia aures, erumpere Germanos iubet, clamitans: En Varus, & eodẽq; iterum facto uictæ legiones. Simul hæc, & cum delectis scindit agmen, equisq; maximè uulnera ingerit. Illi sanguine suo, & lubrico paludũ laplantes, excussis rectoribus dissijcere obuios, proterere iacentes. Plurimus circa aquilas labor, quæ neq; aduersum ferri ingruentia tela, neq; figi limosa humo poterant. Cæcinna dum sustentat aciem, suffosso equo delapsus circumueniebatur, ni prima legio sese opposuisset, iuuit hostium auiditas, omissa cæde, prædam sectantium, enisæq; legiones uesperascente die in aperta & solida.

In quantam consternationem Romani fortuito casu coniecti sint, Caput decimumnonum.

NEc is miseriarum Romanarum finis, struendum erat uallum, petendus agger: Amissa magna ex parte, per quę egeritur humus, aut exciditur cespes. Non tentoria manipulis, non fomenta saucijs, Infectos cœno, aut cruore, cibos diuidẽtes, funestas tenebras, & tot hominum millibus, unum iam reliquum diẽ lamentabantur. Fortè equus, abruptis uinculis uagus, & clamore territus, quosdam occurrentium obturbauit. Tanta inde consternatio irrupisse Germanos credentium, ut cuncti ruerent ad portas, quarum decumana maximè petebatur, auersa hosti, & fugientibus tutior. Cæcinna comperto uanam esse formidinem, cum tamen neq; auctoritate, neq; precibus, neq; manu quidem obsistere, aut retinere militem quiret, proiectus in limine portæ, miseratione demum, quia per corpus legati eundum erat, clausit uiam: simul tribuni & centuriones falsum pauorem docuerunt.

Quomodo

Quomodo Romani Germanos, castra ipsorum oppugnantes repulerint, Caput Vigesimum.

POst hęc Cęcinna Romanos contractos in principia, iussosq; dicta cum silentio accipere, temporis ac necessitatis monet: Vnam in armis salutem, sed ea consilio temperanda; manendumq; intra uallum, donec expugnandi hostes spe, propiùs succederent: mox undiq; erumpendum: illa eruptione ad Rhenum peruenirí. Quod si fugerent, plureis syluas, profundas magis paludes, sæuitiam hostium superesse. At uictoribus decus, gloriam, quę domi cara, quæ in castris honesta memorat. Reticuit de aduersis. Equos dehinc, orsus à suis, legatorum tribunorumq; nulla ambitione fortissimo cuiq; bellatori tradit: ut hi, mox pedites hostem inuaderent. Haud minus inquies Germanus, spe, cupidine, & diuersis ducum sententijs agebat: Arminio, sinerẽt egredi, egressosq; rursum per humida & impedita circumuenirent, suadente: atrociora Inguiomero, & lęta Germanis, ut uallum armis ambirent, promptam expugnationem, plures captiuos, incorruptam prędam fore. Igitur orta die, proruunt fossas, iniiciunt crates, summa uallí prensant, raro super milite, & quasi ob metum defixo. Postquã hæsêre munimentis, datur cohortibus signum, cornuaq; ac tubæ concinuêre: exin clamore & impetu tergis Germanorum circumfunduntur, exprobrantes, non hîc syluas, nec paludes, sed ęquis locis æquos deos. Hosti facile excidium, & paucos ac cogitanti, sonus tubarum, fulgor armorum quanto inopina, tanto maiora offenduntur: cadebantq; ut rebus secundis auidi, ita aduersis incauti. Arminius integer, Inguiomerus post graue uulnus, pugnam deseruêre. Vulgus trucidatum est, donec ira & dies permansit: nocte demum reuersę legiones, quamuis plus uulnerum, eadem ciborum egestas fatigaret, uim, sanitatem, copias, cuncta in uictoria habuere. Peruaserat interim circumuenti exercitus fama, & infesto Germanorum agmine Gallias peti, ac ni Agrippina, Cęsaris Germanici uxor, mater Caligulæ, impositum Rheno pontem solui pro hibuisset, erant qui id flagitium formidine auderent. Sed fœmina ingens animi, munia ducis per eos dies induit, militibusq; ut quis inops, aut saucius, uestem & fomenta dilargita est. Tradit C. Plinius Germanicorum bellorum scriptor, stetisse apud principium pontis laudes & grates reuersis legionibus habẽtem.

De discrimine, in quo Romani aduersus Arminium missi, Oceano fluctuum tempestate tumescente, constituti fuerunt,
Caput XXI.

POstea Germanicus legionum, quas nauibus uexerat, secũdam & quartamdecimam itinere terrestri P. Vitellio ducendas tradit, quo leuior classis uadoso mari innaret, uel reciproco sideret. Vitellius primũ iter sicca humo, auctodicè adlabente æstu, quietum habuit. Mox impulsu Aquilonis, simul sidere æquinoctij, quo maximè tumescit Oceanus, rapi, agiq; agmen. Et opplebantur terræ. Eadem freto, littori, campis facies. Neq; discerni poterant incerta ab solidis, breuia à profundis. Sternuntur fluctibus, hauriuntur gurgitibus iumẽta, sarcinæ. Corpora exanima, interfluunt, occurrant. Permiscentur inter se manipuli, modò pectore, modò ore tenus extantes, aliquando subtracto solo dissecti aut obruti. Nec uox, & mutui hortatus iuuabant. Aduersante unda, nihil strenuus ab ignauo, sapiẽs à prudenti, consilia à casu differre, cuncta pari uiolentia inuoluebantur. Tandem Vitellius in editiora enisus, eodem agmen subduxit. Perno stauêre sine utensilibus, sine igni: magna pars nudo aut mulctato corpore, haud minus miserabiles, quàm quos hostis circumsidet. Quippe illis honestę mortis usus:

ipſus: his inglorium exitium. Lux reddidit terram: penetratumq; ad amnem Viſurgim, quò Cęſar claſſe contenderat. Impoſitę deinde legiones, uagante fama ſubmerſas, nec fides ſalutis, ante quam Cęſarem exercitumq; reducem uidêre. Iam Stertinius ad accipiendum in deditionem Segimerum fratrem Segeſtis prę miſſus, ipſum & filium eius in ciuitatem Vbiorum perduxerat. Data utrique uenia, facilè Segimero, cunctantius filio: quia Quintilij Vari corpus illuſiſſe dicebatur.

De æmulatione Tiberij aduerſus Germanicum, & colloquio Arminij cum Flauio fratre, Caput Vigeſimumſecundum.

GErmanico tertium iam annum in Germania belligerante, ac rebus in Armenia turbatis, Tiberius Germanicum ſuetis legionibus per quàm libenter abſtraxiſſet. At hic quanto altiora in eum ſtudia militũ, & auerſa patrui uoluntas, tanto celerandę uictoriæ intentior tractare præliorum uias, & bellum contra Arminium continuare, ita ut ad Viſurgim peueniret: Quò cùm appuliſſet, eius in ripa cum cœteris primoribus Arminius aſtitit, quęſitoq; an Cęſar ueniſſet, poſtquam adeſſe reſponſum eſt, ut liceret cum fratre colloqui, orauit. Erat is in exercitu cognomento Flauius, inſignis fide, & amiſſo per uulnus oculo paucis antè annis duce Tiberio. Tum permiſſum: progreſſusq; ſalutatur ab Arminio, qui amotis ſtipatoribus, ut ſagittarij Romani pro ripa diſpoſiti abſcederẽt, poſtulat, & poſtquam digreſsi, unde ea deformitas oris interrogat fratrem. Illo locum, & prælium referente, quod'nam prǽmium recepiſſet exquirit. Flauius aucta ſtipendia, torquem, & coronam, aliaq; militaria dona memorat: irridente Arminio uilia ſeruitij pretia. Exin diuerſi ordiuntur. Hic magnitudinem Romanam, opes Cęſaris, & uictis graues pœnas, in deditionem uenienti paratam clementiam, neq; coniugem, & filium eius hoſtiliter haberi. Ille ſas patrię, libertatem auitam, penetrales Germanię deos, matrem precum ſociam, ne propinquorum & adfinium, denique gentis ſuę deſertor & proditor, quàm Imperatore eſſe mallet. Paulatim inde ad iurgia prolapſi, quo minus pugnam conſererent, ne flumine quidem interiecto cohibebantur, ni Stertinius adcurrens, plenum iræ, armaq; & equum poſcentem Flauium attinuiſſet. Cernebatur contra minitabundus Arminius, prælium q; denuncians. Nam pleraque Latino ſermone interfaciebat, ut qui Romanis in caſtris ductor popularium meruiſſet. Poſtero die Germanorum acies trans Viſurgim ſtetit.

De leui prælio Germanorum, cum tribus Romanorum præfectis, Caput uiceſimumtertium.

CAeſar Germanorum acie ita inſtructa, niſi pontibus præſidijsq; impoſitis dare in diſcrimen legiones haud imperatorium ratus, equitem uado trãſmittit. Prętuêre Stertinius, & ẽ numero primipilarium Aemilius, diſtantibus locis inuecti, ut hoſtem deducerent. Quà celerrimus amnis, Carioualda dux Batauorum erupit. Eum Cheruſci fugam ſimulantes in planitiem ſaltibus circumiectam traxere: deinde coorti, & undiq; effuſi trudunt aduerſos, inſtant cedentibus, collectosq; in orbem pars congreſsi, quidam eminus proturbant. Carioualda diu ſuſtentata hoſtium ſæuitia, hortatus ſuos, ut ingruentes cateruas globo fringerent, atq; ipſe in denſiſsimos irrumpens, congeſtis telis & ſuffoſſo equo labitur, ac multi nobilium circà. Cęteros uis ſua, aut equites cum Stertinio Aemilioq; ſubuenientes, periculo eximêre.

De pugna inter Arminium & Germanicum commissa,
Caput vigesimumquartum.

CAesar transgressus Visurgim, indicio perfugæ, cognoscit delectum ab Arminio locum pugnæ, conuenisse & alias nationes in syluam Herculi sacram, ausurosq; nocturnam castrorum oppugnationem. Habita indicij fides, & cernebantur ignes, suggressiq; propius speculatores audiri fremitum equorum, immensiq; & inconditi agminis murmur attulêre. Igitur propinquo summæ rei discrimine, explorandos militum animos ratus, quonam id modo incorruptum foret, secum agitabat. Tribunos & centuriones læta sæpius quã comperta nunciare, libertorum seruilia ingenia, amicis inesse adulationem: sicõcio uocetur, illic quoq;, quæ pauci incipiant, reliquos adstrepere: penitus nosce das mentes, cum secreti & incustoditi inter militaris cibos, spem aut metum proferrent. Nocte cœpta, egressus augurali, per occulta, & uigilibus ignara, comite uno, contectus humeros ferina pelle, adit castrorum uias, adsistit tabernaculis, fruiturq; fama sui: cùm hic nobilitatem ducis, decorem alius, plurimi patientiam comitatem, per seria, per iocos eundem animum laudibus ferrent: reddẽdamq; gratiam in acie faterentur, simul perfidos, & ruptores pacis, ultioni & gloriæ magnæ, coniuges, & agros, & stipendij indies, donec bellarentur, festinandos. Inter quæ unus hostium Latinæ linguæ sciẽs, acto ad uallum equo, uocem legionum iras, uenire dies, daretur pugna, sumpturum militem Germanorum agros, tracturum coniuges: accipere omen, & matrimonia ac pecunias hostium prædæ destinare. Tertia fermè uigilia adscultatum est castris sine conflictu teli, postquam crebras pro munimentis cohortes, & nihil remissum sentire. Nox eadem lætam Germanico quietem tulit, uiditq; se operatum, & sanguine sacro respersa prætexta, pulchriorem aliam manibus auiæ Augustæ accepisse. Auctus omine, addicentibus auspicijs uocat concionem, & quæ sapientia præuisa, atq; imminenti pugnæ differit. Non campos modò militi Romano ad prælium bonos, sed si ratio adsit, syluas & saltus. Nec enim immensa Germanorum scuta, enormes hastas inter truncos arborum, & enata humo uirgulta perinde haberi quã pila, & gladios, et hærentia corpori tegmina, densarent ictus, ora mucronibus quærerent: non loricam Germano, non galeam: ne scuta quidem ferro neruoq; firmata, sed uiminum textus, uel tenues & fucatas colore tabulas: primam utcunque aciem hastatã, cæteris præusta, aut breuia tela: iam cursu, ut uisu toruum, & ad breuem impetum ualidum, sic nulla uulnerum patientia, siue pudore flagitij, siue cura ducum, abire, fugere, pauidos aduersis, interfecunda, non diuini, non humani iuris memores: si tædio uiarum, ac maris finem cupiant, hac acie parari: propiorem iam Albim quàm Rhenum: neque bellum ultra, modo se patris, patruiq; uestigia præmentem, ijsdem in terris uictorem sisterent. Orationem ducis secutus militum ardor: signumq; pugnæ datum. Nec Arminius, aut cæteri Germanorum proceres omittebant suos quisq; testari. Hos esse Romanos, Variani exercitus fugaciss imos, qui ne bellum tollerarẽt, seditionem induerint: quorum pars onusta uulneribus tergum, pars fluctibus & procellis fractos artus, infensis rursum hostibus, aduersis dijs obijciant, nulla boni spe: classem quippe & auia Oceani quæsita, ne quis uenientibus occurreret: ne pulsos premeret: sed ubi miscuerint manus, inane uictis uentorum remorum̃e subsidium: meminissent modo auaritiæ, crudelitatis, superbiæ: aliud sibi reliquum, quàm tenere libertatem, aut mori ante seruitium? Sic accensos, & prælium poscentes in campum, cui Idistauiso nomen, deducunt: is medius inter Visurgim & colles, ut ripę fluminis cedunt, aut prominentia montium resistunt, inæquali-

inæqualiter sinuatur. Ponè tergum insurgebat sylua editis in altum ramis, & pu ra humo inter arborum truncos. Campum & prima syluarum Germana acies te nuit, soli Cherusci iuga insedere, ut præliantibus Romanis desuper incurrerent. Romanus exercitus sic incessit: auxiliares Galli, Germanicq; in frõte, post quos pedites sagittarij, dein quatuor legiones, & cum duabus prætorijs cohortibus, ac delecto equite Cæsar: exin totidem aliæ legiones, & leuis armatura cum e quite sagittario, cæteræq; sociorum cohortes. Intentus paratusq; miles, ut ordo agminis in aciem adsisteret. Visis Cheruscorum cateruis, quę per ferociam præ tuperant, ualidissimos equitum incurrere latus, Stertinium cum cæteris turmis circumgredi, tergaue inuadere iubet, ipse in tempore adfuturus. Interea pulcher rimum augurium octo aquilæ petere syluas, & intrare uisæ, Imperatorem aduer tere exclamat, irent, sequerentur Romanas aues, propria legionum numina. Si mul pedestris acies infertur, & præmissus eques, postremos ac latera impulit: Mitumq; dictu, duo hostium agmina diuersa fuga, qui syluam tenuerãt in aper ta, qui campis adstiterant, in syluam ruebant. Medij inter hos Cherusci, collibus detrudebantur, inter quos insignis Arminius, manu, uoce, uulnere sustentabat pugnam. Incubueratq; sagittarijs, illa rupturus, ni Rhætorum, Vindelicorumq;, & Gallicæ cohortes signa obiecissent: nisu tamen corporis & impetu equi per uasit, oblitus faciem suo cruore ne nosceretur. Quidam agnitum à Chaucis in terauxilia Romana agentibus, emissumq; tradiderunt. Virtus seu fraus eadem Inguiomero effugium dedit. Cæteri passim trucidati. Et plerosq; tranare Visur gim conantes, iniecta tela aut uis fluminis, postremò moles ruentium, & inci dentes ripæ, operuere. Quidam turpi fuga in summa arborum uisi, ramisq; se oc cultantes, admotis sagittarijs per ludibrium figebentur: alios prorutæ arbores adflixere. Magna ea uictoria, neq; cruenta Romanis fuit. Quinta ab hora di ei ad noctem cœsi hostes, decem milia passuum cadaueribus atq; armis opple uere, repertis inter spolia eorum cathenis, quas in Romanos, ut non dubio euen tu portauerant. Miles in loco prælij Tiberium Imperatorem salutauit, struxit- que aggerem, & in modum trophęorum arma, subscriptis uictarum gentium nominibus imposuit.

De alia pugna inter Germanos & Romanos in sylua com missa, Caput XXV.

HAud perinde Germanos uulnera, luctus, excidia, quàm ea species dolore & ira adfecit. Qui modo abire sedibus, trans Albim concedere parabant, pugnam uolunt, arma rapiunt, plebes, primores, iuuentus, senes, agmen Roma num repente incursant, turbant, postremo deligũt locum, flumine & syluis clau sum, arcta intus planicie, & humida: syluas quoq; profunda palus ambibat, nisi quod latus unum Angriuarij lato agere extulerant, quo à Cheruscis derimeren turi. Hic pedes adstitit, equitem propinquis lucis texere, ut ingressis syluã legio nibus, à tergo foret. Nihil ex ijs Cæsari incognitum: consilia, locos, prompta, oc culta nouerat, actusq; hostium in perniciem ipsis uertebat. Seio Tuberoni lega to tradit equitem, campumq;. Peditum aciem ita instruxit, ut pars æquo in syl uam aditu incederet, pars obiectum aggerem eniteretur, quod arduum sibi: cæ tera legatis permisit: Quibus plana euenerant, facile irrupere: queis impugnan dus agger, ut si murum succederent, grauibus superne ictibus conflictabantur. Sensit dux imparem cominus pugnam, remotisq; paulum legionibus, fundito res libratoresq; excutere tela, & proturbare hostem iubet missę è tormentis ha stę. Quanto q; conspicui magis propugnatores, tanto pluribus uulneribus deie cti. Primus Cæsar cum prætorijs cohortibus capto uallo, dedit impetũ in syluas

conlato illic gradu certatum. Hostem à tergo palus, Romanos flumen aut mon-
tes claudebant. Vtrisque necessitas in loco, spes in uirtute, salus in uictoria. Neq
minor Germanis animus, sed genere pugnæ & armorum superabantur, cùm in-
gens multitudo arctis locis, prælongas hastas non protenderet, non colligeret,
neque adsultibus, & uelocitate corporum uteretur, coacta stabile ad prælium
contrà miles, cui scutum pectori adpressum, & insidens capulo manus, latos
Germanorum artus, nuda ora foderet, uiam'que strage hostium aperiret, in prō-
pto iam Arminio ob continua pericula, siue illum recens acceptum uulnus tar-
dauerat. Quin & Inguiomerum uolitantem acie, fortuna magis, quam uirtus
deferebat. Et Germanicus quo magis adgnosceretur, detraxerat tegimen ca-
piti, orabatq; insisterent cædibus, nil opus captiuis, solam internecionem gen-
tis finem bello fore. Iamqúe sero diei subducit ex acie legionem faciendis ca-
strís, cæteræ ad noctem cruore hostium satiatæ sunt. Equites ambiguo certauē-
re, Laudatis pro concione uictoribus Cæsar, congeriem armorum struxit, super
bo cum titulo, DE BELLATIS INTER RHENVM AL-
BIM QVE NATIONIBVS EXERCITVM TI-
BERII CAESARIS EA MONVMENTA MA-
TI, ET IOVI, ET AVGVSTO SACRA VISSE.
De se nihil addidit, metu inuidiæ an ratus conscientiam facti satis esse.

Quomodo classis Germanici in Oceano Germanico periclitata sit. Caput XXVI.

AEstate iam adulta, legionum aliæ itinere terrestri in hybernacula remissq;
plures Cæsar classi impositas, per flumen Amisiam Oceano inuexit. Ac
primò placidum æquor mille nauiū remis strepere, aut uelis impelli: mox atro
nubium globo effusa grādo: simul uarijs undiq; procellis, incerti fluctus prospe
ctum adimere, regimen impedire: milesq; pauidus, & casuum maris ignarus,
dum turbat nautas, uel intempestiuè iuuat, officia prudentium corrumpebat.
Omne dehinc cœlum, & mare omne in Austrum cessit, qui tumidis Germaniæ
terris, profundis amnibus, immenso urbium tractu ualidus, & rigore uicini se-
ptemtrionis horridior, rapuit, difficitq; naues in aperta Oceani, aut insulas sa-
xis abruptis, uel per occulta uada infestas. Quibus paulum ægreq; uitatis, post-
quam mutabat æstus, eodemq; quò uentus ferebat, non adhærere anchoris, non
exhaurire irrumpentes undas poterant: equi, iumenta, sarcinæ, etiam arma præ-
cipitantur, quo leuarentur aluei manantes per latera, & fluctu superurgente.
Quanto uiolentior cætero mari Oceanus, & truculentia cœli præstat Germa-
nia, tantum illa clades nouitate & magnitudine excessit, hostilibus circum litto
ribus, aut ita uasto & profundo, ut credatur nouissimum ac sine terris mare. Pars
nauium hausta sunt, plures apud insulas longius sitas eiectæ: milesq; nullo illic
hominum cultu, fame absumptus, nisi quos corpora equorum eodem elisa tole
rauerant. Sola Germanici triremis Chaucorum terram appulit, quem per om-
nes illos dies noctesq; apud scopulos, & prominentes oras, cum se tanti exitij
reum clamitaret, uix cohibuere amici, quo minus eodem mari oppeteret. Ta-
dem relabente æstu, & secundante uento, claudę naues, raro remigio, aut inten-
tis uestibus, & quędam à ualidioribus tractę, reuertêre, quas raptim refectas mi-
sit, ut scrutarentur insulas, collecti ea cura plerique. Multos Angriuarij nu-
per in fidem accepti, redemptos ab interioribus reddere. Quidam in Britan-
niam rapti, & remissi à regulis. Vt quis ex longinquo reuenerat, miracula pa-
rabant, uim turbinum, & inauditas uolucres, monstra maris, ambiguas homi-
num &

hum & belluarum formas, uisa, siue ex metu credita. Sed fama classis amissæ, ut Germanos ad spem belli, ita Cæsarem ad coercendum erexit.

Romani defossam Varianæ Legionis aquilam recuperant,
Caput XXVII.

POst tale tantumq; periculum Germanicus C. Silio cum triginta peditum, tribus equitum millibus ire in Chattos imperat: ipse maioribus copijs Mattos irrumpit: quorum dux Malouendus nuper in deditionem acceptus, propinquo loco defossam Varianæ legionis aquilam, modico præsidio seruari indicat. Missa extemplo manus, quæ hostem à fronte eliceret, alij qui terga circumgressi recluderent: humum, & utrisq; adfuit fortuna. Eo promptior Cæsar introrsus, populatur, excindit, non ausum congredi hostem, aut sicubi restiterat, statim pulsum, nec unquam magis (ut ex captiuis cognitum est) pauentem. Quippe inuictos, & nullis casibus superabiles Romanos prædicabant, qui perdita classe, amissis armis, post constrata equorum uirorumq; corporibus littora, eadem uirtute, pari ferocia, & ueluti aucti numero irrupissent. Reductus inde in Hiona militibus lætus animi, quòd aduersa maris, expeditione prospera pensauisset: additq; munificentiam Cæsar, quantum quis damni professus erat exoluendo. Nec dubium habebatur, labare hostes, petendæq; pacis consilia sumere proxima æstas adijceretur, posse bellum patrari: sed crebris epistolis Tiberius monebat, rediret ad decretum triumphum: satis iam euentuũ, satis casuum: prospera illi & magna prælia, eorum quoque meminisset, quæ uenti & fluctus nulla ducis culpa, grauia tamen & sæua damna intulissent: se nouies à Diuo Augusto in Germaniam missum, plura consilio quàm ui perfecisse: sic Sicambros in deditionem acceptos, sic Suenos, regemq; Marobadum pace obstrictum: posse & Cheruscos, cæteras q; rebellium gentes, quando Romanæ ultioni consultum est, internis discordijs relinqui. Precante Germanico annum efficiendis cœptis, actius modestiam eius aggreditur, alterum consulatum offerendo, cuius munia præsens obiret. Simul adnectebat, si foret adhuc bellandum, relinqueret materiem Drusi fratris gloriæ, qui nullo tum alio hostes, non nisi apud Germanias nomen adsequi Imperatorium, & deportare lauream posset. Haud cunctatus est ultra Germanicus, quanquam fingi ea, secq; per inuidiam patto iam decori abstrahi intelligeret.

De Triumpho Germanici ob dictos Germanos, Caput uicesimum octauum.

C. Cælio, L. Pomponio COSS. Germanicus Cæsar ad VII. Kalendas Iunias triumphauit de Cheruscis, Chattisq; & Angriuarijs, quæq; aliæ nationes usq; ad Albim colunt: uecta spolia, captiui, simulachra montium, fluminum, præliorum: bellumq;, quia conficere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur: augebat intuentium uisus eximia ipsius species, currusq; quinq; liberis onustus. Et quidem Strabone auctore, libro septimo, Germanicus in triumpho duxit alios quot Germaniæ principes: utpote Sigemundum Sigestis filium, Cheruscorum ducem, Thuaneldam Arminij, eo tempore adhuc contra Romanos belligerantis uxorem. In triumpho quoque ductum fert Strabo. Arminij filiolum: triennẽ, nomine Thumelich, & Sesitaach filium Segeneri, & Ramim coniugem Veromeri ducis Batauorum filiam: Adhæc Segestes socer Arminij quoq; in triumpho ductus est, etsi per honorificentius cæteris quod cum genero non consensisset, sed in initio belli Romanorum partes secutus esset.

De bello Arminij contra Maroboduum Sueuorum ac Longobardorum regem, Caput XXIX.

DEinde nouum bellum in Germania exarsit inter Maroboduum Sueuorū & Langobardorum regem, etsi sint qui tradant, anno Christi nati decimo octauo, Imperij Tiberij tertio, Druso Romanorum duce, conciliatore pacem inter ipsos factam. Nam Sueui prætendebantur auxilium aduersus Cheruscos orantes: Nam discessu Romanorum, ac uacui externo metu, gentis adsuetudine, & tam æmulatione gloriæ arma in se uerterant. Vis nationum, uirtus dum cum in æquo: sed Maroboduum regis nomen inuisum apud populares, Arminium pro libertate bellantem fauor habebat. Igitur non modo Cherusci, socijq; eorum, uetus Arminij miles, sumpsêre bellum, sed è regno etiam Maroboduo Sueuæ gentes, Semnones ac Langobardi defecere ad eum. Quibus additis præpollebat, ni Inguiomerus cum manu clientum ad Maroboduū perfugisset, non aliam ob causam, quàm quia fratris filio iuueni, patruus senex parere dedignabatur. Diriguntur acies, pari utrinq; spe, nec, ut olim apud Germanos uagis incursibus, aut dissectas per cateruas. Quippe longa aduersus Romanos militia insueuerant sequi signa, subsidijs firmari, dicta Imperatorum accipere. Ac tunc Arminius equo conlustrans cuncta, ut quosq; aduectus erat, recuperatam libertatem, trucidatas legiones, spolia adhuc, & tela Romanis direpta, in manibus multorum ostentabat: contra fugacem Maroboduum appellans, præliorum expertem, Herciniæ latebris defensum, ac mox per dona & legationes petiisse fœdus, proditorem patriæ, satellitem Cæsaris, haud minus infensis animis extur bandum quàm Varum Quintilium interfecerint: meminissent modò tot prælio rum, quorū euētu, & ad postremū eiectis Romanis satis probatos, penes utros summa belli fuerit. Neq; Maroboduus iactantia sui, aut probris in hostem absti nebat, sed Inguimerum tenens, illo in corpore decus omne Cheruscorum, illius consilijs gesta, quæ prosperè ceciderint, testabatur: Vecordem, Arminium, & rerum nescium, alienam gloriam in se trahere, quoniam tres uacuas legiones, & ducem fraudis ignarum, perfidia deceperit, magna cum clade Germaniæ & ignominia sua, cum coniunx, cum filius eius seruitium adhuc tolerent. At se duodecim legionibus peditum duce Tiberio, illibatam Germanorū gloriam seruauisse, mox conditionibus æquis discessum: neq; pœnitere, quod ipsorum in manu sit, integrum aduersus Romanos bellum, an pacem incruentam malint. His uocibus instructos exercitus, propriæ quoq; causæ stimulabant. Cum à Cheruscis Langobardisq;, pro antiquo decore, aut recente libertate, & contra augendæ dominationi certaretur. Non alias maioti mole concursum. Neq; ambiguo magis euentu, fusis utrinq; dextris cornibus. Sperabaturq; rursum pugna, ni Maroboduus castra in colles subduxisset. Id signum periculi fuit, & transfugis paulatim nudatis in Marcomannos concessit, misitq; legatos ad Tiberium oraturos auxilia. Responsum est, non iure eum aduersus Cheruscos arma Romana inuocare, qui pugnantes in eundem hostem Romanos nulla ope iuuisset. Missus tamen Drusus, ut retulimus, pacis firmator. Ad extremum uerò Maroboduo undiq; deserto, nō aliud subsidium, quam misericordia Cæsaris fuit. Transgressus Danubium, qua Noricam prouinciam profluit, scripsit Tiberio, non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortunę: nam multis nationibus clarissimum quondam regem ad se uocantibus, Romanam amicitiam prætulisse. Responsum à Cæsare, tutam ei honoratamq; sedem in Italia fore si maneret: sin rebus suis aliud cōduceret, abiturum fide qua uenisset. Cęterum apud Senatum disserunt non Philippum Athenienſibus, non Pyrrhum, aut Antiochum populo Romano perinde metuendos fuisse. Extat oratio, qua magnitudinem uirtutis uiolentiam

uiolentiam subiectarum ei gentium, & quàm propinquus Italiæ hostis, suaq; in destruendo eo consilia extulit. Et Maroboduus quidem Rauennæ habitus, si quando insolescerent Sueui, quasi rediturus in regnum ostentabatur; sed non excessit Italia per duodeuiginti annos, consenuitq; multum imminuta claritate ob nimiam uiuendi cupidinem.

De Adgandestrio principe Chattorum se Arminium ueneno sublaturum Romanispromittente, Caput trigesimum.

ARminio armis inuicto, prout Cornelius Tacitus, ab eorundē temporum scriptoribus memoriæ proditum refert, Adgandestrius Chattorum princeps, Romam Senatui literas scripsit, quibus mortem Arminij promittebat, si patrandæ neci uenenum mitteretur: Responsum uerò esse non fraude, neque occultè sed palàm & armatum populum Romanum hostes suos ulcisci.

De exitu Arminij laudumq; testimonijs, quibus eum Romani scriptores ornarunt, Caput trigesimumprimum.

ABscedentibus ex Germania Romanis, & pulso Maroboduo, Arminius regnum adfectans, libertatē popularīū aduersam habuit: petitusq; armis cū uaria fortuna certaret, dolo propinquorū cecidit, liberator haud dubiè Germaniæ, & qui nō primordia populi Romani, sicuti alij reges ducesq;, sed florentissimum Imperium lacessierit, prælijs ambiguus, bello non uictus, ut Tacitus ait.

De ætate Arminij, & annis regni eius, Caput trigesimumsecundum.

SEptem & triginta annos uitæ Arminius expleuit, anno ætatis uigesimo quinto gubernacula suscipiens, duodecim ea annos tenuit, Alexandri Magni fere exemplo, nihilominus tam breui temporis spacio rebus maximis confectis, Græcorū annalibus, Tacito id perhibente, ignotus, qui sua tantùm mirantur: Romanis quoq; haud perinde celebris, dum uetera extollunt, recentium incuriosi: Vtut uerò se res habeat, cladem Variana maximam, eamq; Romanis grauissimam fuisse, uel id indicio est, quod Paterculus scribit ante se quosdam uoluminha iusta de ea scripsisse, se quoque de ea integra conditurum esse.

De phano seu idolo Irmsuel, Caput trigesimum tertium.

IRmensuel aliqui, & inter hos præcipue Tetmarus Episcopus Mersburgensis, qui tempore Henrici primi Imperatoris, mariti diuæ Kunigundis uixit: & Albertus Krantzius eum sequens, scribunt, fuisse Idolum, & quidem Tetmarus putat, id idolum stetisse Mersburgi, eo in loco, quo posteà templum Diuo Petro constructum est. Cæterum Krantzius in sua Saxonia putat dictum Irmensuel, quasi Mercurij statuam, qui Hermes dicitur: Vel quasi Idermansuel, id est, comune profugium & Asylum omnium: eamq; statuam in oppido Saxoniæ Mersburgo, in monte Eresbergo stetisse: quam Carolus Magnus in bello contra Saxones paganos subuerterit. Cæterum ut alij, sic & ipse certo statuere nequit, an id de Mersburgo Vuestphaliæ, an de alio ad Salam sito, accipiendum sit, id quod aliorum iudicio relinquo. Mihi postquam historiam Arminij tra-

ctare cœpi, Irmensuel, dictum esse uidetur, quasi Arminij statuam, quæ in eius honorem more Romanorum, aliarumq; gentium sit erecta: ac initiò quidem dictam Arminij statuam, postea tempore progrediente uocem corruptam, atque in Irmensuel mutatam. Id'que maximè ea de causa, quod Arminius circiter ista loca bellum contra Romanos gesserit. Erat uerò, ut idem Krantzius scribit armati toto corpore effigies, cuius in dextra signum militare præferens rosam, cuius breue momentum, & facilis ortus & interitus, ita euentus præliorum. In sinistram libram expandit: dubiam pugnantium sortem facile huc ac illuc inclinantem: Pectus inerme Vrsum præferebat, interritum bellatorum animum insinuans: in clypeo, qui bestijs imperitat: inuictum ad fortia facta impetum monstrat. Floribus consito campo, in quo stabat, quod nihil iucundius solet uideri fortibus, quam in acie uirtutem ostendere. Id quod, ut alijs occasionem de hac re cogitandi præberem, in fine huius libelli obiter attingere uolui: Deo opt. atque æterno perpetua laus sit.

HISTORIAE DE ARMINIO, FINIS.

DE PRI-

DE PRISCA AC VERA ALPINA RHÆTIA, CVM CÆTERO ALPINARVM GENTIVM TRACTV, NOBILIS ac erudita ex optimis quibusq; ac probatissimis autoribus descriptio, autore Ægidio Schudo Claronense, uiro apud Heluetios clarissimo.

ÆGIDIO SCHVDO CLARONENSI, VIRO APVD HELVETIOS CONsulari clarissimo, omnibusq; modis ornatissimo, Sebast. Munst. D. S.

AITTO ad te, humanis. uir, opus tuum, tabulam scilicet Alpinarum regionum, cum adiuncto libello, sed non sine fœnore. Te agnoscit authorem fœtus tuus, qui Herculea audacia Alpes inaccessas, montesq; illos horrendos, perpetuò rigescentes frigore, & niue nunquam resolubili candicantes aggressus, submissis humeris eos in uniuersum mundum portare & transferre contendisti, ut etiam extremi nostri orbis habitatores, Britanni scilicet & Hispani, apud se habituri sint Alpes, admirauriq; giganteum illum animi tui conatum & robur, qui potueris tantorũ montium molem, tot ualles, tot amnes, tot populos, tot stagnantia maria, tot deniq; ciuitates & loca in tam exiguam transferre chartam. At scio, & uerè sciò, in his congerendis & iuste proportione digerendis, tibi non tantum insumptum laboris, quantum exegit indefessum illud tuum studium, dum perpetua lectione sursum ac deorsum per tot autores & historicos, eorumq; quosdam inconditos iactaris, & pugnantes plerunq; sententias componere cogeris, aut certè quem sequaris autorem, cuiq; adhibeas fidem circumspicis: & sic circumspicis, ne rabulis calumniandi occasionem præbeas, & pro gratia conuiciare potes. Spero hoc pulcherrimum tuum studium, quo patriam tuam & uicinam Rhætiam, sic cum perpetua & nunquam intermoritura nominis tui laude illustrasti, plurimos incitaturum, ut tui exemplo & ipsi quoq; bene mereri de patrijs suis conentur. Cæterum quem ego in hac tabula tua ædenda exantlarim laborem, non est quod hic referam. Certè diligentiæ nihil defuit, dum cogerer nunc adesse pictori, nunc sculptori, & nunc typographo, quoq; magis me urgebat, uersioni incumbere. Respuebat laborem hunc doctiss. ille tuus atq; meus HENRICVS GLAREANVS, querebaturq; se elegantem illam eloquentiæ tuæ uenam, in Latina uersione assequi non posse. Neq; alij hunc laborem subire uolebant, quem uir talis ac tantus assumere detrectauit. In hiz autem omnibus tabula ipsa iam cœpta excidi, & nihil desiderabatur quàm libri uersio. Adductus igitur ego, maiori fortassis audacia quàm debueram, imbecilles artus huic labori, quem alij recusarunt, applicui, & pro mea uirili librum uerti, ut etiam ab Italis, Gallis atq; alijs exteris nationibus legi posset. Notius est hodie in orbe Munsteri nomen, quàm ut ob meam infantiam à studiosis ne-
niam petere anxiè contendam. Sat fuerit, si uel tibi meus labor non displicuerit. Vale uir ornatissime. Basileæ, uicesimaquinta Martij.

AEGIDII TSCHV-

DI CLARONENIS V. C. APVD HELVETIOS, IN LIBRVM ALPI-

narum gentium, præfatio.

NON multis retroactis temporibus, amice lector, egregia illa facta, memorabiliaq; antiquorum gesta, quę in uicinis regionibus apud Rhenum & Danubium per Heluetios, Rauracos, Sueuos, Vindelicos, Rhætos, Sedunos, & confines eorum atque Gallorum & Germanorum contigerunt, tanta obliuione hodie delerta constat, ut etiam nomina ipsa, nedum insignium uirorum per quos, uerùm & locorum apud quæ hæc gesta sunt, interciderint, planeq; nobis incognita facta sint. Et hinc factum, ut terrarum illarum indigenæ uanis plerunque moti coniecturis, fabulisque intenti, uarias de sua origine conceperint opiniones, ineptas insulsasq; & à ueritate alienas de sua prognatione cudentes historias. Id autem hinc aduerti potest, certaq; probari ratione, quod Germanorum lingua intra 750. annos cœpta est scribi, & in literarum complexionem coartari. Quid ergo uetustum apud illos inueniri poterit, quando nemo fuerit qui ante memoratum tempus res præclarè gestas annotarit, imò nec annotare potuerit, & nihil quantūlibet egregiè factum in mortalium memoria diu manere queat, nisi literis mandetur? Quòd si dixeris, à Latinis historicis Germanorum antiqua facta conscripta, non te audiemus, certi de hoc, quod apud illos nihil certum de eorum gestis inueniri possit. Somnia ergo sunt, uana & mera figmenta, quæ sub historiarū specie passim circunferuntur, qualia sunt quę de Hildeprādo & similibus uana loquacitas excogitauit, posteaquam apud nos Germanos omnis bona eruditio sic extincta fuit, ut & optimi autores, qui passim in bibliothecis repositi fuerāt, ab idiotis neglecti, squalore corrosi & carie uitiati perierūt. Nec obstat, apud exteros, puta in Italia, fuisse uiros egregia prędictos eruditione, qui nedum quæ à suis gesta sunt annotarunt, uerùm & quæ apud exteras nationes, cùm nullus talium regiones nostras unquam ingressus, quicquam lustrare aut uidere potuerit, ut taceam labores propter eas subijsse. Non ergo immeritò prima laus datur summæ eruditionis uiro HENRICO Glareano poētæ, præceptori meo colendissimo, atq; affini dilecto, qui primus apud nos, quod sciam, uetusta nomina in lucem reuocauit, quæ tunc ferè omnem humanam excidérat memoriam, & ueluti obsoleta inusitataq; nemini cognita erant. Quo in re pulchro exhibito exemplo, plurimos bonos uiros & fœlici pollentes ingenio excitauit, qui uestigia eius sectantes profundiùs uires ingeniorum suorum in huiusmodi exercuerunt, pressiusq; acri suo iudicio omnia rimantes, non pauca extā multis relictis uestigijs, maiorum nostrorum facta ueluti ex tenebris in lucem reuocarunt. Ex quibus est BEATVS Rhenanus Selestadianus, uir incomparabilis doctrinæ & eruditionis, Bilibaldus Pirckheimerus, Gerardus Nouiomagus, Ioachimus Vadianus à Sancto Gallo, & ego nouissimus, qui & ipse quędam antiquorum gesta ex locorum uerisimilibus cōiecturis & probatis autoribus atque historicis, pro incolarum celebritate excerpsi & in unum collegi, potissimm, quę huius superioris Germaniæ & Alpinarum regionum mentionem facere uisa sunt.

AVTORVM

AVTORVM, E QVIBVS SEQVENS RHAE-

tiæ historia est excerpta, catalogus. Porrò sub quo Imperatore, & quo tempore, ante uel post Christum natum, quisque uixerit, suis nominibus & numeris expressimus.

POLYBIVS Græcus. Hic fuit Scipionis Africani præceptor, qui uixit ante Christum, annis 239.
Caius Iulius Cęsar, qui floruit ante Christum, annis 43.
Horatius Flaccus poëta, qui fuit ante Christum, annis 8. sub Augusto.
Titus Liuius Patauinus.
Strabo Amasinus Græcus.
Publius Velleius Paterculus.
Trogus Pompeius, cuius historiam Iustinus in epitomen redegit.
His floruere sub Augusto & Tiberio, eo tempore quo Christus in humanis egit.
Pomponius Mela.
Caius Iulius Solinus. } Sub Vespasiano, annis à Christo nato 80.
Caius Plinius Secundus.
Publius Cornelius Tacitus, sub Traiano. 100.
Caius Suetonius Tranquillus, sub Traiano. 110.
Claudius Ptolemæus Alexandrinus, sub Marco Antonino. 175.
Iulius Capitolinus.
Aelius Spartianus. } Sub Diocletiano. 292.
Flauius Vopiscus Syracusius.
Eusebius Cæsariensis, sub Constantino Magno. 330.
Ammianus Marcellinus, sub Constantino & Valentiniano. 360.
Eutropius, sub Valentiniano. 380.
Antonius Augustus, qui fuit post tempora Constantini Magni, qui Byzantio nouum nomen imposuit, cuius ipse mentionem facit annis 400. uel circiter.
Claudius Claudianus poëta, sub Honorio. 412.
Sidonius Apollinaris poëta, sub Valentiniano tertio. 459.
Agathias Græcus, sub Iustiniano. 560.
Paulus Diaconus Aquileiensis, sub Constantino sexto. 742.
Eginhartus Caroli Magni scriba & notarius. 809.
Ratpertus Sanctigallensis. 880.
Regino Abbas Prumiensis. 907.
Nokkerus Abbas S. Galli, sub Ottone primo. 950.
Luitprandus Ticinensis Leuita. 570.
Ekkardus Sanctigallensis. 1036.
Hermannus Contractus, sub Henrico secundo. 1040.
Abbas Vrspergensis, sub Philippo Imperatore anno Domini 1202.

Numeri sequentes omnes ad finem usq; catalogi annos à Christo nato indicant.

Quomodo Thusci, qui deinde Rhæti, hodie uerò Churenses, ex Italia uenerint ad Alpes cum duce suo Rhæto: item de quibusdam familijs eorum, Cap. I.

ANno ante Christum quingentesimo octogesimo septimo, regnante apud Romanos Tarquinio Prisco, Galliæ populi primam in Italiam fecerunt profectionem, id quod certo constat, sub duce Bellouesо, paucis'que elapsis annis, urbes Mediolanum, Comum, Bressam, Veronam, Bergomum, Tridentum, atque Vincentiam construxerunt: quo tempore Thusci in Italia magnum habuerunt imperium, quod ab infero mari usque ad superum extendebatur,

tendebatur, magnaq; fertilitate exuberabat. Habet autem regio illa has inclytas ciuitates, Pisas, Senas, Lucam, Florentiam, &c. & usque in hunc diem cultores regionis illius Thusci appellantur, quorum dominium aliquando ultra Padum fuit propagatum. Postquam autē Galli Italiæ penetralia ingressi sunt, Thuscos bello uicerunt, patrijsq; sedibus pepulerunt. Et quanquam Thusci armatis uiris, locisq; natura & arte munitis plurimum ualerent, uicti tamen à Gallis, cedere potentioribus coacti sunt, amissaq; patria, duce Rhæto ad Alpes concesserunt, & montana loca incolētes, ducis sui nomine & posteritatem & regionem illam toto orbe memorabilem reddiderunt. Versantes autem in asperis illis mōtibus, & regione illa squalida atq; inculta, temporis successu facti sunt & ipsi efferi & inculti, nihil ex priori retinentes ciuiliori uita, præter linguæ aliquantulam modulationem, sed quæ & ipsa plurimum apud eos uitiari cœpit. Hæc hactenus recitata, conscribunt Liuius, Iustinus & Plinius. Liuius decad. 1. lib. 5 sic scribit: De transitu in Italiam Gallorum hæc accepimus: Prisco Tarquinio Romæ regnante, Celtarū, quæ pars tertia Galliæ est, &c. Et paulò post: Fusis acie Thuscis haud procul Ticino flumine, cum in quo confederant agrum Insubrium appellari audissent, &c. Idem in eodem lib. Thuscorum ante Romanorum late terra mariq; opes patuere; mari supero inferoq;. Idem de Thuscis expulsis eod. lib. Alpinis quoq; ea gentibus haud dubie origo est, maximè Rhætijs, quos loca ipsa efferarunt, ne quid ex antiquo præter sonum linguæ, nec eum incorruptum retinerēt. Iustinus lib. 20. Thuscos expulerunt, & Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, Vincentiam condiderunt. Idem eod. lib. Thusci quoq; duce Rhæto, auitis sedibus amissis, Alpes occupauêre, & nomine ducis gentem Rhætiorum condiderunt. Plinius lib. 3. cap. 20. Rhætos Thuscorū prolem arbitrantur à Gallis pulsos duce Rhæto.

Iudicium de Rhætis profugis.

Thusci itaq; isti auitis pulsi sedibus, & intra Alpium aspera considentes loca, haud uulgares infimæq; sortis homines fuere, sed omnium Thusciæ incolarum & genere & opibus præstantissimi. Id enim usu uenire cognouimus, cùm regio aliqua expugnata fuerit, ut plebs infima ferè semper uictoris gratiam obtineat, atq; casam & prædiolum suum retineat, quippe quę nec potestate ulla aut opulentia fulcitur: potentiores uerò & quibus facultates suppetūt uberiores, uiresq; rebellandi non desunt, longè à patria arcentur sede, quòd hi uictorem antè asse cutam uictoriam sua infestarint fortitudine, habeantq; opes multas & prędia amplissima, quę hostis in suam rapit potestatem. Vnde cùm Liuius hîc dicat, loca ipsa hosce Rhętos efferos reddidisse, nequid ex antiquo retinuerint, satis indicat, extorres illos Thuscos non uulgares & rusticis moribus prędītos, ut nunc sunt, sed potentes & spectatę uirtutis uiros fuisse. Quin & in hunc usq; diē Rhętij, incolę Alpium, iactitant sese descendisse à nobili familia, qui tamen hodie passim habitant in uallibus asperis atq; alijs agrestioribus locis, suę etiamnum nobilitatis ostentantes insignia, antiquitatis suę monumenta.

Liuij locus de Rhætis declaratur.

Istæ familiæ olim floruerunt, & hodie quoq; quædam adhuc inueniuntur.

Comes à Metsch.	De Amasia	Amasius
Barones à Rhætzuns	De Rhætio	Rhætius
Barones à Bell mont	De Bello monte	Bellus mons
Barones à Montalt	De monte alto	Mons altus
Barones à Vatz	De Vatio	Vatius
Barones à Saz	De Sacco	Saccus
Comes à Monfort	De Monte forti	Mons fortis
Comes à Sargus	De Sarunegauno	Sarunetius

Bar

Baro à Flumbs	De Flumine	
Baro à Valæiren	De Valerijs	Valerij
Emps	De Amisio	Amisius
Emps supra Curiam	De Amedes	Amedius
Capell	De Capello	Capellus
Suns	De Sanzo	Sontius
Castels	De Castello	Castellus
Castris	De Castritio	Castritius
Valendans	De Valendiano	Valentinianus
Bellfort	De Bello forte	Bello fortis
Bissen	De Bisis	Bissus
Buuuix	De Bouuiga	Bouitius
Balckain	De Balcono	Balconus
Nobiles de Panigada	De Panisio	Panitius
Trimis	De Trimontib	Trimontius
Plantairo	De Plana terra	Plana terra
Marschlintz	De Marsilinio	Marsilius
Fontenaus	De Fontenasio	Fontenatius
Marmels	De Marmoreo	Marmoreus
Mont	De Monte	Montanus
Lumbarius	De Lomareno	Lumbarinus
Iuualt	De Iuua alto	Iualtius
Castelmur	De Castelmuro	Castrimurus
Tumben	Tumba	Tumba
Pessellen	Pussello	Passellus
Planten	Planta	Planta

Sunt & aliæ plurimę huiuscemodi familiæ, ex quibus nonnullæ penitus interierunt, quædam adhuc superstites inueniuntur, quas tamen hic breuitatis causa omittendas censui. Sunt proinde in ualle Lugoitza multi talium nobilium, id quod clarum indicium est auitæ posteritatis: alioquin si uallis illius prouentus spectes, uix ibi nutriri possent duo nobiles, more nobilium impensius uictitantes. Isti uero laboribus grauioribus assueti, iam occalluerunt ad quæcunq; opera quantumlibet difficilia, nec pudet illos labrorum, minimeq; arbitrãtur ob labores ipsorum obfuscari nobilitatem: & rectè quidem: non enim inopia aut uictus manibus partus, sed morum peruersitas & facinora infamem atq; degenerẽ reddunt nobilitatem. Gloriantur autem isti pauperes nobiles, quorum iam meminimus, quod ex nobilissima descenderint prosapia, quodq; maiores ipsorũ è Roma aliquando fuerint pulsi: sed in hoc errant, quãdoquidem originem à Thuscis, ut iam diximus, traxerint, qui illo tempore clariores Romanis fuere, quorum uicini extiterunt. Loquuntur ut inexperti, & qui neq; antiquitatum neq; historiarum cognitionem habent, hoc tantum uerè scientes, maiores ipsorum aduenas fuisse ex Italia. Ob ista tamen non inferiores se iudicant Germaniæ nobilibus, etiamsi illis longe impares sint, si phaleras caballorum & cataphractorum spectes, aliorumq; ornamẽtorum luxum, quibus hodie nobiles exornari solent: isti autem ea nec habent nec facile habere poterunt, ob regionis eorum infœcunditatem. At propter istorum defectum non putant quicquam decedere nobilitati suæ. Hoc in primis curant, ut piè & iustà uiuant, execrantes omne id quod iniquum est, quippe qui nunquam non cogitant à quàm magnificis uiris originem duxerint: id unica illis est gloriandi ratio, non obstante inciuilitate eorum, quam ab inculto agro uelut tabem quandam cõtraxerunt. Præterea est & id obiter hic commemoran-

Lugoitz

Nobiles apud Rhætos

Romani Thuscorũ uernæ.

Rhæti falsò à Romanis originẽ traxisse dicuntur.

Rhætorum encomium.

commemor ãdum, Rhætos tempore Liuij haud secus quàm hodie moratos fuisse, id quod ex uerbis eius aduerti potest, quando scribit, Rhætos nihil exantiquo præter sonum linguæ, nec eum incorruptum retinuisse. Hac Rhætica lingua utuntur usq; in hunc diem Rhætiæ incolæ, potissimum qui circa Curiã habitant, quos nos Germani *Churwælschen*, id est, Curenses Italos, ipsi autem Romanos sese appellant, fortassis ob istam rationem, quòd Romani & Thusci olim una usi fuerunt lingua, hodie autem Thuscana lingua communiter pro Italica habetur. Cæterum Rhætica lingua intra 150. annos plurimum apud Rhætos interijt, Germanica indies inualescente, ut hodie nedum Curenses, uerùm & qui remotiores sunt Germanicè loquantur, qui haud longè supra æuum nostrum Italicè loquebantur, si modò corruptissima eorum lingua Italica est censenda, quæ & olim tempore Liuij & hodie usqueadeo deprauata est ob hominum illorum rusticam & incompositam uitam, ut Thuscani, qui adhuc sunt in Italia, eos loquentes minimè intelligant, quantumlibet unius sint nationis & ab una descenderint prosapia. Sic si horum nobiles conferas cum Thusciæ nobilibus, rectius rusticos esse quàm nobiles dixeris.

Lingua Rhætica

Thuscorum, Rhætorũ & Romanorũ eadẽ lingua.

Quare Rhætica lingua scribi non possit. *Caput II.*

RHætica lingua tam perplexa & impedita est, ut scribi nequeat: unde omnes literæ ab antiquis confectæ, Latinè scriptæ sunt, & quas hodie parant, Germanicè scribi procurant. Ratio alia huius perplexitatis afferri nequit, quam quæ data est de moribus in tantam rusticitatem deprauatis. Cum enim ab initio suæ ex Italia fugæ, asperiores & agrestiores terras longo tempore manuum suarum indefessis laboribus miciores reddere cogerentur, unde sibi necessarium pararent uictum, pueros aũt literis instituendos minimè curarent, unde usum legendi & scribendi acquirerent, sed perpetuò tractarent ligones, furcas, serras & alia rustica instrumenta, quibus syluestrem & lapidosam terram repurgarent & pastinarent, tandem factum est ut cum rustico labore rusticos quoq; induerint mores, neglecto q; cultiori sermone, indies linguam suam deprauarint: id quod in hodiernum usq; diem, in Germania fieri uidemus, quam hi qui solitarij in syluis extra frequentiam hominum habitant, destituti scribendi & legendi institutione, rudes & inculti euadant, linguam natiuam corrumpant, & cæteris eiusdem regionis hominibus prorsus dissimiles efficiantur.

Situs uerus antiquissimorum Rhætorum. *Caput III.*

Cæsar lib. 4. Rhenus oritur ex Lepõtijs qui Alpes incolũt.

VEra & antiqua Rhętia locum habet in Lepontijs Alpibus iuxta utranq; Rheni originem, includens omnes circumiacentes ualles & montes, quorum multi descendunt & procurrunt usq; ad eum locum, ubi uterq; Rheni riuus in unum coalescit fluuium. Est autem inter hos duos Rheni riuos, haud procul ab eo qui posterior uocatur Rhenus, supra uerò utriusq; mixturam, spatio pedestris itineris quod media hora confici potest, campus quidam pulcher, cuiminet collis in suo uertice arcem gestans celebrem & peruetustam, nomine Rhętium, quod hodie Germanicè uocamus Rętzuns, & coniectura prægnans est, illud olim à primis extructum Rhętis, sicut & intra sexaginta annos adhuc aliqui fuerunt eius arcis possessores, ex clara Rętzuns familia descendentes, Baronnes potentes, quippe qui à parentibus suis in illa regione quam uulgò uocant *Ober Grauupund*, id est, superior Grisea, aut Caniciei confœderatio, amplissimam acceperunt ditionem, habentes subiectos homines, possidentesq; castra & regalia. Vltimus eius familię Dominus fuit Vdalricus à Rętzuns, & is obijt annno Domini 1459. Sabbatho ante Matthię, & successit ei in hæreditatem Comes Iodocus à Zolrn, & Baro à Lympurg. Memoratam uero arcem cum ditione eius possident iam pignoris loco Domini à Marmels. Vulgus tamen

Rhætium Rætzuns Barones Rhætij.

D. Vdalricus ultimus Rhæticorũ Baronum.

Marmorei.

men regionis illius ex consuetudine appellat possessores dominij illius, quantumlibet extra familiam sint, Dominos à Retzuns. Fuit & alia peruetusta arx in regione illa, sed quę modò in ruinis iacet, appellata olim Rhętia alta, hodie autẽ corrupto uocabulo uocatur Realt, distatq; à Rętzuns itinere pedestri duarum horarum & dimidię, sita iuxta posteriorem Rhenum, in ulteriori fluminis ripa, in ędito loco, supra uillam Germanicè Tusis appellatam quam Rhęti barbara sua lingua uocãt Tuscianam, quę uilla una est ex prącipuis Grisęę illius ligę uillis: & uerisimile est nomen illi contigisse à primis Rhętis, posteaquam Tusciam reliquerunt (est enim uocabulorum magna allusio Thuscię & Tusis, sicut & arcium Realt atq; Rætzũs) à primo duce Rhęto: ut hic taceam quid incolę regionis illius ueluti per manus acceperint, ut ipsi aiũt, à maiorib. suis, quod olim rex quidam aut princeps regionum illarum habitarit in arce Realt. Hunc ego puto dominum fuisse Rhętorum, qui tunc adhuc Rhętiam sibi subiectam habuit. In ista arce adhuc uidentur reliquię quędam fortissimarum turrium & murorum. Prętęrea inter memoratas duas arces Realt & Rętzuns, intercipitur campestris quędam uallis, quam nostrates Tumlesch, Barbari autem Tomiliascam appellant: supra illam est Realt, & infra Rętzuns, intermedia uerò uallis mediocriter frugifera, potissimum in pomis, frumento & uino, etiamsi supra regionem illam, nullum crescat uinum. Hunc itaq; ego arbitror Rhętię esse ambitum, unà cũ adiacentibus uallibus, quę plurimę sunt in utraq; Rheni ripa, etiam ultra iuga Alpium, quales sunt Clauena, Brigella, Mesaucum, Vrsella, &c. His annumero populos habitantes iuxta originem Aeni, labentis in Danubium, & habitantes iuxta fontes Athesis, alluentis mœnia Veronę, & tandem in mare Adriaticum desinentis. Porrò populi iuxta Aenũ sedentes, hodie appellantur Engadini & Vinstermunçij: qui autem ad Athesim, Vinstgoij & Munstetalenses, pertingentes usq; ad Aeni uallem & Athesis regionem. Apud ipsos enim initium sumunt memorati duo amnes. Hi semper & ab antiquo sociati & confœderati fuerunt cathedrali Ecclesię Curiensi, existẽtes de natione eorum usq; in hunc diem. Loquũtur barbara illa & uitiata lingua, quam uulgò *Churwälsch* uocãt, nõ Italica id quod euidẽs indicium est, illos quoq; descendisse à Thuscis, & ex Rhętis prognatos.

Rhætia alta
Realt.
Tusis
Tuscia
Dux Rhætus
Tomiliasca
Tumlesch
Rhætiæ ambitus
Aenus
Athesis

Historici qui hic citantur plurimi, confirmari Rhæto ab initio in Alpibus iuxta Rhænum consedisse, *Caput quartum.*

Lulius, qui fuit eo tempore quando Christus seruator noster uixit homo inter homines, scribit de Thuscis expulsis decad. 1, lib. 5. Alpinis quoq; ea gentibus haud dubie origo est, maximè Rhętijs. Strabo, qui illo etiam tempore uixit, lib. 4. scribit: Supra Comum ad Alpium radicem Rhęti iacent. Idem eod. libro: Rhęti ad Italiam usq; extenduntur, quę supra Veronam & Comum est. Et lib. 7. in hunc modum scribit. Heluetij & Vindelici in montibus campos habitant, Rhęti uero & Norici ad Alpium summa tenent. Horatius lib. 4. Ode 4. sic Rhętis scribit: Videre Rhęti bella sub Alpibus Drusum gerentem. Trogus Pompeius, qui illo quoq; tempore floruit, autore Iustino lib. 20. sic scribit de Thuscis expulsis: Alpes occupauere, & nomine ducis gentem Rhętorum condiderunt. Plin. qui tempore Vespasiani uixit, in natural. hist. lib. 3. cap. 19. numerat Rhętos inter Alpinas gentes. Cornelius Tacitus, qui fuit tempore Traiani, scribit in lib. de situ & moribus Germanorum, in hunc modum: Rhenus Rhęticarum Alpium inaccesso ac prącipiti uertice ortus. Paulus Diaconus Aquileiensis, qui anno Domini 742. uixit, asserit dulces esse Rhętios, & seipsum declerans, ait ueros habitare in Alpibus. Sunt autem hęc uerba eius lib. 2. cap. 11. hist. Longobardorum: Inter Mediolanenses & Sueuiam Alemannorum prouinciam, quà septentrionem

Horatius
Iustinus
Plinius
Tacitus
Paulus Diaconus

trionem uersus sita est, duæ prouinciæ, scilicet Rhætia prima & secunda inter Alpes consistunt, in quibus proprie Rhæti habitare noscuntur. Ex his uetustis historicis satis probatum arbitror, Rhætorum nationem in Alpibus iuxta fontes Rheni consedisse, atq; in asperis illis uallibus construxisse arces & turres, atque alia id genus propugnacula ad sui defensionem: quę in uasta illa solitudine usqueadeo aucta fuerunt, & quædam in tam inuijs locis sita, ut uehementer mirandum sit, quomodo ibi uel ædificium extrui, uel homines habitare potuerint. Id ausim affirmare, neq; in Italia, neq; in Gallia aut Germania ullum esse locum, in quo tot arces & præsidia, ut in isto, inueniantur, præsertim ubi fundus est tam asper & infœcundus. Quædam præsidia in ipsis Alpium radicibus locata inueniuntur, tametsi pleraq; ruinosa hodie iaceant, & solùm indicium ueteris ædificij ostentent. Necessariò proinde fatendum, extraneam aliquam & diuitem gẽtem hęc tam multiplicia ædificia fundasse in locis tam squalidis, nõ autem indigenas & ibi educatos, qui id minimè facere potuissent, cùm regionis illius prouentus tanti non sint, ut expensas huiusmodi ferre possint. Aliunde igitur supperiæ illę ministratę sunt, nempe ex Thuscia. Nam proculdubio postquam homines illi discedere coacti sunt, qui diuitijs abundarant, secum tulerunt quicquid corrade re potuerunt, & ex his quæ necessaria non erant, munitiones in asperis illis locis condiderunt, ubi prius nulla humana fuit habitatio, exceptis Lepontijs, qui itinera occupabant quæ ex Germania & Gallia ultra Alpes in Italiam ducunt, de qua re infrà latius dicetur. Iam enim facta, imò tuta erant itinera per Alpes, aliàs Thusci eas minime transcendissent. Ptolemęus, Claudianus, & alij quidam qui longe post memoratos historicos uixerunt, in quorum sententiã eũt doctissimi uiri B. Rhenanus & Bilibaldus Pyrckheimerus, mentionem faciunt alterius cuiusdam & maioris Rhætię, sed de qua nos hìc non loquimur, infrà autem suo loco eius recordabimur, ubi quoque dicemus quomodo Rhæti ditionem suam ampliauerint, & indies maiora acceperint incrementa.

Rhætiæ arces

Arcium multitudo

Via per Alpes

B Rhenanus

Bilibaldus Pyrckheimerus.

Rhæti quomodo ampliauerunt terminos suos, Caput quintum.

POstquam Rhæti in memorias asperis locis aliquandiu consederunt, facti sunt posteri eorum ex loci asperitate bellicosi, gnaui & animosi, depositis maiorum suorum ignauia, uirilem induentes animum, quo robore propagarũt, suam ditionem ultra Alpes usque ad Comum, Veronam & Tridentum: citra autem Alpes, usq; ad lacum Riuanum, quem uulgò *wallensee* uocant, & ad Brigantium, ubi initium est Podamici lacus, quò ab utraq; Rheni ripa Alpes extenduntur. Non tamẽ uidetur mihi uerisimile, totum hunc tractum Rhætos occupasse, sed uallem Rheni Germani possidentes, extero populo locum non cessere-runt: nisi fortè ditiores & potentiores ex Rhætis squalida refugientes loca, & fertiliorem quęrentes terram, sese in demissiora insinuarint loca, & ibi emerint commodiora habitacula, aut aliàs obtinuerint, ut iam commemorauimus. Castrum Manfort & comites eius ex Rhętijs initium habuerunt. Item duo alia castra, haud longè à se distantia, quę uocantur Amisum excelsum, nouũ & uetus, uulgò *hohen Emps*, ex Rhętijs quoq; originem acceperunt, & eorum familia adhunc extat. Horum meminit quoq; Nauclerus in sua Chronica, in hunc modũ scribens: Anno Domini 1195. Henricus Imperator sextus misit ex Neapoli aliquos captiuos nobiles, præsertim regis Tancredi filium, ad Curiam Rhætorũ & exoculatum coniecit in carcerem in castro quodam Amisi nomine, quod est *Emps*, ubi & tota uita sua captus mansit. Est & in alio latere Rheni, è regione Mõtfort, uilla quędam monticulo rotundo imposita, quam Germani corruptè uocant Montiglen, Rhęti uero Monticulum quę pristinum retinuit uocabulum, & præter ipsum pauca alia in descensu illius lateris inuenias Rhętica uocabula:

De Rhęgusci coniectura.

Monsfortis.

Amisum

Nauclerus

Monticulus.

Montiglen.

uocabula: nam ferè omnium oppidorum, uillarum, uicorum, montium & uallium nomina quę in tota Rheni ualle uisuntur, Germanica sunt, qualia sunt Grunenstein, Rheguscorum Wartensee, item Alistetten, Rineck, Marpach, Balgach, Berneck, Rosenberg, Monstein, Buchberg, & alia locorum nomina multa, quæ hîc superfluum duximus recitare. Hæc proculdubio à Rhætis ortum non habuerunt, fieri tamen potest quod illorum locorum habitatores temporis successu Rhætis subiecti fuerint, sicut & hodie Heluetijs subiecti sunt habitatores Bellizonæ & Lugani, uulgò Lowerz, & alij multi, qui alia quàm Heluetij loquuntur lingua, Vnde colligitur eos ab Heluetijs non descendisse, sed dominio eorum sponte protectionis gratia sese subiecisse.

Rhæticis nominibus.

Quomodo Rhæti deuastauerint Comum, & terminos suos extenderint uersus Tridentum & Veronam, Cap. VI.

ANno circiter 86. ante Christum natum, cùm Romanorum Cõsules essent Cn. Pompeius Strabo, Magni pater, & L. Portius Cato, & Rhæti iam annis 501. Alpium regiones occupassent, & Comum deuastassent, fuit oppidũ illud rursum per Pompeium instauratum, de quo Strabo lib. 5. sic scribit: Comum mediocris erat colonia. Cęterum Pompeius Strabo Magni pater, colonos in eam restituit, quam incumbentes Rhæti uastauerant. Hinc conijcere licet, eo tempore Rhætos terminos suos propagasse usq; ad terras Tridentinorum, Veronensium atq; Comensium. Fieri autem potest quod initium huius belli fuerit eo tempore: quando Heluetij pugnantes contra Romanos percusserunt Lucium Cassium Consulem eorum, & tunc Rhæti quoque, qui uicini erant Heluetiorum, cristas contra Romanos erigere ausi sunt. Sed & Cimbri illis temporibus bellum gesserunt contra Romanos, id'que iuxta fluuium Athesim, haud longè à Rhætorum terris, quod fortassis Rhætos quoque animosiores fecit. De bello Cimbrorum & Romanorum uide Florum super 68. libro Liuij, ac aliquot præcedentibus.

Coniecturæ ueri similes.

Quãdo Rhæti imperium in Italia auxerint.

De oppidulo Wallenstat, & lacu eiusdem, & quomodo Rhæti succumbentibus Heluetijs imperium suum dilatauerint usq; ad regionem Gastern. Item de confinijs Curensis & Constantiensis episcopatus, atq; de regione Heluetiorum quam Marcham uocant, Caput VII.

RHæti, ut iam diximus, ditionem suam extenderũt usq; ad lacum Riuanum, & lacum Podamicum, id quod factum uidetur eo tempore, quando Heluetij relictis terris suis, incensisq; habitationibus, animũ in Galliam direxerunt, ut illam occuparent. Sed postea à Cæsare uicti, & ferè omnes interfecti fuere, paucis saluatis, de quibus Strabo sic scribit lib. 4. Cæsar reliquos ad millia octo saluos emisit, ne Germanis finitimis desertum agrum linerent: hoc est, ne Germani occiduum Rheni latus quoq; occuparent. Scribit tamẽ Cęsar, reliquias maiores superfuisse. Illo tempore Rhæti prædia sua steriliora, quæ habuerãt in Alpibus, relinquentes, inq; subiecta loca se demittentes, quę longè uberiora erant, & iam uacua possessoribus suis Heluetijs, occupare cœperunt omnia, aut maiorem eorundem partem. Cumq; victa Heluetij ex Gallia redire cogerentur, non satis uirium fuit eis ut excluderent ab antiquis sedibus suis, quas iam occupauerant Rhæti: aut certè, quod uerisimilius esse uidetur, sponte illis donarunt regionem suam, præsertim cũ plurimum in Gallia imminuti essent, nec sufficerent pro colenda tota terra. In hunc itaq; modum arbitror Rhætos primum extendisse limites suos uersus Galliam, idq; ante Christum natum annis 55. Oppidum Vuallenstat, in superiori parte lacus Vuallenstatij situm, non appelatur Rhęticè Vallisstadium, ut Vadianus putat, ob id quod locum habeat in ualle littoris illius laci, sed obtigit huic oppidulo nomen illud olim, quod occupatum esset & habitatum è Rhętis. Tunc enim Heluetij, qui inferiorem laci illius tenebant partem, utebantur

Wallenstat.

utebantur lingua Germanica,& dederunt nomen *Wallenstat* memoratõ oppido, quod habitatur à Rhætis:barbara, hoc est, aliena à Germanica utentes lingua. Vocant enim Germani extraneas gentes, quæ non communicant cũ eis,in uernacula lingua, *Walen* & *Walchen*, potissimum Italos & Gallos. Eadem ratione lacus ille cùm in potestate esset Rhætorum,à Germanis appellari cœpit, Vualenstatius lacus,quod nomen usq; in hunc diem retinet, sed secus quàm regio *Wal-*
Vualgœuu. *gœw*,quasi *Walchengœw*, à Rhętis illis nomen accepit, de qua infrà quoq; dicetur.
Sciendum præterea quod Rhæti lingua sua memoratum oppidum *walenstat* no-
Riua. minarunt Riuam, id est,Ripam:lacum autem ipsum, Riuanum,id quod testan-
Lacus Riuanus. tur antiquissimæ literæ fundationis Curiensis.Quo pacto uerò Rhæti eiusdem laci ulteriora loca occuparint,aduerti potest ex nominibus oppidorum,præser-
Tert, tim Tertzen, Quarten, & inferiùs ab alio latere, *Sewes*,Quinten,in quibus locis
Quart, custodiæ fuerunt atq; uigiliæ,per quarum stationem ditionem suam ampliarũt,
Qwint, quousq; terram ultra *Sewen*, *wesen*,id est, Vesenium,Schennis,& terram Domi-
Vuesen *windeck* obtinuerunt, ubi castra sua fortissima locarunt. Hinc regio illa ad hunc
Vuindeck usq; diem uocatur Gastern, quòd usq; ad eum locũ Rhetij castrametati fuerint.
Hoc ergo pacto Rhæti obtinuerunt & denominarunt regionem illam,quod sci
licet in tractu illo castra sua locassent & limitem regionis suę contra Heluetios
Castra, posuissent;unde & barbaram appellationem Gastern retinuit,quod castrorum
Gaster. limitem significat, sicut & Heluetiorum confinium,qui Germanicè loquebantur. Germanicam retinuit appellationem: nam limes ille terræ eorũ ad Gastern usq; pertingens,lingua eorum March fuit appellatus,quod latinè regionis alicuius aut agelli limitem significat. Limes autem ille Rhętorum,Gastern ab Helue-
Limagus tiorum Marca secernens,est Limagus amnis exGlarona descendens.Est & usq;
Limes Rhætorũ ac Heluet. in hunc diem uera Marca, quam inferiorem uocant, diœcesim Constantiensem separans à diœcesi Curiensi. & est efficax argumentum uetustæ illius regionum distinctionis. Nam Marca illa & Claronenses, exceptis Kyrentzen, Niderunẽ
Limes diœcesum Curiæ et & Bilten, quod etiam ab antiquis temporibus Schennensium in Gastern est, ad
Constant. Constantiensem diœcesim pertinent:& è diuerso lacus *walensee* & tota regio Ga-
Scenines. stern,excepta inferiore parochia:quæ *Oberkilch* appellatur.& ubi Rhætorum re-
Churuualen gio finem habet,totum pertinet ad Curiensem diœcesim. Fuit & tota regio Ga-
Nulen stern etiam intra 500 annos annumerata Curiensibus, hoc est Rhætis,id quod te-
Knonouu stantur priuilegia Cæsarea templo Schennis,quod est in Gastern,concessa,quo-
Vuylen rum tenor hic est:
Reitnouu In nomine sanctę & individuæ Trinittatis,Henricus diuina fauente clemen-
Mellingen tia rex.Si dignis petitionibus fidelium nostrorum benignum auditum adhibere
Răckuuyl studuerimus, apud Dominum & homines condignam remunerationem habe-
Gisingen re non dubitamus.Quapropter omnium Dei nostriq; fidelium,præsentium sci-
Frouuis licet & futurorũ nouerit industria,qualiter fidelis noster Vdalricus Comes,pieta-
Genis tis nostræ clementiam audiens humiliter rogauit, ut monasterium quod Sken-
Finen nines dicitur, à parẽtibus suis & à se fundotenus constructum,in honore quoq;
Eschens sancti Sebastiani martyris dedicatum,situm in pago Churuualacha,in Comita-
Zizers tu Eberhardi Comitis, & sanctas moniales inibi Deo sub Canonica regula ser-
Tosters uientes,in nostrum mundiburdium,tutionem, defensionemq; acciperemus:cu-
Benders ius petitioni pium assensum præbentes, ob interuentum ac petitionem dilectę
Faleers coniugis nostrę Agnetis reginę,prefatum monasterium cum Ecclesijs,dicimus
Pludentz Ecclesiam Nuolun,cũ curte,cęteris q; appendicijs,Ecclesias Chnonouua, Vui-
Schlyns la,Retinouua,cum curtibus:Ecclesiam uerò Mellingen,necnõ cętera bona quę
Vualastat uidentur habere in uilla Ranchuuila, Kisingun,Frouuines, Cheizines,Finines,
Murg Estones,decimationem in Zizures,Thosteres,cum omni utilitate in Beneduro, dimidia pars curtis & Ecclesię Faleres :Pludenes, Slines, Vualastade, Murga,

Flia,

Flia, Mura &winchelen, Chaltebrunun, Mundoluesuuilari: in Rieta, Smarinchouen, Tuffelinchouen, Butinchouen, Barra, Columbari, &wettingun, Goltbach, Suites, & cum omnibus utilitatibus uel utensilibus ad idem monasterium pertinentibus, seu quęcunque adhuc diuina pietas illuc augeri uoluerit, in nostrum mundiburdium, tutionemq; suscepimus, nostræq; autoritatis præcepto roborauimus, eo quoq; tenore, ut præscriptum monasterium & sanctæ moniales eandem libertatem quàm cæteræ regales habeant, & perpetualiter in eędem consistant. Decreuimus autem atq; constituimus, ut ædem sanctæ moniales inter se liberam potestatem habeant eligendi Abbatissam, cui à regia potestate idipsum committetur officium. Et ut hæc nostri mundiburdij uel tutionis autoritas stabilis & inconuulsa omni tempore perseueret, hanc chartam inde conscriptam, subtusq; manu propria roboratam sigillari iussimus.

Fly
Mur
&winckler
Kaltbrunnē
Mundolsch-
Riet. (wyl.
Schmærickē
Tufflincken
Butricken
Bar
Cholbar
Vuettingen
Goltbach
Schwyz.

Signum Domini Henrici re- gis tertij inuictissimi. R.

Theodericus Cancellarius uice Burdonis Archiepiscopi & Archicancellarij recognouit.

Data ij Calendas Februarij, indictione xiij, anno Dominicę incarnationis M. 45. anno autem ordinationis Henrici Regis tertij 16. Regni uerò 6. Actum Turegi feliciter, amen.

De Rhætorum uersus Podamicum lacum limite, Cap. VIII.

HAbet præterea Rhetorum regio iuxta Rhenum & hunc limitem, ut extendatur per Rheni descensum usq; ad lacum Podamicum & non ultra, ubi Rheni nomen unà cum Rheno ipso à lacu absorbetur. Vnde Strabo libro 4. de Rhætis sic habet: Ipsi autem ad ea usque loca quæ Rhenus secat, extenduntur. Scribit quoq; lib. 7. de lacu Rheni in hunc modum: Ad eum lacum Rhæti paulum adsunt, amplius Heluetij (qui hodie sunt *Swiceri*) & Vindelici, quos iam uocamus *Lintzgœwer*, & deserta Boiorum regio usq; ad Pannonios: magis autem Heluetij: & Heluetij in montibus campos habitant, Rhæti uerò & Norici ad Alpium summa tenent. Hinc patet, eo tempore quo Strabo uixit, tempore scilicet Augusti & Tiberij, ditionem Rhetorum extensam fuisse usq; ad initium lacu Podamici & ad Brigantium, & non ultra.

De Vindelicis, & quomodo Rhæti atq; Vindelici Heluetios & alios populos obruerint: item quando Rhæti Romanis subditi fuerint, Cap. IX.

QVod autem post infortunia Heluetiorum Rhetij ditionem suam ampliauerint, subindicat iam memoratus Strabo in libro quarto sic scribens: Isti finitimas Italiæ partes omni tempore, & Heluetiorum & Sequanorum, & Boiorum & Germanorum incursitabant. Porrò Vindelicorum regio situm habet inter lacum Podamicum, Hercyniam syluam, quam hodie Nigram syluam uocamus, Danubium & Lycum. Retinuit autem nostro æuo paruus quidã terræ tractus nomen pristinum licet corruptum, nempe *Lintzgœw*, qui à Lindaugia uersus *Marchdorff* & ultrà porrigitur, constituens capitulum in diœcesi Constantiensi, quod uocant Capitulum *Lintzgœw*. In una Vindeliciæ extremitate iuxta Lycum fluuium locatur Augusta, & in opposita Lindaugia, quæ, ut uidetur, olim insula

Vindelicorũ situs.

Vindelicorum appellata fuit, de qua Strabo quoq; scribit, ut infrà commémorabimus. Vindelici itaq; olim incursiones fecerũt in uicinos quosq; populos, præsertim in Sequanos, quos Sunggoienses esse putant, Boios & alios adiacentes Germanos, sicut & Rhæti molestarunt uicinos suos Italos & Heluetios. Postea uerò tempore Augusti, annos circiter 13. ante Christi incarnationẽ, sunt & Vindelici atq; Rhæti multifariam impugnati, & magna pars ditionis eorum Romanis subiecta, idq; per strenuos illos fratres Tiberium & Drusum Cæsaris priuignum. Vnde Eusebius in Chron. Olympiade 191. anno 2. Tiberius Vindelicos Romanam prouinciam facit. Et Velleius Paterculus lib. 1. Tiberius Cæsar Rhætiam & Vindelicos ac Noricos, Pannoniamq; & Scordiscos, nouas imperio Romano subiunxit prouincias. Idem lib. 2. sic scribit: Augustus Cæsar haud mediocris belli molem per Tiberium Neronem experiri statuit, adiutore operis dato fratre ipsius Druso: quippe uterque diuisis partibus Rhætos Vindelicosq; aggressi, multis urbium & castellorum oppugnationibus, necnon directa quoq; acie feliciter functi, gentes locis tutissimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, maiore cum periculo quàm damno Romani exercitus, cũ earum plurimo sanguine perdomuerunt. Hæc ille. At uideri possunt ad principũ adulationem hæc scripta. Suetonius in Augusto aliter habet: Rhætiam, inquit, & Vindelicos ac Salassos gentes Alpinas coercuit. Conformiter Lucanus: Indomitum Rheni caput &c. Florus in 136 librum Liuij prioribus alludens sic scribit: Rhætia à Tiberio Nerone & Druso Cęsaris priuigno domita. Causa huius belli ignoratur, nisi quod conijcitur Romanos mouisse bellum contra Rhætos & Vindelicos, eò quod ipsi bellum intulissent Heluetijs & Sequanis Romanorum prouincijs. Strabo lib 4. hanc signat rationem, quod Rhęti superioribus annis inopes latrocinati fuissent, & nemini tutum iter permisissent per Alpes: namque inopia acti, rapinis operam dederunt. Quapropter Cęsar Augustus eorum uolens compescere sęuitiam, misit priuignum suum, qui armata manu illos reprimeret. Et in hunc modum illorum conatibus repressis, itinera rursum tuta redita sunt. Quod autem Drusus bellum gesserit contra Rhætos, testatur Horatius lib. 4. Ode 4. in hęc uerba: Videre Rhęti bella sub Alpibus Drusum gerentem. Et Suetonius in Claudium capite 1. Drusus dux fuit Rhętici belli. Hinc ualles Vualgæw per descensum amnis lli usq; ad Rhenum & paulò ulterius, olim uocata fuit Vallis Drusiana, id quod testantur antiqua monumenta, quę habentur in cathedrali Curię ecclesia. Antea uerò coloni eius dicti fuerunt Estiones, de quibus infrà. Fieri etiam potest, quod Drusus cum exercitu suo aliquantam moram fecerit in illa regione, donec Rhętiã deuicit. Interim autem Tiberius Drusi frater & coadiutor, suppresit apud Podamicũ lacum Vindelicos, hoc est, Lintzgoios, commodissimè utens insula Podamici laci: hinc enim nauali prælio illos concussit. Vnde Strabo lib. 7. de lacu Rheni: Is habet insulam, qua uelut arce ad inuadendos Vindelicos commodissimè usus in naualibus pugnis Tiberius. Hanc insulam reor fuisse eam quæ est iuxta Lindaugiam, quæ adhuc insula appellatur, & non insulam Richenow, ut D. Beato Rhenano uisum est. Nam non rarò per annum equo & pede licebit ingredi insulam istam de qua Beatus loquit. Cæterùm post mortem Drusi, Rhęti rursum bello petuntur, idq; per Tiberium, qui plurimos strauit: at illi maluerunt mortem oppetere, quàm Romanis cerui-cem subdere, eorumq; ferre dominium. De quo Horatius libro quarto, Ode decimaquarta.

Vallis Drusiana.

Insula lacus Brigantini.

Maior Neronum mox graue prælium
Commisit, immanesq; Rhætos
Auspicijs pepulit secundis,
Spectandus in certamine martio.

Denig;

Deuota morti pectora liberæ
Quantis fatigaret ruinis,
Indomitas propè qualis undas, &c.

Hoc itaq; pacto Rhæti subacti sunt Romanorum dominio. Scribit Strabo libro 4. de Rhætis, quod cum in desertis locis agerent rapinis intenti, ex uictus & cæterarum rerum inopia illis interdum parcebant hominibus, qui campos habitabant, ut haberent qui eis suppeditarent: econtra illi resinam, picem, tedam, ceram, caseum, mel, retribuebant, quorum quidem copia eis supererat. Eusebius Cæsarienlis in suo Chron. refert, quod Olymp. 133. anno 3. Tiberius de Rhætis, Vindelicis, Armenijs ac Pannonijs triumpharit. Sed hîc notandum, Romanos sæpe triumphasse, etiam cum quis hostem solùm strauisset, & non subiugasset aut domuisset, id quod uidere licet in Liuio deca. 4. de Gallis, quos Romani Cisalpinos uocarunt, & in alijs locis eiusdem autoris. Sic aliqui putant actum fuisse cum Rhætis. Nam in Suetonio, qui magnæ inter historicos est autoritatis, non scribitur, domuit, sed coërcuit, quasi dicat, cohibuit aut retrocegit. Haud secus scribit Lucanus insignis poëta, & qui nullo historico inferior æstimandus est, Caput Rheni indomitum esse: hoc est, homines iuxta fontes Rheni habitantes, indomitos esse. Ex quibus uerbis memorati scriptores putant, superiorem Rhętię ligam nunquam fuisse sub Romanis aut indomitam ab eis, exceptis fortasis illis, quorum habitatio est in locis Rheni inferioribus, nempe in Tumlesch, è regione Furstnow & Curiæ: quorum opinionem ueritati nõ dissimilem, hic non duximus discutiendam. Illis quoque temporibus Lucis Munacius Plancus, qui sub Imperatore Augusto bis Romanorum Consulem egit, uictoriam affecutus est contra Rhætos, & ob id Romæ triumphum habuit, cuius mentionem facit uetustissima lapidis inscriptio, quæ adhuc inueniuntur in Caieta urbe maritima in regno Neapolitano sita. *Rhætorum merces.*

INSCRIPTIO CAIETAE.

L. Munatius L. F. L. N. L. Pro N. Plancus. COS S. Cens. Imp. Iter. VII. uir Epul. Triumph. ex Rhætis. Aedem Saturni F. de manibus. Agros diuisit in Italia Beneuenti. In Gallia colonias deduxit Lugdunum & Rauricam.

Explicatio.

Lucius Munatius Plancus Lucij filius, Lucij nepos, Lucij pronepos, Consul, Censior, Imperator iteratò, Septumanus in sacerdotio, Triumphator ex Rhætis, ædem hanc Saturno fundauit ex facultatibus bello paratis. Agros Beneuenti diuisit in Italia, & in Galliam in ciuitates Lugduni atq; Augustæ Rauracorum (quæ est prope Basileam) nouos colonos collocauit, *Ex Raph. Volaterrano*

Descriptio Rhætiæ secundum Ptolemæum, Caput X.

CLaudius Ptolemæus, qui multis annis post Liuium, Trogum, Strabonem, uixit, scribit lib. 2. cap. 12. tempore suo limites Rhætię & Vindeliciæ hos fuisse: Occidentale latus terminatur monte Adula, qui hodie uulgò uocatur Vogel, & oritur ex eo Rhenus, & linea quæ est inter capita amnium Rheni & Danubij. Latus septẽtrionale terminatur parte Danubij, quæ est à fontibus usq; ad Aeni fluuij scisionem. Orientale uerò latus ab ipso Aeno terminatur. Meridionale, Alpium montibus supra Italiam extensis apud Graias Alpes & apud Pœninas, qui sunt iuxta principium Lyci amnis, qui in Danubium exit, & mœnia urbis Augustę alluit, Rhætiamq; à Vindelicia disiungit. Secundum hunc Cosmographum, Augusta in Rhętia, & non in Vindelicia locum habet, & limites quos ipse statuit, comprehendunt Rhætiam Vindeliciam, & bonam partem Heluetiæ, potissimum superiorem & inferiorem Thurgoiam, quam fortasse Rhæti *Alpes Graiæ & Pœnæ.*

suis temporibus, post cladem Heluetiorum suprà memoratam, tam tum obitæ nuerant. Alioquin secundum hanc Ptolemaicam descriptionem, Heluetij & Vindelici nusquam attigissent lacum Podamicum: cum tamen Strabo scribat, suo æuo totum lacum fuisse intra terminos horum populorum, Rhætos autem modica regionis suæ parte illum contigisse. Vnde patet, Thurgoiam seu Durgeam tunc fuisse Helueticam Rhætiam, quippe quæ à Rhætis deuicta fuit, haud secus quàm hodie Lowers, Lucarus, Mendris in Italia, usq; ad urbem Comum: itē Schafthusia, Eglisow, Stein & Rotwila in Germania, Basilea apud Rauracos, Mülhusen apud Sequanos, qui hodie Sunggoienses appellantur, omnes Heluetij appellari poterunt. Quapropter Rhætia illa subacta, quam campestrem uel inferiorem uocant, non habenda est propriè pro Rhætia ipsa, cum non sit uera Rhætia, quæ situm habet intra, & non extra Alpes, unde & in hunc usq; diem appellantur Celni populi, & ob percussum fœdus Confœderati cani: quo uocabulo datur intelligi, illos esse seniores in natione illa, præsertim cum autores Ptolemæo uetustiores testentur, antiquos Rhætos in Alpibus habitasse, summaq; iuga occupasse, & id nedum iuxta Rhenum, uerùm & ultra Alpes uersus Italiā ualles inhabitasse, quorum limitum Ptolemæus in sua descriptione nequaquam meminit, sed discriminari ait Rhætiam ab Italia Alpium cacuminibus, quæ tamen utrinq; Rhætorum sunt. Sed fieri potest, quod eo tempore Rhætia nonnihil fuerit alterata, & id per Romanos, exigētibus ita prouinciarū præfecturis: propterea uerò Ptolemaica limitatio in hac & similibus descriptionibus non uidetur imitanda: nec Ptolemæi insignis illius Cosmographi propositum fuit, quamlibet partuam regionem aut ciuitatem per suos limites & terminos præcise describere, sed totum mundum deliniare, & simul ostendere situm cuiuslibet loci, limites uerò nō exactè obseruare. Vnde factum est, ut nonnunquam ciuitatem aliquam tribus aut quatuor Germanis miliaribus locauerit à uero suo situ quem in terra habet. Sed illud nequaquā est curandum, præsertim cum tam mirabile fecerit opus, totum mundum comprehendens in circulo, mare, & terrā per suos terminos metiēs & conscribens, & præterea omnium celebrium gentium & ciuitatum nomina cōmonstrans. Quod autem prima & antiqua Rhætia terminos & situm habuerit in Alpibus, ut suprà ab initio ostendimus, aduerti potest ex suprà memoratis antiquis historicis, qui Rhætorum mentionem faciunt, & omnes testantur Rhętos fuisse Alpinos populos, & incoluisse Alpes ipsas. Cęterū regio quę est inter Podamicum lacum & ortum Danubij, usq; ad commistionem Lyci & Danubij, nullas habet Alpes aut solitudines: ad hoc superior Thurgoia à lacu memorato usq; ad ostia Thuri fluuij, ferax est uini atq; frumenti, & utrūq; littus lacui decoratur multis oppidis, ciuitatibus, feracitate uini & frumenti, & amœnitate, & tamen non sunt Alpinę gentes, sed optimam terram possident, Strabo uerò scribit lib. 7. in hunc modū: Ad eum lacū Rhæti paululū absunt, amplius Heluetij & Vindelici, &c. Rhęti ergo inhabitarūt excelsos uertices Alpiū, Heluetij uerò & Vindelici habuerunt planicies in montibus atq; iuxta prędictum lacum. Idē Strabo lib. 4. sic scribit: Rhenus magnum in lacū effunditur, quem Cereti & Vindelici propius attingunt. Et lib. 7. Lacus Rheni habet insulam, qua uelut arce ad inuadendos Vindelicos commodissimè usus, &c. Hęc omnia clarè demōstrant, maiorem partem laci Podamici & attingentium regionum, Rhętorum non fuisse, sed portionem aliquam. Nam si illorum terra lacum non contigisset, quomodo Tiberius ex lacu istos inuadere potuisset? Prętereà si iuxta mētē Ptolemęi hęc omnia ad antiquam Rhętiā pertinuissent, habuissent Rhęti maiorem & populosiorē regionē in planicię cę in Albipus, immeritoq; à Liuio appellati fuissent Alpini populi in asperis habitātes locis, & ex asperitate locorū efferi factī, ut suprà diximus: alioquin quomodo potuisset nobiles illi, quales ab initio fuerunt,

Campestris uel inferior Rhætia

Iudicium de Ptolemæo

Thurgoia

fuerunt, in bonis terris degenerare in tantam feritatem? Loquor autem de Thurgota, Constantia, Lindaugia, *Buchhorn, Rauenspurg, Marchdorff, Merspurg, Vberlingen, Mindelheim, Pfullendorff*, &c. ubi semper & in hunc usq; diem fuerũt & sunt homines prudentes, negociationibus intenti, industrij, bonis moribus imbuti, & alieni ab omni rusticitate atq; feritate. Vnde colligimus, hanc planam & exteram regionem nunquam sub Rhætorum dominio fuisse, quippe qui asperas duntaxat Alpes, & earum ualles inhabitarunt, & inde feritatem illam, quàm adhuc habent, contraxerunt. Vindelicorũ urbes.

Dicit præterea Liuius Rhætos linguam suam Thuscanam retinuisse, licet plurimum corruptam. Non autem inuenitur, nec unquam est auditum, regiones inter Danubium & Podamicum lacum atq; Thurgoiam usas lingua extera & alia à Germanica, & ob id minimé Rhætiæ sunt accensendæ. Nec obstat, si dicas, barbaram illam & externam linguam in ciuitate Curiæ, & alijs multis locis abolitam, & Germanicam introductam, cum ibi & hinc usq; ad lacũ *Wallensee*, ferè omnes uillæ, montes, syluæ, ualles, Alpes, flumina, agri & prata, nomina habeant barbara, peregrinæ illius linguæ certa uestigia. Similiter licet inuenire quædam oppida in descensu Rheni usq; ad initium laci Podamici, quæ id testantur. Hinc autem ad Thurgoiam & uersus Danubium nullum penitus tale deprehendes indicium, exceptis quibusdam locis quæ per Romanos fundata, belli occasione aut castrorũ locatione nomen acceperunt, ut est Arbona, seu Arbor felix, Constãtia, &c. In summa, latera Constantiensis lacus termini sunt Heluetiorum & Vindelicorum, iuxta apertum Strabonis testimonium, & non Rhętorũ: etiamsi non abnuamus, tempore Ptolemæi aut etiã ante, Heluetiã & Vindeliciam Rhætiæ subiectas fuisse, sed non diu subiectam tenuerunt, quia Alemanni ex utroq; latere Podamici laci Rhętos expulerunt, & regionem sibi uendicarunt. Fuerunt etiam Rhæti ab initio populus à patria expulsus, & absq; dubio non multum bellicosus, alioquin non permisissent se tam facilè per Gallos à patria sua expellere: & eadem ratione non ualuerũt optimam aliquam terram usurpare, quis enim locum eis dedisset? Verisimile præterea est bonas regiones citra Alpes, tam Thurgoiam quã tractum ultra lacum usq; ad Danubium, tunc habitatas fuisse. Et cũ ipsi aduenæ Rhęti inexercitati fuerint ad bella gerenda, proculdubio nullũ populũ incognitũ in exteris regionibus inuaserunt aut ui obtinuerunt, sed in agrestibus locis mansionem constituentes, pacem & quietẽ quęsierunt, præsertim cum tunc Heluetiorum potẽtia tanta fuerit, ut Gallis Germanisq; omnibus, imò Romanis ipsis auderent bellũ indicere. Id si uerum est, proculdubio non permisissent Rhætos ultra Alpium septa uersus suã ditionẽ terminos ipsorum dilatare. Postquam uerò Romanorum bellis infestari cœperunt, possibile est tunc Rhętos transgressos limites suos, & nouam Rhætiam, hoc est, ampliorem fecisse. Hoc aũt non obstante, antiqua & uera Rhætia, ut suprà abũde, pbauimus, obiter attigit lacum Podamicum, idq; in superiori eius parte: ulterius uero Heluetij & Lintzgoij eum lacum contigerunt. Postea tamen modico elapso tempore, Heluetiorũ & Lintzgoiorum nomen ferè penitus interciditde quo infrà. Et tunc Rhætorũ limites longè extẽsi sunt in regiones Heluetiorũ & Vindelicorũ, ut etiã lacũ Podamicũ intra eos cõprehenderint, id quod Plinius, Ptolemęus, Solinus & Claudianus testãtur. Vnde Plin. lib. 9. cap. 17. Lacus Rhætiæ Brigantius. Et Solinus cap. 23. de Gallia: Rhæticus ager opimus & ferax, Brigantino lacu nobilis. Item Claudianus in uictoriam Atalarici:

Vindelicorũ urbes.

Ex Rhætorũ lingua argumentum

—*sublimis in Arcton*
Prominet Hercyniæ confinis Rhætia syluæ.
Quæ se Danubij iactat Rhenięq; parentem.

Heluetiorũ potentia ante Iulij Cæs.

Sed non diu hanc ampliatam ditionẽ retinuerunt. Nam in tractu illo surrexerunt contra Romanos quædã conspirationes, Alemannorũ usurpantes nomẽ, Alemanni.

Alemanni. Argumenta Verisimilia.

& Rhætos Romanis ſubditos coegerunt pedem referre in Alpium primam mã
ſionẽ, ut etiam contenderint ultra Brigantiũ arma in eos mouere. Qua re motus
Conſtantius Imperator, miſit exercitum uſq; Brigantium, qui cum Vindelicis,
Lentienſes. hoc eſt, Lintzgoïs, qui tunc Lentienſes appellabantur, & facti fuerant Aleman
ni, congrederentur: cuius belli Ammianus meminit lib. 15. in hæc uerba: Lentien
ſibus Alemannicis pagis indictum eſt bellum. De quo bello & eius cauſa infrà
fuſius dicemus. Sic itaq; factum eſt, ut illo tempore regiones Rhætorum, Heluc
tiorum & Vindelicorum redierint ad priſtinos limites. Haud diſſimilis quędam
nata fuit diſſenſio ante 650 annos, inter Abbatem monaſterij S. Galli, cuius ſitus
eſt in Thurgoia, in regione Heluetiorum, & Comitem Lintzgoiæ, hoc eſt, Vin-
Rheguſci. delicię, propter oppida quædam Ringoiæ, id eſt, Rhętię, cõueneruntq; ad diri-
mendã litem illam ſingularum cõmunitatum gubernatores, pacataq; diſſenſio-
ne, literis ſigillatis cautum eſt, ne in poſterũ tale quod oriretur diſſidium. In hac
Cõmunis li- autem conuentione declaratur, inferiorem Thurgoiæ marcam Heluetiorũ eſſe,
mes. & Ringoiam Rhætorum: & in hunc uſq; diem hæc uera eſt inferior marca Rin-
Vindelicorũ goię & Thurgoiæ, extenſa à Schwratzeneck, quæ eſt in montibus Appencellenſiũ,
Rhætorũ, et uſq; ad ingreſſum Rheni in lacum Podamicũ. Deſcendit aũt Rheni riuus à late-
Heluetiorũ. re occidentali laci Brigantini ſpatio dimidio miliaris Germanici, priuſquã con-
Oſtia Rheni uerſus lacum ingrediatur. Hinc aũt ſic colligere licet: Si inferior Heluetiorum
in lacum. marca terminos illos quos hodie habet ab annis retroactis 650. habuit, abſurdũ
non erit dicere, ante illud tempus hos quoq; habuiſſe limites. Et ut iam memo-
rata de regionum diſtinctione declaratio manifeſtior eſſet, libuit eam hic de uer-
bo ad uerbũ inſerere, etiamſi non omnia in ea contenta, noſtro inſtituto ſeruiãt.

TENOR LITERARVM.

Ringœwe eſt cis & trans Rhenum, quicquid ſupra Brigantium eſt uſq; ad Eſtiones.

NOtum ſit omnibus, pręſentibus ſcilicet & futuris, quod nos fratres de mo
naſterio Sancti Galli, in pago Ringœwe de iuſtis & publicis traditionibus
atq; legitimis curtilibus, talem uſum habuimus, qualem unuſquiſq; liber homo
de ſua proprietate iuſtè & legaliter debet habere in campis, paſcuis, ſyluis, ligno
rumq; ſucciſionibus, atq; porcorum paſtu, pratis, uijs, aquis, aquarumq; decurſi
bus, piſcationibus, exitibus & reditibus. Præterea in uſus monaſterij, prout o-
pus erat, ad aquęductus & ad tegulas, ligna in prædicto pago ſuccidimus, & ex
inde ad monaſteriũ deferebamus, & nihilominus naualia ligna ibi ſuceidimus,
neceſſaria noſtra per lacũ aſportanda. Inſuper & grex porcorum de monaſterio
ad eundem ſaltum deducebatur ad paſtũ. Hæc omnia de temporibus Ludouui
ci Imperatoris pĩſsimi, & Goſperti Abbatis eiuſdem monaſterij, & ſucceſſorũ
ipſorum Imperatorum & Abbatum, anteceſſoresq; noſtri habuerunt abſq; pe-
titione & abſq; conductione, & ſine ullius poteſtatis contradictione: ſimiliter &
nos eadẽ omnia poteſtatiuè & abſq; contradictione habuimus uſq; ad tempo-
ra Arnolfi regis, exceptis nemoribus ſubtus adnotatis, quę in regio bãno ſunt.
Poſtquã aũt rex Arnolfus Vdalrico cuidam Comiti de Lintzgœuue, in prænomi-
Luſtnouu nato pago Ringœuue curtem Luſtenouua in ius ꝓprietatis dedit, uſus omnes quos
non longè ab Emps. prius, ut dictum eſt, in eodem pago habuimus, iſdem Comes cũ ſua ditione no-
Schindlen. bis auferre, & nihil nobis neq; in Luſtenouua, neq; circunquaq; in pręſcripto pago,
niſi ſub cõductione fruendum uoluit concedere. Etiam tegulas quas fiſſas ha-
buimus ad tegendam ſancti Galli Baſilicã, ui abſtulit, & ſuper domum ſuam in
Epiſcopus Luſtenouua, imponere iuſsit. Tunc uenerabilis Salomõ epiſcopus, & abbas præti
Conſtantiẽ tulati monaſterij ſancti Galli, ut futura poſteris deſtruerent iurgia, habito prudẽ
ſis. ti conſilio, omnes principes de tribus Comitatib. id eſt, de Durgœuue, de Lintzgœue
& de Rhętia Curienſi, cum reliqua populorum multitudine in unum fecit con-
uenire,

uenire, præsente Thiotolfo Curiensi episcopo, & prædicto Comite Vdalrico, in loco ubi Rhenus lacum influit Podamicum, de uniuersis usibus præscriptis in pago prænotato *Ringœwe*, quid potestatiuè legaliterq́, quidq́ sub condictione ad monasterium deberet habere regia autoritate conquisiturus. Nam Comes prælibatus & nostris familijs in eodem pago positis, solitos usus interdū detraxit, & ea quibus maximè in monasterio opus est, uoluit denegare. Tunc uerò primates omnes de illis tribus collecti Comitatibus, cum iuramento & fide data testificati sunt, se uidisse & bene nosse, quod de legitimis curtilibus usus omnes isti, ut prædicti sunt, & nobis ad monasterium, nostrisq́ mansis in nostris territorijs, in pago prænuncupato commanentibus cum illis ciuibus, absq́ contradictione essent communes à riuo *Eichipach* usq́ ad *Scrienespach*, excepto Hermē*desouua, Ibirinesouua* & *Palgaa*. Et præterea gregi porcorum testificati sunt de monasterio dicto in eodem saltu pastum habere debuisse. Eodem quippe iuramento & Comitatus diuiserunt terminum inter *Durgeuue* & *Ringewe*, asserentes de *Swartzuneca*, ubi aquæ adhuc ad nos uergunt usq́ ad *Mauen*, in medium gurgitem Rheni, & inde usq́ ad lacum Podamicum. Acta sunt hæc in loco supradicto, iij. Calend. Septēbris, anno incarnationis Domini 890. Indictione vij. regnante rege nostro Arnolfo glorioſissimo, præsidēte Salomone episcopo, & abbate uenerabili.

Eichpach *Schrentzpach* *Die Plotzno im Rintal* *Balgach im Rintal.* *Swartzeneck in Appenzell.*

Isti uerò sunt qui hoc testificati sunt. De Durgœwe.

Folcherat	Eskirich
Luto	Reginger
Milo	Hildeger
Immo	Vuinidhere
Vuoluene	Tiotpold
Reccho	Vuolfrid
Vuerinhere	Lantfrid
Vuitto	Adalbert
Kotesthegan,	id est, Gotzdægen
Kozpert	Item Adalbert.
Nanker	

Othere
Vualdpert
Ruadpert
Vuillehere
Atolf
Vuolffkier
Item Vuillehere
Pato
Item Vuitto
Horseolf
Engilram.

De Rhætia.

Vrsicinus	Dominius
Vuanzo	Vigilius

Merold
Andreas
Item Merold

De Limtzgœuue.

Indo	Vualdpert
Hadabert	Vuillehelm
Adalbert	Kerhart
Alto	Luitpert
Meginhere	Pernhart

Ruadman Sigibrecht
Sigibrecht
Vuichere
Adalolt
Richolf
Item Kerhart.

Situs Rhætiæ iuxta Strabonem, Cap. XI.

STrabo lib. 4. breuiter complexus est limites Rhætiæ, quibus tempore Augusti & Christi includebatur Supra Comum, inquit, ad Alpium radicē Rheti iacent & Vennones ad orientem uersi. Alia ex parte Leponti & Tridētini & Stoni & alij complures populi parui Italiam tenentes. Idem libro 4. sic scribit: Montana pars in orientem & in austrum uergens à Rhætis Vindelicisq́ tenet,

Boiis Heluetijsq; confinibus: nam eorum campis imminent. Cæterum Rhæti ad Italiam usq; pertinent, quæ supra Veronam & Comum est. Ipsi autem ad ea usq; loca quæ Rhenus secat, extenduntur. Idem lib. 7. Ad lacum Rheni Rhæti paululum adsunt, amplius Heluetij & Vindelici. Magis aũt Heluetij & Vindelici in montibus campos habitant. Rhæti uerò & Norici usq; ad Alpium summa tenent, & Italiam uersus inclinant, hinc Insubribus, inde Carnis propinqui, & Aquileiæ tractui. Patet hinc, Rhætos occupare Alpes iuxta Rhenum, & extendi eorum terram usq; ad lacum Podamicum, quibus confines sunt ab uno latere Lepontini, qui sua lingua hodie uocantur Liuiner: postea Insubres, & hi hodie sunt ducatus Mediolanensis atq; Comensium terra. Item Verona & Tridentini, quos hodie uulgò uocamus ab Athesi fluuio Etschlender. Norici uerò sunt qui ad Aenum iacent. Tridentinos & Noricos, Vennones contingunt, qui etiam inter Rhætos numerantur, apud quos Aenus & Athesis oriuntur. Porrò hi hodie sunt Engadini, Vinstermuntij, Munstertalenses & Vinstgoij. A Vennonib. denominata est *Munstertal*, Latinè Vallis uenusta, idq; in antiquis literis quę habẽtur in cathedrali ecclesia Curiensi. Item secundum descensum Rheni usq; ad initium laci Podamici contigerunt Rhæti ab uno latere Vindelicos, & ub altero latere Helueticos, & istud latus ascendit usq; ad Lepontinas Alpes. Scribit & Plinius lib. 3. cap. 23. Rhætos iunctos Noricis.

Diœcesis Curiensis ferè complectitur Rhætiam ut à Strabone est descripta, Cap. XII.

SI conferas diœcesim Curiensem & limites eius cũ Rhætia, ut à Strabone est descripta, inuenies circuitum eius omnino respondere descriptioni Strabonis. Extẽditur enim ista diœcesis ultra *Veldkirch* ad Brigantium atq; lacum ipsum ab uno Rheni latere, & ab alio latere ad *Montiglen*, id est, Monticulum in *Rimal*, & hinc ad *Turtal* in *Gastern*. Item ab *Vrseren*, quæ in Curiensi diœcesi est, descendendo ad *Gestinun*, quæ est in terra. Vr. Hoc etenim tempore *Vrseren* & *Gestinun* ad Vros, qui & ipsi Heluetij sunt, pertinent. Hic itaq; tractus, ut suprà quoq; memorauimus, distinguit diœcesim Curiensem à Constantiensi & antiquo Heluetiorum limite. Sed & nomina oppidorum clarè ostendunt ibi desijsse linguam Rhæticã atq; Germanicam, ut Vrsella hospitale Rhæticè, & paululum descendendo, ubi initium est Constantiensis episcopatus, est Gestinum, Germanica uox, & significat diuersorium hospitum, alludens hospitali Rhætorum. A Gestino descendendo ad Vrorum regionem, omnia locorum nomina sunt Germanica, ultra autem hospitale sunt Rhætica. Item ascendendo à lacu Brigantino, sunt omnia fere nomina Rhætica, ut sunt, *Brigantz* Brigantiũ, *Emps* Amilium, *Monifort* Monsfortis, *Ranckuuyl* Ranguila, *Fraxtentz* Fraxinum, *Montaiol* Montaniolus, *Benduren* Benedurum, *Estimen* Estiones, *Schan* Scana, *Vadutz* Vallis dulcis. Item in ualle Rheni, *Montiglen* Monticulus: & in dominio *Vorstegh*, *Salætz* *Saletz* Saletium, *Sax* Saxum, *Gamps* Campsum. In *Swerdenberg*, Graps Quadrabitum, *Buchs* Bougum, *Seuola*, *Seuola*. In Sanganus, *Gretzins* Grecinium, *Fontenaus* Fontenatium, *Atzmans* Alcimonis, *Vill* Villa, *Ragatz* Ragatium, *Vilters* Vilis terra, uel Filtris antiquitus, *Pluntz* Plontium, *Flums* Fluminis, *Berschins* Persinium, *Prat* Pratum, *Parnidia* Pernidia, *Paschara* Palcuaria, *Pascalia* Pascualia, *Bellfriß* Belfrisium, *Matug* Matugium, *Tscherlach* Cernelacum, unde uideri potest lacus *Vualen*. In *Gastern* seu Castris, *Mols* Melsum, *Tertzen* Tertium, *Quarten* Quartum, *Quinten* Quintum, *Murg* Murgum, *Fly* Flia, *Mur* Murum. In summa, totus Curiensis diœcesis circuitus habuit olim usum Rhætici sermonis, id quod testantur memoratorum oppidorum nomina, & maior pars nominum montium, agrorum, pratorum, fluminum, Alpium, &c. Idem asserunt incolæ à maioribus

Ex linguis argumẽtum efficax.

libus suis sic instructi. Agnoscunt pręterea hanc diœcesim hi qui habitant ultra Alpes, ut sunt Engadini, & uersus Italiam *Masopertal* usque ad Bellizonam: item *Brigellertal*, *Vinstgœuu*, & inferius usque ad regionem Athesis: item multæ ualles & oppida, quæ pertinent usque ad diœceses Tridentinam, Veronensem & Comensem. Quicquid itaque est intra circuitum huius episcopatus, totum est Rhętia antiqua, iuxta ueram Strabonis descriptionem. Colligitur denique ex aliis rationibus quas iam commemorabo, diœcesim Curiensem complecti uetos limites antiquę Rhætię, nempe ex metropoli eius Curia, quæ ut in episcopato, ita quoque apud ueteres Rhætos summum inter oppida tenuit locum, ubi & dominus totius regionis illius suam habuit residentiam, unde & sermo uulgaris *Churuuelsch*, & terra ipsa Rhętia Curiensis appellata fuit. Ab initio enim propagati Christianismi, quælibet regio quàm latè potuit, unum habuit episcopũ, per quẽ ad fidem incolę eius conuertebantur. Cum autem olim Rhæti & supremus terręeorum dominus fidei catholicæ sese submitterent, proculdubio tota regio illa cœpit parere suo episcopo, in his quę de suo erant foro. Quin & ultimus Rhętię dux seu comes migrans hinc sine legitima prole, assignauit Ecclesię Curiensi magnam terrę illius portionem, deditq; arma sua atq; insignia, quibus posteris uteretur temporibus. Durauit autem hic episcopatus circiter mille & quinquaginta annis, id quod colligitur ex descriptione uitę sancti Fridolini, in *Seckingen* sepulti, cuius descriptionis autor fuit Noggerus abbas sancti Galli, qui uixit ante 650. annos. In ea autem Legenda sic scriptum habetur: Anno Domini 495. uenit sanctus Fridolinus ad episcopum Curiensem, tempore Ludouici primi Francorum regis, qui etiam Clodoueus magnus uocatus fuit. Hinc arguitur episcopatum aliquot annis antea fuisse, cum iam ibi episcopus esset, quem sanctus Fridolinus perhibetur adiisse. Vtuntur etiam Rhętię populi choreis singularibus, quas dosiri uocant *Churuuälischen*, & absque dubio maiores eorum ex Thuschia hoc saltationis genus olim in eam induxerunt regionem. Nunc de Rhętico uino dicendum. Quamuis in terra eorum altissimi & inuij sint montes, crescunt tamen in radicibus illorum montium atq; in uallibus uina optima & præcipua, potissimum in ualle Rheni, prope *Veldkirch*, *Vadutz*, in *Sarganser* regione, iuxta *Meyenfeld*, Curiam, *Thumlesch*, *Veltlin*, *Cleuen*, &c. Vnde Strabo libro quarto. Vinum Rhæticum inter Italica egregiè commendata, non sane inferius in montanis illorum radicibus nascitur. Item Suetonius in Augustum capite 77. Augustus Cæsar maxime delectatus est Rhætico uino. Idem scribit Plinius libro decimoquarto, capite primo & secundo & sexto.

A profana potestate argumentum.

Arma Rhætorum ducũ nunc collegij Curiensis.

S. Fridolinus Noggerus abbas.

Rhætiæ saltationes.

Rhæticum uinum

Quas terras illi qui sunt de Cana confœderatione, quas & Churuualchen uocant, hodie desiderent ex antiquis Rhætiæ limitibus, Cap. XIII.

AMemorata antiqua Rhætia, quam Cani confœderati hodie possident, aut ulsa sunt, Brigentium, *Veldkirch*, *Bludentz*, *Vualgœuu*, *Estnerberg*, *Vadutz*, quæ intra limites domus Austriæ sita sunt. In ualle Rheni, *Sax*, *Vuerdenberg*, *Turtal*, *Sarngenser* regio, *Gastern*, *Vrseren*, quæ sunt in Heluetiorum ditione. Item ultra Alpes in Vennonum regione infra Engadinos, *Vinstermuntz*, & infra *Munstertal*, maior pars *Vinstgoiæ* & *Malserheid*, quæ loco Austriæ dominis parent. Reliquam terram occupant Curienses, præsertim ultra Alpes, superior & inferior regio Engadinorum, *Munstertal*, *Mals*, *Furstenberg* iuxta Athesim. Est quoq; *Churberg* fœdum cathedralis Ecclesiæ. Item *Bergell*, *Veltlin*, ab origine Adæ usque ad Comensem lacum, *Cleuen*, & uallis superior, *Masox*, *Ruflee* & *Galacken*, quæ loca sunt ultra Alpes. Citra uerò per descensum Rheni usque ad Vadutzensium dominium & usque ad terram *Sarnganser*.

Ad septentrionem
Ad occasum
Adortum.

De oppidis quæ hodie occupant Rhæti, qui Grawpunder, id est, Cani confœderati appellantur, Caput XIIII.

MOderna Rhætia, quam Germani uocant *Churuualchen* & *Grauupund*, ipsi autem sese sua lingua appellant Grisono, quam latè patet sacramento est coniuncta, diuiditurq; in tres confœderationes, quarum primam Cathedralem ligam seu confœderationem appellant, eò quod cathedrali Ecclesiæ sic deuincta. Altera uocatur superior liga. Tertia, liga decem iudiciorum. Cathedralis Ecclesiæ liga maxima est in numero hominũ: sed quæ constat decem iudicijs, minima est. Harum trium ligarum quælibet habet multas priuatas communitates, & ferè quælibet parochia proprium iudicij consistorium.

Prima liga quæ est Curiensis Ecclesiæ, decem & nouem habet communitates seu ciuitates.

1 Curia præcipua est huius fœderis ciuitas, cuius præses uocatur *Burgemeister*, hoc est, ciuium magister, & hæc prima est communitas.

2 Secunda communitas complectitur has uillas, *Zizers*, *Yis*, *Trimis*, atque inferior *Vatz*, quarum gubernator uocatur *Vogt*, id est, præfectus.

Hæ duæ communitates loquuntur Germanicè: sequentes uerò quæ sunt de fœdere episcopali, utuntur lingua Rhætica, quam ipsi Romanam uocant, ex Thuscia huc allata.

Est & communitas quædam in regione *Thumlesch*, *Ortenstein* appellata, & hæc quoq; cathedrali Ecclesiæ est obligata, alioquin libera, quippe qui pecunia sese redemerunt à domino suo, & præses eorum uocatur *Amman*, quasi *Amptzman*, ut infrà dicetur.

3 Tertia communitas est *Furstnouu*, sita in *Thumlesch*, & horum moderator uocatur præfectus. Porrò hę tres communitates iam enumeratę locum habẽt in planicie, idq; iuxta Rhenum.

4 Quarta communitas est superior *Vatz*, & huius moderator uocatur *Amman*, & in sua lingua Ministral.

5 Quinta communitas est *Reambs*, habetq; locum supra *Steim*: moderatorem suum uocant præfectum, & ad ipsam pertinet *Timtzen*.

6 Sexta communitas est *Tieffencasten*, olim Imum castrum uocata, cuius præses uocatur *Amman*.

7 Septima communitas est *Gryffenstein*, cuius moderator agit præfectum.

8 Octaua communitas est *Stalla*, quę & ipsa habet *Amman* pro gubernatore: hæc haud procul abest à monte *Settmer*. Porrò olim dictus fuit locus iste Biuium, eò quod ibi duo itinera diuaricentur ultra Alpes, præsertim ultra *Settmer* in *Bergel*, & ultra Iulien in superiori Engadino, Rhæti ipsi usque in hunc diem uocant Biuium corruptè Beuio.

9 Nona communitas est *Vuels*, habens præfecti loco *Amman*.

Hę nouem iam commemoratę communitates locum habent citra iuga Alpium uersus Germaniam: & ultra iuga uersus Italiam locum habent subnotatæ cõmunitates, episcopali Ecclesiæ confœderatę.

10. Decima communitas est *Bregalien*, *Vnderport*, & *Oberport*, uersus Clæuen extensa: habet ista iudicem præfecti loco, quem sua lingua uocant Potestat.

11 Vndecima communitas est *Zutz* in superiori Engadino, & hæc quoq; habet præfectum quem *Amman* uocant.

12 Duodecima communitas est *Simnada* in superiori Engadino, gubernatur que per *Amman*.

13 Decimatertia communitas est *Postlaaf*, olim Pes clauium dicta, sita è regione *Veltlin*. & hi habent iudicem.

Decimaquarta

14 Decimaquarta communitas est *Steinsperg* in inferiori Engadino, quibus præ-
sidet Amman.
15 Decimaquinta communitas est *Schuls* & inferius Engadinum: habent autem
& ipsi Amman.
16 Decimasexta communitas est *Remuß*, olim Heremuscia dicta, & *Mærgnyen*,
quorum præses est Amman.
17 Decimaseptima communitas est *Munstertal*, in Athesis regione, subditi præ-
fecto Amman.
18 Decimaoctaua communitas est *Mals* infra *Galsen* in Vinstgoia prope Athe-
sim: & his quoq; præfectus est Amman.
19 Decimanona communitas est *Schantzen* in Vinstgoia, etiam infra *Galsen*, & ha
bent quoq; Amman.
Est præterea arx *Churberg* iuxta Athesim in Vinstgoia, feudum Curiense.
Item *Furstenberg* alia arx iuxta Athesim in Vinstgoia supra *Glurentz* sita, quæ & ip-
sa annexa est templo Curiensi.

Altera Rhætorum confœderatio, quæ superius fœdus nuncupatur, habet XIX. *communitates.*

1 Prima communitas est *Disentiß* monasterium unà cũ *Tauetsch*, *Camps*, *Suwigx*, *Me-
delis*, &c. habent Ammannum pro præfecto.
2 Secunda communitas est tota *Lugnitzer* uallis, & hi habent præfectum quem
Vogt uocamus.
3 Tertia communitas est *Ilantz* oppidulum, quod ipsi sua lingua uocant *Lant*, u-
nà cum loco *Grub*, habentq; præsidem Amman.
4 Quarta communitas est superior *Sax*, loquunturq; ibi Germanicè, subiecti
Ammanno.
5 Quinta communitas est *Vualterspurg* unà cum *Audest*, *Rubis*, *Sept*, *Schiantz*, &c. pa-
rentes Ammanno.
6 Sexta communitas est *Schlœuuyß*. uiuunt autem sub Ammanno, & dominium
habet ille qui est à Monte.
7 Septimam communitatem habent Liberi supra syluam, nempe qui sunt in
Laax, *Siniß*, & per circuitum istorum locorum: habent Ammannum.
8 Octaua communitas est *Flymß*, gubernaturq; ab Ammanno.
9 Nona communitas est *Trumbs & Taminus*, habentes Ammannum.
10 Decima communitas est *Rætzuns*, *Bonadutz*, *Empt*, superior *Veldsperg*, &c. præsidet
illis Ammannus.
11 Vndecima communitas est *Heintzenberg* unà cum *Tusis* & *Katz*, habentq; præsi-
dem Ammannum.
12 Duodecima communitas est *Schamß*, & præest eis Ammannus.
13 Decimatertia communitas est *Rhinuualt* in *Splugen*, & posteriori Rheno, ha-
bentq; Ammannum, & loquuntur Germanicè.
14 Decimaquarta communitas est *Masox*, & tota Masocensium uallis, unà cum
tota *Galancker* ualle: & hi quoq; habent Ammannum.
15 Decimaquinta communitas est *Rufflee*, præsidetq; eis Ammannus. Hæ duæ
iurisdictiones sunt ultra Alpes, reliquę citra.
16 Decimasexta communitas est *Safien*, olim Stuslania dicta: habent præsidem
Ammannum, loquunturq; Germanicè.
17 Decimaseptima communitas est *Thœnnen*, & hi quoq; habent Ammannum,
& loquuntur Germanicè.
18 Decimaoctaua communitas est Schopina, habent Ammannum & loquun
tur Germanicè.
19 Decimanona communitas est *Fals*, & præsidet eis Ammannus, loquunturq;
Germanicè.

Summa,

Summa XIX iudicia seu iurisdictiones.

Inter has sex loquuntur Germanicè, nempe superior Sax, *Rhinwald, Safien, Thæ*
nen, Schopina, & Fals: reliquæ Rhæticè.

Tertium Canum fœdus apud Rhætos uocatur liga decem iudiciorum uel iurisdictionum,
habetq; nouem has subscriptas communitates.

1 Prima iurisdictio est Tafaals, amœna quædam solitudo, quæ & caput existit illius fœderis.

2 Secũda iurisdictio appellatur *zum Clœsterlin*, id est, ad Monasteriolum, cuius situs est in Brettigoia.

3 Tertia iurisdictio appellatur *Ienatz*, habẽs situm in Brettigoia, uocatur etiam *Castelser* iudicium, propter arcem scilicet Castelli.

4 Quarta iurisdictio appellatur *Schiers*, & est in Brettigoia. In ea quoq; est Salauers, burgum fractum.

Hæ autem quatuor enumeratæ communitates, partim loquuntur Germanicè, & partim Rhæticè.

5 Quinta iurisdictio est *Churuuald* abbatia & Porpon, & reliqui Cõuallenses, qui olim fuerunt de dominio *Straßberg*, arcis dirutæ sic appellatæ.

6 Sexta iurisdictio est *Aluenuw*, olim Aluũ nouum dictum ob thermas illic existẽtes. Ista iurisdictio fuit aliquãdo ab arce hodie diruta appellata dominiũ *Beelfort*

7 Septima iurisdictio est ad Sanctum Petrum in *Schanfick*.

8 Octaua iurisdictio est apud Longum pratum, etiam in *Schanfick*.

Loquuntur autem iam memoratæ quatuor iurisdictiones Rhęticè.

9 Nona iurisdictio est *Malans* & *Ienins*.

10 Decima iurisdictio est *Meyenfeld* oppidulum, & *Flesch*.

Et hæ iam memoratæ duæ iurisdictiones haud procul absunt à Rheno, loquũturq; Germanicè.

Trium consœderationum, communitatum & iurisdictionum finis.

SEQVENTES TERRAE VLTRA ALPES
uersus Italiam sitæ, sunt sub dominio trium consœderationum, parentq; eis.

TOta uallis & terra *Veltlin*, usq; ad Cumanum lacum, in qua sunt Tyran oppidum, *Sunders*, *Morbing*, & alia multa oppida.

Item oppidum *Clæuen*, unà cum ualle & regione descendente usq; ad Cumanum lacum.

Item Plurs, olim Plurium dictum, situm inter Clæuen & Bergell.

Item Drypleuen, nempe Chiera, Domas, *Surg*, *Grauedona*, & *Thung*, iuxta Cumanum lacum, quæ à duce Mediolanensi occupata detinentur.

Vrbs Curia per quem fundata, item quare Rhæti Cani uel Grisei consœderati dicantur,
Lombardicè Grisoni, ab Ammiano autem Marcellino Canini, Cap. XV.

CVria ciuitas Rhætiæ fuit aliquando metropolis totius illius terræ, à qua postea tota Rhętiæ prouincia Rhętia Curiensis fuit appellata. De fundatione huius ciuitatis obtruduntur multę fabulæ, quæ etiam libris impressis euulgatæ, nihil præter figmenta quædam & nænias habent, nempe quod Imperator quidam Romanus nomine Curio, à Romanis expulsus, huic urbi nomen dederit. Id certum est apud omnes qui historiarum uel mediocrem habent peritiam, nunquã fuisse Imperatorem Curionem uocatũ, & ab imperio repulsum. Mihi proinde uidetur ciuitatẽ istam tẽporib. Constãtij Cęsaris, qui regnare cœpit anno à Christo nato 354. & prędecessit Iulianũ, prima accepisse initia. Antea enim duntaxat

duntaxat munitæ arces ibi supra montem extiterunt, ex quibus una hodie epi-
scopali curiæ dicata est, satis munita fortibus turribus & propugnaculis: altera
uerò supra eundem sita montem, ruinosa iacet, cuius crassissimi muri adhuc o-
stendunt quàm fortis olim fuerit. Sola aut intermedia fossa hanc ab ista distin-
guit. Ruinosa appellatur Rhæticè Spinoila, quod Latinè sonat spinam oculorũ. *Spina &*
Altera uerò quę adhuc inconcussa & integra manet, uocatur Rhæticè Marsoila, *Mars in ocu-*
quod latinè sonat Martem seu bellum in oculis. Hæ duæ arces Spina & Martia, *lis.*
ad terrendum hostem, ut uidetur, per Rhætos aut Romanos extructæ sunt, atq;
sic appellatæ, antequam Curia fundari cœpisset. Postea uerò in subiectam plani
ciem urbs collocata est, in cuius medio priusquam urbs conderetur, uetusta quę *Inburg.*
dam constituta erat munitio, Inburg nominata, in loco ubi iam domus mercan-
tiarum consistit: appellabatur uerò à Rhætis Plantæira, hoc est latinè, plana ter-
ra: sita enim est plana terra. Ex familia huius burgi fuerunt aliqui nobiles & Ba-
rones citra centum annos in Rhætia, dicti nobiles de Plantæira, nati ab Inburg:
hodie tamen omnes morte interierunt. Porrò memoratam fundationem urbis
Curiensis, tempore Constantij factam, colligo ex his quæ sequuntur. Ammia-
nus Marcellinus lib. 14 qui floruit tempore Constantij Cæsaris, filij Constanti-
ni Magni, & multis sua persona interfuit gestis, scribit in hunc modum de qui-
busdam bellis quæ dictus Imperator gessit anno post Christum natum tricente-
simo quinquagesimo septimo, contra Alemannos. Postquam Cæsar 7. Consul
Romæ factus, pugnasset contra Alemannorum reges Condoundum & Vade-
marum, facta cum eis pace concessit Mediolanum, hyematurus ibi, atq; optata
fruiturus quiete, &c. Et prosequens Ammianus historiam, dicit Constantiũ cõ-
tinuò illo tempore egisse Mediolani: & tandem subnectens quomodo rursum
bello petierit Alemannos, scribit lib. 15. Paulò post Lentiensibus Alemannicis
pagis indictum est bellum, collimitia sæpe Romana latius irrumpentibus (ma-
gna enim Rhętię pars eo tempore subiecta erat Romanis) ad quem procinctum
Imperator egressus, in Rhætias cãposq; uenit Caninos, digestis & diu consilijs,
id uisum est honestum & utile omnibus, ut eò cum militis parte Arbetio magi-
ster equitum, cum ualidiore exercitus manu relegens margines lacus Brigantię,
pergeret. Protinus barbaris congressuris, &c. Item Sidonius Apollinaris de irru
ptione Alemannorum in Italiam sub Maioriano Imp. sic scribit.

—*Conscenderat Alpes,*
Rhætorumq; iugo per longa silentia ductus,
Romano exierat populato trux Alemannus,
Perq; Caui dictos quondam de nomine campos,
In prædam centum nouies dimiserat hostes,

Describit etiã iam memoratus Ammianus in dicta historia ortum Rheni, figu- *Ammiani*
ram & situm lacus Brigantini, sed ex aliorum relatione, ut mihi uidetur, nã aber- *error de fon-*
rat plurimum à uero. Tandem refert quomodo Constantius post huius belli fi- *tibus Rheni.*
nem redierit Mediolanum, reliquam hyemis partem ibi transacturus. Hęc pro-
pterea induco, quod Beatus Rhenanus uir insigniter doctus, putarit per cãpos
Caninos (quos ipse Cauinos appellat) in eos Ammiani loco intelligendum op-
pidũ Kouffpurn, quod tamen longè aliter habet, id quod ex ipsis Ammiani uer
bis aduerti potest. Quis enim rectè pergens è Mediolano per Rhætiam ad mar
gines Brigantini lacus, faceret hunc circuitum, prius adiret Kouffpurn quàm la-
cũ ipsum attingeret? cum oppidũ ipsum longè extra iter rectum sit. Is perinde fa
ceret, acsi quispiam à Basilea Lutetiam peritturus, Saxones prius adiret. Ad hoc
nulla regio propinquior est urbi Mediolanensium, unde Cõstantius profectus
est, quàm Rhętia Curiensis siue Canorum cõfœderatorum, sicut & Strabo atte-
statur lib. 7. sic inquiens: Rhęti & Norici usq; ad Alpium summa tenent & Italiã

uersus

uersus inclinãt, hinc Insubribus, inde Carnis propinqui & Aquileię tractui. Per Insubres intellige Mediolanenses. Inter hos & Brigantinum lacum medium locum occupant Rhęti: unde si quis rectà à Mediolano ad Brigantinũ lacum proficiscí uelit, is æstiuo tempore eques, duorum dierũ spatio attingere poterit Rheni fontes, & inde una die Curiam, atq; à Curia magna sibi opus erit dieta usq; ad Brigantium, ubi initium est laci. Nec est aliud iter compendiosius à Mediolano ad initium Brigantini lacus quàm istud, quod nedum æstate, uerùm & hyeme frequentatur. Extra uerò istud iter Kouffpurn longissimè abest, quippe quod non in regionibus intermedijs, sed ad ortum solis respectu laci situm est, ut magnus circuitus sit faciendus, & penitus à recto deflectendum itinere, & tandẽ regrediendum, si è Mediolano per Kouffpurn ad Brigantinum transitus fiat. Et cũ ista tanquã ueritati consona tueri uelim, ob id nequaquã glorię D. Beati Rhenani quicquam decerpere cupio, aut illã obfuscare, quẽ scio fœliciter plurima uetusta & obsoleta nomina ex antiquis historicis in lucem protulisse, & consonis conie cturis rationibusq; apertis explicasse, in magnam commoditatem eorum qui bus historicorum arridet lectio, id quod hactenus nemo eo fœlicius tentauit, quantũ attinet ad nostram nationem: Quod autem ipse Cauinos legit, habet ex Sidonio Apollinari, qui prior errauit, quemadmodũ ex Latino metro id aduerti potest, cum sic scribat: *Perq; caui ductos quondam de nomine campos.* Habet enim cauus primã breuem, canus autem primam longã: deinde facilè error committi potest inter n & u, canus & cauus, quæ ferè eandem scribendo recipiunt formã. significatio aũt eorum diuersissima est. Porrò quãdo Ammianus de campis Caninis mentionem facit, habet hunc sensum. Postquam Constantius ex Mediolano profectus contenderet ad lacum Brigantinũ, ut Alemãnos oppugnaret, prono priori uia uenit in Rhętiam atq; in campos Caninos, hoc est, in Curiensem agrũ, sicut etiam incolæ illius terræ olim uocati fuerunt populi Cani, & iam ob initiũ fœdus, Cani confœderati, & in sua Rhętica lingua Grisoni, quorum terra in rectissimo itinere inter Mediolanum & lacum Brigantinũ iacet, & quam occupat urbs Curia unà cum regione superiori & inferiori, quæ omnes Canæ confœderationes hodie appellantur. Cum aũt terrę illius habitatores è longo tẽpore usq; in hunc diem Rhętica lingua appellati fuerint Grisones, fieri potest quod Ammianus uocabulum illud fugerit tanquã ineptum & latino sermoni incongruũ, locoq; eius Canini posuerit nomen. Nã Thusci, unde Rhæti descenderunt, habuerunt olim in usu multa uocabula Latinę linguæ inconsona. Quare autẽ populi illi Grisoni seu Canini uocati fuerint, ratio ista datur. Cum multas occupassent terras fuerũt plurimi uicti ob uictoriam & dominium Rhętorum, se quoq; Rhętos appellabãt, abnegantes nomina sua: quales fuerũt quidã Heluetij, Vindelici, Norici, & aliqui ultra Alpes in Italia. Et hinc quoq; factum est, ut Ptolemæus & quidam alij Rhætiam tam amplam fecerint. Fieri etiam potest ut dilatatio ista facta fuerit per Romanos, auferentes ab alijs terris & Rhætiæ adijcientes, quo ex illa latiorem facerent prouinciam, in maiorem præfecturę illius commoditatẽ, quatenus scilicet populosior esset atq; bellicosior. Et cũ istę obtẽtæ, & aliundè adiectę terrę non essent ex uera & prima Rhætorũ ac eorundẽ posterorum natione, retinuerunt antiqui & ueri Rhæti peculiare suę uetustatis nomen, appellati Cani, quod ipsi à uera & antiqua Rhętorũ origine descendissent, haud secus quàm hodie aliqui Cantones Heluetiorum, uocantur antiqui confœderationis Cantones, quòd ipsi primi fuerint huius fœderis solicitatores & inchoatores. Memoratę uero Rhętię partes aliunde acquisitę, fuerunt Inferior, Secunda, & Campestris uocatę. Cum autem Constantius in campis Caninis cum exercitu suo maneret, nõ fuit in tota regione illa ioeus aliquis cõmodior ubi castra ponerentur, quàm fundus ille quem hodie occupat Curia, iuxta duas suprà memoratas

mōtatas arces, ubi & terra uini cęterarumq; necessariarum rerum satis ferax est. Et certè uidetur Cæsarem illic aliquantulum traxisse moram, & amœnitate loci allectum curiam suam ibi interim habuisse, quo militiam exercuit contra Alemannos. Quæ res initium fuit ciuitatis Curiensis, quæ postea ibi condita fuit, & antiqua illa Rhætia hinc Curiensis appellata. Interim autem cum idem Constantius in campis Caninis, & forsitan in isto loco cum multitudine populi quiesceret, misit Arbetionem unâ cum maiori parte exercitus contra hostes, & non in propria sua persona illos adortus est, finitoq; bello rectà rediit Mediolanum ad diuersorium suum hybernum. Prope Curiam inter Rhenum & ciuitatē est collis quidam rotundus in pratis, qui etiam xuo nostro habet priscum Rhæticum uocabulum, nempe Tumba de Caualli, quod Latinè sonat tumbam equorum, & indicium est olim in planicie illa, ubi hodie Curia collocatur, magnum exercitum quieti operam dedisse, & fortasis ex Alpiū superatione plurimos equos defecisse, ex quo euentu illi colliculo hoc contigit nomen. Est quoq; infra Curiā itinere pedestri mediæ horæ, antiquæ cuiusdam maceriæ uestigium, à Rheno usq; ad montana ascendens, muris & fossis olim diligēter munitum, ut satis adhuc apparet, sed iam penè totum concidit: & hæc materia tempore suprà memorato munitionis loco uidetur extructa fuisse. Facit proinde Antoninus Pius mē tionem de hac urbe Curia in suo Itinerario, scribens 50. miliarijs Italicis eam distare à Brigantio. Hæc aūt distantia hodie computatur pro sex & dimidio magnis miliaribus, quæ continuò pedestri itinere confici possunt 16. horis. Nam à Brigantio duo miliaria & dimidium, quæ confici possunt sex horis, sunt ad *Veldkilch*, computantur quatuor miliaria ad Curiam, pro quibus superandis opus itinere decē horarū. Porrò inter omnes antiquos scriptores nullus est, qui Curiæ mentionem faciat, præter unum iam memoratum Antoninum, qui ut mihi uidetur, proximis temporibus post Constantium Cæsarem uixit. Huius enim Cō stantij pater, nēpe Cōstantinus, denominauit à se Byzantiū in Thracia situm, Cō stantinopolim, quod nomē antea nō fuit: & Antoninus illius Cōstantinopolitanæ urbis sæpe meminit: unde colligitur eum aliquot annis uixisse post illius urbis nouam denominationem. Est etiam Curia post sui conditionē mox ad Christianismū conuersa, habens suos episcopos, id quod colligi potest ex sancti Fridolini cōscripta legenda, quę ita habet: Eo tēpore quo Clodoueus magnus rex Francorū, qui & Ludouicus primus uocatus est, regnauit in Gallia & Alemannia, atq; ut mihi uidetur, etiā in Rhętia, uenit sanctus Fridolinus in Rhætiæ Curiā, & adiens urbis illius episcopum, mansit ibi donec extruxit ecclesiā in honorē sancti Hilarij, quæ iam ad S. Martinū appellatur, &c. Post hęc rursum descendit & ædificauit monasteriū *Seckingen* iuxta Rhenum, anno scilicet à Christo nato 495. Hactenus ex dicta legenda. Ex his patet, à memorato ultimo Constantij bello usque ad constructionē ecclesiæ quā Fridolinus cōdidit, intercessisse annos circiter 138. quo tēpore nō Romani, sed magis Franci rebus potiti sunt in Gallia Alemannia, Germania atq; Rhętia. Contra ista est rumor quidā popularis, Curiam conditam fuisse eo tēpore quo sanctus Lucius rex Britanniæ, quę nunc est Auglia, uixit. Hic aūt rex anno Dñi 176. tempore Eleutherij Papæ, & Imperatorum Marci Antonini atq; Lucij Veri, relicto regno suo, amore plantandæ Christianæ fidei, ueniisse dicitur in Bauariam, eamq; ad fidem conuertit. Post hęc secedens in Rhetiam, transcensoq; colle qui est supra arcem *Gutenberg*, unde & usq; ad tempora nostra cliuo illi nomen mansit, Sancti Lucij cliuus, uenit in regionē ubi iam est urbs Curia, unà cum sancta Emerita, quæ in Trimis, loco scilicet à Curia unius horæ spatio distante, ob Christi fidem prędicatam, supplicium extremum passa est. At sanctus Lucius continuit se aliquandiu in quadam montis cauerna supra Curiam, prędicans Christi fidem, sed qui tandem quoq; ab infi

Opinio ueri similis.

Antoninus Curiæ meminit.

De Constantini tempore

Cœnobium Seckingen.

S. Lucis steig

Emerita.

deli

deli populo & præfecto regionis illius, in arce Martiola iuxta Curiam interfectus fuit. Vbi tamen non indicatur, Curiam illo tempore conditam fuisse.

De Aetuatijs Rhætiæ populis, Cap. XVI.

STrabo insignis ille Cosmographus, scribit de Aetuatijs lib. 4. in hunc modum: Rheno autem uicina omnium primi colunt Aeuatij, quibus fluminis origo uicina est in Diaduella monte, quem alij Adulam uocant, & est Alpium pars. Retinent in hunc usq; diem nomen illud incolæ loci illius, præsertim qui superiora habitant loca Rheni prioris, qui corrupto uocabulo appellantur Tauetscher uel Tauetscher. Habet autem Rhenus duos diuersos fontes, & utriusq; ri-
Rheni duo fontes. ui appellantur Rhenus, in unum conuenientes supra Curiam spatio unius Germanici miliarij. In Aetuatiorum tractu prope posteriorem Rhenum locum habent *Rhinwalder, Schamser*, Tusis & *Rætzuns*. Iuxta anteriorem uerò Rhenum habitant *Tauetscher* suprà memorati, Abbatia Diserntis, Trãs, *Ilantz, Grub*, id est, fouea, Rhæticè Lauoppa appellata, *Flymss*: atq; in locis intermedijs *Stussasien*, uallis *Lugnitz*, & superior Sax. Porrò regio ista pro maiori parte tandem appellata est Tuuerasca,
Rhodani ortus apud Rheni fontes. id est, Thuueratij, corrupto, ut uidetur, Aetuatiorum uocabulo. Notandum præterea, ab origine prioris Rheni ad originem Rhodani, si Alpium iuga & præcipitia recto tamite superari possent, non esse spatium longius quàm quod itinere pedestri in tribus horis cõficiatur. Rectè autem inter has origines ponitur mõs
Mons Gotthart. Gotthardi, olim Summæ Alpes nominatus, ex quo prorumpit Ticinus fluuius
Ticinus fluuius. in meridiem labens, currensq; per Lepontinos in Italiam. In oppositò uerò hu-
Vrsa fluuius ius montis latere oritur Vrsa fluuius, quem uulgò *Rüß* uocamus, transiensq; regionem *Vry*, labitur in lacum, quem rursum egrediens apud Lucernam, rectà septentrionem petit, donec Rheno misceatur. At Rhodanus à sui primordio fluit in occasum, & Rhenus anterior ab origine sua usq; ad Curiam, plagã orientalem petit: diffunduntur q; hi quatuor amnes per modum crucis in quatuor plagas mundi, ut non inepte montes illi summæ uocatæ fuerint Alpes. Indicat quoque lib. 4. ubi scribit de origine Rhodani, fontes Rheni non longè esse ab ea, nec montem Adulam, ex quo in septentrionem Rhenus excurrit. Porrò Rheni fluxus hunc tenet tramitem: ab origine sua currit uersus ortum solis, idq; donec attigerit. Curiam hinc continuò curuat se instar lunæ, ut etiam lacus Podamicus, quem intrat, & rursum exitus Rheni usq; dum attingat oppidum *Rhinfelden*, plagam occidentalem respiciat, continuetq; cursum illum donec alluerit mœnia urbis Basileæ: deinde rursum reflectitur in septentrionem, illoq; tenore cursum suum tenet donec mare ingreditur, etiamsi in toto cursu suo nonnihil à septentrionis linea ad occidentem deflectat. Quod autem Rhenus anterior à suo fonte per Rhætiam fluens, ac deinde Heluetiam separans à Germania, usque ad *Vualdßhut* aut *Rhinfelden* semicircularem instar quartę lunæ habeat riuum seu cursum, deprehenditur ex diametrali itinere ab eius ortu ad *Vualdßhut* ducto: nam numerantur à fontibus eius usq; ad *Vry* quatuor miliaria, ac inde usq; ad *Zug* tria miliaria, à *Zug* ad Vindonissam, uulgariter *Vuindisch*, ubi Vrsa Arolę, miscetur, tria miliaria, ac inde ad Confluentiã quæ proximè est supra *Vualdßhut*, ubi Arola Rhenum ingreditur, unum miliare: & sic totum illud iter recto limite extensum habet undecim magna miliaria Germanica, quæ mediocri pedestri gressu confici possunt triginta horis. At Rhenus ipse à suo fonte longum describit circuitum, & multum esset deflectendum à recto tramite, si illius fluxum uelles sequi Basileam usq;. Nam ab ortu eius ad Curiam sex computantur miliaria: inde ad Brigantium rursum sex numerantur cum dimidio: hinc per lacum ad Constãtiam, ubi rursus lacum exit, quatuor sunt miliaria & dimidium: hinc per lacũ inferiorem usq; ad *Schaffhusen* quatuor miliaria, & hinc rursus ad Cõfluentiã & *Vualdßhut* tria

tria miliaria, quæ omnia simul collecta efficiunt 23. magna Germanica miliaria, quę pedestri itinere non facilẽ superari possunt citra 66. horarum spatium: tandẽ exorbitat Rhenus à recta linea. Amnis Rusa oritur apud Rhætos in solitudine Vrseren, scaturitq; ex monte Gotthart, in regione Vriensium. Hæc solitudo & habitatores eius habent pro armis & insignibus ursum, qui Rhęticè uocatur ursella, & inde amnis illic exortus uocatur quoque Vrsa, licet hodie per metathesin literarum r & u, abusiuè Rusa appelletur.

De his qui Stopffern, id est, punctores uocantur, Caput XVII.

IN iam memorata regione Aetuatiorum, apud Ylantiũ, Lugnitium, & in Fouea durat adhuc ista gentilis superstitio, quod certis quibusdam annis conueniunt, & laruis operiunt facies suas, induentes omnis generis arma bellica, accipitq; quilibet baculum seu contum, & sic turmatim proficiscuntur ab una uilla ad aliam, saltant sursum & mirabiles exercent gesticulationes. Iurant denique sanctè & asserunt, se post armorum depositionem tales, & tantos saltus non posse edere. Concurrunt, & forti impetu congressi mutuo sese fustibus & contis percutiunt impelluntq;, ut fragor quidam inde resonet. Ob punctiones autem illas uocantur regione illa Stopffer, id est, punctores, faciuntq; illud hoc superstitioso animo, ut maior frumenti proueniat copia.

De Contuantijs, Caput XVIII.

HAbitarunt olim inter Aetuatios Contuantij uel Coruantij, de quibus Strabo lib. 4. sic scribit: Ferocissimi inter Vindelicos Licatij, Clautenatij & Vẽnones censebantur. Rhætorum autem Rhucantij & Cotuantij, uel ut quędam exemplaria habent, Coruantij, qui & magis relictis uestigijs respondere uidentur. Certe Longobardi & moderni barbari Rhęti, scribunt & appellant ciuitatẽ Curię sua lingua Coyro, id est, corium. Sic enim Paulus Diaconus lib. 6. cap. 6. de gestis Longobardorum scribit: Asprandus per Coriam Rhętorum ciuitatem uenit ad Theodebertum Baioariorum ducem. Hinc cõijcere quidam possent, Curiam olim Coriam à Coriantijs deductam, sicut & monasterium *Churwald* in ualle supra Curiam uersus Tasaas situm, Coriantiorum uallis seu Coriouallis dictum putatur. Verum alij sic putent, mihi aliud probatur, quantumlibet in dictis nominibus allusio quędam inueniatur. Mihi inquam arridet ea opinio quam de Imperatoris curia suprà recitaui, præsertim cum antiqua episcopalis sedes, Curiæ nomen semper habuerit. Antoninus denicq; Augustus, qui Paulum Diaconum tempore præcesserit, etiam Curię mentionem facit. Et quamuis certa huius nominis ratio haberi nequeat, libuit tamen, coniectura ad hoc motus, urbẽ Curię intra Cõtuantiorum terminos collocare, unà cũ tota superiori regione, usq; ad summa Alpium fastigia, ab illo Rheni latere, donec peruenias ad limitẽ Trãsalpinarum populorum Bregellensium & Engadinorum. Intra hunc ambitum continetur Tumlesch, in qua sunt *Ortenstein, Furstnouu*: item *Vatz, Churuuald, Porpon, Burgun, Schanfick, Tasaas, Alsenouw, Tüffencasten, Gryffenstein, Tinzen, Stalla, Reamss, Twels*, &c. Postest etiam *Tasaas* & totus descensus uallis illius iuxta *Vatz* usq; ad Rhenum, Aetuatijs assignari: id enim allusio nominum Aetuatiorum & *Vatz* arguere uidetur. Est autem intra uallem istam amnis quidam *Albel* dictus, qui in Tumlesch Rheno miscetur. Porrò domini & Barones oppidi *Vatz* seu Vatij, celebres olim fuerunt, possidentes maiorem eiusdem uallis partem, & nonnihil quoq; de terra Tumlesch usq; ad Rhenum, quod dominium hodie appellatur Ortensteinensium dominium. Vltimus illius ditionis Baro uocatus fuit Donatus à Vaito, uixitq; anno Domini 1330. Relinquens autem duas filias, cum illis toto possessio

Contuantiõrũ ambitus.

eius ad aliud translata est dominium. Vna enim, Kunigundis nempe, nupsit Comiti Friderico à *Toggenburg*, auo Comitis Fridericiunde *Tafaas*, & quæ circa illam sunt, iure hæreditario peruenerunt ad Toggenburgenses. Alteram uero Vrsulam nomine, duxit Comes Rudolfus à *Vuerdenberg*, dominus in *Sarngans*, qui abauus fuit ultimi Comitis Georgij. Et hoc pacto ditiones *Ortenstein*, *Valtz*, &c. ad illos Comites peruenerunt. Hoc dominium *Ortenstein*, possedit iam ultimos frater noster D. Ludouicus Tschudi à Glatis, miles auratus, leb subditi redemerunt sese à iurisdictione eius, liberi facti anno Domini 1527.

De *Rhucantijs*, Caput XIX.

Lupinum Meienfeld

A Ragatio proficiscendo ultra Rhenum in regionem Sanganserorum seu Sarunetum, est Rhætorum oppidulum *Meiefeld*, olim Lupinum, & nõ Magauella uocitatum, id quod testantur antiqua uolumina Curiensis Ecclesiæ. Seniores incolæ Meienfeldenses aiũt Maiam Mercurij matrem olim in eo loco honoratã à qua Germani locũ illum *Meienfeld* appellauerunt. Supra *Meienfeld* itinere

Langarus Lanquart

pedestri unius horæ fluit Langarus, ex Bretrigoia in Rhenum descendens: & ultra eum fluuium itinere pedestri trium horarum est ciuitas Curiæ, infra autẽ Curiam ab utroque Rheni latere usq; montẽ *Aelberg*, qui est è regione *Schalberg* transta *Schalberg* in Rhenum labitur, ibi inquam Rhucantiorum est tractus, quorum Strabo meminit lib. 4. in hęc uerba: Ferocissimi inter Rhętos censebantur Rhucantij, & Coruantij, &c. Coruantiorum paulò superius mentionem fecimus. Extant adhuc uestigia quædam in ruinosis locis, quæ Rhucantiorum nominis memineruntpræsertim à latere Rheni ubi Germani habitant. Nam haud longẽ

Rhuchẽberg

infra Curiam est arx quædam diruta, quæ superior *Rhuchenberg* appellatur. Est rursum alia arx non diruta, sed integra, quę Aspermont & Germanicè *Huchberg* uocatur. Item descendendo per latus illud infra Langarum fluuium, occurrit uestigium alterius arcis demolitæ, cuius situs est supra *Malans* in monte nemorosoo,

Malus annus Genuinum

& hęc quoq; uocata fuit *Rhuchenberg*. Est prętereа in loco illo, sed paulò demissio ri, alia integra arx, locata supra *Genius*, quę ipsa Aspermõt nominatur, habens uillas quasdam, quę unà cum arce ipsa uocantur dominium Asperimontis, sicut & dominium adhuc extat superioris *Rhuchenberg*. Cum itaq; domina communiter nomina retinuerint à circumiacentibus populis, & memoratę arces occupẽt uertices montium, uidetur mihi nomini regionis additum mont uel *berg*, confla tumq; hinc nomen, quod nedum arcem ipsam, uerùm & populum arcis domino subiectum exprimeret. Sic itaq; regio memorata & incolę eius Rhucantij dicti, in arcibus & fortalitijs suę appellationis reliquerunt uestigium. Est autẽ ualdè

Rhuchen

lis ipsa adeò frugifera, at etiam uinum producat. Et fieri potest quod ante Rhętorum aduẽtum Germani uallem illam inhabitarint, appellati *Rhuchen*, à quibus regio nomen istud sortita est: & superuenientes Rhęti, arces ibi condiderunt, illis similia nomina, sed in sua lingua, dederunt, prò *Ruchberg* Aspermont transferentes. Supra Langarum est arx una *Marslintz*, & duæ uillę *Ydis* & *Zizers*, Rhętica

Marsilinum Yginum Ciceres Trimẽtium Malesanis

habentes nomina. Porrò ultra ista loca inter arces Rhuchaspermont & superiorem *Rhuchenberg* est uilla quędam *Trimis* nomine à tribus monticulis & diruta arce illis imminente sic uocata. Est prope urbem Curię locus quidam ubi leprosorum ędes sunt, *Massans* nominatus. Cęterum urbs Curię & regio quę infra ipsam est uersus *Vualensee* atq; uersus Podamicum lacum, ad Rhętos spectant, licet hodie loquantur Germanicè. In Sarunetum terra inter *Ragatz* & *Vilters* oritur *Sara* fluuiolus, de quo suprà. Et hucusq; omnia loca quę ab utroq; Rheni latere à Curia

Sara

ipsa inueniuntur, fuerunt olim Rhucantiorum: alludunt enim nomina ipsa *Rhuchenberg* superior, Rhuchaspermunt, *Rhuchenberg* inferior, & rursum Aspermont.

Et quam-

Et quamuis Ragatz, *Pfæuers* & proximæ ualles Saram contingentes, iam ad Sarunetum pertineant terram, habent tamen ipsæ proprium iudicij forum, nec utuntur Sarunetum moneta, pondere, ulna & mensura, sed à multis annis ad hunc usque diem ponderibus & monetis utuntur uicinorũ suorum trans Rhenum habitantium, atq; uectigalia soluunt de mercantijs suis, his qui habitant in *Sarngans*, ubi reliqui illius ditionis populi qui infra Saram fluuium habitant, liberi sunt ab his grauaminibus. Vnde probabiliter inferri potest, fluuium Saram olim discrimen fecisse inter duos populos, Rhucantios scilicet & Sarunetes. Rhucātij superiora amnis loca, & Sarunetes inferiora occuparunt. Extenderunt se præterea Rhucantij ultra Rhenum in Brettigoiam, & hinc per descensum Rheni per Vaduz usque ad Estiones. *Alij populi Rhucantiorum.*

Fabarium intra Rhucantiorum ambitum. Caput XX.

FAbarium uulgò *Pfæuers* celebre est monasterium ordinis diui Benedicti, supra Ragatium in monte, atq; intra Rhætiam, & in Rhucantiorum terra situm, sed modò Heluetijs annumeratur. Non procul ab eo intra montium fauces & ueluti in horrendo barathro sunt naturales thermæ, quæ ut monasterium, *Pfæuers* uocantur. Monasterium illud prima initia sumpsit à sancto Pirminio, anno circiter 676. à Christo nato, eo scilicet tempore quãdo Theodericus rex fuit Galliæ, possedit q; Alemanniam, Heluetiam atq; Rhætiam. Hic locus hodie *Pfæuers*, à uetustis Rhætis appellatus fuit Fabarium seu Fauariæ, habuit q; olim priuilegia ab Imperatoribus Gallicis, Ludouico, Lothario, Carolo, & alijs multis, qui fuerunt circa annum Domini 820. Porrò inscriptio priuilegiorum talis fuit: Abbati monasterij diuæ uirginis Dei genitricis apud Fauarias, quod situm est in Rhætia Curiensi, in pago *Churuualacha*. Vt autem mihi uidetur, monasteriũ illud olim initium & incrementa sumpsit per notabiles contributiones maiorum & ditiorum Rhucantiorũ, id quod indicant census, decimæ, redditus, & iudicij minoris forum, quæ habet monasterium per circuitũ illius loci. Porrò thermæ Fauarianæ intra trecentos annos repertæ sunt per uenatorem quendam, qui ex familia sua *Vogler* uocatus fuit: hic insecutus pullos coruorum syluestrium, peruenit in inuium desertum, descendens q; in profundum montium hiatum, inuenit aquas calidas. Est autem dominium illarum thermarum abbatis Fauariani.

Cœnobij Fabarij conditor. *Fauariæ.* *Thermæ quando inuentæ.*

De Rheticone monte, unde uallis Brettigoiæ appellationem accepit: item de amne Langaro, quem hodie Lanquart uocant, qui sunt in Rhucantiorum terra.

Caput XXI.

VAllis Brettigoiæ in Rhætia, Rhucantiorũ quoq; est, in qua amnis *Lanquart* oritur, descendit q; per totam uallem illam. Et D. quidem Vadianus in hac opinione est, ut putet incolas illius uallis habitare iuxta montem Rheticonem, unde illa uallis denominata est Brettigoia: nec inepta est allusio. Cũ enim Melà mentionem faciat huius montis, necesse est eum alicubi esse. Scribit aũt sic Pomponius lib. 3. cap. 2. Montium altissimi Taurus & Rhetico. Nec est alius locus in regione illa qui magis alludat monti Rheticoni, quàm dicta uallis. Sunt præterea ibi altissimi montes, & facilè fieri potuit populi incuria, ut additione literæ p, ex Rheticone fieret Prettigoia: cum enim Rhæticum sit uocabulum, & uallis illa iam inhabitetur ab hominibus Germanicè loquentibus, quorum consuetudo est, ut Rhæticis & Latinis dictionibus præponant literam p, cuiusmodi sunt, *fundament pfumment*, fenestra *pfenster*, & supradictum monasterium Fauarium *Pfæuers*, & alia huiusmodi, uidetur mihi idem accidisse in Rheticone. Cæterùm amnis *Lanquart*, qui ex Prettigoia fluit, fuit olim Rhæticè Langarus appellatus. Vnde cum parochiæ Curiensis diœcesis olim distribuerentur in Capitula, usq; in hunc *Rhetico mons.*

diem inferiora amnis *Lanquart* titulum hunc habent, Capitulum sub Langaro. Est proinde in Prettigoia arx quædam Rhætica, sed diruta, *Salauers* nominata, in qua superioribus annis Fridericus ultimus Comes ille potens Toggenburgensis natus fuit, qui & defunctus est anno 1436. ultima die Aprilis.

De *Sarunetibus.* Caput XXII.

SArunetum regio satis frugifera est, habens etiam æris fodinas. Ex ualle quadam laterali descendit fluuius paruus *Seez* appellatus, lustransq; Sarunetum regionem ruit in *Vualensee*, id est, lacum Rhæticũ, exordiumq; illi facit. Hi populi qui hodie Sarganseri appellantur, olim Sarunetes nominati fuerũt, à Sara fluuio discriminante eos à Rhucantiorũ populo, de quibus suprà. Facit autẽ Plin. lib. 3. cap. 19. mentionẽ Sarunetum, asseritq; eos habitare iuxta fontes Rheni: etiamsi nõ ignoremus hanc historicos plerunq; seruare cõsuetudinem, ut omnes populos adnumerẽt originibus fluuiorũ, qui uel tridui spacio ab ipsis dissident. Non igitur hæc discrepantia hîc magni æstimanda est, potissimũ cum à Sara fluuio ad utrunq; Rheni fontem nõ sit ultra unius diei atq; dimidij spatium. Siquidẽ Strabo eos qui inter cunctos populos uiciniores sunt fontibus Rheni, uocat Aetuatios, quorũ suprà meminimus. Videtur ergo mihi Plinius eos populos qui intra Saram fluuiũ habitant, uoluisse exprimere nomine Sarunetũ, præsertim *Sarganser*, *Vualenstat*, & quicquid Rhæti habuerũt iuxta lacum *Vualen* & in *Gastern*, atq; à Sara ultra descendendo per Rhenum ultra comitatum *Vuerdenberg* usq; ad *Vorstegk*. Porrò è regione *Vuerdenberg* est arx *Vadutz*, unde olim tractus illius uallis appellatus fuit Vallis dulcis. Citra centum & quinquaginta annos fuit regio Sarganserorum atq; *Vuerdenberg* una ditio, sicut etiam in hunc usq; diem appellatur superior & inferior ditio, habens nonnulla ditionis suę iura. Fuit autem olim per duos fratres in duas secta partes. Cæterùm oppidulum *Sargans* pro Clypearibus insignibus utitur anser, quàm Germani uocant *Gans*, à quo & à Sara fluuio conflatur terræ illius nomen *Sargans*. Vetustiores tamẽ literæ, quas ego uidere potui, & quæ mentionem faciunt dominorum à *Sarngans* comitumq; Vuerdenbergensium, distinguunt *Sarngans* in duas uoces, *Saruneganss*: & quædam recentiores in unam contrahunt, nempe *Saunegans*, incuria scilicet quadam omissa litera r. Tandem penitùs est uox ipsa deprauata, ut ex *Saruneganss*, fieret *Sargans* & *Sangans*. Sunt tamen qui putant *Sarngans* Rhęticum esse uocabulum, olimq; terram illam appellatam Sanam casam: cui sententiæ minimè subscribo, cum id nullis literis antiquis Latinè uel Germanicè scriptis probari possit, quales ego plurimas legi anno Christi 1530. & 1531. quo tempore egimus prætorem in Sanganserorum regione, illuc deputati à ieptem confœderatorum cantonibus: & in uetustioribus literis non aliter inueni quàm *Saruneganss*, ut iam scripsi. Vnde colligitur, huius gentis genuinum nomen extitisse Sarunetes, à Sara fluuio sic appellati. Notandum præterea, ante aliquot annos incolas *Gastern* expostulasse cum dominis Sanganssis terræ, arbitrantes se quoq; liberos esse à uectigalibus & teloneo pendendis in terra Sanganssi. Ab antiquis enim temporibus nemo obligatus fuit ad teloneum, qui habitauit inter Saram & lapideum pontem. Sed nec suo tempore exactum à quopiam fuit, &c. His argumentis nihil profecerunt, sed iussi sunt soluere. Finitur autem ad iam memoratum pontem diœcesis Curiensis, & ultra ripam parochia quædam est nomine *Oberkilch*, quæ Gasternsium quidem est, sed sub episcopatu Constantiensi: & hæc parochia libera est ab exactione uectigalium. Hæc autem libertas indicium est, olim utrunq; dominium unum fuisse.

Sarunetum circuitus.

De *Scala monte.* Caput XXIII.

INter *Sangans* & *Vuerdenberg* iuxta Rhenum est mons quidam qui Rhæticè Scala, Germanicè uerò *Schalberg* appellatur, ubi aliquando difficilis fuit transitus ob accli-

ob accliuem ascensum, unde & scalæ obtinuit nomen. Septem Heluetiorũ cantones, qui dominantur huic regioni, fecerunt sculpi magnis impensis iter per saxosam huius montis basim, anno scilicet Domini 1503. Supra Scalam montem, fortalitium & oppidulum *Sarngans* obtinet pinnaculum montis, ubi superior regio in duas abit ualles, quarum una propinquat Rheno, & altera uergit ad lacũ Vvalensem atq; ad lacum Tigurinũ. Montes quibus memoratũ fortalitium imminet, & quibus adiacet oppidulum *Sarngans*, habent ibi in sui initio quandam aciem, aut potius angulum rectum, qui scilicet instar gnomonis in duo extenditur latera: unum descendit ad lacum Tigurinum, & alterũ per Rheni descensum uergit ad lacum Podamicum, & ultra. Inter latera uerò ista montes sunt magni, & ualles non paucæ, sed & regio Toggenburgensis, *Appenzell*, & alia Heluetiorum oppida inter ea cõprehenduntur. Oritur & in interioribus horum montiũ, in *Toggenburg* scilicet, fluuius Taurus uel Durias, alluensq; Turgoiam, infrà *Rinow* miscetur Rheno. Porrò fluuius *Sittern* oritur in *Appenzell*, & absorbetur à Tauro. *Taurus uel Durias fluuius.*

De Campo, de Rhætico pago, de Alemannico pago, atq; de Estionibus, qui hodie sunt Veldkirch, Vualgõw, Algõw, & Estnerberg.

Caput XXIIII.

VEldkirch oppidum in Rhætia situm, Germanicum habet uocabulum, & nõ uocatur Romana lingua *Vall* circũ, ut doctiss. Ioachimus Vadianus in cõmentarijs suis supra Melam unà cum Ladislao Suntheimensi sentit, propterea scilicet quòd montibus circumscribatur, & intra uallem collocetur. Quin magis olim à Rhætis Campi nomen accepit, & postea cum Christiani fierent, extructa est in campo illo ecclesia in honorem diui Petri, & inde obtinuit nomen *Veldhirch*, quod sonat Latinè Campi ecclesiã: à Curiensibus uerò & Italicis mercatoribus appellatur S. Pedro, uel campo S. Pedro. Quin & literæ Curiensis ecclesiæ uetustiores, prouentuum qui illic leuantur mentionem facientes, uocãt quoq; locum illum Campum sancti Petri: in his enim sic scriptum inuenì: De ecclesia sancti Petri ad Campos, id est, Feldkiricha, beneficiũ ad terram, &c. Est autem *Veldkirch* oppidum paruum, sed elegans, abundans uino, & plures habens negociatores, situm iuxta amnem *Yll*, qui sub *Estnerberg* ruit in Rhenũ. Porrò supra *Veldkirch* sunt Rhæticæ ualles, *Vualgõw* appellatæ, quæ quidem à *Bludentz* & deinceps diuaricantur: una uocatur *Closterthal*, id est, uallis monasterij, & extenditur usque ad Algoiæ montana, & ad montem *Arlenberg* appellatum. Alia uerò in Montafun uocata, attingit montana Brettigoiæ, & uterq; tractus *Vualgoiæ* habet denominationem. Per *Bludentz* & uallem monasterij itur ultra *Arlberg* in uallem *Intal* appellatam, ad oppidum *Hall*, quod iter præcipuè frequentãt salis uectores. In Montafun plurimę & commodissimæ inueniuntur ferri fodinæ. Cæterùm *Vualgoia* non habet appellationem ab Alemannis, sed à Rhętis, ut nos exteros *Vualen* appellamus haud secus ac *Vualastat*, de quo suprà diximus. Nam cum Veldkirchenses & alij exteri Rhæti olim ualedicerent Rhæticæ linguæ, usurparentq; Germanicam, illi qui ualles habitabant aliquandiu retinuerunt Rhæticam suam linguã, & propterea à uicinis Germanica utentibus lingua, appellati sunt *Vualen*, & uallis eorum *Vualagõw*, sed hodie quoq; loquuntur Germanicè. Haud secus Algoia in Vindelicia citra montes Vvalgoiam contingens, primum propter Alemannos illic nidificantes uocata fuit Almangoia, id quod Vadianus probabili ratione ostendit. Ex Montafun per Vvalgoiam iuxta *Bludentz* & *Veldkirch* descendit amnis *Yll*, ortus in Brettigoiæ montibus. In uallibus istis nomina locorum pro maiori parte sunt extera atq; Rhætica, quippe quarum incolæ à Rhætis descenderunt. Habent tamen quædã castra nomina Germanica, relicta fortasis ab antiquis Germanis habitatoribus, qualia sunt *Sunnenberg*, *Blumeneck*, &c. Porrò ad latus *Veldkirch* *Situs Veldkirch.*

iacet monticulus quidã admodũ frugifer, *Eſtnerberg*, id eſt, Eſtionũ mons appellatus, & eſt ſub ditione Comitis Sultzenſis à *Vaduts*, quanquã & peculiari uocabulo nominetur ditio Eſtnerbergenſis. Haud procul à monte illo iuxta Rhenũ eſt uilla quædã hodie *Bendern*, olim uerò Rhetice Benedurum appellata. Eſt & aliud ibi oppidũ quod noſtro æuo *Eſthens* appellatur. Meminit aũt & Strabo lib. 4. horum locorũ, nam appellat habitatores eorũ Eſtiones. Sed & antiquæ Latinæ literæ, quæ in monaſterio Schennis adhuc inueniuntur, mentionẽ faciunt Beneduri & Eſtionũ, in quibus ſcilicet locis dictum monaſteriũ annuos leuauit cenſus & prouentus. Certè mihi uidetur Eſtionum primum & ſummũ locum fuiſſe *Veldkirch*, ac deinde circumiacentia loca, & ualles *Bludentz* atq; *Vualgõw*, omnia ad Eſtiones pertinuiſſe. In his partibus, nempe in *Ranguuyl*, *Veldkirch*, *Vualgõw*, &c. pugnauit olim Druſus contra Rhætos, ac inde factũ eſt, ut tota regio à Rheno uſq; ad fontes Yli, mutato nomine Eſtionũ, uocata fuit uallis Druſiana. Germani uerò poſtea appellauerũt eos qui ultima uallis tenuerũt loca, *Vualgõwer*, eos autem qui priora incoluerũt loca, nempe uerſus Ranquil, uocarũt *Nebligõwer*. Cùm oppidum *Veldkirch* incrementa acciperet, aboleri cœpit nomen Eſtionũ, ſucceſſitq; ei Comitatus Veldkirchenſis. Porrò oppidũ ipſum unà cum Comitatu peruenit additionẽ Auſtriæ anno Domini 1375. uendente ipſum Comite Rudolfo à *Vuerdenberg*. Longè ante tempus illud, *Eſtnerberg* pars Vualgoiæ unà cum alijs oppidis, hæreditario iure, nuptiarum copula & donatione diuerſimodè iactata eſt atq; diſtracta: quin & Comites à *Veldkirch* ante multa tempora penitùs interierunt, relictaq; eſt ditio eorũ Comitibus à *Vuerdenberg*, *Sarngans*, atq; Montfort, qui hæredes eorum fuerũt. Notandum præterea quod moderna Strabonis exẽplaria ſic habent, quaſi Strabo annumerauerit Brigantinos & Eſtiones Vindelicis, & tunc quidem Rhæti nulla ex parte attigiſſent lacum Podamicũ, cuius tamen contrariũ Strabo ponit, ut ſuprà memorauimus. Nam Brigantij ſupremũ lacus tenent locum, quibus ad meridiem in Rhætia ipſa adiacent Eſtiones. Vnde facilè credendum, Strabonem lib. 4. in fine malè uerſum, niſi fortè aliorum illic recitauerit opinionẽ. Fieri etiã poteſt ut Græcum exemplar quo Latinus interpres uſus eſt, corruptũ fuerit, atq; ex tranſcriptione originalis exemplaris deprauatio aliqua irrepſerit, & regionũ iſtarũ nomina tranſpoſita fuerint ex negligentia aut ignorantia ſcriptorum, id quod in multis aduerti poteſt dictionibus, ut pro Heluetij, Luetij, pro Adula mons Aduas & Diaduella, pro Iuraſſus mons Oeuraſius, pro lacus Lemannus Palamena, & alia quædam ſimilia errata, in quibus aliquid uel adimitur uel additur dictionibus. Item lib. 4. aperta quædã inuenitur tranſpoſitio, ubi ſcribit, ex lacu Verbano fluere Aduam, & ex Lario lacu Ticinum, cum cõtrarium fiat, ut ipſemet in alijs teſtatur locis. Et hęc quidem arbitror accidiſſe ex deprauatione exemplariũ atq; ex inſcitia ſcriptorũ, non autem ex ignorãtia aut oſcitantia Strabonis. Meo certè iudicio Strabo lib. 4. ſic ſcripſiſſe uidetur: Ferocißimi inter Vindelicos Licatij, Thunicates & Bennones (Auentinus legit Sennones) cenſebantur: Rhætorũ autem Rhucantij & Coruantij. Eſtiones uerò & Brigantij Vindelicos attingunt: eorũ oppidũ eſt Brigantiũ & Campus (*Veldkirch*) & Licatiorũ ueluti arx quædã Damaſia. Hæc uidetur mihi fuiſſe Strabonis mẽs, quia Brigantij attingũt Vindelicos, & ſimiliter Eſtiones in montibus Vualgoiæ illis conſines ſunt. Nam Algoia pars Vindeliciæ citra montes attingit Eſtiones. Quando itaq; in tali caſu etiã autor iſte aut alij hiſtorici confuſi deprehenduntur, id quod non rarò fit, incolarũ illius regionis iudicium expetitur, quippe qui certius in talibus erratis iuuare poſſunt autorẽ, ueluti qui experientiã certam habent & de ſingulis rectè iudicare poſſunt. Sic ego non temerè mihi arrogaui deſcriptionem Rhætiæ & oppidorũ eius atq; Alpium, ut qui & enutritus ſim in hac terra, & deinde luſtratim & perambulatim eam ab utroq; latere, uerſus Italiã ſcilicet,

Vallis Druſiana.

scilicet, Galliam & Germaniam. Non tamen uolo mea sic iactare, perinde quasi alicubi non potuerim hallucinari, sed si quis certiora atq; ueriora potest tradere, hunc libẽter patiar censorem. Vt autem uetustiora nomina, quorum olim in his terris usus fuit, & quorum nos suprà meminimus, elucidentur: operæprecium ui sum fuit aliqua hîc assignare, quæ expiscati sumus ex uetustioribus Curiensis ec clesiæ literis, confectis super redditibus, obuentionibus atq; prouentibus Ieuan dis in diuersis terris, locis & pagis, secundum officiorum & ministeriorum distri butionem. Et primùm quidem ponemus nomina quæ in terra Vvalgoiæ & circa Veldkirch, quæ Vallis Drusiana appellata fuit, adhuc inueniuntur.

Ministerium quod habet Siso in pago qui dicitur Vallis Drusiana.

Puire	*Puirs*	In Vvalgoia.
Pludono	*Pludentz*	
Nezudere	*Nutziders*	
Lodasco	*Ludäsch*	
Turingis	*Turingen*	
Pludasis	*Pludæsch*	
Nanzings	*Nanzingen*	
Basmingis	*Bastlingen*	
Scline	*Schlyns*	
In Frastinas	*Frastentz*	
Satagnis	*Sadains*	
Segauio	*Gæuis*	
Campo S. Petri, id est, Feldkiricha	*Veldkirch*	Infra Veldkirch.
Rangvuila	*Ranqwyl*	
Pontilles	*Bancks* iuxta Rhenum	
Tunia	*Valdunen* supra Ranquil	
Sulles	*Sultz*	
Rantina	*Rõtis*	
Cazzeses	*Gethis*	
Senunio	*Schnuwis*	
Frasum	*Frysen* monasterium	
Rautenum	*Ruti*	

Ministerium quod habet Otto in Planis, quod scilicet Rheni planiciem comprehendit, & extenditur ad Vuallensee.

Estones	*Esthens*	In ditione Vaducensium:
Scana	*Schan*	
Palazoles	*Baltzers*	
Meilis	Minor *Mels*	
Titulo S. Lucij	*S. Lucis strig*	
In Flascis	*Flæsch*	Apud confœderatos Canos
Lupino uilla	*Meienueld*	
Genuinnes	*Genins*	
Malanzes	*Malans*	
Ciceres	*Zizers*	
Tremontio	*Trimmis*	
Amides	*Emps*	
Vazes	Inferior *Vatz*	

	Fauares ubi cella est	Pfæuers	In Sarnganserorum terra apud Heluetios.
	Ragaces	Ragatz	
	Filtris	Viltres	
	Sarunegaunis uilla	Sarngans	
	Meilis	Meils	
	Persinio	Bertschis	
	Fuminis	Flumbs	
In	Riua uilla	Vualastat oppidum	
	Quarto	Vischentz iuxta lacum	
	Ripa vualastat piscatio	Quarten	
	Seuola	Seuelen	In Vuerdenberg apud Heluetios.
	Reuena	Ræuis	
	Bougo	Buchs	
	Quadrabitis	Graps	
	Campso	Gamps	

Ministerium supra Curiam secundum tractum Rheni prioris, in Ilantz, in Grub usq; Lugnitz. Quod ministerium habuit Mathratus in Tuueraso, cum ualle Legunitia.

	Hilliande uilla	Ilantz
	Vorce	Vuurtz
	Ramnenis	
	Sexamnis	Schams
	Scaneus uel Sigannes	Zegæns
	Supercastro	Vberkastell
	Flemes	Flyms
	Andeste	Adest
	Fagonio	Veldsperg
	Cingiaco	Rinckenberg
	Rhætiunno	Rætzuns
	Supersaxo	Vbersax
	Castrisio	Cæstris
In	Legunitia	Lugnitz
	Luuene	Schlõwis & Schluein
	Cumble	
	Pluteno	
	Lamarino	Lumarins
	Falaria	Vælers
	Auna	
	Falaruna ualle	
	Summo uico uel Sanauico	Suxigs
	Rusina	Rußein
	Stussauia	Sauien
	Speluca posteriori	Splugen apud posteriorẽ Rhenũ.
	Speluca quod dicitur desertũ, ubi cella est	Dissentis monasterium.

Reliqua ministeria hic obiter recitabo, omißis oppidis eorum.

Ministerium in Impedinis, id est, in imo pedis Alpium, quod habuit Adhalpus, & est supra Stein per totum tractum usq; ad Curiam. Ministerium

Ministerium in Tumilliasca, hoc est, *Thumleschg.*
Ministerium in Bergallia, hoc est, *Bergell.*
Ministerium in Endena, quod habuit Richpertus.
Ministerium in Curisino.
Ministerium Remedij.

De Rugusciis & Rhegusciis, qui ante aliquot tempora Rhingoij, hodie uerò Rhintal & Emps appellantur. Caput XXV.

RHingoia fuit olim Comitatus celebris, cuius suprà fit mẽtio in literis super inferiori marca, quæ est è regione Thurgoiæ, confectis. Et hæc est infima antiquæ Rhætiæ pars, ad latus Galliæ sita. Attingit autem eo loco Thurgoiam, appellaturq; nostro tempore dominiũ *Rhineck* uel *Rhintal*, exporrecta à Comitatu *Vuerdenberg* usq; ad eum locum ubi Rhenus ingreditur lacum Podamicũ. Ab alio quoq; Rheni latere, nempe supra Brigantium, terra ipsa olim Rhingoiæ etiam fuit annumerata, potissimum *Lustnouu*, & quæ circa eam sunt. Fuit autem hîc Comitatus semper à Germanis habitatus, id quod cõmunia indicant nomina. Populi eius fuerũt olim â Plinio libro tertio capite decimonono Rugusci, & à Ptolemæo Rhegusciæ appellati. *Rugusci. Rhegusciæ.*

De Brigantijs. Caput XXVI.

COmitatus Brigantiorum, quorum nomen & ciuitas adhuc manẽt, infimũ antiquæ Rhætiæ à latere Germaniæ tenet locum, confinis apud lacũ Podamicum Vindelicis, hoc est, Lintzgoẽs. Supra Brigantium est sylua quædam grandis, atq; uallis plena oppidis & uillis, uocaturq; Brigantiorum sylua, & per eam descendit amnis *Bregentz*, labiturq; iuxta urbem ipsam in lacum. Populi per circuitum habitantes, fuerunt olim Brigantij appellati.

De Vennonibus & alijs uetustis Rhæticorum locorum nominibus. Caput XXVII.

VEnnones seu Vallis uenusta, sunt hodie *Vinstgöw*, *Vinstermuntz*, Engadin, &c. Tridentini, *Trienter* & Tyrolenses. Apud eos est Aeni ortus, atque Athesis, uulgò *Etsch*. Item Larius lacus hodie est Cumanus lacus. Lepontini sunt *Liuiner*. Bormium est *Vuurmß* in *Veltlin*. Rhætica iuga Germanicè uocantur *Vuurmßer ioch*, Rheticè uerò mont Brailio. Abduas uel Aduas fluuius, hodie uocatur Aada. Caput Aeni est Engadina. Ticinus Tesin. Camuni est *Vall* Camunien, siue *Camunter tal*. Scribit autem Strabo lib. 4. in hunc modum: Supra Comum ad Alpium radicem Rhæti iacent & Vennones ad orientem uersi: alia ex parte Lepontij, Tridentini, Stoni, & alij complures populi parui Italiam tenentes. Et rursum eodem libro: Ferocissimi inter Vindelicos Licatij, Thunicates & Sennones. Plin. quoq; lib. 3. cap. 19. sic scribit: Caput Enganeorum Stonos, Rhætorum Vennones Satunetesq; ortus Rheni amnis accolunt. Lepontiorum qui Viberi uocantur fontem Rhodani, eodem Alpium tractu. Præterea quando recitat Alpinas gentes à Cæsare Augusto superatas, eodem loco enumerat sigillatim hos quoque populos suis nominibus, qui sunt Triumpilini, Camuni, Vennones, Venonetes, Hisarci, Breuni, Naunes & Focunates. Et Vindelicorum quatuor populi, Consuanetes, Virucinates, Licates, Cattenates, Abisontes, Rugusci, Suaneres, Callucones, Brixentes, Lepontij, Iuberi, Nantuates, Seduni, Veragri, Salassi, &c. Ptolemæus uerò libro secundo, capite duodecimo, numerat Vennones

inter Rhæticos populos. De Vennonibus populis non per omnia conuenit inter memoratos autores: nam Strabo annumerat eos Vindelicis, etiam si quidã in eo legendum putent Sennones pro Vennones. Id certum est, Vennones esse in diœcesi Curiensi, unde mihi satis probatur eos olim Rhætis annumeratos. Dominus Beatus Rhenanus testimonio Plinij putat eos fuisse accolas ortus Rheni: sed secus mihi uidetur. Nam Plinius eo loco uult ostendere, qui supremi sint incolæ Euganeorum atq; Rhætorum, scribit enim sic: Caput Euganeorum (ego intelligo eos qui summum tenent locum) Stoni, Rhætorum Vennones, &c. Et cùm utriusq; populi capita describat, mox indicat qui populi ortum Rheni atq; Rhodani teneant, dicens: Sarunetes ortus Rheni amnis accolunt, & Leponticrorum qui Viberi uocantur, fontem Rhodani, eodem Alpium tractu. Strabo quoq;, ut diximus, numerat Vennones inter Rhæticum populũ, dicitq; eos iacere in Alpibus ad orientem ab opposito latere Italiç, ubi & Tridentini locum habent. Isti Vennones hodie sunt Engadini, apud quos Aenus ex Iulijs Alpibus oritur, fluitq; per *Vinstermuntz* in uallem *Intal* uersus Aenipontem, Germanicè *Inspruck*, ubi finis est Curiensis diœcesis, & terminus Rhætiæ atq; Vennonũ, quam Rhætiæ Marcam uocant. Ad eum quoq; locum extenduntur Norici & Vindelici, sed quos populos deinceps Aenus ipse separat usq; ad Danubium. Propterea horum populorũ confinia puto accidisse, ut historici quidã annumerarint Vennones Vindelicis, præsertim cum Aenus & uallis eius inferior à Vennonibus inhabitata, respexerit Vindelicos. Et hæc quidem scribimus iuxta ea Strabonis exemplaria, in quibus scriptũ inuenitur, inter Vindelicos Vennones censebantur. At Ioannes Auentinus, ut suprà quoq; memorauimus, censet ibi legendum Sennones, & non Vennones. Porrò ex alia parte uallis Aeni quam Vennones inhabitãt, Tridentini habitãt uersi ad Italiam, etiãsi in ea parte Vennones quoq; iuxta Athesim teneãt tractum aliquem longum, ut infrà latius dicemus. In Rhæticis iugis oritur fluuius Aduas, quem hodie uocant Aada, labensq; per *Veltlin* ingreditur in Cumanum, olim autem Larium lacum. Porrò ab alia parte memoratorum iugorũ, uersus Athesis regionem, est *Munstertal* & *Vinstgöw*. Fluuiolus qui per hanc uallem descendit, apud *Glurentz* iungitur Athesi. Oritur autem Athesis haud procul à *Nuwders*, fluitq; per *Malserheid* & *Vinstgöw*, uersus *Glurentz* & ultrà, ubi scilicet finis est diœcesis Curiensis. Sunt itaq; Vennones iuxta Aenum & iuxta Athesim habitãtes, extremi Rhætorum, uersi ad orientem: & ob id dicit Strabo, supra Comum ad Alpium radicem iacere Rhætos, & Vennones ad orientem uersos, ut scilicet Vennones confines sint Tridentinis, & Alpini Rhæti Leponticis. Nam in prioris Rheni opposita parte iuxta Ticinum habitant Leponticini, quos Germani *Liuiner*, & Rhæti Leuontinos appellant. A' Cumano lacu ascendendo iuxta fluuium Aduę per *Veltlin* usq; ad ortum eius peruenitur ad Bormium, quod summum locum tenet in *Veltlin*, ubi mons est, quem Cornelius Tacitus lib. 17. in hist. Augusta appellat Rhætica iuga, à Germanis uerò propter uicinitatem Bormij, *Vuormßer ioch*, & à Rhætis mons Braulius uocatur, ubi scilicet Aduas, utiam quoq; diximus, oritur. Per hęc iuga Rhętica in hunc usq; diem iter compendiosum & tritũ est ex Italia atq; à Mediolano ad Danubiũ & ad Austriam. Proxima Vennonũ uallis, ad quam à iugis Rhæticis peruenit, uocatur *Munstertal* atq; *Vinstgöw*, ad cuius latus sunt Engadini, & est sub Rhætorũ imperio usq; ad fortalitiũ *Churberg*, & iuxta tractũ Athesis usq; ad *Furstenberg*. Diœcesis Curiensis indicat in eo loco sicut & alibi ueros antiquæ Rhætiæ limites. Habẽt & duces Austriæ modicã terræ portionẽ iuxta Aenum & Athesim sibi subiectã, ex *Vinstgöw* & *Vinstermuntz*, alioquin tota ferè terra Rhętorum est, nempe superiora loca *Vinstermuntz*, tota Engadina, & in *Vinstgöw*, *Furstenberg*, *Mals*, Inferior *Galsen*, *Schantzen*, *Tuufers*, *Latsch*, *Martyen*, tota uallis Munstertalensis, & omnia loca quę sunt supra *Churberg* & *Glurentz*.

Caput höhe.

Cæteruũ

Cæterùm nomen *Engadin* natum est ab Aeno, quem Germani *Yn* uocant. Engadini autem habitant prope ortum illius amnis, alioquin uocantur Vinstgoienses atq; Vinstermuntzenses, hoc est, Vennones. Rhęticè *Engadin* sonat, En code ino, hoc est, in capite Aeni, quæ uoces tandem degenerarunt in *Engadin*. Apud hos in summo loco oritur Aenus, & ex oppolito latere in descẽsu uicini montis emergit Athesis, labunturq; in diuersas plagas: nã Aenus petit septentrionẽ, fluens q; per *Vinstermuntz* & *Intal*, tandẽ exoneratur in Danubiũ. Athesis uerò per Vinstgoiã & *Etschland* ruens, alluit mœnia Veronæ, & tandẽ desinit in mare Adriaticũ. Item *Munstertal* & omnis superior regio à *Vinstgõw* & ab Athesi usq; ad *Vinstermuntz*, appellatur unà cum *Engadin* in uetustis Curiensibus literis, Vallis uenusta, antiquũ Vennonum nonnihil referẽs nomen. Errat proinde Strabo lib. 4. ubi sic scribit: *Strabonis error.* Rheni fluminis origo in Diaduella monte, à quo Aduas fluuius in contrarium fluit, lacum implens Latium. Et eodem libro sic scribit: Mons Adullas, ex quo in septentrionem Rhenus excurrit, & diuersa ex parte Aduas in lacum Larium. Hæc non satis quadrant ueritati: quoniam distantia fontium utriusq; fluuij inuenitur esse maior, quàm quod ab uno scaturire queant monte. Nã si rectà ire possis per montium illorum qui interiacent præcipitia, opus tibi esset itinere pedestri unius diei & dimidij, hoc est, 24. horarũ spatio, à fonte Rheni ad fontẽ Aduę. Sed fieri potest quod Strabo eo loco uoluerit loqui de amne Lyra, qui in cõtrariam à Rheno mundi partem fluit, descendens scilicet per *Gampolschin* & *Cleuen* in Cumanum lacum, unde scilicet Aduas deriuatur. Fuit autem antiquorũ historicorum mos, ut designauerint summorum fontium scaturigines, unde celeber aliquis emanauit amnis. Verus ergo Aduas labitur per *Veltlin*, orituṙq; nõ in Adula monte, sed in iugis Rhæticis, quæ hodie Rheticè appellantur mons Braulius, ut paulò superius memorauimus. Tanta proinde est memoratorum fontium distantia, ut inter iuga Rhætica unde Aduas profluit, ad montẽ Adulam unde Rhenus exit, sint Alpes Iuliæ atq; Septimæ. Sciendum præterea Engadinos & Munstertalenses omnes loqui Rhætica lingua, qua & Rhæti Rhenani utuntur, & nõ Lombardica. Si tamen paululũ ab eis te demiseris, occurrunt Intalenses, qui Germanicè, & Engadini, qui Lombardicè & quidã Germanicè loquuntur. Sic & Plinius Vennones mox post Camunos ponit: confines enim fuerunt, sicut & hodie sunt. Abundat autem uallis Camunorum æris fodinis, paretq; Venetis, & in hunc usq; diem appellatur uallis Camunien, in qua Ollius fluuius oritur. Strabo lib. 4. Camunos perperàm uocat Camulos. Est & *Veltlin* in hoc terræ tractu, ubi Aduas sumit originem: item *Engadin* & *Vinstgõw*, qui Vennones sunt, omnes inquam hæ regiones & gentes loca illa occupant, montibus duntaxat inter se distinctæ.

De Alpibus Iulijs, de Perninna monte, atq; Pede Falario. Caput XXVIII.

ALpes Iuliæ, quarum Tacitus lib. 19. meminit, cæteris montibus in Rhætia altiores sunt, summum iuxta *Engadin* & *Bregell* uersus Italiam tenentes locũ, citra uerò ad iurisditionẽ *Stallen* pertingunt. His quoq; olim Septimus mons fuit annumeratus. Porrò tractus horum montium ab occidente tangit tractũ Adulæ montis, unde Rhenus oritur: ab oriente uerò est uallis quædam profunda inter *Engadin* & *Bregell*, iugis Rhæticis adhærens, unde Aduas egreditur fluuius: & à septentrione est mons Albula, per quem rectum extenditur iter à Curia ad *Engadin*. Porrò Septimus mons attingit Iulias Alpes, in cuius sublimitate est uilla, Stalla uocata, sita in loco deserto, quæ olim Biolum appellata fuit, sicut & hodie à Rhætis Beuio nominatur, quòd illic duæ uiæ ex una consurgant, trans Alpes ducentes, una ad sinistram uergens, & altera ad dextram. Sinistra ducit per

Iulias

Iulias Alpes,& dextra per Septimum montem.Iulię Alpes non ſemper poſſunt tranſcendi,ob nimiam earum celſitudinem & inuiam ſolitudinem.In cacumine earum ſtetit aliquando columna lapidea,ſed quæ modò fracta humi iacet. Putatur olim erecta per Cæſarem aliquem aut eius præfectum. In hoc etiam monte oritur Aenus iuxta lacum quendã paruũ,in ſupremo Engadinæ loco, ad quem ortum peruenitur quãdo mons iſte perambulatur.Porrò ultra *Engadin* uerſus *Bregell*,qui locus eſt illi contiguus,non ſunt admodum magni montes,ſed uallis eſt ibi inter Iulias Alpes & mõtem Perninnam.Hic autem mons iacet inter *Engadin* & *Poſtlaaff*,hoc eſt,Pedem Clauium,ubi ſcilicet iter ducit in *Veltlin*,& eſt mons ille ualde altus,tractui iugorum Rhæticorum annexus. Eſt rurſum alius mons inter *Engadin* & *Munſtertal* ſitus,quem Germani *Bus* Falor uocant,olim autẽ à Rhætis fuit Pes Falarius dictus. De Iulijs Alpibus Liuius ſic ſcribit decade prima libri quinti:Ex Tricaſtinis per Taurinos,hoc eſt,*Pemundt*,ſaltuſq; Iuliæ Alpis tranſcenderunt.Et ibidem ſic quoq; ſcribit:Alia ſubinde manus Germanorum Elitonio duce,ueſtigia priorum ſecuta, eodem ſaltu, fauente Bellueſo tranſcendiſſet Alpes,ubi nunc Brixia ac Verona urbes ſunt (locos tenuere Libui) conſidunt. Videtur autem hic Liuius ſentire,quaſi Iuliæ Alpes iaceant in tractu illo qui eſt inter Tricaſtinos & Taurinos,cum mentionem faciat uiæ uergentis in tractu illo per Iulias Alpes,id quod malè audit apud alios ſcriptores, qui tractum illarũ Alpium non Iulias,ſed Cotias atq; Graias appellãt. Fuiſſet præterea Germanis montes illos tranſcẽdentibus incommodiſsimum,ſic â recta exorbitare uia,cum longè propinquiori & compendioſiori itinere potuerint ſuperare Alpes,Alpes inquam Iulias in Rhætia ſitas,quæ rectà ex Germania in Italiam uiatores tranſmittunt. Videtur igitur Liuius hoc loco deprauatus,id quod & doctiſſ. Beatus Rhenanus deprehendit,qui in ſua cenſura,quam deprauato Liuio adhibuit,Iuliæ Alpis hoc loco non meminit,ſed legit,inuias Alpes, quomodo & in alijs locis Liuius quarundam Alpium mentionem facit,ut infrà dicemus. Deinde uerisimile quoq; conſonum eſt,in eo Liuij loco non legendum Germanorum,ſed Cætati Nomannorum,id quod affinis noſter dominus Henricus Glareanus in ſuis Annotationibus iam nouiſsimè in Liuium æditis pulchrè oſtendit. Horũ itaq; duorum inſignium uirorum teſtimonio ſatis puto conſtabilitam ſententiam noſtrã, qua ſuprà ſcripſimus Iulias Alpes poſitas inter Rhætiam & Italiam. Fuit mihi memoratus Liuij locus ſemper ſuſpectus,ſed nõ fui auſus illum ſine doctiorum uirorum ſubſidio immutare.

De Tinnetione,Muro,Summo lacu,atq; Septimo monte.

Caput XXIXI.

INter Curiam & *Bergell* in ſummis & ferè inuijs montibus iacet uilla Rhæticè Tinnezon, & Germanicè *Tintzen* appellata, cuius & Antoninus Auguſtus meminit in ſuo itinerario,ſcribens Tinnetionem M. p. XX. id eſt, uiginti miliaribus Italicis plus minus ue diſtare à Curia, quod itineris interuallum pedeſtri greſſu confici poteſt ſex horarum ſpatio. Collocatur autem ea uilla in recto itinere quo tranſitur à Curia in Bergellenſium uallem, ubi ſcilicet ſuperandus eſt Septimus mons,cũ ultra in Bergaliam quis ire contendat:ad cuius montis pedem ſita eſt Stalla,olim Biuium ob itineris ſectionem appellata, ut ſuprà quoque retulimus. Meminit & Ekkardus iunior cœnobita S. Galli huius montis Septimi. Eſt autem is mons portio Iuliarum Alpium, quibus ſcilicet adhæret. A' memorata uilla *Tintzen* ſecundum Antoninum ſunt 25.miliaria Italica ad Murum, in quo itinere ſuperandus eſt Septimus mons. Oppidum *Mur* in ualle Bergellenſium ſitum , uſque ad tempora noſtra retinuit ueteſtum nomen , habens à tergo in monte caſtellum , quod & ipſum ſubiecti oppidi nomen

nomen habet: nam uocatur Castelmuro. Fuerunt etiam olim Comites qui titulum habuerunt à Muro. A' Muro supputat Antoninus ad Summum lacum, qui est lacus Cumanus 20. mil. Italica: extenditur enim uallis Brigellia in Italiam uersus hunc lacum. Est autem Brigellia hodie sicut & olim Rhætica, & terra eius est aspera atq; arida. Sunt qui putant illam olim appellatam *Vall Brunnam.*

De Tarvesede, qui locus hodie uocatur S. Iacobus infra Gamposchin in Clauennæ uallæ. Caput XXX.

EST & aliud iter, quod à Curia transmittit ad lacum Cumanum. Nam à Curia itur ad Speluca, uulgò *Splugen*, qui locus non procul distat à fonte Rheni posterioris, & deinde ultra montem Adulam, qui ibi *Vrßler* uocatur, peruenitur in *Gampolschim*, in uallem supra Clauennam sitam, ad uillam quæ hodie S. Iacobus appellatur, quam Antoninus in suo itinerario Tarvesede nuncupat, scribens à Curia esse illuc 40. Italica mil. quæ faciunt quinq; Germanica: & ultrà signat 15. Italica miliaria à Tarvesede usq; ad Clauennam, quæ duo efficiunt Germanica miliaria. A' Curia uerò usq; ad Clauennam supputantur 7. mil. Germanica, quæ itinere equestri continuò in 14 horis conficiuntur. Mansit autem apud Rhætos nomen Clauennæ, quod nos *Cleuen* appellamus, distatq; 10. mil. Italicis, hoc est, itinere pedestri trium horarum à lacu Cumano. Porrò memorata loca usq; ad lacum Cumanum omnia sunt Rhætis subiecta. Est & hoc hîc obiter notandum, octo miliaria Italica facere unum Helueticum & Germanicum miliare, quod scidia. Italicum uerò miliare ab equite mediocriter equitante, quarta parte unius horæ superari potest. licet duabus horis equestri itinere confici potest, pedestri autem duabus & dimi

De Adula monte, qui secundum diuersas sui partes uocatur Vrßler, Vogel, & Luckmannier. Caput XXXI.

ADula mõs inter Iulias Alpes atq; Summas Alpes ponitur, & ex iugo eius oritur uterq; Rhenus. In opposito latere posterioris Rheni in ualle *Gampolschim* oritur amnis Lyra, miscetur q; Mairæ fluuio, qui ex Bergella uenit, ac deinde alluit Clauennam, & tandem desinit in Cumanum lacum. Hunc fluuium Strabo arbitratus est Aduam esse: scribit enim, ex monte Adula ab uno latere Rhenum, & ab alio Aduam, in Cumanum lacum desinente, initium sumere: quod tamen uerum non est. Nam Aduas ex *Velilin* ruit in Cumanum lacum, suntq; fontes eius in iugis Rhæticis, *Vuurmßerioch* appellatis, de quibus suprà. Consentiunt autem Strabo & Ptolemæus de ortu Rheni, asserentes illũ in Adula monte oriri. Hic mons aliquando Diaduella, & aliquando Adualla appellatus fuit, estq; per eum triplex uia satis trita. Nam apud fontem posterioris Rheni duo sunt itinera, unum à Speluca incipit, uergitq; per Clauennam ad lacum Cumanum, & mons interpositus uocatur *Vrßler*, cuius suprà meminimus. Aliud à Speluca in *Masoxer*, seu Mesauciorũ uallem ducit, per quam Muetius amnis fluit, quem nostri die *Mßuß*, Itali la Muesa uocant. Fluit autem paulò supra Bellizonam in Ticinum præter fluentem amnem. Mons uerò interceptus appellatur uulgò *der Vogel*, & Italicè, Culmen de Olcello, uel, Culmen de sant Bernardino, idq; propter uallam in initio uallis *Masoxer* ad basim mõtis sitam. Tertium iter est iuxta priorem Rhenum, à Diserntis scilicet per uallem *Medels* ultra montes in uallem Palensiũ, quæ Italicè *Vall Breunia* appellatur. Mons uerò inter duas intercepta ualles uocatur *Luckmannier*, id est, Lucumonis mons, & solum peræstatem peragrari potest. In isto monte finitur Adula, incipiuntq; Summæ Alpes.

Quando

Quando Alpes primùm peruiæ factæ sint, & si qui ante Rhætos Alpes inhabitarint. De Lepontijs uarijs, Oscelanis scilicet, Salassis, & Rhætijs: de Vgonia, Tauriscis, Oscela, & Ocela. Caput XXXII.

CVm Rhætiam attigerimus, operæprecium uisum est disserere, num etiam mortales aliqui inhabitarint Alpes ante Rhętorum ingressum: ac deinde, an Alpes ante Gallorum profectionem, quàm tempore Tarquinij Romani regis fecerunt, peruiæ fuerint necne. Et certè historici, Polybius, Liuius, & alij quidam, in his quæstionibus nō eiusdem sunt opinionis, etiamsi in hoc quidam eorum consentiant, Gallos in iam memorata profectione tempore Tarquinij Alpes peruias feciſſe, quæ antea clausæ fuerant, ingressosq; in Italiā, ueluti in nouū & incognitum orbem. Sunt alij qui aiunt Hannibalem Alpes primùm superasse, peruiasq; reddidisse, sed qui à Polybio lib. 3. confutantur. Et quanquā iam memorati autores asserant tempore Tarquinij primùm Alpes peruias factas, colligitur tamen ex scriptis eorum, si diligenter examinentur, illis nihil certi de hoc constitisse, quando per Alpes itinera inuenta sint. Id facilè credimus eis, profectionem Gallorum tempore Tarquinij primam inuiarum Alpium fuisse apertionem, de qua ipsi audierunt: sed ob id non obstat, quin antea homines pertransire montes illos potuerint. Vnde & Liuius non contendit Gallorum profectionem primam fuisse, sed ait, continentem memoriam sic esse. Scribit autem sic deca. 1. lib. 5. Alpes oppositæ erant, quas inexuperabiles uisas, haud equidem miror nulla dum uia (quod quidem continens memoria sit, nisi de Hercule fabulis credere libet) superatas. Ibi cum uelut septos montium altitudo teneret Gallos, circumspectarentq; qua'nam per iuncta cœlo iuga in alium orbem terrarū transirent, &c. Quid putas certi habuisse istos autores de Alpibus, quando Romanis Tarquinij tempore, Galli fuerint populus ignotus & inauditus, ut Liuius scribit, etiam cum utraq; natio mutuā potuisset inire noticiam per mare absq; Alpium traiectu & unus aut alter maris sinus à Latinorū terra usq; ad Gallorū littora fuisset superandus? Et certè eo tēpore mortalibus non defuit nauigādi usus. Vnde igitur Galli fuerunt Italis, præsertim Romanis, incogniti? Ob id fortasis, quod illo tempore Romani nondum erant magni nominis & potentiæ, neq; dilatauerant suæ regionis pomeria, sed longè post Gallorū primum bellū incrementa accipientes, Alpes & latas prouincias domantes, cum inter eos historici emergerent qui ipsorū egregia facta Alpium atq; aliarum regionū situm describerent, factū est ut illis omnino ignotū esset, quando & quo seculo Alpes cœperint primum perambulari. Id nemo inficiari poterit, cū olim populi ab utroq; latere Alpium, ab Italia scilicet & Gallia, propinquarent montibus illis, & sedes ibi constituerent, adinuenerūt procul dubiò uias ultra illos, idq; longè ante memoratā Gallorū primā eruptionē. Nisi enim alpes illæ inuiæ & horrendę iam peruiæ factæ fuissent, quomodo ausi fuissent Galli cum tantis copijs atq; cū tanto armorum strepitu & bellico apparatu sese immittere in tā implicatos, niuosos, & horridos montes? aut quomodo arripuissent iter tam perplexū, periculoq; sese exposuissent, qui sine difficultate per mare Italiam intrare potuissent? Quin ex Massilia licuisset eis per Liguriam in Genuam uenire, ubi nullæ sunt Alpes, nullæq; inuiæ solitudines, sed montes humiles, per quos facilè ex Gallia uenitur potest in Italiam, quæ in confinio illo Gallia Cisalpina nominatur. Sunt & Alpes Graiæ, quæ Minor sanctus Bernardus uocātur, apud populos Ceutrones, quorum Metropolis hodie uocatur Tarētasia, & harū unum latus respicit Galliam, & præsertim Allobroges, alterum autem obuertitur Italię, contingitq; Salassos, qui hodie *Ougstaler* appellantur: & Alpes illæ nō sunt altæ, nec habent niuem tempore æstatis, atque ideo semper patet per eas tutus transitus: imò maior Alpium pars,

Galli olim Romanis ignoti.

Graiæ Alpes.

bàrs, per quas facta sunt itinera, tempore æstatis est sicca & sine nisue. Id si uerum est, quomodo homines in utroque montium latere habitantes, non transierunt Alpes, nec fecerunt itinera per eas usq; ad tempus Tarquinij, præsertim cùm eo tempore illis niues obstaculo esse nequierint? De hac itaq; re nullus scriptorum potuit certò pronunciare, sed quod illis uisum est in re incognita sc ipserũt, superuenientesq; posteri confirmauerunt opiniones priorum. Verùm his Plinius non subscribit, qui lib. 12. cap. 1. sic ait: Produnt Gallos hanc primam habuisse causam superfundẽdi sese Italiæ, quod Elico ex Heluetijs ciuis eorũ Romæ cõmoratus, sicũ sicca m & uuã &c. remeans secũ tulisset. Si Elico prius in Italia fuit antequã Gallicus exercitus in eam sese fudit, constat Alpes antè peruias fuisse. Scribit idẽ Plin. lib. 3. cap. 16. & 19. Herculem olim permeasse Alpes, & ex comitatu suo aliquos ibi reliquisse, qui sedẽ in Alpibus collocarunt: nominat potissimum Lepontios & alios populos, qui in Graijs Alpibus mansionem fecerunt. Scio tamen Liuium hanc Herculis profectionẽ habere pro fabula, quod hic excutere nolo. Hoc apud me certum est, Alpes peruias fuisse longè ante Gallorũ primam eruptionẽ, id quòd uel ex hoc aduerti potest, quod in plerisq; locis superari possunt spatio unius diei, ubi & utrinq; optimũ inuenitur solũ, quod etiã uinũ producit, præsertim à *Tumleschg* Rhętię ad Clauennam, itẽ à *Tumleschg* ad Belizonam, à Martenaco, hoc est, Octoduro apud Veragros ultra Pœninũ ad Augustam Prętoriã in Salassis, & in multis alijs locis. Hęc cũ ita sese habeant, quid quæso obstare potuit, quin incolę citra Alpes optimo habitantes loco, eos uisitarint qui ultra Alpes etiam optimo loco habitabant, præsertim cũ illis id licuerit tempore æstiuo, & itineris distantia sese non extenderit ultra unã diętam? Nõ tamen ob id contendo, tot illo tempore fuisse itinera per Alpes quot hodie inueniuntur. An uerò ante Rhætorum primã Alpium inhabitationem in ijsdẽ regionibus populi aliqui sedem collocauerint, præsertim cũ ante Rhętorũ aduentum Galli perfregerint Alpes, quando Rhęti scilicet adhuc Thuscia inhabitabãt, incertum est: Fieri tamen potuit quod aliqui Galli uel Lepontij in eisdem montibus cõmorati fuerint, præsertim iuxta itinera in diuersorijs habitantes, qui transeuntibus & redeuntibus uictum suppeditarent: sed tam multos cultores Alpes tunc nõ habuerũt, quot hodie habent. Veri simile quidem est Gallos & Germanos tunc in plerisq; locis solitos transcendere Alpes propter commercia & negocia exercenda, habuisseq; per itinera in uallibus & solitudinibus certas mansiones & hospitia, quæ propter cõmerciorum frequentiam, creuerunt tandem in uillas & oppida. Et fortasis castella illa, fortalitia, & turres quę in Rhętia inueniuntur, & usq; in hunc diem nomina habent Germanica, reliquię sunt antiquitatum illarũ, à Celticis Germanicè loquentibus olim extructæ. Nisi magis ibi arriserit illorum opinio qui asserunt, post dissipationem Romani imperij p̃ Gothos, Longobardos aut Francos in illis locis fortalitia & castella memorata erecta. Sunt aũt hęc dictorum fortalitiorum & arcium nomina: supra Curiã usq; ad posteriorem Rhenum, *Ortenstein*, *Hasensprung*, *Schouuenstein*, *Rietberg*, *Furstnouu*, *Baldenstein*, *Brenuels*, *Taxstein*, *Berenburg*. Item à Curia uersus Septimum montem, quod & unum ex antiquis itineribus est, *Gryffenstein*. Sunt & alia multa tam in superiori parte regionis quàm in inferiori, quorum nomina hîc omittimus. Hęc inquam fortalitia iuxta publica & antiqua itinera locata, habent singula Germanica uocabula, id quod & uetustissimę Latinę literę, quę in illis regionibus adhuc inueniuntur, testantur. Populus uerò in uallibus illis & oppidis habitans, ubi fortalitia memorata Germanica habentia nomina inueniuntur, ab eo tempore quo Rhæti loca illa occuparunt, usque in hunc diem loquuntur Rhæticè, hoc est, Italicè, si modò corrupta illa lingua Italica est uocanda. Quæ res satis ostendit, & alios homines ibi habitasse, nempe uel Lepontios uel Gothos, Germani-

Vrgens interrogatio.

Germanica utentes lingua, idq; antè uel pòst Rhætorum adsientum. Scribit Cæsar lib. 4, Rheni fontes esse apud Lepontios. Lepontij autem illi qui habitant iuxta Rhenum posteriorem, hodie uocantur *Rhinuualder*, loquunturq; in medio extraneæ linguæ Germanicè, nec unquam ipsi aut maiores eorum alia usi sunt lingua. Habitant in medio Aetuatici populi, qui & ipsi sunt Rhæti, habentq; iter unius diei ad Curienses, qui propinquiores Germani sunt. Interpositi uero populi omnes Rhæti sunt, atq; loquuntur Rhæticè. Isti itaq; Rhinuualdenses seu Lepontij, procul dubio reliquiæ sunt Gallicorum Lepontiorum. Potuerunt autem isti, reliquis exturbatis, manere in regione illa, quòd inhabitarent summas solitudines, ac deinde ut necessitas exigebat, itinera publica ne abolerentur, aut tempore niuis obliuioni traderentur, reficerent & conseruarent, alioquin nemo tutò per hyemem Alpes illas transire potuisset, nisi illi pro publicarum uiarum custodia & conseruatione relicti in terra fuissent. Nec Romani facilè potuissent illuc locare colonos, nisi fundus terræ fertilior fuisset. Nunc autem sterilior & asperior est, quàm ut citra magnum laborem inhabitari possit. Sed molestiam illam ferre possunt, qui ibi nati & educati sunt, id quod ex alijs nationibus nemo facilè toleraret. Porrò Plin. lib. 3. cap. 19. ostendit originem Lepontiorum, dissimilem quidem origini illi, quam fabulosè de Herculis comitatu prodiderunt. Scribit autem sic: Lepontios & Salassos Tauriscæ gentis Cato arbitratur. Fuerunt autem Tauriscí isti Galli, quorum natio in antiquissimis Gallorum prælijs sedè collocauit ultra Alpes, de quibus Polybius lib. 2. de bello Gallico sic scribit: Inter Alpibus ab utroq; latere loca montuosa habitant, ad eam partem quæ uersus Rhodanum & septentrionem spectat, Galli qui Transalpini appellantur: ad eã uerò quæ campis imminet, Tauriscí, Agones, & alia pleraq; Barbarorum genera à quibus Transalpini non genere, sed differentia loci differunt, ideo Transalpini dicti, quòd trans montes colant, &c. Isti Tariscí postea emigrantes, alia quæsierunt loca, occupaueruntq; regionem illam quæ modo Comitatus *Gœrtz* appellatur, ac deinde profecti sunt in Stiriam, nomen suum illi terræ relinquentes: significat enim Taurus Germanis *stier*. Fuderunt se quoq; in Austriam & Vngariam, de qua re hic non est locus differendi. Agones uerò usq; ad moderna tempora sedem habent in initio Alpium, haud procul à lacu Verbano, inhabitantes magnam elegantem uallem, quæ adhuc Vallis Agonia, & lingua eorum Vallis Vgonia appellatur, contingens uallem de Oscela, uulgò *Eschental* dictam, haud procul à Lepontijs illis sita qui Vros attingunt. Siquidem omnes ualles illæ usq; in Rhætiam, & usq; ad ortum Rhodani, fuerunt Lepontiorum. Refert Cæsar, ut suprà quoq; diximus, Lepontios habitasse iuxta ortum Rheni, qui hodie Rhæti sunt. Plinius quoq; lib. 3. cap. 19. asserit iuxta fontes Rhodani habitare Lepontios Viberos, qui hodie sunt Seduni, hoc est, superiores Vuallenses in *Bryg* & superioribus locis, loquunturq; Germanicè, unde colligitur eos reliquias esse Celticorum, qui olim Germanica usi sunt lingua, alioquin tota inferior Valesia sermone utitur Gallico & Sabaudiensi. Ptolemæus ponit Lepontiorum ciuitatẽ Oscellam, quæ hodie est uallis *Eschental*, Italicè Vall de Oscela dicta, in qua amnis Tosa oritur & in cuius inferiori parte adhuc extat ciuitas Oscela, quæ modo propter collegiatam ecclesiam, quæ ibi est, Germanicè Thum, Italicè uerò Domon de Oscela appellatur. Cæterùm hæc Oscela non est oppidum Ocelum, quod aliquot dieus distat à limitibus Lepontiorum, & cuius mentionem faciunt Cæsar & Strabo. situm in Pemundt, è regione montis quem nos Montenoua, Itali uerò Mont Geneue uocant, à latere scilicet montis Cinesij, qui à Germanis uocatur *Montanys*. Totus hic tractus fuit olim Alpes Cotiæ dictus. Oppidum uerò Ocelum collocatur iuxta Duriam minorem, qui amnis ab Italis sua lingua uocatur Oulx, id est, oculus. Describit Strabo lib. 4. iter ex Gallia in Italiam per Ocelum,

Tauriſci.

Agonũ ſedes

lum, nempe ex Ebroduno, quod iam *Ambrun* uocatur, ad Brigantiũ, quod Brianson appellatur; hinc ultra montes ad Scingomagum, quod iam Sezans appellatur, ubi initium est Italiæ: inde ad Ocelum, ubi finitur Cotia regio. Descendendo ab Ocelo peruenitur ad Seusium, quod modò Susa uocatur, & hinc extenditur iter secundum Durię minoris cursum ad *Thurin*, quòd est Augusta Taurinorum. Ptolemæus semet inuoluit, quando Lepontios & ciuitatem Oscelam ponit in Alpibus Graijs atq; iuxta Caturiges, sicut & in situ multorum lacuum, fluuiorum & oppidorũ hoc loco non ratò errare deprehenditur. Alpes Graiæ sunt iuxta Tarantasiam Ceutronum ciuitatem, atq; iuxta Salassorum populum, quẽ modò Ougstalensem appellant. Porrò iter quod ultra Alpes Graias extenditur, uocatur hodie Minor sanctus Bernhardus. Ptolemæus recenset solam Oscelam Lepontiorum ciuitatem, quod tunc nullam aliam haberẽt ciuitatem, ut mihi uidetur, quantumlibet latissimam occuparent regionem. Proinde uallis quæ in hunc usq; diem Lepontiorum retinet nomen, locatur inter *Vri* & *Bellenz*, ubi scilicet superandus occurrit mons Gotthardi: paret Vris, appellaturq; à Germanis *Liuiner*, à Rhætis uerò Vallis Leuontina. Pertingit autem ad *Meintal* & *Eschental*, in qua ex summo quodam loco erumpit Ticinus amnis. Sic itaq; Lepontij occupauerũt ualles ultra & citra Alpes, præsertim ualles istas, Masox, Palens, *Meintal*, *Eschental*, *Liuinertal*, ubi Ticinus oritur, Vrsellã, ubi Vrsa, uulgò *die Rus*, oritur, fluitq; per Vrorum regionem. Item loca ubi Rhenus & Rhodanus ex terra scaturiunt: hæc enim quatuor flumina originem trahunt à locis non multũ à se distantibus. Nemo autem hic miretur & putet Lepontiorum regionem ob id confusam, informem & à commoda habitatione alienã, quòd induxerimus tot ualles & tractus, fluuiorumq; origines, ex quibus illa conflatur: quia dictorum fluuiorũ origines, præsertim Rheni anteriotis, Vrsæ, Ticini, Tosæ & Rhodani, ab uno fere inueniuntur procedere monte, ut si circulo illas circumscribere & comprehendere uelles, nullibi distantia esset maior duorum miliariorum Germanicorum: sed ab uno fonte ad alium rectus transitus fieri nequit, ob inuias solitudines & horrenda montium præcipitia, quæ rectum ibi iter fieri prohibent: nos de uagis loquimur recessibus. Et ut semel & in summa dicã, Lepontij tenent summa Alpium iuga, cum adiacentibus uallibus, siti inter Heluetios, Sedunos, Salassos, Insubres, & Rhętos, citra & ultra Alpium montes. Cum itaq; Cato, testãte Plinio, putet Lepontios reliquias esse Tauriscorum, & eidem Polybius quoq; non dissentiat, quando sic scribit: In Alpibus ab utroq; latere loca montuosa habitant, ad eam partem quæ uersus Rhodanũ & septentrionem spectat, Galli qui Transalpini appellantur, ad eam uerò quæ campis imminet, Tauriſci, Agones, & alia pleraq; Barbarorũ genera, à quibus Transalpini non genere, sed differentia differunt, &c. Cum inquam Agones & Tauriſci à Gallis descenderint, habitauerintq; prope Alpes ad eam partem quę uersus Rhodanum spectat, & Agones, ut suprà diximus, incoluerint inferiora loca uallis Oscelæ, hi autem sunt Lepontij, & à ualle Agonum, quę hodie uocatur uallis Vgonia, modica sit distantia per uallem Oscelæ ad Rhodanum & Valesiam: attingit enim uallis Oscelæ superiorem Valesiam in qua Rhodanus oritur, discriminante hanc ab illa Alpium monte: consequens est Tauriscos quoq; ibi sedem habuisse, ad eam scilicet partẽ quæ uersus Rhodanum est, hi autem Lepontij sunt, ut rectè Cato dicat Lepontios reliquias esse Tauriscorum, habitantes passim in montibus & uallibus: & cum omnes isti populi, potissimum Agones & Tauriſci Galli fuerint, atq; ex Gallia primum secedentes Alpes transcenderint & nouas sedes occupauerint, nõ autem inueniatur ubi prius habitauerint in Gallia, licet colligere ex coniectura & logis ueniſſe, ubi iam locus est S. Mauritij. Tauriscos autem apud Vros & alios ui

Turinum.

Alpes Graiæ.

Vallis Leontina.

cinos populos in Heluetia consediſſe. Nam horum duorum populorum nulla fit mentio, ubi describitur Gallorum ultra Alpes profectio. Et fieri potuit, ut mihi uidetur, Agones & Tauriſcos longè post Gallorum primam profectionem transiſſe Alpes, præsertim cum uidiſſent prædeceſſoribus suis Gallis profectionem illam non malè ceſsiſſe. Fuerũt denique Agones isti Tauriſcis uicini, nec longa illis erat ultra Alpes facienda profectio: & cum traiecissent, occupauerãt iam Galli priores optima quæque loca, nec permiſerunt superuenientibus usurpare quæ ipsi uoluerunt, atque ob id sedem coacti sunt collocare in locis montibus uicinis, tametsi loca illa pro maiori parte optimum habeant fundum, proferentia uinum & alia neceſſaria, potissimum in *Ruſtice, Bellentz, Lucarn, Thum*, & iuxta Verbanum lacum. Consonat etiã noſtræ sententiæ, Vros seu Vrnos descendiſſe à Tauriſcis, quod pro clypeatis armis utantur tauro: quanquam nõ ignoremus posteris temporibus Gothos quoque aliquos in pagis illis consediſſe. Videtur præterea regio illa hoc nomen *Vri* uel *Vren* sortita à clypeari tauro, à quo & Tauriſci olim nomen suũ adepti sunt. Vocant enim Sybentalenses & qui illis uicini sunt, in hunc usque diem tauros, *uren*. Non igitur habet regio illa, de qua hic loquimur, nomen suum à syluestribus uris, qui nunquam uiſi sunt in ea, nec in circumiacentibus regionibus, sed tauri, ut iam diximus, in his regionibus uocantur *uren*. Nec cõformes sunt syluestres *uri* taurino capiti, quod Vranus populus in suis pingit clypeis, non obstante quod Cæsar sic scribit lib. 6. Tertium est genus eorum qui *uri* appellantur, ij sunt magnitudine paulò infra elephantos, specie & colore & figura tauri: magna uis est eorum & magna uelocitas, neque homini neque feræ quã conspexerunt, parcunt. Præterea cùm populus Vranus ad bellum proficiscitur, utuntur symboli loco sono cornino, & is qui sonum illum reddit, uocatur Taurus ab *Vri*, & officio huic deputatus, cogitur intereſſe bellis. De Gothis quomodo uenerint ad pagum *Vri*, nonnihil colligitur ex Procopio, Agathia & Leonardo Aretino, sed nihil certum hinc haberi potest. Itaque ex his omnibus tandem inferetur, ante Rhætorum in Alpes aduentum, aliquos Germanos, præcipuè Gallicos Lepontios, qui Rhętis longè antiquiores fuerunt, Alpes incoluiſſe, atque ab eis in hunc usque diem quædam relicta in illa natione Germanica nomina. Alioquin niſi quidã illos montes antea incoluiſſent, Alpesque peruias feciſſent, quomodo fuiſſent Rhæti, qui tunc uocabantur Tusci, tam audaces, ut concederent ad loca tam agreſtia, aspera, & à nemine prius habitata? præsertim cùm fuerint populus ignauus atque imbellis, & ob ignauiam suam à patria sua per Gallos expulsi, coactique derelinquere terram frugiferam & optimam, qualis fuit Tuscia, & secedere in loca solitaria, inuia, atque nunquam ab hominibus habitata. Certè mihi sic persuasum est, illos primùm non parum horruiſſe ab Alpibus, uixque aditos fuiſſe illas transire aut intueri, etiamsi prius in eis habitauerint homines, itineraque trita & parata inuenerint. At posteri eorum bellicosi facti sunt & uiri graues, ex terræ illius squalenti & horrida facie, dilatantes limites suos, & cõstruentes in diuersis locis multa fortalitia, quibus & nomina iuxta suam extraneam linguam imposuerũt. Rectè igitur Pomponius Mela scribit, Rhenum ab Alpibus & deinceps Germaniam diuidere à Gallia, sicut & ante Rhætorum aduentum diuiſit. Sic Strabo lib. 7. scribit: Primæ Germanicæ regionis partes sunt Rheno proximæ, ab ipsius ferè fontis initio, quoad in pelagus funditur. Quod autẽ isti limites hodie non inueniuntur, hoc accidit propter Rhætos, qui in regionem illam introduxerunt aliam linguam, nempe Italicam, aut ab Italica degenerantẽ, atque ob id neque Germani dicendi sunt neque Galli. Vſi sunt autem Galli eo tempore Germanica lingua. Credendum proinde eſt, quod postquam Iulius Cæsar Galliam domuit, non fuerint Rhæti alicuius magni & clari nominis, cum Cæsar nusquam illorũ mentionẽ faciat: niſi malis per Nantuates, quorũ meminit lib. 4. intelligere

Vri, ſtier.

De Gothis obſcura opinio.

intelligere Rhætos. Videtur enim mihi suo tempore illud Rheni latus usq; ad Alpes, Galliæ annumeratũ. Appianus Alexandrinus in libro qui Illyrius appellatur, putat Rhætos à Cæsare quoq; deuictos & subiectos, cum ille Galliam sibi subdidisset. Id quod alij sic intelligunt, quod domuerit seu compescuerit eos, nõ autem deuicerit aut subiecerit, ut supra quoq; memorauimus. Adde, quod autores multa scripserunt in fauorem principum, quæ ueritati non per omnia consona inueniuntur.

De summis Alpibus, quæ uulgò der Gotthart appellantur.

Caput XXXIII.

LEpontiorum altissimi montes, unde amnes ipsorum scaturiũt, fuerũt olim uocati Summæ Alpes, de quibus Cæsar scribit in principio lib. 3. Videntur autem propterea sic uocati, quod omnes reliquos montes fastigijs suis, præcipitijs & asperitate excellũt. Publica uia, & quæ à pluribus frequentatur, quæq; ducit ultra Summas has Alpes, uocatur uulgò *der Gotthart*. Ducit autem ab Vrsa & Vrsellæ solitudine ad Ticinum, qui est in ualle Lepontiorũ. Est & altera uia quæ ducit ab Vrsa ex Vrsellæ solitudine per alium montem, qui uulgò *die Furcken* appellatur, ad fontes Rhodani in superiorem Vallesiam, quę & ipsa Lepontiorum est, ut præcedenti capite diximus. Sunt præterea & aliæ uiæ ultra Summas Alpes in Italiam, nempe ex superiori Vallesia per montẽ *Gletscher* in uallem *Ongstal*: item ex Vallesia ad uallem Oscelæ, uulgò *Eschental*, & in uallem quæ uocatur *Vall Vechia*, id est, uallis uetula. Porrò recentiores scriptores, qui uetusta nomina in Cæsare elucidare studuerunt, asserunt Summas Alpes esse inter Sedunos & Veragros iuxta Octodurum, quod hodie *Martenach* appellatur, comprehendentes simul montem qui Maior sanctus Bernhardus appellatur. Huius autem opinionis fuit Andreas Alciatus in annotationibus Taciti super 15. lib. sed qui ibi toto errat cœlo. Siquidẽ Cæsar ab initio lib. 3. nõ refert Summas Alpes prope Octodurum sitas, sed ostendit ibi longitudinem tractus Antuaticorum, Veragrorum, & Sedunorum, ab imo loco usq; ad summum, dicitq; illos à lacu Lemanno, qui est Geneuæ, extensos per Rhodani alueum usq; ad Summas Alpes: ubi Cæsar haud clarius potuisset nobis montem Gotthardi, & regionem Lepontiorũ accolarum per Summas Alpes exprimere. Cui enim loco Alpium magis competit uocabulum istud, Summæ Alpes, nisi ei unde in omnẽ plagam mundi proruunt & diffunduntur amnes? Id autem fit in monte Gotthardi: hinc enim emittuntur uersus meridiem in Italiam Ticinus, Madia, & Tosa: uersus occasum autem in Galliam Rhodanus, & uersus septẽtrionem per Heluetios Vrsa & Arola: item uersus orientem usq; ad Curiam Rhenus anterior. Ineptissimum itaq; est annumerare montem sancti Bernhardi Summis Alpibus, qui in imo Vallesiæ loco apud Veragros iacet, tota autem Sedunorum regio supra ipsum est, supra quos Cæsar Summas ponit Alpes, longitudine regionis à lacu Lemanno accepta, ut iam ex uerbis eius indicauimus. Proximè supra Summas Alpes incipiunt Alpes Pœninæ.

Andreas Alciatus.

Castigatio nominum Alpinarum gentium, ab ortu Aeni & Atheſis usq; ad Montenoua in Pemundt, quarum Plinius meminit cap. 19. lib. 3. unà cum Germanica eorundem interpretatione.

Cap. XXXIIII.

IN Plinio lib. 3. cap. 19. aut secundum alios 20. plurima nomina Alpinarũ gentium sunt corrupta, id quod ego arbitror factum ex multiplici transcriptione & exemplarium continua deprauatione. Recensebo autem ordine nomina eorum usq; dum peruenią ad Cotias Alpes, annotaboq; ea maioris distinctionis gratia maiusculis literis. Et primo quidem Plinius recẽset octo Alpinas gentes, habitantes à latere Italiæ apud Rhætos & Lepontios, & hæ sunt.

TRIVMPILINI. Qui, ut Plinius eodem capite scribit, reliquiæ sunt Euganeorum, uocanturq; hodie *Tripleuer*, sedem habentes iuxta lacum Cumanum, quorũ terra attingit terram *Veltlin*, atq; Camunos, nisi quod interponitur mons quidã. Oppida eorum iuxta lacum sunt, Domasium, Musium, Glarea, uulgò *Tschara*, Glabedona, id est, *Grauedunen*, & Suricum, uulgò *Surg*, & alia quædam quæ adhuc appellantur *Tripleuen*.

CAMVNI. Apud istos oritur Ollius, & uocantur usq; in hodiernum diem Camunen, ut suprà quoq; memorauimus. Asserit autem Plinius etiam eos ab Euganeis originẽ traxisse. Strabo lib. 4. appellat eos corruptè Camulos, & dicit eos natione esse Lepontios, Vindelicios, Noricos atq; Rhætios.

VENNONES. Hi hodie *Vinstgöwer* & Engadiner appellantur, ut suprà quoq; dictum est.

VENONETES. Hi fortasis postea Ventonini, hodie autem Veltolini appellati sunt. Sunt qui uallem Telinam & Volturenã, Germanicè uelint esse *Veltlin*, Italicè autem Voltolinam. Tangit hæc regio Vennones ab oriente, Camunes à meridie, & Triumpilinos ab occidente.

MISAVCI. Hi in Plinio corruptè, ut mihi uidetur, leguntur Hisarci, & sunt Lepontij, uocanturq; hodie *Masoxer tal*: & est Comitatus, in quo locantur *Ruflee*, Landnè Rogorerum, & *Galancker tal*. Fuit quoq; olim ex Misaucis *Bellenz*, Italicè Bellizona, Latinè uerò Bilitionum dictum. Vetustiores literæ quæ inueniuntur in Curiensi cathedrali ecclesia, uocant memoratum locum Masox, Mesaucum, & uallem ipsam uallem Mesaucam.

BREVNI. Hi iuxta uallem Mesaucam in Lepontijs habent sedem, inueniturq; nomen istud in hunc usq; diem. Nam uocantur sua lingua, uallis Breunia, Germanicè autem *Palenser tal*. Ptolemæus mentionem facit Breunorũ, sed qui in Vindelicia inter Lycum & Aenum sedem secundum eum habent: de istis autem qui in Italia morantur nequaquam loqui uidetur, cùm Plinius eorum sedem collocet in eo latere montium qui Italiam respicit, & postea peculiarem mentionem faciat de Vindelicis superatis.

NAVNES & FOCVNATES. Hi inter Lepontios quoq;, in tractu Italiæ habitantes, computantur: sed quis locus aut populus illis hodie respondeat, me latet.

Recensuit hactenus Plin. populos Cisalpinos, sedem habentes in latere montium Italiam respiciente, nunc enumerat populos habitãtes in opposito latere,
1 incipiensq; à Vindelicis scribit sic: Vindelicię populi quatuor sunt, nempe CONSVANETES, quos Ptol. uocat Consuatas, & Florus Senones, ut Auentinus scribit, habentq; sedem inter Iseram & Aenum, & ut mihi uidetur, locus eorum fuit inter *Landshût*, *Vuasserburg*, & *Passou*, aut circiter.

2 VIRVCINATES, uel, ut Auentinus putat Thunicates, qui hodie *die Tuncka* appellantur, habitantes secundum eundem inter Iseram & Ratisponam, dicti à Ptolemæo Rhunicates, apud quos & Fruxinum est, Germanicè *Fryfingen*, inter Iseram scilicet & Ambrum fluuios, ubi sedes est episcopalis in Vindelicis.

3 LYCATES uel LYCATII, populi sunt iuxta Lycum habitantes, appellati *Lechgöwer*, uel *die Lechreiner*.

4 CATTENATES. Hos quoq; Strabo lib. 4. recenset inter Vindelicos, sed uocat eos Clautenates. Hactenus de Vindelicis.

ABISONTES. Ptolemæus appellat istos Ambisontes, ponitq; eos ultra Aenum uersus septentrionem iuxta Danubij fluenta. Hæc tantùm de Noricis. Enumerat ultrà Plinius quatuor populos inter Lycum & Rhenum habitantes, qui suo & Ptolemæi tempore Rhætis annumerati erant. Horum autem nomina sunt.

1 RVGVSCI, hos Ptolemæus appellat Rheguscas, tenentq; meridiem, & uocantur ho-

tur hodie Rhingöwer & Rhintaler, de quibus suprà diximus. Nostro tamen tempore locum habent citra Rhenum, sed ubi & Rhæti nonnihil terræ habuerunt.

SVANETES. Ponit Ptolemæus & hos uersus Meridiem, uidenturq; mihi fuisse ducatus Sueuorum, qui hodie præfectura est, uulgò *Landtuogty*, circa Rauenspurg sita. 2

CALLVCONES, & secundū Ptol. Culucones, populi mediterranei, intra memoratos limites, & fortassis sunt Algoienses. 3

BRIXENTES. Hos Ptolemæus ponit uersus aquilonem iuxta Danubium. 4

Hactenus de Rhætis Transalpinis, nunc audi quid Plinius scribat de Lepontijs Transalpinis.

LEPONTII, de quibus Cæsar scribit lib. 4. morantur iuxta fontes utriusq; Rheni, & in solitudine Vrsellæ, cuius suprà quoq; meminimus.

IVBERI. Hos eodem iam cōmemorato capite Plinius uocat quoq; Viberos, & dicit eos esse Lepontios, habitantes iuxta originem Rhodani, quorum & suprà mentionem fecimus.

NAVTVATES. Hos Strabo lib. 4. uocat Nantuantes, & Cæsar lib. 3. Antuates. Est autem pagus quidam in Heluetia, qui hodie *die Vuat* & *Vchtlandt* appellatur, incipiens à Rhodano & desinens in Arolam.

SEDVNI. Horum ciuitas hodie Sedunum, lingua sua Subaudiensi Seon, & Germanicè *Sitten* appellatur, & est superior regio in Vallesia.

VERAGRI. Hi hodie sunt inferior Vallesia, quorum metropolis fuit Octodurus, ut scribit Cæsar lib. 3. modo autem appellatur *Martenach*. Per tractum illum fluit amnis quidam à monte sancti Bernhardi in Rhodanum, sicut & Cæsar asserit ibi duos confluere amnes. Sunt qui putant locum sancti Mauritij olim Octodurum nuncupatum, sed hi errant, quandoquidem & historia seu legenda illius sancti & sociorum eius exprimat & clarè ostendat, hos sanctos primum à montibus descendisse ad Octodurum, & inde ad Agaunum peruenisse, situm in angustijs Rhodani, atq; ibi martyrij supplicium pertulisse. Oppidum Agaunum nominatur nostro tempore Sanctus Mauritius, locaturq; in Veragris, & est clausura quidam seu montium porta uersus Antuates, qui ibi incipiunt, & extenduntur secundum cursum Rhodani & laci Lemannici usq; ad Iurassum montem & Arolam fluuium, de quibus suprà. Ab alio uerò latere Rhodani & laci Lemannici, habitant Veragri, extenduntur q; ultra sanctum Mauritium, & appellantur Pays du Gauott: & illi pertingunt uiq; ad regionem *Fusseneier*, qui Gallicè Fontenay, & Latinè Vallis bona appellantur. Plinius uerò lib. 3. cap. 4. appellat eos Bodiontios, & ciuitatē eorum Dinam. quæ hodie Donoy uocatur, collocatur q; iuxta Lemannicum lacum, infra quam Allobrogum regio incipit. Scribit præterea Plin. lib. 3. cap. 20. memoratos Octodurenses, qui hodie sunt Martenacenses Veragri, fuisse ciues Romanos. Hi autem omnes, uidelicet Seduni & Veragri, fuerunt postea uno nomine uocati *Vualliſſer*, sicut & libellus prouinciatū uocat Octodurum ciuitatem Vallensium. Est proinde Octodurus sita in prouincia Alpium, quæ scilicet Pœninæ appellantur: nam mons Pœninus apud Veragros est, sicut & Liuius dicit lib. 1. dec. 3. eos accolas esse montis Pœnini. Scribit autem in uertice illius montis olim honoratum fuisse deum à montanis illis hominibus, quem Pœninum appellauerunt, unde & huic monti nomen hoc relictum est, sicut & eadem ratione à quibusdam Latinis mons ille, mons Iouis uocatus est. Cum autem incolæ illius regionis ad Christianismum conuersi essent, cœpissentq; detestari dæmonum culturam & idololatriam, quàm in monte illo exercuerant, ubi scilicet dæmonum oracula & responsa accipere consueuerant, aduenit monachus quidam Bernhardus nomine ex ciuitate Augusta, & abegit per exorcismum humani generis inimicum, coegitq; in fœdam quandam illorū

Agaunum.

S. Mauritius.

Bodiontij.

Pœninus deus.

montium cauernam, ut fama incolarum habet, atq; inde aiunt montem illum dictum, maiorem sancti Bernhardi montem, in cuius summo uertice est extructū monasteriolum hospitij loco. Sunt autem qui montem Pœninum alibi statuere conati sunt, quod tamen satis probare nequeunt. Pro mea sentētia est Strabo lib. 4. qui claris uerbis sic scribit: Salassorum ager claudentibus rupibus utrinq; cinctus, Italis una per eam uallem uia est. Sunt autem Salassi hodie in ualle Augusta, uulgò *Ougstaler* appellati, inhabitantes uallem longam, ex qua multæ aliæ ualles utrinq; in montes segregantur. Tota autem regio ipsa cincta est rupibus, ut ex Italia (eu Taurinis angusta quædam uia in eam pateat: intrinsecus autem planicies quędam grandis inuenitur, quę Germanicè & Italicè *Bart* uocatur, sicut & olim quoq; Bardum appellata fuit. In hac ualle crescunt optimi fructus, uinum apianum, quod *Muscatell* uocant, & alia uini genera, uocaturq; *Ougstal*, à ciuitate olim Augusta Prætoria appellata, quæ in medio huius regionis sita est, id quod indicant Plinius & Ptolemæus: nostro uerò tempore est ciuitas episcopalis. Amnis Durias maior, quē hodie uocant, la Doria, fluit per Salassos, ut Strabo quoq; scribit. In hanc regionem & uallem unum duntaxat iter ex Italia per angustias rupium transit, & postea cum ad superiora regionis loca uentum fuerit, diuiditur hoc unum iter in duo itinera ultra Alpes, ut Strabo quoq; scribit libro 4. in hunc modum: Inde bifariam diuiditur, una per Pœninum, per Alpium summitates, itinere inaccessibilis. Idem eodem lib. A' Lugduno, &c. Pœnino cōuersio, cùm Rhodanum traieceris, lacum'ue Lemannum in Heluetiorum campos. Rursùm in eodem libro: Super Salassos in cacumine Ceutrones, & Caturiges, & Veragri, & Nantuates, lacusq; Lemannus, per quem Rhodanus effertur, &c. Traiecto itaq; Pœnino monte, in quo tantæ angustiæ sunt ut nullum uehiculum illud transire queat, ducit iter uersus septentrionem ad Rhodanum & ad Gebennensium lacum, atq; ad campos Heluetiorū, nempe ad locum *die Vuaat* dictum. Hæc satis probant Pœninum montem esse eum, qui hodie uocatur mons Maior sancti Bernhardi. Sed & uallis ipsa quæ est supra Augustam iuxta hos montes, omnino astipulatur nostræ sententiæ, quippe quæ à monte ipso uocatur Vallis Pœnina, & in lingua incolentium Vall Pelinna. Porrò Augustam illam Cæsar Augustus primùm fundauit, transtulitq; in eam tria milia Romanorum, qui urbem inhabitarent. Vnde Strabo: Tribus Romanorum millibus Cæsar Augustus missis, urbem Augustam habitandam tradidit, quo in loco Varro castra iam habuerat. Domuerat enim Varro ille Terentius Salassos in eo loco. Cæterùm Salassi originem duxerunt à Tauriscis, ut Plinius dicit, potueruntq; octo millia armatorum militum ex se ad militiam destinare, ut Strabo scribit. Altera proinde uia, de qua Strabo scribit, iter illud est priore multò tritior, quippe quæ & palustris permeabilis est, transitq; in Ceutrones per Alpes humiliores, quæ olim Alpes Graiæ fuerunt uocatæ. A' Bardo quidem ascenditur per unam uiam ad Augustam, ac inde diuiditur illa uia bifariam, ad dexteram & sinistram. Vnde Plinius lib. 3. cap. 16 Salassorum Augusta Prætoria iuxta geminas Alpium fauces, Graias atq; Pœninas, &c. Ad dextram extenditur iter per Pœninum, qui maior est mons sancti Bernhardi, & ad sinistram itur per uallem, & tandem per Alpes Graias, quæ modo appellantur mons sancti Bernhardi minor, & hæc uia ducit ad Ceutrones, quorum metropolis est Tarentasia ciuitas episcopalis, quæ lingua illius regionis uocatur Motier, quod Germanicè sonat *Munster*, idq; propter cathedralem eius ecclesiam. Regio Ceutronum hodie appellatur Tarentasem, idq; propter metropolim eius *Munster*. Vnde & liber prouinciarum rectè explicat, in prouincia Graiarum Alpium Tarentasiam esse metropolim Ceutronum, sicut in Pœninis Alpibus Octodurus Valesianorum caput cēnsetur. Ex Tarentasiorum ualle itur rectà ad Camerinum, quod hodie præcipua Subaudiæ est ciuitas.

Pœninus mons.

uitas. Notandũ quoq; hîc, in Plinij exemplaribus, ubi recensentur Alpinæ gentes, deprauata esse quorundam populorum nomina, ut sunt Calasi pro Salassi, & Acetauones pro Ceutrones.

MEDVLLI. Meminit Strabo lib. 4. Medullorum, dicitq; locum eorum esse iuxta Isaram infra Ceutrones, & quod termini eorum extendãtur ad Vocontios atq; Allobroges. Ptolemæus appellat eos Mendullos.

VCENNI. Hos Strabo uocat Iconios, uel ut quidam libri habent, Siconios, aut secundum alios Ideonnos, suntq; confines Medullis.

CATVRIGES. Horum populorum sedes est in Alpibus Cottijs iuxta Ceutrones in tractu montis Cinesij, quem uulgò uocant *Montanys*. Reliqua nomina intacta relinquo.

Valles quædam Alpinæ à latere Italiæ habent singularia negocia. Caput XXXV.

HAbent ualles illæ quæ à Summis Alpibus in Italiam excurrunt, præsertim quæ è regione Vallesiæ, Suediæ, & Curiensium Rhætorum sitæ sunt, & quarum suprà mentionem aliquam fecimus, ferè singulæ peculiaria quædam negocia, quæ in diuersis exercent regionibus: ut, exempli gratia, apud Salassos est *Ougstal*, uallis scilicet quæ confinis est Vallesiæ, in qua ferè omnes sunt institores. In *Vall* Sesia ubi Sesites originem sumit, cõmuniter habitant latomi seu cæmentarij. Item in ualle Oscela, uulgò *Eschental*, habitant Cuspiniani seu Cuspidum artifices, & qui per tornum fabrefaciũt scutellas. In ualle *Vegetz* quæ locatur inter *Luggaris* & *Eschentall*, quæq; confinis est ualli *Meintal*, sunt omnes incolæ fumarij & caminorum repurgatores, eiusq; rei gratia regnum Neapolitanũ, Siciliam, Franciam, Germaniam, & totam Italiam peragrant. Item in Galancka prope Mesaucum, omnes sunt resinarij & sportarum textores: at hi pleruncq; mendicant per regiones, ubi reliqui suis artificijs sustentantur. *Cuspiniani.* *Resinarij.*

Quibus literis olim Galli & Germani scribendo usi fuerint, & quando apud Germanos usus scribendi inoleuerit. Cap. XXXVI.

PRiscis temporibus, duæ duntaxat linguæ per Europam scribi consueuerũt, Græca uidelicet & Latina, quam & Romanam uocant: quapropter & duę illæ nationes omnes alios populos nempe Gallos, Germanos, Pannones, &c. illiteratos & barbaros appellauerunt, quòd scilicet peritiam scribendi non habe rent. Postquam uerò Græci ex Phocæa urbe Aeoliæ Asiaticæ profecti in Galliam, Massiliam, Antipolim, & alias quasdam urbes cõdidissent, ibiq; sedem collocassent, instituerunt succedente tempore scholas, docueruntq; pueros linguã suam, ut etiam posteris temporibus Romani illuc miserint filios suos, qui ibi discerent Græcam linguam. Sic enim scribit Strabo lib. 4. Eo tamen tempore Romani nondum erant magni alicuius nominis & potentiæ extra Italiam, nec lingua eorum apud Gallos & alias exteras nationes erat cognita. Cumq; Græci iam habitarent in Gallia, uicinique essent Gallis, cœptę sunt passim quędam Gallicæ uoces scribi Græcis literis, id quod Cæsar testatur lib. 1. se tabulas reperisse in castris, in quibus Heluetij scripserant Græcis characteribus omnia nomina sua, atq; numerum. Similiter lib. 6. de Druidibus scribit, quomodo illi Græca lingua res suas annotare cõsueuerant. Quin & Tacitus in lib. de Germanorum moribus, indicat quomodo in Rhætia & Germania quædam epitaphia reperta fuerint, Græcis literis insculpta lapidibus. Vsi itaq; sunt Galli antequam Romanis

subijcerentur, Græcis literis, quas procul dubio ab aduenis Massiliæ habitantibus didicerunt: sed ob id non introductus fuit usus communis, scribendi totam linguam suam Græcis literis, quin potius Cæsar domita & deuicta Gallia, coegit indigenas derelinquere nedum Græcas literas, uerùm & natiuam suam linguam. Tenuerunt enim Romani hunc morem, ut cogerent eos quos deuicerãt, uti lingua sua & Romanis literis, legibusq; suis conformes esse omnes gentes uolebant. Et hoc pacto in maiorem partem Galliæ introducta est lingua Italica, quæ est lingua Latina, sed plurimum corrupta, quàm cùm Galli homines barbari rectè sonare non poterant, eam usqueadeò corruperunt, ut Gallus difficulter intelligat Italum, & econtrà. Vocatur tamen ab eis Romana, quòd à Romanis eam didicerint. Et cùm Galli multò tempore sub Romanorũ imperio egissent, cœperunt quoq; usurpare linguam Latinam in causis iudiciarijs atq; literis conficiendis: & tandem ad hoc uentum est, ut tota Gallia atq; uicina Germania cœperint scribere Latinè, & quicquid magni ponderis fuit, annotarunt lingua Latina in schedis, uoluminibus, atq; publicis instrumentis. Quin & lingua Germanica, quæ antea nunquam fuit scripta, usq; ad tempora Caroli Magni Rom. Imperatoris & regis Galliæ, qui natus fuit apud Germanos in *Ingelheim* pago, duobus Germanicis miliaribus distante à Moguntia secundùm Rheni decursum, anno post Christum natum 801. sub isto inquam Imperatore primum cœpta est, scribi lingua Germanica, usum eius introducente industrio illo Cæsare, & singulari Germanicæ nationis fautore. Non tamen mox fuit Germanica lingua usurpata in causis iudiciarijs, priuilegijs, & alijs publicis atque arduis negocijs literis demandandis, quòd ea tunc non satis idonea & efficax censeretur, sed si quid efficax esse uoluissent & perpetuum, usi fuerunt lingua Latina, quę iam per Romanos & à Romanis Imperatoribus fuerat introducta, durauitq; mos ille scribendi usq; ad annum Christi 1200. aut circiter, tunc primùm cœpta fuerunt negocia aut dua scribi in Germanica lingua: atq; hinc est quod paucæ antiquæ literæ inueniuntur scriptæ Germanicè. At cum usurpari cœpisset Germanica lingua in publicis condendis literis, paulatim relegata est lingua Latina ex foris & consistoriijs, ut etiam nostro æuo omnes iudiciariæ causæ, actiones, conuentiones, libertates & priuilegia in nostra regione ab Imperatore, rege & principibus, Germanicè conscribantur. Hic usus inoleuit, ut iam diximus, ab anno Christi 1200, nõ obstante quod prius ante multos annos Germanica lingua per Carolum Magnum literis & scripturæ fuerit coaptata, quia nullius adhuc fuit efficaciæ, nec sigillum fuit ei adhibitum, sed solum profuit ad conscribendum rhythmicos libellos, & quæ quisquam domi atq; priuatim annotare uoluit. Sciendum præterea Germanos non habere proprios characteres, sed utuntur pro lingua sua scribenda Latinis literis, tametsi earum figuræ ex abusu quodam nõnihil corruptæ sint & in aliam formam detortæ, nemo tamen dubitare potest de eis, quin à Latinis sint mutuatæ. Literam k acceperunt à Græcis. Quemadmodum autem Germani conati sunt scribere linguam suam, sic Francigenæ idem tentauerunt in lingua sua corrupta: corruptam uoco, quòd sex sit Latinæ linguæ. Sic quoq; Hispani, Angli, Vngari, Bohemi, Poloni, & reliquæ Europæ nationes conatæ sunt linguas suas Romanis & Latinis literis scribere, cùm tamen olim Græcis literis tantùm Græca lingua, & Latinis Latina scribi consueuerint. Notandum proinde hoc loco, antiquam & primam Germanorum scripturam iam uix posse intelligi, non quòd lingua ipsa usqueadeò sit mutata, sed quòd maiores nostri qui primùm linguam Germanicam scribere tentauerunt, ægrè & cum magna difficultate potuerũt quasdam difficiles uoces & perplexas syllabas literis comprehendere, quæ ueram & genuinam exprimerent prolationem, quippe qui in ea re adhuc rudes & inexercitati erant, donec tandem ex continuo usu & longa experientia

Anni fusceptæ linguæ Germanicæ in literis.

rientia ingeniosiorum hominum diligentia adinuenit, quæ facilitati scribendi & proferendi uoces conducerent. Certè ueteres Germani nunquam usi fuerunt litera f, sed loco eius usi sunt consonante u, ut pro *frow, frœuel, frid, frœlich*, &c. scripse runt uroue, uræuele, uride, urouuelich. In monasterio S. Galli est codex quidã Euangelicus in membranis ante sexcentos annos scriptus, eo scilicet tempore quãdo paulò ante Germanica lingua cœpta est scribi: est autem Latinè scriptus, habens è regione Germanicam interpretationem, sed in qua ex quinq; aut sex dictionibus uix una à nostratibus intelligi posset, nisi collatio fieret Latini sermonis, quantumlibet à maioribus nostris, nostra utentibus lingua, scriptus fuerit. Hi qui Latinè sunt docti, poterũt utcunq; ex uerbis elicere sensum. Hanc linguarum immutationem parit tempus ipsum. Consonãtem u nos Germani proferimus corruptè instar f, id quod Itali minimè faciunt, sed proferunt eam ut nos proferre consueuimus literam duplicatam w, quæ genuina esse uidetur pronunciatio consonantis u. Excogitauerunt autem Germani literam w, quæ est u duplicatum, idq; ex Græco & Aeolico sermone, in quo fuit duplicatum ϝ, quem admodum scribit Dionysius Halicarnasseus historicus lib. 1.

ϝ Digamma Aeolicum.

De Germanicis Cancellarijs. *Caput* XXXVII.

CVm itaq; nostro æuo Germanica lingua scribi commodè possit, & Latinę linguæ characteres illam satis comprehendere queant, ad hoc tandem hominum curiositate uentum est, ut Cancellariarum & Consistoriorum scribæ rursum nobis Latinam linguam in media Germanica lingua obtrudere conentur, uix unam lineam sine admixtione Latini alicuius uocabuli scribentes, perinde quasi penuriam uocum habeant in Germanica lingua, sua confusione efficientes, ut multi boni uiri Latinæ linguæ peritia destituti, nesciant quid in multis locis intelligere debeãt, aut quid significetur per illam aut istam sententiam. Quid quæso isti aliud faciunt, quàm quod linguam nostram solidam, integram, impermixtam, & nulla alia inferiorem, corrumpere, imò contemnere studeant, aliena introducentes uocabula, cùm extraneę nationes nostram celebrem linguam nõ tanti faciant, ut uoces eius suis intermisceant? Hinc fit, ut post labentia tempora ignoretur quæ uera sit Germanica lingua. Apud ueteres Germanos nulla inuenitur Latina uox, Germanicæ admixta linguæ, sed modernorum scribarum turbahanc nobis confusionem facit, plus uolentes quàm oporteat sapere. Quare non magis scribunt, *bezugen*, quàm *protestieren*, *gericht zwang*, quàm iurisditio, *zug* uel *beruffung*, quàm *appellatz*, *ziehen* uel *beruffen* quàm *appellieren*, *kleger* quàm appellant, *antworter* quàm appellat, *laden* quàm *citieren*, *vereinigung*, uel *vertrag*, quàm *concordatz*, *anfos*, quàm *confin*, *beweren*, quàm *probi. ren*, *grunduesti*, quàm *fundament*, *widerlegen* uel *ersetzẽ* quàm *restituieren*, *verhefften*, quàm *arrestieren*, *oberkeiten*, quàm *potentaten*, *verpflichtung* uel *verschribung*, quàm *obligation*? & sic de alijs multis, ubi Latina miscentur Germanicis uocabulis, quandoquidem rectius ageretur si scriberentur uel solùm Latinè, uel solùm Germanicè, quæ scribuntur.

Quod Gallia olim usa fuerit Germanica lingua, potißimum Celtæ, hoc est, superiores Germani, ut sunt Heluetij, & inferiores, nempe Belgæ, qui sunt Colonienses. *Caput* XXXVIII.

MIhi dubium non est, Gallos olim Germanicè locutos, sed quam linguam à Romanis coacti sunt derelinquere, nisi quod idiotismos adhuc retinent Germanicæ linguæ, id quod in multis aduertere licet sententijs, quales sunt:

Que ha tu fait, *was hast du thon*, quæ ſententia Latinæ linguæ minimè reſpondet: nam non dicitur, quid habes feciſti. Sic: Ie lay fait, *ich habs thon*, id eſt, ego habeo feci. Item: Ie lay veu, *ich habs geſehen*. Vien auec moy, *kom mit mir*, id eſt, uenι cum me. Maine vie, *furs enweg*, ducuiam, pro deducas. I'lay cheuauche, *er hat geritten*, id eſt, ipſe habet equitauit, &c. In ſumma, uniuerſa lingua tenet Germanicę linguæ idiotiſmos, id quod probat Gallos olim Germanicè loquutos. Cumq; â Romanis ad Latinam cogerentur linguam, non poterant natiuos & conſuetos deſerere idiotiſmos, id quod & Apoſtolis contigiſſe ſcimus, qui Gręcè ſcribentes non poterant declinare Hebraiſmos. Sic itaq; Galli hodie habent linguam confuſam, & ex multis conſutam, conſtantem ſcilicet ex reliquijs Latinæ & Germanicę lin-

Vocabula Celticæ linguæ.

guæ. Ex Germanica lingua præter idiotiſmos habent quoq; adhuc multa uocabula in uſu, ut ſunt, harnois, Germanicè *harniſcht*, Latinè arma: itẽ, burgois, *burger*, ciuis: ſic, laſſe, *laß*, dimitte: riche, *rich*, diues: panciere, *pantzer*, lorica: heaulme, *helm*, galea: curaſſe, *kuris*, thorax: eſperons, *ſporen*, calcaria: dague, *degen*, gladius: haye, *hag*, ſeps: gerbe, *garben*, manipulus: bouc, *bock*, caper: eſpriuier, *ſperuuer*, accipiter: creuiſſe, *krebs*, cancer: banniere, *baner*, uexillum: aueugle, *onougen*, cæcus: banche, *banck*, ſcamnum: trouble, *trüb*, turbidum: emble, *heimlich*, ſecretè: nonnes, *nonnen*, moniales: tailler uel tranchoy, *teller*, diſcus: ſcire, *zerren*, lacerare: manche, *manglen*, carere: cuquelin, *kuechlin*, paſtilli: tettin, *tutten*, mamilla: grater, *kratzen*, fricare: gaingnie, *gewinnen*, lucrari: layt, *leidt*, *oder vngeſchaffen*, deformis: bacin, *beckin*, peluis: cuyſsin, *kuſſin*, puluinar: ſablon, *ſand*, arena: gloche, *glocken*, campana: tũ, tõdt, occide. Sunt & alia multa ſimilia, omnino Germanicis & non Latinis alludentia uocabulis: uulgus enim rude nõ potuit ab initio ſingulas Latinas uoces capere, atq; ideò plurimas retinuit ab antiqua Germanica lingua, tametſi illas quoq; lacerent & corrumpãt ſicut Latinas, nullam in pronunciatione rectè ſonantes. Neſciunt proinde illas Germanicas eſſe uoces, uſqueadeò ab antiqua Gallica exciderunt lingua. Scien dum quoque Romanos non potuiſſe id efficere, ut totam Galliam cogerent ad ſuam linguam, quia Heluetij pro maiori parte uſq; in hunc diem retinent ſuam antiquam Gallicam linguam, à qua nunquam deflexerunt. Idem iudicium eſt de tota linea Rheni uſq; ad inferiora Germaniæ loca, ubi bona pars Galliæ Belgicæ Rhenum contingit, ut ſunt Aquenſes, Leodienſes, Tungri, Colonienſes, & alij populi his confines, qui omnes utuntur antiqua Gallica lingua, quorum linguam nos ſuperiores Germani uocamus *Vuattlendiſch*, ob id quòd communiter s commutant in t, & aſpirationem mediam in c, ut *uuas*, *uuat*, *das*, *dat*, *ſprechen*, *ſprecken*, *obrest obret*, *geſtanden getanden*, &c. Retinuit quoq; Gallica natio iſta diſcrimina in lingua Romana, ubi coacti ſunt Latinè ſeu Italicè loqui, non ualentes omnino renunciare ſuæ locutionis proprietati, rarò ſcilicet utentes litera s, tametſi illam ſcribere cogantur propter Latinam linguam, unde uernacula eorum lingua eſt deriuata, ſed non pronunciant eam ex conſuetudine antiquæ ſuæ Germanicæ linguæ, in qua rarò uſi fuerant hac litera. Exempla: ſcribunt hodie voſtre, & pronunciant votre: ſic pro noſtre legunt notre, pro maiſtre maitre, pro eſtoit etoit, atq; in alijs ſimilibus hunc tenent modum. Hæc autem omnia huc tendunt, pro bantq; inferiores Germanos hodie tenere antiquam Belgicam linguam, & Gallos olim locutos Germanica lingua. Refert Cæſar lib. 1. apud Heduos ſuo tem-

Vergobret.

pore ſummum magiſtratus officium dictum Gallica lingua Vergobret. Eſt autem verg Germanicè *verggen*, quando ſcilicet magiſtratus cauſas exequitur & abſoluit. *Obret* uerò lingua inferiorum Germanorum apud nos eſt *obrest*, id eſt, ſummus ſeu ſupremus. Huiuſmodi ergo uox Germanica eſt, & quidem genuina, ſicut & hodie in multis locis apud Germanos Præſes appellatur *Vergger*, id eſt, executor: ſic *Schaffner*, qui negociũ aliquod tractat: & *Amman*, qui uir eſt officij: & *Ammeiſter*, officij magiſter: & *Burgermeiſter*, magiſter ciuiũ: & *Schultheis*, iuſſor & imperator debitorum

debitorum seu obligationum: & *Vergobreſt*, supremus executor, &c. Quod autem Heluetij quoq; Galli censentur, aliter autem Germanica utantur lingua quàm Belgæ, differentia solùm est in pronunciando. Deinde Belgæ rarò utuntur litera s, ut iam diximus, Celtæ autem ea frequenter utuntur, habentes linguã sibilatricem, sicut & qui Gallicanam inhabitant prouinciam, puta circa Auenionem, qui & ipsi Celtæ sunt, & more suo scribunt atq; legunt voſtre, maiſtre, &c. id quod reliqui Francigenæ non faciunt, atq; ideo inter hos & istos consurgit dissimen aliquod in una & eadem lingua. Vnde & Cæsar lib. 1. testatur, Gallos habere differentiam in lingua sua, in legibus & constitutionibus. Et Strabo lib. 4. scribit: Aquitanos, qui una pars sunt ex tribus Galliæ partibus, habitantq; iuxta montem uulgò *Runceuall* dictum, uersus Hispaniam, conformiores esse linguæ suæ & formæ Hispanis quàm Gallis. Sed nec reliqui Galli ubique locorum æqualiter loquuntur per omnia, sed in multis nonnihil inter se differunt, sicut & in gubernatione, moribus, & consuetudinibus aliquantulum dissimiles deprehenduntur, haud secus quàm nostra Germanica lingua hodie multifariam per Germaniæ partes discriminatur, tametsi una sit lingua. Vbi notandum Germanos, præsertim Sueuos, in lingua sua plus abundare literis quàm Gallos, nam scribunt, *teutſch*, unde & Teutones appellantur, *haus* domus, *graẅſen* horror, *thewr* carus seu pretiosus, *fleis* industria, *mein* meum, *dein* tuum, *auß* ex, *maul* os, *lauß* pedicus, *bedeuten* significare, *reuter* eques, &c. Heluetij uerò utuntur paucioribus literis, & inferiores Germani, id est, Belgæ, adhuc paucioribus, loquunturq; cum tanta festinatione, ut Heluetij illos intelligere uix queant. Sueui uerò & reliqui Germani longè difficiliùs illos capere possunt, quòd utrorumq; lingua plus inter se dissidij habeat in literis, quàm nostra Celtica & istorum Belgica. Vnde nõ mirandum, Ariouistum Sueuorum regem olim non potuisse bene intelligere linguam Belgicam, cùm exercitum suum traiecisset in Galliam. Nam licet Heluetij fuerint Celtæ, fieri tamen potest, quòd in regione illa & in ulterioribus illis Galliæ partibus, ubi Ariouistus bella gesit, incolæ usi fuerint lingua Belgica, quam nos *Vuatlendiſch* uocamus, ut suprà quoq; diximus, quæ lingua in multis Germanicæ linguæ est dissimilis, ut *lyff lieb*, dilectus: *op, uff*, super: *negt, nacht*, nox: *hilp, hilff*, auxilium, &c. Vnde refert Cæsar lib. 1. regem Ariouistum ex diutino usu didicisse linguam Gallicam. Fuit enim ea in interioribus Galliæ, uelociſsimæ prolationis, iuxta Rhenum uerò & in Heluetia tardiorem habuit pronunciationem. Porrò ultra Rhenum in Germania ipsa adhuc tardius proferebatur, potissimum in Bauaria & Austria. Nam illarum regionum habitatores utuntur literis ad superfluitatem, proferuntq; Germanicam linguam tardè, latissimè simul oris rictum distendentes. Sic itaq; Germanica lingua uersus ortum solis cõtinuò tardiorem habet prolationem, in Gallia autem citissimam habuit olim, & hodie quoq; habet, ubi adhuc Germanicè loquuntur. Porrò ob linguæ communionem, quam olim habuerunt Galli cum Germanis, appellauerunt Romani Teutones, præsertim in Sueuica regione ultra Rhenum habitantes, germanos, hoc est, fratres, quòd scilicet Gallis in lingua, moribus & quibusdam ritibus conformes essent. Beatus tamen Rhenanus putat Teutones Germanos dictos à Teutonicis dictionibus, quasi *garman*, id est, totus uirilis: uerùm hãc opinionem reijcit antiquus ille geographus Strabo lib. 7. in hunc modum scribens: Germani nonnihil imitantur Gallos, excellenti grauitate & magnitudine corporis atq; pallido colore, sed & aliarum rerum, specie, moribus, consuetudinibus, uitæq; conuersatione, quapropter Romani iustè illis nomen tribuerunt Germaniæ, perinde quasi uocarent eos fratres. Nam genuinos fratres Romani uocant germanos. Hactenus Strabo. Nec obstat nostræ sententiæ quod interdum per Cæsarem, Liuium, Suetonium, Plinium & alios quædam nomina Gallica uirorum aut

Erneſtus rex Sueuorum.

Germani no men unde.

rum aut mulierum aut aliarum rerum commemorantur, quæ iam Germanicæ linguæ non uidentur esse consona, quapropter quis cogitare posset Gallos olim alia fuisse usos lingua quàm Germanica: hæc inquam nemini mouere debēt: sed hic cogitandum, dictos historicos omnes Italos fuisse, qui non facilè potuerunt nomina & uerba Germanica iuxta suam genuinam prolationem scribere & pronunciare, addentes semper aliquid aut detrahentes: ut, si Germanus iubeat Italum proferre *knecht*, ille dicet *negt*. Sed & memorati Italici historiographi hoc unum curarunt in Germanicis dictionibus, ut terminationes earum formarent iuxta morem Latinarū dictionum, per quod illæ formam suam naturalem amittentes, obscuræ & imperceptibiles redditæ sunt. Item hæc uox *Rudprecht*, quæ Germanica est, si iubeatur proferri ab aliquo Italo, ille more suo pronunciabit *Robert*, sicut & nomen Robertus hinc deriuatum est: nam ille non poterit aliter pronunciare nomen *Rudprecht*. Sic ex Adelprecht Italus fecit Albertum, ex *Sigprecht* fecit Simpertum, ex *Vuildprecht* Philibertum, ex *Humprecht* Hubertum, ex *Lamprecht* Lampertum, ex *Trutprecht* Trupertum, ex *Gotzbrecht* Gospertum, & ita de alijs multis, quæ nomina scimus ortum sumpsisse ex Germanica lingua. Cùm autem Germanica nostra lingua Italis & Græcis nihil sonet, illi pro arbitrio suo torquent & formant nomina nostra ut uolunt. Hinc est quod nec Cæsar nec alij potuerunt scribere Germanica nomina & dictiones secundùm naturam & proprietatem earum, & nos Germani ubi tales dictiones inuenimus, cogimur coniectura quadam uti, & ex uerborum sensu elicere ipsam Germanicam uocem. Scribit Plin. lib. 18. cap. 18. Gallos adinuenisse formā atratri cum rotis, quàm sua lingua uocāt plammorate, quæ uox Germanica est, sed male scripta, debet enim esse *pflugradt*, uel *pflug mit radt*, quas uoces Plinius iuxta Germanismi proprietatem eloqui nequiuit. Rursum idem Plin. lib. 3. cap. 15. aut 16. dicit Pades Gallicè esse, Latinè piceam arborem, quæ scilicet fert picem, ubi ex *pæch* (si enim uocamus picem) fecit pades. Ab hac quoq; uoce fluuius Poy habet nomen Padus, quod iuxta originem eius crescant plurimæ piciferæ arbores. Scribit tamen Plinius eodem capite, Ligures, qui & ipsi Galli fuerunt, interq; Gallos habitauerunt, memoratum fluuium Padum sua lingua, quæ Gallica fuit, nominasse Bodincum, quòd idem Polybius testatur lib. 2. sonatq; Latinè fundo carentem. Fuit & ciuitas quædam hinc appellata Bodincomagus, sita iuxta fluuium Poy. Fundo autem carere, Germanicè sonat, *boden manglen*, quæ uoces magnam habent cōsonantiam cum Bodincomago. Rursum scribit Plin. lib. 17. cap. 6. Marga Gallicè, esse Latinè terræ adipem, Germanicè *erden marg* seu *kym*. Et lib. 3. cap. 16. idem scribit, Eporedicas in Gallica lingua sonare idem quod Latinè bonos equorum domitores, quod Germani uocant, *abrichter der rossen*. En uox ista *abrichter*, uocatur corruptè à Plinio Italico scriptore Eporediker. Item Suetonius in Galbam cap. 3. scribit, Galbam esse uocem Gallicam, sonareq; Latinè prępinguē. Sic enim in hunc usq; diem præpinguis apud nos irrisoriè uocatur *kalb*, id est, uitulus. Iterum Suetonius in Vitellium cap. 18. scribit, Beco esse uocem Gallicam & Tolosanā, significareq; Latinè rostrum gallinacei, quod nos iam uocamus *schnabel*: etiā à beco quoq; dicamus *becken*, id est, rostro ictum facere, quod auium proprie est. Scribit quoq; Polybius, populos Gessatas Gallica lingua sic uocatos, quòd mercede conducti in militiam ierint, sicut & in hunc usq; diem conducti serui uocantur *Gessel* seu *Gissel*, qui pro certo & conuento precio ad exequendum aliquid constituuntur. Ex his facilè quisq; aduertere poterit, priuatas uoces omnes ex Germanico deriuatas sermone, Gallicamq; linguam olim eandem fuisse cum Germanica. Quod autem historici eas dictiones plerunq; perperàm scripserunt, huius iam reddita est ratio. Quin & Cornelius Tacitus in libello qui intitulatur de Germanorum moribus, annotauit quoq; nonnulla Germanica uocabula, sed quæ parū modo,

Compositæ à brecht.

Bodincus.

Marga.

Eporedix.

Beco.

Gessatæ.

modo,ut superiora,lacera & manca inueniuntur.Is enim perpetuò est Italorum usus,ut nostras uoces nec scribere rectè,nec eloqui ualeant. Hic autem Tacitus scribit baritum pro *brech*,nerthum pro *erd*,frameam pro *pfriembd*,&c.Præterea om nes Germaniæ urbes habuerunt proculdubio Germanica uocabula,sicut & ho die habere inueniuntur,ut sunt *Nurnberg*, *Marchburg*, *Brandenburg*, *Lunenburg*, *Magdeburg*, *Vuirtzburg*, *Brunsuuig*, *Hildesheim*, *Stutgart*, *Rutlingen*, *Franckfurt*, *Erdfurt*, *Schuuinfurt*, &c. Elegans argumentum à locis.

Ptolemæus uerò Germaniæ celebriora loca recitans,paucorũ nomina commemorauit quæ ullum germanismum resipiant,nisi quod in quibusdã finalem terminationem non mutauit,ut sunt *Laciburg*,*Asciburg*,*Berg*,*Tulifurt*,*Lupfurt*,*Monogart*: at reliqua nomina quæ ponit,in nullo resipiũt germanismum. Sunt autem ista,Phileum,Setutanda,Tecelia,Phabiranum,Treua,Leuphana,Lirimiris,Marionis,Cœnognum,Cistina,Alistus,Bunitium,Virunum,Rhugium,Scurgum,Eucanitium,Mœuium,Aregeuia,Galegra,Susudata,Colancorum,&c. & alia quamplura,quę omnia recensita & omissa,germanismum resipere debuerant,si rectè & iuxta Germanici sermonis proprietatem à Ptolemæo scripta fuissent. Nunc autem cum ipsemet ea nomina non intellexerit,nec certè nec rectè potuit pronunciare,neq; iustè literis comprehendere.Sed ferendum hoc est atq; conniuendum ei,cùm Græcus fuerit atq; extraneus. Eadem ratio habenda est in Latinis historiographis,qui mentionem faciunt multorum nominum Germanicorum, ciuitatum & populorum,sed quæ ab eis pro maiori parte perperàm scribuntur; nec iuxta Germanicæ linguæ proprietatem sunt annotata, id quod accidit ex ignorantia eius linguæ,ut etiam pleraq; sic sint contorta & lacerata, ut nec Germanica sint,nec Italica aut Gallica.Quapropter in Germanica natione,nomina Germanica quæ passim inueniuntur, magis sunt commendanda & in lucem producenda,quàm inaniter uersari aut occupari in uocabulis deprauatis,& ad Latini sermonis normam detortis,atq; ex Germanico sensu in aliam uocem mutatis.Sic enim ex *Catzen einbogen*,quod uocabulum adhuc est in usu,uidebis emergere Cattos Melibocos,id quod Beatus Rhenanus pulchrè explicauit.Sic *Vuirtenberg* Intuergi,Bar regio Vargiones,*Zeringen* Caritni,qui olim fuerunt Ducatus Carinthiæ in Brisgoia situs,confinis scilicet Friburgo:id quod dico propter aliã Carinthiam,quam *Kernten* uocamus,& olim habitatores eius Carni uocati fuerunt,uicini Pannoniis.Libuit denicp hîc & hoc adijcere,quòd ciuitates & populi Germaniæ semper habuerunt nomina Germanica,sicut & in alijs linguis & nationibus,locis nomina fuerunt imposita secundùm cuiuslibet linguæ tenorem:ut in Italia,Florentia,Bononia,Pisa,Alba,Ostia,Ferraria,&c. Sic in Græcia secundum linguæ illius proprietatem,& item in Iudæa inuenies nomina locorum esse Græca & Hebraica.Idem iudicium est de alijs nationibus. Sunt tamẽ in Gallia & Germania quędam oppida,à Romanis uel reparata uel de nouo extructa,quæ retinuerũt nomina Romana,ut sunt Colonia Agrippina, Trophæa Drusi,Confluentia,Augusta Vindelicorum,Augusta Rauraca,&c.Non autem est mirandum quod Græci uel Latini Germaniæ nostræ loca & nationes non genuinis suis nominibus expresserunt,cùm nos Germani idem faciamus in appellationibus suorum locorum. Nam Italica loca pleruncp perperàm & corruptè exprimimus suis nominibus,ut Rhegium uocamus *Rætz*, Bononiam *Bolongen*,Mutinam *Moden*,Fauentiam *Fientz*, Ad puteum *zum Butzen*, Cæsaream Augustam *Saragossam*,Finem terræ *zum finsternsternen*, Apuliam *Pulien*,Brutios *Abrutzen*,&c. plerunque detrahentes aliquid aut adijcientes nominibus. Porrò in nationibus nobis uicinis Italica nomina sunt rectiora, quippe quæ consona sunt illi nationi & linguæ, nostra uerò appellatio illis omnino est dissona: & è diuerso in Gallia & Germania nomina Germanica sunt genuina, quæ uerò à Græcis

Carni.

Anthypophora.

Tutiones ea tiam extera corrumpũt.

Græcis & Latinis scriptoribus sunt data, corrupta atq; deprauata sunt, & obid incerta: unde Germanica denominatio longè est præterenda Latinæ & Græcæ denominationi, eò quod antiqua Germanica & Gallica nomina ab autoribus non fuerint accommodata locis & proprietati linguæ Germanicæ, sed magis ad Latinarum dictionum normam & terminationem detorta, aut uerius deprauata. In qua sententia mihi quoq; subscribit doctissimus Henricus Glareanus præceptor meus colendiss. Sed adhibenda sunt exempla. Certè Cæsar cùm reperisset Heluetiorum uirorum nomina Græcis literis conscripta, quædam desinebãt in χ Græcam literam, quæ facit ch, eò quod plurima Germanica nomina hanc habeant finalem terminationẽ, qualia sunt Friderich, Henrich, Dieterich, Adelrich, Vlrich, &c. quam finalem syllabam Latinus sermo ferre non potest, & propterea fecit Cæsar ex Græco χ literam latinam x, ut patet in his nominibus Orgetorix, Dumnorix, Cingentorix, Ambiorix, Vercingetorix, Eparedorix, quæ Gallica sunt nomina uirorum: nam Orgetorix est Horderich uel Erentrich, Dumnorix, Dumerich, Cingentorix, Sinnentrich, Ambiorix, Emberich, uel Heimrich, Vercingetorix Verrsinrich uel Seersinrich, Eparedorix Fridrich. Scribit proinde nonnihil Polybius Græcus lib. 1. de quodam Gallo, quem nominat Autaricum: ea autem uox Germanicè sonat *houptrich*; & hodie si cogeretur Italus proferre uocem *houpt*, pro ea sonaret ou:. Scribit & Cæsar lib. 5. de quodam Gallo, quem appellat Catiuulc, quæ uox Germanica est, nam sonat *Gotuolck*. Item lib. 7. Cotus inducitur, quæ uox est *Gotto*. Lib. 8. Cutruatus, id est, Gutrat uel Cunrad. Cicero in orationibus & Cæsar lib. 5. mentionem faciunt cuiusdam qui uocabatur Induciomarus Item Cęsar lib. 7. meminit Viridomari. Et Liuius decad. 3. libri 1. uocat quendam Ciuismarum: & decade 4. libri 8. Combolomarum. Item Florus Epitome 2. inducit quendam uocatum Britomarum. Omnes autem isti uiri quorum nomina iam sunt citata, fuerunt Galli: & in eam terminationem apud Germanos multa quoq; desinunt nomina, ut sunt Othmarus, Volmarus, Colmarus, &c. Putat autem Beatus Rhenanus syllabam marus significasse olim *meyer*, ut *Othmeyer*, *Volmeyer*, Induciomarus *Hussmar*, Viridomarus *Fridmar*, Ciuismarus *Cinßmar*, Combolomarus *Cunuolmar*, Britomarus *Bartmar*, & c. Cæsar lib. 8. Liuius dec. 4. lib. 8. mentionem faciunt Luterij, quæ uox est Germanica *Luther*, idem Lotharius. Liuius deca. 1. lib. 5. ponit Belloues, *Balduuys*, Sigoues, *Siguuys*. Item dec. 4. lib. 8. Ortiago, *Hordtiag*, uel *hertuuig*. Cæsar lib. 1. Diuico *Duffauig*, Castigo *Gastuuig*: & lib. 5. Vertico *Vuerduuig*. lib. 7. Ollouic *Alluuig*, Litauic *Lutuuig*, & hodie *Luduuig*. Liuius dec. 5. Cincibilus *Zinsubel*. Dec. 7. lib. 1. Bituit, id est, *Butwyt*. Iustinus in Pompeium Trogum lib. 43. Senanus *Sunman*, Commanus *Cunman*, Caromandus *Garmanman*, *Gutman*. Item Cæsar lib. 1. Numeius *Nuwmey*, Verodoctius *Vuerdhoch*, Cataman taledus *Caltenmantel*. Scribit præterea Strabo lib. 4. Celtas in Gallia à sui æstimatione adeptos hoc nomen, quod fortassis reliquis nationibus celsiores æstimarentur fuerint, & ideo Celtæ appellati. Polyb. lib. 4. & Liuius dec. 4. lib. 8. scribunt de quodam Gallo, cuius nomen fuit Brenno: est autem Brenno Germanicum uocabulum. Meminit quoq; eius Strabo lib. 4. asserens eum à quibusdam appellari Prausum: est autem *prusen* in Italica lingua idem quod *brennen*, id est, comburere, in Germanica. Item Liuius deca. 3. lib. 1. Mœnicaptus, *manshoupt* uel *menschenkopff*. Deca. 4. lib. 8. Lomnorius, *Lonherr* uel *lõwenherr*, unde postea natum est nomen Leonhardus: sicut ex *bernherr*, id est, ursorum dominus, olim deductum fuit nomen Bernarius, quod modò nominatur Bernhardus. Sic Erasmus Rot. putat nomina ab ingenio dicta, quibus nos aspirationis nimis auidi, h apposuimus: ut,

Glareani opinio.

Autaricus.

Celtæ, Geltæ.

Lõwen	art	Rich	art	Er	art
Bern	art	Gott	art	Rein	art

Vuolff

Volff art Engel art Geb art
Geyr art Eber art

Meminit præterea Polyb. lib. 4. cuiusdam Galli qui Cauarus fuit uocatus: & Cæsar lib. 5. etiam mentionem facit Galli, cuius nomen fuit Cauarinus: & lib. 7. Cauarillus, quæ omnia unum sunt nomen, quod in inferiori Germania uocatur Geuuer, & in superiori, *Gæber*: & hinc compositum est nomen Gebhardus. Cæsar lib. 1. scribit de Ariouisto Germanorum rege, & Polyb. lib. 2. scribit de Aneroeste Gallorum rege: en uterq; autor nequiuit ex ignotantia Germanismi rectè proferre & scribere hūc regem, qui absq; dubio fuit Ernestus, uulgare in Germania nomen. Antiqui denicq; Galli cùm olim in Italiam primam fecissent profectionem, condiderunt iuxta montem quendā ciuitatem, quam & à monte ipso Bergomum uocauerunt. Et ut in summa dicam, omnia Gallica nomina quæ à uetustioribus autoribus citantur, plurimū alludunt Germanicæ linguæ: & ob id non frustra asserit Strabo Germanos Gallis esse in moribus cōformes, essecq; fratres eorum, id quod probat nomen Germaniæ, lingua ipsa, similis conuersatio, morumq; conformitas, quæ tanta olim inter utrancq; nationem fuit, ut parum discriminis licuerit inuenire inter hunc & istum populum, ut suprà fusius declarauimus. Ostendimus quoq; suprà non omnes Gallos acceptasse linguam Italicam, sed quidam manserunt in lingua sua uetusta, puta Germanica, præsertim Heluetij & Cisrhenani. Ex Heluetijs tamen quidam olim acceptarūt linguam Romanam, potissimum illi qui habitant in tractu illo qui â Gebenna extenditur usq; ad Friburgum & Bernam, quæ ciuitates longe pòst extrūctæ fuerūt. & hi usq; in hunc diem tenent linguam illam à Romanis introductam. Qui uerò habitant è regione Vallesiæ superioris, per longum terræ tractū usq; ad Vespiam, & hinc per *Brig, Naters, Munster, Gomsch*, usque ad Rhodani ortum, omnes adhuc tenent autam suam Gallicam linguam, hoc est, Germanicam, quam nunquam abnegarūt, quantumlibet altissimis cincti montibus, à reliquis Germanis quodammodo sint sequestrati, nec eos facilè possint adire, nisi prius apices Alpium transcendent, per quos illis aditus patet ad Vranos & Bernates. Habent alioquin intra montes planiciem pulchram, & sunt eis in descensu Rhodani confines alij Vallesij, cum quibus quotidiana ferè exercēt negocia: at illi omnes utuntur moderna Gallica lingua, ut sunt incolæ *Visbach, Raren, Siders, Lough, Sitten*, & habitatores totius tractus Sedunorum, qui communiter hodie appellatur Vallesia, & uulgò *Wallis*. Et si ultrà processeris, uenies ad inferiores Vallesios, qui olim Veragri appellati fuerunt, ubi scilicet sunt oppida *Gundis, Martenach*, S. Mauritius, &c. qui omnes hodie Gallica & Subaudiensi utuntur lingua. Scribit Liuius decade 3. lib. 1. quod suo tempore Veragri iam memorati fuerint semigermani, quātum attinet ad linguam. At in eo loco nemo hodie intelligit Germanicam linguam, neq; in superioribus, ut iam quoq; diximus. Porrò in locis adhuc inferioribus, nulla alia præter modernam Gallicā intelligitur lingua. Elicitur ergo ex Liuij uerbis, Romanam linguam in illis locis inualuisse, Germanicam autem sensim defecisse: quin tempore Liuij, populi infra Veragros in Galliæ partibus habitantes, iam pro maiori parte acceptauerant linguam Romanam, eamq; extenderāt usq; ad Veragros, qui sunt Vallesij inferiores, habitantes iuxta montem Pœninum, qui hodie mons sancti Bernhardi appellatur, ubi scilicet eo tempore Germanismus atq; Romanismus commixti erant, & tandem ibi utriusque linguæ limes est factus. Cùm itaq; Liuius Veragros appellet semigermanos, satis indicatur propter linguas eos sic appellatos, & quod Galli atq; Germani unam habuerint linguam, nempe Germanicam, qua etiam in hunc usq; diem utuntur superiores & præsides qui sunt in Vallesia, nec unquam illam ablegarunt. Præterea non inuenitur, populos illos tanq; colonos illuc aliunde & extra Galliā translatos fuisse.

Ariouistus, Ernst.

Germani Gallorum fratres.

Nec

Nec uoluit Liuius dicere, Veragros natione fuisse Germanos, quando eos uocat semigermanos, cùm longè distiterint à Germania, nempe itinere quatuor dierum, tantum enim tempus opus est cursori, qui à Veragris rectà petit Rhenũ Germaniæ limitem, interposita magna Galliæ regione, puta Heluetia & Raurac corum agro. Sed nec usquam inuenitur, tempore Liuij aut ante eum Germanos in illa regione ullum habuisse prædium aut possessionem. Scribit Cæsar lib. 3. se habuisse exercitum in Veragrorum terra, nempe Octoduri, qui locus hodie *Martenach* appellatur, qui & aliquãdiu ibi perstiterit & pugnarit. Item cùm Cæsar Heluetios deuicisset, misit reliquias domum, hoc est, in Heluetiam, ne scilicet uenirent Germani & occuparent eorum loca. En, si Germanis non fuit concessum à Romanis habitationem quærere in Heluetiorũ terra, multò minus licuit eis nidificare in Vallesia, loco distantiori. Licebit denique à locis petere efficax & elegans argumentum, Gallos olim usos Germanica lingua, à locis inquam & oppidis, quæ hodie locantur inter eos qui loquuntur uel Italicè uel Gallicè, oppidorum autem illorum habitatores loquuntur sicut & semper locuti fuerũt, Germanicè: ut sunt hi qui habitant prope originem posterioris Rheni, & qui habitãt circa fontes Rhodani. Quin & ultra Alpes apud Insubres, qui hodie Lombardi uocãtur, in ualle Sesia, in qua amnis Sessites oritur, est magna parochia Presmello appellata, quæ Germanica utitur lingua. Item in ualle Oscela, quæ uulgò appellatur *Eschental*, est magna parochia, dicta *Bonmat*, & pars quędam est in ualle Antegoriæ, ubi omnes habitatores Germanicè loquuntur. In ualle quoque quæ uulgò *Meintal* uocatur, est parochia quædam in qua homines Germanica utuntur lingua, etiam cùm nulla ex parte limites attingat Germaniæ. Et certè hi omnes reliquiæ sunt antiquorum Gallorum, qui olim citra & ultra Alpes habitauerunt, & fortassis ob id à Romanis neglecti fuerũt, & ad Romanam linguam minime coacti, quòd solitudinibus essent cincti, & nullis publicis itineribus expositi, & propterea in trãquilla possessione dimissi, sicut & bona pars Heluetiorum, qui omnes priscam & natiuam retinuerunt linguam. Alioquin unde putas Germanicam linguam ultra Alpes translatam, nisi per antiquos Gallos? præsertim cùm illarum uallium & locorum habitatores ignorẽt unde descenderint, & constanter affirment se & maiores suos semper Germanicè locutos. Asserit etiam Polybius lib. 2. paucos olim, cum Romani Gallos ex Italia pepulissent, remansisse iuxta Alpes Italiæ, atque illic collocasse sedem. A' Presmello uallis Sesiæ parochia, ubi omnes loquuntur Germanicè, usque ad Vercellam uel Nouariam, non est nisi unius diei iter. Est proinde in Lombardia non longè à lacu Verbano, uilla quædam nomine *Vrnauasch*, in qua incolæ quoque loquuntur Germanicè, sed non sunt ex antiquorum Gallorum reliquijs, quin magis intra aliquot annorum centenarios ueluti proscripti ibi sedem fixerunt, cum scilicet quidam Germanus Imperator limina uisitaret Petri & Pauli, & illi gratiam eius obtinuissent: tunc inquã fuit eis locus ille sub certis conditionibus & legibus concessus, idque ab Imperatore Ottone, si rectè memini, à quo & priuilegia habent suæ locationis, id quod mihi retulerunt incolæ illius loci. Sciendum præterea, modernos Gallos interpretem appellare *Truschemã*, quæ uox non est deriuata à lingua Latina, cum nihil affinitatis habeat cum uoce Interpres, sed magis uidetur esse Germanica, significans *tütschen man*, hoc est, Germanicũ uirum, relicta inter Gallos à priore sua Germanica lingua. Nam cùm Romani aliquos habuerint qui calluerunt Gallicam linguam, ut Cæsar scribit, appellauerunt procul dubio Galli talem interpretem *Teutschen man*. Habuerũt proinde Galli nomina Teutonica, ut sunt Teutomatus, de quo Cæsar lib. 7. & Teutomalius, cuius meminit Florus in epitome 7. decadis Liuij, quæ nomina Teutonismũ præ se ferunt: non quòd uelim ex Gallis factos Teutones, sed quòd usi fuerint lingua Teutonica, sicut nec omnes Germanica

Interpres, Trũschemã.

tione

tione Teutones censentur, sed linguæ communione, cùm Teutones priuatum quendam in Germania occupent tractum, haud secus quàm Latini in Italia, & tamen tota Italia olim usa fuit Latina lingua, at propterea non omnes natione censebantur Latini, sed lingua tantùm. Scribit denique Polybius lib. 2. Venetos iuxta mare Adriaticum habitantes, olim moribus & uestitu Gallis in Italia habitantibus fuisse per omnia conformes, excepto quòd in lingua cum eis non communicarunt, unde colligitur Gallos tunc aliam habuisse linguam, ut in superioribus iam sæpius commemorauimus.

CLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO VIRO, DOMINO BEATO RHENANO,

Aegidius Tschudus à Glarona, S. D.

Disputatio de nomine Germaniæ.

BIS redditæ sunt mihi literæ tuæ, uir humanissime, unà cum libello gestorum Ariminij: sed cùm primas accepissem non potui mox respondere, impeditus Gallica legatione, quæ & quadrimestri tempore in Gallia me retinuit. Reuersus autem ne deessem amico, uoluit breuibus respondere, quid mihi in quibusdam locorum & populorum nominibus uideretur. Et principiò quidem, cùm tibi uideatur Lentienses non esse Lintzgoios iuxta lacum Podamicum habitantes, sed magis eos qui habitant circa oppidum *Lentzkirch*, magis mihi tua quàm mea arridet opinio, atq; ob id libens cedo. Deinde cùm scribas me nimium tribuere Straboni uiro Græco & externo, quando ille dicit, Germanos sic dictos, quòd fratres fuerint Gallorum ob morum conformitatem, &c. referam quid me mouerit ad credendum huic Græco autori externoq; uiro. Primò, Strabo diligentius conscripsit Alpes, Alpinas gentes, Rheni ortum, lacum Podamicum, Heluetiorum, Rhætorum, Vindelicorum, Gallorum, Germanorũ, Italorum, atq; aliorum populorum regiones, quàm ullus fecerit Latinus autor, diligentissimè singulorum populorũ loca & situs commonstrans, non quòd sua persona has regiones omnes lustrauerit, sed Germani quidam & Galli hæc omnia sibi suppeditauerunt, aut certè ingenioſi quidam milites, qui bellorum occasione omnes istas lustrarunt regiones. Vide quæso quàm oscitanter Cæsar describat ortum Rheni & cursum eius, tiegligens & Rhætos apud quos oritur, & lacum Podamicum quem efficit. Tacitus quoq; & Ptolemæus nullam faciunt mentionem de hoc lacu: & Mela obiter meminit nominis eius. At Strabo diligenter eum describit, referens etiam qui populi & regiones ad illum usq; pertingant. Si ergo uir ille in minutis his disquirendis tam diligens fuit, quis dubitet eum nõ diligentiorem fuisse in inquisitione magni illius Germanorum nominis? Et hic quidem nihil ex cerebro suo, sed quod alij experti uiri ei suggesserunt, hoc scripsit. Commendanda est igitur huius Græci uiri diligentia, & magnis præconijs extollenda, & nequaquam tantus autor contemnendus, quòd longè à nobis disitus fuit. Si in minutis rebus uerax deprehenditur, ut iam indicauimus, quis non credat ei in maioribus, præsertim in his quæ de Germanorum scripsit nomine? Vixit quidem ante Tacitum, & ob id uerisimiliora sunt uerba eius quàm Taciti, qui scribit nomen Germaniæ uocabulum esse recens, etiã cùm Cæsar & alij quamplures longè ante eum mentionem fecerint Germanorũ. Quin & Liuius indicat se reperisse apud antiquos autores, tempore Tarquinij Prisci, Germanos in Italiam profectos, &c. Vnde igitur est ut Tacitus ex Germania nouum faciat nomen, nisi quod somnium capitis sui scribit, sicut & de origine Iudæorum & ueneratione Christianorum simulia prodidit somnia? ob id Tertullianus in Apologetico cap. 16. eum reprehẽdit, uocatq; fabulam mendacem, id quod Straboni ab antiquis autoribus nunquam

factum legimus. Verisimile igitur uidetur esse id quod scribit de Germanis, nempe eos à Gallis Germanicè loquentibus uocatos fratres, qui usus apud Heluetios quoq; hodie inuenitur. Et cùm postea Romani Galliam obtinuissent, didicerunt à Gallis nomen illud, transtuleruntq; in linguam suam, & uocauerunt fratres illos, Germanos.

Deinde Tacitus non apertè dicit neq; interpretatus est, nomen Germaniæ esse Germanicum uocabulum, ut sit idem quod *garman*, id est, totus uir, cùm alioquin Germanica uocabula uerterit in linguam Latinam, qualia sunt, *brecht*, *herd*, *pfriem*, &c. Quare igitur & præcipuum uocabulum Germanicæ nationis non uertit in Latinam linguam, si est Germanicum? Notata fuisset proinde in maioribus nostris magna ambitio & præsumptio, si sese hoc ambitioso nomine reliquis nationibus prætulissent, denominassentq; *Garman*. Addo & istud, uocabulū ipsum Garmaniæ non sic omnino fuisse extinctum in Germania, si fuisset uox Germanica, potissimum cùm fuerit summum & præcipuum uocabulum huius gentis, posteaquam particularium gentium nomina non sint apud uulgares homines obliterata, qualia sunt Phrisij *Friesen*, Sueui *Schwaben*, Saxones *Saxen*, & alia quædā, & tamen populi isti solùm membra fuerunt totius Germanicæ nationis, sed retinuerunt in uulgari lingua nomina sua antiqua, etiam cùm illa nihil significent in Germanica lingua. Quid igitur accidit ut interciderit summum Germaniæ nomen, si fuit compositum ex dictionibus Germanicis significatiuis, nempe ex *gar* & *man*? Et certè nullus hodie in Germania inuenitur populus, qui in ipsa Germanica lingua nomen retinuerit Germaniæ, sed solū apud Latinos inuenitur, hanc nationem Germaniam uocatam.

Tertiò dicit Tacitus, quòd à seipsis inuento nomine Germani uocarentur: & quidem hęc uerba Strabonis sententiam nonnihil confirmant, & non eneruant, cùm in hunc usq; diem huius nationis consuetudo sit, à maioribus ueluti per manus tradita, ut sese in bellis fratres compellent, ita ut etiam duces exercitus, quando milites alloquuntur, eos fratres uocēt, quos Romani olim commilitones appellauerunt, & aliæ nationes more quoq; suo uocant. Nam quum Romani olim tubis aut tympanis milites ad uigiliam adhortabantur, uel aliud quippiam intimare satagebant, dicebant: Audite populi, uel commilitones. Galli uerò clamāt: O compagnoni, id est, heus socij: & Heluetij sic, *Alſo ir herrn*, id est, heus ô domini: alij autem populi suos acclamāt more suo. At Germani ab antiquo milites suos sic acclamant: *Alſo ir brȳder*, hoc est, heus ô fratres: unde proculdubiò ab exteris nationibus & ante multa tempora illis datum est Germaniæ nomē. Et hic quidem mos est Heluetiorum, ut Germaniæ populos fratres uocitent. Consonat quoq; sententiæ Strabonis, quòd Romani uocabulum Germanorū populorum semper acceperunt pro fratribus. Velleius Paterculus lib. 2. ubi mentionem facit de execratione, quæ Consulibus Lepido & Planco triumphātibus fiebat, quorum fratres proscripti erant, ait illis acclamatum: De Germanis, non de Gallis, duo triumphant Consules: ubi loquuntur obscurè de fratribus Consulum, & periocum incessunt Consules ipsos, perinde quasi Germanorum populorum uictores fecerint triumphum. Si itaq; uox Germanus, fuisset uocabulum Teutonicū *Garman*, minimè quadrasset huic ioco. Dicit proinde Tacitus, Germaniam frugiferarum arborum esse impatientem: & quidem fieri potest quod suo tempore nulla talis arbor in ea plantata fuerit, nihilominus terra ipsa semper fuit & est hodie in multis locis frugifera feraxq; uini, ut in Franconia, iuxta Neccarum & alibi. Cùm itaq; proprios antiquos autores non habeamus qui Germaniam ipsam descripserint, sed confugere oporteat ad exteros, Latinos & Græcos, uidetur mihi Strabo omnibus præferendus, qui diligentius cæteris quæquæ inuestigauit,

Ioannes Auentinus, qui Bauariæ antiquitates descripsit, & uetusta nomina dili-

ligentet

ligenter elucidauit, in hoc uno mihi non satisfacit, quando scribit Augustam Vindelicorum non esse eam, quę hodie locatur prope Licum, quodq; Vindelici citra Licum uersus lacum Podamicum nihil dominij habuerint, sed iuxta Ptolemæi sententiam habitarint inter Licum & Aenum, id quod omnino est contra sententiam Strabonis, qui scribit Vindelicos attigisse lacum Podamicum. Facilè quidem assentior, tempore Ptolemæi & antè, Vindelicorum tractum inter lacum Podamicum & Licum, iam Rhætorum regionibus assignatum, & omnes has regiones in unam redactas prouinciam: sicut & apud Heluetios postquam intercidit nomen ipsorum, pars quædam Sequanorum prouinciæ fuit ascripta, nam Ptolemæus ponit Auenticum inter Sequanos, quod tamen tempore Tacitj Heluetiorum metropolis fuisse scribitur, & pars alia fuit Rhætiæ adiuncta, sed quæ postea Alemannis unà cum memoratis Vindelicis, qui sedem habuerunt inter Licum & lacum Podamicum, sese obligauit. Quod uerò Auentinus illam terræ portionem contra Strabonis mentem dicit perpetuam Rhætiam fuisse, & Augustam in ea sitam, Augustam Rhætorum uult esse, statuens interim iuxta amnem Iseram aliam Augustam Vindelicorum, nullo fulciri potest autore. Hoc enim pacto liceret arguere ex Ptolemæo, Auenticum nunquam Heluetiorum fuisse, sed Cannodurum tantùm & Forum Iulij, iuxta Rhenum atq; intra Heluetiorum limites sita: sic enim Ptolemæi tempora locata deprehenduntur. At ex Antonini Itinerario facilè probatur, hanc eandem Augustam quæ iuxta Licum collocatur, Augustam esse Vindelicorum, quæ & illo tempore adhuc habuit nomen Vindelicorũ, non obstante quod citra Licum in prouincia Rhætorum sita esset. Nam erant adhuc illius regionis habitatores Vindelici, etiamsi Rhæticæ prouinciæ accenserentur. Ponit proinde Antoninus duo itinera, unum à ponte Aeni Isinisca 20. M. p. Ambre 32. M. p. Augusta Vindelicorum 27. Aliud à Blodro Quintianis 24. M. p. Augustis 20. Regio 24. Abusnia 20. Vallato 18. Summuntorio 16. Augusta Vindelicùm 20. M. p. Describit quoq; itinera quædã, quæ ab Augusta Vindelicûm ultra progrediuntur, unde facilè cõijci, imò inferri potest, Augustam ipsam non iuxta Iseram, sed iuxta Licum sitam. Tantum de nomine Germaniæ.

Emendanda in hoc libro.

Vbi scripsi de Octodoro Veragrorũ, qui locus hodie uocatur *Martenach*, opus est castigatione: nam situs eius nõ est iuxta Rhodanum, sed nonnihil elongatur ab eo, locaturq; supra amnem quendam à monte Pœnino deriuatum, qui postea quoq; miscetur Rhodano.

In probatione Pœnini, omisi citationem itinerarij Antonini, quòd plurimum huic loco conducit.

Distinctionem seu diuisionem pagorum Helueticorum in Mappa feci secundum coniecturas, incertus num *Vchtland*, *Friburg*, *Bern*, & quicquid locorum est iuxta Sanam & Arolam, olim pertinuerint ad Antuates. Videntur tamen mihi Antuates olim ea occupasse loca, quæ hodie uocantur *die Vuaat* Incipit autem tractus *Vuaat* à Versois iuxta lacum Lemannum, & extenditur secundum eum lacũ usq; ad Vallesiam, ac deinde recuruatur ad lacum. Nevvenburgensem, uergens usq; ad *Murtten*, complectens scilicet Yuerdon, *Stæfis*, *Milden*, *Betterlingen*, *Vuiflispurg*, & *Murtten*, uocaturq; Gallicè Pais du vaut. Putant autem Galli per Vaut intelligi uallem, cùm tamen nulla sit uallis iuxta lacum Lemannum. Est igitur Vaut & *Vuaat* uestigium nominis Antuatum, etiamsi Galli torqueãt uocabulum ipsum, ut in lingua sua aliquid significet.

De Equestri colonia, quam Plinius Belgis adscribit, iam nonnihil quoq; dicendum. Et quidem Plinius ponit Iuram limitem inferiorem Narbonensis &

Belgicæ. Equestres autem, ut Antoninus apertè dicit in suo Itinerario, sunt citra Iuram iuxta lacum Lemānum. Ptolemæus quoq; ponit eos in Belgica inter Sequanos, sicut & Auenticum, & dicit Lemannum lacum esse in limite inferiori Narbonensis atq; Belgicæ, unde infertur Equestres sedem habuisse in latere illo Lemanni quod Iuram respicit. Locus autem ille cōiicitur esse Neuidunum, sicut & liber prouinciarum meminit Neuiduni Equestrium, quæ ciuitas hodie uocatur Neuis, in Gallica lingua Neau. Sunt autem à Neuis ad Losannam sex paruæ leucæ, quæ faciunt 22. M. p. poteruntq; equestri itinere superari tempore quinq; horarum & dimidiæ, itinere nunquam à lacu deflectente. Et Antoninus ponit ab Equestribus lacu Lausuno 20. M. p. quæ distantia nihil ferè differt ab ea quæ est inter Neuis & Losannam. Hoc tamen me hîc urget, quod Antoninus primū commemorat Equestres, ac deinde lacum Lausunum, perinde quasi ab Equestribus traiecerit lacum ad Lausunum: alioquin si prius ad lacum uenisset, feciſſet illius mentionem: aut si per Gebennam & terram ipsam profectus fuisset, urbem quoq; ipsam cōmemorasset. Hac itaq; ratione habita, Equestres sedem habuisse uidentur citra lacum circa ciuitatem Dunoy, quę uox nomini Neuiduni nō male respondet, & tunc nomina Dina atq; Bodontij pop. essent in tabula nostra è situ suo expungenda. Non enim parum me mouet liber prouinciarum, qui nominat ciuitatem Neuiduni, ubi mihi uidetur locus esse Dunoy. Illa enim, si urbis magnificentiam & splendorem spectes, dignior est nomine ciuitatis quàm Neuis. Habet proinde regio illa titulum, Pais du Gauot, uel Pais du Chabeul, & terra ipsa uocatur Chablois, idq; fortassis à caballo, id est, equo, unde & incolæ Equestres sunt appellati. Neq; ineptè poterit ciuitas Dunoy assignari Sequanorum prouincię, quòd scilicet situs eius sit citra Lemannum lacum, quando quidem sub archiepiscopatu Bisantino sit episcopatus Bellicensis, qui Gallicè Belley uocatur, & qui adhuc longius in meridiem extenditur, infra Tarantasios scilicet sedem cōsecutus. Possibile autem est quod episcopatus ille olim à Dunoy translatus fuerit in Belley.

Notandum quoq; hic, quòd liber prouinciarum ponit quinq; ciuitates in prouincia Sequanorum, nempe metropolim Vesontium, uulgò *Byſantz*, ubi est archiepiscopatus: Neuidunum Equestrium, Dunoy uel Neuis: Auenticum Heluetiorum, *Vuifelſpurg*, quòd iam defecit: Noidenolex Auenticus, *Nüwenſtatt* iuxta lacū Gebennensem, aut Losanna, ubi est episcopatus. Nam utraq; ciuitas situm habet intra limites Antuatium. Basilea, *Baſel*, &c. Deest itaq; diœcesis Auentica. Posset uerò aliquis rursum moueri inscriptione illa quæ est in Versois, qui locus distat à Neuis 2. M. p. Neuidunum idem esse cum Neuis, cùm tamen inscriptio illa, ab illo lacu latere à Colonia Equestri, Quadrumuiro à Sisi, Valerio Asiatici liberto, ex Testamento sit erecta. Verūm hæc tuo acri relinquo iudicio, cui & libenter subscribam, sciens me crassioris esse ingenij, quàm qui tricam illam dissoluere queam. Porrò Sisi ciuitas situm habet iuxta Rhodanum, inter Gebennam & Lugdunum.

FINIS.

AVTHO

AVTHORES E' QVIBVS VETERA HAEC NOMINA DESVMpta sunt.



ELVETII populi, *Schwytzerland oder Eydgenossschafft.* Cæsar, Strabo, & alij.
Eorum pagi quatuor, ait Cæsar lib. 1.
¶ Rauracus pagus, *Turgöw.* Locus suspectus. Cæsar de ortu Hercyniæ syluæ, & Solinus cap. 18.

In eo continentur.

Arbor felix oppidum, *Arbon.* Antoninus Augustus in Itinerario.
Acronius lacus ex Rheno, *der Bodensee.* Pomponius Mela lib. 3.
Cannodurum ciuitas, *Constentz.* Locus suspectus. Ptolemæus.
Fines oppidum, *Pfin.* Antoninus Augustus.
Vitudurum oppidum, *Vuinterthur.* Antoninus Augustus.
Venetus lacus ex Rheno, *der Vndersee, oder Zellersee,* Mela.
Forum Tyberij, *Zurzach.* Ptolemæus, sed potius crederem *Zürich* esse.
Eremus Heluetiorum, *Kleckgöw, Schwartzwalds anfang vnd Hegöw.* Ptolem. Tacitus.
¶ Tigurinus pagus, *Zürichgöw vnd darob gegen Alpen.* Cæsar, Strabo.
Tugini, *die Zuger.* Strabo.
Cimbrorum reliquiæ, *Schuuytz.* Aiunt enim ex Suedia se ortos. Est autem Suedia Cimbrorum insula. Cimbros in Heluetijs inter Tigurinos & Tuginos consedisse, ait Strabo lib. 7.
Thauriscorum reliquiæ. *Vren.* Thauricos antiquitus sedes habuisse nõ longè ab ortu Rhodani, ait Polybius lib. 2.
¶ Verbigenus pagus, *Ergöw.* Cæsar.
Aquis oppidum, *Obernbaden,* ex ueteri ibidem inscriptione, & Tacitus libro decimoseptimo.
Vindonissa ciuitas, *Vuindisch, ein gebrochen statt.* Tacitus, Antoninus Augustus.
Arola fluuius, *die Ar.* Regino Prumiensis.
Salodorum oppidum, *Solodorn,* testatur uetus ibidem inscriptio, & Regino.
Vocetius mons, *der Bötzberg.* Tacitus lib. 17.
¶ Antuatius pagus, *die Vuat vnd üchtland.* Cæsar, Strabo, Plinius.
Auenticum ciuitas, *Vuiflisburg in wälsch* Auenzi. Tacitus, Ptolemæus.
Vrba, *Orben.* Regino.
Lemannus lacus ex Rhodano, *der Ienffer see.* Cæsar, Strabo.
Iura uel Iurassus mons, *der Iurten,* Pirreport, *Leberberg, Houuenstein, in wälsch* Iurat. Cæsar, Ptolemæus, Strabo & alij.

Trans Rhenum & lacum Podamicum.

Insula laci, *die Insel zů Lindow.* Strabo.
Vindelicia, *Lintzgöw* penes lacum uocatur: extenditur autem usq; ad Lycum & Danubium. Strabo.
Lycus fluuius, *der Lech.* Strabo, Ptolemæus.

Suanetæ pōpulus, *Schwaben by Rauuenſpurg*, olim ducatus. Ptolemæus, Plinius.
Tulingi populus, *Stülingen ein landtgraffſchafft*, & *Nellenburg*. Cæſar.
Danubius fluuius, *die Thunouw*. Cæſar, Strabo.
Montes Arbonæ, *vff der Bar*. Tacitus.
Vargiones populi, *Bar Landtgraffſchafft*.
Nicrus fluuius, *der Necker*.
Hercynia ſylua, *der Schwartzwald*. Cæſar.
Tectoſages populus, *Teck Hertzogthum*. Cæſar.
Intuergi populus, *Wirtenberg Hertzogthum*, Ptolemæus.
Carithni populus, *Zäringen Hertzogthum im Brißgöw*. Ptolemæus.
Latobrigi populus, *Cletgöw ein Landtgraffſchafft*, lat in clet conuerſum, ut quondam moris erat, pro *Ludouic Clodouic, Hilperic Chilperic, Lothar Clothar*, &c. Erant enim Tulingi, Latobrigi & Rauraci finitimi Heluetiorum, ait Cæſar.
¶ Rauraci populus, *die völcker an Rhinſtrom zwiſchen Vualdßhůt vnd Baſel gelegen*. Cæſar, Strabo & alij.
Auguſta Rauraca, *Augſt, ein gebrochen ſtat*. Ptolemæus, Ammianus libro prouinciarum.
Baſilea, *Baſel*, incertum an Sequani uel Rauraci ſint.
¶ Sequani pōpulus, *Sunggöw vnd Burgund, was an der Dub ligt*. Cæſar, Strabo & alij.
Alduaſdūbis, ſiue Dubis, fluuius *die Dub in Burgund*. Cæſar, Strabo & Ptolemæus.
Veſontium oppidum, *Byſantz*. Cæſar, Ptolemæus.
Arar fluuius, *die Sona*. Cæſar, Strabo & alij.
¶ Sebuſiani populi, *die völcker im Saffoyerland ob Lyon, zwiſchen dem Rhodan vnnd der Soné, ietz die herrſchafft* Burgopreſſo *genant. Vonn diſen* Sebuſianis *hond* Sabaudiani *den nammen empfangen*. Cæſar libro primo.
Allobroges populi, *Saffoy*. Cæſar & alij.
Geneua oppidum, *Ienff*. Cæſar & alij.
Lugdunum ciuitas, Lyon. Ptolemæus, Tacitus.
¶ Bodiontij populi, *zwiſchen Ienff vnd Niderwuallis am ſee*, Plinius, *ietz Val Fontency*.
Dina oppidum Bodiontiorum, Donoy *am Ienffer ſee*. Plinius.
¶ Ceutrones populi, *Tarenteſer tal*. Cæſar, Antoninus Auguſtus.
Tarentaſia ciuitas Ceutronum, *in ir wälſch* Motier, *das iſt Münſter genant, von wegen des biſchofflichen geſtiffts*. Antoninus Auguſtus.
¶ Veragri populi, *Vnderwuallis*. Cæſar, Strabo, Plinius.
Octodurus uicus, *Martenach*. Cæſar, Antoninus Auguſtus, Plinius.
Agaunum, *Sant Mauritzen* Regino.
¶ Seduni populi, *Oberwuallis*. Cæſar, Plinius.
Rhodanus fluuius, *der Rhodan*. Cæſar Strabo.
¶ Salaſſi populi, *Augſtal*. Strabo, Liuius, Plinius.
Graiæ alpes, *der klein Sant Bernharts berg*. Strabo, Plinius.
Pœninæ alpes, *der gros Sant Bernharts berg*. Strabo, Plinius, Regino.
Montes louis, idem *Sant Bernharts berg*. Luitprandus Ticinenſis.
Auguſta prætoria Salaſſorum, *Augſt*. Plinius, Strabo, Ptolemæus.
Bardum, *Bart*. Luitprandus.

Durias

Durias maior fluuius, la Doria. Strabo, Plinius, Ptolemæus. Sunt autem duo eius nominis fluuij, ait Plinius libro tertio, capite decimoquinto. Alter ex Cetijs Alpibus labitur.

¶ Lepontij populi, cis & tranſalpini. Cæſar, Strabo, Plinius, Ptolemæus.

Cis Alpes.

Lepontij Viberi, völcker by vrſprung Rhodans. Plinius.
Lepontij ad ortum Rheni, völcker by vrſprung Rhins. Cæſar Ammianus.

Trans Alpes.

Lepontini nomen retinẽtes Liuinertal, in ir ſpraach, Leuontina, ſind by vrſprung Ticini.
Lepontini, Eſchentaler, quorum oppidum eſt Oſcela, in Welſch, dom de Oſcela, zů tüůſch Tũm, dannenhar das tal, Val de Oſcela, genant. Ptolemæus.
Summæ alpes, der Gotthard. Cæſar.
Ticinus fluuius, der Teſin.
RHETII populi cis & tranſalpini, Churwalen. Strabo, Plinius.

Ciſalpini.

Rhenus fluuius, der Rhein. Cæſar & alij.
Brigantinus lacus ex Rheno, qui & Acronius, der Bodenſee. Solinus, Ammianus.
Brigantij, die Bregentzer. Strabo, Ptolemæus.
Brigantium oppidum, Bregentz. Ptolemæus.
Rugulci, Plin. } die Rhingöwer, ietz Rhintäler.
Rheguſci, Ptol. }
Eſtiones, Eſtnerberger. Strabo.
Sarunetes, Sarnganſer land. Plinius.
Canini campi, Grawpündter land. Ammianus Marcellinus.
Rhucantij, Prettigöw vnd Aſpermont. Strabo.
Rhetico mons, Prättigöwer birg. Mela.
Aetuatij, Tanetſcher. Strabo.
Curia oppidum, Chur. Antoninus Auguſtus.
Adula mons, der Vogel. Strabo, Ptolemæus.
Tinnetio uicus, Tintzen. Antoninus Auguſtus.
Iuliæ alpes, der Iulien. Tacitus lib. 17.
Septimus mons, der Settmer. Eckardus Zenobita.
Aenus fluuius, der Yn. Strabo, Ptolem.

Hi cis & tranſalpini ſunt.

Vennones, Vinſtgöw vnd Engadin, Strabo, Plinius, Ptolemæus.
Venuſta uallis, ijdem ſunt. Luitprandus lib. 5. cap. 12.

Trans Alpes.

Atheſis fluuius, die Etſch, in ir ſpraach, la Adeſe. Strabo, Plinius.
Iuga Rhetica, Wurmſſer ioch. Tacitus.

Vennonetes, *Veltlin.* Plinius.
Triumpilini, *Tripleuen.* Plinius.
Murum uicus, *Mur in Bregalien.* Ant. Auguſt.
Clauena opp. *Cleuen.* Antoninus Auguſtus.

Aduas, Abdua } fl. *die Aada* { Strabo, Plinius.
Larius lacus ex Adua, *der Chumerſee.* Strabo, Plinius.
Tarueſede uicus, *Sant Iacob in Clãuenertal.* Antoninus Auguſtus.

Reliqua uerſus Italiam & apud Inſubres nomina quæ hac continentur tabula.

Tridentini, *Trienter vnd Etſchlender.* Strabo, Plinius.
Benacus lacus ex Mintio, *der Gardſee.* Plinius, Ptolemæus.
Mintius fluuius, lo Meinzo. Plinius.
Ollius fluuius, lo Oio. Plinius.
Camuni, *Val Camunier.* Strabo, Plinius.
Seuinus lacus ex Ollio. Plinius.
Lamber fluuius, el Lambro. Plinius.
Eupolis lacus ex Lambro, Lago de Buſignano.
Vrbanus lacus ex Ticino, Lago maiore, *der lang ſee.* Plinius.
Bilitionum oppidum, *Bellentz.* Paulus Diacon. libro tertio, capite decimoquinto geſtorum Longobardorum.
Agones populi, Vgonia. Polybius libro ſecundo.
Seſites fluuius, La Seſia. Plinius.

FINIS.

DH

DE ROMANORVM IN RHAETIA LITTORALI STATIONIBVS, AC EX IIS VICORVM, MVNICIPIORum & uillarum, qui hodie supersunt Originibus:

IOANNES HEROLD HOCHSTATENSIS COMMENTARIOLVS.

LOCORVM QVORVM ORIGINES *explicantur, & noua & uetus nomenclatura.*

Nunc	Olim.
Langingen	Leg. Aug. III. Præsidium.
Prentz	Baiennæ.
Fenningen	Baiennæ præsidium.
Gundelfingen	Statio amnica Baien.
Tillingen	Gentilium Cat. in Lit.
Vueyssenhorn	Vena. xmaa. agror.
Fayngen	Baiennæ specula.
Lietzheym	Leg. III. Statio. V.
Vuitteslingen	Vitalior. prædia.
Altenstat	Cont. Naut. in Lit.
Hohstat	Littorale præsidium.
Vuerd	Confl. Brenitiæ.
Güntzberg	Guntieñ. transitus.

IOANNES HEROLD CVRIONIBVS, DECVRIONIBVS ac Municipibus Hochstatensibus, S.

SI uel uitam omnem, causa Reip. uestræ Patres Optimi effunderem, quàm quòd eam à patria dulcissima atq; communi acceptam, tandem reddidissem uobis, fortè tanquam nomen non omninò malum alia re uerò nulla, commendari possem: Si genti Palatinæ ueræ Francorum propagini PPP. NNN. VII Viro semi sanctissimo FRIDENRYCHO, AETHONI HOHVNDRYCHO bono, VVOLFFGANGO pio, ingenij mei facultates (quantulæcunq; sunt) obstrinxerim, quum aceruum beneficiorum ingentem consumpserim, granum minimum & id uitiosum referre, reputabor. Ingratus tamen, ne me ipso iudice cadam, cùm iam diuinæ eius stirpis successiones absoluerim, aliud Opus aggressus, quæ per omnem Europam ac alias plagas, annorum mille spacio fortiter fecit, enumerare conor. Origines autem Efflorescentis Germaniæ rimabor penitius. Hæc demùm mihi causa fuit, ut uos hoc Commentariolo, ac uestri nominis inscriptione, uobiscum unà certificarem, Vicissim illam uestram, de qua in eo agitur quoq;, quantum cupiam meam illam historiam ornamentis uestris expolitam, quàm hanc meam uoluntatem, probari uobis intelligam, cùm de rebus in fine belli signatis per GEORGIVM LAETVM uirum elegantissimi iudicij, & alios doctos homines, certior à uobis omnibus factus fuero. Quod eiusmodi erit, ut beneficentiæ & liberalitatis uestræ, cumulum rebus meis ingentem, accessisse mihi persuadeam: uobis etiam Patres Optimi, cùm omnia mea debeam, & id quod non possum, ut debere me uelim, efficiet: Valete.

ROMANAE SIVE PALATINAE LEG. III. ITALICAE APPELLATAE, AC AVXILIARIS COMITATENSIS, QVAM Augustæam uocabant, Statiua ubi olim fuerint, quique ex ijs uici, quæ municipia uel uillæ reliquæ in Rhætia littorali extent.

PRAEFATIO.

QVI de Repub. Romanorum, iam in Orientale ac Occidentale Imperium diuisa, scripserunt, ij apertè ostendunt, orbis illas partes, quas florente Imperio Prouincias appellabant, inclinante eo, Limitum uocabulo has interstinxisse. Ad limites uerò, Imperatores perpetuò exercitus alebant, ut defenderent, quæ bello occupata erant. Interdum autem contingebat quòd ab hoste propinquiori profligati Romani, limites amitterentur, aut maiori ui ingruente denudarentur, quos ut restituerent, Principes succedentes magnoperè laborabant. Sexta igitur fuit limitis Rhætici restitutio à Valentiniano & Gratiano P. AVGG. contra Sueuos tentata, clarisque triumphis obtẽta. Hanc cûm Marianus suis muneribus ordinibusque probè depingat, ex illius scriptis, quæ pertinere ad eas res, quas nosse percupio, pauca attingam, ab ipsius Limitis uestigijs initium sumens.

Laugingæ municipij monimenta, ac eius origines Caput I.

CErtum est Præfectum prætorio Italiæ inter alias prouincias, Rhætias duas disposuisse, unde erat, quod Proconsul Rhætiarum illi parebat: qui & dux militaris aut Limitaneus dicebatur: nostri *Marckgrauen* appellant. Huic ordines legionis III. Italicæ Palatinæ, Legionis Augustææ Comitatensis, Leg. I. Pseudocomitatensis, auxiliariæ ambæ, à Magistro præsentialiũ peditum submittebantur. Pseudocomitatensium mentionem sequens inscriptio facit:

DEO MERCVRIO SIGN.
EX VOTO. IVLIVS GALLICVS
ET AVR. SIBVLLA. P. L. L

Sic colligi posse suspicor, ab isto Iulio Gallico Pseudocomitatensi Leg. I. Milite, Mercurij illud signum positum fuisse, quod à *Laugingen* translatum, in ædibus Peutingeri Augustæ uidetur. Illa uerò inscriptio, quæ cum signo in eisdem ædibus seruetur:

MERCVRIO,
CVIVS SEDES A' TERGO SVNT. APIVS CL. LATERANVS XV. VIR SACR. FAC. COS. DESIGN.
LEG. AVG. PR. PR. LEG. III. ITAL. VS. L. M.

Hæc inquam anno à nato Christo CC. posita, subindicat florentibus Romanorum rebus, Legionem Augustæam Comitatensem auxiliariam, præsidium eò loci cõdidisse (ubi puer olim inter *Laugingen* & *Gundelfingen* si rectè memini, quadrato lapide, ingentis ædificij rudera me uidisse puto) ac ipsum præfectum Legionis

gionis ibidem consediſſe. Accedit Primipili monimentum, quod apud *Laugingen* extare audio, cuius uerba adhuc leguntur in hunc modum:

DEI APOLLINIS GRANNI REL.
P. P. DIONYSIVS LEG. AVG. PR. P.
AD KAL. IVNIAS.

Primipilum uerò tanquã caput legionis, Præfecto præsidij cohabitaſſe, quid credere uetat? Igitur ſi is quoq; Apollini religionis ergò, uel ſignum uel aliquid uile hoc in loco poſuerat, mirandum nõ eſt: quòd in Baienibus forſan enutritus, quem Legio III. Palatina colebat Deum, Comitatenſis eundem reuereretur. At de Baienibus poſtea: Inclinante deinde Imperio, cùm ob loci opportunitatem, ſedes præſidij Auguſtææ legionis, ad littus Danubij transferrerẽtur, ex illa ipſa deſcriptione LEG. AVG. quæ in marmore abſq; diſtinctione legebatur, Municipio nomen inditum fuiſſe, mihi pro certo perſuadeo, quod à uulgo, cùm ob aſperiorẽ ſonũ difficulter proferreretur, eliſis duabus intermedijs literis LAVG. retinuerunt incolæ, patriamq; illam uernaculam terminationem, ut in alijs. *Ingen* adiecerunt. Sic ex legionis Auguſtææ Auxiliaris præſidio, *Laugingen* habemus.

Hîcobiter mihi occurrit, fermè loca illa omnia, quæ in *Ingen* terminari ſcimus, Romanorum exercitibus olim infeſta fuiſſe: ut fermè crediderim ex illa ſyllaba LEG, noſtris *Ling* factum: ac ita *Aulingen* primò, deinde tranſpoſita litera *Laugingen* pronunciatum eſſe.

Ad Prenzium amnem & pagum Leg. III. Italicæ Stationem IIII. fuiſſe. Caput II.

RAienibus ſiue Faienibus (uno namq; interdum hæ duæ atq; eodem ſono proferuntur literæ) ſtationem illam quartam Legionis. III. Italicæ, conſediſſe, notum eſt ex Mariani codice, cuius nomenclatura deprauata, Fœtibus habet, idq; hæc inſcriptio apertè teſtari uidetur.

IN D. H. H. APOLLINI GRANNO
BAIENIBVS, VICTOR, ET BAIENIBVS, VICTORINVS, FILII EIVS, EX IVSSV
SIGNVM CVM BASE.

Ex his ſiquidem elicitur, Legionem illam cum ex Gallijs in Rhętiam traduceretur, eo in ipſo loco, quo in hodiernum diem, eius templi reliquiæ uiſuntur, prima ſigna firmaſſe, quæ Baiennius ille præferebat. Cùm uerò tabernaculum in quo Aquilæ recondebantur, aſyli inſtar ab omnibus coleretur, legionarij quoq;, qui ad defendendos limites ſeſe deputatos ſcirent, diuturniorem q; moram intelligerent, poſitis iam ſtatiuis, ne belli tempore, cùm ſigna in aciem proferenda eſſent, locus ille primitus bono augurio captatus, prophanaretur, imò ut maior quædam religio accederet, Baiennio, ut Apollini ſignum ibidem ponat, iniunxerunt: ipſis ſtatiuis, Primipili Baienni benemeriti, appellationem induunt: ſic Faienibus ſiue Baienibus nomen creuit. De Apolline uerò Granno, Granio, Carnone aut Carnio diſputare huius loci non eſt: certè huic feſta agebantur Spartæ, quæ militaris uitę imaginem præ ſe ferebant, unde etiam modulos Carnios legimus. At Romani ſemper eò ſpectabant, ut caſtra ipſorum fluentis alluerentur: oſtendam igitur Baiennas ad amnem Prentium poſitas fuiſſe, quod quidem ex hac inſcriptione probè conuincam.

PREN-

PRENTIVS A. VE. III. LEG. CIVES BRIVINES
VIXIT ANNIS LXX MONIMEN-
TVM FECIT.

Principes milites constat eosdem fuisse, qui cùm Primipili uocabantur, inter Prætorianos deinde legebantur etiam ueterani, fieri ergo facilè potuit, ut inclinante imperio, Aulus hic, ueteranus, ac in statiuis supremus esset, quem uocant, Aquilifer, ideò etiam Princeps appellabatur: sed corrupto uocabulo Prinz aut Prenz dictus, quo uel hodie utimur. Claret enim Barbarie totam hanc inscriptionem deprauatam esse, nec inflexionibus aut constructionibus suis inniti. Aut Prentius ciuis, aut, Prentio ciues fecerunt, dicas oportet. Versus tertio colo postus, stare potest: sed dicam, quod forsan nõ siniſtrè intelligo. Imminuto Imperio, quantum lingua Romana ex soleſcebat, tantùm etiam militaris ille fastus euanescere cœpit. Aulus igitur ille forsan uir princeps prouincialibus & colonis tunc præfuit, quem exuita decedentẽ, ad ripam amnis, iuxta statiua (ciues Baiennes, qui corruptè hîc Briuines uocantur) tumularunt, elogioq; decorarunt patronum benemeritum, ex quo innominato antea amni, appellatio Prentij accesit, æterna optimi uiri memoria. Sic ad uicum, pagum & amnem Prenzium qui adhuc extant, Baiennæ statiua, id est Præfecti quarti Legionis III. Italicæ castra cõstitisse claret, quod etiam templi uetustissimi, miranda elegantia, & operis celebris structura testatur. adfirmãt idem lapides abindè *Laugingen* translati: item monimenta auecta, quæ Augustæ in Monasterio prædicatorum, in ædibus Peutingeri uisuntur.

Prætorium stationis Baiennæ, ad uicum Fennigen extitisse.
Caput III.

IAm *Faienningen*, uel ut nunc profertur, *Fenningen* uicum, nomẽclaturæ huic propius accedere, aliquis obijciet, additis enim terminalibus duabus syllabis *ingen* ut ipsa primitiua uox uel deprauetur uel detorqueatur, opus non habet, ipsam licet, per diphthongum uel per diæresin pronuncies, *Fæn* aut *Faien* dicas, *Faiennigen* siue *Fœnningen* habebis. Astipulatur huic nostrę opinioni inscriptio, quæ ut audio ibidem habetur:

APOLLINI CRANNIO
SABINVS PROVINCIALIS L. D. S.

Nihil dubito, Comitis uocabulum temporis longitudine ex hoc lapide deletum esse, est autẽ Comes prouincialis Latinis, qui nobis *Landgraue* dicitur, quemadmodum igitur Dux limitis, de quo nobis sermo fuit, rei militari atq; defensioni limitum incumbebat, sic Comes iuri dicundo. Legio integra Duci parebat, certus numerus legionariorum militum Reip. Romanæ expensis, inseruiebat Comiti: qui quidem munia belli nõ subibat, at milites ne possessoribus uiolentia aliqua molesti essent, præcauebat: excipiebat quoque quærelas, quæ sub nomine Stationarij magistratus, hinc inde ex castris, ad eum deferebantur: tantæ quoq; is ordo authoritatis erat, ut ad Palatina officia nonnunquam ex eo sublegerentur, imò ad Consulatum, ad Imperium usq; proueherentur nonnulli. Librarius fuit, id est, scriba Cameræ sacræ. Iulius Amandus, qui etiam Consulatum gessit, anno à nato Christo. CCC. XXVII. Vestibus sacris earumq; spoliatoris titulo, distributioni præfuit Iulius Victor. Ianuarius & Iustus fratres, C. Iuliani Iulij F. Amandi ex fratre Nepotes Consulatum inière, anno Christi CCCXXX. Patrem Opilij Macrini COS. fuit anno Christi CLVII. cùm ipse ad Imperium posset suffectus sit. Horum uerò omnium elogia Augustæ ad Prædicatores, ad D. Vdalrici, ad *Peutingeri* ædes, ex *Fenningen* translata uidemus.

PERPETVAE

PERPETVAE SECVRITATI.

C. IVLIANVS IVLIVS DEC. MVN. III. VIRALIS, SIBI ET SECVNDINAE PRENTIAE, CONIVGI CHARISSIMAE ERGA SE DILIGENTISSIMAE FOEMINAE RARISSIMAE SINGVLARIS EXEMPLI PVDICITIAE: QVAE VIXIT ANNOS XXXXV. MENS. VII. DIES XXI. ET IVLIANIIS, IVLIO, IANVARIO IVCVNDO ET IVSTO FILIIS VIVIS. VIVOS FECIT.

D. M. IVL. AMANDO MIL. LEG. III. ITAL. LIBRARI COS. VIXIT ANNIS XXX. IVLIA PATERNA MATER FECIT SIBI ET FILIO PIENTIS. VIVA EX PECVNIA SVA FECIT.

IVL. VICTOR SPOLIATORI QVONDAM VEST. TESTAMENT. EIVS IVL. CLEMENS AQVILIFER LEG. III. ITAL. FRATER EIVS.

F. F. D. D.

IVLIO MACRINO QVONDAM VETERAN. MIL. EX. BI. COS. CONIVGI CLARISSIMO SECVNDIA SERVATA ET SIBI ET IVLIIS ET ALPINAE FILIIS BENEVALENTIBVS. F. C.

Hos igitur in Baiennæ Prætorio honoratos extitisse, quæ recitauimus satis testantur. Quia uerò inter arma (ut ille ait) leges silent. Prætorium id præsidio propius, atq; castris remotius extitisse, ipsius uici *Fenningen* situs explicat. Cæterùm memini me puero, de nescio quibus subterraneis ędificijs, sermonem fuisse multum, quę thesauris replera essent: temerarios atq; auaros quosdam homines, æris eruendi causa, specus illos horrendos perrepsisse.

Noualia siue stationem amnicam fuisse Legioni Ital. III. ubi hodie Gundelfingum oppidum. Caput IIII.

HAnc autem Legionis stationem, transuectioni specierum deputatam fuisse, cùm Marianus apertè fateatur, ipsa uerò statiua, ad XM. P. à Danubio remota extarent, præsidium in tumulo, prætorium in ualle non admodum propinquo: uidendum erit, commodè ea quæ aduehebantur, quomodo in castra perferri potuerint, aut inde transuehi quæ exportabantur? Scimus ea loca quæ ad riuorum aut fluminum exitus quibus se exonerant, ædificata sunt, Germanicè *Gmünd* uocari, quoniam uerò Prenzius amnis, iuxta oppidū *Gundelfingen* in Danubium egreditur, tractumq; illum omnem in Baiennæ sedibus, legionis collocatæ Stationes occupassent, facilè fieri potuit, ut ab incolis elisa M litera, *Gundfaiengen* Confluentes illi dicerentur, subsequentibus autem seculis interiecta L litera, delicatiori sono *Gundelfenningen*, paulo pòst, *Gundelfingen* pronunciari cœpta sit Statio illa amnica.

Auxilia Gentilium Leg. III. Ital. Tilligensi municipio nomen dedisse. Cap. V.

ROmanos etsi serò tamen legionibus suis adiunxisse constat, auxilia illa externa, quæ Gentiles cateruæ uocitabant: seligebantur enim ex Prouinciali bus, qui cùm Romanis militibus diutius meruissent ac promptitudinis & fidei ostenderant experimenta. Eos deinde in statiua, aut alia in loca collocabant, ubi pericula non adeò frequentia ingruebant, ijs quoq; ita in medio legionum constitutis, machinari aut moliri noui aliquid non licebat, etiamsi ratione aliqua fidem eos mutare contingeret. Harum itaq; Cateruarū unam, cum suo Tribuno, ad littus

ad littus Danubij collocatum inuenio, ad illua nempe, quod hodierno die à Dillingen, usq; ad fluuij illius flexum extenditur, ac etiamnũ An der Leyte uocatur. Quòd autem Marianus codex Teriolis habet, non caret mendo, emendetur itaq;, S in T mutata, adiecta deinde N litera, inq; suum ordinem quæ transpositę erant collocatis reliquis, proculdubio genuina uox apparebit, ac IN LITTORE leges. Sedem igitur sibi Tribunus Gentiliũ eo in littore fixit atq; delegit ad IIMP. à præsidio LEG. AVG. inferiorem. Verumenimuerò cùm inter alia multa etiam illud Tribuni sit officium, ut in Campicursione, quam uocant, alijsq; exercitijs milites suos instruat, sine dubio situm huius loci, ad scholam Gentilium instruendã, optatissimum suo muneri perspexit. Militari igitur opere, excisa altiore ripa & suffossionibus complanata, aditum perfecit, qui ad crepidinem arcis hodie uisitur, atq; in planitiem eam, campiq; spatium exit, quod oppidum & fluuium interiacet. Milites deinde ludicra decursione, in foro illo pratorio defatigatos, fluuius, quia quàm in superioribus locis placidior influit, natare uolẽtes, benigniter excipiebat. Erat autem natatus apud Romanos haud inter illiberales artes deputatus, imò ingenuis & militibus necessarium exercitium habebatur atq; peculiare. Monimenta autem, præter uetustatem arcis, quòd nulla alia, quantum quidem ego sciam, hîc extant, mirum uideri haud debet: quum aut omninò nulli, aut certè perpauci horum militum Romana lingua uterentur, quiq; ea locuti sint, deprauatissimè eam pronunciarint: quo etiam id factũ putem, ut priori syllaba GEN abiecta, TILIVM aliquandiu statiua illa dicta, quoad nostratium more, mutata V in N abiecta M, & supposita terminali uoce GEN, tandem Tilingen uocari cœpta sint statiua illa littoralia.

Stipendiariam cohortem Leg. Ital. III. oppido Vueyssenhorn nomen dedisse. *Caput* VI.

FRant prętera Cohortes, quarum opera Romani uti auxiliariarum utebantur. Eæ stipendio Romano militabant, has inter nominatissima fuit Rhætorum quæ à L. Valerio Prisco Sexto, præfecto suo cognomẽ traxerat, qui cum sepultura publica decoratus fuisset, tale habuit elogium quod Patauij legitur.

L. VALERIO PRISCO VI. EMENSI PRAEF. MIL.
COH. DVATERTIAE. ET SECVNDAE EQVITATVM
TRIB. LEG. X. FRETENSIO. PRAEFECTVS ALAE
FLAVIANAE PRAEF. FAB. LOR. SEPVLTVR DD. PVBLICE
DATVS.

Vocula una quantum ad nostrum argumentum pertinet, legitur inter alias, error puto artificis, deprauata, pro causaria etenim ipsius Missione Emensi habet: altera legitur satis nouata, cùm pro Sextæ, Duatertiæ positum sit. Sextæ autẽ Rhætorum cohortis aliud Moguntiæ exemplar extat tale.

ATTIO LANI F. MONTANVS ANNORVM XLV.
MIL. COR. RAITORVM. STIP.
XIX. H. S. E.

Hanc igitur cohortem cum suo Tribuno Marianus docet, Venaxomodoro consedisse, quo hodie in loco *Vueyssenhorn* extat. Maiores etenim nostri, cùm Romanorum literis uti iam cœpissent V. sono Græcæ illius literæ β proferebant: quem nostrum illud V V pulchrè efflare uidetur. VENAXAM uocem non intelligebant,

intelligebant, quid autem ODORO sibi uellet, diuinare quidem nunquam potuêre, quapropter pro VENAXAM, *Vueyßen* ac pro ODORO, sermone blandiori *Horn* prolatum est, ut quod mihi magis arridet, Latinam aliquam eamq; optimè distinctam inscriptionem inuenerunt, quam in Mariano codice miserè deprauatam legimus. Emendari autem ita eam posse non dubito, si scribatur.

VENA. XMAN. AGROR.

Tractum enim illum omnẽ, inter agros Decumanos siue Decumates, ut Tacitus habet, censitum fuisse credo, qui ut ad huc, inter syluas, feris abundabat, ob id quoq; uenationi aptissimus erat. Vt uerò milites agrum illum publicæ Venationi deputatum ostenderent, Contubernio Venatorum, elogium illud indiderunt, quod ita:

VENATIO DECVMANORVM
AGRORVM.

Legi potest, si Romanis solitæ illæ abbreuiaturæ obseruantur, & X, numeralis litera coniungatur M & A transpositis, addita N quę deperierat. Effecit siquidem temporis iniuria ut litera A inferiori ex parte exesa ita Λ appareret, quàm pro O interprætabantur qui legebant, accessit quod G ob affinitatẽ formæ, quam cum D habet, lectori imponeret & quæ sequebatur R litera supernè tantùm integra O magis quàm R referret. Inflexiones autem gratia, ultimum O adiecisse authorem, nemo est qui neget. Est autem inter Venationis species, etiam aucupium, quod nostri *Beyzen* dicunt, deinde extremitates illas collium, ubi se in planicies extendunt *Horn* appellare solent. Et me herclè tumuli illi, quibus oppidum *Weyßhorn* cingitur ad Danubij usq; fluenta protenduntur, leniterq; subsidunt. Præterea cùm hinc inde nemoribus obducantur, à pluribus frequentari solent, qui quæstus aut delectationis causa, uarijs inuentis, auiculis illis minoribus, aquatilibus quoq; altilijs insidiantur. Nomen ergo à Venatione illa quam nostræ *Beyssen* siue ut prius dixeram *Beyzen* Statiuis illis inditum esse Germanica interpretatione, penè affirmarem. Accedunt ipsa Comitatus & oppidi insignia, quæ buccinis tribus Venatorijs exornantur.

Stablesianos Equites eo in loco, quo nunc Fayngen oppidum situm est, consedisse. Caput VII.

LEgionum inter membra etiam Equitatus fuit, qui in ordines atq; discrimina distributus, Vexillationes habebat Comitatenses, quarũ unaquæq; certum numerum aliquot centum equitum continebat. Hos inter Stablesiani Italiciani censebantur, qui Iuniores Baiennij, corruptè Fœbiani appellabantur Seniores siquidem Augustanos uocabãt. Iuniorum igitur societas uel Statio, meo equidem uidere, in illa specula collocata fuit, quæ adhuc Faiennę nomen retinet integrum: sed addita Ing uoce, atq; elisis superfluis literis *Fayngen* siue *Vaingen* appellatur. Alterius sit ocij, quæ nonnulli de Bebenhusio hîc adducunt, in disputationem admittere, eiusmodi enim ea existimo esse, qualia plerunq; hominum conlectoris effingi solent, cùm monimentis ueterum destituantur, aut in bonorum authorum deprauata scripta incidunt.

Lietzenheym uicum Leg. Ital. III. quintam fuisse Stationem. Caput VIII.

VEnio ad Stationem illam quintam huius legionis Italicæ III. quam in Littore Danubij locatam fuisse idem author ostendit Eam autem, ubi

ubi iam uicus *Lietzheim* reperitur consediſſe, rudera illa quę extant inter uepres & ſenticeta oſtendunt, nihil quoq; dubito, ſi quis eo loci fodere uellet, plures lateꝛum fictiliumq; inſcriptiones erueret: cùm monimenta marmoribus inciſa iam olim uel in calcem ab imperitioribus decocta, aut ab antiquarijs redempta & ablata ſint. Me puero autem, non memini, an ipſe uiderim, aut ab alijs audiuerim lateri inſcriptum elogium, inter arandum ab agricola quodã erutum fuiſſe atq; inuentum, in quo hæ literæ legi potuerint.

LEG. ITALICAE I. M.

Alia uice, neſcio quem inter occandum fragmẽtum lapidis offendiſſe, cui inſcriptum erat, quantum legi poterat.

L. ITALICIANAE. I. M.

Harum inſcriptionũ ſenſum elicies quam primùm tibi occurrit, Legionẽ hanc & Italicam, & Italicianam (forſan rebus iam inclinantibus) appellatam fuiſſe, in uſu quoq; Legionarios milites habuiſſe, lateribus ſuę legionis titulum inſcribere, deinde terræ infodere, ut in humanarum rerum uariatione, Stationum ſuarum memoria aliqua permaneret, eoq; diuturnior, quantò minus fictilia illa cõſumi ſolent, ſed ad rem. Ex huiuſmodi inſcriptionibus uicui nomen inditum claret, cuius uocabulum â maioribus ſic cõflatum puto. Cùm *Litalicianeim* quàm uocem literæ illæ coniunctæ effingunt, proferre minus poſſent (gaudent enim noſtri uel monaſyllabis) abiectis tribus literis ALI. aliquandiù *Litcianæim* dixerunt tandem corruptam uocem ad meliorem ſonum redigunt & breuiorem, *Litcæim* enunciant, quoad literarum Latinorum poteſtas agnoſci à noſtris incœpit, tunc TC in Z commutatis, præfixo E & addita aſpiratione *Liezhæim* prolatum eſt. Sic tandem Legionis Italicæ III. uel Italicianæ III. Milites, quam ſententiam confirmant fragmenta illa, duabus literis numeralibus deperditis: ut fieri ſolet, à Prouincialibus in nomen uici conuerſa eſt, quæ Statiuorum prius erat indicium. Fuiſſe autem in eo loco magnam hominum frequentiam conuentumq; celebrem, illud ipſum arguit, quòd ij qui ex Gentilitũ Statiuis ſuperius à me recitatis, ſtemma deduxerunt Comites Tillingenſes, luſtrato templo, quòd Mercurio ibidem ſacrum fuerat, ueſtalibus id ritè captis dicarunt. Eius uerò templi mentio habetur, in lapide illo, qui Auguſtæ ad ædes D. Stephani uiſitur, quas D. Vdalricus ut manibus fratris Theobaldi parentaret conſtruxit, atq; hunc inter alios lapides, ex *Lietzheym* translatos, muro inſeruit cui hæc uerba inſculpta leguntur, licet multa ex eo perijſſe uideantur.

MERCVRIO.
AVG. SACRVM M. BASSINIVS VITALIS.
V. S. L. M.

Ex Baſsinij gente autem ſupereſſe apud Hochſtatios, quos poſteritas Beyſſinios ac gentilitia lingua detruncatis poſterioribus ſyllabis *Beyſſen* dixit, non abnuerim: nã ad noſtra uſq; tempora, ordines honoratos, & Reip. grauiſsima munia obtinuerũt apud Municipales ſuos, inter quos ipſe Andreas auus meus maternus, ſanctæ memoriæ uir, Curatorem egit, quem Burgimagiſtrũ iam uocant, at hæc quàm pro re, iactantius dicta uidere poſſent.

A' *Veteranis Vitalijs, Leg. III. Italicæ uicum Vuiteslingen ortum eſſe.*

Caput IX.

QVod de Baſsinio Vitali adduximus elogium, id me rei quam fermè præterieram admonet, eius tamen, cuius obſeruatio non indigna exiſtimanda eſt: de Vitaliorum ſcilicet poſteritate. Gentem etenim hanc, ſatis munerоſam, in Germania,

Germania, siue huius Rhætiæ parte consedisse, multæ inscriptiones ostendunt, quarum una, in urbe Augustana ad ædes D. Vdalrici, portæ Monasterij inserta, ita legitur.

VITALIVS VIGOR SIBI ET VITALIO VIRILI, FRATRI VIVOS FECIT.

Hunc autem lapidem ex uico *Vuiteslingen* Augustam deportatū affirmauerim, dubium enim mihi nullum est, addita terminatione *Ingen*, *Vitalsingen* loco primùm nomen fuisse: quod usus deinde, una litera I abiecta & transpositis S & L in *Vitalsingen* siue *Vitalslingen* cōuertit: hanc etenim literarum transpositionem frequentem Germanis, ipsum VLRICI nomen declarat, quod apud multos *Vrlich* expri mitur. Verisimile quoq; est Vitalios istos ueteranos, post exantlatam militiam honestam missionem accepisse, ac ubi iam uicus ille *Vuiteslingen* extat, sedes suas locasse, retinuisse quoq; cultum Mercurij, quem in Statiuis Lietzheymensibus didicerant, quod adfirmare uidetur illud monimentum.

MERCVRIO.
Q. VITALIS QVINTIONIS FIL.
V. S. L. M.

Extant uerò alia quædam in uico ipso, quæ antiquitatem, atq; memorandorū ædificiorum uestigia indicant.

Contubernium nautarum V. Stationis Leg. Italicæ III. extitisse, quo in loco uilla Altenstat. Caput X.

AMnem habebant Legionarij isti, qui sub quinto Præfecto Leg. III. Italicæ censebantur, iuxta, aut certè haud procul à castris, quem ætas nostra *Ferrenbach* corruptè uocat. *Torenbach* enim dici deberet, à littoreis illis statiuis: nam ut detruncata prima syllaba Lit, non recensetur, omissa est quoq; syllaba finalis, us, LITTOREVS quippe antea dictus fuit *Bach* autem idem esse Germanis, quod Latinis torrens aut amnis, quàm ut uerbis opus habeat, notius est. Is se in Danubiū euoluit: ad cuius exitum, quandoquidem Legionarij isti, transuectioni specierū sedeputatos nouerant, contubernium nautarum & piscatorum exædificarunt. Hoc enim in loco, quàm pro opinione Danubium profundiorem, expansum, satis pisculentum compererant, ratium quoq; & amnicarum nauium patientissimum. Syluæ adiacentes magnam lignorum copiam suppeditabant, ex quibus classem amnicam instruere in procliui erat. Pontonibus igitur, speculatorijs ac cursorijs nauibus, cymbisq; & ratibus exædificatis, annonæ canonem excipiebant, transuehebant, atq; in inferiores partes secundo fluuio perferebant: dabāt quoq; operam piscationi. Diuturnitate deinde temporis accesserunt alia ædificia, paulo pòst foci firmati, sic pedetentim locus in municipij formam excreuit. Arridebat enim pratorum planities, glebæ ubertas, ac soli fertilitas, quam felicissimam uiridaria illa, horti amœni, deinde aquarum uiuentium scaturigines summoperè commendabant: extant adhuc rerum harum omnium non solum uestigia, sed uiuaria piscium, quorum unum in auitis hortis me puero extabat, supersunt piscatorum habitationes frequentes, molæ frumentariæ & alia, quæ in superiori Statione amnica, ad *Gundelfingen* aut deerant, aut non ita luculenter haberipoterant. Extant Optimatoris siue administrationis Parochi uestigium apud uetustissimam illam D. Nicolai ædiculam: quotannis enim bis annona illa pisto ria publicè dispertitur sportulæ ac uiscerationis ueteris argumentum clarissimū. Municipium autem Romanū fuisse, idq; spacium omne, quod littoreum amnē,

ac littoris tumulum septẽtrionalem interiacet, occupasse, uel puer interrogatus indicare poterit. Nam omnibus uocatur *die alte Statt* in quam deficiente maiestate Romana, Legionarij, qui in Statiuis Lietzheymensibus supererant, se recepe-runt, translatis secum sacris omnibus, uirginibusq; Deo dicatis.

Prætorium siue præsidium littorale Leg. III. Italicæ, sub quinto eius Præfecto oppido Hochstat initium fecisse. Caput XI.

PRæfecti prætorium, seu ut aliter dicam, huius quintæ Stationis Præsidium, in dextro littoris cornu, ad flexum Danubij, de quo nobis dictũ est antea, ac ubi modò ponte traijcitur fluuius ille, cõstitutum fuisse ex eo liquet, quòd po-stea ingruentibus bellis, qui amnicum illud contubernium incolebant, cultissi-mis locis derelictis, ac benigniori solo commutato, in tumulum præsidio adiã-cẽtem se receperunt: cùm ab oriente horrendis præcipitijs satis tutum locum uiderẽt: quapropter ad reliquas mundi plagas excitatis aggeribus, fossisq; am-plissimis profundissimisq; munitissimum reddiderunt, unica porta, quę iam cæ-ca est atq; obstructa, tunc admissa, quæ ad oriẽtem spectabat, atq; per cliuum ad traiectum deducebat. Statim quoq; combinato gentilitio Latinoq; uocabulo, municipio nomen indideriũt, *Hohstat*, ad discrimen eius ex quo abierant, quod su-perius *Altestat* appellatum fuisse indicauimus. At obiter annotandũ uidetur. Vo-cabulum illud *Stat* à Romanis statiuis deriuatũ esse, atq; in usum Germanicæ lin-guæ receptum, nam ij uoces suas plerunq; abbreuiatas scribebãt, atq; pro STA-TIVA, siue STATIONE syllabam illam *Stat.* exsculpere solebant, quod ut asser-tionibus multis cõfirmetur opus non habet, pauca enim municipia reperies pau-cas urbes, quæ in *Stat.* desinant, quas non contingat esse antiquissimas, Romano-rumq; incolatu nobilitatas, sed de his aliàs. Cæterùm à situ altiori syllabam HOH huic municipio, siue Statiuis illis, adiectam apertissimum est. Hîc mihi genitale solum, ac quam nullibi libentius deponam, uitam ibidem uiuere incœpi. Patria est mea inquam hæc, cui me omnia debere fateor. Deus aũt reliqua prouidebit.

Barbaricorum Numerum, Legioni III. Italicæ deputatum, Insulam Berniciam no-bilitasse. Caput XII.

NVmeros suos Legiones auxiliarias habere incœperunt, inclinante iam Im-perio. Erant autem Numeri (societates ut ita dicam) eorum militum qui Legionibus non inerant, suos tamen habebant Præfectos. Vocabantur etiam Numerarij, quòd per omnes castrensium munerum numeros, ad summa equaliś-sent, hos autem Ciceroni publicanos uocari credo, qui pro Plancio his uerbis utitur: Flos equitum Romanorum, ornamentum ciuitatis, firmamentum popu-li, publicanorum ordine continetur. Hi suis cognominibus distinguebantur, e-rant quoq; inter Palatinas uexillationes recensiti, ex ijs qui duci Rhætiæ adiun-cti erant, Barbaricarij uocabantur, quo cognomine Argentarij prouinciales ex-primuntur. Horum fidei disciplinæ illa ueteri militari, iam olim extincta, publica pecunia, credebatur. Vectigales agri locabantur, portoria aliæq; exactiones cõ-mittebantur. Miles stipendia sua, prædas atq; pretiosiora omnia apud eos depo-nebat. Ii uerò inuicem nonnunquam inopiam illam nummariam, qua Respubli-ca laborabat, sustentabant, ex solutis merentibus stipendijs, quæ tardius ex sacra largitione proferebantur, depositа, credita & permutata bona fide, securitate & celeritate optata, ad Vrbem, ac in eos locos, quo quisq; sua destinasset, ut perfe-rerentur magna industria procurabant, tanta quoq; ipsorum cura & solicitudi-ne, & amicitias & clientelas, opesq; ingentes sibi parabant apud suos, apud ex-

tran-eos

traneos nomen & famam, quæ cùm ad hostes delaberentur, reddebat eos insidijs opportuniores propter mercium & nummorum copiam, quapropter in tutissima illos loca collocandos fuisse, nemo est qui ambigat. Statiua igitur Barbaricariorum istorum, huic quidem Legioni deputatorum, in illa ipsa insula, quam Bernicus amnis, ut hodie extat, fecerat, constituta fuerunt: hoc quidem innuit Marianus codex his uerbis.

PRAEFECTVS NVMERI BARBARICARIORVM, CONFLVENTIBVS, SIVE BRECANTIAE.

Errorem corriges, si sublato C transpositam literam R. præposueris E. postea cũ B magnam cùm nostro V V affinitatem sonus habeat, illa uox eundem tibi fluuiũ indicabit, qui hodie *Vuernitz* dicitur, ac paulo infra insulam in Danubium sese effundit, quod per CONFLVENTES significari nemo nescit. Hominem uerò Scotum, linguæ Latinæ studiosissimum, idiomatis nostri ignorantia decepit, quod particula illa SIVE, subindicare uidetur. Cùm enim dicat, siue Brecanitiæ, *Bergen* quoq; uillam uix CC. passus ab insula illa abesse, atq; in tumulo extare Vvernitiæ imminenti uideamus, eius temporibus, *Bergwernitz* dici potuit, Portorium illic publicè institutum, atq; nonnullos ex publicanis siue Barbaricarijs istis consedisse, fidem facere potest, uectigal quod nostro hoc tempore ibidem soluitur. Nulla etenim difficultas erat, in tanta opum abundantia, quin ditiores loca opportuniora occuparent firmarentq; artificio & præsidijs, quæ situ amœniora, uel ampliora ipsis uidebantur: imò maximo studio ipsos curauisse credẽdum est, ne hostibus qui non procul aberant, aliquid sine pensione uectigali transmittere-tur: uias igitur omnes & itinera obsidere necessum fuit. Similes origines habuisse credendum est, arcem illam uetustate & parricidio, firmitudine quoq; celebratissimam, cuius rudera adhuc in *Vuerd* trans Vvernitianũ extant oppidũ, quod insulæ ponte iungitur. Inani etiam opum ostentatione, subterraneos illos aquæ ductos per plusquam V. M. P. in monte tunc excauatos fuisse crediderim uisceribus montis, quem *Rosenberg* uocant, excisis, siue id factum fuerit in Insulanorum usum, qui fontanam aquam nõ habent, siue ut potui gratiores deriuarentur fontes in oppidum, quod unam eamq; putealem aquam publicè bibit, ac ex puteo illo omnem haurit domesticę culinæ limpham. Hos uerò cuniculos, siue formas illas aquarum, cum puer sub præceptore meo CONRADO SYBENHAR memoriæ sanctissimæ uiro, elementa literarum addiscerem, pygmæorum nescio quorum, atq; *Vuichtelorum* habitationes esse, uulgi fabula narrabat. In hac autem ciuitate, cum ingenij cultum primum hauserim, eidem, quicquid accesserit, quod perexiguum sentio, me debere non illibenter fateor.

Guntiensem transitum à militibus siue cohorte Vrsariensium inhabitatum fuisse III. Legionis huius præfecto subditis. Caput XIII.

INferiora Barbaricariorum Statiua, quæ ceu latus quoddam siue repagulum LEGIONIS huius, & Baiennia & Littoralia castra clausisse uidẽtur, nunc me admonuerunt, ut Statiuorum, quibus illa ex superiore parte cingebantur, mentionem aliquam facerem, de Guntiensi scilicet illo Transito omnibus decantato, iuxta hunc Vrsarienses milites, quorum cohortem unam Comitatensia illa auxilia submittebant, consedisse ipse Marianus testatur. Amnis Guntia, qui in Danubium ruit, cæteraq; eius loci monimenta præclara, efficiunt, ut minus de situ ipsorum incerti simus, nec nomenclatura in ulla litera corrupta extitit, sed à præsidio appellatione adiecta, quod ibidem erectum erat, atq; *Burg*, ut cæteræ

Germanorum arces uocabantur *Guntſburg* ſiue *Guntzburg* nomen retinuit. Hæc de quarta & quinta Legionis Italicæ III. Stationibus, earumq; appendicibus quibus Rhætiæ limites Littoralis defendebantur, dicta ſufficiant, quæ ita interpretentur, cupio, magis ea ad excitãda hominum ſtudioſorum ingenia ſcripta eſſe, quàm ut ulli detractum aut præſcriptum ijs aliquid uelim. Alterius autem negotij eſt de primaria, ſecundaria ac tertia quæ ſuperſunt, huius Legionis Stationibus diſputare, quod quidem tum fiet, cùm ipſe Tranſdanubianũ illum tractum peragrauero, ſiue per amicos, & uiros doctos explorata & perſpecta mihi communicabuntur. Superſunt quoq; multa de Legionibus. VIII. & XXII. in mediterranea Rhætia olim conſtitutis, quæ omnia, ut rimatiora quàm cętera, in Commentarios noſtros Effloreſcentis Germaniæ conferantur, præcipua cauſa eſt, quod Gentilibus Francorum Palatinorum nobiliſsimam, cùm ijs quę ditioni eorum parent, fermè uniuerſa ſubiecta olim fuerint. Hunc autem certè quatriduanum meum laborem, ſtudijſq; meis interuerſum, etſi ſatisfacere nonnullis non poſſe ſciam, tamen quę obſeruaui non omnino uana, nec inania ubiq; exiſtimo, atq; eiuſmodi eſſe, ut origines oſtendant earum rerum, quæ ut diligentiſsimè diſcutiantur dignæ ſunt. Permultũ referat licet, ſciuiſſe quod Comites Dillingenſes in *Faingen*, *Vuiteslingen*, *Lietzheym*, *Hohſtat*, & *Vuerd* res adminiſtrauerint ſub anno Chriſti DCCXL. Pulchrum ſit quoq; agnoſcere Fenningenſes Comites Guntzburgio præfuiſſe, uixiſſeq; eorum aliquos anno M. C. XX, quæ omnia in Archiuijs ſacratũ ædium *Medingen*, *Anhüſen*, *Vuiteslingen*, *Neresheym*, *Altenſtat*, & *Echenbrun*, ſi non fallor, aſſeruantur & exprimuntur. Quàm fortiter fecerit Vvetnhetus ille de *Hohſtat* in Syria, anno M. C. L. memoriæ certè & gloriæ plenum eſt. Dulce admodum quoq; ſciuiſſe, quod Vlricus ille Gundelfingenſis anno MCC. claruerit, quis uerò arrectiſsimis auribus non exciperet, Laugingam uno eodemq; tempore, uirum cuius doctrinam totus orbis admiratur Albertum illum Magnum, fœminam denicq; Gyſelam protuliſſe, quæ totius continentis teſtimonio Venerem ipſam repreſentaret: Sibyllamq; XI. (Deo repleta) aut Auriniam, Velledã Cambram, ueteres Druidas æmularetur uaticinijs: ne dicã de equo, Alexandri & Cæſaris bucephalis longè anteferendo. Inciderunt hæc in annum M. CC. L. & circa. Quę omnia quanquam illuſtria, ſi quis in promptu habeat, origines autẽ ueras & certas ignorauerit, rerum pulcherrimarum, notitia carebit, ęquè ac ſi ea quæ inſecutis temporibus geſta ſunt, ijſdem in locis neſcierit, quapropter ſcriptori hiſtoriarum, quę maximè indaganda ſint, illa cenſeo.

Quæ de Originibus rerum certiora inquiri poſſunt.
Antiquitates, locorum ſitus, monimenta, ſedes maiorum,
Quo tempore quæq; aut ampliata, aut deſtructa.
Quorum adminiſtrationi, quibus legibus ſubiecta fuerint,
Quibus artibus, inſtitutis, homines excellentes quæq; regio protulerit.
Tempora quibus pace floruerint, aut bellis ſint afflictæ res.
Sacris, perſuaſionibus, moribus quibus quoquo tempore uſi atq; præditi incolæ.
Quæ loca celebriora extent.

His omnibus lucem maximam adferre regionum & traiectum diligentem & accuratam picturam.

DISPO-

DISPOSITIONEM HANC MARIANI

NE, QVOD SALTEM ALIQVO MODO AD HVIVS rei illustrationem faceret omitteretur, adiecimus: cum illa ipsa, de Rhætia scribendi nobis ansam dederit.

SVB DISPOSITIONE VIRI SPECTABILIS DVCIS

Prouinciæ Rhætiæ Primæ & Secundæ.

EQuites Stablesiani seniores Augustanis. Equites Stablesiani iuniores Ponteœni, nunc Febianis. Equites Stablesiani iuniores Submontorio. Præfectus Legionis tertiæ Italicæ, partis superioris castra regina, nunc Vallato. Præfectus Legionis tertiæ Italicæ, partis superioris deputatæ Ripæ primæ Submontorio. Præfectus Legionis tertiæ Italicæ pro parte media prætendentis à Vimania Cassiliacum usq; Cambiduno. Præfectus militū Vrsarienſium Guntiæ. Præfectus Legionis tertiæ Italicæ transuectioni specierum deputatæ Fœtibus. Præfectus Legionis tertiæ Italicæ transuectioni Specierum deputatæ Teriolis. Præfectus Alæ primæ Flauiæ Rhætorū Quintanis. Tribunus cohortis Nouæ Batauorum Batauis. Tribunus cohortis tertiæ Brittorum Abusina. Præfectus Alæ secundæ Valeriæ Singularis Vallato. Tribunus cohortis sextæ Valeriæ Rhætorum Venaxamodoro. Tribunus cohortis primæ Herculeæ Rhætorum Parroduno. Tribunus cohortis quintæ Valeriæ Frigum Pinianis. Tribunus cohortis tertiæ Herculeæ Pannoniorum Cælio. Tribunus Gentis per Rhætias deputatæ Teriolis. Præfectus Numeri Barbaricariorum Confluentibus siue Brecanitiæ. Præfectus Alæ Secundæ Valeriæ Sequanorum Vimania. Tribunus cohortis Herculeæ Pannoniorum Arbore.

Officium autem habet idem, uir spectabilis Dux, hoc modo.

Principem ex officijs Magistrorum militum præsentalium alternis annis. Numerarios duos ex utriscp officijs præsentalibus singulos. Commentariensem ex utriscp officijs alternis annis Adiutorem. Subadiuuam. Regerendarium. Exceptores. Singulares & reliquos Officiales.

FINIS.

HELVETIAE DESCRIPTIO CVM IIII HELVETIORVM PAGIS AC XIII VRBIVM PANEGYRICO, ET Osualdi Molitoris Lucerini Commentario,

PER HENRICHVM LORITVM GLAREANVM, PATRITIVM GLARONENSEM, ac P. L.

D. HIERONYMO A' ROLL SALODORENSI, *nobilißimo adoleſcenti, Glareanus* S. P. D.

VNdequadrageſimus nunc agitur annus, ſuauiſsime, ac in primis dilecte Hieronyme, quando iuuenis ego elato, ſcilicet (ut ætas illa habet) ſpiritu, patriæ noſtræ deſcriptionem orſus, cum tredecim ciuitatum Panegyrico, ſequente anno perfectum opus, Baſileæ editum, ac typis excuſum, concilio Heluetiorum, quod Tiguri tum habebatur, obtuli: rem ea tempeſtate mirabilem, quandò nemo antea, quod equidem ſciam, apud noſtrates quicquam tale tentauerat, imò fortaſsis, ne cogitârat quidem (niſi cantilenas uulgò decantatas commemorare libet) Ceſsit tum feliciter quod cœperam, magnificè enim exceptus, liberaliter donatus, ac honeſtius dimiſſus ab Heluetijs, magnum momentum noſtris hominibus, & facilem anſam maiora commentandi dediſſe uidebar. Sed ſcilicet rerum humanarum alaſtores, bella inciderunt: & per ſeditioſos homines uariæ in Religione opiniones ac ſectæ, urbium ac principum diſſenſiones, quæ per hoſce triginta annos uniuerſam Germaniam penè peſſundedêre, uicinos Germanis Heluetios miré afflixêre, ut ſæpius propémodum pigeret, ac potius puderet operæ, quemadmodum putabam, probè nauatæ. Nunc demum ſenex reuiſo, quod mihi olim iuueni excidiſſe iudicari poterat. Et totum quidem reuiſi Opus, quædam etiam retexui, maximè Geographica, imò ad regulam D. Aegidij Tſchudi affinis noſtri plurimum dilecti, pleroſque locos emendaui, ex eo uidelicet libro quem ille de Rhætia doctiſsimè ſcripſit, quo intra mille annos uix melior in re topographica prodijt. In eo enim libro multiplex eruditio, iudicium acutiſsimum, Celticæ linguæ, qua hodie Heluetij utuntur, proprietas egregiè expreſſa, ut qui eum in Latinam linguam uertere conati ſunt, ridiculos ſe plane oſtenderint. Sed de hoc aliàs. In hoc noſtro Opere duo potiſsimum tractantur. In priore parte, eſt pura locorum deſcriptio ad Strabonis geographi morem, qui geographica cum chorographicis ſiue topographicis plerunque miſcet. Ea ferè inconcuſſa manent: lacus, flumina, montes, ualles, uiæ per Alpes, ac his ſimilia. In poſteriore parte, eſt panegyricon, quod cum temporibus mutatur, ſecundum illud,

Opéris huius argumentum & diuiſio.

Tempora mutantur, nos & mutamur in illis.

Atqui Heluetij ita à nobis laudati ſunt, qualeis eos eſſe uellemus; Maiores

Maiores suos imitarentur, maximè in ijs quæ ad religionem, mores, ac gesta inclyta pertinent, haud ignarus rerum mortalium quàm sedulò diabolus tanquam leo rugiens obambulet, quærens quem deuoret: ut diuus Petrus admonuit. Cæterùm, Commentarius in nostrum hunc libellum fuit Osualdi Molitoris Lucerini ante annos triginta editus, cùm ego Lutetiæ stipendio regio fouebar, in quo multa mutanda fuêre ipsi, quòd uerius in eo mutati sunt Opere, & res plerq; (ut iam diximus) lucidiores factæ. Sed illud nunc laboris in nos incubuit, postquã ille nuper fato functus, è uiuis cesserit: ne quis putet id odio magis quàm ratione factum. Sed pluribus nõ est opus. Ad te redeo mi Hieronyme, qui dignus mihi uisus es cui hosce labores dedicem, tum ob tuos, ut apud me aliquot annos uixisti, probatissimos mores, ac familiam è qua natus es, honoratã: tum ob amitam tuam Barbaram à Roll (nihil minus quàm barbaram) uiduam à *Luternaw* nobilissimam illam heroinen. Quæ quasi Heluetica Iudith, quasiq; singulare pudicitiæ exemplum Susanna inter alias nitet fœminas, uelut inter igneis Luna minores: ut est apud Flaccum. De qua non dixero, quod de Lucretia Valerius, cuius uirilis animus maligno errore fortunæ muliebre corpus sortitus est. Quid enim hoc ad æternam uitam cum Christo possidendam retulerit? Id dicam, cui Deus dedit tantas uirtutes, tanta naturæ ac gratiæ munera, ut nemo hodie mortalium priuatus unus ferè uiuat, quem uiuere magis ad omnium salutem referat. In ea fanè matrona natus uidetur Hippocrates aut Mithridates aliquis, in noscendis herbarum uirtutibus. Quot hominum corpora salubribus medicamentis pristinæ restituit sanitati? Cui ægro non illa uel consulit, uel succurrit? Idq; non lucri, sed pietatis gratia. Veniunt è Germania in Heluetios ad illam tanquam ad Aesculapium, aut oraculum Delphicum. O uerè pauperum refugium, diuitum solamen. Quid ego Christianum in ea animum prædicem, nulla hæretica prauitate inquinatum? Quid heroicas uirtutes? Spiritus sancti dona? Ineptus planè sim qui existimem epistolari angustia illius me, cùm corporis, tum animi dotes perscripturum: itaq; desino de illa plura dicere. Vnum hoc testatum uolo apud posteros, urbem Salodorũ, imò uniuersos Heluetios, non minus uerè gloriari posse de hac heroide, quàm uel Scythæ de Tomyra, ut est apud Herodotum: uel Romani de sua Lucretia: imò tanto iustius gloriandũ de illa nobis, quanto pluris facienda est Christiana pietas tragœdijs illis Ethnicis. Tuũ est mi Hieronyme, illius iussis parêre, eius exemplo ac maiorum tuorum ad magna ac honestissima quæq; excitari. Vale felix, unà cum Ioanne Rudolfo fratre tuo dilectissimo. Friburgi Brisgoiæ, anno à Iesu Christi natali M. D. LIII.

OSVALDI MOLITORIS LVCERINI, IN GLAREANI DE HELVETIA Carmen, Commentarium.

QVAM *difficilem rem sit poeta noster aggressus in describenda Heluetia, uel hinc manifestum, quòd ducem cuius uestigia notauerit, habuit neminem. Hactenus enim (ut uerum fateamur) parum apud nostros tributum est literis, quocirca qui illis dederint operam fuerunt paucissimi. Eo modo res omneis, quas & regio ipsa laudabiles continet, & quæ à uiris Heluetijs tum prudentia, tum fortitudine, non absq; ingenti gloria sunt gestæ, usq; ad huc iacuerunt. Sed quod nulla fermè pars est hodie totius orbis Christiani, quæ non fertilis sit ingeniorum, edidit & nobis præter cæteros Heluetia Henrichum Glareanum uirum, de quo dubites doctior'ne sit, an melior. Is, inquam, pro ratione geographica eius terræ descriptionẽ susc epit, id quod titulus indicat, adiunctis quatuor pagis, de quibus Cæsar meminit, atq; Panegyrico laudatissimi pariter & iustissimi Heluetiorũ fœderis. Cuius quidem descriptionis (ut breuiter dicamus) huiusmodi poeta retinet formulam. Inuocat,*

materiam exponit negotij, Heluetiam à quatuor mundi partibus depingit, atq; totius Europæ locum edi-
tißimum esse demonstrat: naturam aperit regionis, & fontes cum adnexis pagis, adiacentibusq; populis:
concludens demum, sic Deum ab exordio mundi prudenter, ut omnia, disposuisse. Quid in Panegyrico con-
tineatur, suo loco dicemus. Lector hic obiter admonendus, Heluetiæ uocabulum apud ueteres nusquam in-
ueniri, sed Heluetios. Neoterici tamen eo utuntur non absurda analogia. Videntur enim nomina ita, ferè à
populorum pluralibus descendere, quemadmodum Italia ab Italis, à Germanis Germania, & mille huius-
modi: quanquam nos minimè præterit, non ubiq; id seruari. Verùm satis nobis est, uel Erasmum hoc nomi-
ne usum, ubi dicit: Iam Heluetia nobiliór armis quàm literis.

HELVETIAE DESCRIPTIO PER HENRICHVM LORITVM GLAREANVM, patricium Glaronensem, ac poetam laureatum.

Pierides nymphæ, Bœotia numina, Musæ
Fundite Pegaseum per inertia membra liquorem,
Euge chelym Vatis, dulceisq; agitate Camœnas,
Heluetia est cantanda mihi, gens inclyta bello,
Gens aquilam, gens terribileis imitata leones.

Pierides nymphæ] Inuocatio. Pieria apud Strab. lib. 10. locus Musarum est in Macedonia, quem olim habuêre Thraces, & â Pomponio lib. 2. Musarum parens, domusq; uocatur: hinc Pierides appellatæ. Festus putat à Pierio monte dictas. Non igitur à Pieri filiabus à Musis cantando uictis, ut fabulatur Ouid. lib. 5. Metamorph. Bœotia numina] â Bœotis cultæ. Appositorie dictũ. Fundite] Administrate. Fundite autem dicit, quia sequitur. Pegaseum liquo] Refert Ouid. Pegasum equum alatum ex guttis ortum Medusei capitis à Perseo amputati, fontem ungulis aperuisse in Heliconis monte, quem Hippocrenem dicunt. Huius fontis aquam poeta flagitat, hoc est, scientiam: nihil enim aliud aqua significare uidetur, ut etiam in Diuinis literis ubiq; supernæ legis notat cognitionem. Inertia] Indocta. Attenuatio est. Euge] Hortantis est. Chelym] Citharam. Dulceis agitate Camœnas] Dulce carmẽ mouete. Camœnæ Musæ dicuntur à carminibus, quòd antiquorum laudes canunt. Vel quòd sint castæ mentis præsides, ut Festus scribit. Heluetia] Emphasim habet, quasi dicat, regio tam nobilis, tam potens, tamq; eximia. Gens inclyta bello] Baptista Mant. contemptores animæ, Erasmus Roter. gentem bello natam appellat. Illud adijciendum: Heluetios huiusmodi bellatores semper extitisse, ut qui à iustitia ne latum (ut aiunt) digitum abscesserint unquam. Ne semel quidem (quod sciam) in hostes profecti, nisi dum pacem aliter impetrare nequiuerunt (de mercede à principibus conductis, nihil loquimur) Confligentes cum hostibus tam acres se præstiterunt, ut cum quibus conferantur, non facilè reperias. Iam post uictoriam in uictos adeò non sæuierunt, ut complures etiam saucios uulneribus ligatis, domum per suos dimiserint. In primis uerò militiæ cauerunt sacramento, ne rebus Deo sacris manus uiolentiæ afferrẽtur, senibus item, mulierculis, imbellicq; uirginum, uiduarum ac puerorum turbæ parceretur. Surda igitur aure, tuum est (candidissimè Lector) præterire eos, qui nescio quam truculentiam, quam impietatem, quam denicq; plus quàm ferinam naturam Heluetijs adscribunt. Non enim ueritatis ratio, sed inuidia tales (nominibus libenter parco, modestiæ potæ nostri memor) stimulat, quæ, quò hominum genus plerunq; impellat, te nimirum haud præterit. Gens aquilam] Hæc animalia procul amoto pauore, omnia aggrediuntur. De aquila nanq; scribit Plin. lib. 10. Ipsam pugnare cum cer-

uis &

uis & draconibus. Erasmus quoq; in Scarabeo suo, huius auis naturam mirificè depingit. Leoni quanto insit generositas, nemini reor incompertum. Plin. dè leonum natura lege lib. 8. & Solin. cap. 36.

Causam ortus nostri, quis sit quoq; fœderis autor,
Tantiq; imperij, cur malum fronte pusilli
Inuisum certa figis Guilielme sagitta:
Quod studium, quæ sit populi nascentis origo
Non nostris puto carminibus celebranda, nepotum
Officium id, maneat nostros ea cura minores.

Causam ortus nostri] Id est, cur fœdus Heluetij incœperint. Huius rei causam fuisse palàm liquet tyrannidem nobilium, quos comites primùm Habspurgenses, dein principes Austriæ, Suetiæ, Vriæ ac Syluaniæ incolis præfecerant, postquam uolentes in potestatem se illis dediderunt. Nam dum nobiles illi à principe Austriæ præfecti, sibi non patriæ gererent imperium, tamq; superbè ac truculenter facerent non quod ius erat, sed quod libuerat, penitusq; incumberent ad hoc, ut sibi bene, suis autem esset malè: nõ poterat tolerari diutius insolentia, ita omnibus modis imperiosa: quapropter nonnulli, quæ non minima pars fuerant eiusmodi calamitatum, ceperunt consilium quo & se & suos in libertatem asserent. Huc igitur deuentum, ut tyranni exterminarentur, percutereturq; fœdus totius communitatis consensu, quòd uelint libertatem adeptam, quoad ualeant Dei subsidio defendere. Autor] Primus incœptor, liceat sic dicere. Is autẽ fuit Guilielmus Tell Vrius, de quo statim dicemus. Vvilhelmus, uera scriptura, sed abusus doctorum euicit Gulielmus. Tanti imperij] Respectu originis. Cur malum] Apostrophe ad Guil. Nosse hoc loco tyrannidẽ eius, qui Vrijs & Suitis olim dominabatur, necesse uidetur. Eò namq; uecordiæ processerat, ut pileum apud Vrios publico itinere sublatum tam uenerari mandârit, quàm si ipse præsens consisteret. Guilielmus ille mandatũ, ut prorsus iniquum, aliquoties neglexit, quare comprehensus tyrãno sistitur. Interrogatus temeritatis causam, imprudentiq; adscribit, petitq; ueniam. Tyrannus responsi negligens, iubet tacitus Guilielmi liberos adduci, & hũc cogit inter hos lectissimo, ex uertice sagittã malum deturbare, hoc tamen prętextu, ut experientia sciret in illo sagittandi artificium, quod toties miris laudibus uehi animaduerteret. Iam re feliciter peracta, telum posteriore à Gulielmo insertum humerali, tyranno suspicionem inijcit: uerùm causam non prius extorsit, quàm uitam pactus est. Tum, inquit ille, reseruatum in tyranni exitium, si filiolum confodisset. Indignabundus tyrannus confestim præcepit ligatũ conijci in nauim, abduciq; Suitiam ad perpetua uincula. Et iam medium lacus qui quatuor ciuitatibus communis est, tenebant. Tunc uerò tam ingens repentè oboritur tempestas, ut salutẽ desperarent omnes, acclamarentq; uno ore ad tyrannum pro Gulielmo soluendo, ut ipsos seruaret. Iussu itaq; illius soluitur, apprehendit clauum, uir alioqui robustus, ac nunc in magna cõstitutus necessitate. Iam nauis in uado putabatur. Nec ita multò pòst, salutis spem concipit, saxo quod in lacum prominebat, & cui hodie adest sacellum conspicato, quamobrem famulos tyranni hortatur, remis insurgant, ita enim opus facto. Parent, raditur saxũ, Gulielmus filiolo, arcu & telis arreptis (hæc omnia naui cum eo fuerant iniecta) in hoc ipsum repentino saltu infertur, & pedibus puppim quantis potest uiribus in altum proculcat. Cursim festinat per Suitiam in uicum quendam cognomine Cauum à *Küßnach* pago porrectum ad lacum usq; Tuginum. Ibi quærit insidias. Interim tyrannus tandem portum offendit. Transeundum erat illac, ubi Guilielmus latitabat. Postquam igitur contra insidiarum locũ peruenit, ille telo emisso ipsum trajicit, deinde reuertitur ad suos, rem totam

ut erat facta commemorans. Post hæc non longo tempore primũ fœdus à pau-
cissimis initum est. Certa] Malum enim tetigit. Sic certam dicimus manum,
quæ quicquid destinat, iaculo contingit. Quod studium] Vindicandæ liberta-
tis. Illud quidem quàm fuerit uehemens, apparebit facilè superiorem cõlideran-
ti tyrannidem: atq; item ea, quam breuibus iam adiungemus. Fuêre enim tyran-
ni, qui uxores atq; filias ciuium uiolenter abstractas non prius remiserunt dõ-
mum, quàm suæ libidini satisfactum esset: neq; quisquam audebat contrà impu
nẽ, ne mussare quidem. Inter istos qui Syluanis præerat, Landenbergius genere
oculos seni cuidam eruit, omnibusq; bonis priuauit, quòd filius ipsius digitum
fregerat famulo Landenbergij, qui iussu domini conatus erat contra ius exara-
tro iumenta abducere. At ille idem non multo postea securi in balneo percussus
oppetijt, dum honestam Syluani cuiusdam uxorem adulterio contaminare pa-
taret. Hæc quidem quàm maxima crudelitate perpetrata, quem non mouerent
ad libertatem quærendam? Sunt enim ex quibus alia poteris cognoscere, ceu
leonem (ut dici solet) ex unguibus. Celebranda] Cantanda. Nepotum] Po
sterorum. Verg. Seris factura nepotibus umbram. Maneat nostros] Versus est
Vergilij ex 3. Aeneid. paululum immutatus, Maneat nostros ea cura nepotes.

Illius auspicia, & famæ immortalis honores,
Quis'ue typus patriæ, quæ forma, quibus'ue remensa
Limitibus, gracili cordi est mihi ludere uersu.

Illius auspicia] Propositio est, quam inuocationi postposuit, more Græcorum
poetarum. Auspicia] Fortunam. Verg. Me si fata meis paterentur ducere uitã
Auspicijs. Typus] Figura, & ad quantitatis refert descriptionem. τύπος, for-
mam, figuram, adumbrationem Græci dicunt. Forma] Respicit qualitatem
seu naturam terræ. Limitibus] Finibus, terminis. Ludere uersu] Secutus est
eos qui ita præcipiunt, Ludimus minora, canimus maiora. Vergil. Ludere quæ
uellem calamo. Idem, Arma uirumq; cano.

Principiò antiquos solis contingit ad ortum
Vindelegos, & pugnacis fera castra Briganti,
Tum Ceretos populos, spacioq; remota parumper
A' Lepontinis Actuatica rura colonis
Trans Rhenum, molleis ubi Rhœtus pampinat uuas
Bellipotens, etiam si Suanica non regit arua:
Suanica, nostro æuo Hercinijs habitata Sueuis.
Hìc primos fonteis, hìc dat duo cornua Rhenus
Monte Diaduella, longeq; effusus in amneis
Acronium & Venetum, Romana ac barbara regna
In Boream cursans, cursu crepitante diremit.

Principiò] Narrare incipit, primùm indicans quid Heluetia habeat ab orien-
te. Ponit omnia, quæ secundum geographos limitum obtinẽt rationem, ut gen-
tes, oppida, lacus, flumina, montes, & si qua sunt huiusmodi. Vbi hoc notãdum,
nomina quædam poni, quorum cognitio haberi non potest, nisi ex coniectura:
in causa est uetustas. Contingit] Heluetia. Vindelegos] Populos, de quibus
Strabo lib. 4. sic scribit: Rhenus quoq; magnas in paludes, lacumq; magnum ef-
funditur, quem Cereti & Vindelegi propius attingunt. Hæc Strabo: Quidam
putant Vindelicos in Strabone hoc loco esse legendum: de Ceretis nulla apud
alios mentio. Briganti] Oppidi uetustissimi ad caput lacus Constantiensis.

Prol.

Ptol. id adscribit Rhætis. Strab. uerò lib. 4. inquit: Brigantes pertinere ad Vindelicos. Hodie Bregantium dicitur. Lacus prędictus nomina quondam ab ipso oppido habuit: nam Solin. Brigantinum, Ammianus Brigantiæ lacum dixerunt. A' Lepontinis] Populis Rhætiæ, teste Strab. lib. 4. Cæsar lib. 4. de bello Gallico, Leopontios ad caput Rheni statuit. Ptolem. lib. 3. Leopontiorũ ciuitatem Oscelam ponit in Alpibus ad lacum Larium. Aetuatica rura colonis] Rheno autẽ uicina omnium primi colunt Aetuatici, quibus fluminis origo uicina est, in Diaduella monte: hîc Alpium pars est, à quo Abduas fluuius in contrarium fluit ad interiorem Galliam, lacum implens Larium, cui proximum conditum est Comum: dehinc in Padum confluit. Hæc iterum Strabo lib. 4. apud quem est diphthongus ἀετσάξιοι. Vnde poeta hic u pro consonante accipit, ut sit tetrasyllabica dictio. De illis Tschud. in Rhætia cap. 17. egregiè disserit: non sunt autem ultra Rhenum, ut putauit poeta, sed citra utrique & Aetuatici & Leopontij in Caninis hodie Rhætis. Rhætus] Rhætos supra Comum ad Alpium radices Strabo iacere dicit, & pertinere ad Italiam usq, quæ supra Veronam & Comum est, Tuscorum prolem, Plinio teste, quidam eos arbitrantur, à Gallis è Tuscia pulsos, ac duce Rhæto Alpes occupasse: ac ita Liuius lib. 5. ab v. c. Ptol. Rhætiam Adula monte, Danubio, Aeno, & Alpium montibus concludit. Vinum Rhæticum inde dictum, quod inter pretiosa uina numeratur. Verg. Et quo te carmine dicam Rhætica. Rhætiam uno libro de quo iam testimonium citauimus, elegantissimè descripsit D. Aegidius Tschudus, ut in mille annis nemo melius poetæ nostri iudicio. Est autem Rhætia prima syllaba cum œ diphthongo scribenda, ut habent Stabonis codices, & alludit uulgatũ adhuc arcis Rhǽtgunz. Pampinat] Decerpit. Molles] Alludit ad uini pretium. Suanica] Ptol. Suanitas populos inter Rhætos ponit. Sed poeta alludit ad Schanaw oppidum hodie non Rhætorũ, sed Sueuorum. Hercinijs habitata Sueuis] Hoc dicit quòd nonnulli Sueui intra eandem syluã, aliqui extrà habitant: autor Strab. in 7. Cæterùm in Sueuis, diæresis est, ut apud Luca. in 1. Hic primos fontes] Rhenus apud Rhætos oritur, & ab Alpibus decidens propè à capite duos lacus efficit Venetum & Acroniũ, mox diu solidus, & certo alueo lapsus haud procul à mari huc & illuc dispergitur, testis Mela lib. 3. eundem describit Cæsar lib. 4. de bello Gallico. Duo cornua] Duobus fontibus oritur, propterea hoc dictum est. At Vergilius aliter bicornem appellat propter hostia duo. Monte Diaduella] Strabo testis, ut suprà diximus. Sed poeta secutus Strabonis codicem, qui etiam in Græcis uariatnomen. Multi existimant ubiq; Adulas legendũ, nisi quis putet eum montem plura habuisse nomina, Adulas, Aduallas, Diaduella: sicut hodie tres transitus per eum insignia nomina habent, rrseler, rogel, Lucumonis mons. Vide D. Aegidium Tschud. in Rhætiæ descriptione cap. 31. Longeq; effusus in amneis Acronium & Venetum] Acronium lacum hodie Constãtiensem dicunt, Venetum autem Cellensem. Dubitatum est aliquandiu Acronum'ne tribus syllabis, an Acroniũ quatuor syllabis dicendum foret. Sed hanc dubitationem facilè depulit hodie Ioachimus ille Vadianus multæ doctrinæ uir, & mihi (quod in primis iucundũ) amicissimus, in epistola ad Agricolã suum. Ibi nanq; Acroniũ dicendum esse appositè docet, ab à priuatiua particula, & Cronium, id est Saturnium & frigidum, quòd Saturnus, qui frigidus est. κρόνος Græcis dicatur: significans lacum sic appellatum, quod minus frigoris uehementia prematur, & glacie. Venetus lacus à colore marino dictus, qui cæruleus est. Poeta Ioachimo subscribens carmen hoc loco correxit, & amnes lacus uocauit, non nisi quòd sint iam lucidi, tamq; splendidi, ut amnes uideri queãt. Lacus aũt amnis nomine posse dici, κατὰ ταπείνωσιν quis ignorat? Romana & barbara regna] Romano etenim imperio Rhenus olim termin9 erat, barbara regna dixit more Romano, intelligiturq; Germania.

In Bo-

In Boream cursans] Septentrionem, cuius Boreas uentus est. Diremit] Præteritum pro præsenti, quanquam ad præterita etiam tempora referri potest.

Insubres medium ad Solem, atq; Segusia prata
Prospicit, & quas persecuit ferus Hannibal Alpeis.
Tum monteis Vrsella tuos, ubi spumifer exit
Cœruleo Rhodanus curru, qui turbidus arceis
Heluetias olim Romanis mouit ab oris.
Hinc arua Allobrogum, Rhodanoq; super Geneuæ pons
Atq; recursantes per inhospita tesqua Seduni,
Et Veragri, gens undiuomo bene nota Lemanno.

Insubres medium] Quid Heluetiam cingat à Meridie, demonstrat. Insubres populi sunt Galliæ citerioris, quorum ciuitates sunt, ut Ptol. habet lib. 3. Nouaria, Mediolanum, Comum & Ticinum. Addant quidam Laudam, & Vercellos. Insubriũ meminit Strab. lib. 5. & Plin. lib. 3. nomẽ est Gallicæ linguæ qua etiamnum Heluetij utuntur *Vnsuber*, ut pleraq; alia Gallorum Cisalpinorum nomina *Kũnman* Cœnomani, *Mantow* Mantua, *Vener* Veneti. Ad mediũ Solem] Ad meridiem. Segusia] Segusianos Strab. lib. 4. in Rhodani & Dubidis fluuiorum medio iacere dicit. Cæsar non longè ab Allobrogibus collocat lib. 1. Ptol. in Italiæ descriptione ita ait: Segusianorum in Graijs Alpibus urbes Segusium ac Brigantium. Hæc ille: Sebusiani autem inter Rhodanum ac Ararim, apud Cæs. lib. 1. de bello Gallico. Seduſij uerò Germaniæ populus est, ut apud eundem lib. 1. Persecuit] Perfregit. Alluſit nimirum ad illud, quod est apud Plutarchum: Hannibalem in superandis Alpibus multa incommoda perpessum, non solùm cum incolis montanis pugnando, sed etiam laborando aduersus angustias, asperitatesq; uiarum, hoc modo, ut quibus locis per ingentia saxa, igni, aceto q; putrefacto, sibi aperuerit iter. Ferus Hannibal] Hannibalem prorsus depictum, uide apud Liuium lib. 1. Decad. 3. Iuuenalis quoq; de eo sic meminit. Satyra decima,

Opposuit natura Alpem q; niuem q;,
Diduxit scopulos, & montem rupit aceto.
Iam tenet Italiam, tamen ultrà pergere tendit.
Actum, inquit, nihil est, nisi Pœno milite portas
Frangimus, & media uexillum pono suburra.

Vrsella.] Vocandi casus, & prosopopœia. Vrsella, seu Vrsula (utrunq; enim Latinè) uicus est, & uallis ad radices Gothardi, stadijs ferè nonaginta distans à fontibus Rhodani. Quare additur: Vbi spumifer] Considerandus hoc loco poetæ amor in bona studia, considerandus labor infatigabilis: legerat non pauca de Rhodano apud ueteres scriptores (ut est in ijs euoluendis mirè diligens) nihil tamẽ hactenus inuenerat, unde certam de hoc flumine ueritatem referret. Quocirca fontes eius quæsiuit, cursum eius secutus Sedunũ usq; id autem quid est, breuibus adnotabimus. Rhodanus, Sedunorũ fluuius, ex Alpibus originem habet, eo quidem loco, quo ex Vrsellana ualle per Furcam montem in Sedunorum regionem iter est. Mons, sub cuius radice sunt fontes Rhodani, nõ saxis, non rupibus, non denicq; terra, sed perpetua glacie in altitudinẽ sexdecim penè stadiorum insurgit. Vtrinq; feros habet montes, abietibus, syluestribusq; arboribus uirentes. Ipse suo candore iners iacet, horrẽdi (me Herculè) aspectus. Non gramen, non uirgultum aliquod uirescens, sed solam concretam, coacerua tamq; glaciei cõgeriem, ac si pluuia è cœlo illic coaluerit, ostentat. Porrò statim post fontes non ad septentrionem (quemadmodum falsò antiqui crediderunt) sed ad Meridiem triginta stadijs labitur, decidit q; deorsum stadijs 16. donec ad ea

put uallis

put uallis Sedunorum, & ad occidens hyemale conuersus, peruenit. Tum centũ penè stadia eodem tractu currens, ad Zephyrum sese declinat. Deinde per Sedunorum & Veragrorum terram labens, in Lemannum effunditur. Hactenus de Rhodano. Heluetijs olim Romanis] Cęsar ab initio Commentariorum dicit: Rhodanum diuidere prouinciam Romanorum ab Heluetijs. Allobrogũ] Hi populi sunt Narbonensis Galliæ, qui Viennam habent ad Rhodanum, autore Ptol. Idem Strab. ait lib. 4. Partẽ eius regionis duces Sabaudiæ habuerunt, nunc Franci omnia occupant. De Geneua oppido Cæsaris uerba subscribam, inquit enim: Extremum oppidum Allobrogum est, proximumq; Heluetiorum finibus Geneua, ex eo oppido pons ad Heluetios pertinet: Hæc ille. Geneuæ pons] Quatuor hęc nomina Genua, Geneua, Genabum & Gebenna multum obscuritatis Lectori ingerunt, ac non attentos sæpe fefellerunt, quæ ipsa longè diuersa sunt. Genua enim (non Ianua) Ligurium caput in Italia ad mare mediterraneum. Geneua uerò Allobrogum, ad hostia Lemanni lacus, ubi Rhodanus exit. De hac nunc poeta loquitur. Genabum autem Carnutum oppidum ad Ligerim amnem, hodie, ut quidam putant, Aurelia, denicq; Gebenna mons, qui Heluios (hodie Albim) ab Aruernis separat, ut lib. 7. Comm. Cæs. patet. Per inhospita tesqua] Loca inhabitabilia, aspera & difficilia. Talia nempe Tesqua dicuntur, Cicerone teste. Sunt & loca augurio designata. Seduni] Vallesiani dicuntur hodie, & à Rhodani fontibus ad Lemannum lacum protenduntur, uallem habent amœnam, atq; septam undicq; montibus. Rhodanus eam mediam diuidit, patet in longitudinem 580. ferè stadia. Veragri] Populi Sedunis finitimi supra lacũ Lemannũ: hodie inferior Valesia, eorum uicus Octodurus, hodie *Martenach*. Cæsar de Sedunis & Veragris lib. 3. Comment. meminit. Malè enim tractatus ab ijs est. Ipse poeta de ijs multa in Commentaria Cæsaris scripsit lectu digna. Vndiuomo Lemanno] Rhodanus à Lemanno & recipitur & iterũ euomitur, ideo dicit Vndiuomo. Volunt quidam Alemannos inde traxisse nomẽ: uerùm Quadratus apud Agathium asserit Alemannos dictos, quòd plericq; Germaniarũ populi in unum conuenissent. Vulgò *allerley man*, atq; id uerisimile est. De Lemanno Strab. lib. 4. ad calcem. Et Lucan. Deseruêre cauo tentoria fixa Lemanno.

Denicq; ad occiduas umbras, Zephyrumq; tumentem
Burgundos acreis habet, & discrimen utrinq;
Ceruices ô Iura tuas, qui Sequana rura
Scindis ab Heluetijs nunquam sine graminè campis.
Heduus hinc latè regnat, Romana secutus
Imperia, & consanguineos imitatus amicos.
Lingonicus post horrisonis furor æstuat aruis
Nequicquam, & Leucos petit alta in fœdera fratres.

Denicq;] Quæ regiones Heluetiam contingant ab occasu, exponit. Zephyrumq; tumentẽ.] Idem cum eo quod dicit, occiduas umbras. Zephyrus namq; uentus ab occidente flat, Latinè Fauonius dicitur, testibus Gellio ac Seruio. Frequens aũt est poetis regiones designare per uentos. Hunc tumentẽ dicit, nimirum quòd eius naturę sit post hyemis sęuissima frigora relaxare uitem, atq; producere flores. 1. Georg. Burgundos acreis] Burgundi origine Germani olim occuparũt Sequanos, populum Galliæ inter Rhenum ac Aruernos, latè potentem, quos mons Iura ab Heluetijs separat. Ptol. his quatuor tribuit oppida, Diatonium, Visontium, Equestre, & Auenticum. Quanquam postremũ hoc Corn. Tacitus præcipuam Heluetiorum urbem fuisse scribit. Ceruices] Iuga. A'poetis & montes dicuntur habere capita, ceruices, uentrem, & pedes μεταφορικῶς.

O Iura]

O' Iura.] Iura mons, ut modò diximus, Heluetios & Sequanos diuidit, testis est Cæsar lib. 1. & Strab. lib. 4. Vulgò hodie appellatur *Läberberg*. Quamuis illud non nesciam, aliter quoq; appellari: idq; pro gentium, quos attingit, diuersitate. A'la cu Lemanno ad eum montem Cæsar murum perduxit una die, fossamq; Proin de error est dicere, montem esse Alsatiæ. Nunquã sine gramine campis] Com mendatio à fertilitate. Intelligit eos, qui sunt ad Lemannũ. Heduus hinc] Hedui populi trans Ararim & Rhodanum Romanis se, apud Strab. lib. 4. cõsangui nitate cõiunctos asserunt. Primiq; eius regionis homines in illorum amicitiam, societatemq; conuenerunt. Cæsar quoq; asserit lib. 1. Heduos sæpenumero ab senatu Rom. fratres cõsanguineosq; appellatos. Quare poeta etiam subdit: Ro mana secutus imperia, &c. Lingonicus] Lingones Ptol. supra Heluetios po nit. Strab. lib. 4. inquit, Supra Heluetios & Sequanos & Hedui & Lingones in occasum uergentes habitant. Supra Mediomatricos Leuci, & quædam Lingo num portio. Et Cęs. ait in Lingones Heluetios cessisse post pugnam cum ipso fa ctam. Hi hodie Langres. Leuci autem in Lothoringia, id quòd antiquitates, & monimenta quædam certissimè indicant, quæ Glareanus meus uidit in itinere ad Parisios. Ptol. quoq; ciuitates Leucorũ dicit Tullium & Nasium. Nequic quam] Frustra, quid enim Lothoringi potuissent contra Carolum Burgundiæ ducem, sine Heluetiorum auxilio? Fratres] Vicinos.

Postremò Arctoum, sæuiq; Aquilonis ad axem,
Qua scindit placidus Basileia mœnia Rhenus,
Vltima Rauriacam portendit brachia ad urbem,
Sequanium attingens, Fridolini nobile bustò:
Arietis hinc urbem, tum quorum sermo Latinus
Nomina non patitur, uariorum rura locorum,
Donec ad Acronias, Venetasq; recircuit undas.

Postremò] Vltimò concludit Heluetiam, quæ ad septentrionem respicit. Ar ctoum] Arcticum. Aquilonis] Aquilo uentus septentrionis, dictus ab aquilę uehementi uolatu: nam & ipse uehemens, & sæuus, quemadmodũ poeta eam nominat. Et Ouid. attribuit sæuitiã, & uires, iramq; animosq; minaces. Metam. 6. Græcè Boreas dicitur, ἀπὸ τοῦ βοᾶν, id est, à boatu, quoniã sit uiolenti flatus, & so nori, ut Gell. inquit. Ad axem] Ad axem arctoum, & ad axem sęui Aquilonis, idem: intelligit enim septẽtrionẽ. Axis propriè illud est plaustri lignũ, circa quod rotæ uertuntur. Ad cuius similitudinẽ linea mediũ sphæræ transiens, axis appel latur. Et axes pro polis accipiuntur. Qua scin. pla.] Notũ est Rhenũ placidissi mo, pariter & amœnissimo lapsu insidiante tamẽ, Basileã interlabi. Vnde Picus quoq;, Hinc sumptis Basileã diuidit urbẽ fontibus. Rauriacã] A' Rauracis post excisam Augustã ipsorũ, extructã. Rauraci apud Ptol. habuerunt Augustã urbẽ in littore Rheni. Cuius hodie supra Basileã sunt pluríma uestigia: hi urbe deser ta, cõmutatisq; sedibus, sed nõ longo interuallo, Basileã condiderũt. Quæ qui dem hodie, ut tẽpore Cæsaris Rauraci, cum Heluetijs est in fœdere. Sed ipse poe ta super 1. Com. Cæs. ita differit: Rauraci supra Basileam habuisse sedes, atq; Au gustam urbem maximam, cuius etiam hodie uestigia sunt, pertigisseq; eorum imperium rectã ascendendo, sed in Rhenum ad cõfluentem usq; Rheni ac Aro læ, ditionis hodie Helueticæ, satis consonum ueritati est. Hi *Rauchacker* olim Ger manica uoce dicebãtur, quasi diceres duri agri. Eius tractus hodie quatuor sunt elegantia oppida, *Vualdßhůt, Louffenberg, Seckingen, vnd Rinfelden*, hęc ille, & plura alia le ctu digna. Sequanium] Vulgò *Seckingen* oppidulum Rheni uigintí ex milibus passuum supra Basileam in medijs Rauracis iacens. Sunt qui huius incolas Se quanorum quõdam fuisse dicunt colonos, & Germanos à sacco putasse dictos.

Verùm

Verùm nos credimus ſaccum poſterius eſſe, ut Baſileorum baſiliſcũ, & arietem Scaphuſianorum (ut poſtea dicimus) atq; ſubinde inſignia poſteriora, in quibus ſaccum, baſiliſcum, & arietem publicè ferunt. Fridolini nobile buſto] Diuus Fridolinus enim ibi ſepultus iacet. Sed de hoc poſtea. Buſtũ locus, ubi mortuus eſt combuſtus & ſepultus, ſic dictum, quaſi bene uſtum, nos ſepulchrũ dicimus eſſe. Inde buſtuarij, quos ſandapilarios uocamus. Arietis hinc urbem] Scaphuſiæ periphraſis. Hanc uulgus nominatam putat ab oue (quam opinionem hîc ſequitur poeta, ſed in Panegyrico alteram) cùm tamen antiqua Chronica dicant appellatam Schiffhuſen, à frequenti nauium ſtatione. Quicquid enim mercium ex lacu Conſtantienſi per Rhenum defertur, eo loci exportandum eſt, nam ultra nauigio non poteſt pergi ad mille quingentos penè paſſus, Græca compoſitione hodie uocant Probatopolim, προβατον enim ouem ſignificat, unde Probatica piſcina in Euangelio. Arietis, pes eſt Proceleuſmaticus pro dactylo. Tum quorum ſermo] Hoc dicit, multa adhuc eſſe loca, quibus Heluetia ad ſeptẽtrionem clauditur, ſed nomina eſſe barbara, & proinde carmini inconuenientia, qualia ſunt Vualdßhût, Klingnow, Steckborn, Dieſſenhofen, &c. Conſultò igitur relinquuntur.

Hercinios ſaltus, ſyluam ſine fine uagantem
(Vt Nili ignotam referat longi agminis undam)
Prendit, Erythropolitanos curuo aggere muros.
Hîc olim pugnax, regno Erenueſtus auito
Teutonicas rexit caulas, gentemq; ſuperbam
Germanos, bello indomitos, ſuetosq; laborum
Semper, & in nudo nudos ſudeſcere campo.
Hi patriæ fines, hi ſunt quos continet arcus
Heluetia, & quas comprendit uicinia gentes.

Hercinios ſaltus] Herciniam ſyluam ait Cæſar in 6. Com. lib. Tectoſages occuparunt, cuius latitudo nouem dierum iter expedito patet, non enim aliter finiri poteſt, neq; menſuras itinerum nouerunt. Oritur ab Heluetiorum, & Nemetum, & Rauracorũ finibus, rectaq; fluminis Danubij regione pertinet ad fines Dacorum & Anartiũ. Hinc ſe flectit ſiniſtrorſus, diuerſis à flumine regionibus, multarumq; gentium fines propter magnitudinem attingit. Neq; quiquam eſt huius Germaniæ, qui ſe aut audiſſe, aut adiſſe ad initium eius ſyluæ dicat, cùm dierum iter 60. proceſſerit, aut quo ex loco oriatur acceperit. Hæc ille: De hac ſylua Strab. quoq; lib. 4. & 7. ſcribit. Et Pomp. lib. 3. de Germania, multa etiam poeta noſter in Annotationibus ſuper 6. librum Commentariorum Cæſaris, digna lectu, quia oculatus teſtis ea narrat. Porrò ſylua Bacenis (obiter enim hoc adnotandum erat) longè alia eſt, introrſus Chæruſcos à Sueuis, Sueuoſq; à Chæruſcis ſubmonens, cuius item meminit Cæſar in 6. Et quæ hodie Nigra ſylua dicitur, pars eſt Herciniæ. Caput eiuſdem eſt Rotuila, aut Græcè Erythropolis, ciuitas Heluetijs amiciſſima. Vt Nili ignotam] Parentheſim carmen hoc integrũ ſupplet. Comparat autem poeta Herciniam ſyluam Nilo fluuio maximo Aegypti, eo quòd eius origo pariter, uti Herciniæ, apud ueteres ignorata fuit. Vnde Horatius:

Te fontium qui celat origines Niluſq;. Et Ouid.
Nilus in extremum fugit perterritus orbem,
Occuluitq; caput, quod adhuc latet, oſtia ſeptem
Puluerulenta uacant, ſeptem ſine flumine ualles.

Nero centuriones duos miſit ad inueſtigandũ caput Nili. Illi uerò retulerunt, ſe uenijſſe ad immenſas paludes, quarum exitum nec incolæ nouerant. Deinde uidiſſe

uidisse duas petras, ex quibus ingens uis fluminis exciderit, uerùm an caput ibi fluminis sit, prorsus ignorare: propius enim adeundi potestas non fuit. Autor Seneca lib. 6. Natur. quæst. Agminis] Cursus. Prendit] Scilicet Heluetia, hoc est, attingit. Erythropolitanos] Rotuilanos, ita enim uulgò dicimus, ἐρυθρόν namq; rubrum signat. Huius ciuitatis mẽtionem poeta his de causis maximè facit, quòd à multis iam annis continuò Heluetijs adhæsit, atq; in bellis etiam difficillimis semper prẽstò fuit suis præsidijs, animumq; fortissimum nunquam non indicauit. Deinde autem, quòd præceptor eius primus, Michael Rubellus, qui bonas literas cum maxima laude multis annis Bernæ professus est, uir, ut docti na clarus, ita probitate cõspicuus, inde natus sit. Denicq; quòd illic per biennium poeta literis incubuerit. Eius urbis laudes ipse poeta unà cum præceptoris Encomio celebrat lib. 2. cap. 33. Dodecachordi, ubi de cõnexione Aeolij Hypoæolijq; disserit. Curuo aggere muros] Ob situm ciuitatis hoc dicit. Erenuestus] Hic Germanorum rex fuit, testis est Cæs. lib. 1. de bello Gallico. Vox est Germanicæ linguæ Erenuest. Cæsar uocem, ut alia, corrupit, Ariouistus. Auito] Prisco. Teutonicas rexit caulas] Casas Germanorum. Superbam] Nobilem, sic Vergil. Hinc populum latè regem, belloq; superbum. Bello indomitos] Libet uerba Senecæ de Germanis adscribere. Ille enim, sic inquit, de Ira, lib. 1. Germanis quid est animosius? quid ad incursum acrius? quid armorum cupidius? quibus innascuntur innutriunturq;, quorum una illis cura est, in alia negligentibus: quid induratius ad omnem patientiam? ut quibus magna ex parte non tegumẽto corporum prouisa sunt, non suffragia aduersus perpetem cœli rigorem. Hos tamẽ Hispani, Galliq;, & Asiæ Syriæq; molles bello uiri, antequam legio uisatur, cedunt: ob nullam aliam rem opportunos, quàm ob iracundiã, hactenus ille. Præterea de Germanorũ moribus, Pomp. lib. 3. Strab. lib. 7. & Corn. Tac. de Germ. Hi patriæ] Conclusio situs Heluetici. Arcus] Ambitus, circuitus.

Præterea caput Europes hanc esse probabunt,
Aeternis Alpes niuibus, iuga Olympica, quorum
Porgitur in cœlum caput, & sub tartara uenter:
Et quòd ad Auroram, Boream, solemq; cadentem
Flumina perpetuò non deficientia cursu
Parturit, illa uolant, & in omnia membra redundant.
Ad Zephyrum & Lybien Rhodanus, Rhenana furentem
Vnda citat Borean, gelidas rotat Ister ad Eurum
Dirus aquas, Getico nouus hostes & aduena Ponto.
Ast alios sileo, quos Italia accipit amneis
Alpibus à nostris, quæq; alto à uertice montes
Agmina disparibus fundunt latissima sulcis:
Ceu fluat Elysijs Gangeticus humor ab oris,
Tigris & Eufrates, & non bene cognita fonte
Vnda papyriferi semoto ex æthere Nili.

Præterea] Indicaturus Heluetiam esse locum totius Europæ altissimũ, duobus id rationibus facit. Prior, quòd Alpes æditissimæ rupes sunt in Europa, auctore Strab. Altera, quòd quatuor aut quinq; flumina Europę maxima oriuntur uel in Heluetia, uel propè, & ad quatuor mundi plagas decurrunt. Nempe Rhenus ad Boream, Danubius ad ortum, Rhodanus ad occidentem, quamuis citra Lugdunum se ad meridiem flectat. Adhuc sunt, quæ ex Alpibus defluentia Italiam irrigant, de quibus mox dicemus. Caput] Locum editissimũ. Aeternis Alpes niuibus] Vna ratio. Alpes describuntur ab Herodiano historico lib. 2. tum uetò

uerò lib.8.his uerbis:Hi sunt longissimi quidam montes, uice murorum Italiæ circundati,adeò in altum editi,ut etiam nubes superare uideantur, itaq; in longum porrecti,ut universam Italiam comprehendant:leua ad Tyrrhenum pelagus,dextra ad Ionium usq; pertingentes,densis ubiq; nemoribus infesti,atq; angustissimis callibus,&rupium prærupta altitudine,scopulorumq; asperitate uix peruij,nonnullis tamen quasi semitis magno ueterum Italorum laborum manu factis.Hæc non potui non ascribere,cùm ob elegantiam uerborum, tum quòd uix alium reperies,qui Alpium formam ita oculis proponat. Niues habent perpetuas,unde nomen à niuium candore sortitæ dicantur. ἄλφος enim maculam significat albam.Sunt tamen qui uolunt inditum uocabulũ â Gallorum lingua, qui montes altos uocitent Alpes.Quod est uerisimile. Iuga Olympica] Id est, tantæ altitudinis,ut est Olympus mons Thessaliæ,de quo Lucan.Nubis excedit Olympus. Porgitur] Syncope. Et sub Tartara uen.] Hyperbole,hoc est,superlatio secundum Ciceronẽ. Et quòd] Ratio posterior. Volant] Volare habentiũ pennas est. Transfertur ad ea,quæ cum celeritate fiunt,ut hîc,uolant,pro celeriter decurrunt. Ad Zephyrum] Id est occidentem indicat,uti quodq; horum fluminũ ad suam tendat plagam.De Zephyro diximus. Libyen] Ad meridiem.Libya Aphricæ regio Aegypto contermina.Plin. testis lib.5. Quam quidam dictam uolunt ab Epaphi filia,Libya uocata, procreata quidem ex Cassiopeia uxore.Alij à uento,qui Lybs appellatur. Rhodanus] Diximus suprà,ab ortu longissimo tractu huncad occidentem labi, tandem uerò post Lugdunum totum uerti ad meridiem. Ister] Danubius fluuius Germaniæ maximus,cuius originem & progressum hoc modo Picus descripsit in σαυρόστιχον.

Hinc & Danubius non magnas deuehit undas
Montibus Arbonæ uix fusus,plurima nondum
Flumina surripuit,nondum binomius,ingens
Alluit Elysios,Ariosq; & Pœonis oram.
Et Lygios:tandem rapto tumefactus aquarum
Euxinum ingreditur bis terno gurgite pontum
Extremumq; caput limosa perdit in ulua.

Verùm de hoc flumine & eius,non uno,sed duobus fontibus Prygen & Prẽgen,ipse poeta multa notatu digna scripsit in annotationibus Com. Cæs. lib.6. Ad Eurum] Orientem. Dirus] Rapidus. Getico] Euxino. Danubius enim per Getas in Pontum delabitur,sed tum Istri nomen accipit. testis est Strab.in 7. De ostijs autores non admodum consentiunt. Nam Corn. Tac. sex meatibus in mare Ponticum erumpere dicit,septimum os hauriri paludibus, initio de Germania.Mela totidem,quot Nilus, ostijs, sed tribus tenuibus reliquis nauigabilibus,lib.2.Strabo septem, & ex autoritate Ephori quinq;, lib.7. Ptol.6. &c. Ast alios sil.] Vt Abduam, Tosam,Mediam, Ticinum, Athesim,& nonnullos alios. Agmina] Flumina. Sulcis] Alueis. Ceu fluat elysijs] Comparatio. Vt enim è paradiso fluunt quatuor flumina (ut proditur secũdo Geneseos) Ganges,qui & Physon, Tigris, Euphrates,& Nilus,qui etiam Geon nominatur: ita ex Heluetiorum Alpibus in quatuor mundi plagas excurrunt quatuor flumina maxima Europæ. Gangeticus hu.] Ipse Ganges Indorũ fluuius.Quem incertis quidam fontibus nasci,& Nili modo exundare perhibent. Ita Solin. cap.60. Strabo lib.15.scribit ex Artemidoro,Gangem ex Hænodis montibus ad Austrũ deferri,& cùm ad Gangem urbem peruenerit,conuerti ad Aurorã usq; Palimbothra, atq; in mare ingredi. Mela lib.3.eandem originem tradit, In eo tantæ longitudinis anguillas dicit esse Solin.ut ad tricenum pedum proceritatem accedant. Tigris] Tigris oritur in regione Armeniæ maioris,testante Plin.lib.6.fonte conspicuo in planicie.Nomen obtinet à uelocitate currendi,nã Medi sic uocãt sagittã.

Strabo de Tigride & Euphrate, lib. 11. & 16. Euphrates] Euphrates similiter Armeniæ fluuius, Armenię regiones à Cappadocia excludens, ut idem Plin. tradit. Mela originem eius, atq; cursum planè depingit lib. 3. Ptol. montẽ unde is fluit, appellat Periarden. Ammianus quoq; eius mentionem facit lib. 23. Et non beneq; fon.] Suprà diximus Nili originem antiquis fuisse incognitam. Verùm id non mirum, cùm & diuinæ scripturæ ueritas immanifesta ipsis extiterit, quæ Nilum ex paradiso (uti dictum est) erumpere docet, cùm alijs tribus fluminibus. Quorum quidem originem illi tradiderunt, prout inuenerunt ea primùm è terra prorupisse. Nobis itaq; in his, sicut in alijs, puto sacris documentis accedendũ, quæ mentiri haud nouerunt. Papyriferi] Qui fert papyrum frutícem in paludibus Aegypti nascentem, aut quiescentibus Nili aquis, ex qua fiunt chartæ. Plin. teste lib. 13. cap. 11.

Si uerò Heluetiæ, quæ sit natura requiris,
Conditio est duplex, terræ natura biformis.
Nanq; ubi ad Italiam uergit, solemq; calentem,
Montana est, sed enim ridenti fertilis aruo,
Fontibus irrigua, & florentibus optima pratis:
Lucis & syluis, pecori gratissima tellus.
Phæacum terras Corcyrea gramina uincit,
Et longè positos alio sub sole Britannos.
Sed contra Boream, ortumq;, obitumq; astrorum
Plana iacet campis, fœcundoq; utilis agro:
Frumenti, uinique ferax, & diuite rure,
Collibus apricis, quos pampinus ornat, & uua.

Si uerò Heluetiæ] Naturã describit Heluetiæ, duplicẽ eam esse demonstrans. Qua enim parte ad Italiã uergit, Alpes habet. In alias parteis ferè plana est, producitq; abundè quicquid humana uita exigit, productura tamen omnia felicius, si pro soli fœcunditate coleretur. Conditio] Qualitas. Vergit] Tendit, porrigitur. Solemq; calentem] Ad meridiem. Montana est, sed enim ridenti fertilis aruo] Breuiter adnotabimus, qualis sit Alpium natura apud nos (figuram nempe superius ex Herodiano retulimus) quo intelligatur, quid commodi liceat sperare ex reliquis partibus Heluetiæ, cùm tantus sit fructus ex montibus. Horum nanq; (ut hoc primò dicamus) hi perpetuis niuibus albicant. Illi procul aspicientibus nihil promittant, nisi saxa durissima; postquam inscenderis, prata pinguissima offendis. Alij uerò & aspectu sunt amœni, & re ipsa. In ijs inquam per æstatem menses treis ad summum pascuntur cùm greges, tum uaccæ, è quibus tanta emolimenta, ut breui oratione nemo possit consequi. Nam serum inde, caseus, butyrum, aliaq; lactaria tanta fiunt copia, ut nõ tam Heluetia ijs rebus expleatur, quàm finitimæ quæq; nationes. Transuehuntur nanq; in Sueuiã, ultra Iuram montem, in Italiam, multaq; alia loca. Atq; tam ingẽs redit pecunia, ut uix credi possit. Illud mihi compertum, ex uiginti bobus fructum annuum esse centum coronatorum, præter sumptum omnem, quem in familiam, famulos & famulas distribueris. Omitto fœturam copiosissimam, lac & liquidum & concretum, quæq; ex lacte adhuc alia conficiuntur cibaria in quotidianum usum. Hinc est, quòd tantus populus, in tam angusto circulo enutritur, quòd adeò pauci ex Heluetijs ad mendicitatem adiguntur, quod tanta exterorum turba sedes apud nos quærit. Libet penè exclamare hodie cum Verg. O' fortunatos nimiũ, sua si bona norint, Heluetios. Sunt enim quos pecuniæ nimia cupiditas tam angit transuersos, ut huiusmodi bona non intelligãt, ut tales opes prorsus uilipendant, quæ tamẽ, ut sunt & stabilissimæ & honestissimæ, ita maximè Christianæ, uti

uti Chrysost. docet. Sed hæc pluribus. Fontibus irrigua] Vnde patet Heluetię fœcunditas. Nam dicit Strab. lib. 12. de patria sua, semper aquæ copiam meliorē esse, quàm siccitatem: fontibus, amnibus ac lacubus non est similis Heluetiæ natio sub cœlo, ut putat poeta noster. Corcyrea gramina] Quæ in Corcyra insula Epiri crescunt, quam Phæaces inhabitarunt. Respicit ad hortos Alcinoi notissimos, de quibus Hom. lib. 7. Odyss. Alio sub sole] Id est, clímate. Britannos] Hiberniam intelligit. De qua Pomp. lib. 3. scribit, tam esse luxuriosam herbis nō lætis modò, sed etiam dulcibus, ut se exigua parte diei pecora impleāt, & nisi pabulo prohibeantur, diutius pasta dissiliant. Idem penè Solin. cap. 31. Pomp. eam insulam Iuuernam dicit, Strab. Iernam ἱερνὰν. lib. 4. Obitumq; astrorum] Occasum. Virg. Nec frustra signorum obitus speculamur, & ortus. Est autem uersus spondaicus. lacet] Heluetia. Frumenti uiniq; ferax] Ager Bernensis, Friburgensis, Salodorius, Herogea: item & Durgea frumento mirè exuberant. Colles autem Scaphusiani, Moretenses, Auenticenses, Bielenses, & Thermopolitani uino. Apud Tigurum & Basileam utrunq; non mediocriter crescit. Sunt alia insuper loca per Heluetiam, quibus neutrum deest, sed minor copia. Diuite rure] Diuite neutro genere dixit quemadmodum Tibullus, Diuitis hoc uitium est rus. Apricis] Soli expositis. Hor. Multa mole docendus aprico parcere prato. Homo apricus, & auis aprica, sole gaudentes. Pampinus] Vitis synecdoche.

Quid liquidos referam fonteis, riuosq; loquaces,
Muscososq; auareis, de uiua rupe cadenteis,
Cæruleos latices? ô murmura grata colonis,
O requies, ô lenimen prædulce laborum.
Num uestras laudes, summa & præconia adæquat
Fando aliquis? docto non est lingua Maroni,
Nec tibi Homere caput, licet omnia uterq; poetá
Attigerit, gremio quæ uastus continet orbis.

Quid liquidos referam] Fontium aquæ & Iouis, & optimæ apud nos nusquā deest copia. Fluminibus abundamus, his nauigabilibus, utpote Limago, Vrsa, Arola, & Sana: aliis nauibus minus accommodis, ut Dura, Emmana, Rhodano, ut in Sedunis innumerisq; talibus. Liquidos] Claros. Verg. Et liquidis immisi fontibus aprum. Loquaces] Resonantes. Sic Hor. de fonte Blandusiæ. Vnde loquaces Lymphæ desiliunt tuæ. Muscosos] Obsitos musco. Verg. Muscosi fontes, & somno mollior herba. Viua] Naturali. Vergil. Viuoq; sedilia saxo Nympharum domus. Cæruleos] Cæruleus color species uiridis, Gell. teste lib. 2. cap. 26. Est autem cæruleus perpetuum aquæ epitheton. Latices] Latex (ut Seru. inquit) aqua propriè est, ab eo, quod intra terræ uenas lateat. Insuper autē & uinum laticem dicimus, quod lateat intra uuam. Ouid. Latices Palladios, pro oleo dixit. O murmura] Admiratio. Lenimen] Refocillatio. Vnde Horat. de laude uitæ rusticæ:

Libet iacere modò sub antiqua ilice,
Modò in tenaci gramine,
Labantur altis interim ripis aquæ
Queruntur in syluis aues,
Fontesq; lymphis obstrepunt manantibus,
Somnos quod inuitet leues.

Num uestras laudes] Quasi dicat minimè. Negationem enim Num, in se habet, sicut affirmationem non ne. Docto non est] Scilicet ut uos pro meritis celebraret. Nec tibi Homere caput] Apostrophe. Licet om.] Quid Verg. quid

Hom. scriptitarint, & quantam inde laudem sint meriti, uel sole clarius. De Homero nempe dicitur, uatem esse doctrinarum omnium, atq; ingeniorum autorem, & principem. De Verg. Tantum ipsum, ut laus nullius commentatione crescat, nullius uituperatione minuatur. Gremio] Ambitu.

Quatuor Heluetiæ cœpi connexere pagos:
At res obscura est, facit hoc longinqua uetustas,
Annorumq; acies, æuiq; uolubile tempus.
Sed sequar autores, & quæ ratio ipsa docebit,
Vtq; illi scripsêre, hodie quoq; ita esse probemus.
Et Græci πωγὼν, pagum fortasse Latini
Totius fluuij sulcos dixêre propinquos,
Et uillas iuxta positas, uicosq;, casasq;.
Non etenim credo pro uico dicere pagum,
Scripta monent aliud, testisq; adducitur hostis,
Iulius, orbis apex, & tanti gloria belli,
Ille inquam Heluetiæ bissenas innuit urbeis,
Et quadringentos uicos, hæc omnia rursus
Quatuor in pagos, quæ flumina quatuor, angit.
Hos igitur nostro placuit coniungere plectro,

Quatuor Heluetiæ] Heluetiam fuisse distractam in quatuor pagos, Cæs. his uerbis scribit Com. 1. Is pagus appellabatur Tigurinus. Nam omnis ciuitas Heluetia in quatuor pagos diuisa est. Hęc ille: Dubitatum est aliquandiu etiam à doctis uiris, quid pagum Cæsar diceret. Si respicis rationem nominis, ablata est dubitatio. Nam ἡ πωγὼν καὶ ἁπλῶς ἡ παγὰς fons est. Vnde pagi sunt dicti, quod uillæ circa fontes cõsueuerant condi, ut Seruius inquit. Et pagani, quasi ex uno fonte potantes. Eadem itaq; ratione pagum Cæsar, fluminis tractũ esse uoluit cum accolis: hoc enim pacto Heluetia distributa est quatuor his fluminibus, quæ poeta hîc enarrat. Ea sunt prorsus in Heluetiorum ditione, & his quoq; limitibus inclusi, quos Cæsar constituit. Connexere] Ad carmen nectere. Acies] Multitudo. Sed sequar autores] Non caput meum. Et quæ ratio] Coniectura, quæ rationibus utcunq; fulcitur, haud reijciẽda, cùm multa sint apud ueteres scriptores, quę secus nemo, quantumcunq; doctus, possit assequi. Sulcos] Tractus. Dicere] Quemq; subaudiendum. Testisq; adducitur] Iulium testem dictorũ adhibet. Quem ob id hostem dicit, quòd aduersus Heluetios ueteres bellum gesserit. Orbis apex] Affirmat Sabellicus, plures in uno Cæsare uirtutes extitisse quàm in cæteris omnibus, quorum uitas Tranquillus scripsit. In eo consilium, eloquentia, uigor, constantia, militaris disciplinæ, omniumq; altissimarũ artium studium: & quod ad gratiam conciliandam plurimum ualet, mira quædã liberalitas. Apicem igitur orbis meritò dixit poeta. Et tanti gloria belli] Intellectio est. Ille inquam] Scribit in 1. Com. Cæs. Vbi se iam Heluetij ad expeditionẽ parauerint, oppida sua omnia numero ad duodecim, uicos ad quadringentos, reliquaq; priuata ædificia incendisse. Angit] Distribuit. Plectro] Carmini. Plectrum propriè instrumentum est, quo fides pulsatur. Martian.

Feruida ne trito tibi pollice pustula surgat,
Exornent docilem garrula plectra lyram.

Primus adest Duras, pleraq; in parte uadosus,
Durus agris, pinosq;, & summo litore fagos
Euertens, caulasq; trahens, & ouilia secum,

(*Terribilis*

(Terribilis lapsu) campos grassatur in omneis.
Hic ager Heluetius, quem ne Germanus haberet
Miles, & in Gallæ rabiem exerceret auitam,
Cæsar in Heluetiam proprios remeare colonos
Iussit, adhuc fluuij nomen terra illa reseruat.
Doggius huic propior, Cellæ, Galliq; beati
Imperia, & propè ad Acronios celeberrima fluctus,
Litoreq; in nostro Rheni Constantia fulmen.

Primus adest Duras] Aperit primum pagum, cum agri adiacentis bonitatẽ. Hunc Duras facit, cuius quidem fluuij apud ueteres nulla prorsus est mentio. Attamen nomen ipsum arguit aliquid antiquitatis, & terræ nomẽ Durgôw. Quidam putant olim ur syllaba producta dictam, & Celticè *dieur*, ac abiecta de articulo diphthongo *ie*, *dur*. Sed postea ita mansisse nomẽ, quasi simplex. Oritur in finibus diœcesis Curiensis, ualle quam sancti Ioannis uocãt, fluit per Doggios, & populum quem denominat Durgôw, in Rhenum exit circiter bis mille passus supra Eglisow oppidum ditionis Tigurinę. Ab hoc fluuio multa nomina deriuantur, ut Durtal, Vuintherthur, seu Vuinterdur, & quædam alia. **Vadosus**] Habens multa uada. Vadum est aquæ fundus, in quo quisq; cõstiterit, is iam effugit periculum ne mergatur. Hinc sumptum adagium, Res in uado est, pro eo quod est in tuto. **Durus**] Allusio ad nomẽ. **Caulasq;**] Ouium casulas. Verg Cùm fremit ad caulos uentos perpessus & hymbres. **Grassatur**] Debacchatur, exit. Grassari dicuntur latrones uias obsidentes, unde grassatores. Apud Sallust. gradi significat. Animus ubi ad gloriã uirtutis uia grassatur. **Hic**] In Durgea. Cæsar in 1. Com. scribit, Heluetios à Cæsare reuerti in suos fines iussos, ea maximè ratione, quòd noluerit eum locum, unde Heluetij discesserant, uacare, ne propter bonitatem agrorum Germani, qui trans Rhenum incolunt, è suis finibus in Heluetiorum fines transirent. Hunc agrum dicit poeta, esse in Durgea, propter Germaniæ uicinitatem. Tametsi illud non semel ex eo audiuimus, quanquam ita scripsit, sibi tamen uideri Cæsarem loquutum de agro Auenticensi, & Moretensi, de quo ipse Cæsar fortassis audierat. Nam Cęsar Heluetiam non uidit. Id quod etiam Falco consul Friburgensis, uir & doctus & eloquens me admonuit. **In Gallos**] Heluetios, qui uerè Galli sunt, ueteribus id autoribus indicantibus. Verùm de hac re fortè aliâs. **Rabiem auitam**] Furorem ex antiquo odio cõtractum. **Adhuc fluuij nomen**] Durgea nempe uocatur, à Dura, & γέα terra. Hoc enim pacto Celtę multa nomina componere solent, ut Herogea, Durgea, Algea, Brisacogea, Hegogea. Quanquam ipsi proferũt per *geu*, addita etiam w, *Durgeuw*, *Algeuw*, *Brisgeuw*, *Hegeuw*. **Doggius**] Doggios lingua nostra *Doggenburger* appellamus, Dogg, uocabulo Anglico, quo canis significatur. Ferunt enim Doggij canem in insignibus. Non nescimus quid de hoc nomine referat historia Sueuica. Dein à quibusdam Tuconiam regiunculam ipsam nominant: sed quàm aptè, uideãt ipsi. **Cellæ**] Scilicet Abbatis, sunt quibus magis arridet, ut dicatur Alpiũ cella, quàm Abbatis cella. Sed poeta noster somnium putat. De oppido sancti Galli in Panegyrico postea dicemus. **Litoreq; in nostro**] Id est Heluetico. **Cõstantia**] Vide ut Poeta hic minimè inuidus huic urbi suam tribuerit laudem: cùm nulla unquã uicina urbs rebus Helueticis magis obstiterit, non magno sanè suo commodo.

Deinde paludosus splendenti Limagus unda,
Hospes Adulæ, Claronæq; incola terræ
Auctus abit, semperq; cauis aptissimus alnis,
Voluitur in gyros, & lenta uolumina torquet.

Huic est ad leuam, quo uix est sanctior usquam
Orbe locus, frondens Mariæ genitricis Eremus.
Vix alibi inuenies tam mitia numina diuæ,
Propitiumq; Deum & præsentcis Virginis aras.
Belliger has ualidis cognoscit Sueuus in armis,
Contentusq; suis, aptusq; ad bella Sicamber,
Quiq; sub Arctoo pressatur Sarmatà plaustro
Attingens Boream rigidissima litora Ponti.

Deinde] Exponit secundum pagum, quem Limagus conficit fluuius, cuius quo q; mentionem nõ facilè apud antiquos scriptores reperies. Hodie tamẽ nomen satis clarum ac integrum est. Compositum namq; dicitur ad imitationẽ Celticæ linguæ, quæ frequenter nomina in magus connectit, ut Rhotomagus, Nœomagus, &c. Illud sanè adnotandum, eum apud Claronenses oriri, & uocari Linthum: deinde ex lacu Riuario alium effundi amnem, cui nomen Magus, eos confluere in unum, ac deinde Limagum uocitari: intrare autem, posteaquã ab origine circiter decem milia passuum, Claronam, atq; infra Claronam castra, & Marcam, duas regiunculas irrigauerit, in lacum Tigurinum, hunc q; pertransire ita & medium urbis Tiguri, post hæc autem cursu ad 200. stadiorum confecto in Arolam primum, breuissimo post spacio in Rhenum influere. Paludosus] Dixisset Lacunosus, si lingua Latina haberet, aut si ea uox à lacu deriuari potius uideretur, quàm à lacuna. Limatus enim lacus excipit, ut minimũ quinq; Hospes] Appositio. Adulæ] Adulas mons à Ptol. lib. 2. ponitur, incumbens & Heluetijs & Rhętis. Porrò Limagus oritur ultima parte Claronensis ditionis quæ attingit Aetuatios, quibus Adulas imminet. Ptol. ualde latum hunc montẽ facit, ut sit ueri simile etiam Vrorum ac Suicorum regionem contingere, ad lacũ usque Tigurinum ubi adhuc nominis aliquid est, Ετζel, post quem lacum est diuæ Virginis templum, de quo noster poeta, quod Christo episcopo consecratum creditur, ac magnæ Europæ parti notissimũ. Semperq; cauis aptissimus alnis] Id est, semper nauigabilis est. Voluitur in gyros] Flexuosus est. Huic est ad leuam] Diuæ uirginis Eremitanæ locum significat. Qui quàm sit facer, ar[illegible]uit perfacilè, quòd Christo consecratus fertur episcopo. Posteaquam enim, ubi diui Menradi casula fuit, sacellum est extructum, Sanctus Conradus præsul tunc temporis Cõstantiensis, uir omni genere uirtutis florens, accitus cõfestim ad ipsum consecrandũ aduenit: media aũt nocte, dum preces Deo pro cõsuetudine funderet, audiuit cum alijs deuotis uiris melos & dulce, & nouũ. Atq; diligentius perscrutanti, tale animaduersum ab angelis, Christo præsente, decantari, quo episcopis uel hodie mos est, uti in templorũ dedicatione. Prima statim luce rem auditã diuulgat. Verùm, qui rei fidẽ temerè præstare nolebãt, Conradũ sunt adhortati, ut quod iussus erat, cõficeret: postquã igitur incepit, uox cõtinuò ter audita, Desine frater, cœlitùs consecratũ est. Ex illo itaq; quod res erat, creditum. Deinde à summis pontificibus, alijsq; confirmatũ, quorũ testimonia in sacratissimo illo loco hodie cõseruantur. Frondens] Habet enim hodie prata pinguissima. Præsentes] Quæ citius succurrũt. Virg. in Buc. Nec tam præsentes alibi cognoscere diuos. Sueuus] Belligerũ Sueuũ dicit, Cæsarem secutus, qui eam gentem longè maximã & bellicosissimam Germanorum omnium scribit, lib. 4. Et Strabo, potentia dicit, & hominum frequentia reliquos antecellere. Aptusq; ad bella Sicamber] Hor. quoq; Sicambros feroces appellat, li. 4. Car. Ode 2. Populi sunt Germaniæ Transrhenani, hodie Vveschuolos dicunt. Sarmata] Polonum dicit, qui bonam Sarmatiæ hodiẽ partem possidet. Mira de his populis apud scriptores commemorantur, lege Strab. lib. 7. & 11. Metamorp. lib. 3. Sarmatas Plin. scribit lib. 4. Sauromatas à Græcis uocari. Rigidissima] Frigidissima.

Tum

Tum ne sit pelagus, ne lentis sordeat undis,
Explicat os patulum, Tigurinamq; abluit urbem
Thermopolimq; adiens, ad olenteis sulphure terras,
Arenteisq; locos, Epicurea mœnia lambit.
Hic Stygio à flatu, mediaq; uoragine terræ.
Aspice sananteis undas, laticesq; salubreis.
Qui tibi (ni nolis) languentia membra leuabunt.
Vtilia hæc utero, præsentia balnea semper
Ad quemcunq; uelis, in quouis corpore morbum.
Mitis aqua, & nostris non importuna periclis,
Campanum superans stagnum, putreisq; liquores,
Baianumq; amnem, & Cydni felicior unda.
Sunt & qui fluuium dicant hunc esse Lemannum
Vnde suum teneat pugnax Alemania nomen.

Tum ne sit pelagus] Scilicet, Limagus cum lacu. Id est autem, ne sit lacus continuus sine exitu. **Lentis**] Stantibus. **Explicat**] Aperit. **Os**] Ostium. **Abluit**] Perluit. **Thermopolim**] Aquas scilicet Heluetiorum, uulgò *Ober Baden* hoc est superiores aquæ. Sunt enim & Thermæ siue aquæ inferiores, à quibus Marchiones Badenses cognomentum sumunt. **Olenteis sulph.**] Aquæ enim quæ hoc loco proueniunt, sulphuratæ sunt. **Arentesq;**] Calidos. **Epicurea mœnia**] Voluptatis plena. Secundum quosdam enim Epicurus summum bonum in uoluptate corporis constituit. Sunt tamen qui ex proba eius uita nõ corporis, sed animi uoluptatem, ipsum significasse contendant. Quòd poeta dicit, non ad oppidum referendum, sed Thermas, quę ab oppido distant ad trecentos passus. Hę namq; tales sunt, ut Pogius Florentinus putet, si uoluptas uitam beatam queat efficere, nihil ijs omnino deesse ad consumatam uoluptatem. Eius epistolam lege, si lubet, ad Nicolaum quendam, in qua tum balneorum, lauantium mores, uoluptatẽ, ludos, iocos, tum aquæ uirtutem abundè inuenies. **Lambit**] Circumdat. Pers. Illis relinquo quorum imagines lambunt Hederæ sequaces. **Stygio**] Tanquam ab inferis uenientes. **Mediaq; uoragine**] E' medio terræ. Intra nanq; terræ meatus, tales aquæ sunt. Hæ cur sint calidæ, Pontanus his uerbis scribit:

Baiano sed ne fumare in littore Thermas
Mirere, aut liquidis fluitare incendia uenis,
Vulcani fora sulphureis incensa caminis
Ipsa monent, latè multum tellure sub ima
Debacchari ignem, camposq; exurere apertos.
Inde fluit calidum referens ex igne uaporem
Vnda fugax, tectis feruent & balnea flammis.

Languentia] Aegrotantia, infirma. **Vtero**] scilicet fœminarũ. Hæc enim singularis est huius aquæ uirtus, & propè diuina, quo sterilitati mulierum medetur. Fœcundas autem fœcũdiores, & prolis multiplicatione eneruatas reddit fortiores. **Præsentia**] Citò iuuantia illud nempe præsens dicitur, quod quia nõ abest, citò operatur uel bonum, uel malum. Inde numina dicuntur præsentia, ut superius, quòd citò iuuent, & uenena, quòd citò necent. **Ad quem.**] Plurimum enim conferunt (prius medico consulto) stomachicis. Prosunt cerebro, uisui, & auditui plurimum, imò totius capitis dolores mitigant. Epati conducunt, & splenilium dolorem tollunt, & renum lassitudinem restituunt. Huiusmodi uirtutes sexcentas habent, quas prudentes iam præterimus. **Non importuna**] Salubris. **Campanum superans stagnum**] id est, balnea, quę sunt permulta in Campania,

plaga (ut Flor. scribit Epit. 1.) pulcherrima totius orbis. Hîc sunt tepentes fontibus Baiæ, & ad sanandos morbos, & ad uoluptatem commodissimæ: à regionis feracitate sumptum adagium, quo dici solet, Plus apud Campanos unguenti, quàm apud cæteros olei fieri. Plin. lib. 3. & 18. præclarè de Campania scribit. Putresq; liquores] Balnea Puteolana. Alluſit ad nomen, à putore enim secundũ aliquos aquarum Puteolos urbem dictam uolunt, alij uerò à puteorum frequentia. Autor Strab. lib. 5. Baianumq; amnem] Balnea quæ Baiæ dicuntur. Senecam locum deuitandum monet, quòd habeat quasdam naturales dotes, quibus illum sibi celebrandum luxuria sumpserit. De Baijs Strab. lib. 5. Et Cydni felicior] Cydnus amnis Ciliciæ podagricis medetur, ut Plin. inquit lib. 31. Idem asserit Vitruu. lib 8. De Cydno alioqui & Sol. cap. 47. & Curt. lib. 3. Sunt & qui] Sunt qui à Limago Alemaniam dictam putent, sed poeta opinionem quorundam recenset, non suam sententiam.

Tertius Vrsa celer, nunc uerso nomine Rusa,
Gotthica stagna trahens, Tauriscas proruit undas
Alpibus à summis, hoc est à monte Gothardi
Vsq; ad Luceriam, Tuginisq; amnibus auctus
Labitur in patrios, quos nunquam contigit ortus.

Tertius Vrsa celer] Ab Vrsa flumine, hodie Rusa inuersa priore syllaba, tertius conficitur pagus. Id quidem flumen, ex monte quem Furcam appellant, oritur: fluit per loca confragosa, donec non procul à Vetere pago (ita locus primus apud Vrios nuncupatur) in lacum quatuor ciuitatibus communem (ut dictum est) sed appellationem habentem à terris quas alluit, ingreditur. Hunc inquam lacum pertransit ad urbem usq; Luceriam, qua secta in partes duas, denuò erumpit. In multos deinde circumductus gyros, Rhenum intrat non multo sub Brugis Herogeæ oppidulo. Verso nomine] Id est syllaba ur, in ru. Gothica] Suica. Est enim lacus paruus apud Suicos exiens in lacum Lucerinum. Tauriscas] Vriorum. Suici enim à Gothis, Vrij à Tauriscis descendunt. Porrò quanta sit prima de Gotthis, incertum autores faciunt: si respicimus etymon eius à Germanico Gût, diphthongo produceretur, sed eam nec Græci nec Latini agnoscunt. Autsonius corripuit. At bona pars eruditorum geminat tt, unde & produci potest. Poeta utrunq; & hic & alibi secutus in Gotthico ac Gothardo. Alpibus à summis] Summas Alpeis Cæsar uocat, qui nunc mons S. Gothardi dicitur, è quo 7. flumina ad quatuor mundi plagas profluunt. Nempe ad ortum citerior ac ulterior Rhenus (qui postea tamen ad septentrionem) ad meridiem Ticinus, Maddia, ac Tosa: ad occasum Rhodanus: inter occasum ac septentrionem Arola: denicq; ad septentrionem Rusa siue Vrsa. Vsq; ad Luceriam, Tuginisq;] Luceria inclyta urbs ad hostia lacus iam dicti, qui communis ipsi est cum Vrijs, Suicis ac Syluanis: de qua, sicut & de Tugio, postea in Panegyrico. Augetur autem Vrsa Lucerinæ ditionis fluuio, Emmana, & Tugini lacus ostijs circa uallem, quã Mariæ dicunt. Labitur in patrios] Hoc est fluit ad septentrionem unde uenerunt Gotthi, à quibus (ut suprà dictum est) Suici suam æstimant originẽ, quam poeta hîc sequitur ad uulgi opinionem.

Vltimus est Arola, is Rhodano contrarius exit,
Thunum it, & Arctopolim, fatis felicibus ortam,
Auspicijsq; Deũm, & plura in se flumina captat,
Oppida multa ambit, Salodoria regna peragrat,
Regna sub Habramo tam fausto sydere nata.

Pars

Pars hæc Heluetiæ fluuij cognomina seruat,
Heroum tellus, & adunci uulturis arceis.

Vltimus est Arola] Arola noster ex montibus erumpit, unde fluit Rhodanus, per lacum Haslensem (quem Auellanum dicere posses) & Thunum labitur. Venit Bernam, quam totam penè concludit: Salodorum adluit. Cursu longissimo deinde confecto Rheno commiscetur cum Limago & Rusa. Is quartum pagum conficit. Porrò de hoc flumine & oppido Salodoro in diui Mauritij uita de sancta Thebea legione ita legitur. Ex eadem legione fuisse dicuntur etiã illi martyres Vrsus & Victor, quos Salodori passos fama confirmat. Salodorum uerò castrum est super Arolam fluuium, neq; longè à Rheno positũ. Hæc ille; Quòd si, quod Valla docet lib. 4. Eleg. Castrum est locus muris munitus, & ut Ser. in 6. Aen. fatetur, etiam ciuitas: certè hęc uerba pulcherrimè in urbem Salodorensem conueniunt. Meminit autem & fluuij Arolæ Bocc. Flor. ubi ubi legerit. Neminẽ enim ut solet, citat autorem. Rhodano cõtrarius] Nam ad Boream, cum ad Austrum uergat Rhodanus. Thunum] ad hoc oppidum Bernanæ ditionis. Orta] Conditam. Auspicijs] Bona fortuna, feliciter. Flumina] Vt Sanam fluuium Friburgẽsium. Oppida multa ambit] Bernam ut dictum est, ferè ambit, ac alia quædam oppidula. Salodoria] Salodorum, nõ Solidurnium, nec Solodorum, rectè dicimus. Hinc Salodorius deflexit autor. Inuenit namq; apud eam ciuitatem in lapide antiquissimo Salodorum, sic nimirum appellatum, quasi salis donum. ἅλς nempe sal, aspiratione in smuta, & δῶρον donum significat: uidetur autem ibi salis uectigal fuisse Romanis. Sub Abramo] Antiquissimũ enim esse constat, nam exceptis Treueris nulla urbs, uel Galliæ, uel Germaniæ antiquior. In Habramo synæresis est. Nata] Extructa, condita. Pars hęc Heluetię cognomina seruat] Nam terra adiacens uocatur Argea, à nobis Argöw. Nonnulla etiam oppida inde appellationem sortiuntur, ut uulgari lingua proferimus Arow, Arburg. Nam quod ab Ar aue, hæc oppida putant, tale est quale Basileam à basilisco. Heroum tellus] Interpretatio eius, quod nos dicimus Herogea. Multi enim sunt, qui existimant Heroum tellurem Hergöw uocitatam propter duces, comites, barones, nobiles absq; numero, qui eam terram olim inhabitarunt. Et adunci uulturis] Vulturem ponit pro accipitre. Significat arcem, cui uulgò nomen Habspurg. Quanquam duæ eius nominis sunt in Heluetijs arces, altera ad lacum Lucerinum, hodie diruta: altera supra Brugas ad Arolam quę hodie Bernatium est, integra: ab utra autem 14 comites (tot enim sunt hodie in principũ Austriæ genealogia) historici certant, & adhuc sub iudice lis est.

Quatuor hi pagi, quos à regione Notorum
Impetus in Boream torsit, Rhenoq; remisit.
Antè tamen liquidosq; lacus, sterileisq; paludes,
Et stagna alta creant, plus quatuor inclytus auget
Limagus, & nautis portus, & piscibus antra.
Treis Arola & treis Vrsa, sed obluctatus arenis
In circum Duras, immensa cataclyta fundit,
Omnia piscinis, non omnia nauibus apta.

Quatuor hi pagi] Enumerat lacus & paludes proximas dictis quatuor fluminibus, non quòd ab his illę omnes adimpleantur, sed quia sint propè, & riuis interdum conueniant. Recensuimus nos superius plurimos lacus, per quos ea flumina transcurrunt. Quos à regione Notorum] Id est, quos cursus à meridiei parte ad septentrionem compulit, nam Rheno admiscentur, ut dictum est, qui ad septentrionem defertur. Antè tamen] Scilicet quam Rheno copulantur.

Sterilesq; paludes] Ita Hor. in Poet. Regis opus sterilisq; diu palus, aptaq; remis. Plus quatuor] Nam quinq; Vesenium, Cleonium, Tigurinum, Phœbinium, & Gryphensem. Antra] Domicilia. Treis Arola] Neapolitanum, Thunensem, & Bielensem. Et treis Vrsa] Lucerinum, & Tuginum. Cataclyta] Loca cõcaua ab aqua cadente. Ambros. Nilus fluuius maximus eo loci, ubi le ex altissimis montibus in cataclyta illa præcipitat, magnitudine frągoris sui, aures accolarum obstruit. Piscinis] Locis ubi pisces conseruantur. Gell. lib. 2. Lacus uerò & stagna, quæ piscibus uiuis coercentur clausa, suo atq; proprio nomine piscinas nominauerunt.

Hæc pater omnipotens, dum magnum conderet orbem,
Disposuit prudens, ne totum fortè per æuum
Staret inane chaos, penitusq; illunis abyssus,
Bella elementorum, & fera prælia uoce diremit,
Aetheriasq; Alpes, iuga summo proxima cœlo,
Esse caput iubet Europes, sub sidere membra
Læta quòd in planum fluuios habuêre receptos.

Hæc Pater omnipotens] Deum ita patrię situm disposuisse ait ab initio, dum crearet mundum, ne perpetuò chaos maneret. Inane chaos] Imitatio est, non mens uera poetæ. Ver. enim in Syleno, & Ouid. lib. 1. Transfor. Hesiodũ sequentes dicunt, Chaum, id est, rudis, inordinatæq; materiæ cõfusam (ut inquit Lact. lib. 1.) congeriem principium omnium fuisse rerum. Penitusq;] Hoc est, non maneret absq; luce: alioqui abyssum uolunt esse immensam quandã aquæ profunditatem. Bella elementorum] Quatuor qualitates, quæ inter se sunt contrariæ. Voce] Verbo, quia dixit & facta sunt. Verba sunt ex 5. Aeneid. aptissimè detorta. Nam uti Aeneas uerbo distraxit Dareta & Entellum, ita Deus elementorum confusionem. Membra] Alias partes Europæ. Manet in Metaphora, quia dixit, Esse caput iubet Europes. Læta quòd in planũ] Id est membra hæc ob hanc causam læta sunt, quod fluuios ab eo capite, quæ est Heluetia, in suam accipiunt superficiem.

PANEGYRICON.

Haec facies patriæ est, plectro maiore sonandum,
Si populum aggrediar, mores studiumq; recensens,
Atq; tot excultas urbeis, tot & oppida muris.
Quin potius cedam, casurus fasce sub isto,
Ponderęq; immenso, nostris hæc ardua moles
Viribus est imparem nostræ tædia Musæ,
En lyra blanda fides, & consona plectra reponit.
Vix tamen exoro, bissenas pangeret urbeis,
Heluetiæ insigneis, terrąq; ac æthere notas
Metropoleis, quibus una fides eademq; uoluntas,
Audijt, & mitis nec dedignata precantem,
Composito uultu taleis dat pectore uoces.
Vellem equidem, quæ sum parui tua Musa poetæ,
Dignius ordirer, possemq; sonare potentem
Sermonem, qui sit rebus bene congruus istis.
Audendum est, ueniant bissenæ hoc ordine partes
In numerum, qui cuiq; placet, uix ipsa recuso.

Hæc

Hæc facies patriæ] Sequitur Panegyricum, id est, carmen laudatiuum tredecim partium Heluetię, in quas totum imperium nostrum est diuisum. Harum est administratio & cura totius regionis, præsertim cũ aliquid euenit, quod ad uniuersam Heluetiam pertinet. Alioqui enim singulę suas ciuitates gubernant. Pe ta bisſenas dicit hac de causa, quòd Abbatis cellam addidit, postquam & ipsa est adiecta numero capitum Heluetiæ: apponit dein quædam de socijs Heluetiorum, & Heluetiæ laudes, postremò perorat cum admonitione. In hacautem descriptione licet ingenium poetæ cognoscere: qui tametsi bellicæ gloriæ singulas communitates (uti appellant) facit participes, tamen hoc agit, ut singulari cõmendatione in hoc ipso unamquamq; celebret. Facies] Facies omnis cuiusq; rei forma est. Verg. 5. Aeneid. Quibus aspera quondam Visa maris species. Mores studiumq;] Verissimè dicit. Nam si uitam maiorum uellet, exercitiumq; describere, opus esset & longiore oratione, & stylo sublimiore. Fasce] Onere. Verg. Ego hoc te fasce leuabo. Moles] Materia difficilis. Viribus] Ingenij. Tædia] Ob rei magnitudinem. Fides] Chordas. Alioqui citharæ genus est ides, inquit Festus. Exoro] Scilicet Musam. Pangeret] Caneret, componeret. Ita Gell. lib. 13. Si autem uersum pangis, aut orationem solutam struis. Vrbis] Capita Heluetiæ, seu partes. Barbarè cantones appellantur. Quibus una fides] Concordia Heluetijs sine dubio & imperiũ auxit, & rem uniuersam. Ergo quibus una uoluntas, id est, quæ esse debebat. Ita enim sunt res mortalium. Audij] Scilicet Musa. Vellem equidem] Musæ uerba sunt ideo inducta, ut poeta liberius loqui possit. Potentem sermonem] Imitatio Hom. Inquit enim Iliad. α, ῥεῖα δ' ἔπι μῦθον ἔτελλε. Audendum est] Prouerbium, admonens fortiter petendam esse fortunam. Ordine] Ordo is est partiũ Heluetici fœderis, ut hodie legatos mittunt, & insignia pingunt. Nam ut libertatis uindices, aliũ sequuntur, de quo postea ad finem.

Salue belligeræ celeberrima gloria gentis
O Tigurum, urbs orbi & pando notißima cœlo:
Cui pro nominibus, meritisq; & fortibus actis
Nulla sat esse potest immensi gloria mundi.
Te mediam scindit uiuenti Limagus unda,
Et super incumbit squammosis piscibus ingens
Amne lacus, uitreoq; relucent gurgite ripæ.
Nubiferas turreis, quid tam sublimia fronte
Tecta, quid ablotas splendenti fonte plateas
Commemorem? fora quid dicam? quid templa recenseam,
Atria cœlicolis, & dignas regibus aulas?
Vrbs cœlo, & superũ rectori chara supremo.

Salue] Initium commendationis sumit à Tiguro urbe, quæ primas partes inter Heluetios obtinet. Hodie Turregum, seu Duregum appellitant ineptius. Deconditoribus eius, quod uaria traduntur, libenter tacemus. Vrbs est uetusta, situ admodum amœno. Iacet inter duos monticulos, illo uitifero, altero satiem præbente sylueſtribus plenam arboribus. Aedificijs pollet, templis, monasterijs, mœnibus & fossis. Supernè lacus incumbit limpidissimus longus circiter 30. milia passuum. Is urbem dissecans in medio Limagum, quem infra Claronam excipit, effundit. Sternitur pontibus duobus, qui urbem dissectam dem ò cõiungunt. Tigurinorũ meminit Cæs. in 1. Strab. in 7. & Florus Epit. 65. Beligere celeb. gl.] Periphrasis Heluetiorum. Nulla sat.] Res domi foris q; Tigurinorum gestæ tantæ sunt, tamq; eximiæ, ut breuibus numerari haud queant

Quas lector si scires, uideres poetam nostrũ hoc loco nihil minus egisse quàm poetam, quorum hominum est, pro tempore res supra meritum extollere. Viuenti] Fluenti, nullum uitæ certius signum (inquit Erasmus) quàm motus, unde flumina quoq; dicimus uiuentia. Vitreoq;] Claro, liquido. Gurgite] Tapinosis. Quid ablotas] Mundicies uicorum in ciuitatibus & amœna est & salubris. Recenseam] Synæresis. Vrbs cœlo] Commendatio à religione. Nam Deus non diligit, nisi se diligentes.

Accede ô memoranda meis Vrsina propago
Carminibus, gens Andino benè digna cothurno,
Mœoniaq; lyra, & Phœbi laudanda camœnis.
Vrbs actis prudens, urbs tot regnata per annos,
Tot populis, tot castellis, tot & arcibus altis.
Vni qui nobis cunctando restituunt rem.
Hanc Arola undosus, Rhodanoq; fugacior amnis
In circum lambit, scopuloq; immurmurat unda.
Aspice Dædalios circos, Rhodiasq; columnas,
Et labyrinthæum rutilis uicinius astris
Templum horrendum, ingens: non illud Mausolæum.
Sed neq; Pyramides, Memphitica marmora uincent.

Accede] Berna, seu mauis Arctopolis (nam Vrsus illi nomen indidit) urbium Helueticarum potentissima, propter latam iurisdictionẽ: sex enim & uiginti habet extra muros conuentus. Conditam ferunt à Bertoldo duce Zeringo. In locũ est porrecta benè longum, cui est imposita, & ab Arola fermè tota concluditur, tanquam à fossa profundissima. Aedificia habet mirabiliter extructa, nam licet tutum circuire sub porticibus cameratis totam ferè urbem etiam pluuiosissimo tempore. Templum ornatissimum. Viros alit robustos, laboriosos, bello & paci accommodissimos. Andino] Vergiliano. Is enim Andinus uates dicitur, à pago Andes, ubi natus perhibetur. Non longè distat à Mantua, ut Donat. in quit, in uita Verg. Mœoniaq; lyra] Carmine Homerico. Mart. sic, Perlege Mœonio cantatas carmine ranas. Phœbi] Apollinis, cuius epitheton Phœbus est peculiare, nam purum significat. Vrbs actis prudens] Laus à prudẽtia, sine qua uirtute nemo quicquam probè agit. Quare meritò dicitur reliquis uirtutibus quasi lumen præferre, atq; demonstrare uiam. Vrbs tot regnata per annos] Innuit urbis ætatem. Ferunt autẽ fundamenta eius iacta anno Salutis nostræ 1191. Mense Maio, Henrico sexto imperatore. Vni qui nobis] Ennij uersus ad rem poetæ deflexus. Fuêre enim Bernates olim cunctatores, minimeq; temerarij, unde tandem nacti sunt imperium. Rhodanoq; fuga] Oppositum autores dicunt. Sed de Arari, non de Arola comparatio est apud illos. Dædalios] Artificiosos, loquitur autem poeta de templo & area ante templum, denique de uniuersa urbe, quæ ex lapide quadro ferè tota facta est, prębente materiã copiosè, qui ad imum urbis est, monte sectili: cęterùm non credo talem urbis situm esse terrarum orbe, qualis est Berna. Arola enim (ut dictum est) tam profundum habet alueum, ut locum, cui imposita est urbs, quiq; ipsum flumen, à meridie, ortu, ac septentrione circumdat, montem fecerit. Dorsum longũ est ad mille plus minus passus, trium platearum, sed latissimarum, per quas ita amnis ab occasu, nempe Isthmo, qui continenti adiungitur, immittitur, ut per omneis non modò plateas, sed etiam domos meet, omneis sordeis abluens. Rhodiasq; columnas] Id est, moles tales, qualis erat colossus solis Rhodij inter septẽ orbis miracula habitus. De quo Plin. lib. 34. Labyrinthæũ] Id est, tam mirè effigiatũ, ut labyrinthus credi possit.

Horrendum]

Horrendum] Venerandum. Verg. in 7. Horrendum ſyluis, & religione parentũ. Mauſolæum] Mauſoli ſepulchrum, quod condidit Artemiſia uxor, poſtquàm regem oppetiſſe cognouit. Opus id, ut eſſet inter ſeptem miracula, eiuſdẽ artifices fecêre: teſte Plin. lib. 36. Verſus eſt ſpondaicus. Pyramides] Pyramides, moles ſunt maximæ, ita conſtructæ, ut è lato in acutum tendant. De quibus cur ſint erectæ Plin. ita ſcribit lib. 36. Dicant obiter pyramides in eadem Aegypto regum pecuniæ ocioſa, ac ſtulta oſtentatio, quippe faciendi eas cauſa à pleriſq; traditur, ne pecuniam ſucceſſoribus, aut æmulis inſidiantibus præberent, aut ne plebs eſſet ocioſa. Ioachimus meus parum ab his differre exiſtimat turres, quas templis tantis quandoq; ſumptibus Chriſtiani adnectunt. Memphitica marmora] Regibus apud Memphim, quæ quondam fuit Aegyptiorum regia, urbs magna & populoſa, erigebantur pyramides maximæ. Vide Diodorum Siculum lib. 2.

Tertia Luceria eſt, ſumma dicenda camœna,
Prima ſalus noſtri imperij, miſerata labores
Suiciæ & Vrorum, trepidantiſq; agmina ſyluæ.
Non Leopoldi iras timuit, non Sueuica bella,
Pannoniæq; minas, uicos imitata ſuperbos
Auxit opes, nomenq; ſuum, famamq; perennem:
Primaq; cum primis ſua fœdera iunxit amicis,
Quodq; à luce datum uenerabile nomen haberet,
Non oblita, dedit uireis, creſcensq; leuauit
Imperium, luxitq; ſuis, & fœdere uinxit.
Ergo quæ tribus eſt uicis unda, hæc eadem illi eſt,
Et nomen commune tenent, quod ſylua repingit.

Tertia Luceria eſt] Luceria (cui nomen uel à luce uel antiquiſſima Samnitiũ urbe, quæ & ipſa à luce dici uideri poteſt) ſitum obtinet planum, collibus à tergo circumſeptũ & ſiniſtra. Ab his mœnia ſuſtinentur, & turres altiſsimæ. Frontem amplectitur lacus, dextram foſſæ aquoſæ cum planicie altiſsima Proſpectãt hæ duæ partes montes tam altos, ut nubes uideãtur tangere. Lacus Vrſam nunc uulgò Ruſam fluuium initio ſtatim oppidi fundit, à quo ipſum oppidum ſcindiuur medium. Pontibus tribus, & longitudine, & quòd undiq; tectæ ſunt, conſpicuis, mirificè adornatur. Ex his longiſsimus ad ſuperius collegium ducentos penè paſſus extenditur. Vnus porrò nudus oppidum quàm breuiſsimè nectit. Viros edit animi magnitudine præſtantes, ingenia uerò non pœnitenda. Summa] Magna hoc loco, non ultima, ut apud Horat. unde hæc ſunt uerba. Prima ſalus] Hoc ideo dictum, quòd Lucerini primi fuêre, qui iſto fœdere cum tribus pagis, ipſis opem tulerunt contra impetum ducum Auſtriæ. Cur autem id fecerint, cauſa fuit, quod malè defendebantur à nobilitate ipſis præfecta. Habebant enim tunc temporis tres pagos maximè infeſtos. Argumento eſt turricula, hodie dicta Seburg, ubi Lucerini continuas habuiſſe cuſtodias dicuntur. Deinde palli in lacu, ne quis nauigio poſſet adire, infixi, atq; ab uno, in littus oppoſitum extenſi. Veſtigia adhuc uidentur. Non Leopoldi] Ducis Auſtriæ. Is Lucerinos, poſtquam fœdus cum tribus ciuitatibus Syluanis percuſſerant, bello aggreſſus cum quater mille equitibus, peditibus innumeris apud Sempachium oppidulũ ditionis hodie Lucerinæ oppreſſus periit. Vicos] Vriam, Suitiam, & Syluaniam. Superbos] Nobiles, præſtantes. Primaq; cum primis ſua fœdera iunxit] Opinionem ſequitur quorundam, qui putauerunt fœdus quatuor ciuitatum Syluæ (ita nos appellamus) primum fuiſſe. Quodq; à luce datum uenerabile] Poeta ſequitur antiquã uulgi prolationem, qui Luceriam adhuc Luceri accentu

accentu in prima syllaba posito, pronunciant, cùm nunc Lucernam uocitent uul gò. Et sanè Lucerna abiectum uocabulum est, quod Verg. neutiquam dignatus est heroico uersu, quia à primitiuo defecit. Sciolus aliquis & historiarum impe ritus nobis ex Luceria nobili nomine Lucernam fecit ignobile, indignum uicu lo uocabulum, nedum nobilissimæ urbi. Leuauit] Iuuit. Ergo quæ] Lacus e nim (de quo antè dictum est) tam patet, ut omnes has parteis attingat, tameisi procul à lese distant. Syluania namq; abest à Luceria miliare Germanicum, Sui, tia tria, quatuor Vria. Et nomen] Nominantur enim lingua nostra, *die vier Vualdstet*, Latinè non ita absurdè dicere potes, Ciuitates syluanas.

Vria post ingens Taurisca gente creata
Progenies Gallorum antiqua, per ultima belli
Fortunæq; pericula in has compulsa latebras
Delituit multis annis, ignobile fessa
Ocium agens, donec claris Habspurgius Heros
Ductor in Heluetijs multa uirtute Rudolphus
Surgeret Ausonij præcelsa in culmina regni,
Ad ueteres redijt mores, sunt robora prisca,
Atq; eadem uirtus, eadem est audacia membris.
Nemo illa maior bello, nemo acrior armis,
Hæc nostri fons imperij, quæ prima tyrannos
Corripere est ausa, & uolitanti plectere ferro.

Vria post ingens] Vria, nec urbs, nec oppidum, sed communitas est pagorũ. Inter quos primus pagus Vetus appellatus ita pollet ædificijs, atq; plateis lapide stratis, ut ab oppido nihil differat, nisi quòd caret mœnibus. Nominis origo est ab Vro boue sylueſtri, cuius caput Tauriſci, à quibus illi uerè initium sumunt, gesserunt in armis. Interiacet montibus, ut non possit aditi uel certè difficulter, nisi aut nauigio, aut per montem Gotthardi periculosissimum. Viros habet pru dentes, acres & uerè contemptores animæ, ubi pro iustitia dimicandũ est. Tau risca gente creata] Sequitur poeta opinionem D. Aegidij Tschudi Claronensis, cuius ac affinis sui, qui Vrios Tauriscæ gentis reliquias existimat. Sicut ij hodie, qui ad Carnos sedent, *Steürmarck* uocantur, pro *stiermarck*, antiquissima in Gallis gens, sed multis uexata calamitatibus, & in Italia & in Illyrico, diuersas in sedes, ut Boij, diuersis temporibus dispersi sunt. Sic Vrios in Alpes has uenisse, & lin gua Gallica, & insignia, taurinum caput, argumenta esse possunt. Habspurgius heros] Nobilissimæ familiæ ab *Habspurg* xiiij. comites fuêre, usq; ad Rudolphum hunc, qui Romanorum rex postea electus fuit, ac domum Austriæ tantam fecit. Ille primus illexit in amicitiam Vrios, Suicos, ac Syluanos, porrò quamdiu ille uixit, beneres habuit. Verùm eò mortuo, præfecti eius existimantes uerè subdi tos, nõ fœderatos, tyrannide cœpêre plebem premere, sed inde prorsus expulsi, imperium cum uita amisêre, ut initio descriptionis dictum est. Ad ueteres redijt mores] Id est, rursus bellum sumpsit, ut maiores eius, sed iam Christiani facti à multis annis. Audacia] Fortitudo. Aliàs temeritatem significat, idq; propriè. Fons imperij] Vvilhelmus enim fœderis autor Heluetici, Vrius fuit. Volitan tí plectere ferro.] Alludit ad Vvilhelmum, qui (ut diximus) telo Griseterum tyrannum traiecit.

Suicia bellipotens, in magnis inclyta rebus,
Et bello & pace immensos perpessa labores.
Semper in Alpinis toto æuo exercita lustris
Figit apros, certatq; ursis, cursuq; uolanti

Præuertit

Præuertit damas, cogitq; in retia ceruos:
Ocia nulla sciunt iuuenes, nulla ocia adulti,
Scandere in montes, & duo uincere cæstu
Ocia quis dicat, studium hoc ô Gotthica nobis
Terra dabas, quando Italicis te sustulit oris,
Horrendasq; tulit dux Byzantinus in Alpeis.
Post quoq; difficilis omnino exosa tyrannos,
Arma secuta modis Vri Guilielmia miris.

Suitia bellipotens] Suitia sequitur, unde omnes confœderati commune apud uulgos hodie tenent nomen Suitenses, uel Suiceri. Pagorum est congeries sicut Vria, intercluſa montibus, longè tamen quam Vria, ſitus amœnioris, facilioris q; aditus. Ducunt autem Suiti (ut uulgi est opinio, quam hic poeta sequitur) originem à Suedis, qui in extrema septentrionem uersus Europa sunt (alio nomine Gothi appellantur) cuius rei testimonium non modò noſtræ hiſtoriæ adferunt, sed & ij, qui uel hodie Suediam inhabitant. Ex quibus sæpe quæsitum à mercatoribus noſtris, quicquam ne haberent in annalibus, quod argueret expulsos sanè ex ſua patria in noſtras, uti apud nos creditur, sedes deueniſſe. De conformitate regionum, morum, naturæ, aliarumq; rerum, ut solet, nihil minus inquisitũ. Asseuerârunt omnia, illud adijcientes, miris se gloriari modis, tam laudatũ apud omnes gentes populum originem ſibi ferre acceptam. Appellatio est à Suiterno quodam populi duce, qui pugna fratre ſuperior plagæ nomen (nam de hoc certamen erat) impoſuit. Quod quidẽ picturæ iam diu apud Suicos antiquiſsimæ indicant, nedum libri. Mirum aũt in modũ pulchra corpora progignit. Poeta his attribuit ea, quæ Maro 9. Aeneid. priſcis Latinis, & Bapt. Mantuanus Heluetijs in exhortatione principum Chriſtianorum contra Turcas, ubi sic scribit:

Gens fera, contemptrix animæ, consueta per Alpes
Figere apros, certare ursis, niue candida semper
Per iuga ueloces cursu præuertere ceruos
Heluetij, tibi dura acuunt uenabula, & enses.

Labores] Hos commemorare, librum poſtularet. Ocia nulla] Magna laus. Omnem enim malitiam docuit ocioſitas, ut Chryſoſt. ait. Cæſtu] Cæſtus clauã significat ex corio, quæ plumbũ inſutũ habet, loris bubulis manibus brachijsq; adligabatur. Antiquitùs erat durum certamen cæſtuum, raroq; ſine cæde cõmittebatur. O' Gothica] Hic producit primã de Gotthia, ut diphthongus Gût exposcit. Dicti enim Gotthi *die gûten*. Qui cum Getis eoſdem putant, toto errãt cœlo. Getæ enim ad finem Danubij ſedem habent. Gotthi autem in Scandinauia regione ſeptentrionali, uelut altero mundo, de qua natione Olaus Magnus Gothus Vpſalienſis epiſcopus uir ſanctiſsimus, elegantem noſtra ætate deſcriptionem exhibuit. Dux Byzantinus] Narſes luſtiniani Imperatoris dux. De hac re Leonar. Aret. sic scribit lib. 4. de bello Gotth. Inter hæc ad mille equites ex Gotthorum caſtris aufugerant, magnisq; itineribus Papiam, & alia trans Padum oppida petierãt. Reliqui autem fœdere cum Narſete icto, ſua priuatim aſportantes Italia excedere, ac nunquã aduerſum Romanũ imperium bellum gerere promiſerunt. Libertate tamẽ retenta, ſine ulla Rom. Imperij ſubiectione. Libro quoq; 2. ait: Gotthos in Alpibus frequẽtia habuiſſe caſtella, & multas arces. Arma sec.] Hæc res habet hoc modo: Agrianus (quem *Stanfacker* nominant) domum contignatã pro more Suicorũ ſumptuoſè extruxerat. Quã, Gryſeterus præteruectus æquo, ubi diutius cõtemplatus erat, tandẽ rogauit, cuius nam eſſet? Reſpondit ille nõ ignarus tyrannici pectoris, Tua est optimè princeps, & mihi conductitia. Abijt tyrãnus. Hic uerò magna percitus ſollicitudine, ne in domũ ſuã uiolenter,

qua

qua erat malignitate (prius nancꝫ non ſemel contra alios idem patrauerat) impetum faceret, triſtis egit tanti ſper, dum perſuaſus ab uxore concederet Vriam, inuentum iri fortaſſe, quos ſimilis iniuria premeret. Conſilio approbato, reperit duos, conueniunt, conqueruntur tyranni iniuſtitiam, & denicꝫ coniurant, ſe aut mortem obituros, aut patriam ſecum adſerturos in libertatem. Quid actum ſit, ita palàm eſt, ut pluribus uerbis nō egeat. Vri Guilielmia] pro Guilielmi Vrij, figuratus ſermo, cum ſynæreſi Vri, pro Vrij.

Syluanam gentem, Romano à ſanguine cretam,
Quam ſcindit geminam nemoroſo robore ſylua,
Quis dignè ſatis extollat? cui lucidus aer,
Lucidáq; amne loca, & fœcundo gramine campi:
Miles & in iaculis, & longa turbidus haſta:
Libertatis honos, & priſcæ gloria Romæ.
Sarnenſes arces, infeſto ſydere natæ,
Ipſe tyrannus idem, tua iura Agriane peroſus,
Oſtendunt: huic eſt uaſtæ pius incola eremi
Nicoleos, qui uno & uiginti ſobrius annis,
Nil potus eſuſq; tulit, myſteria cœli
Edoctus, ſacro uiuebat corpore Chriſti.

Syluanam gentem] Proxima nunc Syluania, duplex quidem, ſuperior & inferior, nomen ſortita eſt à ſylua interiacente: *Vnderwalden* quaſi dicas Inter ſyluas, non autem à centum ſyluis, ut quidam ſomniarũt, ſic enim aſpirationem acciperet. Multis pagis abundat, montoſa prorſus, latiſsimis tamẽ atcꝫ fœcundiſsimis pratis. A' Romanis (ut fama eſt) inferior pars, quæ *Stans* uocatur, deſcendit: expulſus ab urbe per ſeditionem, quos quantum & cultu & fortitudine adhuc præſentet, nouerunt, quibus mores & geſta Syluanorum ſunt comperta. Cretam] Ortam. Verg. Quo ſanguine cretus, Hortamur. Geminam] Duæ partes enim ſunt (ut diximus) & duo conuentus. Ad concilia Heluetiorum duos mittunt legatos, qui tantùm ſuffragium poſſunt reddere. In diuidendis quoq; uel ſtipendijs, uel alijs rebus ſuperior, quod maior eſt, duas portiones: ubi inferior, unam accipit. Huius pagus præcipuus *Stans* uocitatur, illius *Sarnen*. Miles & in.] Indicat populum eſſe bellicoſum. Turbidus] Pugnax, terribilis. Verg. Et urnus lo aduerſum ſe turbidus infert. Libertatis] Heluetiæ, pro qua paranda & conſeruanda, nihil non ſubierunt laborum. Romæ] Ad hunc enim referunt originem, uti dictum eſt. Nihil aũt hactenus egerunt, quo ab illa degeneraſſe queant redargui. Sarnenſes arces] Vicus eſt *Sarnen*, modò id quoq; relatum, primus Syluæ ſuperioris, unde Sarnenſis eſt deflexum, à quo non procul Landebergius tyrannus arcem habuit cùm arte, tum natura ſic munitam, ut de eius expugnatione fermè deſperatum eſſet. Tum uerò ſuccurrit exactio, quam tyrannus, qui Landenbergio ſucceſſerat, ſtatuit ad expilandum populum, ut uidelicet ſingulis diebus feſtis, quos quatuor per annũ celebramus, pro facultate aliquid tributi ſibi nomine adferrent. Nam dum, diuina tyranno audiente, cenſum Syluani putarentur adferre, arcem intromiſſi occupant. Quæ res ſtatim ut ad dominũ peruenit, omnibus poſthabitis, paucisꝫ ex miniſterio comitatus Syluania exceſsit. Hæc obiter diximus. Ipſe tyrannus] Landenbergius. De hoc ab initio penè dictum eſt. Huic eſt uaſtæ] Nicolaum ſignificat eremitam. Hic quidem natione Syluanus, patre Henrico, matre Hemmanna progenitus, diuino monitu eremum intrauit, uxorem cum decem liberis, quinꝫ maribus & totidem puellis relicta, ubi abſcꝫ cibo & potu humano 21. annos tranſegit. Solitus fuit aliquando dicere:

do dicere: Longè gratius sibi fuisse, quòd diuina gratia potuerit penitus uxori suæ renunciare, quàm quod cibo. Sepultus iacet apud Syluanos in pago, cui nomen Sachslen. Vir fuit admodum procera statura, & formosa. Supra quàm erat satis, macie confectus, ut nihil aliud habere uisus sit, quàm cutem ossibus adhærentẽ. Color erat fuscus, capilli nigri, canicie sparsim interspersi. Barba non prolixa, nec multo pilo, sed in medio bifurcata. Oculi apprimẽ nigri, & quibus terrore quis potuisset, ob uenerandum fulgorem, concuti. Colli, gutturisq; uenæ, dum loquebatur, nõ sanguine, sed aere uidebantur plenæ. Veste usus unica & simplici, ad talos usq; demissa, Caput semper nudum, & nudi pedes. Vocem edebat uilem, sermonem tardum. Disputans de Deo, uidebatur omnia sacrarum literarũ secreta esse rimatus, cùm tamen ne literam quidem nouerat. Illud addam: Cellulam eius fuisse longam duobus passibus & semis, latam unius & dimidij, altam, ut capite eius summitatem tangeret. Fenestrenulas hæc duas habuit palmæ latitudinem referentes. Nihil insuper uidebas, præter humilima scabella, quibus haud dubiè pro ceruicalibus utebatur. Hæc adscripsimus ob eam causam, quòd hactenus non uidimus adnotata ab his, qui uitam eius uiri literis mandarunt: quamuis Henricus Lupulus canonicus Bernensis homo planè doctus nihil penè omiserit: eius libellum propediem in lucem dabimus. Nostri poetæ parens cum eo locatus fertur, cum auo poetæ ac eius maioribus bello interfuit. Poeta eo anno natus est quando Nicolaus moritur, anno Christi 1488. Filium eius cõsulem uidit poeta Syluaniæ, anno à Iesu Christi Natali 1510. In ipso sydere natæ] Quia paulo pòst tyrannidem dirutæ sunt. Tua iura Agriane] Nouam libertatem, quæ alia adferebat iura, & Agrianum Suicum (de quo antea) uulgò *Stouffacher* uult intelligi. Nicoleos] Attica declinatio, ut μενέλεως. Nam Nicolaus, dactylochæus heroico uersui minus apta erat dictio.

Tugium ab antiqua Heluetiorum gente creatum,
Gens ferri, populusq; acer, gens sueta laboris,
Semper in arenti iuuenes exercet arena.
Terra minor reliquis, sed non tamen infima uirtus,
Dura manus bello, nullo perterrita casu,
Stat, uelut à rapido quercus non mobilis Euro
Vapulat, instructaq; ignara phalange reuelli.
Facta patrum ostendunt, & monstrant tempora nostra
Tuginos acreis, & libertate celebreis,
Sollicitosq; sui, natosq; ad bella Camillos.
Huic sunt à tergo colles, sed dextera pingui
Rure uiret, frontem nitida lacus abluit unda.

Tugium ab antiqua] Tugium, uulgò *Zug*, oppidum est, cuius frontem cingit lacus, tergum & sinistram monticuli, dextram campi non mediocriter fertiles. Memini à maioribus me audisse, longè quondam fuisse amplius, quam sit hodie, sed unam eius partem ob lacum insidiantem subsediisse. Extra muros parum admodum habet imperij. Homines producit mirè formosos, & acres. Tuginorum meminit Strab. lib. 4. & 7. ubi ait, de Cimbris loquens: Cumq; conflatas latrocinijs opes longè suis ampliores esse uiderent, in Heluetios se contulisse. Et præcipuè ex eis Tigurinos, & Tuginos sollicitasse. Vniuersos uerò deleuêre Romani, &c. Terra minor reliq.] Eximia laus huius urbis, quod cùm ciuiũ pauciores habeat, cum maximis tamen ciuitatibus Heluetiorum nunquam detrectauit certamen, siue aduersus exteros bellandum esset, siue ciuili bello opus fuit, unde & præturas exteras, suffragiumq; æquum cum maximis habet ciuitatibus, tanquã

prima classis Romano inter cæteras. Hanc noster poeta semper maximi fecit.

Acer] Fortis. Verg. Arma acri facienda uiro. Stat] Comparatio. Euro] Ventoquouis. Species pro genere. Vapulat.] Percutitur, impellitur. Phalange.] Ordine. Quid Phalanx propriè sit, his uerbis Q. Curtij lib. 3. clarum uidetur. Ipsi Phalangem uocant peditum stabile agmen. Vir uiro, armis arma conserta sunt.

Camillos] Fortes sicut erat Camillus, qui urbe à Gallis Senonibus capta ad Capitolium usq; à tergo eos subitò aggressus adeò cecîdit, ut omnia incendiorum uestigia (prius enim totam Vrbem igne consumpserant) Gallici sanguinis inundatione deleret. Vide Liu. lib. 5. decad. 1. & Flor. epit. 1. & Plutarch. poeta elegantiæ gratia numerum mutauit. Quemadmodum Verg. 2. Georg. Extulit hæc Decios, Marios, magnosq; Camillos.

Tu quoq; Limagiana graui gens inclyta bello
Et libertatis uindex, temeraria Rheni
Bella teris gladio, dirosq; explosa tyrannos,
Culmineq; eductas in sydera, diruis arceis:
Plurima maiorum tibi sunt exempla tuorum:
Aspice dissecto Vesania pergama muro,
Quid patres potuêre tui, te æquare labores
Maiorum pulchrum est, demptasq; ulciscier umbras.
Sunt tibi in ætherio duo numina maxima cœlo,
Inclytus effugiens noctem Fridolinus opacam,
Hillarion Gallus, Pictonæ gloria gentis
Sæpe uocanda tibi, sæpe in tua uota uocanda.

Tu quoq; Limag.] Clarona pagus totam ditionem denominat, inter montana iacet altissima. Ingenia felicissima profert. Quod quidem facilè poeta noster comprobat. Et Arbogastus Strub ciuis eius, qui dum in uiuis esset, non mediocre decus fuit academiæ Viennensi. D. Aegidius Tschudi insigne ornamentum huius seculi, unà cum fratribus & tota illa familia poetæ nostro fauentissima. Adde his D. Henricũ Schulium Nephelinũ poetæ ex sorore nepotem, in rebus Mathematicis non mediocriter eruditum: sed ad alia transeo. Limagiana] Claronensis à Limago, qui apud eos oritur. Temeraria Rheni] Oppositi sunt Claronẽses Rheno ad Sarunetes ac uicinos populos Estiones. Libertatis uindex] Explosit enim tyrannos, ac arceis quas septem eminentissimas fortissimasq; habuit, dissecit. Eductas in syd.] Hyperbole est. Verg. Fluctusq; ad sydera tollit. Aspice dissecto] Pugnam significat Nephelinam, præcipuam in Heluetiorum prima libertate: in qua bi populi contra Claronenseis suos miserunt exercitus, Dux Austriæ, Scaphusia, *Vuintertur*, *Kiburg*. Doggij, Cellani ad lacum Venetum. *Veldkirch* Domini ex *Thorberg*, *Raperschwil*, *Grüningen*, *Vtzna* & Vesenium, oppidum eis ob propinquitatem inimicissimum, quod quidem hoc bellum excitauit. Cæterùm in ea pugna tria milia hostiũ, præter eos qui in lacu Riuario submersi sunt, ceciderunt, quindecim milia contra minus mille uiros commissi. Hanc pugnam poeta, ut uix credibilem, heroico carmine iuuenis olim luserat, sed certis de causis non edidit. Obiter autem hic notandum, poetam nostrum Claronensem uocari à patria. Glareanum autem à familia, atq; à paterna domo à Glarea, *am stein acker*. Vesenia pergama] Mœnia oppidi Vesenij, quod hodie *Vuesen*, nunc tamen dirutum, est aũt ad ostia lacus Riuarij, quem hodie Vvalenses nominant à Rhætis, qui olim eum occuparunt, sic dicti. Vt oppidò eleganter differit D. Aegidius Tschudi in Rhætiæ descriptione cap. 7. Situs oppidi *Vuesen* commodissimus ac amœnissimus olim fuit. At nostra tempestate in angulum satis angustum uicum magnificus

magnificus est, ad oppidi formam, sed absq; muris. Pulchrum] Imò pulcherrimum. Non enim est quod magis dedeceat, quàm degenerare à suis, ubi quid ab eis optimè & cum uirtute gestum est. Numina] Patroni. Inclytus effugiens] Diuus Fridolinus Claronensium patronus in Hibernia natus dicitur è stirpe generosa ac prædiuite, patria relicta urbem petijt Pictauiensem diuertens ad diui Hilarij basilicã. Mansit illic tandiu donec uisione monitus est ab Hilario, ut inde abscederet. Venit itaq; longissimo itinere ad insulã Rheni, in qua hodie Sequanium oppidulum est à Sequanis, ut suprà dictum est, nominatũ, quamuis ipsum in medijs Rauracis iaceat. Ibi plurimis annis in Dei seruitio peractis obdormiuit. Vixisse Sequanij uidetur anno à Iesu Christi natali quingentesimo, ut ibidẽ in magnifico templo, sacris uirginibus consecrato legitur. Noctem opacam] Hiberniam aut Scotiam innuit. Hillarion Gallus] Præclarus hic fuit theologus, & episcopus Pictauiensis, de quo lege Hieronymum in Catalogo illustriũ uirorũ. Poeta primam epenthesi produxit τῶ λ. Et in on magis quàm in us, quia in Gallus sequebatur eadem terminatio us.

Rauriacas arceis, Augustaq; limina Rheni,
Heluetiæ muros, & inexpugnabile uallum,
Quo pede dicendi, quo plectro, quaue camœna
Sat dignè extollam? non si mihi Tullia uerba
Delius inspiret, Musisq; ad transtra uocatis,
Tantillum laudis possem: salue optima mater
Indigenis Basilea tuis, urbs inclyta fama,
Vrbs Troia, Thebisq;, & multis notior astris:
Tota quidem splendes, & te tibi pulchrior ipsa es,
A planta usq; caput: tu nostri portusq; apexq;
Imperij: tu totus honos, non indiga laudis
Eucatæ, semper studiorum dulcis alumna,
Massiliam referens, doctasq; academia Athenas.

Rauriacas arces] Basilea urbs episcopalis præclara, & ampla, omnibus modis ita commendabilis, ut parem inueniri facilè, haud credam: situs est namq; iucundus, longus & oculis mirificè blandiens undiq; prospectus, ædificia magnifica, templa atq; monasteria multa, dulcissimi fontes, cœlum saluberrimũ, mira omnium rerum exuberantia. Rhenus urbem disterminans, ponte tamen iterũ connexam: homines ciuiles, Resp. optimè instituta. Et, quod erat initio dicendum, uniuersitas uiris eruditis plena, à qua non mediocrem laudem obtinet apud exteros. Sed nec minorem ab arte impressoria, ut ex qua innumeri tam boni libri, tam elegantes, tam repurgati ab omnibus mendis, tamq; reip. Christianæ conducibiles in lucem iam non multo antè prodierunt, & quotidie prodeunt. In qua quidem re Erasmus ille Roterodamus uir ex omni æuo incomparabilis, & rei cõmuni Christianæ (nihil enim dubito) natus, haudquaquam sua laude fraudandus est, utpote cuius opera effectũ, ut plericq; hi libri cùm exhibiti sint, tum emẽdatiores, conspicuiq; magis exhibiti. Beatus autem Rhenanus quantum in hoc negocio laborum impendat, uel orbi cognitũ. Hunc equidem hominem commendarem pro doctrina singulari, pro linguarum cognitione, pro instigandi studio ad bonas literas, & sacram Christi philosophiam, pro candore, pro humanitate & probitate, ac denicq; pro exactissimo iudicio in re literaria, nisi id feciſſet iam olim fama, qua per totum penè Christianum circulum eius nomẽ defertur. Habet hæc urbs etiam indigenas, à quibus plus quàm illustratur, ut D. Ludouicum Berum theologum, Amorbachios trilingues, Copum alterum nostri temporis

poris (ut Erasmus inquit) Hippocratem. Percussit autem fœdus perpetuũ cum Heluetijs ob defendendam & iustitiam & libertatem. Superius quoq; de hac diximus. Nomen habet regium, βασιλεὺς enim rex est, βασιλεία regnum. Angustaq; limina] Allusio ad Augustam ueterem. Muros] In Heluetiæ enim penè finibus est. Non si mihi] Hoc dicit, etiamsi Apollo Ciceronis mihi infunderet eloquentiam, & Musæ labori meo adsisterent, tamen ne minimum quidem laudis efferre possem, prout Basileæ requirit magnitudo. Delius] Apollo, in Delo insula maris Aegei. De qua Verg. lib. 3. Aen. Ad transtra] Ad labores, ad opus nostrum. Transtra sunt nauium tabulæ, in quibus sedent remiges. Verg. Vigilate uiri, & considite transtris. Indigenis] Incolis. Indigena opponitur aduenæ, significatq; inde genitum. Vrbs Troia] Troiam Hom. & Verg. cecinerunt. Thebas Statius. Et te tibi pulchrior] Superlatio. Ouid. Iam se formosior ipse est. Deo Adonide. A' planta usq; ad caput] Adagiũ. Eo utimur rem totã significantes. Fucatæ] Id est, adumbratæ uerborum lenocinijs. Massiliam] Ciuitatem Narbonensis Galliæ. Respicit poeta nimirũ ad hoc, quod Strabo dicit de Massiliensibus lib. 4. Eos uidelicet rem urbanam per optimates, & aristocratiam regentes, omnes legum æquitate superasse. Doctasq; academia Athenas] Vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortę, atq; in omneis terras distributę putantur: inquit Cic. pro L. Flac. Ibidem Massilia commendatur magnopere.

Gentis Auentinæ decus, & suprema potestas
Gloriaq; illustris, prædonum uirga Friburgum
Ausim num tenui laudes tibi fundere filo?
Illotis manibus, citharaq; sonante ululatum?
Sed iubar excellens, magnarum curia rerum,
Parce humili plectro, belli memorabile fulmen,
Iraseensq; aries muris, obiectaq; moles
Ordinibus, uolitansq; hosti catapulta furenti.
Sedula Berchtoldi Ducis alti cura Zeringi
Te, uelut Arctopolim, fatis felicibus urbes,
Aedificârat, ubi hos squallenti uiderat ora
Collicolos, loca nascendis aptissima muris.

Gentis] Friburgum nostrum idem princeps condidit, qui & Bernam, situm est in ultima penè Heluetia occidentem uersus, urbs munita non tam hominum operis, quàm natura loci. In montis enim radicem adsurgit, cui subest amnis Sana: supernè cacumine montis protegitur: in primis uerè prudentiam uirorum cõsilio, in quibus tamen Falco eques auratus & eius urbis consul, facilè primas, dum uiueret, tenuit: cuius equidem mentionem eò facio lubentius, quòd & doctus erat, & eloquens, quodq; tam unicè Glareanum nostrum amauit, omnesq; doctos, ut uel hinc liceat hominis conijcere prudentiam. Auentinæ] Friburgum Auenticum dicitur hac de causa, quòd sit Auentici oppidi, capitis olim (teste Corn. Tacit. 17.) Heluetiorum uelut colonia. Eius & Ptol. lib. 2. meminit. Prædonum uirga] Quia ea Heluetiæ pars quæ inter Friburgum ac Geneuam iacet, sæpe infamis suis latrocinijs à Friburgensibus ac Bernatibus, quantum in ipsis fuit, purgata. Illotis manibus] Prouerbialiter dictum in eos, qui uel auda cius, uel parum instructi rebus his, quibus oportuit, negocium inuadunt. Curia] Appositio: curia locus est, ubi senatus Reip. curam, à qua & nomen usurpat, gerit. Cicero: Extincto enim senatu, deletisq; iudicijs, quid est, quod dignum nobis aut incuria, aut in foro agere possimus. Belli memorabile fulmen] Ita Scipiones quoq; duo, belli fulmina ab Ennio nuncupantur. Et Virg. lib. 6. Aeneid.

Duo

Duo fulmina belli Scipiades. Iraſcensq; aries] Aries machina bellica, qua uetere muros diruebant. Tribuit rei inanimatæ affectum, cum dicit iraſcens. Catapulta] Catapulta iaculum celere, uel ſagitta ſecundum Nonium. Loca naſcendis aptiſsima muris] Locus enim is accommodatus urbibus extruendis, quem natura etiam ad tuendum formauit.

Vrbs, quam Roma ſimul ſociam, Treuerq; ſororem
Appellent, Salodorum ingens, te ſcindit & ambit
Ipſe Arolà, en tibi ſunt ſacris Thebæa ſepulchris
Corpora, quæ quodam è Nilo Memphiticus heros
Duxit in hoc Vrſus cœlum, dum uita manebat,
Martyrij ut palmam, & dignos heroe triumphos
Acciperent omnes pro chari nomine Chriſti.
Accipe quod uolui breuiore dicere uerſu:
Vrſinum ſeruas morem, fortiſsima bello
Pectora habens, nulloq; unquam perculſa timore,
Vt Romam factis æques, uincasq; ſororem.

Vrbs quam Roma] Si ciuitatibus laudem parit uetuſtas nullam uel Galliæ uel Germaniæ dicere auſim, exceptis Treueris, quæ parem cum Salodoro noſtro commendationem mereatur. Ferũt enim conditã eſſe, nõ multo poſt Abraami tempora. Viſuntur hodie argumẽta antiquitatem planè indicantia. Situm eſt ad noſtram Arolam, cõtentum planicie, ualidiſsimis cinctum mœnibus. Viris præſtat huiuſmodi, ut à quibus in prælio animum concipias uel ignauiſsimus. Sororem] Treuerorum urbem, & Salodorum ſorores uocat, quòd ijs ſimul fuerunt temporibus, cum nullæ adhuc aliæ ciuitates uel per Galliam, uel per Germaniã forẽt extructæ. Treueri per ſecundam uocalem duabus prioribus ſyllabis, à nominatiuo Treuer, & eſt diphthõgus eu. Eſt enim Treuen, minari Gallica lingua: unde Treueri dicti, quaſi minaces. De his ac ſimilibus in er nominibus, multa poeta noſter in Annotationibus in Lucanum ad illum uerſum ex primo Phar. Saliæ, Tu quòq; lætatus conuerti in prælia Treuer. Eſt enim prima diphthongo longa, quam quidam malè corripiunt. Tibi ſunt ſacris Thebæa] Nam Vrſi, & ſocorum eius, qui ex Thebaide Aegypti cum diuo Mauricio proficiſcẽtes, poſt Mauricij martyrium Salodorum uenerunt. Ibi tùm præſes erat Hyrtatus nomine. Huic à Maximiano imperatore continuõ mandatum, ut ſanctos uiros uel ad idololatriæ cultũ adigeret, uel tolleret è medio. Verùm hi firmati in Chriſto cunctis præipſo contemptis martyrio coronati ſunt. E' Nilo] Ex Aegypto, cuius fluuius eſt Nilus. Memphiticus] Aegyptiacus. De Memphi ſuprà dictum. Palmam] Victoriam, cuius palma ſignum eſt. Ratio datur à Gell. lib. 3. Vrſinum ſeruas morem] Apoſtrophe ad ciuitatem. Aequesq; ſororem] Treueros. De qua ciuitate Auſonij uerba ſubſcribam:

Armipotens dudum celebrabere Gallia geſtis,
Treuericæq; urbis ſolium, quæ proxima Rheno
Facis ut in mediæ gremio ſecura quieſcit,
Imperijq; uiros quòd alit, quòd ueſtit & armat,
Læta per extentum procurrunt mœnia collem
Largus tranquillo perlabitur amne Moſella,
Longinqua omnigenæ uectans commercia terræ.

Subticeam'ne tuas piſcoſa Scaphuſia laudes
Conſpicuum Heluetiæ ſydus, bene digna camœnis
Gloria Teutonicæ Germano in litore terræ.
Vtilis & bello, uincendoq; utilis hoſte.

Quam propius liquidi facies nitidissima Rheni
Alluit, hic rapidus refluente in gurgite uortex
Cernitur, Euripum referens, Scyllæq; uoracis
Latratus, hic unda alti de uertice montis
Lapsa ruit præceps, sterilemq; eructat arenam
In circum, sursumq; uolans portendere nubem,
Aut nebulæ speciem, & cœlum pulsasse uidetur.

Subticeam'ne] Scaphusiam à scapha dictã, non ab oue (quamuis usus sic obtinuerit) suprà retulimus. Sita est ad Rhenum in littore Germanico, Heluetiæ tamen ponte coniungitur. Omnium rerum mirè exuberans, nec postrema in Helueticis urbibus siue pace, siue bello. Eo autem territorio complectitur, cuius nec Bacchum pœniteret, nec Cererem. Piscosa] Vix alia est urbs ubi ditius est forũ piscatorium. Hic] Sub Scaphusia circiter 3000. passuum, maior Rheni cataractis est, id est, ex alta decidens rupe aqua, magnum naturæ miraculum, ut planè mirer cur Plin. ac Corn. Tacitus nihil de eo scriptis prodiderint, cum oculati, ut dicitur, testes Galliæ ac Germaniæ fuerint, medius Rheni cataractes est ad *Louffenberg*. Tertius ad *Rhinfelden* 12000 passuum supra Basileam. Euripum] Euripum significat, qui pons maris est inter Aulidem Bœotiæ urbem, & Eubœam insulã, cuius meminit Strabo lib. 9. & Plin. lib. 2. Et quorundam tamen, inquit, priuata natura est, uelut Taurominitani Euripi sæpius & in Eubœa septies die, ac nocte reciprocantis, tam rapida cõuersione, ut quemadmodum autor est Pomp. Mela lib. 2. uento ac etiã plenis uelis nauigia frustretur. Scyllæq; uoracis] Iustinus historiographus de Scylla sic scribit, lib. 4. Vndarum porrò in se concurrentiũ tanta pugna est, ut alias ueluti terga dantes uerticibus in imum desidere, alios quasi uictrices in sublime ferri uideas, nunc hic fremitum feruentis æstas: nunc illic gemitum in uoragine desidentis exaudias. Hic unda] Descriptio hæc tam aperta est, atq; dilucida, ut nulla penitus explanatione sit opus.

Tarda uenis, sed grata meo Cellana iuuentus
Concentu, fidibus istis, plebs aspera cultu,
Contemptrixq; animæ, molesq; obiecta periclis
Suanorum, cui quanquam alti sunt ardua montes
Pergama, stat fortis pro duro dextera muro
Est tibi simplicitas prudens, moderata potestas,
Et quo nil maius, iusto moderamine ferrum.
Te quoque quis cultu'ue Dei, pietate'ue maiores
Claude meum carmen: potiusq; eris ultima stellas
Inter maiores, quàm prima minoribus astris.

Tarda uenis] Abbatis Cella pagus, oppidum modis omnibus repræsentans, totam ad se attinentem plagam denominat. Intercluditur montibus: Recepta inter numerum partium Helueticarũ, anno 1514. cum antea socia fuerit, sed absq; suffragio publico totius regionis Heluetiæ. Porrò alius est ordo, ut in concilijs loquendi habent: alius in omnis libertatis incœptę. Eos nunc referemus, Suicia, Vria, Syluania primum fœdus inierunt anno Salutis 1315. Accessit his Luceria quarta pars anno 1332. Tigurum quinta pars 1351. Tugium & Clarona anno dein proximo nempe 1352. Berna octaua pars sequente item anno 1353. Hæ urbes octo publici consilij durarunt sole usq; annum Salutis 1501. Quo anno quatuor urbes, ut cõcilij publici principes creatæ sunt, Salodorũ, Friburgũ, Basilea, ac Scaphusia.

Quanquam

Quanquam longè antè sociæ essent & cõfœderatæ, sicut Abbatis Cella quæ ultimò, anno 1514. pacis principalis facta est: à poeta verò addita est, posteaquã reliquas partes iam descripserat. Quare dicit, Tarda uenis. Cui quanquam] Id est quanquam montibus altissimis est circumducta, tamen in his quasi parum confidens, dextra fortitudinem exercet. Simplicitas prudens] Nihil poterat aptius coniungere, quàm cum prudentia simplicitatem. In hac nanq; synceritas est, in illa boni & mali, & inter se utriusq; discretio. Iusto moderamine ferrũ] Res omnino difficilis homini Christiano inuenire causam, qua iustè belligeret, quòd tota Euangelica doctrina, omnis institutio Apostolica nihil aliud docet, quàm pacem, & charitatem. Vnde magnum tribuit Abbatis Cellanæ iuuentuti laudem, quòd bellum non ineat, nisi iustum. Id quòd tum fecit, dum tyrannidis impatientia, non multos ante annos iugum insolentissimi dominij excussit, iustis causis mouentibus, aliquot imperialium ciuitatum copijs graui pugna superatis apud uiculum, quem *Loch* cognominant. Potiusq; eris] Eleganter concludit Abbatis Cellam admonens, uelit potius esse inter Heluetiæ partes (quas angulos uulgò dicitãt, nec sine ratione) præstantiores ultima, quàm inter interiores prima.

SOCII.

Haec mea Musa humili uisa est prompsisse camœna
Historiam libans, summas uix tangit aristas.
Sed neq; quid Veragri possint, acerq; Sedunus
Et Leopontini, gens Aegocerotide pelta
Bellipotens, cecini, tria quæ per fœdera iuncta est
Rhæticaq; arua tenet, Sanctiq; potentia Galli,
Durgea quid felix possit, quid Doggia castra
Fortia, quid uallis, quæ nomen ab anserе sumpsit.
Hæc mea posteritas celebret, chariq; nepotes:
Tum, quæ plura uides, nostro non congrua plectro
Subnotet, & parteis singillatim explicet omneis,
Tota mihi cantanda fuit, mea Musa recusat
Hoc onus immensum, uolui tamen illa referre.

Hæc mea Musa] Culpam omnem, quod non descripserit Sedunos & Leponticos socios Heluetiorum. Durgeos, oppidum ad S. Gallum, Doggios, & Sanctalium ditionis Heluetiæ, in Musam poeta reijcit, posteris id qualecunq; futurũ sit negocium committens. Prompsisse] Deprompsisse, simplex pro composito. Historiam libans] Breuiter attingens. Libare, est leuiter gustare. Verg. Et flumina libant. Summas] Verg. lib. 7. Nec teneras cursu lęsisset aristas. Veragri] De his superiùs dictum Quidam eos appellãt hodie Ad S. Mauricium. Aegocerotide] Patronymicum pro possessiuo. Ea gens Capricornum habet in insignibus, qui Græcè dicitur αἰγόκερως. Pelta] Pelta scutũ breuissimũ est in modũ Lunæ iam mediæ, inquit Ser. Poeta pro insignibus ponit. Tria quæ per fœ.] Allusio ad hoc quod uulgò dicuntur *die drey pundt*. Sanctiq; poten. Gall.] Oppidum uocant ad S. Gallum pulchrum, opulentum, & populosum, ob negociationem (byssio namq; uictum quæritat) multis cognitum gentibus. De quo, etsi propter res innumeras foret celebrandũ, parcius dicam, quod Ioachimus Vadianus eius alumnus ipsum elegantissimo carmine illustrauit, uir talis in omni doctrinarum genere, ut quem uel doctissimis quibusq; opponeres: adeò humanus, ut nesciã, an humanius quicquam senserim. Doggia castra] Expressit uulgatam appellationem *Doggenburg*. Quid uallis] Poeta uulgi opinionem secutus dicit uallem hanc nomen habere ab anserе, *Sargans* etenim uocant. Vide de oppido pulchrè

differentem D. Aegidium Tschudi in Rhętia, cap. 22. Sarunetas enim olim eam possediſſe uallem à Sara flumine ſupra oppidum Sargans. Et meminit Sarunetum, Plin. lib. 3. cap. 20.

Fœta armis regio, fœcundoq́; inclyta partu,
Et ſemper creſcens populus, patiensq́; laborum,
Formicæ uelut Aeginæ, quas creſcere in auras
Aeacus aſpexit, releuamen plebis ademptæ:
Myrmidonasq́; uocat, nec origine nomina fraudat
Gens nimium potum exhorrens, genus dedita ſacris,
Religione uiret, tota eſt affabilis, alto
Amne ſitim leuat, & uictu contenta minuto eſt.
Fidum iter oſtendit plebs officioſa, per Alpes
Tuta uia eſt, atq; à laqueis defenſa latronum.
Nullæ hîc inſidiæ raptorum, nulla tyrannos
Arx fouet, & nullam timet hîc mercator eremum.

Fœta armis re.] Laudes colligit Heluetiæ. Vbi quidem candidum Lectorem uelim admonitum, ne ſi quæ obuenient moribus hodiernis Heluetiorum contraria, ſtatim mendacij poetã inſimulet: nam de ueteribus, hoc eſt maioribus noſtris rem potiſsimum uult intelligi, per quos imperium noſtrum adauctum eſt. Non enim neſcit, quantum hodie alienam ab illa priore uitam agant Heluetij, neq; id ſemel apud nos deplorauit. Formicę uelut Aeginæ] Similitudine fabuloſa, ſed decentiſsima ad creſcentem hunc populum indicat. Fabulam lege apud Ouid. lib. 7. Metamorp. Aeginæ] Inſulæ Atticæ ubi regnauit Aeacus. Creſcere in au.] Mutari in homines. Plebis ademptę] Scilicet peſte à Iunone immiſſa. Myrmidonasq́; uocat] Aeginenſes, inquit Strab. lib. 8. Myrmidonas appellatos, nõ quomodo in fabulis canitur, ut ingente inualeſcente peſtilẽtia formicæ Aeaco precante in homines uerſæ fuerint, uerùm quia formicarum more terram fodientes ad petras tranſportarent, ut agricolandi materiam haberent, foſſasq́; incolerent, ne latericiam facere atq; ædificare cogerentur. Formicæ Græcè μύρμηκες, unde Myrmidonum appellatio. Gens nimium po.] Sciens nimirum Plinianum hoc: Cicuta uenenum eſt homini, cicutæ uinum. Quaſi dicat uinum citra modum ſumptum, uenenum eſſe præſentiſsimum, quum ueneni ſit uenenum: ſic Politianus. Plin. legit in Miſcell. In primis autem illud Pauli, μὴ μεθύσκεσθε οἴνῳ, ἐν ᾧ ἐστὶν ἀσωτία. Gens dedita ſa.] Mirum quantũ ſimplicitas in homine Chriſtiano commẽdetur, atqui tam ſimplices Heluetij, ut etiam ab Eraſmo ſint ab ea uirtute commendati: cõſentaneum igitur uerò, ipſos non admodum malè Chriſtianos eſſe, & proinde Religioni quã maximè addictos. Tota eſt affab.] Humana erga peregrinos, ſic enim intelligitur. Qua quidẽ in re neſcio, an ſit alia gens præcellentior. Et uic. cont. mi.] Pro laboribus minuto, neq; delicato, ſed ſimplici: de quare ita ſcribit Chryſoſt. Vilis enim menſa & tenuis, ſanitatis mater eſt, & eam propterea medicorum pueri ita nominauerunt, non ſaturari quidem uocantes ſanitatem. Cibi namq; penuria ſanitas eſt, minus ueſci, ſanitatis matrem appellantes. Oſtendit] Scilicet peregrinis. Tuta uia eſt] Id quod non tam apud noſtros eſt communi uerbo celebratum, quàm apud exteros, quo dici ſolebat: Adeò tutam Heluetiam, ut auro ne publicè quidem geſto ſtruerentur inſidiæ.

O nimium felix patria, ô digniſsima laude,
Si quod maiores duro pepêre labore,
Imperium ſerues, libramq́; ſequare bilancem
Virginis Aſtrææ, timeat ſua dona Cupido,

Imperium

Imperium pia simplicitas regat, & bona uirtus.
Iura ferat senior, uenabula læta iuuentus
Dura acuat, subigitq; ferox in cote sarissas.
Papa tibi & Cæsar, duo lumina maxima mundi,
Ante oculos sunto, solem illum, hunc dicito lunam:
Papa caput mundi, uerus pater Vrbis & orbis,
Sol uerus, reliquas stellas illuminat omneis,
Præcipuè lunam, quæ cætera lumine uincit
Sydera, ceu superat reliquos molimine reges
Magnanimus Cæsar, belli inuiolabile fulmen,
Totius orbis apex, hominumq; suprema potestas.
A' Christo positus, cui longo seruiet æuo
Sol oriens, solq; occiduus, polus Auster & arctos,
Hos sequere autores, rerum dominosq; patresq;

O' nimium se.] Peroratio adhibita admonitione. Libramq; sequ. bil.] Allusio ad iustitiæ imaginem, uti hodie pingitur. Virginis Astrææ] Iustitiã antiquitus uocabant Astræam, eamq; scribunt, ut apud Ouid. legitur lib. 1. Metamorph. terras reliquisse postquam à uitijs hominũ sunt occupatæ, atq; in cœlũ migrasse. Quod quidem Lact. ille Firm. ait lib. 5. non prorsus poetica fictione, sed pro uero habendum, rationem licet ab eadem inquiras. Cupido] Optimè dicit, timeat. Nam nihil nostræ patriæ potest accidere pestilentius, quàm pecuniæ nimia cupiditas. Et hæc est alterum è duobus, quæ omnem remp. subuertũt, alterum ambitio. Iura ferat se.] Id est Senior remp. curet. Venabula læ.] Id est, iuuẽtus tractet arma, quemadmodum Romulus primus rex Rom. remp. suam instituit, ut uidelicet iuuentus in equis & in armis, ut Flor. ait, ad subita bella excubaret, senes penes resp. esset, quos quidem ex autoritate patres, ob ætatem senatores uocabat. Innuit autem poeta prouerbium, quo dici solet: Facta iuuenum, consilia mediocrum, uota senum. Subigatq;] Ita Verg. 7. Aen. Subiguntq; in cote secures. Sarissas] Hastas oblongas, quales Macedones ferre olim solici sunt. Papa tibi] Papa uocabulum uix poeticum. Verùm qui põtifex creticum facit, qui pes heroico uersu non congruit, quod proximum fuit, & Christianis usitatissimum arripuit. Sumpta est comparatio ex capitulo solitæ benignitatis, uersiculo præterea, Extra. de Maioritate & obedientia. Comparatio non omnibus, præsertim hac ætate placens, quòd uita pontificum huic dignitati nõ omnino respondeat. Poeta putat se non esse pontificum iudicem, sed Christum, qui hanc dignitatem dederit Petro ac eius successoribus, Pontifices reddituros rationẽ suæ uillicationis, se hoc scribere de pontificibus quales esse debeant, non quales sint uel fuerint quidam ex eis. Hos sequere au.] Sequendi eatenus sunt & Papa & Cæsar, dum nihil nec iubent, nec imperant, quod displiceat Christo. Quòd si secus fit, haudquaquam obsequendum. Imò uerò semper habendũ in pectore. Plus nos debere Deo, quàm hominibus. Aliquoties nanque populi simplicitas in hac re pernicioſissimè seducitur.

Omnia ad exemplum maiorum pende tuorum:
Omnia perspicienda tibi, tu discito Romæ
Crescentis mores, tetricos imitare Catones,
Aeneadasq; duces, Decios, fidosq; Camillos.
Fabritium, Curium, & contracto poplite Coclem,
Innumerosq; alios, quos commemorare molestum.
Brutus erat nobis, Vro Guilielmus in aruo.
Assertor patriæ, uindexq;, ultorq; tyrannũm:

Sic rogo Scipiadæ sint nunc, fideiq; stupendæ
Attilius, sit qui pacem Pyrrho esse negandam
Appius admoneat: tu regna Aenea fixo
Contemp'are animo, nec gesta illa inclyta temne,
Cum propius sequere & uestigia semper adora.

Tetricos Cat.] Graues & seueros. Duorũ Catonũ, senioris cui nomẽ Censorio, & minoris cui cognomen Vticensi: grauitas pariter atq; integritas uolgò celebratissima quondam fuit, adeò ut è cœlo demissi dicerentur, & ut bellum cum uitijs gererẽt, inquit Erasmus. Vnde adagium sumptum, Tertius Cato: in uitros impendiò tetricos. Aeneadasq;] Romanos ab Aenea descendentes. Decios] Et pater & filius pro salute publica se deuouerãt: ille in bello Latino, autore Liu. 8. dec 1. hic in bello aduersus Vmbros, Hetruscos & Samnites: quod idem testatur lib. 10. eiusdẽ dec. Fabriciũ] Hic cõsul fuit Ro. omniũ suo tempore gloria & rebus gestis maximus, sed in primis frugalitate cõmendatus, in tenuissima nãq; supellectili Samnitũ qui tum hostes erãt, munera cõtempsit. Et Timocharem, uel (ut alij) Niciũ pro necando Pyrrho Epirotarũ rege, cõtra quẽ Fabricius tum in armis erat, pecuniã petentẽ, Pyrrho remisit. De hoc & Val. Max. & Gell. mineruũt. Curiũ] Dentatũ intelligit, qui hoc parauit cognominis ab eminentiore dente. Exactissima frugalitatis norma dicitur, & fortitudinis perspectissimũ specimẽ à Val. lib. 4. De eodẽ lege Plura. & Corn. Nep. Cõtracto po. Co.] Is & claudus fuit & unoculus, quæ quidẽ uitia tulit ob fortitudinẽ. Mirabilis fuit eius uiri pugna pro ponte sublicio, ubi unus tot milibus armatorum tamdiu restitit, dum à tergo ponte interciso in Tyberim se demisit, atq; ad suos tranauit incolumis. Eius uirtutem multi autores cõmemorãt, ut Valerius, Cor. Nepos, Liuius, Florus, Seneca, Gellius. Brutus erat no.] Guilielmus Tell, Brutus fuit Heluetiorum, nam uti Brutus Romanæ libertatis fuit uindex & custos, ita Guilielmus Heluticæ, lege de Bruto Plutarchum, Val. lib. 5. & Corn. Nep. & Liu. lib. 1. & 2. dec 1. Tyrannũ] Syncope. Scipiadæ] Viri fortes, qui patriã augeãt, sicuti Scipiones Romanũ auxerunt imperiũ. Attilius] Artilius Regulus intelligitur, cuius fidẽ Cicero satis superq; explicat in 1. & 3. lib. Off. Sit qui pa.] Corn. Nepos in hæc uerba scribit: Cum de pace Pyrrhi ageretur, & gratia potentũ per legatũ Cyneã precio quæreretur, senex & cæcus lectica in senatũ latus, turpissimas cõditiones magnifica oratione discussit. Quin propius] Statij carmẽ ad finẽ Thebaidos paulum immutatũ. Cõcludens aũt poeta monet Heluetios, ut semper in oculis habeãt Romanos priscos, qui ferè nunq; bellũ gesserũt, nisi causam haberent iustissimã: & cum hoc, quicquid ad uirtutes attinebat, omnibus neruis obseruãrunt, à recto rarissimè discedentes.

IOANNI CAESARIO IVLIACENSI, PHYSICO, MATHEMATICO, ET MEDICINAE DOCTORI, GRAECAE

Latinæq; linguæ apprimè docto, Henricus Glareanus Heluetius, poeta laureatus, S. D. P.

Audere plurimum soleo, suauissime Præceptor, quoties in mentem uenit (uenit autem sæpe) tui memoria: cumq; à te, à te inquam homine doctissimo, Græcarum literarum elementa cupidissimè didicisse recordor, incredibile est, quantum triumphem, quantum læter. Vt autem aliquam tibi gratiam, quemadmodum grato discipulo congruum erat, rependerem, uoluti-bi meum, de Cæsaris Max. Aemiliani laude, carmen, quod Agrippinæ in conspectu principum Germaniæ, coramq; Cæsarea maiestate, non sine gloria (absit uerbo inuidia) multorumq; hominum admiratione ante biennium ad Dorium tonum demodulatus sum, dedicare. Confiteor tamen ingenuè me longè uinci à tali principe, cuius ego ne umbrã quidẽ cõsectari ualeo scribẽdo, sed quæ potui feci: quid enim ultra, quàm possum, facerem? Vale felix, bonorum studiorum decus. Basileæ Anno Domini M. D. XIIII. AD

AD DIVVM MAX. AEMILIANVM ROM. IMPERATOREM SEMPER AVGVSTVM,

Henrici Glareani Panegyricon.

INclyte Romulidum Cæsar, quem summa tonantis
Maiestas mundo statuit pietate uerendum,
Præfectiq; unum diuina potentia rebus,
Qui cum ipso placidè spacioſum temperet orbem.
Quòd tua me pietas, & magnificentia sceptri
Audiat (en cernis) rogito tua numina supplex.
Arsacas Arsacides, & Achemenas astra putabant
Astrologi Persæ, Ptolemæos fama per orbem,
Sparsit in extremam Nili septemplicis undam:
Laomedontea fortunatißimus urbe
Infelix Priamus, Pelopeia ad arua uolabat,
Nomineq; & fama celebris, currenteq; uatum
Materia, quid enim non audet Græcia mendax?
Cecropis & Thesei quàm clarum nomen Athenis,
Antiochiq; Syris, nullo delebile sæclo.
Proinde hæc uana abeant, ne tempora perdere dicar
Verborum longa ambage, exorsisq; remotis.
Eia age, Pannoniæ celeberrima gloria gentis,
Rex Romane saue, cui longo seruiet æuo
Sol oriens, solq; occidens, polus auster, & arctos.
Namq; in hyperboreis Tanais qua frigidus undis
In Mæotica abit uada, tu uenerabilis oris,
Famaq; nigrantes celebris tua contigit Indos,
Extremosq; hominum Seres (aut si quid ibi ultra
Priscis ignotum) Solisq; perambulat ortum.
Vesper ubi occidua roresçit frigidus umbra,
Gurges Atlantiacus, Tarteſiaq; æquora Calpes,
Te celebrant, te commemorant, tua numina adorant.
Nec satis hac tellure, alius tibi quæritur orbis
Sub pedibus, penè Antipodes noua terra marino
Prensa sinu, cycloq; sub æquatore reposta est.
Aſt ubi ab arctoo Boreas uolat horridus axe,
Orchadas inuadens, semotosq; orbe Britannos,
Cimmeriaq; umbras, agitataq; limina bello
Frustra Romulidis, ubi uasto barbara gyro
Gothia subiungit, cæcis abstruſa tenebris,
Tartareas resupina iacens procumbit in umbras.
Nota tua est pietas, & nota uerenda potestas,
Virtusq; imperiumq;, & Maximus Aemilianus.
Denicq; Marmaricis ubi murmurat auster in oris,
Imbriferas cogens nubes Gætulia, Psylli,
Aethiopes, Elephãtophagi, & Garamãtica proles
Ambigua, et Numidæ, Massyli, et corniger Hãmõ,
Sæpe tuas laudes, sæpe audiuêre procellas.
Atq;, ut magna magis tua sint præconia Cæsar,
Extendit caudam Lybiæ, penitusq; sub aram
Tensa caput cœli, nescit quo sistere detur.
Sed satis ambagũ, tibi nunc Germania pugnax,
Et domini rerum, & melior famulabitur orbis.
Burgundosq;, Morinosq; tenes, Atheſisq; fluenta,
Indomitum Rhenum, sulcosq; bimominis Istri,
Illyrios, Vbios, fulgentiq; ære Tribuchos,
Vangiones, hodieq; feros in bella Batauos.
Idq; unum adijciam, quo nil mihi gratius orbe,
Heluetia æterno Cæsar tibi fœdere iuncta est,
Gens aquilam, gens terribileis imitata leones.
Nec tibi dedecori Sueui, gens prisca Deorum,
Et dura, & fortis, nulloq; exhausta labore.
Cætera subticeo longum cantanda per æuum,
Quæ gentes, quæ regna tibi, quæ seruiet ætas.
Semper in Oenotrijs senuisti acerrimus armis.
Pallasq;, ut sceptrum, diuinas contulit artes,
Prudens eloquium, & linguæ uenerabile donum,
Tot uarijsq; sonare modis, mihi lingua palato
Hæret, & albentes uir attigit arida dentes,
Cùm nondum tibi gestorum numerauero partem
Tantillam, quid enim præclæ are omnia stirpis,
Quid reliqua enumerẽs citius, quàm copia desunt
Tempora, grandiloquo solùm cantanda Maroni.
Nec nisi Smyrnæo gesta enarranda cothurno.
Illi Parnasi fontes, & Phocidis amnes
Hausſtibus exorbent plenis, mihi gutta negatur,
Et cyathis uersi, sitiens ego pocula lambo.
Da ueniam (dare nanq; tuum) iuſtißime Cæsar,
Si tua facta minus, maiestatemq; uerendam
Attigero, quis enim tam paucis exprimet autor?
Semper in ore meo regum ueneranda potestas,
Tuq; caput mundi, longos tibi det Deus annos,
Atq; Sibyllinam duplicata ætate senectam,
Cum quo perpetuum regis inuictißimus orbem.

Max. Aemilianus imperator Friderici imperatoris filius, Caroli Quinti auus, perpetua memoria dignissimus princeps: maximus Christianæ pietatis, ut uix alius, cultor, plurimum bonis ac honestis disciplinis fauens, Germaniam mirè illustrem suo sæculo fecit: ingenia excitauit, pauperes iuuit, occasionem ad honesta studia capessenda omnibus dedit. Idem Glareanum iuuenem Colonię Agrippinæ honestorum uirorum gymnasij Montani commendatione amplexus, laurea

laurea coronauit,annulo eximio donauit,In qua coronatione hoc carmen poeta ad Dorium Modum intonauit. Pro cuius explanatione paucula hæc scholia subiecimus. Arsacas Arsacides] Laudum initium regibus aliarum nationum factum ab sua cuiusq; natione inquit. At Maxæmiliani imperatoris nomen celeberrimum declarat totius orbis consensus. Licenter autem poeta Arsacas & Achemenas in quintam Græcorum declinationem torsit, cùm alij in prima inclinent. Vnde qui accusatiuus longus erat,hîc corripitur. Sed in barbaris fortasis hoc licet. Ordo igitur & sensus est: Arsacides,id est,Parthus reges suos,Arsacas, & Persæ astrologi suos item reges Achemenas astra putabant. Ita Aegyptij suos Ptolemæos,Syri Antiochos celebrabant,Troiani Priamum,Athenienses Theseā ac Cecropem. Thesei] Vel synæresis est,uel creticus pro spondeo. Exorsea ac Cecropem. Thesei] Vel synæresis est,uel creticus pro spondeo. Exorsisq; remotis] Virgilius lib. 2. Georg. Non hic te carmine ficto, Atq; per ambages, & longa exorsa tenebo. Pannoniæ] Hungariæ enim rex fuit, quæ olim Pannonia. Namq; in Hyperborijs] Oriens descriptus. Extremosq; hominū Seres] Allusio ad illud 8. Aeneid. Extremiq; hominum Morini. Vesperubi occidua] Occidens descriptus cum Portugallensium ac Castilienſium nauigatione sub æquatore ad Indię extrema facta sub hoc Imperatore,ac magis nunc sub Carolo Quinto. Ast ubi ab Arctoo] Septentrionis descriptio cum indicio terræ septentrionalis Suetiæ (cuius pars est Gothia) Norueģiæ Islandiæ. Quarum omnium nationum nostra ætate est Olai Magni,episcopi Vpsalienſis, excellentissimi uiri pulcherrima descriptio, Venetijs excusa cum elegantissima expositione. Quæ nationes portentosæ magnitudinis ac miraculis refertissimæ,maiore ex parte ueteribus ignotæ fuerunt. Deniq; Marmaricis]Meridies descriptus iterum cum Portugallēsium nauigatione per torridam zonam, qua Aphrica ad Tropicum usq; Capricorni extenta hodie nauigatur,atq; in Calecuti cum nobile Indorum citra Gangem Emporium peruenitur. Penitusq; sub aram] Vltimum sydus in nostro horizonte uisu cognitum,de quo Ptol. & Higinius. Fulgentiq; ære Tribuchos] Mirum est hoc nomen ita corruptè legi apud autores, proximè ad ueram denominationē accedit Strabo qui Græcè τριβόκχους uocat, Gallicè linguæ est, *zum dreyen bůchen*. Et poeta Elsatiam ac Brisgoeam significari uult. In Latinorum codicibus iam Triboces, iam Tribotes, nonnunquam Tribones, per tres inquam uariatum literas c t & n, reperias. Vt taceam de quantitate mediæ syllabæ pro cuiusq; libidine uariatæ. Reliqua uocabula passim apud autores obuia, ut Vbiorum, Batauorum, Illyriorum lubentes transmittimus. Heluetia æterno] Loquitur de fœdere quod hodie Hæreditarium uocant, ictum inter domum Austriæ, ac Heluetios Constantiæ â Max. Aemiliano Cæsare, anno Domini 1508. quod adhuc per Dei clementiam durat, magna utriusq; populi felicitate: & ut porrò in perpetuum duret, facit idem Deus in secula benedictus, Amen.

DE

DE TVNGRIS ET EBVRONIBVS ALIISQVE INFERIORIS GERMANIAE POPVLIS HVBERTI THOMAE LEODII Commentarius, quo quamplurima ad cognitionem rerum Germanicarum spectantia eruditè explicantur.

DE VETVSTISSIMAE VRBIS TVNGRORVM & Germani nominis Origine.

GALLIAE Belgicæ tractum, eum quem ad Septentrionem porrectum, Mosa interfluit amnis, & urbs nobilitat maxima, quam hodie Leodium uocãt, olim ab initio indigena tenuit populus, donec Tungri, qui Teutonorum omnium primi in Gallias irruperunt, ut ait Cornelius Tacitus, transmisso Rheno in has terras uenerunt, quas armis pulsis incolis, occupatas, etiamnum hodie retinent, ubi oppidũ uel condiderunt, uel antea conditum, de suo nomine, Tungros appellarunt, amplissimo quidem murorum ambitu, ut adhuc ueteres indicant ruinæ, & agro feraci longeq; optimo, ad utranq; fluuij lecoræ ripam, qui iuxta Traiectum oppidum nobile, in Mosam exonerat. Huius etiam mœnia, ut plenq; uolunt, & nonnulla eius rei uisuntur uestigia, Oceanus adluebat, qui nunc æstibus aduecta arena, ut fieri solet, remoratus, quàm longissimè abest, oppidumq; exiguum, subtractis commoditatibus quæ mari proueniunt, reliquit, adorandum equidem non uno nomine Germanis omnibus, quod hic maiorum inter exteras nationes rei primæ omnium præclarissimè gestæ, uetustissimum cernant monumentum, quod toties propemodum funditus deletum, linguam, nomenq; parentum abijcere noluerit, ubi denique nomen, quo ueluti in corpus redigerentur, primum inuenêre Teutones, Germaniq; appellari cœpti sunt. Ante hanc enim Tungrorum in Gallias irruptionem, Germaniæ Germanorumq; nomen inauditum erat, & gens quæ iam dudum hac appellatione terrarum orbi notissima est, nõ uno, sed diuersis censebatur nominibus. Dicebantur enim Teutones, Cimbri, Tungri, Marsi, Gambriuij, Sueui, Vandali & huiusmodi. Tungris aũt ob rem bene gestam, applaudentes iam dictæ gentes, uno nomine aliquam diu se Tungros appellarunt. Verùm cum unius nationis peculiare uocabulum diu omnibus commilitonibus non placuisset, ut suspicatur non immeritò libro primo rerum Germanicarum Beatus Rhenanus, proprium aliud nomen sibi excogitarunt, quo deinde uniuersi appellarentur, insignem prorsusq; uirilem audaciam significans, hoc est Germanos sese cognominarunt, quos postea imitati superioris Germaniæ populi Alemanni dici uoluerunt, uocabuli duntaxat primis literis, significatione nihil differentes. *Garman* enim siue *German* Teutonorum lingua prorsus uir, *Alleman* uerò totus uir dicitur. Hæc eadem etiam subindicat Cæsar Commentario secundo dum ait: Eburrones, Pæmanos, Ceresos, Condrusos omnes uno nomine Germanos appellatos fuisse. Nec quenquam moueat hic Dominus Aegidius Tschudius aliam ex Strabone adferens Germaniæ nominis originem, nisi idem præstet in Allemannia, Normannia, Marcomannia & huiusmodi alijs in *man* exeuntibus, quæ quamplurima sunt, ita ut non possit singularitas in Germaniæ uocabulo allegari

Tungri primi ex Germanis Galliam occuparunt.

Tungri oppidum.

Germani unde dicti.

legari aut suspicari, etsi sit non parua aut indiligens Strabonis authoritas. Quis enim audiuit Romanos gentibus nomina imposuisse, & nō proprio & commu ni appellasse. Hinc facile Tungrorum antiquitas colligitur, hoc est diu ante Chri stum natum Tungros conditos, nam Germania nomen uetustissimum est, & multis ante Iulium Cæsarem seculis auditum, licet in Commentarijs quæ de rg bus abs se in Gallia gestis disertissimè conscripsit, Tungrorū nullam faciat men tionem, quod forsan ea tempestate Eburonum nomen prævaluerat, & Tungri illorum parerent imperio. Quod autem fuerit ampla & potens ciuitas Ammia nus Marcellinus scribit in hæc uerba: Secunda, inquit, Germania ab occidenta li exordiens cardine Agrippina & Tungris munita ciuitatibus amplis & copio sis. Plinius quoq; cùm alibi in describēdis Galliæ urbibus, tum trigesimo primo huius urbis facit mentionem: Tungri, inquit, ciuitas Galliæ fontem habet insi- *Fons Tungrorum.* gnem, plurimis bullis stillantem ferruginei saporis, quod ipsum non nisi in fine potus intelligitur, purgat hic corpora, tertianas febres discutit, calculorumq; ui cia. Eadem aqua igne admoto turbida fit, ad posterum rubescit. Hæc ille: Exrat etiamnum hodie inter urbis ruinas hic fons, eamq; naturā habere & mihi proba tus est, & uulgus Tungrorum credit. Verum nescio cur medici illi hanc efficaciam abnegent, suæ commoditati forsan consulentes. Præstantes etiam bello ui ros habuisse Tungros, ueteres historiæ non semel tradūt, præsertim Tacitus qui Campanum & Iuuenalem primores Tungrorum nominat, qui cum Ciuile Bat tauo aduersus Romanos arma coniunxerunt. Tungrorum item cohortes duas & quatuor equitum turmas in Italia militasse scribit Vitellij & Otonis tempori bus. Iulius Capitolinus item scribit Tausium quendam è Tungris cunctantes *Pertinacis mors.* in necem Pertinacis Imperatoris milites, loquendo in iram & timorem adduxisse, & hastam in pectus Pertinacis obiecisse. Nec alibi usquam facilè plura uictoriarum monumenta & trophæa reperies, atq; in agro Tungrorum, quibus scilicet conrecta sunt cęsorum corpora. Nihil etenim aliud sunt terrei illi tumuli, qui oppido egressis, quà ad Centrones & Leodium iter est, statim apparent, quàm mortuorū sepulchra, Romanis quandoquidem mos fuit ita sepelire, qui in acie conciderant, ut de clade Variana memorat Tacitus: Romanus, inquit, qui adesrat exercitus, sextum post cladis annum, trium legionum ossa, nullo noscēte alienas reliquias, an suorū humo tegeret, omnes ut coniunctos, ut consanguineos, aucta in hostem ira, mœsti simul & infensi condebant. Primum extruendo tumulo cespitem Cæsar posuit gratissimo munere in defunctos, & præsentibus doloris socius. Tungros sub Vespasiano in ditionem acceptos scribit Tacitus lib. 20. Fabius, inquit, Priscus legatus quartamdecimam legionem terrestri itinere in Neruios Tungrosq; duxit, exq; ciuitates in ditionem acceptæ. Libet hic adscribere historiā, quam ponit Flauius Vopiscus in Numeriano, ut scias tem- *Auspicatus est apud Tungros imperium Diocletianus.* poribus Diocletiani nondum Christianos Tungros fuisse: Cum Diocletianus, inquit, apud Tungros in quadam caupona moraretur, in minoribus adhuc locis militans, & cum Druide quadam muliere rationem conuictus sui quotidiani faceret, atq; illa diceret: Diocletiane, nimium auarus, nimium parcus es, ioco nō serio Diocletianus respondisse fertur: Tunc ero largus cum Imperator fuero. Post quod uerbum Druis dixisse fertur: Diocletiane iocari noli, nam Imperator eris, cum aprum occideris. Semper exinde Diocletianus in animo habuit imperij cupiditatem. Cum autem esset Augustus appellatus, & quæreretur quemadmodum Numerianus esset occisus, educto gladio Arrium Aprum præfectum Prætoris percussit dicens: Hic est author necis Numeriani, & ita Druidis dictū impleuit. Longè lateq; imperasse Tungros oppida ab illis condita declarant, Tungerlo in Aduaticis, & Tungrina supra Namurram, item in Toxandria Tungerlo in comitatu Lossensi, Tungerlo prope Blasacum, Tungerlo iuxta Grauiā,

nunc

nunc in uillas abierũt. Visitur Tungris sacellum uetustissimum Herculi sacrum, ut illius supra ianuam effigies ostentat. Hoc fabulantur à Materno constructum in honorem diuæ Virginis, quum Materni ætate nondũ delubra fierent, sed constituebat uir sanctus Ecclesias fidelium, uti Apostoli in Asia & alibi: quod non intelligentes indocti, existimarunt illum templa condidisse, qui ne obulum quidem habebat: nec pertulissent Romani eo tempore Tungrorum domini, uirum nouam religionem prædicantem tanta pollere authoritate, ut etiam sacras ædes construeret, quod ipsum nemini, nisi principibus uiris permittebatur. Hæc sunt quæ de primis Tungrorũ exordijs, primaq; Germani nominis institutione, hoc loco referenda existimaui, plura subinde inter scribendum, cum locus admonebit, dicturus. Quod autem Octauia nonnunquam fuerit nuncupata, uereor ne somnia sint eorum, qui ne oppidi quidem ipsius nomen rectè tenent, nunc Tungrim, nunc Tungarim appellantes, cũ Tungri plurali numero, ut Philippi, Rhemi, Ambiani ab eruditis omnibus & ijsdem antiquissimis nuncupentur. Habes præterea Tungros, non à Troianis oriundos, ut audent multi tradere, sed uerè Germanos & Germanici nominis primi autores, ubi uerò antiquas habuerint sedes, etsi nusquam reperio relatum, lingua tamen Tungrorum arguit eos esse ex his populis qui infra Vbios incoluerũt, ubi uicus *Tungernheim* perdurat, quod Tungrorum patriam Latinè dixeris. Dialectus enim Sicambrorum, Tungrorũ, Menapiorum, Bethasiorum & Masacorum una est, & à superioribus Germanis aliquantum discrepat. Est & alia mihi coniectura ex oppido *Tungersee*, quod est in Francis orientalibus, qui olim è regione Coloniæ Agrippinæ habitarunt ultra Rhenum, deinde unà cum Tungris eas terras, quas nunc tenent circa Herbipolim, occuparunt, & *Tungernsee*, id est, lacus Tungrorum incoluerunt. *Tungri.* *Tungerheim uicus.*

DE EBVRONIBVS.

EBurones, qui nunc Leodienses appellantur, gente & numero Germanos fuisse testatur Cæsar. Quapropter uel unà cum Tungris è Germania, uel postmodum Tungrorum exemplo, quòd illis emigrationem fœliciter cessisse animaduerterent, ad Mosam armis sibi quæsisse sedes certum est, latissimosq; fines occupasse, utpote ab Aduaticis, & extremitate Arduennæ syluæ, usque ad Rheni & Mosæ confluentem, à Treueris item usque ad Oceanum, & ferè quantum nunc est Leodiensis diœcesis, tanta potentia, ut Tungrorum nomen aliquandiu obscurauerint, nihilominus tamen quo tutiores in aliena terra degerent, patrocinium Treuerorum, qui Gallorum omnium bellicosissimi habebantur, uolentes agnoscebant. Quomodo autem Germanicè appellati fuerint, coniecturam hanc adducere usum est non absurdum. E' Germania in has terras irrupisse Eburones, iam dixi, fuisse autem rusticam plebem opinor ex nomine. *Bur* enim rusticum, & *Buren* pluraliter rusticos, Germanus dicit. Fuit autem olim & est circa Vvestphaliam gens & terra uetus hodie comitatus titulo adhuc insignis, Germanicè *die Ey* siue *Hey*. Ex hac inquam terra rustici profecti *Eyburen* sunt uocati, qua Eyorum rustici, deinde expuncto y *Eburen* & à Romanis Eburones, quorum nonnulli in ea parte Arduennæ syluæ consederunt, quæ *Eyfelt*, id est, Eiorum campus nuncupatur, longo post tempore ijdem *Ey* siue *Hey*, quum Sueui, Hessi, Franci, Cherusci superiorem Germaniam occuparent, agrum quem hodie *Hegau* siue *Egau* uocant, obtinuerunt. Hæc de Eburonum nominis origine mihi est cõiectura. In horum atq; Condrusorum fines, C. Pompeio & M. Crasso consulibus, hoc est, anno ab urbe condita DCC. ante autem natum Christum circiter quinquaginta tres annos, *Eyfelt.*

Vsipetes

Vsipetes Germani,& item Tenchteri magna cum multitudine hominum, nem pe CCCCXXX. milium exagitati à Sueuis peruenerunt,hos Cæsar,qui tum in Gal lia agebat non procul à confluente Rheni & Mosæ adgressus deiicit. Deinde confecto Britannico bello legiones in Hyberna misit,in Morinos, quorum ca put est oppidum Terauana.C.Fabium legatum in Neruios,qui nunc Tornacen ses dicuntur.Q.Ciceronem,in Essuos,qui circa oppidum Aeth habitant,& paca tissimi Gallorum erant,L.Roscium,in Rhemis & confinio Treuerorum,T.La bienum,in Belgio M.Crassum quæstorem,L.Munatium Plancum & C.Trebo nium legatos,Q.autem Titurium Sabinum,& L.Aurunculeiũ Cottam in Ebu ronibus apud castellum Varucam cum una legione,& quinq; cohortibus,quas

Varuca quã alij perperã Vatucam.

proximè trans Padum conscripserat,hyemare iussit. Est autem Varuca etiam num hodie eius nominis castellum haud amplius medio miliari Germanico ab urbe Leodio distans,in medijs Eburonum finibus,in summa planicie,ut ex hoc longè lateq; prospectus sit, hoc uetustate corruptum, & graui bello,quòd eius Dynastæ circa annum nostræ Salutis millesimum tricentesimũ aduersus Auen ticos gesserunt,ferè demolitũ,intra paucos annos, uir clarus Raso à Varuca suæ familiæ ultimus,restituit,turrim habet elegantem, & uicum proximum aquis, pro castrorum necessitatibus satis uberem,quem Alhoram uocant.Commenta ria tamen Cæsaris communiter,sed perperam & falsò pro Varuca Vatucam ha bent,quæ res causa fuit,ut Varuca diu ab antiquitatis amatoribus quæsita,nusq; quam reperiri potuerit,donec nuper ego in uolumẽ manu scriptum incidi,aliàs quidem corruptissimum,in hoc duntaxat fidele, quod Varucæ nomen integrũ incorruptumq; seruauerit.Est præterea mihi liber eorundem Commentariorum ante triginta sex annos impressus, qui Varucam non Vatucam etiam habet, ut ostendi nuper uiro doctissimo D. Iacobo Spiegelio, cum ab Heydelberga ad Haganoam reditum pararet,& me ut ualediceret, inuiseret. Hæc modo anno tasse de Varuca satis usum,postmodum de ea latissimè dicturus.

DE PRIMA ROMANORVM CLADE *apud Varucam.*

Ambiorix.

Diebus circiter quindecim,quibus in Hyberna uentum erat, initium repen tini tumultus ac defectionis ortum est ab Ambiorige & Catiuulco Ebu ronum regulis.Ambiorigis Leodiorum annales etiam mentionem faciunt, & uulgari uoce Hambrim Germanicè *Emrich* nuncupant, & illum regem Tungro rum dicere malunt,pagumq; ab eo excultum ac denominatũ haud procul à Va

Hambrou pa gus.

ruca & urbe Leodio Hambrou ostentant,Catiuulcum uerò subticent. Hi duo reguli cum ad fines regni sui Sabino Cottæq; præstò fuissent, frumentumq; in Hyberna comportauissẽt, Induciomari Treuerorum principis nuncijs impulsi, suos in Romanos cõcitauerunt,subitoq; oppressis lignatoribus, magna manu ad castra oppugnãda uenerũt,cùm celeriter Romani arma cepissent, uallumq; ascendissent,atq; una ex parte equitibus emissis Hispanis, equestri prælio supe riores fuissent,desperata re,Eburones suos ab oppugnatione reduxerunt.Tum suo more conclamauerunt,uti aliqui ex Romanis ad colloquium proderent, ha bere sese quæ de re communi dicere uellent,quibus controuersias minui posse sperarent.Mittitur ad eos colloquendi causa C.Carpineius eques Romanus,fa miliaris Q.Titurij,& Q. Iunius ex Hispania quidam,qui iam antè missu Cæsa

Ambiorigis ficta oratio.

ris ad Ambiorigem uentitare consueuerat, apud quos Ambiorix in hunc mo dum locutus est: Sese pro Cæsaris in se beneficijs plurimum ei confiteri debere, quod eius opera stipendio liberatus esset,quod Aduaticis finitimis suis pende re consuesset,quodq; ei & filius & fratris filius ab Cæsare remissi essent, quos

Aduatici

Aduatici obsidum numero missos apud se in seruitute, & catenis tenuissent, neque id quòd fecerat de oppugnatione castrorum, aut iudicio, aut uoluntate sua fecisse, sed coactu ciuitatis, suaq; esse eiusmodi imperia, ut non minus haberet in seruis multitudo, quàm ipse in multitudinem. Ciuitati porrò hanc fuisse belli causam, quòd repentinæ Gallorum coniurationi resistere non potuerit, id se facile ex humanitate sua probare posse, quod non adeò sit imperitus rerum, ut suis copijs populum Romanum se superare posse confidat, sed esse Galliæ commune consilium, omnibus Hybernis Cęsaris oppugnandis, hunc esse dictum diem, ne qua legio alteri legioni subsidio uenire posset, non facilè Gallis Gallos negare potuisse, præsertim cùm ei de recuperanda cõmuni libertate consilium initum uideretur. Quibus quoniam pro pietate satisfecerit, habere se nunc rationẽ officij, pro beneficijs Cæsaris monere, orare Titurium pro hospitio, ut suæ ac militum saluti consulat, magnam manum Germanorum cõductam Rhenum transisse, hanc affore biduo, ipsorum esse consilium, uelint ne prius, quàm finitimi sentiant, eductos ex Hybernis milites, aut ad Ciceronem, aut ad Labienum deducere, quorum alter milia passuum circiter L. alter paulo amplius ab his abesset, illud se polliceri & iureiurando confirmare, tutum sese iter per fines suos daturum, quod cum faciat, & ciuitati sese consulere, quod Hybernis leuetur & Cæsari pro eius meritis gratiã referre. Hac oratione habita discedit Ambiorix. Carpineius & Iunius quæ audierant ad legatos deferunt. Illi repentina re perturbati, etsi ab hoste ea dicebantur, non tamen negligenda existimabãt. Maximè hac re permouebantur, quòd ciuitatem ignobilem, atq; humilem Eburonum sua sponte populo Romano bellum facere ausam, uix erat credendum.

Libet hic paululum digredi & expatiari, uerbaq; Cæsaris expendere, ubi ait: Ciuitatem Eburonum humilem fuisse, id est uilem, & abiectam, de tota gente intelligendum est, nihilominus tamen secundo Commentario idem autor est, Condrusos, Eburones, Ceresos, Pemanos, qui omnes uno nomine Germani appellabantur, antea in communi Gallorum consilio pollicitos contra Romanos, quadraginta hominum milia se missuros. Oppidum uerò Eburonũ, & Ambiorigis regia eo loco erat, ubi nũc est uicus Eburra, Germanico miliari ab urbe Leodio distans, obscurus & ignotus diu, sed nuper repertis sub terrã sacris quibusdam, ut uocant, reliquijs, & hominum notitię redditus, & factus uenerabilis est, causam autem inibi tunc constituti oppidi fuisse reor, quod inter syluas loco tuto erat, & fines Eburonum, Ceresorum, Condrusorum, Pemanorum, & Tungrorum, quibus imperitabant Ambiorix & Catiuulcus, attingeret, Condrusi autem nomen adhuc retinent, Ceresi uerò ij sunt, qui nunc Ripenses appellantur, ubi arx Cæreium, id est, Cerey, quàm Cardinalis à Marka nuper restituit, & ab interitu uindicauit, è cuius regione ultra Mosam uicus amœnissimus est, & admodum amplus Iemeppia, Pemani erant Arduennæ syluæ incolæ, ubi nunc uicum Pæmont esse adserunt. Porrò non est quod quis apud Eburam murorum reliquias requirat, quandoquidem non muro lapideo, sed cõcisis syluis, ut autor est Cæsar, oppidum muniebatur, nec Galli olim, & multo minus Germani, qui nõ oppida, sed uicos inhabitabant, lapide & cæmento suas ciuitates cingebant, sed trabes directæ perpetuæ in longitudinem paribus interuallis distantes inter se binos pedes in solo collocabantur, reuinciebãtur extrorsus & multo aggere uestiebantur, ea autem quæ diximus interualla, grandibus in fronte saxis effarciebantur. His collocatis & coagmentatis, alius insuper ordo adijciebatur, ut idem illud interuallum seruaretur, neq; inter se contingerent trabes, sed paribus interiectis, arctè continerentur, sic deinde omne opus cõtexebatur, dũ iusta altitudo muri explereẽ. Qui quidẽ muri in hunc modũ cõpositi, & si ea tempestate deformes non erant, & ad utilitatẽ defensionemq;

Eburá oppidum.

Condrusi.

Cæresi siue Cærei.

Iemeppia.

Pemani.

Forma muri Gallici olim.

Veteres Germani uicos incolebãt, nõ muris, sed aggere munitos.

nemq; urbium summam haberent opportunitatem, quòd & ab incendio lapis, & ab ariete materia defenderet, quę perpetuis trabibus pedes quadragenos plerunq; introrsus reuincta, neq; perrumpi neq; distrahi posset, non tamen perpetuò durabilis erat, pluuia etenim & uetustate corrũpebatur, & temporis tractu cariosa sæpe concidebat. Inde non mirum Eburæ nulla supereſſe murorum indicia, quæ oppidum illic fuisse comprobent. Est autem & *Buren oppidum* in Brabantia nimirum, ab Eburonibus denominatum.

Sed nunc ad Varucam redeamus, ubi Romani Ambiorigis ausu & oratione territi, quæ à legatis audierant, ad concilium deferunt, magnaq; ex his tot causis inter eos cõtrouersia orta est, L. Aurunculeius complures q; Tribuni militum & primorum militum Centuriones, nihil temerè agendum, neq; ex Hybernis iussu Cæsaris discedendum existimabant, quanta suis magnas copias etiam Germanorũ sustineri posse munitis Hybernis docebant. Rem esse testimonio, quod primum hostium impetũ multis ultrò uulneribus illatis fortissimè sustinuerint, re frumentaria non premi, interea & ex proximis Hybernis, & à Cæsare cõuentura subsidia. Postremò quid esset leuius aut turpius, q; authore hoste de summis rebus capere cõsilium. Contra ea Titurius serò facturos clamitabat, cùm maiores manus hostium adiunctis Germanis conuenissent, aut cum aliquid calamitatis in proximis Hybernis esset acceptum, breuem esse consulendi occasionem, Cæsarem arbitrari profectum in Italiam, nec aliter Carnutes interficiendi Tasgetij consilium fuisse capturos, neq; Eburones, si ille adesset, tanta cum contemptione Romanorum ad castra uenturos esse, non hostem autorem, sed rem spectare, subesse Rhenum, magno esse Germanis dolori Ariouisti mortem, & superiores Romanorum uictorias, ardere Galliam tot contumelijs acceptis, subpopuli Romani imperium redactam, superiori gloria rei militaris extincta. Postremò quis hoc sibi persuadeat sine certa re Ambiorigem ad eiusmodi cõsilium descendisse. Suam sententiam in utranq; partem esse tutam, si nil sit durius, nullo cum periculo ad proximam legionẽ peruenturos. Si Gallia omnis cum Germanis consentiat, unam esse in celeritate positam salutem, Cottę autem atq; eorum, qui dissentirent consilium quem haberet exitum. In quo si non præsens periculum, at certè longa obsidione fames esset pertimescenda. Hac in utranq; partem habita disputatione, cũ à Cotta primisq; ordinibus acriter resisteretur. Vincite, inquit, si ita uultis Sabinus, & id clariore uoce, ut magna pars militum exaudiret. Neq; is sum, inquit, qui grauissimẽ ex uobis mortis periculo terrear. Hi sapient, & si grauius quid acciderit, absterationem reposcent, qui si per te liceat, perendino die cum proximis Hybernis cõiuncti, communem cum reliquis belli casum sustineant, ne reiecti & relegati, longè ab cæteris aut ferro, aut fame intereant. Consurgitur ex concilio, comprehendunt utrunq; & orant, ne sua dissensione & pertinacia rem in summum periculum deducant, facilem esse rem, seu maneant, seu proficiscantur, si modo unum omnes sentiant ac probent. Contrà in dissentione nullam se salutem perspicere. Res disputatione ad mediã noctem perducitur, tandem dat Cotta permotus manus, superat sentẽtia Sabini, pronunciatur prima luce ituros, consumitur uigilijs reliqua pars noctis, cùm sua quisq; miles circumspiceret, quid secum portare posset, quid ex instrumento Hybernarum relinquere cogeretur. Omnia excogitantur, quare nec sine periculo maneatur, & languore militum, & uigilijs periculum augeatur. Prima luce sic ex castris proficiscuntur, ut quibus esset persuasum, non ab hoste, sed homine amicissimo Ambiorige consilium datum longissimo agmine magnisq; impedimentis.

D ij

DE MORTE COTTAE ET SABINI LEGIONIS QVE *internitione eo loco ubi nunc est urbs Leodium.*

POstquam ex nocturno fremitu, uigilijsq; de legionis ex castris profectione senserunt Eburones, collocatis insidijs, bipartito in syluis opportuno atq; occulto loco à Varuca milibus passuum circiter duobus, ubi Antium pagus nūc est, & Legia fluuiolus ortum habet, Romanorum aduentum expectabant. Et cum se maior pars agminis in magnam cōuallem demisisset, ex utraq; parte eius uallis sese subitò ostenderunt, nouissimosq; premere, & primos prohibere ascensu, atq; iniquissimo Romanis loco, prælium committere cœperunt. Tum demum Titurius, uti qui nihil antea prouidisset, trepidare & concursare, cohortesq; disponere, hæc tamen ipsa timidè, atq; ut eum omnia deficere uiderentur, quòd plerunq; his accidere consueuit, qui in ipso negocio consilium capere coguntur. At Cotta qui cogitasset hæc posse in itinere accidere, atque ob eam causam profectionis author non fuisset, nulla in re communi deerat saluti, & in appellandis cohortandisq; militibus imperatoris, & in pugna militis officia præstabat. Cumq; propter longitudinem agminis minus facilè per se omnia obire, & quid quoquo loco faciendum esset, prouidere possent, iusserunt pronunciari, ut impedimenta relinquerent, atq; in orbem consisterent, quod consilium etsi in eiusmodi casu reprehendendum non est, tamen incommodè accidit, nam & Romanis militibus spem minuit, & hostes ad pugnandū alacriores effecit, quòd non sine summo timore, & desperatione id factum uidebatur. Præterea accidit, quod fieri necesse erat, ut uulgò milites ab signis discederent, quæq; quisq; eorū chariſsima haberet, ab impedimentis petere, atq; arripere properaret, & clamore ac fletu omnia complerentur. At Eburonibus consilium non defuit, nam ducces eorum tota acie pronunciare iusserunt, ne quis ab loco discederet, illorum esse prædam, atq; illis reseruari, quæcunq; Romani reliquissent, proinde omnia in uictoria posita existimarent. Erant & uirtute & numero pares pugnandi Romani, tametsi à duce & à fortuna deserebantur, tamen omnē spem salutis in uirtute ponebant, & quoties quæq; cohors procurrerat, ab ea parte magnus hostiū numerus cadebat. Qua re animaduersa Ambiorix, pronunciari iubet, ut procul tela conijciant, ne propius accedant, & quam in partem Romani impetum fecerint, cedant leuitate armorum, & quotidiana exercitatione nihil ab his nocere posse, rursus se ad signa recipientes, insequantur. Quo præcepto ab his diligentissimè obseruato, cùm quæpiam cohors ex orbe excesserat, atq; impetum fecerat, hostes uelocissimè refugiebant. Interim ea parte nudari necesse erat, & ab latere aperto tela recipi. Rursus cum in eum locum unde erant egressi reuerti cœperant, & ab his qui cesserant, & ab his qui proximi steterant, circumueniebantur. Sin autem locum tenere uellent, neq; uirtuti locus relinquebatur, neq; à tanta multitudine coniecta tela à consertis uitari poterant. Tamen tam multis incōmodis conflictati, multis uulneribus acceptis resistebant, & magna parte diei cō sumpta, cùm à prima luce ad horam octauam pugnaretur, nihil, quod esset ipsis indignum committebāt. Tum T. Baluentio qui superiore anno primum pilum duxerat, uiro forti, & magnæ autoritatis, utrunque fœmur tragula traijcitur. Ab hoc puto summitatem montis Petrosij nomen sortitam, ubi sunt ædes nunc diuæ Balbinæ. Q. Lucanius eiusdem ordinis fortissimè pugnans, dum circumuento filio subuenit, interficitur. L. Cotta legatus, omnes cohortes, ordines que adhortans, in aduersum os funda uulneratur. His rebus permotus Q. Titurius, cum procul Ambiorigem suos cohortantem conspexisset, interpretem suum G. Pompeium ad eum mittit, rogatum ut sibi, militibusq; parcat. Ille appellatus respondit, si uelit secum colloqui, licere, sperare à multitudine impetrari posse,

Antium pagus.

Legia fluuiolus.

quod ad militum ſalutem pertineat, ipſi uerò nihil nocitum iri, inq; eam rem ſe, ſuamq; fidem interponere. Ille cum Cotta ſaucio communicat, ſi uideatur pugna ut excedant, & cum Ambiorige unâ colloquantur, ſperare ſe ab eo ſuam, ac militum ſalutem impetrare poſſe. Cotta ſe ad armatum hoſtem iturum negat, atq; in eo perſeuerat. Sabinus quos in præſentia tribunos militum circum ſe habebat & primorum ordinum Centuriones, ſe ſequi iubet, & cum propius Ambiorigem accеſſiſſet, iuſſus arma abiicere, imperata, ſuiſq; ut idem faciant imperat. Interim dum de conditionibus inter ſe agunt, longior q; conſultò ab Ambiorige inſtituitur ſermo, paulatim circumuentus interficitur, in uia, quæ ab ipſo

Sabini interitus. Sabinia ſiue Sauinia, b in u, ut ſæpe fit, tranſmutata, dicitur, ea in urbe Leodio

Sabinia uia. apud ædem ſanctæ Crucis, in uallem declinans, fermè uſq; ad pontem, qui in inſulam ducit, perdurat, tum uerò more ſuo Eburones uictoriam conclamant, atq; ululatum tollunt, impetuq; in Romanos facto, ordines perturbant, ibi Lucius

Aurunculei cædes. Aurunculeius Cotta pugnans interficitur, cum maxima parte militum, caſuq; ſuo uiæ nomen dedit Aurunculeiæ, apud portam quæ in publicum montem ducit, ſuper Moſam flumen nunc quidem, ea autem tempeſtate hunc locum nō attingebat, ſed longo pòſt tempore condita urbe Legia, ut pluribus partibus oppidum interlueret, ducta foſſa deriuatum eſt, & inſulam effecit, occiſo autem Cotta, reliqui Romani ſe in caſtra recipiunt, unde erant egreſſi, ex quibus L. Petroſi-

Petroſius mons. dius aquilifer, à quo mons ille maximus Petroſius in urbe Legia nomen habet, cùm magna multitudine hoſtium premeretur, aquilā intra uallum proiecit, ipſe pro caſtris fortiſsimè pugnans occiditur, alij ægrè ad noctem oppugnationem ſuſtinent, noctu ad unum omnes, deſperata ſalute, ſe ipſi interficiunt, pauci ex prælio elapſi, incertis itineribus per ſyluas, ad T. Labienum legatum in Hyberna proueniunt, atq; eum de rebus geſtis certiorem faciunt. Hyberna autem La-

Lobienſe monaſterium ad Sabim. bieni, quantum coniectura & dimenſione adſequi poſſum, Lobienſe monaſterium nunc eſſe opinor ex nominis alluſione, diſtat à Varuca quinquaginta milibus paſſuum, quæ Germanica circiter quindecim miliaria conficiunt, ad Sabim fluuium loco excelſo, uti ſcribit Cæſar, & poſtea latius declarabo.

DE VRBIS LEODII NOMENCLATVRA ET CVR PRIMùm Legia nunc uerò Leodium appelletur.

SI non puduit Romanos terrarum orbis dominos originis ſuæ autores Aeneam & Romulum non ſatis honeſto, ſi figmenta poetica tollas, utrunq; parente procreatum, atq; hunc patria prodita, ut multi tradunt, illum uerò fraterna

Ambiorix Leodij conditor. cæde infamē citare, neſcio cur mihi uitio uerti poſsit, ſi in Ambiorigen magnanimum regem, hac una dempta in Cæſarem ingratitudinis nota, urbis Leodij prima auſpicia referam. Reſtituerat illi quidem Cæſar regnū, liberauerat ſtipendio, remiſerat & filium & fratris filium, quos Aduatici in catenis & ſeruitute habebant obſides, ſed quam appellabis reſtitutionem, ubi grauius iugum quàm in ſeruitute feras? Romanorum imperia facere cogebatur regia dignitas, comportare frumēta, Hyberna intra regni uiſcera alere & perpeti, malè audire ab omnibus Germanis & Gallis, quòd ſolus uolens, & non coactus, contra propinquas ac cognatas ſibi ciuitates ſubſidia comminiſtraret. Pudendum deniq; Tungrorum atq; Eburonum genti, quæ ita à maiorum uirtute degenerauiſſet, ut ſedes illorum ſanguine quæſitas, & in nobili ſolo conſtabilitas, per uæcordiam ab externa gente, in ſeruitutem reduci pateretur, Cæſarem beneficijs uinctum, captumq; non reſtitutum habere regem, quem mox, cum libuiſſet, minima occaſione eſſet expulſurus, & Romam in triumphum ducturus. Ad hæc, non propria ſponte, ſed Induciomari ac Treuerorum, quorum cliens erat, de inuadendis

Romanis

Romanis consilium sumpsit Ambiorix, non quidem ipse, sed Eburonum ciuitas, cuius importunitati parere cogebatur. Possem etiam allegare Cæsaris impudentiam, à nobilibus proditam scriptoribus, qua nihil ueritus est confingere, ad tegenda, uel sua, uel amicorum impudenter gesta, satis est mihi illius testimonio legionem Romanam cum quinq; cohortibus ab Ambiorige Eburonum regulo, in ea ualle ubi nũc est urbs Leodium, cæsam demonstrasse, docebimus etiam paulo pòst, Q. Ciceronem cum altera legione à Cæsare ad Varucam remissum, atq; ibidem à Germanis interceptum, peneq; deletũ. Et hinc huic loco à legione ibi cæsa, & diu hybernante Legia nomen inditum constanter affirmo, omnis enim Cæsaris descriptio ad amussim quadrat. Distat Legia à Varuca uix amplius dimidio miliari Germanico, in magna conualle, & nouum oppidum esse opinantur, circa Caroli Magni tempora, ab Huberto Aquitanorũ duce mœnibus cinctum, non admodum amplis, ut uetera indicant ruinæ. Ostendi etiam uicos in illo quosdam de nomine cæsorum ibi ducum Romanorum adhuc in præsentia nuncupari. Interfluit Legia fluuiolus pueris in urbe notus. Porrò quæ de Varuca diximus, ne quis putet nullis nos alijs coniecturis inniti, quàm ijs quas ex libro illo manu scripto, deprompsimus: sed sciat multa præterea, & alia nobis hæc in animum induxisse. Romanè adhuc hodie loqui dicuntur Leodienses, etiam si sermo illorum ad Gallicam linguam magis inclinet. Sunt non procul à Varuca uici complures Romanam originem nomine referẽtes. Visitur inde Latinus pagus, Volsci, Vercellæ, Pascasij, Bercelij uiri doctissimi patria. Item Antium, nimirum ab Antiatibus in quo uico Legia fluuiolus habet ortum, & Cottæ fons limpidissimus, quo, dum in Hybernis erat Cotta oblectabatur, aut prope illũ funda traiectus fuerit. Est & Ciceronis fons in urbe notissimus, & a quis maximè uber, quem Ciceronis fontem malè lecta litera nuncupant, scaturit è monte Petrosio retro ædes fratrum, quos minores appellant. Et hæc est uera nominis Legiæ origo, & tantæ urbis, dum adhuc sylua foret, descriptio, non à Legeia nympha, ut in carmine aliquando iuuenis lusi, neq; à Ligijs Hungariæ populis, ut nonnulli uoluerunt, eo quòd Gallica uox lige consonat. Nunc autem cur hodie Leodium uocetur, quoniam ab omnibus ignorari, requiri tamen intelligam, aperiendum est. Dico igitur, quod est: Leodium oppidum à Gallis Legiã à legione ibi cæsa, & hybernante ab initio appellatum fuisse, à Germanis uerò nõ ualentibus Romanam siue Gallicam exprimere uocem in *lugich*, deinde *ludich* id nominis detortum. Dictiones autem huiusmodi Germanicè à *lud* incipientes, quando Latinas facimus in leo cõuertimus, ut *Ludger*, Leodegarius, *Ludpolt* Leopoldus, hinc quoq; *Ludich* Leodium appellatũ, nõ uideo cur reformidẽ adferere.

Legia.

Cottæ fons.

Ciceronis fons.

ALIA DE VRBIS LEODII NOMENCLATVRA OPINIO.

QVum antiquiores urbis Leodij conditores facere mallem, & diu ante Caij Iulij Cæsaris atq; Huberti Aquitanici tempora Leodium fuisse adfirmarem, aiebam Ithacensem Oenopa relicto Leode filio domi, ad Troiam Vlyssem secutum, & ea expugnata, longi quoq; erroris illius comitem fuisse, & cum illo Asciburgium peruenisse, id erat oppidum infra Coloniam Agrippinã non procul à Xantho Cluiæ ditionis celebri municipio, quod in tenuissimum abijt uicum, cui *Aschelburg* hodie nomen est. Huius rei testis est Cornelius Tacitus in libello de situ, moribus & populis Germaniæ. Quoniam uerò Oenops iam grandæuus esset, longaq; ac diutina peregrinatione defatigatus & exhaustus adeò uiribus, ut diffideret in Ithacam se posse redire, quamuis summo & penatium & filij teneretur desiderio, ab Vlysse impetrauit, ut cum ijs socijs quos pari modo

Asciburgiũ oppidum.

adductos Asselburgū relinquebat, dimitteretur. Et quum ipse Vlysses Asselburgū nomen in Akrinerition cōmutasset, quò socij, quia uero Nerito Ithacæ promontorio fuit non poterant, ficto saltem oblectarentur, ipse Oenops, ut sibi charissimum filij Leodis desiderium leniret, ad Mosam condendæ urbis locum quæsiuit, & conditam Λεώδιον, Leodium de filij sui nomine appellauit. Hic Leiodes inter Ithacæ inter Penelopes procos conuersabatur, haudquaquam tamen eorum adprobans insolentiam, sed sæpè reprehendens & procos exosos habens in extremo loco apud pocula semper sedebat. Vnde Hom. lib. Odyssea. φ.

Λειώδης δὲ πρῶτος ἀνίσταπε οἶνοπος υἱὸς
ὃσφι θυοσκόος ἔσκε, παρὰ κρητῆρα δὲ καλὸν
ἥστο μυχοίτατος ἀεί, ἀτασθαλίαι δὲ οἱ οἷος
ἐχθραὶ ἔσαν. πᾶσι δὲ νεμέσσα μνησιρεσιν.

Nihilominus tamen & ipse Penelopes coniugium ambibat, data enim spes alius potiundæ ei qui Vlysis arcum tenderet, primus periculum fecit, nec tendere potuit, aliosq; dehortatus est ne experirentur. Hom. ibid.

ἔνθα τότε πρῶτος τόξον λάβε κὰι βέλος ὠκύ.
σὺν δ' ἄρ' ἐπ' ὄδλον ἰὼν κὰι τόξον ταιρήτιζεν,
ὄδλε μιν ἐντάνυσεν πρὶν γὺν κάμε χεῖρας ἀνέλκων
ἀντρίπτους ἄπαλας. μετὰ δὲ μνησῆρσιν ἔειπεν
ὦ φίλοι ὄμλν ἐγὼ τανύω. λάβετω δὲ κὰι ἄλλος
πολλὸς γὰρ τόνε τόξον ἀρασσῆς λεκαδήσει.
θυμὸν ὃς κὰι ψυχῆς, &c.

Quapropter ab Vlyssè interfectus est, licet illum ita deprecaretur lib. 22.

Ζεύδμαι σ' Ὀδυσεῦ, σὺ δὲ μ' ἄδδεο κὰι μ' ἐλέησον
οὐ γὰρ πω τινὰ φημὶ γυναικῶν ἐν μεγάροισιν
ἐπσαν, ὄδλέ τι ἔρεξε κατάδαλον, ἀλλὰ κὰι ἄλλος
πάντεσσιν μνησηρας, ὅτις τοιᾶν τάγε ἔρεξοι
ἀλλά μοι ὃ πείθοντο λακῶν ἀπὸ χεῖρας ἔχεσθαι
τὼ κὰι κατασθαλίῃσιν ἀεικέα πόσμον ἐπεσσον
αὐτὰρ ἐγὼ μετὰ τοῖσι θυοσκόος ὄδλιε ἔργως
λείσομαι, ὡς ὅπ ἔσι χάρις μετοπίσθ' εὐεργέων.

Hæc nanque nihil remoratus Vlysses Leodemq; toruo respiciens uultu respondit.

εἰ μὲν δὴ μετὰ τοῖσι θυοσκόος εὖ χεαι ἔναι
πολλακι πὸ μέλλεις ἀρήμεναι ἐν μεγάροισιν
τηλὸ ἐμοὶ νόσοιο τέλος γλυκερὸιο γενέσθαι
σοὶ δ' ἀλοχόν τε φίλην ποέσθαι κὰι τέκνα τεκέσθαι
ὄφ ὅπ ἄρ θάνατόν γε δυσκλεέα προφύγοιεν.

Et hæc dicens transfodit illi iugulum gladio. Hunc habuit Leiodes exitum. Quæ si uera sunt, ut omnino nec adfirmare, nec refellere uolo, egregiè referunt & conditorem suum, & conditoris filium Leodienses. Ille absq; dubio non ab re Oenops uocatus est, id est, uini custos, & habens uini colorem, quo nomine etiã Bacchus appellatur, & nimirum bibulus fuit Oenops. Leodes uerò apud crateras & pocula, ut inquit Homerus semper sedebat. Nemo enim crederet quàm dediti sint poculis Leodienses, & quàm sint supra modum bibaces, quod ipsum libenter de gentilibus meis reticuissem, nisi scirem artem egregiè bibendi hodie non inter uicia, sed inter primas uirtutes annumerari, nec bonus uir haberi, nisi qui pocula euacuare, & uno anhelitu multum uini ingurgitare nouerit, quod qui egregiè præstiterit, ab omnibus amatur, colitur & huius consortium appetitur. Contrà frugi & modico uino utentem, auersantur omnes, fugiunt, irridẽt, & magni alicuius mali conscium clamãt, qui se inebriari reformidet uereaturq; ne ebrius

ne ebrius sua prodat flagitia. Verùm de his non est modò dicendi locus, ad nomenclaturam Leodij redeo, quam à Leode Ithacensi habere ut non ausim affirmare, ita tamen dicere possum (si uerum est Vlyssem Asciburgium peruenisse Aktineritonq; uocasse) procul dubio ex socijs aliquos reliquisse in eo municipio, alioqui frustra nomen immutasset, quum nemo Gallorum aut Germanorũ hoc nominis, uetere abiecto, usurpare uoluisset. Deinde facilè fuit uel Oenopẽ uel Ithacensem quempiam Leodium condidisse, & uulgari apud Ithacenses nomine Λεώδιον appellasse. Superuenientes uerò postea Troiani siue Sicambri fuerint, siue alij, ueteri in Græcam gentem odio accensi, Asciburgium & Leodium destruxisse Xanthumq; condidisse. Hæc coniectura, etsi non certa, ueritati tamen consona, neq; de suo Aenea ueriorem aut certiorẽ Roma perduxerit. Leodium itaq; destructum pristinam syluæ faciem resumpsit, nõ totum quidem, sed magna ex parte usq; ad Huberti Aquitanici tẽpora, qui unus ex proceribus Caroli Magni, dum ille uel lupillæ uel Harstalli ageret, uallis amœnitate, lociq; celebritate ac rerum ibidem gestarum fama permotus, & diui Lamberti martyrio nobilis, uetus Leodium reparauit, & hinc Leodij conditor appellari cœptus est.

SVMMARIA VRBIS LEODII

Descriptio.

REm non parum gratam patriæ meæ mihi feciſſe uideor, dum illi parentes ſuos, antiquiſsimamq; originem à nemine hactenus animaduerſam ſub oculos poſui, ac ueluti ex locupletiſsimo probatiſsimorum autorum penu depromptã, in lucem primus produxi, qua in re quid gratiæ promeruerim neſcio, certè pietati ſatisfeciſſe pro uiribus me parte iuuat. Nunc uerò exteris, qui tantæ urbis primordia admirati ſunt, antequam ad Ambiorigem reuertar, in deſcriptionem illius ſummaria, ſubueniendũ duxi. Legia igitur (ſiue ut nunc uocant) Leodium, urbs eſt Germaniæ inferioris, quam & ſecundam uocant, maxima: ad tertium à Tungris miliare qua Meridiem ſpectant, quæ tanto murorum cingitur ambitu, ut altiſsimos amplexetur montes uitibus pulcherrimè conſitos. Deinde in latiſsimam excurrit & apprehendit in ualle planiciem, in qua ex Arduenna ſyluæ tria flumina Vta, Veſa, & Ambluaria in Moſam exonerãt, & multas amœniſsimas efficiunt inſulas, magnificis ædificijs exornatas, ita ut ad uoluptatem planè hic nihil deſit. Siue enim quis montibus oblectetur, habet quocunq; ſe uertat, in quibus expeditiſsimus defatigetur. Si quem planicies & prata iuuant, meditullium urbis hæc affatim dabit. Gaudes nauigio, urbem Venetam habebis, niſi quod hic uiui fluminis aqua iucundior eſt, quàm apud Venetos fœtidũ mare. Eſt aliquis religioni & cultui diuino deditus, exhibebit huic urbs Leodiũ imprimis octo inſignia Canonicorum collegia, quatuor ampliſsimas abbatias, triginta duas eccleſias quas parrochiales uocant, quatuor mendicantium ordinum contubernia, & ex his nonnulla conduplicata, ut Franciſcanorum. Quod ſi reliquas monachorum & admirandarum monialium ædes, conuenticula & ſaceila recenſere uelim, integro ferè libro opus eſſet, unde non mirum ſi Franciſcus Petrarcha ſcribat ſe uidiſſe Leodium inſignem clero locum. Nec eſt quod quiſquã exquiret de agri fertilitate apud Leodium, cùm facili colligat argumento, nunquam tantam cleri multitudinem, & tam magnam eorum hominũ turbam, qui in ocio diuino uiuentes, omnium rerum copia opus habent, ſibi hunc locũ delecturam fuiſſe, niſi omni ubertate ager Leodius abundaret & excelleret. Habet ad Meridiem Arduennam ſyluam totius Galliæ maximã, ex qua innumera proueniunt commoda, feræ, pecora, boues, atq; ædificiorũ materies, ligna præſtantiſsima, & immenſæ, ut ait Strabo, longitudinis. Ad alterum latus, Tungros &

Franciſcus Petrarcha.

Arduenna ſylua.

Centrones uersùs, est ager Hesbanicus, usq; adeò gleba fertili, adhæc pomis & nucibus omnis generis, abundans, ut cum Iudæa & Sicilia de præstantia certare possit. Iuxta ciuitatem effodiuntur nigri lapides, qui modico ligno accensi, calidissimum ignem præbent. Aer temperatissimus est, & saluber, licet enim ad Austrum ciuitatis bona pars spectet, illius tamen flatus Arduenna, quæ altior est, mitigat & frangit, & habent qui ab ortu spirant uenti, liberum accessum, & continui ignes ea, quam dixi, materia, crassiorem perpurgant & extenuant aerem. Cum nuper Cæsar Carolus in Brabantia ageret, missus est ad illum orator à tre Electore & Cardinale Moguntino princeps illustrissimus Fridericus Dux Bauariæ, Comes Palatinus Rheni, &c. cui pro excellenti humanitate, ut in redi
Huio. tu patriam meam Leodium inuiseret, persuasi. Qui postquam ex Huio oppido, flumine in medium urbis perductus, & magna populi multitudine exceptus est, nemo diceret, quanta admiratione urbem circumspexerit, altissimos conscendit montes, nihilq; prætermisit, quò totam uidere posset. Verùm quia urbs ipsa ampla supra modum est, & subinde intra reductas ualles absconditur, nec usquam tota ex uno loco conspici possit, spe frustratus est, adserens amœniorem ciuitatem, etiamsi tum hyems erat, nunquam se uidisse. De palatio episcopali ad Cardinalem rescripsit opere perfecto, in orbe Christiano nullum pulchrius futurum. Prætereo pontes solido constructos marmore ac reliquam urbis pulchritudinem, ne in uolumen libellus excrescat, & ad Ambiorigem à quo digressus sum, redeo.

Varucana uictoria sublatus Ambiorix, statim cum equitatu in Aduaticos, qui erant eius regni finitimi proficiscitur, neq; diem neq; noctem intermittit, peditatumq; se subi equi iubet. Re demonstrata Aduaticisq; concitatis, postero die in Neruios peruenit, hortaturq; ne sui in perpetuum liberandi, atq; ulciscendi Romanos, pro his quas acceperint iniurijs, occasionem dimittant, interfectos esse legatos duos, magnamq; partem exercitus interisse demonstrat, nihil esse negocij subitò oppressam legionem, quæ cum Cicerone hyemet, interfici, se ad eam rem profitetur adiutorem. Facilè hac oratione Neruijs persuadet, itaq; cõfestim
Centrones dimissis nuncijs ad Centrones, quorum oppidum satis amœnum in patria Leo-
Centron. dienses tribus à Tungris miliaribus floret, & à sancto quopiã Trudone, eo quòd nomen parum adludat, quidam denominatum audent confingere, à quibus si eius oppidi nomenclaturam ante illius diui tempora requiras, magis muros uidebis, quàm pisces. Toxandrum enim, quod illi nomen Placentinus fuisse opinatus est, ad Mosæ ripam erat, ut suo loco indicabo, mittunt etiam ad Grudios,
Grudij. Leuaci Leuẽ uel Leuues. & ad Leuacos, non procul à Centronibus, Pleumosios, quos nunc Cortracum tenere adserunt, Gundunos, hos Gandanos esse non dubitauerim, & melius
Pleumosij. Gondunos scribi, quàm Gorduons animaduerti. Hi omnes sub imperio Ner-
Gonduni. uiorũ & Aduaticorũ erant, & quàm maximas manus possunt, cogunt, & de improuiso ad Ciceronis hyberna aduolant, nondum ad eum fama de Titurij morte perlata. Huic quoq; accidit, quod fuit necesse, ut nonnulli milites, qui lignationis munitionisq; causa in syluas discessissent, repentino equitum aduentu interciperentur. His circumuentis, magna manu Eburones, Aduatici, Neruij, atq; horum omnium socij & clientes, legionem oppugnare incipiunt. Romani celeriter ad arma concurrunt, uallum conscendunt, ægrè is dies sustentatur, quòd omnem spem hostes in celeritate ponebant, atq; hanc adepti uictoriam, in perpetuum se fore uictores confidebant. Mittuntur ad Cęsarem confestim à Cicerone literæ, magnis propositis præmijs si pertulissent, obsessis omnibus uijs, missi intercipiuntur. Noctu ex ea materia quam munitionis causa comportauerãt, turres CXX. excitãtur incredibili celeritate, quæ operi deesse uidebantur, perficiuntur. Hostes postero die multo maioribus copijs coactis, castra oppugnant, sos-

sam

sam complent à Romanis eadem ratione qua pridie, resistitur. Hoc idem deinceps reliquis fit diebus, nulla pars nocturni temporis ad laborem intermittitur, non ægris, non uulneratis facultas aliqua quietis datur. Tandem duces principesq; Neruiorum, qui aliquem sermonis aditum, causamq; amicitiæ cum Ciceronе habebant, colloqui sese uelle dicunt. Facta potestate, eadem quæ Ambiorix cum Titurio egerat, commemorant, omnem esse in armis Galliam, Germanos Rhenum transisse, Cæsaris, reliquorumq; Hyberna oppugnari. Addunt etiam de Sabini morte, Ambiorigem ostentant fidei faciundæ causa, errare eos dicunt, si quicquam ab his præsidij sperent, qui suis rebus diffidant: sese tamen scire hoc esse in Ciceronem, populumq; Romanum animo, ut nihil nisi hyberna recusent, atq; hanc inueterascere consuetudinem nolint: licere illis incolumibus per se ex Hybernis discedere, & in quascunq; partes uelint sine metu proficisci. Cicero ad hæc unum modo respondit, non esse consuetudinem populi Romani ullam accipere ab hoste armato conditionem, si ab armis discedere uelint, se adiutore utantur, legatosq; ad Cæsarem mittant, sperare se pro eius iustitia, quæ petierint impetraturos. Ab hac spe repulsi Neruij, uallo pedum XII. ut fossa pedū XV. Hyberna cingunt. Hæc ex superiorum annorum consuetudine à Romanis cognouerant, & quosdam de exercitu nacti captiuos, ab his docebātur, sed nulla ferramentorū copia, quæ essent ad hunc usum idonea, gladijs cespites circumcidere, manibus sagulisq; terram exhaurire cogebantur. Qua quidem ex re multitudo cognosci potuit, nam minus horis tribus decem milium passuum in circuitu munitionem perfecerunt, atq; per aliquot dies acriter Hyberna oppugnata recuperunt, quæ uirtute Romanorum tamen defensa sunt, licet etiam Cicero tenuissima esset ualitudine. Verū cum nullū intermitteretur oppugnandi tempus, & magna parte Romanorum uulneribus confecta res ad paucitatem defensorum peruenisset, actum erat de Hybernis, nisi quidam Nerulus nomine Vertico, qui à prima oppugnatione ad Ciceronem profugerat, seruo suo persuasisset, ut literas ad Cæsarem deferret, has ille in iaculo illigatas effert, & Gallus inter Gallos sine suspicione uersatus ad Cæsarem peruenit, qui apud Samarobrinam, quam nunc Cameracum appellant repertus, & edoctus ab eo de periculo legionis ac Ciceronis, quam primum M. Crassum ex Bellonacis, & C. Fabium ex Atrebatibus cum legionibus ad se uenire iubet, quibus cum magnis itineribus in fines Neruiorum, quo iter ad Ciceronem erat, peruenit. Neruij aduentu Cæsaris per exploratores cognito, obsidionem relinquunt, & ad Cæsarem omnibus copijs contendunt. Eæ erant armatorū circiter millia LX. De quibus Cæsar literis Ciceronis certior factus, etsi uix septem hominum milia haberet, atq; iniquissimo loco, magno tamen animo Neruios inuasit, & primo congressu in fugam uertit. Hac re cognita, Eburonum copiæ quæ nondum aduenerant, non ulterius progredi ausæ, ad sua retrò cesserunt. Inducio marus Treuir per eosdem dies cum Labieno congressus, infeliciter uictus atq; occisus est. Quæ iam dicta sunt forsitan satis à proposito quibusdam uideri poterūt aliena: uerùm quia res gestas ab Ambiorige principe nostro scribere constitui, atq; hæc suasu ac ductu eius contigêre, nolui prætermittere.

Samarobrinā quæ nunc Cameracum.

Post Aduaticam uictoriam Cæsar de improuiso Neruios, Senones & Carnutes aggressus, in deditionē uenire atq; obsides dare coegit. Deinde totus & mente & animo in bellum Treuerorum & Ambiorigis insistit. Sed quod pro explorato habebat Ambiorigem prælio non esse concertaturum, reliqua eius consilia animo circumspiciebat. Erant Menapij propinqui Eburonū finibus, perpetuis paludibus, syluisq; muniti, infra Vbios, hoc est, Colonienses habitantes, ac nunc Iuliacenses, Geldrenses & Cliuenses appellati sunt, qui uni ex Gallia Belgica de pace ad Cæsarē legatos nunq; miserāt. Cū his hospitiū esse Ambiorigi sciebat.

Menapij.

Item per Treueros ueniſſe Germanos in amicitiam cognouerat. Hæc prius illi detrahenda auxilia exiſtimabat, quàm ipſum bello laceſſendum, ne deſperata ſalute, aut ſe in Menapios abderet, aut cum transRhenanis congredi cogeretur. Hoc inito conſilio totius exercitus impedimenta ad Labienum in Treueros mittit, duasq; legiones ad ipſum proficiſci iubet. Ipſe cum legionibus expeditis quinq; in Menapios proficiſcitur. Illi nulla coacta manu loci præſidio freti, in ſyluas paludesq; confugiunt, ſuaq; eôdem conferunt. Cæſar partitis copijs cum C. Fabio legato & M. Craſſo quæſtore, celeriterq; effectis pontibus, adijt tripartito, ædificia, uicosq; incendit, magno pecoris atq; hominum numero potitur. Quibus rebus coacti Menapij legatos ad eum pacis petendæ cauſa mittunt. Ille obſidibus acceptis, hoſtium ſe habiturũ numero confirmat, ſi aut Ambiorigem, aut eius legatos finibus ſuis recepiſſent. His confirmatis, Comium Atrebatem, cum equitatu cuſtodis loco in Menapijs reliquit. Ipſe in Treueros proficiſcitur. Dum hæc à Cæſare geruntur, Labienus ingentes Treuerorum copias, quas illi rurſum coegerant, iniquo loco adortus fundit fugatq;, & ciuitatem illorum recipit. Poſtquam hæc Cęſar reſciuit, duabus de cauſis Rhenum tranſire conſtituit. Quarum erat altera, quòd auxilia contra ſe miſerant Treueris. Altera ne Ambiorix receptum ad eos haberet, tanto ardebat in regem noſtrum odio, ulciſcendiq; iniurias acceptas ſtudio conflagrabat: pontem autem, quo exercitum traduceret, paulò infra Bonnam, nota atq; inſtituta ratione, magno militum ſtudio paucis diebus perficit, copiasq; & equitatum traducit, ubi non diu moratus eſt, ſed cum matureſcere frumenta inciperent, ad bellum Ambiorigis proficiſcitur per Arduennam ſyluam, quæ eſt totius Galliæ etiam num hodie maxima, atq; abripis Rheni finibusq; Treuerorum, ad Neruios uſq; pertingit, millibusq; amplius quingentis, in longitudinem patet. L. Minutium Baſilium cum omni equitatu præmittit, ſi quid celeritate itineris, atq; opportunitate tẽporis proficere poſſit: monet, ut ignes in caſtris fieri prohibeat, ne qua eius aduentus procul ſignificatio fiat, ſeſe confeſtim ſubſequi dicit: Baſilius, ut imperatum eſt, facit, celeriter, contraq; omnem opinionem confecto itinere, multos in agris inopinantes deprehendit, eorum indicio ad ipſum Ambiorigem cõtendit, quo in loco cum paucis equitibus eſſe dicebatur. Multum cum in omnibus rebus, tum in re militari fortuna poteſt: nam magno accidit caſu, ut in ipſum incautum, atq; imparatum incideret, priuſquam eius aduentus ab hominibus uideretur, quàm fama, ac nuncijs afferretur: ſic magnæ fuit fortunæ, omni militari inſtrumento, quod circum ſe habebat, erepto, rhedis, equisq; comprehenſis, ipſum effugere mortẽ. Sed hoc quoq; factum eſt, quod ædificio circumdato ſylua, ut ſunt ferè domicilia Gallorum, qui uitãdi æſtus cauſa, plerunq; ſyluarum ac fluminũ petunt propinquitates, comites familiaresq; eius anguſto in loco equitũ Romanorũ uim pauliſper ſuſtinuerunt, ijs pugnantibus, illum in equum quidam ex ſuis intulit, fugientem ſyluæ texerunt. Sic ad ſubeundum periculum, & ad uitandum, multum fortuna ualuit. Ambiorix an copias ſuas iudicio non conduxerit, quod prœlio dimicandum non exiſtimauerit, an tempore excluſus, & repentino equitum aduentu prohibitus fuerit, cum reliquum exercitum ſubſequi crederet, dubium eſt. Sed certè clàm dimiſſis per agros nuncijs ſibi quenq; conſulere iuſſit, quorũ pars in Arduennam ſyluam, pars in continentes paludes profugit. Qui proximi Oceano fuerunt, ij in inſulis ſeſe occultauerunt, quas æſtus efficere conſuerunt. Multi ex ſuis finibus egreſſi, ſe, ſuaq; omnia alieniſſimis crediderũt, Catiuulcus rex dimidiæ partis Eburonum, qui unà cum Ambiorige cõſilium inierat, ætate iam cõfectus, cum laborem, aut belli aut fugæ ferre nõ poſſet, omnibus precibus deteſtatus Ambiorigem, qui eius cõſilij author fuiſſet, taxo, cuius magna in Gallia Germaniaq; copia eſt, ſe exanimauit. Eſt aũtẽ taxus arbor ex genere abietum qua

Sunt autem Menapiorũ paludes multæ circa Gorckem oppidum.

Pons Rheno impoſitus à Cæſare infra Bonnam.

Arduenna.

Mors Catiuulci regis Eburonũ admiranda.

...conflentur, & inter Hoium & Namurcam abundat. Si quis sub ea ...dormat, certum est mori. Si quis sub illa commendat infirmatur, po... ex illa inficiant. Testis Plinius, Dioscorides, & plerique alij, licet autem Dio ...nollum illius in medicinis esse usum scribat, Claudius tamen Cæsar, ut apud Suetonium, edicto proposuit: Nihil æquè facere ad uiperæ morsum, quam taxi arboris succum. Segni, Condrusique qui sunt ex gente & numero Germanorum, qui sunt inter Eburones Treuerosque, legatos ad Cæsarem miserunt gratum, ne se in hostium numero duceret, neue omnium Germanorum, qui essent citra Rhenum causam esse unam iudicaret, nihil se de bello cogitasse, nulla Ambiorigi auxilia misisse, Cæsar explorata re quæstione captiuorum, si qui ad eos Eburones ex fuga conuenissent, ad se ut reducerentur, imperauit. Si ita fecissent, fines eorum se uiolaturum negauit. Sunt autem Segni qui oppidum quod Signacum in Condrusis uocant, inhabitant, exiguum quidem admodum illud hodie, sed miram profectò uetustatem referens, quare minimè uerum redarguitur, quòd scribunt Leodiorum annales, oppido inditum fuisse nomen à quinque regijs pueris, quos muri ruina exanimatos, diuus Maternus in uitam reuocauerat, uniosque patri reddiderit, & hinc non ingratus regulus Segnorum, fidem susceperit Christianã, & oppido de quinque natis sibi suscitatis, ita enim sonat uox Gallica Siney, nomẽ indiderit, cum Cæsar, ut audis ipsam Segnorum ciuitatem nominet, qui multos annos Maternum processit. Dum hæc scribo, non possum satis admirari eorum hominum qui sanctorum patrum uitas scribere ausi sunt, inconsideratam incircumspectamque temeritatem in excogitandis, quæ illi magnifica putauerunt, miraculis, parum animaduertentes uulgò tritum prouerbium, quo dicitur, mendacem oportere multarum rerum habere memoriam, circumspectissimumque esse debere. Perspicere debebat nugator ille quisquis fuerit, Segnorum nomen ante diui Materni tempora, usquam proditum fuisse, & tum quandoquidem fingere ne dicam mentiri ipse uolebat, dixisse regem Segnorum erga Maternum gratum, & ut suscitatorum quinque natorum perpetuam faceret memoriam, oppidi nomenclaturam immutasse & exemisse aliquas literas, pro Signey Ciney dicendo, ut facilius persuaderet. Ita cum scribit eundẽ beatum Maternum in die natalis Christi, tribus longè inter sese distantibus ciuitatibus Tungris, Agrippina, & Treueris missam celebrasse, non aduertit, Materni ætate missarum usum nondum extitisse, ac longo pòst tempore constitutum à summis pontificibus, non quidem ab uno totum, sed subinde temporis progressu à diuersis, prout cuique ex pietate uisum est, quare dicere potius conueniebat, Maternum tribus eodem die supradictis locis, uerbum Dei concionatum, quod officium illi, & non missarum legendarum, demandatum erat, quò melius persuaderet, etiamsi ea tempestate nec natalis Christi festum celebrari cœptum fuerat. Nolim autem quisquam existimet, studio detrahendi diui Materni gloriæ hæc me scribere, malè enim illum mihi propitium habere uelim, si non animo emendi clarissimã uitam sanctissimi ac egregij uerbi diuini detonatoris, ex nugis & deliramentis plusquam puerilibus, hæc attigerim, quod equidem facilè admittet, quisquis hæc candido ac uerò iudicio perlegere uoluerit. Sed de his satis. Condrusi adhuc nomen retinent, horum caput est Hoium oppidum ad Mosam arce munitissima nobile, quam Erhaidus à Marca Cardinalis & Leodiensium antistes, uetustate nimia nutantem, à fundamento restaurauit, insuperabilemque penè reddidit, & inter præcipua eius opera, quæ profectò multa & magnifica reliquit, annumeratur. Hanc Benefactam quandoque appellatam, media ætate & Antonij Pij opus esse quidã adserunt, uerùm ego potius crederẽ ab Antonino restitutã, nec diu nouũ retinuisse nomẽ, maluisseque uetus quod ab Hoio fluuio, qui oppidũ interfluit, habet, reseruare. Est præterea in Condrusis insigne

aliud

Taxus è genere abietũ sola floret.

Segni.

Scriptoris uitæ D. Materni somnia.

Codrõq; Gallicè.

Hoium oppidum Condrusorum.

Dionantum. aliud oppidum Dionantum, ad Mosam quoq; in magnâ atq; angusta ualle, inter altissimos mõtes, quod uerè Condrusorum emporium appelles, habet enim ditissimos mercatores, qui in multis ac diuersis regionibus, & præsertim in Anglia, negociari solent, denominatum autem â deo Nano illic diu culto adserunt annales. Huius uerò oppidi nusquam apud ueteres reperio factam mentionem. Quare opinor Cęsaris tempestate, uel ignobile fuisse, uel sub Segnorum ditione comprehensum, à quibus duobus magnis duntaxat distat miliaribus Germanicis. Memoria patrũ Carolus Burgundus solo adæquauit, uerùm nunc arcepulcherrima & à fundamento noua, in excelsissima rupe, quæ oppido impendet, idem Antistes Erhardus decorauit, & à ciuibus sumptuosissimis ædificijs pene totum restitutum est. Effoditur hic marmor nigerrimus in regum & magnatum sepulturas. Tota autem Condrusorum regio syluæ Arduennæ pars est, interdu catum Lutzelburgium, & Mosam fluuium, is enim ducatus Cæsaris tempestate ad Treueros pertinebat, & Rhemorum fines, qui longè lateq;, hoc est usq; ad Mosam patebant, attingebat. Scribit autem Cæsar & item Cornelius Tacitus Condrusos & Segnos gente & numero Germanos fuisse, in Gallia tamen Belgica, unde & subinde Galli appellãtur, quemadmodum Menapij, & reliqui Cisrhenani Germani.

Marmor nigrum in Condrusis.

DE INSIGNI EBVRONVM CALAMITATE SVB *Cæsare, & Ambiorigis persecutione.*

DImissis Condrusorum atq; Segnorum legatis, Cæsar copias in tres partes distribuit, atq; omnium legionum impedimenta ad Varucam cõtulit, ubi Titurius atq; Aurunculeius, ut diximus, hyemandi causa cõsiderant. Hunc cùm reliquis rebus locum probabat Cęsar, tum quod superioris anni munitiones integræ manebant, ut militum laborem subleuaret. Præsidio impedimentis legionem quartamdecimam reliquit, unam ex his tribus, quas proximè conscriptas, ex Italia traduxerat. Ei legioni castrisq; Q. Tullium Ciceronem præfecit, ducentosq; equites attribuit. Partito exercitu, T. Labienum cum legionibus tribus ad Oceanum uersus in eas partes, quæ Menapios attingunt proficisci iubet. C. Trebonium cum pari legionum numero ad eam regionem, quæ Aduaticis adiacet, depopulandum mittit. Ipse cum tribus reliquis ad flumen Sabim, quod influit in Mosam, extremasq; Arduennæ partes ire constituit, quo cum paucis equitibus profectum Ambiorigem audiebat. Discedens, post diem septimum ses ereuersurum confirmat, quam ad diem ei legioni, quæ in præsidio relinquebatur, deberi frumentum sciebat. Labienium Treboniumq; hortatur, si Reipub. commodo facere possunt, ad eam diem reuertantur, ut rursus communicato consilio, exploratisq; hostium rationibus, aliud initium belli capere possint. Notabit hic Lector, Ascaldem malè apud Cæsarem legi, non enim in Mosam influit, sed Sabis iuxta Namurram, & in finibus Arduennæ percurrit, & hinc etiam coniecturam facio Aduaticos, Gallicæ Brabantiæ populos fuisse, & eos qui inter Louanium & *Aldenburg* inhabitant. Est ibi monasterium, quod Tungerlo uocant. Hoc ipsum esse reor. quod Antoninus Pius in Itinerario suo Aduaticum Tungrorum appellat, nimirum à Tungris in Aduaticis conditum ad colligenda uectigalia. Erat ut suprà demonstrauimus, manus certa nulla, non præsidium, non oppidum, quod se armis defenderet: sed in omnes partes dispersa Eburonum multitudo, ubi cuique, aut uallis abdita, aut locus syluestris, aut palus impedita, spem præsidij, aut salutis aliquam offerebat, confederat. Hæc loca uicinitatibus erant nota, magnam'que res diligentiam requirebat, nõ in summa exercitus tuenda (nullũ enim poterat, uniuersis perterritis, ac dispersis periculum

Sabis flumẽ.

Aduatici ubi.

Aduaticum Tungrorum.

periculum accidere) sed in singulis militibus conseruandis: quæ tamen ex parte res, ad salutem exercitus pertinebat, nam & prædæ cupiditas, multos longius euocabat, ac syluę incertis, occultisq; itineribus consertos adire prohibebant. Si negocium confici, stirpemq; hominum sceleratorum interfici uellet, dimittendę plures manus, diducendiq; erant milites. Si continere ad signa manipulos uellet (ut institutæ ratio, & consuetudo exercitus Romani postulabat) locus ipse erat præsidio Eburonibus, necq; ex occulto insidiandi, & dispersos circumueniendi singulis deerat audacia, & in eiusmodi difficultatibus, quantum diligentia prouideri poterat, prouidebatur, ut potius in nocendo aliquid omitteretur (etsi omnium animi ad ulciscendum ardebant) quàm cum aliquo detrimento militum noceretur. Cæsar ad finitimas ciuitates nuncios dimittit, omnes euocat spe prædæ ad diripiendos Eburones, ut potius in syluis Gallorum uita, quàm legionariorum periclitaretur, simul ut magna multitudine circumfusa, stirps ac nomen ciuitatis tollatur. Magnus undiq; numerus celeriter conuenit, & hæc in omnibus Eburonum partibus gerebantur.

DE SECVNDA ROMANORVM CLADE *apud Varucam.*

Dies appetebat septimus, quẽ ad diem Cæsar ad impedimenta legionemq; reuerti constituerat. Hic quantum in bello fortuna, & quantos afferat casus cognosci potuit: dissipatis ac perterritis Eburonibus, ut demõstrauimus, manus erat nulla, quæ paruam modò timoris causam afferret. Trans Rhenum ad Germanos peruenit fama, diripi Eburones, atq; ultrò omnes ad prædam euocati, cogunt equitum duo milia Sicambri, qui ultra Rhenum è regione Vbiorum aut paulo infrà habitabant, atque Teuchtheros & Vsipetes ex fuga ad conflatem Rheni & Mosæ commissi, ut diximus, prælij receperant, transeuntes Rhenum nauibus ratibusq; triginta milibus passuum infra Bonnam, ubi pontem à Cæsare factum diximus, ac præsidium relictum, hoc est, duobus miliaribus Germanicis infra Coloniam Agrippinam, primos Eburonum fines adeunt, multos ex fuga dispersos excipiunt, magno pecoris numero, cuius sunt cupidissimi barbari, potiuntur, inuitati præda longius procedunt, non hos palus, in bello latrociniisq; que natos, non syluæ morantur: quibus in locis sit Cæsar, ex captiuis quærunt, profectum longius reperiunt, omnemq; exercitum discessisse cognoscunt, atque unus ex captiuis, quid uos, inquit hanc miseram ac tenuem sectamini prædam, quibus iam licet esse fortunatissimis, tribus horis ad Varucam uenire potestis, huc omnes suas fortunas exercitus Romanorum contulit, præsidij tantum est, ut ne murus quidem cingi possit, neque quisquam egredi extra munitiones audeat. Oblata spe Germani quam nacti erant prædam in occulto relinquunt: ipsi ad Varucam contendunt, usi eodem duce, cuius hæc indicio cognouerant. Cicero qui per omnes superiores dies præceptis Cæsaris summa diligentia milites in castris continuisset, ac ne calonem quidem quenquam extra munitionem egredi passus esset, septimo die diffidens Cæsarem de numero dierum fidem seruaturum, quòd longius eum progressum audiebat, neque ulla de eius reditu fama afferebatur, simul eorum permotus uocibus, qui illius patientiam penè obsessionem appellabant, siquidem è castris egredi non liceret, nullum eiusmodi casum expectans, quo, nouem oppositis legionibus, maximoq; equitatu, dispersis ac penè desperatis Eburonibus, in millibus passuum tribus, offendi posset, quinque cohortes frumentatum in proximas segetes misit, quas inter, & castra unus omnino collis intererat. Complures erant in castris ex legionibus ægri relicti, ex quibus qui

Sicambrorũ sedes olim quæ.

Hic cõllis à Varuca ad Tungros ten dentibus ad dextrã relin quitur non admodum al tus.

qui hoc ſpacio dierum cõualuerant circiter CCC. ſub uexillo unà mittuntur: ma
gna præterea multitudo Calonum, magna uis iumentorum, quæ in caſtris ſub-
ſederant, facta poteſtate, ſequitur. Hoc ipſo tempore & caſu Germani equites
interueniunt, protinusq; eodem illo, quo uenerant curſu ab Decumana porta in
caſtra irrumpere conantur: nec prius ſunt uiſi, abiectis ab ea parte ſyluis, quàm
caſtris appropinquarent, uſq; eo, ut qui ſub uallo tenderẽt mercatores, recipien
di ſui non haberent facultatem. Inopinantes Romani re noua perturbantur, ac
uix primum impetum cohors in ſtatione ſuſtinet. Circumfunduntur Germani
ex reliquis partibus, ſi quem aditũ reperire poſſent, ægrè Romani portas tuen-
tur, reliquos aditus locus ipſe per ſe, munitioq; defendit, rotis trepidatur caſtris,
atq; alius ex alio cauſam tumultus quærit, neq; quo ſigna ferantur, neq; quam
in partem quiſq; conueniat, prouident. Alius iam capta caſtra pronunciat, alius
deleto exercitu, atq; imperatore, uictores barbaros ueniſſe contendit, pleriq; no
uas ſibi ex loco religiones fingunt, Cottæq; & Tituríj calamitatem, qui in eodẽ
occiderint caſtello, ante oculos ponunt. Tali timore omnibus perterritis, confir
matur opinio barbaris, ut ex captiuo audierant, nullum eſſe intus præſidium,
perrumpere nituntur, ſeq; ipſi adhortantur, ne tantam fortunam ex manibus di
mittant. Erat æger in præſidio relictus P. Sextius Baculus, qui primum pilum
apud Cæſarem duxerat, ad diem iam quintum cibo caruerat. Hic diffiſus ſuæ, ac
omnium ſaluti, inermis ex tabernaculo prodit, uidet imminere hoſtes, atque in
ſummo eſſe rem diſcrimine: capit arma à proximis, atq; in porta cõſiſtit. Sequun
tur hunc Centuriones eius cohortis, quæ in ſtatione erat. Pauliſper prælium unà
ſuſtinent, relinquit animus Sextium, grauibus acceptis uulneribus, deficiens
ægrè per manus tractus ſeruatur. Hoc ſpatio interpoſito reliqui ſeſe cõfirmant,
tantum ut in munitionibus conſiſtere audeant, ſpeciemq; defenſorum præbeãt
interim confecta frumentatione, milites Romani clamorem exaudiunt, præcur-
runt equites, quanto res ſit in periculo, cognoſcunt. Hic uerò nulla munitio eſt,
quæ perterritos recipiat: modo conſcripti, atque uſus militaris imperiti ad Tri-
bunum militum, centurionesque ora conuertunt, quid ab his præcipiatur,
expectant. Nemo eſt tam fortis, qui non rei nouitate perturbetur. Germani
ſigna procul conſpicati ab oppugnatione deſiſtunt, rediſſe primò legiones cre-
dunt, quas longius diſceſſiſſe ex captiuis cognouerant, poſtea deſpecta pauci-
tate ex omnibus partibus impetum faciunt, Calones in proximum tumulum
procurrunt, hinc celeriter deiecti, ſe in ſigna manipulosque conijciunt. Eo
magis timidos perterrent milites, alij cuneo facto, ut celeriter perrumpant, cen-
ſent, quoniam tam propinqua ſint caſtra, etſi pars aliqua circumuenta cecide-
rit, at reliquos ſeruari poſſe confidunt, alij ut in iugo conſiſtant, atque eun-
dem omnes ferant caſum, hoc ueteres non probant milites, quos ſub uexil-
lo unà profectos docuimus. Itaque inter ſe cohortati, duce C. Trebonio equi-
te Romano, qui eis præpoſitus erat, per medios hoſtes perrumpunt, incolu-
mesque ad unum in caſtra perueniunt omnes, hos ſubſequuti calones, equi-
tesque eodem impetu, militum uirtute ſeruantur. At ij, qui in iugo conſtite-
rant, nullo etiam nunc uſu rei militaris percepto, neque in eo, quod proba-
uerant conſilio, permanere, ut ſe loco ſuperiore defenderent, neque eam, quam
profuiſſe alijs uim, celeritatem que uiderant, imitari potuerunt: ſed ſe in caſtra
recipere conati, iniquum in locum demiſerunt. Centuriones quorum non-
nulli ex inferioribus ordinibus reliquarum legionum cauſa uirtutis in ſupe-
riores erant ordines huius legionis traducti, ne ante partam rei militaris lau-
dem amitterent, fortiſsimè pugnantes conciderunt: militum pars horum
uirtute, ſummotis hoſtibus, præter ſpem incolumis in caſtra peruenit, pars
à Germanis circumuenta perijt, qui deſperata expugnatione caſtrorum

quod

quòd Romanos iam constitisse in munitionibus uidebant, cum ea præda, quam in syluis deposuerant, trans Rhenum sese receperunt, ac tantus fuit etiam post discessum Germanorũ terror, ut ea nocte, cum C. Volusenus missus cum equitatu ad castra uenisset, fidem non haberent, adesse cum incolumi Cæsarem exercitu. Sic omnium animos timor præoccupauerat, ut penè alienata mente, delectis omnibus copijs, equitatu se ex fuga recepisse dicerent: neq; incolumi exercitu Germanos castra oppugnaturos fuisse contenderent, quem timorem Cæsaris aduentus sustulit. Reuersus ille, euentus belli non ignarus, unũ, quod cohortes ex statione, ex præsidio essent emissæ quæstus, ne minimo quidem casulocũ relinqui debuisse, multum fortunam in repentino hostium aduentu potuisse iudicauit: multo etiam amplius, quòd penè ab ipso uallo portisq; castrorum barbaros auertissent. Quarum omnium rerum maximè admirãdum uidebatur, quòd Germani qui eo consilio Rhenum transierant, ut Ambiorigis fines depopularentur, ad castra Romanorum delati optatissimum Ambiorigi beneficium obtulerant, Cæsar ad uexandos rursus miseros Eburones profectus magno coacto numero ex finitimis ciuitatibus in omneis parteis dimittit, omnes uici, atq; omnia ædificia, quæ quisq; conspexerat, incendebantur, præda ex omnibus locis agebatur, frumenta non solùm à tanta multitudine iumentorum atq; hominum consumebantur, sed etiam anni tempore, atq; imbribus procubuerant: ut si qui etiam in præsentia se occultassent, tamen ijs deducto exercitu rerum omnium inopia pereundum uideretur, ac sæpe in eum locum uentum est, tanto in omnes partes diuiso equitatu, ut non modo uisum ab se Ambiorigem in fuga circumspicerent captiui, sed nec planè etiam abisse ex conspectu contenderent, ut spe illata consequendi, atq; infinito labore suscepto, qui se summam à Cæsare gratiã inituros putarent, penè naturam studio uincerent, semperq; paulum ad summã felicitatem defuisse uideretur, atq; ille latebris, aut syluis, aut saltibus se eriperet, & noctu occultatus, alias regiones, parteisq; peteret, non maiore equitum præsidio, quàm quatuor, quibus solis uitam suam committere audebat. Tali modo uastatis regionibus exercitum Cæsar duarum cohortium damno Durocortum Rhemorum reducit: concilioq; in eum locum Galliæ indicto, de coniuratione Senonum & Carnutũ quæstionem habere instituit, duas legiones ad fines Treuerorum, duas in Lingonibus, sed reliquas in Senonũ finibus Agendici in Hybernis collocauit, frumentoq; exercitui prouiso, ut instituerat, in Italiam ad conuentus agendos profectus est.

Anno sequenti nondum satiatus Cęsar, cùm uideret nullam iam esse in Gallia ciuitatem quæ bellũ pararet, rursum ad deuastandos depopulandosq; fines Ambiorigis proficiscitur, quem perterritum atq; fugientem cum redigi posse in suã potestatem desperasset, proximum esse suæ dignitatis ducebat, adeò fines eius uastare, ciuibus, ædificijs, pecore, ut odio suorum Ambiorix, si quos fortuna fecisset reliquos, nullum reditum propter tantas calamitates haberet in ciuitatem. Cum in omnes fines partiũ Ambiorigis, aut legiones aut auxilia dimisũsset, atq; omnia cædibus, incendijs, rapinis, uastasset, magno hominum numero interfecto aut capto. Hæc A. Hircius lib. 8. Commentariorum.

Dum hanc insignem Eburonum calamitatẽ sub Ambiorige acceptam recenseo, uix à lachrymis contineor, & quos accusem deos ne an homines, non satis scio: qui quod ab hac gente semel peccatum est, tam grauiter semper punierunt. Cæsar, etsi non gentem totam ut cupiebat, certè Eburonum nomẽ ita extinxit, ut postmodũ Eburonem nemo se profiteri ausus fuerit, sed antiquo recepto nomine, & odioso Eburonũ reiecto, Tungros sese appellarunt, proinde quicquid postea ab hac gente gestũ, Tungris applicuere scriptores, quorũ etiã suũ fuit fatum, & internitio ab Hunis, qui urbem præclaram & maximam ita deleuerunt, ut nun-

Tungros itẽrum sese Eburones nominant.

ut nunquam reparari potuerit, nisi in hãc quam uidemus oppiduli formam, qua uix suum tuetur nomen. Vbi centum illa insignia templa quę Christum profes-
Tungri ab Hunis uastati. si, religioni nostræ Tungri dederunt? ubi palatia? ubi porticus & murorum ille ingens ambitus, non ne omnia in fauillas abierunt, & uix ulla supersunt uestigia. Quod si urbis Leodij condendę fata nullam aliam inuenere uiam, quàm deletis Eburæ & Tungris, nihilô superi querimur, dummodo non paribus auspiciis & calamitatibus subiaceat, quibus tamen paulo ante ætatem nostram ab Ca-
Leodiũ à Carolo Burgundione misere uexatum, & tantum non excisum. rolo duce Burgundionum ferè ad internitionẽ & urbis & nominis adflicta est. Huic non satis fuit supra centum puberum & impuberum hominum milia uno die expugnata urbe trucidasse, nisi totam propemodũ incenderet, mœnia q; faceret, non ret, nauibus ciues impositos, pertuso fundo submergeret, omnia q; faceret, non in urbe solum, sed per totam ditionem, quo nullæ gentis supereissent reliquiæ. Sed dijs gratia bene habet, floret rursum & urbs Leodium & Leodiorum nomen, æternum q; Deo propitio florebit, dum ille Nancey hostili terra, captus admodum & putridus iacet. Hæc ego de Carolo diui Caroli imperatoris nostri optimi & mansuetissimi principis proauo materno libenter prætermisissem, nisi ostendere uoluissem, quàm parum interdum Christiani à gentilitate feritate distamus, poterat quis accusare C. Iulij Cæsaris immanitatẽ in uindicanda Titurij propinqui & affinis sui nece, & cæsæ legionis delendo opprobrio: nisi hic Carolus consanguineo Ludouico Borbonio episcopatum ui & armis quærens omnem Cæsaris sæuitiam exuperasset. Porrò de Ambiorigis morte nihil est traditum, credibile est tamen, ut Cæsar subindicat, in fuga incognitum occisum, uel alio modo interijsse, Suetonius Tranquillus scribit Cæsarem audita clade Tituriana, adeò indoluisse, ut barbam capillumq; summiserit, nec ante dempserit, quàm uindicasset. Hanc historiam diffusè scripsit Titus Liuius, ut ex Floro colligitur, attigit & Lucanus in primo: Nimiumq; rebellis, Neruius, & cæsi pollutus sanguine Cottæ. Annotauit etiam Eutropius lib. 6. Plutarchus in uita Cęsaris. Orosius Appianus in Celtico, & plerique alij.

Post Ambiorigis & Catiuulci mortem, nec Eburones nec Tungri regem habuerunt, sed præsidi Galliæ à Romanis impositio, & magistratibus municipalibus, quemadmodum & reliqua Gallia paruerunt, quod quidem patet ex Tacito, qui Campanum & Iuuenalem primores Tungrorũ nominat, deinde ex Martio & Flauio Vopisco, ut suprà uisum est. Quare uiderint rerum Eburonicarum scriptores, qui Nauitum secundum Tungrorum antistitem Galliarum ducis filium, & Tungrorum regis ex fratre nepotem faciunt. Deinde Metropolum quartum filium ducis Lotharingiæ ex Vngariæ regis filia Seuerinũ, item quintum Comitis Louanij filiũ, cum ea tempestate, nec dux erat Galliæ, nec rex Tungrorum, nec Lotharingia, aut Vngaria nomina erant, sed nec Louanium comitatus. Viderint inquam, ne dum historiam scribere se credunt, mera figmenta & nenias occinant, dum etiam sanctis episcopis rerumpublicarum administrationes assignant, quas nec illi acceptassent, nec pertulissent ijs temporibus Romani Tungrorum domini.

DE BETHASIIS.

DOcuimus suprà, Eburonum fines usque ad confluentem Rheni & Mosæ protensos fuisse C. Iulij Cæsaris tempore, & Bethasios inter Eburones annumeratos, ij, ut plerisq; placet, & mihi uidetur, circa Traiectum oppidum ad Mosam sedes habuerunt, nomenq; retinent, si Bechasios, nõ Bethasios legeris, sunt enim uici & arces eius nominis cõplures, *Bech, Diepenbech, Sconbech, &c.* à tiuo denominati non procul à Tungris, quâ ex Traiecto ad oppidum nouum *Hasselt*

iter

iter est. Erant aũt origine, lingua & uirtute pares Bathauis, numero superabantur. Ni eos accipere malueris qui extra Bathauorũ insulam incolebant iuxta Caniuefates, qui eam partem insulę tenebant, quę ad Bethasios uergit. Est enim duplex Bathauia, inferior & superior. Vnde Tacitus lib. 20. historiæ Augustæ: Accepta, inquit, equitũ peditumq; modica manu, nihil apud Bathauos ausus, quosdam Neruiorum Bethasiorumq; in arma traxit. Et paulo pòst: occupatisq; Sunicis & iuuentute eorum per cohortes composita, quo minus ultra pergeret Claudius, Labro Bethasiorum Tungrorumq; et Neruiorum tumultuaria manu restitit, fretus loco, quia pontem Moiæ fluminis anteceperat. Plinius lib. 4. Naturæ hist. Tungri, inquit, Rinuci, Sunici reponendum ait Beatus Rhenanus, uir cui non uno nomine multum debet Germania, quod illi suos parentes ceu ab inferis reuocatos, & æterna alioqui demersos caligine in lucẽ quotidie proferat, & sub oculos reponit. De cuius iudicio dubitare, aut ultra quærere, hominis curiosi magis est quàm diligentis. Is inquam lib. 11. rerum Germanicarum apud Plinium pro Rinuci Sinuci ex Taciti uerbis paulo antè positis scribendum existimat, nec addit, qui sunt Sunici, quod ego anxius requirẽs opinatus sum aliquã-diu oppidum illud esse amplum & uetus in Vestualia è regione Vbiorũ, quod Susatũ appellant, eo quòd nominis prima syllaba cõsonaret, sed quia illico Mosæ mentionem facit Tacitus, & procul distet à Mosa Susatum, ambiguũ me reddit, & item Ptolemæus, qui hoc oppidum Susudatam nominat. Rursum præponebam mihi aliud oppidum uetus quidem, & ubi, aut saltem non inde procul, plurima Romanæ antiquitatis cernũtur uestigia, ad Rhenum supra Rimaliam è regione Lintzij oppidi, quod *Sunßich* uulgus uocat, à Carolo Burgundo diru- *Sunsich oppidum.*
tum, iuxta Araæ fluuij ostium. Verùm quia anima duerto Sunicos non procul à Mosa amne abfuisse, iudicabit meus Rhenanus, num forsan nec apud Tacitum Sunicos, nec apud Plinium Rinicos, sed utrobiq; Runicos sit legendum, ut sint Runici, gens & terra uetus inter Bathauos, Frisios & Bethasios, quã *Runckenlandt* hodie uocitant accolæ, ita ut uno tractu bene à Plinio sint descripti & collocati Runici, nec Frisiabones, sed Frisios legerem. Iudicabit inquam meus, imò bonarum literarum amatorũ omnium Beatus Rhenanus, indicatum enim uolui tantum, nõ adsertum. Bethasiorum etiam mentionem facit Cicero lib. 14. Epist. ad Atticum ex restitutione eiusdem Beati Rhenani. Redeo, inquit, ad Bethasios, Atuas, Vangiones.

DE MASACIS SIVE MARSACIS.

SVnt quoq; inter Eburones annumerati Masaci, ita enim lego ex ueteribus libris, licet quidam Marsacos habeant, de quibus Cornelius Tacitus de Claudio Labeone loquens lib. 20. mentionem facit in hæc uerba: Accepta, inquit, peditum equitumq; modica manu, nihil apud Bathauos ausus, quosdã Neruiorum Bethasiorumq; in arma traxit, & furtim magis quàm bello Caninefates Masacosq; incursabat, hos ego semper iudicaui esse, qui non contemnendum profectò oppidum *Masech* infra Traiectũ Superius, ut uocãt, ad Mosam incolũt, licet in comitatu Hornẽsi atq; Bathauia sit pagus hodie nõ exiguus nomine *Masack*. *Masaci ubi.*

DE CASTELLO AD MOSAM
& Menapijs.

FRancos Germanos olim dextram Rheni ripam è regione Vbiorum, hoc est, Colonienſium supra Sicambros possedisse pulsis Teuchteris, nemo nõ scire poterit, qui primum Beati Rhenani de rebus Germanicis librum legerit.

Hi,ut scribit Ammianus lib.17. cum scirent Iulianum Cæsarem bello Alemanico apud Argentoratum occupatum, depopulati sunt eum Galliæ tractum, qui est ad Mosam supra Iuliacum. Hac Iulianus rei nouitate perculsus, et coniiciens quorsum erumperet, si ijsdem transisset intactis, circumuallare disposuit Castellum oppidum quod Mosa fluuius præterambit. Et ad usque quartum & quinquagesimum diem, Decembri scilicet & Ianuario mense obsidionales tractæ sunt moræ obstinatis barbarorũ animis, incredibili pertinacia reluctatis. Tunc pertimescens solertissimus Cæsar, ne obseruata nocte illum barbari gelu uinctum amnem peruaderent, quotidie à sole in uesperam flexo, aduspq; lucis principium lusorijs nauibus discurrentes flumen ultro citroq; milites ordinauit, ut crustis ripatum diffractis, nullas ad erumpẽdi copiam facile perueniret. Hoc commento, inedia & uigilijs, & desperatione postremò lassati sponte se propria dediderunt, statimq; ad comitatum Augusti sunt missi aliquot eximendo periculo. Multitudo Francorum egressa quum captos comperisset & asportatos, nihil amplius ausa reputauit ad sua castra, hisq; perfectis acturus hyemẽ reuertitur Parisios Iulianus. Aduertendum autem quod non sine causa Castellum ad Mosam situm scribit Ammianus, quandoquidem aliud oppidum est eodem nomine ad Sabim fluuium, qui apud Namurram in Mosam excurrit. Ptolemæus Castellum Menapiorum metropolim, & rectè meo iudicio facit, hodie Kessel appellatur.

Castellũ Menapiorum.

DE TOXANDRIA QVAM NVNC VISETVM *Francimonte, Chamanis & Stoccheim.*

EST ad Mosam inter Leodium & Traiectum oppidum, hodie non sanè magnum nomine Visetum, cuius ueteres ruinæ sunt illius antiquitatis & amplitudinis euidens argumentũ. Habuit pontem lapideum quo iter erat ad Tungros, ut arcuum adhuc ostentant reliquiæ, qui in ea pugna quæ inter Henricos imperatores, patrem & filium commissa est, corruit magna Leodiorum strage, qui patris Henrici defendebant partes, apud Traiectum enim olim ut existimo, non ponte, sed naue transmittebatur flumen, unde etiam nomen habet, & fabula est, quæ dicuntur Cæsarem pontem illic extruxisse, quod ipse nequaquam reticuisset, qui tam diligenter, & exactè de his terris scripsit. Visetum inquam, etsi mutati nominis causam nusquam audiuerim, Toxandriam olim dictum uetères Leodiorum annales testantur, & coniecturis aliud fuisse oppidum consequi non possum. Circa autem Toxandriam in Romano solo, ut inquit idem Ammianus lib.17. Franci quos Salios consuetudo appellauit ausi fuerunt rursum habitacula præfigere licenter, & eam regionem occupare, quæ ad Arduennã syluam uergit, ubi uerisimile est illos quoq; arcem præclaram de suo nomine Francimõtem appellatam, quam inter reliqua innumera opera, Erhardus à Marca nuper reparauit, constituisse. Aduersus hos Iulianus Cæsar ex Gallia quanta potuit celeritate cum exercitu mouit. Cum autem Tungros uenisset, occurrit illi Francorum legatio opinantiũ reperiri Imperatorem in hybernis, pacem sub hac lege prætendens, ut quieſcẽtes eos tanquam in suis, nec lacesseret, nec uexaret. Hos legatos, negotio plenè digesto, oppositaq; cõditionum perplexitate, in ijsdem tractibus moraturos, dum redeunt, muneratos absoluit Iulianus. Dictoq; citius secutus, præfecto Seuero duce misso, per ripam subitò cunctos adgressus, tanquã fulminis turbo perculsit, iamq; precantes potius quàm resistẽtes, in opportunã clemẽtiæ partẽ effectu uictoriæ flexo, dedẽtes se cũ opibus, liberisq; suscepit. Chamauos itidẽ ausos similia, eadẽ celeritate partim cæcidit, partim acriter repugnãtes, uiuosq; captos cõpegit in uincula, alios præcipiti fuga trepidantes, ad sua tecta, ne militẽ spacio lõgo defatigaret, abire interim permisit innocuos, quorum

Visetum ad Mosam oppidum olim Toxandria dictum.

Francimons.

quorum legatis paulò postea missis precatū consultumq; rebus suis, humi prostratis, sub obtutibus pacem hoc tribuit pacto, ut ad sua tecta, hoc est ad Frisios quorum fuerint uicini, redirent incolumes. Hæc Ammianus: Ex quibus conijce repotest Lector, quantum obfuerit semper Eburonibus soli sui bonitas, qui toties lacessiti, expulsi, eiecti & appetiti fuerint, nunc à Tungris, deinde ab Vsipetibus & Teuchtheris, ab Aduaticis, à Romanis, à Sicambris, à Francis & Chamauis, toties à Brabātinis & Gallis, ut mirum sit ullam reperiri gentem quæ in hoc tractu quantumuis feraci habitare uelit, tam sæpe tot incommoditatibus & periculis abiecto, adhæc in Germaniæ & Galliæ confinibus. Vnde non immeritò urbs Leodium exclamare posset:

O malè uicinis hæc mœnia condita Gallis. *Et tranquilla quies populos: nos præda furentum,*
O tristi damnata loco, pax alta per omnes, *Primaq; castra sumus.*

Habuit tamen, dijs gratia, sub principe Erhardo à Marca Cardinale in trigesimum fermè annum iam pacem & tranquillitatem, quapropter multis nominibus illi patria multum debet, quòd non solum subditum populum in summa quiete tanto tempore fouerit, uetùm etiam collapsa ferè omnia in pristinum restituerit statum, ut non iniuria, non urbis modò, sed patriæ conditor & dici posset & mereretur, si pietatem abiectis sordibus magis coluisset. Subdit autem postea Ammianus Marcellinus de eodem Iuliano Cæsare loquens: Quod cunctis ex uoto illi currentibus, studio peruigili properans modis omnibus utilitatem fundare prouinciarū. Munimenta tria recta serie superciljs imposita fluminis Mosæ, subuersa dudum obstinatione barbarica, reparare pro tempore cogitabat, et ilico reparata sunt, è quibus unum fuisse credo multis coniecturis, arcem nobilem illam Stokheim, quam idem quoq; præsul Erhardus à Marca, à fundamentis penè nouam & inexpugnabilem reddidit. Verùm ad Toxandriam siue Toxandrum redeamus, de qua rursum Ammianus mentionem facit: In limitem, inquit, secundæ Germaniç est egressus Iulianus, omniq; apparatu quem flagitabat instans negocium, cōmunitus, Toxandro oppido propinquabat. Rheno deinde transmisso, regionem subitò peruasit Francorum, quos Ansuarios uocant, incertorum hominum licentius etiam perscrutantium extima Galliarum circa Toxandriam plena antiquitatum sunt omnia. Extat supra oppidum in monte cumulus, uel Henricorum patris & filij Imperatorum trophæum, uel Romanorum aut Francorum illic cæsorum congesta ossa. Non distat inde procul uicus Phoros, ubi adhuc uestigia castrorum more Romano extructorum apertissimè uisuntur. Reliquam uetustatē inuestigare, quia iuuenis patriam reliqui, nunquam licuit: optatem alicui Leodiorum, cui ocium suppeteret, aliquando ut hæc requireret, cordi esse.

DE COVINO.

REferuntur à ueteribus inter Eburones alię etiam gentes, ut sunt Caresæi et alij, quos quia non mihi constat, quibus hodie nominibus censentur antiquitatis studiosis inuestigandos & describendos relinquo, præterire tamē non possum oppidum Couinum uideri à Caninis, hoc est uehiculis quibus Galli olim in bellis utebantur esse denominatum. De quo Lucanus in primo.

Et docilis rector monstrati Belga Couini.

DE IVPILLA ET HARSTALLO.

NOn procul à Leodio est uilla regia Iupilla & è regione Harstallum pagus, cuius toties fit mentio in uita Caroli Magni, ac toties ibidem nunc natalem Christi, nunc Pascha celebrasse memoratur. Fuit & Pipinorum illic arx & regia, quæ bellorum calamitatibus extremam passæ sunt desolationem, & tantum il-

larum uiſuntur ruinæ. Regiam autem uillam appellatam Iupillam opinantur Leodiorum annales de rege quopiam Tungrorum cui nomen fuerit Iupilla, ego potius id nominis adſecutum crederem, quia à Pipinis, Carolo Martello, Carolo Magno & ſequentibus aliquot Imperatoribus atq; regibus ob loci amœnitatem & uenationis copiam, culta fuerit. Subter labitur Moſa, ſi uſquam alibi placidiſsimè à Leodio ad dextram declinans paululum, ut uillam regiam ſaluter & irriguis illius fontibus aquas ſuas ſerenet, quibus acceptis & uelut hilarior factus, mox in ſiniſtram reuoluitur, ut Toxandros petat & Menapiorũ fines. Hæc uilla regia quæ olim ad Moſam tota erat, magna ex parte in amœniſsimam conuallem retracta eſt, & ſparſim inhabitat. Hinc uitiferis, illinc ſyluoſis ſepta montibus, uallis fauces iuxta rudera arcis Pipinorum lætiſsima excipiunt prata, quæ uſq; ad Leodij mœnia perdurant. Nemo crederet quanta ſit utriuſq; pagi Harſtalli & Iupillæ tum amœnitas tum fertilitas, quantaq; ſit omnis generis fructuũ ibidem copia, quibus Leodium ſaginant & Moſæ tractum à Namurra uſque in Menapios & bonam Brabantiæ partem, ut quis dicere poſſet Tellurem matrem hunc ſibi delegiſſe locum, in quem omnes dotes ſuas effunderet, de quibus omnibus ſi dicere uellem, iuſto libro opus foret. In uilla Iupilla, & in eâ quam dixi ualle tenuis labitur riuus ebullientibus undiq; fontibus in eam quantitatem auctus, ut rotam agat molendini ad incolarum uſus ſufficiẽtis, iuxta quod olim domus fuit antiqua & nobilis quæ mihi maiores & proauos maternos ex Pipinorum familia dedit, qui bellorum calamitatibus in pauperem conditionem redacti fuerunt, præſertim bello quod proauus cum nobilitate Fleronum geſsit, uti ſæpe ex matre audiui.

DE LOTHARINGIA.

PAululum infra Iupillam & Harſtallum in excelſa rupe, ruinæ uiſuntur arcis Lotharingiæ atq; eiuſdem nominis oppidi, ut opinor, propter pontẽ quem ſupra Moſam habuit, cuius nonnullæ adhuc cernuntur reliquiæ, opus autem fuiſſe reor Lotharij eius nominis primi Romanorum Imperatoris, qui prouinciam quoque Lotharingiam de ſuo nomine appellauit, ea erat inter Moſam & Rhenum à fontibus, uſq; ad utriuſq; amnis cõfluentem, Lotharijq; regnum appellabatur, & item Auſtraſia & Metenſis ducatus, Germanicè Lothreich, Gallicè Lothregne, & poſtea conciſis literis Loreine. Leodium quoque ſubſe comprehendebat, uti non ſemel refert Abbas Viſpergenſis in ſuo Chronico, præſertim ubi inquit: Leodium ciuitas Lotharingiæ eſt, beati Lamberti martyris patrocinio ſatis inclita, ſtudijs etiam literarum prę cæteris adprimè famoſa. In quo dum in uigilia Dominicæ Aſcenſionis anno MCXVII. uniuerſus clerus decem uidelicet congregationum intra matrem eccleſiam ex more conueniſſent, ad ueſperti nalem ſynaxim concenturi, & iam primum pſalmum compleſſent, ſubitò ſerenisſimus aer in turbinem uerſus, tanta ſimul tonitrua terribiliter & fulgura cum ſulphureis ignibus excuſit, ut extremam iam ultimi iudicij horam inſtare, nemo qui aderat dubitauerit, duobus nimirũ clericis & uno de illuſtribus milite, hac tempeſtatẽ intra ædes abſumptis. Decimoquinto dehinc die ex uicino quodam eiuſdẽ epiſcopij monte, ubi nunquã aqua præter pluuiã uiſa eſt, fluuius ingens erupit, non modicã ciuitatis partem diluens, & cum maximo Leodienſiũ damno Traiectenſiũ ſe finibus infudit. Et alio loco dicit idem Abbas: Henricum Imperatorẽ in Lotharingiã contra Giſibertũ exercitũ duxiſſe & omnẽ regionẽ eius ſubiacentẽ imperio igni traditam, ipſumq; obſeſſum in caſtello Kieuermont, quod eſt Capremons, elapſum fuga inde profectũ. Et cùm obſidio difficultate locorum

Lotharingia unde dicta.

locorum non procederet, uastata undiq; regione, in Saxoniam reuersum. Et alibi de eodem Gisiberto Duce ex Lotharingia expulso loquens, dicit Carolum Regem restituisse in quæ supererãt loca circiter annum Domini DCCCCXXII. Traiectum, Iupillam, Harstallum, Marsnam, Littam, Capremontem. Ruinæ Capremontis uno miliari ab urbe Leodio in excelso, & undiq; prærupto monte apparent. Reliqua ad Mosam sunt pagi seu uici, præter Traiectum quod est oppidum, ut paulo pòst dicam, nomina retinentes. Capremontem autem Nogerus Leodiorũ Episcopus proditione cepit, & solo æquauit, & ex manubijs in templo uetustissimo olim à Romanis condito, ut & forma docet & simulacrum spei in muro adhuc superstes declarat, in honorem diui Ioannis Euangelistæ, in maiore insula collegium Canonicorum instituit dilatato templo circa annum Domini DCCCCLXXIII.

Tantum autem floruerunt Leodij studia literarum, ut uno tempore legantur nouem Regum, Ducum xxiij. Comitum xxix. Baronum, & ex prima nobilitate innumeri filij apud Leodios literis operam nauasse patrimonio diui Lamberti aliti, & Episcopi officium erat atq; Canonicorum sacras literas & bonas artes interpretari. Nobilitas atq; ciues reipub. gubernacula tenebant, eratq; Scabinorum amplissimus magistratus, qui de litibus iudicabat, quibus præerat ab imperatore, uti & nunc est cõstitutus Scultetus. Si quid malè administrabatur ab hijs, imperator adibatur, qui perperam acta reformabat, atq; ita in summa tranquillitate & paucitate iudicum respublica Leodiorum florebat, quæ nulla nũc est, innumera eorum multitudine oppressa & obruta, quorũ omnium nomina si perscriberem, integra pagina non satis esset, quibus lites non sopiuntur sed excitantur, & populus ad litigãdum ita assueuit, ut ad altercandũ natus uideatur. Apud Leodios olim boni uiri nullo iudiciorum strepitu discordantes ciues conciliabant, non effundebat in mille rabulas forenses substantiam suam plebs tum maximè abundans & diues, nunc uerò quum sit omnium pauperrima, si nihil aliud sit, sudorem dabit, quo se de uerbulo à uicino malè prolato iure uindicet, suadentibus confestim aduocatis & procuratoribus, ut de ipsis iudicibus nihil dicam, qui nullo finiendarum litium amore, sed propter lucrum & fastum ius dicentis officium ambiunt & exercent.

DE TRAIECTO.

RElicta Lotharingia, Toxandrorum oppidulum Visetum Mosa petit, deinde Traiectum imperiale, ut aiunt, & nobilissimum municipium perlabitur, quod Velburgum aliquando appellatum Beatus Rhenanus annotauit, utraque fluminis ripam occupat, & ponte marmoreo coniungitur, non quidem à Iulio Cæsare constructo, ut opinantur nonnulli, sed longo pòst tempore ab ipsis ciuibus reperto marmore Namurrano. Verum est Strabonis ætate ab Augusto uel Tiberio hoc loco sublicibus pontem ædificatum, ut coniecturam facio ex eius uerbis dum inquit: μετὰ δὲ τοὺς μεδιοματρίκους καὶ τριβόκχους παροίκησι τὸ ξηνὸν τοῦγγροι, ἐφ' οὓς πεποικῆται τὸ ζεῦγμα ὑπὸ τῶν ῥωμαίων νυνὶ τῶν στρατηγούντων τὸ γερμανικὸν πολεμοῦν, πέραν δὲ ὤκουν ἔθνοι κατὰ τοῦτον τὸν τόπον, οὓς μετήγαγεν ἀγρίππας ἐκόντας αὐτοὺς πρὸς τὸ ῥῆνος, τοῦγγροις δὲ συνεχεῖς γερμάνοι, καὶ τοῦτο γερμανικὸν ἔθνος. Id est: Mediomatrices autem atq; Tribochos Tungri iuxta Rhenum habitant, apud quos Romani nunc pontem ædificant contra Germanos belligerantes, trans Rhenum autem circa hunc locum, incolebant Vbij, quos ad interiorem Rheni ripam uolentes traduxit Agrippa, Tungris uerò contigui sunt Neruij, & ij quorũ natio Germanica. Verba Strabonis ideo libuit Græcè adscribere, quia animaduertam & in Græcis exemplaribus dictionem τριβάκχοι esse uiciosam. *Pons Traiectensis marmoreus.*

Quis enim uſquam legit Triuagros, aut ut habent ueteres Latini codices Triuſgros gentem fuiſſe Germanicam? Reponendum igitur apud Strabonem pro τριτάγγοι, τάγγοι, id eſt, Tungri, qui ut bene ſcribit, non procul à Rheno abſunt, continui Neruijs, & Aduaticis finitimi, ne quis Treueros intelligere malit, qui procul ab illis diſtant. In Tungris igitur Strabonis tempeſtate conſtructus eſt ni mirum apud Traiectum pons, quem Græcè ζεῦγμα appellat, cuius formam & ædificandi modum apud Suidam reperies. De hoc ponte Tacitus quoq; mentionem facit, cuius hæc ſunt uerba libro uicesimo hiſtoriæ Auguſtæ. Quo minus ultrà pergeret Claudius Labeo Bethaſeorum Tungrorumq; & Neruiorum tumultuaria manu reſtitit, fretus loco, quia pontem Moſæ fluminis antè cœperat. Ex quibus annotare poteſt Lector hos tres populos Tungros, Neruios, & Bethaſios finitimos Traiecto fuiſſe, qui tumultuariè Labeoni adeſſe potuerũt.

Traiectum unde dictũ. Habet prętera Traiectum à Romanis Latinum nomen, quod olim non ponte, ſed nauibus flumen hoc trajiciebatur, Germanicè *Trect* ſyncopatis pro Traiectis. Superiores Germani *Maſtricht*, id eſt, Traiectum Moſæ uocant, ad differentiam Traiecti inferioris, quod tamẽ

Vtricetum. Vtricetum melius appelles. Traiectum inquam, de quo loquimur nonnulli uolunt oppidum eſſe omni gaudens immunitate, & ſolum Imperatorem debere agnoſcere dominum, quod ipſum nuper publico iudicij imperialis Cameræ decreto declaratum eſt, reclamantibus tamen Brabantis, quorum Dux & epiſcopus Leodiẽſis ciuitatis ſunt protectores. De Traiecto hoc à pleriſq; annotatum eſt, & idem mihi retulit uir inſigni doctrina & pietate Doctor Arnoldus à Tungris, eius ciuitatis adoleſcentes pręcoci quidem eſſe plerunq; ingenio, ſed nunquam ad literariam frugem peruenire, atque hoc adeò perpetuum eſſe, ut quum innumeros ex patria Leodienſi iuuenes ſub ſemultos annos quibus ſcholæ Colonienſi prætuit, literis operam nauantes, habuerit, qui literariæ militiæ egregium fructum retulerunt, & in doctos uiros euaſerunt, ſola Traiectenſis ciuitas ſemper ſterilis remãſit. Leodium noſtra tempeſtate, ut de prætérita nihil dicam quam ſoli Pruimenſes monachi celebrem reddérent, inter multa milia Arnoldum Ligonium tulit, uirum adeò ſolida doctrina, ut antiquitati illum obijcere potuiſſet, uerùm ante diem acerba mors illũ nobis abſtulit. Florenæ Remaclum inſignem ediderunt poetam, & ſi quid honoris inde eſſe poſſit, mihi patrem eodem quo ego nomine, atq; doctorem Nicolaum equitem auratum & Cæſaris Caroli Quinti Archiatrum, Vercellæ duos Bercellios, quorum altero qui monachiſmum apud diuum Laurentium profeſſus eſt, nihil doctius, ſi conſtantia literas adornaſſet, Maſacum Rutgerum inuenies. Reſcium, qui apud Leuacos Græcas profitetur literas. Tungri contenti eſſe deberent antea nominato ſuo doctore Arnoldo, qui pietatem cum doctrina ita cõiunxit, ut in utra excellat, dubium ſit, & cuius laudes & uirtutes ſi ultra prędicare pergerem, uereor ne inuidioſas & ſuſpectas reddam, quod olim eo ſum inſtitutore uſus & hoc nomine illi plurimum debeam, Centrones Nicolao Nickmanno meritò gloriarẽtur, qui per plurimos annos in ſchola Leodienſi ſumma cum laude literis & moribus ciuitatis formauit iuuentutem.

DE SICAMBRIS.

Sygemberger. Sicambri Menapiorum regionem hodie occupant, & Germanos indigetes fuiſſe nomine ipſo deprehenditur, Germanicè enim *Sygemberger* appellabantur. Vnde & Sygambri in uetuſtis quibuſdam codicibus ſcriptum reperitur. Ha-

Sycambrorũ ſedes ueteres. bitarunt ad alteram Rheni ripam paululum infra Vbios, & ad Ruram fluuium, qui apud Dusburgum Rheno immiſcetur, ubi adhuc ruinæ urbis & arcis *Sygemburg* manifeſtiſsimè uiſuntur. Extat etiam oppidum & arx olim, nunc cœnobiũ

Sygemberg non procul à Colonia Agrippina, nimirum à Sycambris denominatũ. Item Sygem oppidum & fluuius, & ducatus Bergenſis. Hos ſæpe excurriſſe in Gallias, & ſemper repulſos ex Cæſare colligitur. Octauius autem Auguſtus, ut eſt apud Suetonium, dedentes ſeſe traduxit in Galliam, in eas terras quas toties excurſionibus appetiuerant, in proximos, ut idem ait, Rheno agros, unde non dubito hos eſſe, quos modò Gelrēſes appellamus. Scribit Cæſar, ut ſuprà oſtendimus, eos cum duobus equitum milibus tramiſſo Rheno, oppugnatum uenisſe Romanos ad Varucam, ubi erat Q. Cicero. Cauſa autem traductionis in Gallias fuit, ut exciſis illis Sycambrorum nomen prorſus extingueretur, formidabile Romanis, ut ait Cornelius Tacitus. De iſs etiam Horatius ad Antonium Iulium:

Concines maiore poeta plectro *Per ſacrum cliuum merita decorus*
Cæſarem quandoq; trahet feroces *Fronde Sycambros.*

Feroces uerò appellat eos Horatius, eo quòd Centuriones Romanos ad collegenda ſtipendia miſſos crucibus affixerant. Quare & alio loco idem Horat:

Te cæde gaudentes Sycambri
Compoſitis uenerantur armis. Et Martialis:
Crinibus in nodum tortis uenêre Sycambri, &c.

AN SYCAMBRI IN TROIANOS SVAM originem referre poſſint.

QVoniam pleriq; Galliæ populi originẽ ſuam in Troianos referre malunt, ut Auerni de quibus Lucanus:

Auerni Latios auſi ſe fingere fratres
Sanguine ab Iliaco.

Item Franci Trecaſſes Senones opinatus ſum dictantibus illud ipſum Leodiorum annalibus Tungros quoq; Sicambros & Friſios à Troianis oriundos, quibuſdam adductus coniecturis. De Tungris autem Arduenna ſylua memorabat, quam Galli Foreſtam Dardaniæ appellant, in qua eſt oppidum Dionee quod Dionantum dicunt, ubi Veneris Diones templum à Tungari Troiano duce & Tungrorum conditore conſtructũ aiunt: quare in Eburonibus meis olim iuuenis luſi. *Dionantum oppidum.*

Tungaris Idæe liquit iuga ſacra Diones,
Et rapidas Xanthi dux bonus amnis aquas.
Venit Eburronum denſoſq; ad lumina lucos, &c.

Porrò de Sycambris opinionem augebat Xanthum oppidum nobile hodie in Cliuiſs, non procul ab Aſciburgio, quod uetera caſtra eſſe non bene opinantur, niſi mutati nominis aliam cauſam quàm ridiculam illam de ſanctis ibi cæſis, aſsignent. Vnde rurſum ego: *Xanthum oppidum.*

Se quoq; Troiano iactat de ſanguine cretum
Littora qui Moſæ curua Sycamber arat.
Atq; equidem Xanthum antiquæ ueſtigia gentis
Vrbem Cliuenſi ſub ditione docet.

Quem non in ſuſpitionem traheret Phriſia, quam olim Phrigiam Troianus Grunius appellarit, Groningamq; in Phriſiis condiderit, & templum in ea mirandi operis undique quondam peruium, & columnis ſubnixum, nunc uerò muro concluſum. Nec obſtaret Cornelius Tacitus, qui Germanos indigetes appellat, nũ enim una natio, aut unius regionis tractus à Romanis occupatus protinus Germanorum originem inuerteret. Sunt & adhuc hodie indigenæ Germani, licet gens alia paſsim Germaniam inhabitet, ut Boiohemi, Poloni & alij.

Et quid uetuerit si primùm à Troia profecti Troiani in Hungaria, ut fertur, con sederint, deinde aucti numero ad Rhenum sedes quæsiuerint, quibus non con tenti in fertiliorem Galliam penetrare uoluerint, quod equidem non adeò diffi cile factu fuit, Germania tum temporis urbibus carente. Nonne ab Hunis per eum ferme tractum, ut quasi repetitũ credas, factum idem legimus, quo tempo re munitior erat Germania. Et quid non peruiũ fuisset generosis illis spiritibus?

Enumeratis qui sunt infra Leodium populis, non erit absurdum quædam lo ca recensere ad Mosam supra Leodium Romanam præ se ferentia originem. Et imprimis quidem, quia diximus pleroscp uicos & montes in ipsa urbe nomina Romanorum ducum, qui ad Varucam oppetierunt sortitos, urbe Leodio egres sis per uiam Aurunculeiam, & aduerso flumine Huyum ire uolentibus à dextra

Publius mons. Publium statim habent montem, qua parte ab radicibus ad summitatẽ uscp ui tifer est, deinde syluosus. In apice, ubi phanum Vulcani olim fuerat, cœnobium nunc est diuo Aegidio sacrum, et non procul inde locus suppliciorum, unde Ce resij despiciuntur ad sinistrum Mosæ latus, ultrà pergentibus apparet in excelsa

Mont Ioir. rupe mons Iouis, arx ita nominata, & à Romanis nimirum constructa, quæ qui dem hoc loco me admonet, ut Gallis malè intellectam regum suorum exclama

Mont ioie sant Denis. tionem dum prælia ineunt, Mon Ioie sant Denis declarem, quam profuisse fer tur is rex, qui primus inter Francos Christianæ religioni nomina dedit, & poste ri reges in animandis suis ad fortiter præliandum usurparũt & utuntur. Interpre tantur autem: Meum gaudium sanctus Dionysius, quod non ita sese habere uel fœminę Gallicæ animaduertere deberent, cùm eorum lingua, Ioie, id est gaudiũ non masculini aut neutri, sed fœminini sit generis, & dicendum fuerat ma Ioie sainct Denis. Nõ igitur Ioie hic gaudium significat, sed Iouem, quem Galli Ioue appellabant, propterea cp Clodomirus inclinata suorum acie, cùm inuocãdo Io uem non proficeret, ad Deum Christianorum quem per Galliam Dionysius, Si ue Areopagita ille, siue alius annunciauerat, conuersus ad suos, qui magna ex parte Christiani erant, exclamauit: Sistite uiri gradum, & fortiter pugnate. Mon Ioue sainct Denis, id est, meus Iuppiter sanctus Dionysius erit, hoc est, eum deũ relicto Ioue colam, quem Dionysius prædicauit, & uos adoratis. Quo audito, Galli Christiani alacres in pugnam reuersi hostes fuderunt, & Clodomirus à di uo Remigio sancto Baptismatis lauacro ablutus est. Post modum reges hãc uo cem usurpare uolentes, pro Ioue Ioie pronunciãt re non bene cõsiderata. Quod autem uerum sit Gallos Iouem, Ioue siue Ioie appellasse, inde deprehendo, quod ijdem ipsi Iouios hodie Ioie appellãt. Sunt autem Iouij lapilli, quos peregrinã tes per uias in cumulos cõijciunt, ut sint recti itineris indices, quales multos per Galliam diuum Iacobum petentes ubique uidemus, quos Galli mont Ioie tio cant. Est & in Eburonibus olim, nũc Iuliacensi duci parẽs arx in Arduena sylua, qua parte *Eyfelt* appellat, mons Iouis dicta Mont Ioue, ut hoc quoq; annotarim.

Amantium. Post Iouis mõtem Amantium occurrit, deinde Huyum peruenitur, de quo

Namurra oppidum. oppido suprà dixi, post modum ad ostium Sabis fluminis, ubi Namurra elegãs sanè oppidum & marmore subcinericio, nobile hoc quidem Namurcum uulga riter uocant Namur, id est, nouus murus.

Iterum de Varuca.

De Varuca iterum. Ad Sabim ut antea dixi Labieni castra erãt, loco excelso in Rhemis & con finio Treuerorum, ubi nunc est Labiense monasterium tam late tum Rhemi & Treueri dominabantur. Refellenda autem est hic eorum opinio qui Varucam existimant alio quàm dixi loco fuisse, inter quos est D. Lambertus Paschalis, uti ex insigni poeta Henrico Glareano accipio, qui non Vatucam, sed Ratucam le gendum putat, ut sit oppidulum *Herzog Rodt* inter Aquisgranũ & Iuliacum: nullas enim legiones Cæsar eis Mosam collocauit, sed omnes ultra Mosam, ita ut alte-

ra alter

ra alteri subsidio esse & uenire intra duos dies posset, cùm inter sese plus quinquaginta milibus passuum non distarent, & magno periculo fuisset legio una, si in Rodt hyberna habuisset, propter Germanos & uicinum Rhenum à quo uix octo miliaribus abest, & item propter Treuiros & Menapios, in quorum finibus hic locus est situs. Labieni autem hyberna nõ multum distabant à Neruijs, quapropter ex Samobrina Cæsar ad illum scribebat, & ad se accersibat, ut subueniret obsesso Ciceroni in Neruijs uno miliari Germanico ab oppido Oudenard, in pago cuius nominis nunc non sum memor, ubi quotidie innumera Romanorum numismata & simulachra deorum, quorum nonnulla uidi, effodiuntur & eruuntur, quod nequaquam fieri potuisset, si tam procul fuissent Labieni castra, hoc est cis Mosam in Treueris. Quod autẽ Labieni castra ad Sabim fuerint, iterum probatur eo quod Cæsar scribat quinquaginta milibus passuum à Ciceronis hybernis in Neruijs abfuisse, & de Cæsaris uictoria per Rhemos Labienum eodem die, imò paucis horis certiorem factum, sed libet Cæsaris uerba adponere: Interim, inquit, ad Labienum per Rhemos incredibili celeritate de uictoria Cæsaris fama perfertur, ut cum ab hybernis Ciceronis milia passuũ quinquaginta abesset, eoq; post horam nonam diei Cæsar peruenisset, ante mediam noctem ad portas castrorum clamor oriretur, quo clamore significatio uictoriæ, gratulatioq; ab Rhemis Labieno fieret. Porrò Labieni castra excelso & natura munito erant loco, ut est Labiense monasterium hodie. Vnde rursum Cæsar: Labienus ait, cum & loci natura & manu munitissimis castris sese cõtineret, de suo ac legionis periculo nihil timebat, & statim postea eodẽ libro: Cum ex iussu Labieni omnes unum Inducíomarum peterent, in ipso fluminis uado deprehensus interficitur, caputq; eius refertur in castra. Igitur non ad Mosam, qui hyberno tempore uadosus non est, sed ad Sabim Labieni castra erant, & distabant à Varuca quinquaginta milibus passuũ, quemadmodum Ambiorix apud eundem Cæsarem dicebat ijs uerbis quibus illis persuasit, ut sese suæ fidei committerent. Magnam manum Germanorum conductam Rhenum transisse, hanc affore biduo, ipsorum esse consilium, uelint ne prius quàm finitimi sentiant, eductos ex hybernis milites, aut ad Ciceronem, aut ad Labienum deducere, quorum alter milia passuũ circiter quinquaginta, alter paulo amplius ab his absit. Rodt quam Ratucam appellare uult D. Lambertus Paschalis distat à Labiensi monasterio, ubi diximus hyberna Labieni fuisse, ferme centũ et amplius milibus passuum, à nostra uerò Varuca non multũ supra quinquaginta, à qua si ad Oudenar in Neruijs rectà proficiscatur, paulo amplius erit. Non nego maximam partem Eburonum inter Mosam & Rhenum fuisse, uerùm etiam ultra Mosam terras possedisse, certo certius apparet, ex quo Aduaticis uicini erant, imò & ad Sabim usque fines eorum protensos ex Cæsare non uno loco patet. Præterea Varucam in finibus eorum fuisse Cæsar declarat dum dicit de Ambiorige & Catiuulco loquẽs libro quinto: Qui quũ ad fines regni sui, hoc est ad Varucam, Sabino Cottæq; præsto fuissent frumentumq; in hyberna comportauissent, &c. Et si non ignorem fines quandoq; pro regione poni, uolebat autem Ambiorix per fines suos ad Labienum uel Ciceronem ducere legionem, quoniam usq; ad Sabim ad Mosam dominbatur, ut patet ex Cæsare, dum à Varuca ad uastãdos Ambiorigis fines ad extremitatem Arduennæ syluæ, & ad Sabim proficiscitur.

Monasterium Labiense.

DE SAMAROBRINA.

QVoniam audiam quàm plurimos de Samarobrina subdubitare & uereri ne non sit imperialis illa & uerè amœna ciuitas, quam Cameracũ hodie dicunt, errare eos uehemẽter, & nullum aliud oppidum esse confirmandũ est. Primùm nõ me mouet Ptolemæus, qui Samarobrinã ciuitatẽ Ambianoũ facit:

Samarobrina nunc Cameracum.

nam etsi ciuitas Ambianorum Samarobrina fuerit, non propterea sequitur Samarobrinã esse Ambianos oppidum Gallicè Amiens. Potuerunt enim Ambiani alia quoq; habuisse oppida quorum Ptolemæus nõ meminerit, nihilominus tamen Ambiani erant, id est, Amiens, non usqueò ade tum magnum oppidum, uti nunc est, ut ueteres muri docent. Sic etiam idem Ptolemæus ciuitatem Rhemorum, Durocotorum & Cæsaromagum Bellouacorum appellat. Cum ea tempestate & Rhemi & Bellouaci, sicut hodie oppida erant & gentis caput. Item Suessones & gentis & oppidi nomen est, habuerũt autem sub se Suessones duo
Bibrax. decim oppida, ut libro secundo scribit Cæsar, quorũ Bibrax unum, hodie Brai-
ne quatuor miliaribus Gallicis à Suessonibus comitatus titulo decoratum, &
Nouiodunũ. item Nouiodunum, Noyon Bellouacorum uerò Bratuspãtium erat oppidum. Quare nihil agunt, qui Samarobrinam Ambianos esse opinantur. Cum autem Cæsar esset Samarobrinæ, id est, Cameraci, ut nunc uocãt, & certior esset factus de oppugnatione castrorum Ciceronis in Neruijs misit nuntium statim in Bellouacos ad M. Crassum, cuius hyberna aberant ab eo milia passuũ uiginti quinque. Vbi notandum Bellouacorum urbem paulo amplius distare à Samarobrina, sed hyberna Crassi, non in ipsa urbe Bellouacorum, sed in eorum finibus alia qua parte fuisse, ita ut dimensio nõ obstet. Alterum nuntium etiam in Aesuos ad C. Fabium misit, ut in Atrebatium fines legionem adduceret, qua sibi iter fa-
Aeßui. ciendum sciebat, erant Aessui qui circa oppidum Aet habitant, quod superiores Germani Aes dicunt. Fabius autem ut imperatum erat, non ita multum moratus in itinere cum legione occurrit, quod omnino faciendũ ex Aessuis in Atrebates ire uolenti. Ad Labienum item ut ueniret in fines Neruiorũ scripserat, si reipub. causa & commodo facere posset. M. Crassum Samarobrinæ præficit: post liberatum Ciceronem legiones circa Samarobrinam retinuit. Et profectò commodiorem locum habere non poterat, neq; enim putet quisquam urbem Cameracensem nouam esse, aut intra paucos annos in tantam amplitudinẽ excreuisse, est certè nobilis illa Samarobrina, de qua ad Trebatium scribit Cicero: Vna collocutio nostra, pluris eritquàm omnes Samarobrinæ. Et in alia epistola: O præclara castra, quid tu fecisses, si te Tarentum, & non Samarobrinam misisem. Et quodnam amplius dubiũ esse poterit, quum nomen ipsum indicat quod quærimus Cambray Galli, Itali uerò Samberey dicunt, uide quàm facile Samarobrinam inde fecerint. Si ex Amiens faciunt Ambianos, ex Beauuais Bellouacos, quid uetat ex Samberey Samarobrinam fieri.

DE HANNONIA ET BELGIO.

SAmarobrina & tractus Samarobrinensis, ut de uicina Hanonia nonnihil dicam, me admonent, de qua multi intra nõ adeò multos annos multa scripsere, in Troianos ciuitatum origines referentes, et ab Hannone duce Hanoniam denominatam putantes, quæ quoniam fabulosa sunt, missa nunc facimus, & quod uerius apparet ostendemus. Nemini ex ijs qui historias paulo accuratius legerunt non notum est bonam partem Galliæ Belgicæ à Germanis et occupatam fuisse & adhuc hodie esse, linguamq; Germanorum retinere. Hanonia uerò diutius habitata à Romanis propter situs commoditatem & terræ fertilitatẽ, Romanè loqui cœperunt, & hoc tempore Romanè loqui dicuntur, licet in linguam Gallicam degenerauerint. Germani igitur olim terras incolentes, quæ
Hania flumẽ Haniæ flumini adiacent, quod apud oppidum Condatum influit in Scaldam,
à quo Hani- totum eum tractum etiam hodie Hanigau uocarunt, id est si interpreteris, Ha-
gau. niæ ager. Postmodum Galli Hannones pro more suo concisis duabus literis i & g Hanau pronunciarũt, uti & adhuc pronunciãt. Deinde qui Latinè eam dicere uoluerũt Hanauiam appellarũt. Indoctus uerò quispiam legit Hanoniam

& præ ua

& prævaluit inscitia. Terra est amœna & fertilis, adhæc equitatu plurimum ualens. Iis temporibus Burgundis paret sub Palatinatus titulo, eo quòd comites Palatini eam nuper cum Zelandia & Hollandia possederunt. Sub Hannonia cõprehensa est bona pars Galliæ Belgicæ, præsertim ea quę peculiari uocabulo Belgium appellabatur, in qua sunt reliquiæ maximæ quõdam urbis Bellouaco rum, non eius quidem quæ est prope Rhemos & Suessonas, de qua superius dixi, sed huius quam Hannonij Bauais appellant, truncatim omnia pronũciantes cum Beauais dicere deberent. Beau enim Gallicè siue Bau Hannonicè. Bellus Latinè dicitur. A' Germanis *Belgau* istud oppidum appellatum, puto & à Romanis Belgium, si quod fuit eius nominis oppidum, dubitari enim posse uidetur, an Cæsar Belgium pro regione aut oppido ponat. Non existimo autem oppidum Belgium siue Bellouacos, siue ut hodie uocant, Bauacum Cæsaris temporibus admodum potens fuisse, sed media tempestate sub diuo Constantino. Ad quod credendum coniecturam facio ex numismatibus, quæ quotidie effodiuntur innumera Constantini imagine signata, & uiæ à Brunehilde regina stratæ. Mira de hoc oppido referunt Hannonij scriptores, quæ quoniam fabulosa ueris simè sunt, uolens prætereo, nec; enim Hannoniæ historiam texere est animus, unum reticere non possum, quoniam Belgij mentio ad hoc me rapit. Opinatus sum semper Belgas siue Belgarium uocabulum esse Germanicũ, ideo quia Germani Gallos & Italos Vvælhen & nonnulli Vvælgen appellant. Scimus autem duplex huiusmodi Vv Germanicum ab Italis uel in simplex V uel B mutari solere, nec; aliter ipsum exprimere posse, & inde pro Vvælgen Bælgen dixisse, & dehinc Belgas eam Galliæ partem, quæ est inter Sequanam & Rhenum appellasse, quia Germani incolæ illam ita nominarint. Hoc ipsum cõfirmat Ausonius poeta Gallus in Narbone ubi inquit: *Belgium.*

Vsq; in Teutosagos, Germanaq; nomina Belgas.
Totum Narbo fuit.

Aquitaniæ nomen Galli mirum in modum hoc tempore abbreuiant, Quienne siue Guienne dicentes. De Celtis nihil habeo modo quod dicam.

Quoniam crebræ Germanorum in Galliam Belgicam transitiones factæ leguntur, nõ ab re fuerit indicasse Osos reliquos Germanos imitatos Eburrones quoq; appetiuisse ex Osenburgo Vvestphaliæ oppido profectos, & oppidum Osenkirchen incoluisse, quod est nunc in Gugernis, siue Iuliacensibus, non procul à Marcoduro. Addam & hoc Gungernos Romanos, quos hodie *Gulchern* nominamus, uocitasse, & aduerte quàm penè idem sonet utrunq; nomen.

FINIS.

PETRI

PETRI DIVAEI LOVANIENSIS, DE GALLIAE BELGICAE ANTIQVITATIBVS LIB. I. STATVM EIVS quem sub Romanorum Imperio habuit complectens.

NOBILISS. AC OPTIMAE SPEI PRINCIPI CAROLO PHILIPPO CROVIACENSI, Domino ab Haurich, Petrus Diuæus Louanienſis, S. P.

VM uarios antiquitatum ſcriptores ſubinde reuoluens, nobiliß. Princeps, pauca ab ijs atq; ea obiter tantùm de Belgica noſtra attingi, neminem uerò ex profeſſo id egiſſe inuenirem, exiſtimaui operam meam non inutiliter collocatum iri ſi eam pro uirili parte Belgicæ antiquitatibus in lucem reuocandis impenderem. Hæc autem erat inſtituti mei ratio, ut Opere in duas partes diuiſo, primũ Romanorum in Belgica res, et ſi quæ antiquiora eſſent, in unum uolumen conijcerem: mox altero, Francorum in eam acceſſum conſtitutoſq; ab ipſis principatus, & originem nobilium familiarum deſcriberẽ. Sed fuere quibus prior hic de Romanis libellus ita probaretur, ut nequaquam ulterius ſupprimendum, ſed omnino typis mandandum cenſerent: ſeriò affirmantes laborẽ noſtrum & pergratum multis fore, & non parum lucis ijs intelligendis quæ Romani de Belgica ſcripſere, allaturum. Quibus non obtemperare inhumanum credens, uela uentis commiſi, non ignarus interim, quantis calumniarum peruerſorumq; iudiciorum procellis ſeſe exponant, qui in latißimum hoc ſcribendi æquor temerè procurrunt. Sed utcunq; hæc alienæ operæ obtrectatoribus æſtimata fuerint, ſuſq; deq; fero. Tuo autem nomini potißimum inſcribere uiſum, nobiliß. Princeps, quòd non ignorarem te cum uehementer hiſtoriarum quarumlibet, tum maximè antiquitatis cognitione delectari. Id ſi ita eſt, confido te non modicam ex horum lectione uoluptatem capturum: nec dubito lucubrationes meas tuis auſpicijs in lucem prodeuntes uel hoc nomine & gratiores & aduerſum æmulorum calculos munitiores fore. Vale illuſtriſſime Princeps, & exiguo hoc chartaceo munuſculo feliciter fruere. Louanij XIIII. Cal. Maij M. D. LXV.

LVD. CARRION BRVGENSIS AD PETRUM Diuæum ſuum.

Dum nouus hiſtorico ſcriptor monumenta recludens
Ordine Belgiadum, patrios de more triumphos,
Oppida, bella, Duces grandi referenda cothurno
Commemoras, æuiq; ſubis uenientis honorem:
Omnia quæ longo fuerant conſumpta ueterno,
Queq; olim infelix inhonoraq; ſubruit ætas
Reſtituis, Stygiamq; uetas ſentire paludem.
Perge, age macte nouis animi uirtutibus, & mox
Quod latet in lucem ſeſe ſæc proferat illud,
Illud opus quo Flandrigenas cultoſq; Brabantos,
Hannonas & Geldros certatim in prælia ducis.
Sic mage de patria Diuæe merebere, quàm qui
Aut armis Romam & dextris aut morte cadentes
Seruarunt Decij, Curij, Fabij atq; Camilli.

ANTI-

ANTIQVITATVM Belgicarum seu Inferioris Germaniæ, Liber I.

Statum Belgicæ quem sub Romanis habuit complectens: Autore PETRO DIVAEO *Louanienſi.*

DIVISIO GALLIAE, ET BELGARVM ORIGO.

GALLIAM Ciſalpinam quadrifariam olim à Romanorum hiſtoricis diuiſam legimus: in Aquitaniam nempe, Celticam, Belgicam, & Prouinciam. Aquitani à Rhodano, Garumnaq; in Pirenæos uerſi: cætera Oceano, ac mari mediterraneo ambiũtur. Celtas, ab his Garumna diſcretos, Matrona, eoq; Lutetiæ Pariſiorum in ſe recepto Sequana ad ſeptentrionẽ à Belgis ſeparat. Belgarum reliqua latera Oceanus Rhenusq;: & ab hoc ad Sequanæ fontes diſtenta Voſagi iuga claudunt. Quarta Gallorum portio Rhodano, & Voſago à reliquis ſecluſa, alia Alpibus conterminat & Tyrrheno mari, quæ multo ante C. Iulij Cæſaris tempora, prouincia Romanorum facta, et mores Gallicos exuta fuerat. Reliquarum res quæ ante Cæſaris aduentum contigêre, difficulter à Romanis cognoſci potuere: pauca enim Cæſar ætate ſua antiquiora commẽtarijs ſuis inſeruit. Qui poſt Cæſarem ſcripſere, cùm ipſorummet Gallorum relationi nõ admodũ fiderent, de primis Galliæ cultoribus, memoratu digna tradere nec potuerunt, nec admodũ ſolliciti fuerũt. Ammianus Marcellinus uarias de origine Gallorũ opiniones prodit lib. hiſt. 15. Aborigenes (inquit) his in locis uiſos fuiſſe populi partem indigenam. Sed alios quoq; ab inſulis extimis confluxiſſe, & tractibus tranſrhenanis, celeritate bellorum, & alluuione feruidi maris ſedibus ſuis expulſos. Aiunt quidam paucos poſt excidium Troiæ fugitãtes Græcos ubiq; diſperſos, loca hæc occupaſſe tunc uacua. Regionum incolæ id magis omnibus aſſeuerant, quod etiam nos legimus in monumentis eorum inciſum: Amphytrionis filium Herculem ad Geryonis, & Tauriſci ſæuorum tyrannorũ perniciem feſtinaſſe, quorum alter Hiſpanias, alter Gallias infeſtabat: ſuperatiſque ambobus coijſſe cum generoſis fœminis, generaſſeq; plures liberos, & eos partes quibus imperitabant, ſuis nominibus appellaſſe. hæc ille. Quod de Trãſrhenanorũ confluxu dicit, ex Cæſare item liquet, qui Belgas penè omnes à Germanis ortos ipſorummet relatione cognouiſſe ſe ſcribit. Belgæ ſanè quòd ab ef feminatione uitæ cultu, & à Romanorum, Græcorumq; conſuetudine longius abeſſent, & perpetuis cum Tranſrhenana gente bellis exercerentur, Gallorum omnium fortiſſimi ſemper ſunt habiti. Inter ipſos uerò Belgas, cæteros præcellebant ij, qui Germanicæ originis affectatores erant: ut Eburones, Treuiri, Neruij, Batauj, Aduatici. Menapij Morini, cum quibus etiam Cæſari duriſſima fuere rebella, & longè difficillima. Adeoq; deinceps ab his cæterorum Gallorum eſt ſpreta mollities, ut ſoli natalis penitus obliti, non alios quàm Germanos ſe dici paterentur.

Diuiſio Galliæ.

Aquitani.

Celtæ.

Belgæ.

Prouinciæ.

De origine Gallorum.

Belgæ ex Germanis orti.

Belgæ Gallorum fortiſſimi.

Belgas Germanicam originem affectaſſe.

paterentur: De Treuiris, Neruijsq; Corn. Tacitus: Treuiri, inquit, & Neruij, circa affectationem Germanicæ originis etiam ultro ambitiosi sunt: tanquam per hanc gloriam sanguinis à similitudine, inertia Gallorum separentur. hæc ille. Porrò, quanquã nõ constet quo tempore quæquæ natio Transrhenana Belgicã

Tungrorum in Belgicam migratio. inuaserit, ex Tacito tamen manifestum est, Tungros primos omnium in Belgi ca sedes fixisse. Cymbri quoq; & Teurones, Mariana victoria postea celebres,

Cymbri, & Teutones. Aduaticos posteritatem suam in Belgica reliquerũt. Transierunt Rhenum, an te Cæsaris tempora, Neruij, Morini, Menapij, Batani quoque, Cattorum gentis

Batani. pars, & Romana amicitia cogniti. Sueui quinetiã, & Sicambri ab Octauio Au gusto in Belgicam traducti, si Suetonio credimus. Tiberius, Vbijs cis Rhenum

Sueui, & Sicambri. sedes assignauit. Subsequentes migrationes longum ac difficile esset in mediũ

Vbij. proferre Postremi omnium Franci, inclinante Romano imperio, Belgicam Ro

Franci Belgicã occupant. manis extortam, suam fecerũt. De nomine uerò Belgarum (ut nec id omittatur)

Vnde Belgæ dicantur. Ysydorus Etymologiarum lib. 14. cap. 5. Belgis autem, inquit, ciuitas est Galliæ, à qua Belgica prouincia dicta est: Nonnulli existimant huius mentionem à Cæsare fieri lib. 5. ubi: Britanniæ, inquit, pars interior ab ijs incolitur, quos natos in insula ipsi memoriæ proditum dicunt: maritima pars ab ijs, qui prædæ, ac belli

An Cæsar Belgij oppidi memmerit. inferendi causa ex Belgio transierunt, & infrà: Tres, inquit, de legionibus locutus, in Belgio collocauit, moxq; post pauca: L. inquit, Plancũ, cum legione una ex Belgio celeriter in Carnutes proficisci iubet. Quo loco Marlianus, oppidum Belgij nomine designari assueuerat: dubitauit Glareanus, uterq; doctissimus. Verba Glareani sunt in quintum lib. Cæsaris. Alij, inquit, codices habent ex Belgis, quòd non displicet, quanquam si Belgio legatur, ad eam formam dixisse uideri potest: ut Liuius Samnium pro Samnitium regione: ita Belgium pro Belgarum regione. Verùm pro urbe aliqua in Belgis uidetur paulo inferiùs accipere, ubi exercitu in hyberna diuiso, tres legiones in Belgio constituisse dicitur: hæc Glareanus. Neminem latet, quod nec mediocriter doctus quispiam, in, ex, & ad præpositiones ciuitatum uocabulis præponere consueuerit, quis id Cęsarem fecisse credat, inter suæ ætatis eruditos non infimum? ut mirum sit quenquam Latinitatis peritum in re tam manifesta falli potuisse. Porrò, ut à Belgio, seu Belgis ciuitate, nationi nomen sit: Cæsar tamen à Barbarie uindicandus. Bellouacis Marlianus Belgium ciuitatem attribuit, quos à uetustis historicis Belgiuacos appellari uideo. Eos etiam Cęsar omnium Belgarum nobilissimos facit: ut uerisimile sit ab his nomen Belgarum ad omnem nationẽ manasse. Hubertus Thomas Belgas *die Belgen*, seu *Vuelgen* uernaculè dictos, quod uocabulum illorum lingua, extraneum, significarit.

Bellouaci Belgarum nobilissimi.

POPVLI BELGARVM.

Populi Belgicæ à Cæsare nominati, & Strabone. Cæsar in Commentarijs Belgarum populos memorat: Remos, Suessiones, Bellouacos, Neruios, Centrones, Grudios, Leuacos, Pleumosios, Gordunos, Treuiros, Eburones, Condrusos, Ambianos, Veromanduos, Atrebates, Menapios, Morinos, Aduaticos, Vellocasses, Calecos, Esuos, Lingones, Leucos, Nemetes, Mediomatricos, Cæresos, Segnos, Pæmanos, Ambiuaritos. Eosdem pe

Diuisio Belgicæ. nè Strabo memorat, Geographorum omnium Cæsaris ætati proximus. sub Au

Germania inferior. gusto enim floruit. quo tempore, Belgica in tres partes diuisa est. Ea enim quæ à Mosa Oceanoq;, circa Rhenum ad Mosellam usq; portendebatur, Germania

Germania superior. inferior: à Mosella ad Alpes Rhodanumq; uergens, superior uocata est: reliqua

Belgica. uerò Belgicæ nomẽ seruauit. Testes Tacitus, & Ptolemæus, à quibus earum regionum populi recẽsentur: à Tacito, Tungri, Treuiri, Vbij, Mediomatrices, Lingones, Leuci, Sunici, Neruij, Bethasij, Menapij, Morini, Batani, Caninefates,

Belgarũ populi Tacito. Marsaci, Grinnes, Gugerni, Mattiaci. A Ptolomæo, Batani, Atrebates, Belloua

Ptolomæo. ci, Ambiani, Morini, Tungri, Menapij, Neruij, Veromandui, Suessiones, Vlbanenes,

netes, Remi, Leuci, Lingones, Mediomatrices, Treuiri, Vbij. A' Plinio lib. 4. Naturalis historiæ: Toxandri, Menapij, Morini, Oromansaci, Britanni, Ambiani, Bellouaci, Hassi, Caletologi (utrunq; hoc mendosè, ut opinor) Atrebates, Neruij, Veromandui, Sueconi, Suessiones, Veruni, Vlbanetes, Tungri, Sunici, Frisiabones, Leuci, Treuiri, Lingones, Remi, Mediomatrices, Gugerni, Bataui, Caninefates, Marsaci, Frisij, Cauchi, Sturij, Bethasij. Ammianus Marcellinus qui circa annum Domini 400 floruit, Treuirorum meminit, Mediomatricorum, Catalaunorum, Remorum, Tungrorum, Vangionum, Nemetum, Ambianorum, Leucorum, Bathauorũ: apud Hieronymum, & Panegyristas, Vangionũ, Ambianorum, Neruiorum, Treuirorum, Remorum, Atrebatium, Morinorum, Batauorum nomen inuenies. Hæc de Belgarum populis, à ueteribus Latinis tradita reperiuntur. Extat Itinerarium, à Christophoro Longolio (ni fallor) primum in lucem editum, quod quidem ut antiquissimum sit, Antonini tamen Pij cuius nomine circunfertur, esse non potest. Constantinopolis enim meminit à Constantino Magno ita appellatæ, in hoc itinera per Belgicam describuntur.

Plinio.

Am. Marcellino.

Hieronymo, & Panegyristis.

A DVROCOTTORO, GESSORIACVM.

Suessionas	milia plus minus.	27	*Soissons.*
Nouiomago	m.p.m.	27	*Noyon.*
Ambianis	m.p.m.	34	*Amiens.*
Pontibus	m.p.m.	36	*Pontieu.*
Gessoriaco	m p.m.	39	*Gales.*

A DVROCOTTORO, TREVEROS *leugas 99.*

Vongo uicus	*leugas*	22
Epoisio uicus	*leugas*	22
Orolauno uicus	*leugas*	20
Audethannale uicus	*leugas*	20
Trieros ciuitas	*leugas*	15

A LVGDVNO CAPITE GERMANIARVM.

	Argentoratum. m.p.m.	325.	
Albinianis	m.p.m.	10	
Traiecto	m.p.m.	17	
Maranitio	m.p.m.	15	
Caruone	m.p,m.	22. alias 25	
Harenatio	m.p.m.	22	
Burginatio	m.p.m.	6	
Colonia Traiana	m.p.m.	5	
Veteribus			
Calone	m.p.m.	18	
Noueſio	m.p.m.	18	
Colonia Agrippina	m.p.m.	16	
Bunna	m.p.m.	11	
Antonnaco	m.p.m.	17	
Confluentibus	m.p.m.	9	
Vinco	m.p.m.	26	
Nouiomago	m.p.m.	34	
Trieros	m.p.m.	15	
Diuoduro	m.p.m.	34	
Ponte Sarnix	m.p.m.	24	*Sarbrug.*
Argentorato	m.p.m.	25	

A TRE-

A' TREVERIS, AGRIPPINAM, leugas.

Beda uicus	leugas	12	
Anfana uicus	leugas	7	
Egoregio uicus	leugas	12	
Marcomaco uicus	leugas	58	
*	leugas	28	
Belgia uicus	leugas	8	
Tolbiaco uicus	leugas	10	Zulpich
Agrippina ciuitas	leugas	16	

A' TREVERIS, ARGENTORATVM
milia plus minus. 128.

Baudobrica	m.p.m.	18	
Saliſſone	m.p.m.	22	
Bingio	m.p.m.	23	
Maguntiaco	m.p.m.	12	
Bormitomago	m.p.m.	18	Vuorms.
Nouiomago	m.p.m.	18	
Argentorato	m.p.m.	18	

A COLONIA TRAIANI, AGRIPPINAM.

	m.p.m.	72	
Mediolano	m.p.m.	8	
Sablonibus	m.p.m.	8	
Mederiacum	m.p.m.	10	
Theudurum	m.p.m.	9	
Coriouallum	m.p.m.	7	
Iuliaco	m.p.m.	12	
Tibenacum	m.p.m.	8	
Colonia Agrippina	m.p.m.	10	

A PORTV GESSORIACENSI, BAIACVM.

	m.p.m.	85	
Taruenna	m.p.m.	18	Terwaen.
Caſtello	m.p.m.	9	Caſſel.
Virouiacum	m.p.m.	16	Vuerwick.
Tornacum	m.p.m.	16	Dornick.
Pons Scaldis	m.p.m.	12	
Baiacum	m.p.m.	12	Bauay.

A CASTELLO PER COMPENdium, Tornacum.

	m.p.m.	38	
Minariacum	m.p.m.	11	
Turnacum	m.p.m.	27	

A CASTELLO, AGRIPPINAM.
milia plus minus 172.

Minariacum		11	
Nemetacum		19	
Cameracum		14	

Baiacum

Baiacum	18.	
Vodogoriacum	12.	
Geminiacum	10.	
Peruiciacum	22,	Si uera sit itineris
Aduaticum Tongrorum,	14.	ratio, hic locus
Coriouallum	19.	incidit in uicum
Iuliacum	18.	Gallobrabantiæ
Colonia Agrippina	18.	nomine *Peruwez*

A TARVENNA, DVROCORDORVM.

m.p.m. 103.

Menetacum	22	Cameracum	14
Augusta Veromanduorum	12	Aginnum	13
Augusta Suessionum	12	Fines	13
Durocordorum	12		

A NEMETACO, SAMAROBRINAM milia plus minus 16.

A SAMAROBRINA, SVESSIONES, milia. p.m. 89.

Curmiliaca	12	Cæsaromago	13
Latanobrige	18.	Augustomago	4.
Suessiones	22.		

A BAGACO Neruiorum, DVROCORDORVM Remorũ milia plus minus 53.

Duronum	12		
Verbinum	10	*Verum*	
Catisiacum	6.	*Cressy*	
Minaticum	7.		
Muenna	18.		
Durocordoro	10.		

Huic itinerario adiunctus est Prouinciarum libellus, in quo Prouinciæ Belgices ita describuntur.

BELGICA PRIMA, CIVITATES NVM. 4

Metropolis ciuitas Treuerorum,	Ciu. Mediomatricorum. i. Metis.
Ciuitas Leucorum. i. Tullum	Ciuitas Verodunensium.

BELGICA II. CIVITATES 12.

Metr. ciuit. Remonorum	Ciu. Suessionum
Ciu. Catalaunorum	Ciu. Veromandorum
Ciu. Atrebatium	Ciu. Cameracensium
Ciu. Turnacensium	Ciu. Siluanectum
Ciu. Beouacllorum	Ciu. Ambianensis
Ciu. Morinorum. i. Ponticum	Ciu. Bononiensium

PROVIN. GERMANIÆ CIVITAT. 4

Metrop. ciuitas Magontiacensis
Ciu. Argentoracensium.
Ciu. Nemetum. i. Spira
Ciu. Vangionum. i. *Wormen*

GERMANIA SECVNDA. CIVITAT. 2.

Metrop. ciuit. Agrippinensis. i. Colonia.
Ciu. Tungrorum.

Circunfertur & alius liber titulo Notitiæ Prouinciarum, tam Orientis, quàm Occidentis: qui testatur Belgicam à quatuor Consularibus gubernatã fuisse, & in quatuor partes diuisam, Germaniam primam, & secundã, Belgicas item primam & secundam, Batauorum, Tungrorum, Betasiorum seu Vetasiorum, Morinorum, Menapiorum, Corteriacensium, Valentianensium, interauxiliares Romanorum copias meminit. Officia præterea habet per Galliam Belgicam, Prefectum Cynegij Tornacensis, Præfectos item Cynegij Treuerorum & Remensis. Verùm hunc mendosè admodum editum habemus, ideoq; multa omisimus, que non incommodè huc adferri poterant. Nec arbitror, uel huic Notitiarum libro, uel Itineraro Antonini, uel ei adiuncto prouinciarum catalogo, temere fidem habendam: neque nos testimonio ipsorum usuri fueramus, nisi in professo esset, Beatum Renanum, & quicunque de antiquitatibus scripserunt, id antè nos fecisse.

DE TVNGRIS, QVI ET GERMANI, EBVRONIBVS, CONDRVSIS, CAERESIS, SEGNIS, ET PAEMANIS, III.

Tungri primi Trãsrhenanorum Belgicam inuaserunt.

Inter Belgarum populos, primos se Tungri offerunt, Hi si Corn. Tacito credimus, primi transrhenanorum in Gallia sedes habuerunt. Is libro de Germanorum moribus: Cæterum, inquit, Germaniæ uocabulum recens, ac nupet additum, quoniam qui primi Rhenum transgressi, Gallos expulerint, nunc Tungri, nunc Germani appellati sint. ita nationis nomen, non gentis eualuisse paulatim, ut omnes primum à uictore ob metum, mox à se ipsis inuento nomine, Germani uocarentur. Quæ uerba ostendunt, solis Tungris peculiare fuisse Germanorum nomen, idque posteà tanquam Belgis metuendum, reliquos transrhenanos ultro assumpsisse, ac ita euenisse ut unius nationis Tungricæ nomine, tota gens transrhenana appellaretur: Verùm ex qua regione hi uenerint, aut quando, non constat. Pauca enim eius nominis uestigia transrhenum sunt, unum uidelicet Franciæ orientalis oppidum Tongernser: ut Hubertus Thomas Leodiensium antiquitatum scriptor asserit. Sanè ante Cymbrica & Teutonica bella, transgressos coniectare licet, quandoquidem Cymbri, Teutonesque, & ipsi nouos Belgicæ habitatores adduxere, nimirum Aduaticos: proculdubio Tungris posteriores, si Tungri primi Rhenum transgressi, Tacito credantur. Nec nimis dubitatum, an ante C. Cæsaris tempora, celeberrimam illam urbem coluerint, cuius Ammianus Marcellinus meminit, ciuitatem amplam, & copiosam nuncupans. Mouit nonnullos summum apud Cæsarem de Tungris silentium: ut crederent antea nihil de ipsis in Belgica auditum fuisse, uerum à Cæsare direptis Eburonibus, eorum loca Cismosana occupasse. Id si ita sit, pulchrè Tacitus mentitus fuerit. Tungros primos transrhenanorum Belgicam habitasse. cuil tamen diligenti & in externorum rebus satis fido historico, non temere fidem abrogarim. nisi id dicas, Tacitum nihil firmasse, ad opinionem tantum uulgi de origine nominis Germanici recensuisse. Hubertus Thomas arbitratur, Eburones itidem Germanos, unà cum Tungris, aut aliquanto posterius in Belgicam ueniisse, ac eò aliquando potentiæ euasisse, ut supresso Tungrorum nomine, ipsi soli penè ad Mosam, Rhenumq; Cæsaris ætate latissimè dominarentur. Mihi sanè, quod Cæsar Eburones, Cæresos, Condrusos, Pæmanos, Segnosque uno nomine Germanos scribit appellatos fuisse, certam penè conjecturam facit: Tungros, qui iidem & Germani dicebantur, tum in has nationes diuisos fuisse, easq; Germanorum nomen, quod Tungris peculiare erat, seruasse. Atque hæc optima mihi uidetur Cæsaris, & Taciti inter se conciliandorum ratio. Cæsarem ipsum audiamus: Condrusos, inquit, Eburones, Cæresos, Pæmanos, qui uno nomine Germani appellãtur, arbitrari ad quadraginta milia.

Tungri Germani nominis auctores.

Tõgernser oppidum Fräciæ orientalis à Tungris.

Quando Tungri Rhenum transierint.

Variæ de Tungris opiniones

Eburones ceteros q; quos Cæsar uno nomine Germanos dictos scribit, eos dẽ cũ Tungris esse.

milia, quod Germanos dicit, perinde est ac si Tungros diceret: nihil enim hi ab illi is differebãt. Porrò Eburones, Condrusi, Pæmani, Cæresi, Segni, cùm omnẽ eam regionem quæ à Rheni ac Mosæ confluente, inter ea flumina, ac nonnihil cis Mosam, usque ad Treuirorum fineis tenuerint: testimonio sunt, quàm latè Tungri habitarint. Eburonũ sedes potissimum inter Rhenum, ac Mosam fuisse, Cæsar auctor est, lib. v. Vnam, inquit, legionem quam proximè trans Padum conscripserat, & cohortes quinque in Eburones, quorum maxima pars est inter Mosam ac Rhenũ, qui sub imperio Ambiorigis ac Catiuulci erãt missit. Nec procul Oceano aberant Menapijs ea in parte confines, testis ipse Cæsar lib. vi. de legionibus in Eburones missis. Partito, inquit, exercitu, T. Labienum cũ legionibus tribus ad Oceanum uersus in eas parteis, quæ Menapios attingũt, proficisci iubet. Inter ipsos, ac Treuiros, Sedni Condrusiq; erãt. idem Cæsar lib. vi. Segni inquit, Condrusiq;, de gente ac numero Germanorum, qui sunt inter Eburones, ac Treuiros. De Cęresorum, ac Pæmanorum sedibus non ita constat. Si Huberto Thomæ fides sit, illi circa Mosam ubi nunc arx Cerey: hi in Arduenna habitarunt, ubi nunc uicus sit nomine Pemont. Si quidquã coniecturis tribuendum, non absurdè Peelandiæ nomen à Pæmanis deducas: ut populus Peemannen, regio Peeland appelletur. Sed hæc tam incerta sunt, ut non temere coniecturis fidendum sit. fallunt enim sępenumero, ubi apparent manifestissimæ. Quis Huberto Thomæ non credat, Cẽtrones quos Cęsar inter Neruiorum clientes nominat, Hasbanos eos esse, quorum oppidũ Sentrõ dicitur: cum nomina tam appositè respondeant? falsum tamen id esse constat, cùm S. Trudo nomen huic oppido dederit, quod prior ætas Sarcinium appellarat. Quod ex Sigiberto Gemblacensi Chronographo colligas in gestis anni VIICXXIII. Eucherius quoque, inquit, Aurelianẽsis episcopus, pro simili causa episcopatu priuatus, & apud Sarcinium Hasbanię vicum exulatus, in cœnobio S. Trudonis in sanctitate consumatus est. hæc ille. Id autem cœnobium Sarcinio postea muris cincto nomen dedit, Sed ad Eburones reuertamur. Vatuca erat in medijs Eburonum finibus castellum, ubi hyberna legionum Romanarum, Ambiorix & Catiuulcus reges Eburonum oppressere. Hos Cæsar, cum primum in Galliam uenisset, ita ab Aduaticis pressos, ut in obsidium datis Ambiorigis liberis, Treuirorum patrocinium, quo se ab hoste tuerẽtur, petere cogerentur, in libertatem restituit. Nihilominus Ambiorix conspicatus non tam libertatem uindicatam, quàm mutatos dominos, diu simulato obsequio, tandẽ Cæsare bellis Britannicis occupato defecit: & Q. Titurium Sabinum, cum L. Arunculeio Cotta hybernis per dolum extractos in Arduennæ secessibus profligauit. Moxq; suorum, Aduaticorum, Neruiorumq; copijs circundatus, Q. Ciceronem in Neruijs castra habentem obsessum iuit. Accurrit mox confecta Britannia Cæsar. Victus ad internetionem Ambiorix ad transhrenanos confugit. Catiuulcus sibi ipsi taxo mortẽ attulit. Cæsari deinceps præcipua cura fuit, Ambiorigem persequi, quem nouis sese semper latebris abdẽtem, cum adipisci non posset, regnum eius diripiendum proposuit, circunuicinis omnibus ad prędam excitis. Ita deletum nomen Eburonicũ. Segnis, Condrusisq; qui Ambiorigis consilijs abstinuerant, suæ sedes mansere. Condrous ea regio appellatur, quæ à Mosa in Luceburgenses uergit: Hoio, ac Dionanto oppidis celebris Segnos arbitrantur illinc in Treuiros uerti, ubi ab eorum nomine oppidũ Segny seu Chogny dicatur. Lamberto Pascali Legnos legendum uidetur. quorum etiam Ptolemæus meminerit, oppidum eorum Lupiam, ipsosq; Batauis uicinos faciens. Extare etiam oppidum Linnic ad flumẽ Roram, haud procul Iuliaco, quod Legnorum nomen seruet. Sed castigatiora Ptolemæi exemplaria habẽt, λεγίων λ ὀυλπία, id est, legio tricesima Vlpia. atque ita legendum

Tungrorũ imperium aliquã do latissimum fuisse.

Eburonũ sedes inter Mosam ac Rhenum.

Eburones Oceano propinqui

Condrusi Segnięq; ubi habitarint.

Cæresi, & Pæmian.

Peeland. Cõiecturis fidendum non esse.

Non idem esse Centrones, & Sancti. Truon Hasbaniæ oppidum.

Vatuca Castellũ Eburonum.

Ambiorix & Catiuulcus reges Eburonũ.

Eburones ab Aduaticorũ iugo liberati.

Ambiorigis defectio, & Romanorũ clades.

Q. Cicero in Neruijs ab Ambiorige obsessus.

Ambiorix à Cæsare uictus

Catiuul. mors

Ambiorigis fuga.

Eburones direptioni expositi & deleti.

Condrusorum habitacula.

Condrous.

Segni.

Segny.

Glareanus censet, cui eo libentius accedimus, quòd Legionis Vlpiæ, aut Castrorum Vlpiorum oppidi inter Batauos apud alios scriptores mentionem inueniamus: quodq; apud Tacitum nusquam Legnorum nomen sit, licet ibi reperiri Pascalis dicat. Eburonum reliquias, Eburam uicum Leodio propinquum Hub. Thomas facit. pro Vatuca uerò, Varucã legere mauult: ut sit celebris familiæ castellum Varoux. Quòd autem ex castris Labieni Lobiensis cœnobij originẽ deducat: uiã Sauiniã in urbe Leodio, itẽ à Sabino Petrosiũ mõtem à L. Petrosidio aquilifero: demum fontibus, Cottæ|& Ciceronis cognomina tribuat: Volscos quoque, & Vercellas, & Antium uicos Leodio propinquos à Latinis conditas, adq; similitudinem Italicarum uocatas asserat, somnia sunt potius, quàm coniecturę. Id uerosimile, Eburones, quasi de Heiburen, seu Eburen dictos. Porrò Eburonibus deletis, Vbij imperante Augusto ab Agrippa in ea loca traducti, de quibus infrà. Tungrorũ uerò res exinde satis tenues fuere, nec priscis illis comparandæ. nam cis Mosam tantum habitasse leguntur: & primum sub Nerone illorum mentio fit à Romanorum historicis: neq; enim Strabo Tungrorum usquã meminit, licet id Hubertus Thomas asserat. Is ẽ. Strabonis hunc mendosum locum allegans: Μετὰ δὲ τὰς Μεδιοματρίκας καὶ Τρι-βόκχους παροίκησι τὸ ξυνὸν τριβάγροι, καθ' ὃς πεποίηται τὸ ζεῦγμα νῦν τοῦ Ῥώμ, ἀλλὰ πρότερον, ὃς μετήγαγεν Ἀγρίππας ἐκόντας εἰς τὴν ἐντὸς τοῦ Ῥήνου. Τριβάγροις ὑπωμόχεις Νεμήτιοι, καὶ ὅσοι Γερμανικὸν ἔθνος. pro τριβάγροι & τριβάγροις, τόγγροι & τόγγροις pronit. Sed malè. legendum enim τρίβοκροι uel τριβόκοι Post Mediomatrices autem, & Triboccos, Treuiri iuxta Rhenum habitant: apud quos Romani nũc pontem ædificant contra Germanos belligerantes. Vlterius autem, circa hunc locum incolebant Vbij, quos ad interiorem Rheni ripam uolentes traduxit Agrippa. Treuiris uerò cõtigui sũt Neruij, & ipsi quoque natio Germanica. Hęc Strabo de Treuiris & eorum uicinis, repetit mox de Treuiris & Neruijs: τοὺς τριβόκους, καὶ νεοβοίους, σένωνας, καὶ ἄλλους πρὸς ἑσπέραν οἰκοῦντας. &c. fuere ante nos qui in restituendo Treuirorum nomine hæreant, quòd Treuiros multum à Neruijs distare arbitrarentur. Sed cõfines eos fuisse, non unus Cæsaris locus manifestũ facit. Aduaticum, seu Atuatucum Ptolemęo memoratur Tungrorum oppidum. Idem Antonini Itinerario (quod tamen apud eruditos multis de causis fidem caret) cognitum. Id oppidum, an ad lecoram fluuium præclara illa Tungrorum|Metropolis fuerit, an uerò eo loci ubi nunc Andouerpia est, non liquidò constat. Sanè si aliud à metropoli sit, mirum esset, hãc id temporis proculdubio famosissimam, Ptolemęo cognitam non fuisse. Romanos cum rerum in Gallia potirentur, iam inde à Neronis imperio, semper Tungrorum cohortes sub signis habuisse, Tacitus non uno loco testatur. In Gallia Narbonensi, & in Italia pro Vitellio contra Ottonianos fortiter pugnarunt: ubi profligato Vitelliano milite, Tungrarũ cohortium præfecti, sustentata diu hostili acie telis obruti sunt. Subsecutum mox Batauicum bellum: quod C L. Ciuilis Batauus, primum quasi à Vitellio ad Vespasianum defecturus, mox in uniuersum concitata inferiore Germania, iugum Romanorum excussurus mouit. Hic ipso belli initio, Tungrorum cohors ad Ciuilem Romana castra oppugnantem transfugiens, non paruo ad Victoriã momento fuit. Publicè tamen Tungrorum ciuitas perdiu in fide perstitit: adeò, ut C L. Labeonẽ ex Batauis Ciuili aduersum, & Neruios Bethasiosq; pro Romanis cogentem, copijs instruere non dubitarint, Campano ac Iuuenali primoribus ad expeditionem missis. His fretus Labeo pontem Mosę occupat, Ciuilię ea ad Neruios, Tungros, Bethasiosq; deuellandos eunti se obiecit. In ipso prælio, cum Ciuilis Tungris illatus, quod id bellum pro uniuersæ Galliæ ac Germaniæ libertate susceptũ esset, edocuisset, persuasit

Ebura uicus, de nomine Eburonũ dictus

Varoux

Eburones heiburen seu eburen

Eburonũ sedes occupant.

Tũgri cis Mosam redacti.

Straboně Tũgrorũ nomen meminisse.

Neruijs propinqui Treuiri.

Aduaticũ, seu Atuatucũ Tungrorũ oppidũ.

Ἀτουάτυκον

Antonini Itinerariũ suspectũ.

Tungrorũ cohortes Romanis merent.

In Gallia & Italia, Tungri pro Rom. pugnant.

Bellum Batauicum.

Tũgri ad Ciuilem Batauũ à Romanis deficiunt.

Cãpanus, & Iuuenal. primores Tungrorũ.

persuasit facilè ut relicto Labeone, ad ipsum transirent. Tungri mox Ciuili dediti, ac paulò post à Fabio Prisco recuperati, Titi imperio, duæ Tungrorũ cohortes sub Iulio Agricola in Britannia fortiter operam nauarũt. Mox stipatores ab Imperatoribus asciti, quorum unus Tausius, teste Capitolino, cunctantes in Pertinacis optimi Imp. necem milites accẽdit: primusq; pectori eius hastam iniecit. Porrò constans penè omniũ Chronographorum opinio est, Tungros, iussu D Petri, per Maternũ religione Christiana plublcè imbutos. Quod uerò Tungros maritimos faciunt, nescio an loci natura patiatur, ut eò aliquando mare pertigisse credibile sit. Id uero similius fuerit, Mosam aliquãdo muros Tungrorũ alluisse. neq; enim frustra illic appulsarum nauium uestigia conspiciũtur. Est & alia de Tũgris fabula, nempe à Troianis eos ortos, hactenus tam cõstanter affirmata, ut regum genealogiam ab ipso usque Priamo non omitterent, eamq; ad Francorum tempora perducerent: Pipinorũ, Carolorumq; propagine, usque ad Philippum præsentem Hispaniæ regem, seriem continuantes: quę iamdudum doctis, anilia deliramenta habentur. Non recens tamẽ, eiusmodi de Gallorum origine opinio: cuius etiam Ammianus Marcellinus loco suprà cap. primo allegato meminit. Esto, sit à Troianis orta Gallorum pars, sint & Tungri. Sed commentitia illa regum nomina, ut etiam Vespasianũ Romanorum Imp. Titi Turingiæ regis filium facere non uerentur, quis sanæ mẽtis toleraret? Tũgros demum inclinãte Romano imperio, uarias Francorum infestationes pertulisse, ex Ammiani Marcellini scriptis colligas, libro 17, ubi Iulianum Imperatorem frequenter Tungris uersatum, & Salios Francos illac Romanum solum inuadentes populasse tradit. Tandẽ circa annum CCCCXL. penitus in Francorum potestatem concesserunt, Episcopum tum agente Seruatione, quem Christi cognatum fabulantur. Hunc in episcopatu Tungrorũ Materni successores præcesserãt Nauitus, Marcellus, Metropolus, Seuerinus, Florẽtius, Martinus, Maximinus, Valentinus. Tungri ante Seruationis obitũ, ex nimia opulẽtia, in omnia uitiorum genera prolapsi, gentilitatem respicere cœpisse ferũtur: atque ea de causa Seruatio Traiectum migrauit, cum Tungros ab Hunnis euertendos cognouisset. Est autem Traiectum, magnæ antiquitatis oppidum, & eiusdem Seruationis obitu celebre, ut puto quòd illic põs Mosæ esset, à Romanis ita appellatum, Anno à morte Seruationis LXIIII, Hunni in Gallias effusi, Tungros exciderunt, non quidem decennali obsidione resera tos, ut nugatur Placẽtius, Troiæ parenti scilicet suæ hac in re pares efficere conatus. Nam Hunnis turbinis instar, cuncta uerentibus (biennio enim omnem Galliam peruastarunt) nec spacium obsidendi, nec obsessis animus resistendi fuerat. Nec Tungri unquam ab Hunnica uastatione pristinam dignitatem recuperare potuerunt, humile postea oppidum & Hasbaniæ connumeratum. Retinẽt Tungrorum nomẽ uici aliquot: *Tongrenheim* haud procul Colonia Agrippa, cis Mosam *Tongerloo* in Brabantia, *Tongerloo* in Pelandia, *Tongrin* in comitatu Namurcensi.

Tungri à Rom recuperati.

Tungri in Britannia Romanis merent.

Tungri stipatores imperatorum.

Quando Tungri Christum agnouerint.

Tungrorũ oppidũ maritimũ nõ fuisse.

An Tungri à Troianis orti sint.

Tungri à Francis infestati.

Tungri à Francis subacti.

Seruatio Tungrorum episcopus.

Episcopi Tungrorum qui.

Seruatio Traiectũ migrat.

Tungrorũ ab Hunnis excidium.

Reliquiæ nominis Tungrorum.

DE ADVATICIS, SEV ATVATVCIS. IIII.

Aduaticos Cymbrorum, Teutonumq; propaginẽ esse, Cæsar libro 2. tradit. Ipsi, inquit, erant ex Cymbris, Teutonisq; prognati: qui cùm iter per prouinciam nostram in Italiam facerent, his impedimentis quę secum agere, ac portare nõ poterant, citra flumen Rhenum sepositis, custodiæ è suis ac præsidio VI M. hominum reliquerunt. hi post eorum obitum, multos annos à finitimis exagitati, cum aliàs bellum inferrent, aliàs illatum defenderent: consensu eorum omniũ pace facta, hunc sibi domicilio locum delegerunt. Aduaticorum sanè tanta fuit aliquando potentia, ut Eburones, tributarios facerent, obsides dare compulsos, & se in Treuirorum clientelam tradere: quod ipsum oratio Ambiorigis a-

Origo Aduaticorum.

Eburones Aduaticis tributarij.

pud Cæsarem lib. quinto testatur. Depulsi ab Eburonum ceruicibus, unà cum Neruijs, finitimisq; Belgis Cæsarem multum exercuerunt. Nã Neruijs, antequam ipsis arma consociassẽt Aduatici, à Cæsare deuictis: Aduatici omni suorum robore in unum oppidum collato, non cesserunt oppugnantibus Romanis, nisi insolito machinarum apparatu consternati. nec id sine dolo, nam pactis cum Cæsare conditionibus, arma tradere iussi: parte eorum, quam caute abdiderant, noctu in Romanos nõ opinantes eruperunt. Excepti à Romanis animosiùs, ad 4000. trucidati. Et Cæsar duplicatã perfidia rebellionem acerbiùs ultus, direpto oppido, capita hominum ad 53000. hastæ subiecit. At nihilo demissiores, Ambiorige Eburonum, & Viducomaro Treuirorum regulis cõmunicatis armis, Cæsarem perdiu acriter sustinuerunt, quem uerò finem habuerunt, nemo prodit. Ptolemęus meminit oppidi Tungrorum Aduatici uel Atuatuli id ego suspicor ab Aduaticis, quo tempore Eburonibus dominabantur, cõditũ. Quantum ex Cæsaris descriptione colligi datur, Aduaticorum habitacula fuere inter Neruios, Menapios, Eburones, ac Treuiros, in eo tractu, ubi nunc Gallica Brabantia est, Sonia syluia, pars item Hannoniæ, Hasbãnæq;, & comitatus Namurcensis, ad utranque Sambræ fluminis ripam. Nec locorum distantia patitur Duacenses, Aduaticos dici. Locus admonet, ut quo niam de Aduaticis sermo est, insigne mendum apud Cæsarem, quod hactenus omnes latuit, dispungamus. Apud hunc initio, lib. 2. ubi numerum Belgarum in se coniuratorũ recensẽt, nemo legẽdum dubitet, Catuacos, 29. aut ut alij habent, 19. milia. Aduaticos tamen reponẽdum, ut in eodem loco apud Eutropium, Orosium, & Adonem legẽs. Catuacos autẽ nullos unquam nec ante, nec post Cæsarem, in Belgica cognitos crediderim. nam ut Cæsarem hoc loco exactius examines nonne mirum uidebitur, Aduaticos nusquam inter coniuratos legi, cùm tamen constet eos tantùm copiarum contulisse, ut Cæsar maximi momenti duxerit, ante ipsorum aduentum, cum Neruijs confligere? Iam si priscam lectionem [Catuacos] seruare iubeat: quis usquam alibi, apud Cæsarem, Catuacorum nomẽ legisse se meminit: aut qua pœna à Cæsare affecti, aut quãdo deuicti sunt: quibus tantum uirium fuerat, ut 29000. hominum in aciem producerent? nonn tacet Cæsar quid ipsi Remi, quid Suessiones, quid Belgouaci, Morini, Menapij, Neruij, Eburones, & cæteri quique negotij fecerint: quemque exitum habuerint: solos ne Catuacos oblìuione præterierit? Aduaticorum ergo nomen, expunctis Catuacis (cũ uenia dixerim eorum, qui Duacensibus hoc nomine applaudẽtes uanam antiquitatem affingunt) nemo sanç mentis restituendum dubitet.

Aduatici à Cæsare obsessi.

Aduaticorũ nua rebellio.

Aduaticũ Tungrorum oppidum ab Aduaticis, Aduaticorum sedes.

Locus mendosus in Cæsare emendatur.

DE NERVIIS, CENTRONIBVS, GRVDIIS, LEVACIS, PLEVMOSIIS, ET CORDVNIS. V.

Neruiorum fines latissimos fuisse, ex Cæsare, & Strabone liquet: à Schaldi enim, ac prope ab ipso Oceano ad Treuiros usque imperabant. Clientes eorum Cæsari memorantur Centrones, Grudij, Leuaci, Pleumosij, Gorduni. Ambianis ad Occidentem conterminabant, ad meridiem Treuiris. Eadem Cæsar lib. 2. Ab eo, inquit, loco in fines Ambianorum peruenit: qui se suaq; omnia sine mora dediderunt. eorum fines Neruij attingebant. Et Strabo: Τρηβέροις δὲ συνεχῶς Νερβίοι. οἱ καὶ τοῦτο γερμανικὸν ἔθνος. id est, Treuiris uerò contigui sunt Neruij, & hi quoque natio Germanica. Neruios Germanos originitus esse, Tacitus non solùm Straboni astipulatur, sed ambitiosè ut tales dicerentur affectasse etiam scribit. Oppida eorum memorantur Ptolemęo Baganũ, Antonini Itinerario (modo ei fides sit, ut non commentitio) Tornacus, & Bagacum. Tornacus hucusque priscũ seruat nomẽ. Baganum, seu Bagacum, id esse uolũt, quod Hãnonij Bauay appellant: ubi monumẽta reperiri antiquitatis complura asserũt.

Neruij latissimi.

Clientes Neruiorum.

Neruij Treuiros attingunt.

Neruij origine Germani.

Oppida Neruiorum.

Βάγακον, Baganum

Tornacus.

Bagacum.

Bauay.

Propin-

Propinquam Bagaco ad Scaldim est opp. Valentianæ, cuius nomẽ haberi uidetur in libro qui Notitia Prouinciarum inscribitur. Sanè antiquũ esse cõstat, nũc Valenciñes dicitur. Quantũ ad Neruios attinet, omniũ Belgarũ difficillimè à Cæsare uinci potuere, adeò ingenita uirtute cæteros præcellentes, ut nihil ad se quod luxui esset, aut corpora molliret, importari paterentur. Cesserãt Cæsarianis armis Remi, Suessiones, Bellouaci, Ambiani. At Neruĩ, persuasis simul arma capere Veromãduis, Aduaticis, Eburonibus, Atrebatibusq; licet & Aduatici, & Eburones ad præscriptum non adesset, cũ hoste tamẽ ad Sabin duce Boduognato cosixere. Varia sorte dimicatum, captis utrinque castris. Cæsar ipse in magnum discrimen coniectus. Victi tandẽ ad internecionẽ Neruĩ, nemine fugam moliente, moxuulgus latebris syluarum, quo pugnę initio abditi fuerãt, egressum, deditionem fecit, Quarto post hoc bellum anno, cum Cæsar in Britannos iret, per Ambiorigem expugnatis Romanorum hybernis, Neruĩ Q. Ciceronem apud se hybernantem oppugnarũt. Aduenit è Morinis Cæsar, hostemq; congredi ausum magna clade attriuit. Postquam uictoriam Neruĩ obsidibus claris, nihil uiuo Cæsare nouarũt: multos eorũ Cæsari in Põpeiũ militasse tradũt. Sub Augusto floruere T. Senectius, & Anectius: quorũ forti opera Romanos contra Germanos usos Florus lib. CXXXIX. Epitomatũ T. Liuĩ scribit. Bello Batauico quod Ciuilis sub Vespasiano mouit, Neruĩ ductu Cl. Labeonis, Ciuilem trãsitu Mosæ arcentes, ac ab eo uicti, uictoris aliquando arbitrium secuti sunt. At paucis interiectis diebus, à Fabio Prisco recepti, sponte se pro Romanis, sed infeliciter armarũt. Canineuates enim multos eorum strauerunt, teste Tacito. Multo pòst tempore, Maximianus Herculeus Imperator Neruios à Frãcis pressos liberauit: Francumq; in leges Romanas receptum, unà cum Neruĩs agros colere uoluit. Qua de re Panegyrista: Tuo, inquit, Maximiane Auguste nutu, Neruiorum, ac Treuerorum arua iacẽtia, lætus, postliminio restitutus, ac receptus in leges Francus excoluit. Neruiorum sagittariorũ, ac tractus Neruicani mentio fit in libro Prouinciarum. Non desunt nostro seculo, qui oppidi Flandrię Aldenardę etymon à Neruĩs deducant, quasi *Dude Meruen* dicas. Quicquid sit, constat non solum Aldenardam, sed omnem cis Scaldim Flandriam, Hannoniæ, ac Brabantiæ maximam partem Neruĩs paruisse. Nescio tamen, quàm probabile sit, ut quis Centronibus, Grudiis, Leuacis, Pleumosĩs, Gorduniscq; Neruiorũ clientibus certas assignet sedes: de quibus tamen præter nomen, nihil apud Cæsarem traditum reperies. Grudios nõnulli Brugenses, alĩ Louanienses faciunt. Gordunos, Gandẽses: Leuacos Glareanus, Louaniẽses. Centrones quàm temerè Hub. Thomas, Trudonenses esse contendat, cap. II. retulimus. Louanium quidem, & Gandauũ, & Corteriacum multũ antiquitatis habẽt: ut quis suspicari possit, Leuacos pro Louacis aut Louanis, Gordunos, pro Gãdunis suppositos. Corteriaci nomẽ, ni fallor, liber Prouinciarũ habet, nec ob id tamen, uel Pleumosios, uel Centrones illic habitasse temerè asserendum: nulla nominis similitudine patrocinante. Porrò ut nec id omittatur. Neruĩ imperãte Diocletiano, primũ Christi fidẽ agnouere, docentibus Piatone, Chrisolio, Victoricio, Fusciano, Quintino, Luciano, uiris sãctissimis: quos Rictionarus Neruici limitis præfectus uariis sustulit supplicĩs. Año CCCCXLV. Neruĩ, capta Tornaco urbe primaria regionis, à Clodione Francorum rege subacti fuerunt.

Valencinnes.
Neruiorum in Cæsare excipiẽdo fortitudo.
Cæsaris periculosa de Neruiis uictoria.
Boduognatus Dux Neruiorum.
Neruij profligati.
Neruij Ambiorigem in oppugnando Ciceronem iuuant.
Neruij uicti.
Neruij Cæsari in Pompeiũ militant.
T. Senectius et Anectius Neruij.
Neruiorũ bello Batauico sub Vespasiano acta.
Neruij per Maximianum à Frãcis liberati
Neruij sagittarij.
Tractus Neruicanus.
Aldenarda ou de neruen.
De Centronũ, Grudiorũ, Leuacorum, Pleumosiorũ, Gordunorum sedibus.
Louanium, Gãdauum, et Corteriacum antiqua oppida.
Quando Neruij Euangeliũ acceperint.
Neruij à Francis occupati.

DE AMBIANIS. 6.

Hos nemo unquã dubitauit eos esse, qui ad Somonã habitãt, urbem clarissimã Amiens uernaculè dictã, Somonã priscis Samarobrinã uocatã esse contẽdunt, oppidoq; nomẽ dedisse, cuius apud Cæsarem frequens mẽtio. Id etiam nõnulli Cameracum falsò faciunt, quasi Sambreĩ. utriusq; meminit Antonini

itinerarium. Ego primarium ipsum regionis oppidum ita nuncupatũ credide-

Nemetocerna. Ambiani Cæsari deditι.

rim: ut ex Ptolemæo liquet, Μεθ' ὃσόμοίως ἀμβιανοὶ, ἡ πόλις Νεμητόκερνα. Nemetocerna, cuius Cæsar meminit, uidetur non procul Ambianorũ Metropoli abfuisse: idẽ forte quod Antonino Nemeta cum inter Cameracum, & Castellum ponitur. Porrò Ambiani facillimi fuere deditioni Cæsari faciendę: & ab omnibus deinceps in Romanos conspirationibus penè integri: nisi quod uniuersali Gallorum in Cæsarem coniuratione, cuius Cæsar lib. 7, & Hirtius lib. 8. meminit, Comio Atrebati, & Corbeo Bellouaco arma sociarunt. Posteriοribus imperatoribus Constantino, Constantio, Iuliano, Valentiniano, Gratiano, Theodosio domicilium præbuere: ut Appianus tradit, qui in Galliarũ descriptione Ambianos urbem inter alias eminentem uocat.

Imperatorum Palatium Ambianis.

Cæsaromagus Bellouacarũ oppidum Νεσαρόμαγος.

Beauuais.

Bratuspantiũ oppidum

Diuitiacus rex Bellouacorum potentissimus.

Galba rex Bellouacorum.

Bellouacorum oppida 12.

Bellouaci à Cæsare subacti.

Iterum deficiũt

Corbeus dux Bellouacorum cæsus.

Bellouaci à D. Bruto uicti.

DE BELLOVACIS. VII.

Post Ambianos hi collocati, Belgarum omnium nobilissimi, ad Oceanũ usque protendebantur. Oppidum eorum Cęsaromagus Ptolemæo, uernaculè nunc à gentis nomine Beauuais dicitur. Cæsar Bratuspantium Bellouacorum oppidum memorat. mediæ ætatis Chronographis Gregorio Turonẽsi, Adoni Viennensi, Reginoni, Annonio, Belgiuacos appellatos uideo: oppidumq; ipsis Belgicum attribuunt, ut ab ijs Belgarum nomen ortum uideri possit. Diuitiacum quondã regem habuerunt, qui in Belgas latissimè, ac in Britannos imperium exercebat. Galba ætate Cæsaris regnabat. Et licet oppida numero duodecim haberent: & centum armatorum milia conficere posset, unico tamen aduerso prælio fracti, pacem à Cæsare supplices, & Heduis precatoribus paratis rogarunt. Iterata pòst defectione, Corbeo duce amisso, ad officiũ reducti: Tertio rebelles, D. Brutus Cæsaris legatus repressit: ut in Epitoma lib. 114. Liuianæ historiæ Florus.

Velocaßes ad Sequanam Le Veugaßin.

Gisortium

Hepta fluuius.

Anglorum, & Francorum de Vellocaßibus contentio.

DE VELLOCASSIBVS. VIII.

Hos nonnulli Bellocasses appellãt: putarũntq; Casletanos designari. Verùm ad Sequanam sunt Vellocasses, & priscum nomen seruant, le Veugassin, aut Veuxin. oppidum regionis primarium, Gisortium dicitur, ad Heptæ flumenis ripam situm. Angli, Franciq; ante multos annos de Vellocassium possessione dimicatũt, testibus Annonio, Gilleo, Gaguino, & P. AEmilio Frãcorum historicis.

Ratomagus Vlbanetium oppidum. Rouen.

DE VLBANETIBVS. IX.

Plinius, ac Ptolemæus horum meminere. Ptolemæus Ratomagum Vlbanetium oppidum uocat, unde eorum habitacula facile colligas: à Vellocassiũ, Bellouacorumq; finibus, ad Oceanum usq; extensa fuisse. Ratomagus nunc Rouen dicitur. Porrò, nec hi, nec Vellocasses quicquam per se contra Cæsarem moliti sunt: sed à finitimis concitati, ut belli, ita uictoriæ appẽdix plerũq; fuere.

Rigiacum Atrebatium oppidũ ὀριγιακόν.

Comius Atrebatibus uictis à Cæsare rex datus.

Comius in Romanos rebellis.

DE ATREBATIBVS. X.

Finitimi Ambianis ad meridiẽ Atrebates, nomẽ seruãt paucis literis imũtatis le pays D'artoys. Rigiacũ eorũ opp. Ptolemęus appellat, seu Metacũ, ut noñulla habẽt exẽplaria, id esse crediderim, q; nũc Arras uocãt Hi ubi cũ Neruijs, Bellouacis, Venetisq; diu & uarie cõtra Romanos bellassẽt, sub iugũ missi regẽ Comiũ accepere, fidũ Romanis, et bellis Britãnicis postea expertũ. Tãdẽ pacatis reliquis omnibus, ipsi priuatim negotiũ Romanis exhibuerũt. Dux belli Comius ipse erat, bis cũ Romanis, equestri prælio, & ambiguè conflixit. Tertio uictus, trãs Rhenũ aufugit. Et quanquã Cęsar Atrebates omnes in gratiã recepisset, ipsiq; Comio ignouisset, nunquã tamẽ adduci potuit, ut Romano cuiquã se cõcrederet: insidijs impetitus, ac dolo uulneratus, dũ publica fide in Labieni colloquiũ ꝓdijsset. Porrò Atrebates ꝙad Romanis paruerere, in gẽtilitate perman-

legmanserunt, primũq; Frãcis rerũ in Gallia potitis, Christũ agnouere, docẽte Vedasto, anno CXXX.

D. Vedaſpus.

DE CALEBIS, OROMANSACIS, ESSVIS, ITIO PORTV, ET GESSERIACO. XI.

Cales oppidũ.

Calecorum potentia.

Calecos nomen oppido dediſſe, quod nũc Angliæ oppoſitum *Cales* dicitur, non uideo quenquã dubitare: fines eorũ apparet olim latos fuiſſe, qui 10000. hominum ad bellum Cæſari faciendum miſere. Morinis & Eſſuis contigui erant. illic & Itium portum fuiſſe uolunt. alij Itio, Bononiam deſigna: i malunt. Bononia ſanè antiquum eſt, & Romanis hiſtoriis notiſſimum oppidum, in eodem tractu Geſſoriacum, eiq; proximi Oromanſaci Plinio ponuntur. Id Ptolemæus Geſſoriacum nauale uocat. Ego arbitror Calecos Sequanę oſtijs uicinos fuiſſe: (ut & Strabo aſſerere uelle uidetur) ubi eorum nomẽ regio, *Le pays de Caux* uulgò dicta & nunc Normãnię cõnumerata ſeruat, Eſſuos uerò ipſis finitimos *la conté d' Eu* uocant, ni fallor. Ptolemæus Caletos ad Sequanam ponit (ut nos) IulioBonam eorum oppidum uocans. nunc *Honneſteur.*

Itius portus.

Bononia.

Geſſoriacum.

Oromanſaci.

Calecile pays de Gaux.

Eſſui la conté d' Eu.

IulioBona Caletorum oppidum.

DE VEROMANDVIS. XII.

Ἰουλιόβωνα.

Auguſta Veromanduorum.

Ἀυγόσταον Μανδυῶν

Nihil hac gente notius, eandem regionem, eodem adhuc nomine appellati inhabitãt, Auguſta eorũ oppidum Ptolemęo, idẽ nũc (ut quibuſdam placet) S. Quintinus dicitur: à Quintino patricio Romano, qui imperante Diocletiano illuc tranſgreſſus, Veromanduos Chriſti religione imbuit. Antonini Itinerarium Verbinum habet. nunc *Veruin*,

S. Quintinus.

Verbinum, Veruin.

DE REMIS, ET SVESSIONIBVS. XIII.

Remi primi Belgarum Cæſarem accipiũt.

Oppida Remorum. Δεκεκόμορον.

Horum multa apud Cæſarẽ memoria. Remi primi omnium Cęſarẽ recepe runt, uoluntaria deditione. Sueſſiones unico ſuperati pręlio, oppida eorũ recẽſentur: Remorum, à Cæſare Bibrax, & Durocottorum: idem hoc Ptolemæo. Sueſſionum à Cæſare Nouiodunum, quod nunc Noyon dicitur, à Ptolemęo Auguſta, nunc Soiſſon. in Itinerario Cariſiacum, nunc Creſſy, tãtùm de his, finitimiſq; eorum Francorum regi nunc parentibus in præſentia dixiſſe ſufficiat. reliquas eorum antiquitates Francis perſcrutandas relinquimus.

Oppida Sueſſionum.

Soiſſon.

Noyon.

Creſſy.

Ἀυγόσται ὐπερσόνορ.

DE MORINIS, ET MENAPIIS. XIIII.

Erronea hiſtoriæ ſcrutatorũ de Menapijs Morinisq; opinio.

Mirum nonnullis uidebitur quòd de his populis cõiunctim tractem. putant enim, qui ueterem perſcrutantur hiſtoriam, magna eos terrarum intercapedine diſcretos fuiſſe. Morinos nempe, ad Oceanum Gallicum, eos qui nunc Teruanenſes dicuntur: Menapios uerò ad Rhenum, qui nũc Gelri, & Cliuenſes uocantur. Vt etiam Glareanus, ubi uideret eos coniungi à Cæſare, mendoſã putaret eſſe lectionem. Eius uerba ſunt in fine ſcholiorũ ad 3. lib. commẽt. Cæſaris. Morinos, inquit, & Menapios Cęſar hoc loco cõiunxit, quaſi uicini ſint hi populi. Rurſus lib. ſequenti ubi iturus in Britanniam, Q. Titurium, & L. Aunculeũ in Morinos ac Menapios miſit. Ad finem autem eiuſdem libri eos ex Menapijs ueniſſe dicit, cùm ipſe Morinos domuerit per T. Labienũ illuc miſſum. Veriſimile eſt, aut latum habuiſſe imperium, uel Morinos, uel Menapios, aut hic inepte librariorum errore coniunctos, uel alium quempiam populum alterutrius loco ſuppoſitum: quod equidem lectori diſcutiendũ relinquo. hæc Glareanus. Miror ſanè quòd in ueterum hiſtoricorũ lectione uerſatiſſimus, nõ animaduerterit, Menapios, Morinoſq; : ſi de ijs mentio fiat, ubi libet coniungi. Præter Cæſarem enim, & Diõ Caſſius libro Romanæ hiſtoriæ XXXIX. Ipſe, inquit de Cæſare locutus, in Morinos, eorumq; finitimos Menapios, arma cõuertit, & Strabo lib. IIII. Τοῖς μενἀπίοις δ' ἐσισυνεχεῖ ἐπὶ τῇ θαλάττῃ μόριοι. Tacitus quoque lib. XX. Et alia, inquit, manu Moſam amnẽ tranſire iubet, ut Menapios & Morinos & extrema Galliarũ quaterẽt. Et Plinius. A Scaldi, inquit, incolũt externi Taxãdri pluribus nominibus: dein Menapij, Morini, Oromãſaci iuncti

Menapios, & Morinos confines fuiſſe, probatur ex Cæſare. Dione. Caſſio. Strabone. Tacito. Ex Plinio.

Menapiorum habitacula quæ Menapij ad utrunq; Rheni ripam, Cæsari & Straboni.

Ex iuncti pago qui Gessoriacus uocatur. hæc illi de Morinis, Menapijsq;. quibus, in Cæsare hoc loco nihil mendi ineſſe liquet. Erant autem utrorunque fines proculdubio latiſſimi, at non inſtar reliquæ Belgicæ culti. Menapij ſiquidem ab ulteriori Rheni ripa, qua Sicambris finitimi erant, uſque ad Oceanum Gallicum, qua Scaldis obliquis meatibus infunditur, habitabant, in quo tractu nũc Gelriæ pars, Brabantiæ quicquid ultra Timeram, ſeu Demerim fluuium eſt, & nonnihil ex Flandria trans Scaldim, compræhenduntur. Quod utrãq; Rheni ripam accoluerint haud procul Oceano, teſtis Cæſar initio lib. IIII. Ea, inquit, q̃ ſecuta eſt hyeme, Cn. Põpeio, & M. Craſſo Coſſ. Vſipetes Germani, & item Tenchteri magna cum multitudine hominũ Rhenũ tranſierũt, nõ longè à mari quo Rhenus influit. & poſt pauca de Menapijs locutus. Hi, in quit, ad utranque fluminis ripam ædificia, uicoſq; habebant. Et Strabo lib. 4: nouiſſ mos ea in parte Galliarũ facit Menapios. τελευταῖοι δὲ μενάπιοι ἔκκεινται λῶν. ἑφ' ἑκάτερα τοῦ ποταμοῦ. Quæ tamen ſuprà ex Tacito, hoc eodem capite allegauimus, oſtendunt quod eius ætate Ciſmoſani fuerint Menapij. ubi etiã Ptolemæo collocantur, qui Caſtellum eis oppidum poſt Moſam attribuit, cuius Ammianus Marcellinus meminit à Francis occupati, & à Iuliano Cæſare longa obſidione recepti. Keſſel id eſſe contendunt, exiguum nũc ad Moſã oppidũ. Poſteriori ſeculo, cùm Franci rerum in Gallia potirentur, Menapiſcus pagus inter interioris Germaniæ regiones celebratus: qui ab ulteriori Scaldis ripa, ad Morinorum fines, ubi noua foſſa Flandros à Terauenſibus tueri ſolet, extẽdebatur: teſtantur id Cœnobiorũ Gandenſiũ archiua, leges itẽ Caroli Magni ab Anſegiſo Monacho collectæ eius pagi meminere, proculdubio à Menapijs ita dicti. q̃. ñ. Menapij olim inter Scaldim, ac Moſam poſſederãt, Taxãdri tũ habitabãt. Circa Menap. igit̃ uariæ mutationes cõtigere. primũ uiuo Cæſ. è Trãſrhenanis pulſi, ab Vſipetibus, & Tẽchteris: hinc ſub Auguſto cis Moſã reducti, Tranſmoſanis eorum ſedibus Sicambrorũ genti aſsignatis. poſtremò planè trans Scaldim à Taxandris ſubmoti. Morinorum ſedes non admodum mutatæ, niſi quod uerſus Scaldim magis protenſos fuiſſe credatur: multos enim pagos habebant teſte Cæſare: non quidem uicos (ut nunc pagi nomen accipiunt) ſed regiones: in qua ſignificatione, Cæſari uocabulum hoc familiare eſt. Nominis autem Morinorum originem à paludibus eſſe non dubito: quas *Mouren* appellant etiamnum. Teruana eorum metropolis, Ptolemæo cognita, noſtro tẽpore ſub Carolo V. funditus diruta. Meminit Itinerarium in eo tractu, Virouiaci, Caſtelli & Minariaci, quorum prius nomen ſeruat. Caſtellum, Caſſel. Minariacum, minorem uillam eſſe uolunt. Liber Prouinciarũ cuius ſupra cap. 2. meminimus: Ciuitatẽ Morinorum Ponticum uocat. Antonius uerò, aut quis alius, in itinere à Durocottoro, Geſſoriacum: Pontes habet: ut ibidem allegatum. Conſtat autem bonam Morinorum partem poſtea *Pontieu* appellatã, comitatus nomine, ante aliquot ſecula inſignẽ: cuius caput eſt Abbeuilla oppidum. Porrò utraq; gens, & Morini, & Menapij difficillimè à Cæſare deuinci potuere. non enim contenti Belgico bello Romanis aduerſa ſenſiſſe uictis, ſubactiſq; Belgis, in Celtarum cõiurationem nomina dederũt. Veneti, Oſiſmi, Lexobij, Nañetes, Ambiliates, Diabolite, atque in uniuerſum omnes Armorici defecerant. His ſe ſoli ex Belgis, Morini, Menapijq; iunxere, inacceſſis paludibus, ſyluiſq; inuijs nihil à Cæſare magnopere metuentes. Adeoq; nec D. Bruti de Venetis naualis, nec Q. Titurij de Vnellis, Lexobijs Eburonicibuſq; terreſtris uictoria, eorum animos fregit: ut etiam Cæſari cum uictore exercitu aduenienti ſe opponerent, naturali regionis, quam incolebãt munimine freti. Et Cæſar ſyluas cædere aggreſſus, difficultate rei perpenſa, & hyemis ſuperuenientis neceſſitate cõpulſus abſtitit, nõ mediocre detrimẽtum ea expe

Menapij Ciſmoſani, Tacito & Ptolemæo.

Caſtellum opp. Menapiorum. κάστελλον.

Keſſel.

Pagus Menapiſcus, nunc Flandria.

Quomodo domicilia Menapij mutarint.

Morinorũ fines

Morinorum nomen à paludibus Mouren.

Teruana, opp. Morinorum, τερουανύνα.

Virouiacum. Vueruijck.

Caſtellum.

Caſſel.

Minariacum.

Pontieu,

Quàm difficile Cæſari fuerit Menapios Morinoſq; uincere,

Celtis conſpirant.

Paludes in Morinis, Menapiiſq;.

Cæſar damno in Menapiorũ Morinorumq; finibus affectus

ea expeditione perpessus. Gestum mox à Cæsare in Vsipetes ac Tenchteros bellum, quos in ipsa Menapiorũ regione, haud procul Rheni ac Mosæ confluente superauit: dein Rheno ponte iuncto, cùm arma Germanis, tantum ex ipso limite ostendisset, Britannos adortus est. Quo tempore à T. Labieno Morini, per extremã eius ætatis siccitatem nullo à paludibus præsidio, in potestatem redacti. Vastati à Q. Titurio Menapiorum agri, gente ipsa in syluas abdita. Bello Eburonico, cùm Eburonibus deletis, Ambiorigẽ ad se fugientẽ Menapij recepissent, Cæsar eos adijt, iureiurãdo q̃ adegit, Ambiorigem deinceps in finibus suis non passuros, Morinos dein perpetuo iteratæ rebellionis odio, Atrebatium hostium quondam interniciuorum iugo subiecit. Imperãte Augusto C. Carinas Morinos domuit, teste Dione Cassio. Bello Batauico, quod sub Vespasiano gestũ est, Cl. Ciuilis Batauus, Morinos Menapios q̃ immisso Batauorum exercitu afflixit. auctor Tacitus. D. quoque Hieronymus Morinorum meminit à Vandalis, alijs q̃ Barbaris nationibus deuastatorum in epistola ad Gerontiam. Libro Prouinciarum Menapij inter pedites locantur. Vtrorumque nomen usque ad annum 882. durauit: in cuius anni rebus gestis Sigibertus Gemblacensis, Normani, inquit, adiunctis sibi Danis, Franciam, & Lotharingiam peruagantes, Ambianos, Atrebatas, Corbeiam, Camaracum, Taruennam, fines Morinorum, Menapiorum, Brachbantẽsium omnem q̃ circa Scaldim terram, monasteria sanctorum Valerici, & Richarij, ferro & igni deuastant. Porrò Morini imperante Diocletiano Christum edocti fuerant per Victoricium, & Fuscianum. Menapijs uerò Amandus Tongrorum episcopus, circa annum 633. sacra nostra indidit: cœnobium q̃ in monte Blandino pagi Menapisci castello condidit, quod nunc S. Petri Gandensis est.

Vsipetes ac Tenchteri à Cæsare superati.
Morini à T. Labieno superati.
Menapij à Q. Titurio uastati
Ambiorix ad Menapios confugit.
Menapij à Cæsare domiti.
Morini Atrebatibus subiecti Morini à C. Carina uicti.
Morini & Menapij à Cl. Ciuili infestati.
Morini à Vandalis uastati.
Menapij pedites.

DE TAXANDRIS. XV

Plinius inter Belgas Taxandros habet Scaldis accolas. A Scaldi, inquit, incolunt exteri Taxandri pluribus nominibus. Quod externos dicit difficultate non caret: cùm ægre deprehendi queat, quenam Plinio exterior, aut citerior Scaldis ripa fuerit. Communis tamen opinio, Brabantiæ eam partem tenuisse, quę nunc Campania dicitur: quanq̃ Menapij multo antè incoluerant, ut suprà dictum. Extant enim eius nominis præclara monumenta, uicus nomine Tessenderloo Brabãtiæ cõtiguus. Præterea Otto Imperator Gandensibus Monachis uicos Nord Wick & Itegem donauit in pago Tessandria sitos: anno 974. Sunt Herendalensi oppido uicini: haud remoti à uico Tessenderloo. Taxandrorum fanè ea fuit feritas, ut Germanorum inferiorum postremi indomita colla Christi iugo subderent: idque partim D. Lamberti concionibus mitigati, partim Pipini Harstalli ueteis metuentes: accidit id circa annum 714. Porrò quoniam Taxandrorum nomẽ, postea in Campanos mutatum id prætereundum non est, Campaniæ nomen recens Belgis non esse: quoniam ex primoribus Tungrorum unus, Tacito lib. 20. Campanus uocatur. Quid uerò Kempen ex quo Campanum Romanus inflectit, Belgis significarit, incompertum. Ammianus Taxandriæ meminit, loci à Francis occupati, & à Iuliano Cæsare recuperati, & Taxandri oppidi, Toxiandriam sanè apparet ex eius descriptione, si non transMosam, saltem in ripa Mosæ fuisse. cùm enim Iulianus Lutetia Tungros uenisset, Saliorum Francorum qui Taxiandriam tenebant legatio accessit, Taxandrum Hubertus Thomas, Vegesatum in ulteriori Mosæ ripa, quod nunc Wesel dicitur esse, autumat. illic pontẽ antiquitus fuisse, qui Henrici quarti imperatoris uitam scripsere tradunt, ad quem Henricus Dux Lotharingiæ, Henricũ quintum, patri imperium eripere parantem, deuicit. is idem est, cum eo quem Tacitus scribit à Cl. Labeone Batauo occupatum, ut Cl. Ciuilem auerteret. Erectus, inquit, loco quia pontem Mosæ fluminis anteceperat. Pons hic iamdudum

Taxandri Scaldis accolæ.
Campania.
Tessenderloo uicus.
Taxandrorum feritas.
Taxãdri Christo lucrifacti.
Taxãdria. nũc Kempen.

dum uetuſtate collapſus eſt. Ego puto Taxandrium Ciſmoſanũ fuiſſe, & nũc Teſſenderloo dici.

DE AMBIVARITIS. XVI.

Ambiuariti Ciſmoſani ſuiſſe probantur.

Cum Vſipetes, Tenchteriq; Tranſrhenanis Menapijs pulſis, Ciſrhenanorũ domicilia occupaſſent, tradit Cæſar lib. 4. uno eodemq; tempore, & Eburonũ terras eos depopulatos, & partẽ equitatus trans Moſam, frumẽtatum in Ambiuaritos miſiſſe. Conſederant tum inter Moſam ac Rhenũ, tam Cæſar, quàm Germani. Ambiuariti igitur, qui tum Cæſari Tranſmoſani, Ciſmoſani nobis erunt: & non procul à Rheni ac Moſæ confluente abfuiſſe reor. ad eundem enim tum Germani caſtra habuere. Vnde conijcias eos tractum illum incoluiſſe, in quo nunc Boſcum, Grauia, Breda, & Bergæ ſunt oppida ditionis Brabanticæ: & fortè etiam Andouerpiam, quam non abſurda fuerit coniectura ex nomine Ambiuarorum in *Amptuarten* aut *Amptuarpten* detorto ita appellatã: cùm utique conſtet Andouerpos uocabulum pluralis numeri, olim populum ueri us, quàm oppidum ſignificaſſe: quod teſtatur Audoenus hiſtoricus in uita D. Eligij Multum, inquit, in Flandris laborauit, iugi inſtantia in Andouerpis pugnauit. floruit hic ante annos 900. Antiquiſſima autem eſt Andouerporũ gens, & ante annos mille & centum Francorum Chronographis cognita, & ab Eligio religione Chriſtiana imbuta.

Andouerpiæ nomẽ ex Ambiuaritis.

Andouerpi populi.

Andouerporũ antiquitas.

Andouerpi ab Eligio cõuerſi.

DE BETHASIIS. XVII.

Bethaſij Ciſmoſani.

Bethaſios inter Ciſmoſanos ponit Tacitus, finitimos Tungris, Neruiſijq;. Verba eius ſunt lib. 11. Ciuilis inquit Societate Agrippinenſium auctus, proximas ciuitates affectare, aut aduerſantibus bellum inferre ſtatuit, occupatiſq; Sunicis, & iuuentute eorum per cohortes cõpoſita, quo minus ultra pegeret. Cl. Labeo Bethaſiorũ Tungrorumq;, & Neruiornm tumultuaria, manu reſtitit, fretus loco, quia Moſæ fluminis pontem anteceperat. Pugnabatur q; in angustijs ambiguè donec Germani tranantes terga Labeonis inuaſere. Simulq; Ciuilis, auſus, an ex compoſito, intulit ſe agmini Tungrorum, & clara uoce: non ideo, inquit bellum ſumpſimus, ut Batani & Treuiri gentibus imperent. procul hęc à nobis arrogantia. accipite ſocietatem, tranſgredior ad uos, ſeu meducem, ſeu mollem mauultis. Mouebatur uulgus, condebantq; gladios, cum Campanus, & Iuuenalis ex primoribus Tungrorum uniuerſam ei gentem dedidere. Labeo antequam circumueniretur aufugit. Ciuilis Bethaſios quoque, & Neruios in fidẽ acceptos copijs ſuis adiunxit. hæc illæ. Meminit & Plinius Bethaſiorum quanquam non libenter ad coniecturas uenio: admonendũ tamen duxi, uicum eſſe haud procul Halis Brabantiq; oppido, incolis quondã frequentem, nomine *Beets*: qui an Bethaſiorum nomen referat, ut aſſeuerare nolim: ita indubitatum habeo, Bethaſios illic habitaſſe. Sanè quod Bechaſios ſcribendum dicat Hubertus Thomas, argumento propemodum ridiculo inductus, quòd nõnulla illic uicorũ nomina, in *Beke* exeant, ut *Diepenbeke*, *Sconbeke*, non placet: eadem enim ratione, omnem inferiorem Germaniam Bechaſios nuncupes, cuius uicorum permagna pars in *Beke* terminetur.

Bethaſij à Romanis ad Batauos deficiunt.

Beetes uicus Brabantiæ.

DE RHENI INSVLIS. XVIII.

Batani Caninefates. Friſij. Cauchi. Friſiabones. Sturij. Marſaci.

Rheni inſulas Plinius deſcribit lib. 4. cap. 15. in hæc uerba. In Rheno, inquit, ipſo prope centum millia paſſuum in longitudinẽ, nobiliſſima Batauorũ inſula, & Canineuatũ, & aliæ Cauchorũ, Friſiabonũ, Friſiorũ, Sturiorũ, Marſacorũ: q; ſternũtur inter Helium, & Fleuũ. ita appellant oſtia in quæ effuſus Rhenus à Septẽtrione in lacus, ab Occidente in amnem Moſam ſe ſpargit, medio inter hæc ore modicum nomini ſuo cuſtodiens alueum, hæc Plinius. Batauorũ, & Canineuatum plenæ ſunt omnes Romanorum hiſtoriæ. Marſocorum & Tacitus meminit. Friſij, Cauchiq; proculdubio, ut Germanorum Batauis proximi,

ximi, parte insulæ occupata, fortè illic habitacula fixerant. Frisij sanè aliquādo omnem Batauiam armis obtinuere. De Frisiabonibus, & Sturijs, nihil extra nomina compertum.

DE BATAVIS. XIX.

Batani præ cæteris Belgis à Romanis celebrati.

Inter Belgarum, ac inferioris Germaniæ populos, nulli magis Batauis à Romanis celebrantur. De eorum origine Tacitus lib. 20. Batani, inquit, donec trans Rhenum agebāt, pars Cattorum seditione domestica pulsi, extrema Gallicæ oræ uacua cultoribus, simulq; insulam inter uada sitam occupauere, quam mare Oceanum à fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circunluit. Idem lib. de Germanorum moribus. Batani, inquit, non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis incolunt, Cattorum quondam populus, & seditione domestica in eas sedes transgressus, in quibus pars imperij Romani fierent. De ijsdem & Cæsar lib. 4. Mosa, inquit, parte quadam Rheni recepta quæ appellatur Vahalis, insulam efficit Batauorum. Nominantur Batauorum oppida à Ptolemæo Batauodurum, Lugodunum caput Germaniarum, Vetera, & Legio trigesima Vlpia. Tacitus Batauoduri meminit, & Vadæ, Geldubæ, Grinnium, Arenaci, & Veterum, quæ in ipso Batauiæ aditu fuisse apparet, Romanorū castris insignem locum. Ammianus Tricesimæ, ex quo nonnulli Vtricesium fabricatunt. in Antonini Itinerario Traiectum, Castra Vlpia, Colonia Troiana, Calo, Burtinacum, Caruo, Arenacum, Albiani, & Manaritium leguntur. Ex his Batauodurum omnes Doreſtatum, Lugodunum *Lende*, Vadam *Wageningen*, Geldubam *Gelte*, Grinnes *Renen*, Arenacum *Arnhem* esse putant. Batauorum sanè gentem omnes Romanorum historici summam laudem attribuunt. Præ cæteris nō pigiuit Tacitum integras, de Batauorum in Romanos bellis historias contexere. Dion auctor est, stipatores corporis ex Batauis Augusto lectos, quod equitandi arte pollerent, lib. histo. 55. Quo nomine etiam à Plutarcho in Ottonis uita commendantur. Tiberio imperante, Germanicus Varianam cladem in Cheruscos ulturus, Batanorum uirtute Visurgim aperuit: ubi Carioualda Dux Batauorum interijt. Apud Suetonium in Caligula cap. 44. mendosa est lectio. Nihil autem amplius, quàm Admimo cino Bellini Batauorum regis filio, qui pulsus à patre cum exigua manu transfugerat, in deditionem recepto, quasi uniuersa tradita insula, magnificas Romam literas misit: legendū enim Britannorum. Arbitror autem typographum, aut correctorem, hoc deceptum fuisse: quod suprà Suetonius scripserat, Caligulam pro supplendo numero Batauorum, hanc expeditionem inijsse. Paulus Orosius legit, Minocinobellino Britannorum regis filio. Frobeniana exemplaria in Suetonio habent: Adminio Cynobellini Britannorum regis filio. Ad institutum reuertamur. Post mortem Neronis, cùm imperium Romanum in Gallam, Ottonem, ac Vitellium scinderetur: Batani in Italia contra Ottonem pro Vitellio sæpenumero fortiter pugnarunt. Mox Ottone Cęso, cùm Vespasianus Vitellio ex ortus esset aduersarius Cl. Ciuilis Batauus primum prætexta Vespasiani amicitia, à Vitellio defecit. At Vitellio Romæ à Vespasiani ducibus necato, omni Batauia iugum Romanorum excussit. nec hoc contentus, uicinos omnes tam Germanos, quàm Gallos eodem conuoluit bello. Id bellum à Tacito lulente describitur. Posterior tamen eius historiæ pars, quæ exitum continet, magno Batauorum damno perijt. Constat nihilominus, Batauos rursum in potestatem Romanorum uenisse. Sub Tito enim (ut Tacitus in uita Agricolę recenset) sola eorum, Tungrorumq; uirtute Romanus Britannos debellauit. Sub Adriano Batauus equitatus licet armorum pondere grauis, cùm Danubium transnasset, Sarmatas hoc miraculo perterrefactos, Adriano obsequentes fecit auctor ex Dione, Xiphilinus. Vtq; paucis rem finiam, Romani Batauos tanti

Batauorū pro Romanis in Cheruscos acta Cariouldæ Dux Batauorū interijt.

Locus Suetonij emēdatus.

Batani pro Vitellio contra Ottonem.

Bellum Batauicum sub Vespasiano.

Cl. Ciuilis Batauus.

Origo Batauorum.

Oppida Batauorum.

Βατανόδουρον.

Batauadurum

λουγόδουνον Lugodunum, Οὐέτερα. Vetera.

Legio Trigesima Vlpia.

Vada.

Geldubæ.

Grinnes.

Arenacum.

Traiectum.

Castra Vlpia.

Colonia Troiana.

Calo.

Burtinacum.

Caruo.

Albiniani.

Manaritium.

Stipatores Augusto ex Batauis lecti.

tanti fecere: ut amicos ac fratres Romani imperij dici paterẽtur. Tradit Gerardus Nouiomagus, sua ætate eruta apud Leidã marmora cũ hac inscriptione:

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS. SEVERVS. AVG. ET M. ANTONINVS
CAES. CON. VOL. ARMAMENTARIVM VETVSTATE CONLAPSVM RESTITVERVNT SVB VAL. PVDENTE LEG. AVG.
PR. PR. CVRANTE C AECIL. BATOE. PRAE. GENS
BATAVORVM AMICI ET FRATRES
ROMANI IMPERII.

Batauia à Frãcis occupata. Cæterum circa annum 270. cùm triginta tyrannorum imperio Romanus orbis confunderetur, Batauiam Franci occuparunt. Hos inde Constantius Chlorus imp. deturbauit: ut Nazarius, & Mamertinus prodũt. Iuliano Cæsari (cui id seculum Apostatæ postea nomẽ dedit) memorabili illo Argentoratẽsi prælio, Batauí multum profuere, de ijs Ammianus lib. 16. Batauí, inquit, uenere cum regibus formidabilis manus. Nouissimè inclinante Romano imperio, Batauos male defensos, Vultæ qui & Wultz, seu Velatabí subiugarunt: ab ijs cõdita Vultaburgus, seu Wultdrecht, uel cũ antea Drecht uocaret, Wultdrecht, ab ijs nomen accepit. Drecht enim lingua Gallica, ut Beda & Sigebertus tradunt, oppidum significat: quod Latini in traiecti nomen mutant, Traiecti autem mentionem facit Itinerarium Antonini. Aliqui, & in his Lamb. Hortensius, putãt Vtricesium Ammiano Marcellino initio libri 18. celebrari, ubi scribit: Ciuitates occupatæ sunt septem, castra Herculis, Quadriburgum, Tricesimæ, Nouesio, Bunna, Antennacum, & Bingio. audentq; Vtricesium, pro Tricesimis supponere: nescio quam bene. Opinor Tricesimæ scribi debere: quod Ptolemæo Legio Tricesima Vlpia dicitur. quo nihilominus an Vltraiectum designetur, nolim contendere. Lamberto Hortensio Antoninam hanc aliquando uocatã fuisse uidetur. Sed ut ad Batauiã reuertamur. Frisij tandem pulsis Vultis, eam sui iuris fecerunt, Batauis in citeriorem insulæ partem, quæ Vahalim, ac Mosã interiacet, contrusis. Huic ab alijs Batauiæ nomẽ permãsit, uernaculè de Betuwe. Postremò Franci, Frisijs in potestatem redactis, circa annum 734. Batauiam regno suo adiecerunt. Priscum tamen nomen exuta Frisia deinceps appellari maluit: Hollandiæ postea appellationem, addito Comitatus titulo, consecuta. Sunt qui ab Arboricis, quasi Holtland, huius regionis nomen deducunt. Arborum uerò nomen apud Procopium inueniri putant lib. primo de bello Gothorum, ubi scribat: Arboricos Francis finitimos, at Romanorum stipendiarios: tandem cum Francis societatem iniisse, ac unà cũ ipsis Gallias inuasisse. Abodritos illic legere malim: quos constat semper Francis confœderatos fuisse, & pro ijs contra uicinos Saxones Danosq; bella gessisse, qua de re Annonius in rebus Francorum lib. 4. cap. 86. Nam, inquit, Abodriti auxiliares Francorũ semper fuere, ex quo semel ab eis in societatem recepti sunt. hæc Annonius. plura de Abodritis Eginartus alijq; Francorum Chronographi.

Batauia à Cõstantio Chloro recuperata.

Batauí pro Romanis sub Iuliano apostata.

Vultæ Batauos subiugãt.

Wultaburg seu Wultdrecht opp. nunc Vltraiectum.

Apud Ammianum Vtricesiũ pro Tricesimis suppositiũ.

Batauia à Frisijs subacta.

Batuwe, à Batauis.

Batauia sub Frisiæ nomine regno Francorum adiecta.

Hollandia.

Arborici, apud Procopiũ legi pro Abodritis.

DE CANINEFATIBVS ET MARSACIS. XX.

Caninefates finitimi Batauis & citeriores. Marsaci Caninefatibus uicini. Caninefates nõ esse Kennemerlãders.

Hi cũ Batauis insulam Rheni habitabant, finitimi Belgis, de Caninefatibus, Tacitus ea gens, inquit, partem insulæ colit: origine, lingua, uirtute, pares Batauis: numero superantur. Marsacos etiam insulam coluisse, Plinius: Tacitus, Caninefatibus propinquos tradit. Quare Caninefates, nullo modo ij esse possũt, qui nũc Kennemerlanders ab Hollandis uocantur: cùm hi ultimi pene Holandorũ ad Frisiam sint, nimirum fluuium qui Kinhem uernaculè uocatur, & Alcmariam alluit accolentes. Caninefates uerò citeriores Batauis fuisse, ex Tacito manifesto conuincantur: cùm scribit Cl. Labeonum, metu Ciuilis nihil apud Batauos ausũ, tumultuario Neruiorũ exercitu Caninefates, ac Marsacos infestasse. Sanè si ulteriores Batauis fuissent Caninefates, quis crederet hominem nihil

apud

apud Batauos ausum, ulteriora petijsse: aut terrestrem Neruiorum exercitum, per medium Batauorum, Caninefatibus inuexisse? Et Marsacos cùm insulani sint, temere Hubertus Thomas, in Masacos uertit: ut *Maeseyck* Mosæ oppidum eo uocabulo designaret.

Maeyseeck Mosæ oppidũ non designari per Marsacos.

DE ARENACO, GRINNIBVS, BATAVODVRO, ET VADA. XXI.

Grinnium uocabulum, Groningæ nomen dedisse (quod Frisij uernaculè *Gruningen* dicunt) uideri poterat: nisi locorum intercapedo obstaret. Arinacũ, Griñes, Batauodurum, & Vada non oppida, sed modicæ uillæ (modò sana sit lectio) à Tacito uocantur. Tantum, inquit, belli superfuit, ut præsidia cohortium alarum, legionum, modicis uillis quadripartita inuaserint. Decimæ legionis Arenaci: Secũdę Batauoduri, Grinnes, Vadamq́, cohortium alarumq́ castra. Et quoniam Arenacum ab omnibus *Arnhem*, Batauodurum *Dursteden*, Vada *Wageningen* esse putantur: quæ inter se non ita magno spatio dissita sunt: crediderim Grinnes hisce proximum, aliquem uicum fuisse, ac præ cæteris uicini orẽ Vadæ. Vadam enim, cum Grinnibus unica oppugnatione, simulq́ adgredibantur Ciuilis, Tutorq́ & Classicus. Verba Taciti sunt: Plus, inquit, discriminis apud Grinnes, Vadamq́: Vadam Ciuilis, Grinnes Classicus oppugnabant. nec sisti poterant, interfecto fortissimo quoq́: inquis, Briganticus præfectus alæ ceciderat, quem fidum Romanis, & Ciuili auunculo infensum diximus. Sed ubi Cærialis cum delecta equitum manu subuenit, uerĩa fortuna, præcipites Germani in amnem aguntur. Ciuilis, dum fugientes retentat, agnitus, petitusq́ telis relicto equo transnatauit. idem Germanis effugium. Totem Classicumq́ appulsælintres uexere. Gerardus Nouiomagus Rinnes legendum arbitratur, aut Renos: ut *Renen* oppidum Vltraiectino præsuli parẽs designetur. Ex Taciti uerbis colligas, inter Vadam Grinnesq́ nullam penè distantiam fuisse. aut enim in eadem ripa erant, aut dirimente flumine inuicem opposita,

Arenacũ Grinnes, Vada, Batauodurum uillæ modicæ Tacito.

Arnhem.

Dursteden.

Wageningen.

Renen opp.

Inter Grinnes ac Vadam nulla distantia.

DE GELDVBA, ET GVGERNIS. XXII.

De Gelduba Gerardus Nouiomagus. Gelduba, inquit, olim Rheno imminens, Gelriæ nomen dedit. Ex Tacito sanè colligi nequit, Geldubam in Rheno fuisse. Nouesium propinquam constat. itaq́ nihil repugnat, ut Gelram oppidum, ita olim appellatũ credatur, nisi Glareano accedere mauis qui *Glatpach* seu *Glabbeke* Nussiæ uicinum oppidum, Gelduba significari ait, in scholijs libri sexti Commentariorum Cæsaris. Geldubæ propinqui erant Gugerni. de his Tacitus. Additus, inquit, Voculæ, in partem curarum, Herennius Gallus legatus: nec ausi ad hostem pergere, loca Gelduba nomen est, castra fecere. Ibi struenda acie, & muniendo, uallandoq́, ac cæteris belli meditamentis militem firmabant. Vtq́ præda ad uirtutem incenderentur, in proximos Gugernorũ pagos, qui Ciuilis societatem acceperant, ductus à Vocula exercitus, hæc ille lib. 2. Hub. Thomas, & Gerardus Nouiomagus, Iuliacenses (qui uernaculè *Gulchern* dicuntur) his notari asserunt. Iuliaci sanè Ammianus Marcellinus meminisse uidetur lib. decimoquinto: quod nunc *Gulich* uocant.

Gelduba an Gelriæ nomẽ dederit.

Gelduba Nouesio propinqua. Glatbach siue Glabeke.

Gugerni Gulpern.

Iuliacum opp.

DE VBIIS XXIII.

Vbij ætate Cæsaris ulteriorem Rheni ripam obtinebant: at continuis Sueuorum, Vsipetum, Tenchterorumq́ infestationibus exagitati, cis Rhenũ migrarunt imperante Agusto. Transgressos Agrippa in fidem recepit, inq́ ea regione, quam Eburones dudum possederant, collocauit. Agrippina neptis Agrippæ, mater Neronis, colonia eò deducta, oppido eorum Colo[illegible]æ Agrippinensi nomen dedit. Suspecti dein, Germanis adeque & Gallis [illegible]asi affectatis originę ac nomine Romanis. Bello Batauico sub Vespasino, à Iulio Tutore Treuiro

Vbij Transrhenani, cis Rhenum migrant.

Vbij Eburonũ loca occupant Agrippina.

Vbij Germanis & Gallis suspecti.

Vbij Petilio

Cæriali dedun tur.

Treuiro armis subacti, compulsiq; Romanam eiurare amicitiam, discrimẽ adiere, Treuiris Transrhenanisq; deleri inauspicati nominis oppidum annixis: Cl. Ciuilis, ne id fieret obstitit. Itaque recepti in fœdus, haud ita multo pòst, Petilio Cæriali deditionem fecerunt. Memorãtur & alia Vbiorum loca Tacito: Tolbiacum, quod nostro tempore Zulpich uocant: Bonna Romanorum clàde nobilis, & Marcodurum uicus, procul à ripa Rheni, quod nũc Duren esse uolunt: Nouesium quoque, uulgò Nuis.

Tolbiacum Zulpich.
Bonna.
Marcodurum
Nouesium
Nuissen.

DE ASCHIBVRGIO. XXIIII.

Tacitus libro de Germanorum moribus. Cæterum, inquit, & Vlixem quidam opinantur lõgo illo ac fabuloso errore, in hunc Oceanũ delatum, adisse Germaniæ terras, Asciburgiumq; quod in ripa Rheni situm hodie incolitur, ab illo constitutum, nominatumq; ἀσυφύργιον. hæc ille. Apparet autem ex Taciti uerbis libro 20. Asciburgium Cisrhenanum fuisse oppidum, non ita procul Nouesio: ubi Iulius Maximus, ac Cl. Victor Bataui, iussu Ciuilis, Voeulam ducem cohortium Romanarum oppugnantes, nouo Vasconum aduentu uictoriam alioqui certam amisere. arbitrabantur enim omnem Romanorũ exercitum, Noueslo adesse. Nouesium igitur non procul aberat.

Asciburgiũ ab Vlisse conditũ
Asciburgium Cisrhenanum, & Nouesio propinquum.

DE SVNICIS. XXV.

Sunici Tacito Transmosani, & Agrippinensibus confines. eosdem Plinius habet, cap. 17. lib. illic enim Sunici pro Runici, Beatus Rhenanus restituit. Duns oppidum ad Rhenum infra Coloniam, idem nomen seruat. Hubertus Thomas utrobique & apud Tacitum, & apud Plinium Runicos legit: ut regio inter Hollandiam, Frisiamq; sita designetur Kunkenland. Rhenano accedere limen, cuius opinionem Taciti uerba confirmant. Ciuilis, inquit, societate Agrippinensium auctus, proximas ciuitates affectare, aut aduersantibus bellum inferre statuit, occupatisq; Sunicis, & iuuentute eorum per cohortes compositis, quominus ultra pergeret, Cl. Labeo Bethasiorum, Tungrorumq;, & Neruiorum tumultuaria manu restitit, fretus loco. quia pontem Mosæ fluminis anteceperat. Ex quibus manifestum, quod propinqui Agrippinæ fuerint.

Sunici Agrippinensibus uicini.
Suns oppidũ.
Runkenland.

DE LEVCIS, ET CLABIS. XXVI.

Leucorum gentem iuxta Treuiros, Mediomatrices, ac Lingonas habitasse indubitatum. oppida eorum Tullus, ac Nasium Ptolemæo celebrata, nomen seruant: Toul & Nansy. Vernaculè crediderim appellatos, Delutzen: & latè imperasse, ut ab ijs Lutseburgi celebris oppidi nomen ortum sit, quasi der Lutzen borch. Propinquos Leucis Clabos, eorumque oppidũ Virdunũ mediæ ætatis Chronographi faciunt, cuius etiam liber Prouinciarum meminit. Verùm quinam hi Clabi fuerint, aut unde uenerint, nemo prodit. Frequẽs autem est Romanorum scriptoribus Chabionum nomen: mendosum fortasis ac pro Clabis suppositum. quorum fortè reliquias à se deuictas Diocletianus, in Galliam traduxerit: ac proximè Leucos collocarit. De Treuiris, Mediomatricibus, cæteriscq; ad Rheni fontes tendẽtibus populis Belgarum satis superq; à Germanicarum antiquitatum scriptoribus, laboratum. itaq; nihil hic de rebus eorum repetere uisum. ad flumina Belgarum stilum conuertam.

Oppida Leucorum.
τὸ Μον Tullũ
νάσιον Nasiũ
Lutseburgus à
Leucis de Lutzen.
Clabi uicini Leucis.
Virdunus.

DE RHENO. XXVII.

De Rheni fontibus, catarractisq;, abundè à recentioribus Germanis tractatum, de ostijs non item. Nonnulli ut Mosam influere dicatur non tolerant. Et scientiarum corrosor Henricus Cornelius Agrippa, Plinium carpere non ueretur. Sic & Plinius, inquit, Mosam fluuium in Oceanum properare tradit, cùm se nõ Oceano, sed Rheno immergat. Et Glareanus scholio 4. lib. Comm. Cæsaris scribit, partem Rheni quæ Mosam excipit Vahalim dici. Rheni sanè plura cõstat fuisse olim, ac esse etiamnum ostia, horum unum, Vahalis, testibus Romanis

Henr. Corn. Agrippa temere Plinium de Rheno scribentem carpit.

Romanis etiam omnibus, qui de Rheno scripsere, Mosæ infunditur. Qua de re Cæsar: Mosa, inquit, parte quadam Rheni recepta, quæ appellatur Vvalis, insulam efficit Batauorum. Et Tacitus lib. 11. Nam Rhenus, inquit, uno alueo continuus, aut modicas insulas circumueniens, apud principium agri Batani uelut in duos amnes diuiditur: seruatq; uim, & uiolẽtiam cursus, qua Germaniã prætexitur, donec Oceano misceatur, ad Gallicam ripam latior, & placidior affluens, uerso cognomento (Vahalim accolæ dicunt) moxq; id quoq; uocabulum mutat Mosa flumine: eiusq; immenso ore eundem in Oceanum affunditur. Et Plinius lib. 4. cap. 15. In Rheno autẽ, inquit, ipso prope 100000. passuum in longitudinem nobilissima Batauorum insula, & Caninefatum, & aliæ Frisiorum, Cauchorum, Frisiabonum, Sturiorum, Marsacorum, quæ sternuntur inter Helium & Flæuum, ita appellantur ostia, in quæ effusus Rhenus, ab septentrione in lacus, ab occidente in amnem Mosam se spargit, medio inter hæc ore, modicum nomini suo custodiens alueum. hæc illi de ostijs Rheni eiusq; in Mosam influxu. Et quis ignorat Mosam usq; ad ipsum Oceanum, nomen seruare: ut etiam uicina Hollandiæ pars, inde *Maeslandt* appelletur? Arbitrantur medium illud Rheni os, haud procul Leida, quæ ueteribus Lugodunum erat caput Germaniarum fuisse: atq; illic ante aliquot annos uisa in ipso Oceano uetustæ arcis Catuici uestigia, nimirum primæ Cattorum munitionis, qua à Rheni ingressu uicinos arcebant. Helium autem occidentale ostium, id esse putarim, quo Vaha lis Mosam influit. Flæuum uerò, ni fallor, septentrionale, quod nunc Vechtam dicunt. Vechta ab Vltraiecto, Mudam usq; excurrit, atq; illic in australe mare, uulgò *de Zuyersee* redditur: quod olim mare non erat, sed lacus ingens, inde est quòd Plinius Rhenum à septentrione in lacus effundi scribit. Porrò haud procul hoc ostio, Flæuum castellum fuisse credo, cuius Tacitus lib. 4. meminit, cohibendis à rebellione Frisijs per Romanos ædificatum. Frisonum uernaculæ leges, Flæui meminisse uidentur, in ijs enim ita scriptum reperitur. *Dioe tioende keſt it, dat freſen thoren neen heerferd fora fara, dan aeſter toe da weſere, ende weſtere toe dae flee*: ex quibus colligitur Frisios ad occidentem Flæuo, ad orientem Visera seu Visurgi, terminatos. Est & quartus Rheni alueus Lecca dictus, qui à Batauoduro seu Dorestato, ex ipso Rheno deriuatus, per Vianam Sconhouiamq; Mosam inter Dordracum & Roterodamum illuit. tantum de Rheno.

Ex Tacito.

Ex Plinio.

Helium, & Flæuum ostia Rheni.

Maesland.

Mediũ Rheni os, olim prope Leidam.

Catwyck.

Helium occidentale ostiũ.

Flæuum orientale ostiũ.

Vechta.

Zuyersee olim lacus.

Flæuum castellum.

Flee occidentalis Frisiæ limes.

Lecca quartus Rheni alueus.

DE MOSA. XXVIII.

Mosam Vosagus mons emittit, inter Hollandiam, ac Selandiam Oceano infunditur. Latissimum autem est hoc Mosæ ostium, trium nempe maximorum Belgicæ fluminum gurges: Mosæ, Vahalis, ac Scaldis: nam & huius pars Mosa excipitur. Quòd autem Mosam potius, quàm Masam Cæsar appellat, non aliã puto fuisse causam: quàm quòd eum accolæ, ut nunc *de Moeß* nuncuparint, hoc enim commune populis à Louanio in Mosam uergentibus ut oe pronuncient, ubi nos ae. &*woer* pro *waer*, *doer* pro *daer*, *toe* pro *tae*, *Moes* pro *Maeß*. Pontis Mosæ supra cap. 3. meminimus.

Mosæ ostiũ latissimum.

Mosa uernaculè ab accolis non de Maeß, sed de Moeß uocatur.

DE SCALDI. XXIX.

Ptolemæo Tabuda, uel Tabulla hic dictus uidetur: incertũ qua ratione tam diuersum, à cæteris historicis huius fluminis nomen edente: non tam ampla eius est apud Romanos memoria ac Rheni & Mosæ, cùm enim in ipso Belgicę meditullio sit, post Cæsaris tempora, rarissimè in tractibus ei circunuicinis memoratur aliquid dignum contigit. In Commentariorum belli Gallici lib. 6. circa finem, uetusti codices habent. Ipse cum reliquis tribus (legionibus) ad flumen Scaldim quod influit in Mosam, extremasq; Arduennæ partes ire cõstituit, quò cum paucis equitibus profectũ Ambiorigem audiebat. Robertus Stephanus,

Scaldis Ptolemæo Tabuda.

Matlianus, Glareanus, Sabin pro Scaldim legũt: quod flumen (modo Sambre sit ut omnes consentiunt) apud Namurcum Mosam ingredi, ubi olim Aduatici habitabant, notissimum est, poterat nihilominus uetusta lectio defendi: cùm constet Scaldim etiamnum per complures Selandiæ insulas diffusum, partim in Oceanum, partim in Mosam labi. Iuxta Scaldim uerò ac Mosam Menapij tum habitabant, apud quos ueri similius est Ambiorigem præsidium fugę quæsiuisse, ut oculatissimi Caij Iulij Cæsaris, Romanorum imperatoris uim & arma quæ non ipse tantum cum suo maximo malo expertus erat, uerum etiam alij senserant, effugeret: quàm in locis Sabi uicinis? Et ne quem moueat quod additur: extremas q̃ Arduennæ partes. Quis enim tam praui iudicij, tam uecors, aut denicq; tam rerum & historiarum imperitus, ut nesciat ætate Cæsaris, ad confluentem Sabis & Mosæ non extremas partes Arduennæ fuisse, sed ipsum syluæ meditullium? Vt enim alios silentio authores transeam, unde id non obscurè colligi potest, etiam ipse Iulius Cæsar, & Strabo quorum fides in historijs maxima est, testantur totius Galliæ maximam fuisse syluam Arduennam, à ripis Rheni usque ad Neruios, Eburones, Menapios, Morinos, Atrebates q̃ protensam, ut credibile sit syluarum quidquid in Brabantia, Gelria, Hasbania, Cliuia, Hannonia, Flandria, Hollandia q̃ uisitur, Arduennæ connumeratum fuisse. Cuius rei Strabo apertissimus testis, qui libro quarto, ἐμφερὴς δ' ἐστὶ τῇ τῶν μεσογειτόνων, ἥ τε τῶν Ἀρδυεννησίων, καὶ ἑβρώνων, καὶ νέρβιων, καὶ μελδιαπίων, ὕλη γὰρ ἐστὶν ἡ πολλὴν ἔκλησιν, πολλὴ μὲν, ὑποσαύτη δὲ, ὅσην οἱ συγγραφεῖς εἰρήκασι, τετρακισχιλίων σταδίων, ἀπὸ τῶν Ἀρδυεννησίων, ἀρξαμένη, καὶ τελευτῶσα ἐπὶ τὸν Ῥῆνον, hæc Strabo. Quid mirum igitur si C. Iulius Cæsar Scaldim Mosam influere dicat, id'que etiam ad extremas Arduennæ partes?

Scaldim in Mosam fluere.

Quæ Cæsaris ætate extremæ partes Arduennæ fuerint.

Arduennæ latitudo.

DE LINGVA BELGARVM, ET VARIIS IN BELGICA MVTATIONIBVS. XXX.

Primæui Belgarum idiomatis uestigia extare puto admodum pauca, nam quo Cæsare uiuente utebantur, nonnullorum planè Germanicum erat, aliorum ex Gallico & Germanico corruptum, quòd propria nomina, eadem penè ipsis, quæ Germanis commonstrant. Et ueri simile est, secundum quod nouæ indies Germanorum transmigrationes in Belgicam fiebant, ita etiam Belgarum linguam uariare solitam. Aliam enim Tungri, aliam Cymbrorum Teutonumq; proles Aduatici, aliam qui Neruijs Treuirisq; originem dedere, loquebantur. Constat etiam Romanos mira dexteritate non tantum mores, sed & linguam suam deuictis à se prouincijs indere consueuisse. Hinc euenit, ut dum Romani terum in Belgica potirentur, tertia idiomati Belgico accederet corruptela, ut ex uernacula, Germanica, & Romana misceretur. Verùm alij alijs magis uel uernaculè, uel Germanicè, uel Latinè sonabant. Nec Franci Romanorum successores, Romanum idioma, adeò radicitus extirpare potuerunt: quin apud nonnullos Belgarum Romana lingua (quam Romant uocant) perseueraret: ita tamẽ corrupta, ut in Scriptura tantum appareat: quod omnibus notum est. Hanc loquuntur ex Belgis, qui nunc Gallobrabanti dicuntur, Hasbaniorum, Hannoniorum pars, Flandriæ pars, Namurcenses, Luceburgenses, Arduennates, Atrebates, & quicunq; ultra eos in Franciæ regnum uergunt. Cæteri uerò Belgæ prorsus Germanicè loquuntur, Flandriæ, Hannoniæ, & Brabantiæ pars, Hollandi, Selandi, Gelri, Cliuiani, Hasbaniorũ pars, Iuliacenses, ijsq; finitimi. Quorum lingua sola pronunciatione à Transrhenana differt: præsertim Transmosanorum.

Linguã Belgarum, Germanicæ, & Latinæ accessione corruptam esse.

Romant.

Qui Belgarum Romanè loquãtur.

Qui Belgorũ Germanicè loquantur.

Quæruntur

Queruntur nonnulli de Romanorum historicorum, circa externorum ac præcipuè Gallorum, Germanorumq; res indiligentia. Cæsar, inquiunt, Strabo, Plinius, Tacitus aliiq;, historici qui res gestas scriptis suis posteritati reliquerunt, sicubi uocabulum Belgicum necessariò proferendum esset, id ita in linguam Romanam contortum ediderunt, ut uix apicem in eo Belgici idiomatis reliquerint: atque inde euenisse, ut nominum populorum quæ ipsi produnt, nullas etymologias inuenire queamus. Mihi semper contrarium uisum fuit. nam in Celtarum nominibus describendis quis à Cæsare maiorem requirat diligentiam? cùm omnes penè ab ipso descripti, adhuc eadem seruent nomina. Parisij *Parisis*, Senones *Sens*, Eburonices *Eureux*, Turones *Touraine*, Pictones *Poicton*, Sanctones *Sanctoingne*, Limouices *Limosin*, Petrogorij *Pierregort*, Tolosates *Tolousains*, ex Belgis quoq;, Atrebates *Artois*, Ambiani *Amiens*, Suessiones *Soissons*, Bellouaci *Beawais*, Veromandui *Vermandois*: cuius causa est quod circa hos raræ, aut nullæ contigerint mutationes. Belgæ uerò Rheno propiores, uaria semper sorte iactati, nomina sua sæpius mutarunt, & linguas.

Iniustè nonnullos de Romanorum historicorum circa res nostrates incuria queri.

Cæsarem in exprimendis Gallorum nominibus diligentissimum fuisse.

Celtarum, ac Belgarum nonnullorum nomina non mutata.

Porrò si continuas haberemus Romanorum historias, usque ad inclinationem Romani imperij, tum demum uidere esset, qua cura & diligentia singuli Romanorum historici suorum temporum res gestas in litteras retulerint: nihil etiam omittentes, quod externos populos concerneret. At nunc quotam Titi Liuij, quotam Cornelij Taciti, quotam Ammiani Marcellini, scriptorum partem non desideramus? Menapiorum igitur & Morinorum, Eburonum, Condrusonum, Pæmannorum, Cæresorum, Neruiorum, Grudiorum, Gorduno-rum, Segnorum, Leuacorum, Pleumosiorum, Aduaticorum, & Ambiuaritorum uocabula ex uernaculis Latina Cæsarem fecisse credibile est, non temere: atq; seruata ut in cæteris suprà enumeratis uernaculi idiomatis proprietate, quantum potuit: adeò, ut etiam pluralia pluralibus redderet. Vernacula fortè nomina hæc erant, aut his non multum absimilia: *Menapischen, Mouren, Heyburen*, uel *Eburen, Coendroesen, Peemannem, Ceresen, Neruen, Grudigers, Gorduinen*, &c. quorum etymologias, curiosius scrutari, non uideo, quò pertineat: cùm nec Celtarum mox edita uocabula, nec recentia regionum, qualia sunt *Brabant, Gelderland, Cleue, Hasbengouwe, Namen, Vlanderen, Walkeren*, &c. inueniri potuerint, qui rectam eorum etymologiam ostenderent. Stultum igitur in ijs se torquere, in quibus exactissima etiam diligentia nihil effeceris. Primum enim inuestigandum foret *Menapische* Gallicum, an Germanicum esset uocabulum: si Germanicum, à Cattis ne an à Suetuis, an ab alia aliqua gente deriuatum, & sic in cæteris.

Belgæ Rheno propinqui, mutationibus subiecti.

Romanorũ continuas nõ extare historias.

Inutilis curiositatis esse ueterũ nostrorum etyma inuestigare, cùm nostrorũ lateãt.

Proxima huic, est eorum querela, quos malè habet, apud Caium Iulium Cæsarem, Cornelium Tacitum, Plinium, Ptolemæum, Ammianum Marcellinum aliosq; id genus ueteres scriptores, diuersa semper uideri Belgarum nomina. nam ubi unus Menapios constituerat, alter Taxandros, alter Sicambros ponit: ubi ille Eburones, hic Vbios, Gugernos & Sunicos: omnia demum ita mutata conspiciuntur, ut diuersorum penè populorum historias scribere existimari possint. Verùm hoc omne mutationi temporum, & continuis Transrhenanorum in Belgicam migrationibus imputandum est, & eorum inuidiæ, qui nobis Liuium, Dionem, Plinium de rebus Germanicis, Cornelium Tacitum, Ammianum Marcellinum aliosq; complures suppresserunt. Romanorum autem historicis usitatum est, in suorum temporum gestis rebus, populos quibus tum appellabantur nominibus appellare: quod nullam difficultatem pareret, si integra ipsorum scripta haberemus. Nostri recentiores, stolidi antiquitatis affectatores,

Cur Romanorum historici inter se in rebus nostratibus dissentiant.

Stultè recentiores antiqua nomina affectare.

affectatores, contrarium conantur. Si enim de Gelris sermo sit, Menapium illic, & Sicambricum nomen audies. Leodinos, Eburones: Louanienses, Gtudios: Gandenses, Gordunos: Hollandos, Batauos: Colonienses, Vbios: Suiceros, Heluetios: Burgundos, Sequanos uocant, Latiniùs tam prisca nomina sonare arbitrati, ut puto.

Quis porrò credat, Cæsarem si hoc tempore uiueret, non ex *Loxen* Louanium, *Gend* Gandam, *Ludic* Leodicum, *Hasbam* Hasbanium, *Gelresch* Gelrum, &c. facturum? imò, non admiraturum uel maximè, ubi Eburones aliosq; nonnullos à se deletos adhuc superesse uideret? Quis uerò Cliuensium ducem, quem Iouius ac nonnulli alij Sicambrorum uocant, uidendi desiderio flagrans: si Sicambrorum ducem quærere se dicat, non Galliam omnem, non Germaniam oberraturus sit incassum quærendo, dum nemo futurus sit, cui Sicambricum nomen uel in somnis obuersatum aliquando fuerit? Vide quæso quas tenebras antiquitatis hi affectatores, historijs offundant. Proinde Belgicam nunquam maiorem mutationem subire contigit, quàm aduentu Francorum. Tum enim non modò priuatim quæquæ natio nomen mutauit: uerùm ipsa Belgica, & inferior Germania, in Austrasiam abijt. Aut sita tum etiam noua nomina singularum regionum Brachbantum, Hasbanium, Carabantum, Testrebantum, Ostrebantum, Flandræ, Haginonia, Ribuaria, Cliuia, Valacræ, &c. quæ Romanis cognita non fuerant. Verùm quoniam de Austrasia, Francorumq; in ea gestis rebus secundum huius operis librum data oportunitate conscribere decreuimus, primo huic finem imponemus.

Quantum Belgicæ status aduentu Francorum mutatus fuerit.

Austrasiæ nouum nomen Belgicæ impositum.

FINIS.

OPTI-

OPTIMO ET DOCTISSIMO VIRO D. MARTINO CRVSIO, AMICO SVO SINGVLARI, IOH. Iacobus Grynæus S. D.



TA comparatum est æterni numinis prouidentia, humanissime uir, ut in perquisitione rerum præclarissimarum, quæ in huius uitæ τῆ τραγικοκωμῳδίᾳ sese oculis hominum spectanda offerunt, non tam magnitudo & præstantia rerum, quã earum usus præcipuè sit spectandus. Est quidem historia, testis temporum, lux ueritatis, uita memoriæ, magistra uitæ, nuncia uetustatis: sed tum demũ, cum præluente mentis iudicio (quo uera à falsis, honesta à turpibus secernuntur) in rerum maximarum administratione ac totius uitæ διοικήσει, ad usum prudenter & commodè transfertur, ut non tantum intelligant legentes, quæ nam fortiter, iustè & iuxta officij normam ab alijs dicta factáq; sint, sed etiã fortitudinem, iusticiam & alias uirtutes imitando, exprimant. Etsi autem nobis omnibus, qui Christo seruatori nomina dedimus, lucidissimum innocentiæ & uirtutum omnigenarum speculum in Iesu Christo crucifixo, propositum est: nihil tamen uetat, quominus inæstimabili historiæ beneficio, selectissima uirtutũ exempla, uelut è specula quadã sublimi & tuta, intueamur, & ex alijs discamus, sine periculo, nobis quod exusu sit. Præclarè in hanc sententiã disserut, usibus edoctus & historiæ ueteris grauissimus interpres Plutarchus, cuius hæc uerba sunt in uita Pauli Aemilij: Ἐμοὶ μὲν τ' ἄν βίων ἄψασθαι γραφῆς, σωτέον τὸ ἕτερος, ἐπιμένειν ὑπὸ φιλοχωρεῖν ἤδη, καὶ δι' ἐμαυτοῦ, ὥσπερ ἐν ἐσόπτρῳ τῇ ἱστορίᾳ τοὺς ἐμοὶ οἰκείους, ἐμποιῆσαι κοσμίους, ἐξαφομοῦν πρὸς τὰς ἐκείνων ἀρετὰς τὸν βίον. οὐδὲν γὰρ, ἀλλ' ἢ συμβιῶσαι καὶ συμβιῶσαι τὸ γινόμενον ἔοικεν. ὅτ' ἄν ὥσπερ ἐπιξενούμενον ἕκαστον αὐτῶν ἐν μέρει διὰ τῆς ἱστορίας ὑποδεχόμενοι καὶ παραλαμβάνοντες ἀναθεωρῶμεν. ὅσῳ δ' ἐνδοξότερα, τοσούτῳ καὶ κάλλιστα πρὸς γνῶσιν ἀπὸ τῶν πράξεων λαμβάνοντες. φεῦ φεῦ, τί τοῦτο; χάσμα μεῖζον ἄν λάβοις, πρὸς ἐπανόρθωσιν ἡμῶν ἐνεργότερον. Δημόκριτος μὲν γὰρ ἐν χεδίῳ φησὶ δεῖν, ὅπως εὐλόγχως εἰσίωλον τυγχάνωμεν, καὶ τὰ σύμφυλα καὶ τὰ χρησιμώτατα μᾶλλον ἡμῖν ἐκ τοῦ περιέχοντος, ἢ τὰ φαῦλα. καὶ σκαιὰ συμφέρει. λόγον ὅτ' ἀληθῆ, καὶ πρὸς ἀποδύοντας ἐκφέροντα δεισιδαιμονίας εἰς φιλοσοφίαν μεταβάλλων. ἡμεῖς δὲ τῇ πρὸ τοῦ ἱστορίᾳ διὰ βραχέων, καὶ τοῦ γραφῆς τὸ σωφρονέειν πρασκευάζομεν ἑαυτοὺς, τὰς τῶν ἀρίστων καὶ δοκιμωτάτων μνήμας ὑποδεχόμενοι ἀεὶ τὰς ψυχὰς, εἰ μὲ φαῦλον, ἢ μιαρόβιος, ἢ ἀγεννὲς ἀπὸ τῶν σωούντων ἤθους γνώμης ὁμιλίαι προσβάλωσιν, ἐκκρούειν καὶ διωθεῖσθαι, πρὸς τὰ κάλλιστα τῶν παραδειγμάτων ἀεὶ βλέποντας καὶ πρὸς ἐκεῖνα ἀποσκοποῦντας τὸν διάνοιαν. Agnoscis, opinor, mihi illud Senecæ cordi esse. Quod ab alijs bene dictum est, nostrum est. Volui autem Plutarchi uerbis, iudicium meum de ratione cum fructu legẽdi historias, διὰ βραχέων exponere, in eorum gratiam, qui hosce libros de rebus Germanicis, in unum uolumen congestos fortè lecturi sunt. Prodest autem extare talia scripta, quæ testantur singulari Patris cœlestis benedictione & cura, & alias politias in orbe terrarum, & Germanici imperij ἀξίωμα inter tot rerum exitiales motus, & bella aduersus gentes exteras, & intestina, seruatum esse. Ex hac autem historia colligere poterit prudens Lector, quibus inclinationem Imperij debeamus, qui auctores dissidiorum & bellorum Ciuilium in Germania fuerint, quorũ perfidia & scelere res Germana sit labefacta. Eius author Monachus fuit Heruelden sis, qui tempore fortissimi principis Henrici IIII. uixit. Libellum D. Philip. Melan. ante quadraginta annos excudi iussit, cum unicum exemplar extaret in Bibliotheca uestra Augustiniana. Fui autem hortator, præstanti uiro D. Henrico Petri, ut eum unà cum alijs eius generis libris quasi postliminio restitueret, et ueteris historiæ Germanicæ cupidis lectoribus communicaret. Iudico enim luce dignissimum esse, & te oro ut hanc historiæ & γενολογίας σωφροσύνην, ueluti nostræ amicitiæ publicum μνημόσυνον, boni consulas, donec per gratiam Domini pretiosius aliquod ἀνάμνησιν literarum tibi offerre possimus. Seruet te Iesus Christus. Basileæ Idib. Augusti. M. D. LXIX.

CHRONICON HISTORICVM APVD GERMANOS, VBI AVSPICIA, ORNAMENTA, IMPERATORVM SVCCESSIO & res memorabiles bello & pace gestæ ab Henrico IIII Imperatore, breuiter referuntur: Authore Monacho quodam Herueldensi.

PRIMA ætas ab Adam usq; ad Noe, continens generationes x. Annos uerò MDCLVI. Quæ tota periit diluuio, sicut infantiã mergere solet obliuio.

Secunda à Noe usq; ad Abraham, generationes similiter cõplexa x. Annos autem CCXCII. In qua linguarum facta est diuisio. A' pueritia nanq; homo incipit loqui posse post infantiã, quæ & inde nomen accepit, quia fari, id est, loqui potest.

Tertia ab Abraham usque ad Dauid, generationes XIIII. Annos quoque DCCCCXLII. continens. Et quia ab adolescentia incipit homo posse generare, Matthæus ab Abraham generationum sumpsit exordium.

Quarta â Dauid usq; ad transmigrationem Babylonis, generationibus æquè iuxta Matthæum XIIII. Annis autem CCCCLXXXIII. porrecta. De qua Regum tempora cœperunt. Quia dignitas iuuenilis regno est habilis.

Quinta deinde usq; ad aduentum Saluatoris in carne, generationibus & ipsa XIIII. porrò annis DLXXXVIII. extenta. In qua ut graui senectute fessa malis crebrioribus plebs Hebræa quassatur.

Sexta quæ nunc agitur nullâ generationum uel temporum serie certa, sed ut ætas decrepita, ipsa totius seculi morte finienda. Secula generationibus constant. Inde dicuntur secula, quod se sequantur. Abeuntibus enim alijs, alia succedunt. Quorum decursus per generationes & regna ita scribitur.

Prima ætas continet creationem mundi. Primo enim die Deus in lucis nomine condidit Angelos. Secundo, in firmamenti appellatione creauit cœlos. Tertio, in discretionis uocabulo speciem aquarum & terræ. Quarto, luminaria cœli. Quinto, animantia ex aqua. Sexto, animantia ex terra, & primum hominem Adam. Adam CXXX. anno genuit Seth, à quo filij Dei. Seth anno CV. genuit Enos, qui cœpit inuocare nomen Domini. Enos anno XC genuit Cainan. Cainan anno LXX genuit Malalehel, qui interpretatur plantatio Domini. Malalehel anno LXXII. genuit Iareth. Iareth anno CLXII genuit Enoch. Hunc nonnulla diuina scripsisse Iuda Apostolo testante comperimus. Enoch anno LXV genuit Mathusalẽ, post cuius ortũ trãslatus est à Deo. Mathusalẽ anno CLXXXVII genuit Lamech. Gygantes nati sunt. Et concupierunt filij Dei, id est, Seth, filias hominum, id est Cain. Lamech anno CLXXXII genuit Noe, qui arcam ædificauit. Noe anno DC. uenit diluuium. Fuerunt autem ab Adam usq; ad cataclysmũ, id est, diluuium anni MDCLVI.

Secunda ætas continet annos CCXCII. Sem anno II. post diluuium genuit Arfaxat, à quo Chaldæi. Arfaxat anno XXXV genuit Sela, à quo Samaritæ & Indi. Sela anno XXX genuit Heber, à quo Hebræi. Heber anno XIIII genuit Faleh. Turris ædificabatur. Faleh anno XXX genuit Reu. Dij primum adorantur. Reu anno XXXII genuit Saruh. Regnum Scytharum inchoat. Saruh anno XXX genuit Nahor. Regnum Aegyptiorum nascitur. Nahor anno XXXIX genuit Thare. Regũ Assyriorum & Sicyoniorũ oritur. Thare anno LXX genuit Abraham.

Semiramis

Semiramis condidit Babyloniam, & Zoroastres Magicam repperit. Fuerũt autem anni ab Adam usq; ad Abraham MDCCCCXLVII.

Tertia ætas continet annos DCCCCXLII. Abraham anno LXXV propter imperium Dei, uenit in terram Chanaam. Abraham anno LXXXVI genuit Ismahel, à quo Ismahelitæ. Abraham anno C genuit Isaac. Isaac anno LX genuit Iacob. Iacob anno XC genuit Ioseph. Memphis in Aegypto conditur. Ioseph annis CX uixit. Græcia segetes habere cœpit. Hebræorũ seruitus in Aegypto annis CXLVII & Cecrops Athenas condidit. Moses annis XL rexit Israel, sub quo Hebræi literas habere cœperunt. Iosue annis XXVI rexit Israel. Erichthonius in Græcia primus iunxit quadrigam. Iudices à Mose usq; ad Samuel præfuerunt annis CCCV Othoniel annis XL præfuit. Cathmus Thebanorũ Rex græcas literas inuenit. Loth annis LXXX præfuit. Amphion musicus claruit. Debbora annis XL. Primus Latinis regnauit Picus. Et Apollo medicinæ artem inuenit. Gedeon annis XL. Orpheus Linusq; musici claruerunt. Abimelech annis III. Iste LXX fratres suos occidit. Thola annis XXX. Priamus regnauit in Troia. Lair annis XXII. Carmenta Latinas literas repperit. Lepthe annis VI. Hercules flammis se iniecit. Abessa annis VII. Bellum decẽnale Troiæ surrexit. Aialon annis X. Hic in LXX interpretibus non habetur. Labdo annis VIII. Capta Troia. Aeneas uenit in Italiam. Samson annis XX. Ascanius Albam condidit. Heli sacerdos annis XL. Arca testamenti capitur, & regnum Sicyoniorum finitur. Samuel & Saul annis XXXII. Regnum Lacedæmoniorum exoritur, & Homerus fuisse probatur.

Quarta ætas continet annos CCCCLXIII. Dauid annis XL regnauit. Carthago à Didone conditur. Gath, Nathan, & Asaph prophetauerunt. Salomon annis XL. Templum Hierosolymis ædificatur, annis CCCCLXXX egressionis ex Aegypto expletis. Ex quo apparet Samuelem & Saulem XXXII annos, & non XL præfuisse. Roboam XVII annis regnauit. Regnum Israel & Iuda diuiditur. Abia annis III. Pontifex Abimelech insignis habetur. Asa annis XLI. Aggeus, Amos, Iohel, & Iehu prophetauerunt, & Azarias. Iosaphat annis XXV. Helias, Heliseus, Abdias, & Micheas prophetauerunt. Ioram annis VIII. Edom recessit à Iuda & constituit sibi Regem. Ochozias anno I. Helias rapitur. Athalia annis VII. Ionadab filius Rechab sacerdos claruit. Ioas annis XL. Zacharias filius Ioiadæ lapidatur. Amasias annis XXVIII. Amos propheta claruit in Israel. Ozias annis LII. Olympias prima à Græcis constituitur. Ioatham annis XVI. Esaias, Oseas, & Iohel prophetauerunt. Et Romulus nascitur. Achaz annis XVI Roma conditur. Et Israel in Medos transfertur. Ezechias annis XXIX. Romulus C senatores constituit. Manasses annis LV. Numa II menses adiecit, & Sibylla Samia claruit. Ammon annis II. Tullus in republica censum exegit. Iosias annis XXXI. Thales Physicus claruit. Ioachim annis XI. Huius tertio anno Nabuchodonosor Iudæam cepit. Sedechias annis XI. Templum Hierosolymis incensum est.

Fuerunt aũt ab Origine mundi usq; ad terminum Iudaici regni III. CCCLXIII.

Quinta ætas continet annos DLXXX. Hebræorum captiuitas annis LXX. Iudith historia conscribitur. Darius annis XXXVI. Huius secundo anno templum Hierosolymis constructur, finitis LXX annis Iudaicæ captiuitatis. Xerxes annis XXI. Herodotus historiographus agnoscitur. Artaxerxes annis XL. Ezdras Legem incensam renouauit. Et Neemias Hierusalem restaurauit. Darius qui & Nothus annis XX. Hæc ætas habuit Platonem. Artaxerxes qui & Ochus annis XXVI. Demosthenes & Aristoteles prædicantur. Xerxes Ochi filius annis IIII. Xenocrates claruit. Darius annis VI. Alexander Macedo annis XII. qui Hierosolymam cepit. Huc usq; regnum Persarum, dehinc Græcorum. Alexander annov. Asiam obtinuit. Ptolemæus Lagi filius annis XL. Machabeorum liber primus inchoauit. Philadelphus annis XXXVIII. LXX interpretes claruerunt. Euer

getes annis XXVI. Iesus sapientiæ librum composuit. Philopater annis XVII. Machabæorum Liber secundus inchoauit. Epiphanes annis XXIIII. Romani Græcos obtinuerunt. Philometor annis XXXV. Hunc Antiochus superans Iudæos oppressit. Et Scipio Aphricam uicit. Euergetes annis XXIX. Brutus Hispaniam subegit. Sother annis XVII. Thraces Romanis subiiciuntur. Varro & Cicero nascuntur. Alexander annis X. Syria per Gabinium Romanis subiicitur. Ptolemæus Cleopatræ filius annis VIII. Salustius historiographus nascitur. Dionysius annis XXX. Pompeius Iudæam cepit. Cleopatra annis II. Aegyptus Romanis subditur. Hucusq; regnum Græcorum. nunc Romanorum. Iulius Cæsar annis V. Hic primus Monarchiã tenuit, & ab hoc Cæsares appellati sunt. Octauianus annis LVI. Huius anno XLII. Dominus noster IESVS CHRISTVS nascitur, completis ab Adam iuxta Hieronymum annis V̄CXCIX. Tiberius autem annis XXIII. Huius anno XVIII Dominus noster IESVS Christus crucifixus est. Gaius annis IIII. Matthæus Euangelium scripsit. Claudius annis XIIII. Petrus Romam, & Marcus Alexandriam petierunt. Nero annis XIII. Petrus & Paulus cruci, gladioq; traditi sunt. Vespasiani annis X. Huius anno secundo Titus Hierosolymam subuertit, templum solo strauit, post annos primæ ædificationis MLXXXIX. Dominicæ autem incarnationis LXXI. Titus annis II. Hic facundus & pius fuit. Domitianus annis XVI. Ioannes Apostolus in Pathmos relegatur. Nerua anno uno. Ioannes Ephesum rediit, & Euãgelium scripsit. Traianus annis IX. Simeon Hierosolymorũ Episcopus crucifigitur, & Ioannes Apostolus requiescit. Adrianus annis XXI. Aquila interpres oritur. Antoninus minor annis XIX. Montanus Catafrigarum auctor oritur. Commodus annis XIII. Theodotion interpres apparuit Aelius Pertinax anno I. nihil historiæ habet. Seuerus Pertinax annis XVIII. Symmachus interpres agnoscitur. Antoninus Caracalla annis VII. Quinta æditio Hierusalem inuenitur. Macrinus anno uno uel Marcus. Aurelius Antoninus annis IIII. Sexta æditio Nicapoli reperitur, & Sabellius infelix oritur. Alexander annis XIII. Origenes Alexãdriæ claruit. Maximianus uel Maximus annis III. Hic persecutus est Christianos. Gordianus annis VII. Fabianus Episcopus Romæ claruit. Philippus annis VII. Hic primus Imperator Christianus fuit. Decius anno I. Antonius monachus oritur. Galienus & filius eius Volusianus annis II. Nouatiana hæresis oritur. Valerius cum Galieno annis V. Cyprianus & Cornelius martyrio coronantur. Claudius annis II. Iste Gothos ab Illyrico expulit. Aurelianus ãnis V. Hic etiã persecutus est Christianos. Tacitus annũ unũ. Probus annis VI. Manicheorum hæresis oritur. Carus annis II. Iste de Persis triumphauit. Diocletianus & Maximianus annis XX. Isti diuinis libris exustis, uastari ecclesias, affligi & interfici Christianos iusserũt. Maximinus filius Maximiani, Seuerus, & Galerius ano I. Constãtinus ãnis XXXI. Cuius XVI. anno Nicena synodus congregatur. Dominicæ incarnationis anno CCCXVIII. Constantius & Constans annis XXVII. Reliquiæ sancti Andreæ, sanctiq; Lucæ Euangelistæ Constãtinopolim transferuntur, & Anthropomorphitarũ hæresis oritur. Per idem tempus Athanasius & Maximinus Treuirorũ Archiepiscopus, atq; Hylarius doctrina & fide clari habebantur. Iulianus annis II. Hic ex monacho paganus factus, Christianos persecutus est. Iouianus anno I. Iste cum omni exercitu Christianus efficitur. Valentinianus annis XI. Qui à Iuliano ob fidem Christi militia fuerat priuatus. Et Gothi hæretici facti sunt. Gratianus cum fratre Valentiniano annis VI. Ambrosius & Martinus Episcopi claruerunt. Valentinianus cum Theodosio annis IX. Hieronymus in Bethlehem toto mundo claruit. Theodosius ann. XI. Sanctus Ioannes Anachorita claruit. Archadius cum fratre Honorio annis XIII. Ioannes Chrysostomus, & Augustinus Episcopi claruerũt. Honorius cum Theodosio minore annis XV. Cyrillus

Alexandriæ

Alexandriæ Episcopus claruit. Theodosius minor Archadij filius annis XXVI. Ephesina synodus Nestoriũ cum suis fautoribus Pelagianis damnat, sub Celestino Papa. Marcianus annis VII. Calcedonẽse concilium sub Leone Papa DCXXX patrũ agitur. Leo maior cum Leone minore annis XVII. Aegyptus ab errore Dioscori liberatur. Zenon ann. XVII. Corpus Barnabæ Apostoli reperitur, & Acezephalorũ hæresis oritur. Anastasius XXVI annis. Fulgentius Episcopus claruit. Iustinus maior annis IX. Acezephalorũ hæresis abdicatur. Iustinianus annis XXXIX. Huius Sexto anno primus cyclus Dionysij inchoauit, Dominicę incarnationis ano DXXXII. Iustinus minor annis XI. Armenij fidẽ Christi susceperũt. Tiberius annis VI. Ermingildus Rex Gotthorũ martyrio coronatur. Mauricius annis XXI. Gregorius Papa Augustinũ archiepiscopũ cum monachis in Britanniã misit, ut genti Anglorũ uerbum Dei euangelizarent, Dominicæ incarnationis anno DXCVI. Focas annis VIII. Anglisaxones fidem Christi susceperũt. Eraclius annis XXXVI. Iudæi in Hispania Christiani facti sunt. Eradones cum matre sua Mattina annis II. Pyrrhus Regiæ urbis Episcopus à Theodoro Papa damnatur. Constantinus Eraclij filius menses VI. Paulus Pyrrhi successor, ob eandẽ uæsanã doctrinã damnatus est. Constantinus Constantini filius annis XVII. Hic sextam synodum cõgregauit. Cuius rogatu Agatho Papa misit in Regiam urbem Legatos suos, in quibus fuit Ioãnes Romanę ecclesiæ tunc Diaconus, nõ longè post Episcopus pro adunatione faciẽda sanctæ ecclesiæ. Hæc sexta synodus Cõstantinopolim acta est. Vbi affuerũt Episcopi CL prędente Georgio Patriarcha urbis Regiæ, & Machario urbis Antiochiæ, & cõuicti sunt qui unã uoluntatẽ & operationem astruebãt in Christo falsasse patrũ catholicorũ dicta per plurima.

DCCII. Anno Dominicæ incarnationis. Hucusq; Beda.

DCCIII.

DCCIIII.

DCCV.

DCCVI.

DCCVII.

DCCVIII. Cunrat Rex de Britannia Romã perrexit. Ibiq; attonsus ac monachus factus, in ieiunijs & precibus ad diem peruenit ultimum.

DCCIX.

DCCX. Pippinus maior domus regni Francorũ perrexit in Alemanniã.

DCCXI.

DCCXII. Mortuus est Heriberdus Rex Longobardorum.

DCCXIII.

DCCXIIII. Mortuus est Pippinus maior domus, cui successit Carolus filius (eius.

DCCXV. Mortuus est Dagobertus Rex, fuitq; pugna Francorum.

DCCXVI. Pugnauit Carolus contra Regem Ratbodum.

DCCXVII. Pugnauit Carolus cõtra Francos in Dominica die ante Pascha.

DCCXVIII. Vastauit Carolus Saxoniam plaga magna.

DCCXIX. Occisio Francorum ad Suessonis ciuitatem.

DCCXX. Pugnauit Carolus contra Saxones.

DCCXXI.

DCCXXII. Magna fertilitas facta est.

DCCXXIII.

DCCXXIIII.

DCCXXV. Carolus perrexit Andegauis.

DCCXXVI.

DCCXXVII. Sanctus Egbertus migrauit ad Christum.

DCCXXVIII.

DCCXXIX. Cometæ ſtellæ apparuerunt.
DCCXXX.
DCCXXXI. Carolus uaſtauit ultra Liguriam.
DCCXXXIII.
DCCXXXIIII. Carolus perrexit in Friſiam.
DCCXXXV. Carolus uaſtauit Vvaſcones.
DCCXXXVI. Beda nobilis & præclarus doctor obijt. Initium Hetueldenſis monaſterij.
DCCXXXVII.
DCCXXXVIII. Carolus pugnauit contra Saracenos in Gothia.
DCCXXXIX. Carolus Saxoniam iterum intrauit, & fecit eos tributarios.
DCCXL. Carolus prouinciam intrauit uſq; in Maſsiliam.
DCCXLI. Carolus obijt, maior domus regni Francorum, cui ſucceſſerunt Carlmannus & Pippinus filij eius. Initium Altahenſis monaſterij.
DCCXLII. Carolus Magnus natus eſt.
DCCXLIII.
DCCXLIIII. Initium Fuldenſis monaſterij.
DCCXLV.
DCCXLVI. Sanctus Burchardus ordinatus eſt Epiſcopus I. in Vverziburg.
DCCXLVII. Sanctus Vvigbertus migrauit à ſeculo. Carlmannus Romæ monachus factus eſt.
DCCXLVIII.
DCCXLIX.
DCCL. Pippinus decreto Zachariæ Papæ per unctionem Sancti Bonifacij Archiepiſcopi Rex appellatus eſt, qui antea maior domus uocatus eſt, & Hildericus Rex tonſoratus in monaſterium mittitur.
DCCLI. Zacharias Papa obijt, Stephanus electus eſt atq; occiſus, & alter Stephanus electus atq; conſecratus eſt.
DCCLII.
DCCLIII. Stephanus Papa ad Pippinum ueniens defenſionem petijt contra Haiſtulfum Regem.
DCCLIIII. Stephanus Papa duos filios Pippini Carolum & Carlmannum unxit in Reges.
DCCLV. Sanctus Bonifacius martyrio coronatur.
DCCLVI. Organa primùm miſſa ſunt Pippino de Græcia.
DCCLVII.
DCCLVIII. Pippinus Saxonibus ſuperatis tributum impoſuit, ut CCC equos ſingulis annis perſoluerent.
DCCLIX.
DCCLX.
DCCLXI.
DCCLXII.
DCCLXIII.
DCCLXIIII. Pippinus magnum conuentũ habuit in Cariſiago, fuitq; hyems duriſsima.
DCCLXV. Ruotgangus Epiſcopus corpora ſanctorum Gorgonij, Naboris, & Nazarij de Roma aduexit.
DCCLXVI. Victi ſunt Sclaui in Vveidahaburg à Francis.
DCCLXVII.
DCCLXVIII. Pippinus Rex acquiſiuit Aquitaniã totã, & inde reuertẽs ad ſanctũ Dionyſiũ VIII. Kal. Octob. obijt. Carolo Magno & Carlmanno regnũ relinquens. DCCLXIX.

DCCLXIX.

DCCLXX. Bertha Regina uenit de Italia, & Deſiderij regis filiam adduxit in Franciam.

DCCLXXI. Carlmannus obijt, fratri Carolo regnum relinquens.

DCCLXXII. Carolus in Saxonia Ereſpurg expugnauit, & fanum eorum, quod uocabatur Irminſul deſtruxit.

DCCLXXIII. Carolus ab Adriano Papa inuitatus, Deſiderium regem in Papia obſedit.

DCCLXXIIII. Carolus Papiam cepit, & Deſiderium Regem in Franciam duxit. Eodem anno Saxones eccleſiam in Frideslare, lignis & igne implentes incendere uolebant, ſed minime ualebant.

DCCLXXV.

DCCLXXVI. Saxones Chriſtiani effecti ſunt.

DCCLXXVII.

DCCLXXVIII. Carolus pugnauit contra Sarracenos & Saxones Loganabhi uaſtant.

DCCLXXIX. Sturm abbas Fuldenſis cœnobij obijt.

DCCLXXX.

DCCLXXXI. Carolus Romam perrexit, ibiq; baptizatus eſt Carlomannus filius eius. Quem Adrianus Papa immutato nomine uocauit Pippinum. Ibi quoq; deſponſata eſt Rudrut filia eius Conſtantino imperatori. Carolus diuiſit terram inter Epiſcopos in Saxonia.

DCCLXXXII. Caroli comites occiſi ſunt à Saxonibus in loco qui dicitur Suntal.

DCCLXXXIII. Hildigart Regina obijt, cui Faſtrat ſucceſsit.

DCCLXXXIIII.

DCCLXXXV.

DCCLXXXVI. Sanctus Lullus Archiepiſcopus obijt, & Carolus ad Italiam uenit. Multa quoq; uiſa ſunt prodigia. Signum enim crucis in ueſtimentis hominum apparuit, & ſanguis è cœlo terraq; profluxit.

DCCLXXXVII. Carolus Romam ueniens Beneuentum profectus eſt, & monaſterium ſancti Benedicti adijt.

DCCLXXXVIII.

DCCLXXXIX. Carolus ſubegit gentem Vvilzorum.

DCCXC. Carolus perrexit in Pannoniam.

DCCXCI. Carolus ſubegit gentem Auarorũ, & fundata eſt eccleſia ſancti Bonifacij in Fulda.

DCCXCII. Coniuratio Pippini contra patrem ſuum, quæ per Fardolfum publicata eſt. Vnde Pippinus attonſus in monaſterium mittitur, cæteriq; omnes perditi, alij decollati, alij ſuſpenſi, miſerabiliter ſunt mortui. Et ipſi Fardolfo datum eſt cœnobium ſancti Dioniſij.

DCCXCIII.

DCCXCIIII. Hæreſis Feliciana damnata eſt in ſynodo Frankonfurt, & Vaſtrath Regina obijt.

DCCXCV. Adrianus Papa obijt in natiuitate Domini.

DCCXCVI.

DCCXCVII.

DCCXCVIII. Balthart abbas Herueldenſis obijt:

DCCXCIX. Leo Papa lingua truncata, excœcatus, & de Pontificatu eiectus, uidens & loquẽs in Franciã uenit ad Carolũ, in locũ qui dicitur Heriſtelle.

DCCC. Carolus à Romanis Auguſtus eſt appellatus.

DCCCI. Amarmurmulus Rex Persarũ, Elephantem unum cum alijs mũneribus Carlo misit.

DCCCII.

DCCCIII. Leo Papa iterũ uenit in Franciam, & Saxones transalbiani translati sunt in Franciam.

DCCCIIII.

DCCCV. Carolus Caroli filius Betheimos uastauit.

DCCCVI.

DCCCVII. Mortalitas maxima facta est in Fulda.

DCCCVIII.

DCCCIX.

DCCCX. Hohenburg castellum impositum est Albiæ fluminj, ab Imperatore Carolo contra Danos.

DCCCXI. Depositio Luitgeri Episcopi.

DCCCXII.

DCCCXIII. Richolfus Moguntiæ Archiepiscopus obijt, & pons apud Moguntiam incendio perijt.

DCCCXIIII. Carolus Magnus Imperator obijt, cui Lodovuicus successit, qui Episcopatum in Hildensheim constituxit.

DCCCXV. Baugolfus abbas Fuldensis obijt.

DCCCXVI.

DCCCXVII. Lodovuicus Imperator Aquisgrani habuit synodum, ibiq; ordinauit uitam monachorum.

DCCCXVIII. Lodovuicus Imperator in Britannia Nortmannũ Regem uicit.

DCCCXIX. Lodovuicus Iudith filiam Vvelf, in uxorem accepit, & in Fulda dedicata est ecclesia.

DCCCXX.

DCCCXXI.

DCCCXXII. Inchoatio monasterij nouæ Corbeiæ.

DCCCXXIII.

DCCCXXIIII. Lodovuicus contra Viuomarcum Regem pugnauit, & Britanniam uastauit.

DCCCXXV. Viuomarcus occisus est in domo propria, & Haistolfus Mogontiæ Archiepiscopus obijt, cui Otger successit.

DCCCXXVI. Hiltvuinus ossa sancti Sebastiani in Galliam transtulit.

DCCCXXVII.

DCCCXXVIII.

DCCCXXIX. Lodovuicus Imperator depositus est à filijs suis Luithario, Lodovuico & Carolo.

DCCCXXX.

DCCCXXXI. Bun & Raban abbates, fundamentum ecclesiæ sancti Vvigberti foderunt VI. Idus Iulij, secunda feria.

DCCCXXXII. Corpus S. Aurelij in Germaniam delatum est, & Hirsaugia fundata. Coniuratio Lodovuici contra patrem suum.

DCCCXXXIII. Regnum Francorum ad Lotharium est conuersum.

DCCCXXXIIII. Pippinus & Lodovuicus patrem suum restituerunt in regnum.

DCCCXXXV.

DCCCXXXVI.

DCCCXXXVII.

DCCCXXXVIII. Coniuratio Lodovuici iterũ ad Franconefurt, & conuersum est Regnum ad patrem eius.

DCCC,

DCCCXXXIX.

DCCCXL. Lodouuicus insequẽdo filiũ uenit ad Herolfesfelt monasteriũ in Idus April. Lodouuicus Imperator obijt, cui filius eius Lodouuicus successit.

DCCCXLI. Luitharius bellauit contra fratres suos Lodouuicum & Carolum, in quo prælio penè ad internetionem deleti sunt Franci, & Luitharius uictus est, ubi & Adalbertus comes occisus est.

DCCCXLII. Luitherus expulsus est à regno, & Raban Abbas de monast.

DCCCXLIII. Luitherus, Lodouuicus, & Carolus pacem fecerunt.

DCCCXLIIII. Luitharius rex, Regem Sclauorum Gestimulum occidit.

DCCCXLV. Lodouuicus uenit ad Herolfesfelt. II. Kal. Nouemb. & priuilegia monachis dedit, suoq; sigillo muniuit. Monachi quoq; eiusdem Herueldensis monasterij reconciliati sunt cum Otgario Archiepiscopo, de decimis frugum & porcorum ex terra Thuringorum per fideles Legatos Domini Lodouuici, Augustenses Episcopos uidelicet & præsides.

DCCCXLVI. Lodouuicus filius Lodouuici Pãoniã subegit, & Beheimos domũ rediens uastauit. Bun abbas Heruelden sis obijt, cui Brunuuart successit.

DCCCXLVII. Oggarius Moguntię Archiepiscopus obijt, cui abbas Fulden sis Rabanus successit. Abbatiam Vvaldo suscepit.

DCCCXLVIII. Ad Moguntiam habito synodali concilio, Godescale hæreticus damnatus est.

DCCCXLIX.

DCCCL. Dedicata est ecclesia sancti Vvigberti. v. Kal. Nouembris, à Rabano Moguntiacensi Archiepiscopo.

DCCCLI.

DCCCLII. Translatio S. Lulli in cœna Domini.

DCCCLIII.

DCCCLIIII.

DCCCLV. Lodouuicus rex cum magno exercitu perrexit contra Ratzidum regem Maruhensium. Luitharius etiam rex tonsuram & monachicum habitum suscepit moriturus in Promia.

DCCCLVI. Rabanus Archiepiscopus obijt, cui Carolus successit.

DCCCLVII. Carolus Archiepiscopus Moguntiæ magnã synodũ habuit.

DCCCLVIII. Lodouuicus rex Lodouuicum filium suum misit cum exercitu magno ad Abitritos.

DCCCLIX. Lodouuicus & Carolus, atq; Lutharius filius Lutharij fratris eorum cum iuramento pacem fecerunt.

DCCCLX.

DCCCLXI. Vdo, Ernost, Berngerus comites, & Vvaldo abbas Fuldensis honoribus depositi sunt. Thiodo abbas successit.

DCCCLXII.

DCCCLXIII. Carolus Archiepiscopus obijt, cui Luitbernus successit.

DCCCLXIIII. Lodouuicus rex Ratzidum regem Marahẽsium sibi subegit.

DCCCLXV.

DCCCLXVI.

DCCCLXVII.

DCCCLXVIII.

DCCCLXIX. Luitherus rex à Beneuento reuersus, Romam uenit, ibiq; ab Adriano damnatus est. Qui domũ rediens penè cum suis omnibus perijt. Eodẽ ãño Thiodo abbas Fuldẽsis depositus, & Sigehardus electus est uir religiosus.

DCCCLXX.

DCCCLXXI.

DCCCLXXII.
DCCCLXXIII.
DCCCLXXIIII.
DCCCLXXV. Lodouuicus obijt, cui filius eius Lodouuicus succeſſit.
Brunuuart Heruelden ſis Abbas obijt, cui Drugo ſucceſsit.
DCCCLXXVI. Pugna iuxta Andarnaha facta eſt, inter Carolum & Lodouuicum, Lodouuici regis filium.
DCCCLXXVII.
DCCCLXXVIII.
DCCCLXXIX. Lodouuicus rex filius Lodouuici regis obijt. cui frater eius Carolus ſucceſsit.
DCCCLXXX.
DCCCLXXXI.
DCCCLXXXII.
DCCCLXXXIII.
DCCCLXXXIIII.
DCCCLXXXV.
DCCCLXXXVI.
DCCCLXXXVII. Carolus de regno eſt eiectus, & Arnoldus electus.
DCCCLXXXVIII. Carolus obijt.
DCCCLXXXIX.
DCCCXC. Luitbertus Archiepiſcopus obijt, cui Sunderolt ſucceſsit.
DCCCXCI. Sunderolt Moguntiæ Archiepiſcopus occiſus eſt, cui Hatto ſucceſsit.
DCCCXCII. Arn Epiſcopus occiſus eſt. Et Drugo abbas Heruelden ſis obijt, cui Harderat ſucceſsit.
DCCCXCIII. Prælium magnum factum eſt inter Baioarios & Vngarios.
DCCCXCIIII.
DCCCXCV.
DCCCXCVI. Arnoldus Romæ Imperator factus eſt.
DCCCXCVII.
DCCCXCVIII.
DCCCXCIX. Arnoldus Imperator obijt, cui Lodouuicus filius eius ſucceſsit.
DCCCC.
DCCCCI. Harderat abbas Heruelden ſis obijt, cui Diethart ſucceſsit.
DCCCXCII. Sclaui uaſtauerunt Saxoniam.
DCCCCIII. Adelbrah, & Eberhart, & Henricus occiſi ſunt.
DCCCCIIII.
DCCCCV. Cunrat comes occiſus eſt ab Adelberto.
DCCCCVI. Vngarij uaſtauerunt Saxoniam.
DCCCCVII. Adelbertus comes occiſus eſt, iubente Lodouuico rege.
DCCCCVIII. Luitboldus Dux occiſus eſt ab Vngarijs.
DCCCCIX. Burchardus Dux Turingorum occiſus eſt ab Vngarijs.
DCCCCX. Lodouuicus rex pugnauit cum Vngarijs & uictus eſt.
DCCCCXI. Vngarij uaſtauerunt Franciam.
DCCCCXII. Lodouuicus rex obijt, cui Cunradus ſucceſsit. Hatto Archiepiſcopus Moguntiæ obijt, cui Hereger ſucceſsit.
DCCCCXIII.
DCCCCXIIII. Otto Saxonicus comes obijt.
DCCCCXV. Vngarij uaſtando uenerunt uſq; in Fuldam.
DCCCCXVI.
DCCCCXVII.

Cunradus

DCCCCXVIII. Cunradus Rex fuit in Herolfesfeld.
DCCCCXIX. Cunradus Rex obijt, cui Henricus Saxo succesit.
DCCCCXX.
DCCCCXXI.
DCCCXXII.
DCCCCXXIII.
DCCCCXXIIII. Herger Archiepiscopus Moguntiæ obijt, cui Hildibertus succesit.
DCCCCXXV.
DCCCCXXVI.
DCCCCXXVII. Diethardus iunior abbas Herueldiæ factus est cum senioris Diothardi consensu.
DCCCCXXVIII. Diothardus abbas iunior Episcopus ordinatus, & Burchardus abbas electus est.
DCCCCXXIX.
DCCCXXX. Diothardus senior obijt.
DCCCCXXXI. Henricus Rex Abotritos subegit.
DCCCCXXXII. Diedo Episcopus obijt, cui Burchardus abbas Herueldiæ succesit.
DCCCCXXXIII. Megingoz abbas Herueldiæ electus est.
DCCCCXXXIIII. Henricus Rex Vvucronin cum exercitu fuit.
DCCCCXXXV. Magna synodus fuit in Erphesfurt. Eodem anno Henricus Rex obijt, cui filius eius Otto succesit.
DCCCCXXXVI. Otto Rex fuit in Herolfesfelde. Eodem anno ecclesia sancti Bonifacij exusta est.
DCCCCXXXVII. Eberhardus comes Henricum filium Henrici Regis captum proiecit in uincula.
DCCCCXXXVIII. Eberhardus & Gisilbertus occisi sunt. Hildibertus Archiepiscopus Moguntiæ obijt, cui Fridericus succesit.
DCCCCXXXIX.
DCCCCXL.
DCCCCXLI.
DCCCCXLII. Dedicata est ecclesia sancti Maximini in Treuiris.
DCCCCXLIII. Synodus ad Bunnam congregata est.
DCCCCXLIIII.
DCCCCXLV. Nuntij Græcorum ad Regem Ottonẽ uenerunt cum magnis muneribus in uigilia omnium sanctorum.
DCCCCXLVI.
DCCCCXLVII. Etheit Regina obijt, cui Adelheit succesit.
DCCCCXLVIII. Synodus ad Ingelemheim congregata est, cui Marinus Legatus Apostolicus præsedit.
DCCCCXLIX. Iterum nuncij Græcorum ad Regem Ottonem cum pretiosissimis muneribus uenerunt in memoria omnium sanctorum, & Otto rex dedit filiam suam Cunrado Duci.
DCCCCL. Factum est magnum prælium inter Baioarios & Vngarios.
DCCCCLI. Otto rex perrexit in Italiam, & acquisiuit Adelheidam reginam, & Berngerum regem subdidit sibi.
DCCCCLII.
DCCCCLIII. Nimis crudelis dissentio exorta est inter Luitdolfum regis filium, & Henricum patruum suum. Eodem anno obsessa est Moguntia, & Rossadal castellum, factaq; est in illo loco magna pugna.

Fridericus

DCCCCLIIII. Fridericus Archiepiſcopus Moguntiæ obijt, cui Vvilhelmus filius Regis ſucceſsit.

DCCCCLV. Otto Rex Vngarios cum magno periculo ſui, ſuorumq; magna cæde proſtrauit in *Lechfelt*, in natali ſancti Laurentij. In quo etiam bello Dux Cunradus cum alijs multis eſt occiſus. Henricus quoq; Dux Baioariorū obijt.

DCCCCLVI. Rudbertus Treuirenſis Archiepiſcopus obijt, cui Henricus ſucceſsit, & Hadamarus Fuldenſis abbas obijt, cui Hatto ſucceſsit. Eodem anno Luitdolfus in Italiam perrexit, eamq; ſibi ſubegit. Et Megingoz abbas Heruueldiæ obijt, cui Hagano ſucceſsit.

DCCCCLVII. Luitdolfus in Italia eſt mortuus, & inde ad Moguntiam portatus eſt, & ad ſanctum Albanum ſepultus.

DCCCCLVIII. Signum crucis in ueſtimentis apparuit.

DCCCCLIX. Hagano abbas Heruueldēſis poteſtatem ſuam reliquit, ob infirmitatem corporis ſui, eoq; uiuente Guntherus electus eſt in locum eius.

DCCCCLX. Venerunt Legati Ruſciæ gentis ad Regem Ottonem, deprecantes, ut aliquem ſuorum Epiſcoporum tranſmitteret, qui oſtenderet eis uiam ueritatis. Qui conſenſit deprecationi eorum, mittens Adalbertum Epiſcopum fide catholicum, qui etiam uix euaſit manus eorum.

DCCCCLXI. Venerūt Legati Domini Apoſtolici ad Regem Ottonem inuocantes eum Romam, in adiutorium Ioannis Papę. Filius eius Otto ſecundus in Regem ungitur Aquiſgrani.

DCCCCLXII. Otto Rex perrexit Romam, eumq; Ioannes Papa gratāter ſuſcipiens, honorificè ſuper cathedram Auguſtalem poſuit, & benedictione atq; conſecratione ſua Imperatorem fecit. Guntherus Heruueldenſis abbas obijt, cui Egilolf ſucceſsit.

DCCCCLXIII. Magna ſynodus facta eſt Romæ, cui Otto Imperator præſidebat cum multitudine magna Epiſcoporum, Abbatum, Sacerdotum, clericorū, ac monachorum. Ibiq; detectus eſt Benedictus à ſede Apoſtolica.

DCCCCLXIIII. Berngerus Rex obſeſſus eſt in monte ſancti Leonis, ibiq; captus atq; in Babenberg ductus eſt cum Vvilla uxore ſua.

DCCCCLXV. Otto Imperator de Italia uenit. Brun Archiepiſcopus obijt, cui Folcmarus ſucceſsit.

DCCCCLXVI. Otto Imperator tertia uice Romam uenit.

DCCCCLXVII. Otto Imperator miſit Legatos ſuos ad Vvilhelmum Archiepiſcopū & alios Principes, ut Ottonem filium ſuum cum omni dignitate regali ad Italiam mitterent. Quem ipſe ſuſcipiens Romam perduxit, ut Papa Ioannes poſterior Imperatorem faceret, quod & libenter fecit.

DCCCCLXVIII. Vvilhelmus Archiepiſcopus obijt cui abbas Fuldenſis Hatto ſucceſsit. Abbatiam uerò ſuſcepit Vvernher. (ſit.

DCCCCLXIX. Hatto Moguntię Archiepiſcopus obijt, cui Rutbertus ſucceſ

DCCCCLXX. Egilolfus Heruueldenſis abbas obijt, cui Gozbertus ſucceſsit.

DCCCCLXXI. Exuſtum eſt famoſum templum in Dornburg.

DCCCCLXXII. Ottoni iuniori Imperatori miſſa eſt Theophana ab Imperatore de Græcia. Eodem anno Otto ſenior Imperator, cum iuniori Ottone de Italia perrexit in Franciam.

DCCCCLXXIII. Otto Imperator ſenior cum iuniore uenit Quidilinburg, ibiq; celebrauit ſanctum Paſcha. x. Kal. April. Illucq; uenerunt Legati plurimarum gentium, id eſt, Romanorum, Græcorum, Beneuentorum, Italorum, Vngariorum, Danorum, Sclauorum, Bulgariorum, atq; Ruſcorum cum magnis muneribus. Eodem anno Otto Imperator ſenior obijt in Mimelieba Non. Maij, cui filius ſecundus Otto ſucceſsit.

DCCCC.

DCCCCLXIIII. Henricus Dux Baioariorum & Abraham Episcopus cum Boliſclaione & Miſichone inierunt contra Imperatorem prauum conſilium. At Imperator tali nefario comperto conſilio, congregauit omnes Principes ſuos, & quid in de faceret, cõſilium petijt. Qui dederunt ei conſilium ut mitteret ad Ducem Henricum & Bopponem Epiſcopum, & Gebehardum comitem, eosq; ad placitum inuitaret per edictum. Qui ſine dilatione Deo donante dedit ſe in poteſtatem Imperatoris. Eodemq; anno perrexit Imperator contra Haroldum in Scleoſuuig.

DCCCCLXXV. Otto Imperator habuit magnum conuentum in Vvehmare: Eodem anno Imperator Beheimos uaſtauit & concremauit.

DCCCCLXXVI. Otto Imperator perrexit ad Baioariam, atq; Henricum Ducem expulit, Ottoniq; Duci Baioariorum commendauit.

DCCCCLXXVII. Imperator cum magno exercitu perrexit ad Beheimos, & maximam partem terræ illius incendio concremauit. Ipſe quoq; Henricus cum altero Henrico inuaſerãt Bazouuã. Quod Imperator ut audiuit, feſtinatò exercitum illò mouit, urbemq; obſedit, & Henricum Ducem ad ſuam gratiam recepit, atq; in Franciam perrexit.

DCCCCLXXVIII. Ad imperatorem Ottonem uenit in Paſcha Polislauuo. Qui honorificè ſuſceptus, magnisq; muneribus ab Imperatore, oneratus redijt domum. Aderat & Henricus cum altero Henrico, qui comprehenſi in exilium miſſi ſunt. Eodem anno Luitherus rex cum electo numero militum repentè inuaſit Aquiſgrani palatium, ſeditq; ibi tribus diebus. At Otto Imperator feſtinatò cum exercitu inſecutus eſt Luitharium uſq; in Sigonem fluuium, & uſq; ad ſancti Dioniſij cœnobium eumq; non adprehendit, quia fugiendo euaſit.

DCCCCLXXIX. Gero comes à Vvaldone quodam accuſatus, dum eum in ſingulari certamine occidiſſet, ipſe tamen ab Imperatore decollatus eſt.

DCCCCLXXX. Otto Imperator perrexit in Italiam, & Gozberdus Abbas eccleſiam conſtruxit in Ordorf.

DCCCCLXXXI. Adelbertus Magadaburgenſis Archiepiſcopus obijt, cui Hiſillarius ſucceſsit. Imperator natalem Domini Romæ celebrauit.

DCCCCLXXXII. Deſtructus eſt Epiſcopatus in Merſiburg, miræq; magnitudinis ædificium cecidit in Magadaburg. Eodem anno Otto Imperator ualde periculoſum habuit prælium cum Sarracenis in Calabria. In quo prælio occiſus eſt Henricus Auguſtenſis eccleſiæ Epiſcopus, cum alijs plurimis Epiſcopis. In quo etiam prælio Idus Ialij occiſi ſunt milites fortiſsimi. Hi ſcilicet Vdo, Gebehardus, Guntherus, Bertholdus cum alijs multis, & Otto Dux atque Vvernherus abbas Fuldenſis. Ipſe imperator uita comite uix euaſit.

DCCCCLXXXIII. Otto ſecundus Imperator Romam poſt malè geſtas res regreſſus obijt, ibidemq; ſepultus eſt. Henricus Dux Baioariæ regnum inuaſit, ſed à Principibus eſt reprobatus.

DCCCCLXXXIIII. Filius Imperatoris tertius Otto patri ſucceſsit in regnum, unctus in Regem Aquiſgrani à Ioanne Rauennati Epiſcopo.

DCCCCLXXXV. Gozberdus abbatiam reddidit, cui Bernharius ſucceſsit.

DCCCCLXXXVI. Otto rex puer Boëmiam uaſtauit, ſed Miſiconem cum muneribus obuiam ſuſcepit.

DCCCCLXXXVII. Iterum rex Boëmiam intrauit, & eam ad deditionẽ coëgit.

DCCCCLXVIII. Aeſtatis feruor nimius. Rupertus Moguntiæ Archiepiſcopus obijt, cui Vvilligis ſucceſsit.

DCCCCLXXXIX. Theophana imperatrix Romam perrexit omnemq; illam regionem Regi ſubdidit.

DCCCCXC.

DCCCCXCI. Theophana imperatrix obijt. Ignis de Rheno ascendit, & uillas proximas absumpsit. Godehardus monachus factus est.

DCCCCXCII. Otto rex Brandenburg obsedit. Gerdach Hildesheim Episcopus obijt, cui Bernuuart successit.

DCCCCXCIII.

DCCCCXCIIII. Vvolfgangus Ratisponensis Episcopus obijt, cui Gebehardus successit. Filij Henrici comitis. Henricus, Vto, Sigifridus contra piratas pugnant, quorum primus occisus, duo sunt capti.

DCCCCXCV. Maiolus Abbas obijt.

DCCCCXCVI. Otto rex contra Crescentium Romam uenit, ubi & Brunonem in sede Apostolica constituit, à quo & ipse Imperator factus est. Gotehardus Abbas factus est in Altaha.

DCCCCXCVII. Ioannes Placentinus Episcopus sedem Apostolicam inuasit consilio Crescentij. Adalbertus Episcopus martyrizatur.

DCCCCXCVIII. Crescentius ab Imperatore decollatus, cum duodecim suis ante urbem suspenditur. Ioannes pseudopapa cœcatur.

DCCCCXCIX. Brun Papa, qui & Gregorius obijt, cui Gebertus qui & Siluester successit. Adelheit Imperatrix obijt.

M. Imperator ossa Caroli Magni Aquisgrani à pluribus eo usque ignorata inuenit. Gaudentius frater Adaberti martyris in Prago Archiepiscopus constituitur.

MI. Imperator natalem Domini Romæ celebrauit.

MII. Otto III. Imperator obijt, cui Henricus Baioarius successit. Eggihardus Marchio regni usurpator Polodi occisus est.

MIII. Plerique Principes à Rege deficiunt, sed post modicum correcti in gratiam recipiuntur.

MIIII. Miserandum Papiæ incendium. Brun frater Regis, qui electioni eius aliquandiu restiterat in gratiam eius rediit.

MV. Bernharius abbas Heruelděsis obijt, cui Godehardus successit.

MVI. Guntherus nobilis uir de Turingia monachus factus est Heruueldiæ, sed postea ad Altaha transiuit cōsilio Godehardi abbatis. Fames ualida.

MVII.

MVIII. Nothger Leodiensis Episcopus obijt, cui Baldaricus successit. Guntherus monachus heremum petiuit.

MIX. Ecclesia maior Moguntiæ quam Vvilligisus cōstruxerat, incensa est ipso die consecrationis suæ.

MX. Ansfridus Traiectēsis Episcopus obijt, cui Adelboldus successit.

MXI. Vvilligisus Moguntiæ Archiepiscopus obijt, cui Erchenbaldus successit. Abbatiam Brantho suscepit.

MXII. Ecclesia maior in Babenberg ab Eberhardo primo eiusdem sedis Episcopo consecrata est. Gotehardus abbatiam Heruueldensem reliquit, cui Arnoldus successit.

MXIII.

MXIIII. Henricus rex cum Cunigunda Regina imperiale nomen suscepit.

MXV. Imperator ad Polonos cum exercitu abijt.

MXVI. Grando magna fuit, & multi fulmine exusti sunt.

MXVII. Megingoz Treuirorum Episcopus obijt, cui Boppo successit. Imperator contra Polonos iterum exercitum duxit.

MXVIII.

MXIX. Imperator Papam Babenberg suscepit hospitio. Heribertus

MXX. Heribertus Colonienſis Archiepiſcopus obijt, cui Pilegrinus ſucceſsit. Erchenbaldus Moguntiæ Archiepiſcopus obijt, cui Aribo ſucceſsit.

MXXI. Ingens terræ motus factus eſt in Baioaria.

MXXII. Gotehardus Epiſcopus factus eſt Hildensheim.

MXXIII. Gero Magadaburgenſis Epiſcopus obijt, cui Hunfridus ſucceſsit. Brantho abbas Fuldenſis Epiſcopus factus eſt Halberſtatenſis. Richardus Fuldenſis abbas ſucceſsit.

MXXIIII. Henricus ſecundus rex, primus imperator obijt, cui ſucceſsit Cunradus.

MXXV.

MXXVI.

MXXVII. Cunradus rex Imperator factus eſt in Paſcha. Gebehardus frater Imperatoris coactus eſt ex laico clericus fieri.

MXXVIII. Henricus Imperatoris filius Rex factus eſt Aquiſgrani per Pilegrinum Colonienſem Archiepiſcopum.

MXXIX. Bruno Auguſtēſis epiſcopus obijt, cui Eppo ſucceſsit. Vvernher Argentinæ Epiſcopus obijt, cui Vvilhelmus ſucceſsit.

MXXX. Cunradus Imperator Vngariam cum exercitu intrauit.

MXXXI. Arnoldus abbatiam Heruueldenſem perdidit, cui Bardo ſucceſsit. Sed is poſt dimidiū annum Aribone Moguntino Archiepiſcopo defuncto ſucceſsit. Rudolfus uerò abbas Heruueldenſis ſuſcepit.

MXXXII. Arnoldus amiſſa abbatia Heruueldenſi obijt in Gellingin.

MXXXIII. Cunigund Imperatrix obijt. Imperator exercitū duxit in Burgundiam contra Vdonem. (burg.

MXXXIIII. Albuvuinus præpoſitus Heruueldenſis abbas factus in Nuin-

MXXXV. Rudolfus abbas Heruueldenſis, ordinatur Epiſcopus Podelbrunnon. cui Meginherus uir uenerabilis ſucceſsit.

MXXXVI. Pilegrinus Colonienſis Archiepiſcopus obijt, cui Herimannus ſucceſſit.

MXXXVII. Incenſum eſt monaſterium Heruueldenſe. Gozelo dux Vdonem comitem occidit, & cum eo ad ſex homines.

MXXXVIII. Godehardus Hildenesheimenſis Epiſcopus obijt, cui Diotmarus ſucceſſit.

MXXXIX. Cunradus Imperator obijt Traiecti in Pentecoſten, cui Henricus filius eius ſucceſſit. Richardus abbas Fuldenſis obijt, cui Sigeuuart ſucceſſit. Regenbolt Spirenſis Epiſcopus obijt, cui Sybicho ſucceſsit.

MXL. Henricus rex in Boëmiam duxit exercitum, ibiq; Vverinherus comes, & Reginhard ſignifer Fuldenſis, cum alijs multis occiſi ſunt. Petrus Vngarorum rex à ſuis expulſus, ad Regem Henricum cōfugit, petens auxiliū. Eberhard Epiſcopus Babenbergenſis obijt, cui Suitgerus ſucceſsit. Dedicata eſt crypta Heruueldenſis, atq; in eam translatæ ſunt reliquiæ ſanctorum confeſſorum Vvigberti & Lulli.

MXLI. Henricus rex ſecundo Boemiam ingreſſus, Ducem eius in deditionem accepti Prenzlao nomine, terramq; eius tributariā fecit. Inde per Baioariam regreſſus, feſtum ſancti Michaelis Ratiſponæ celebrauit.

Vban qui Vngariorum regnum inuaſerat, eruptionem in fines Baioariorum & Carentinorum fecit, multamq; prædam abegit. Sed Baioarij coadunatis uiribus inſecuti prædam excuſſerunt, multisq; occiſis, reliquos in fugā coegerūt.

MXLII. Rex prima expeditione in Vngariam facta, prædictum Vban fugauit, uſq; ad fluuium Raban peruenit, tres Vrbes maximas cepit, acceptoq; à prouincialibus iureiurando in pace remeauit.

Hermannus Mimigardenuurdensis Episcopus obijt, cui Rudbertus succes-
sit. Heriberdus Einstatensis Episcopus obijt, cui frater eius Gezman succesit.
Cui post aliquod hebdomadas defuncto Geberhardus succesit.

MXLIII. Rex incarnationem Domini Goslariæ celebrauit. Illuc dux Boëmi-
cus aduenies, benignè susceptus à Rege, & honorificè aliquandiu habitus, tan-
dem in pace est dimissus. Ibi inter diuersarum prouinciarũ Legatos, Legati Ru-
scorum tristes redierunt, quia de filia Regis sui quam Regi Henrico nupturam
sperauerant, certum repudium reportabant.

Ibi quoq; Legati Regis Vngarorum pacem suppliciter orant, sed non impe-
trant, quoniam rex Petrus quem Vban per uim regno expulerat, præsens erat,
suppliciterq; Henrici Regis auxilium contra illius uiolentiam implorabat. Si-
geuuard Fuldensis abbas obijt, cui Rohingus succesit. Gisla imperatrix obijt,
& Spiræ sepulta est.

Rex secunda expeditione in Vngaros facta, prędictum Vban ad placitam fi-
bi pactionem coegit, acceptisq; ab eo de pace iuramentis & obsidibus, reuer-
sus nuptias celebrauit in Ingelheim, in coniunctione Agnetis filiæ Vvilhelmi
comitis Pictauorum.

MXLIIII. Rex natalem Domini celebrauit Treuiris, ibiq; omnes qui in Re-
giam maiestatem deliquerant, crimine absoluit, eandemq; legem per totum re-
gnum promulgauit, ut omnes sibi inuicem delicta condonarent.

Gozelo dux Lotharingorum obijt, cuius filius Gotefridus nobilissimę indo
lis iuuenis, atq; in re militari admodum exercitatus, quia ducatum patris nõ po
tuit obtinere, arma contra Rempublicam corripuit. Adelbertum ducem quem
Rex patri eius subrogauerat, prælio uictum occidit, cædes hominum & depopu
lationes agrorum quam maximas fecit, loca omnia usq; ad Rhenum, præter ea
quæ uel murorum præsidio hostilem impetum subterfugiebant, uel se data pe-
cunia redemerant, in cinerem redegit.

Rex tertia expeditione in Vngariam facta, prędictum Vban uicit & expulit,
Petroq; regnum restituit.

Hazecho Vvormaciæ Episcopus obijt. Cui Adelgerus succesit, cui itidem
paulo post humanis rebus exempto Arnoldus succesit. Diotmarus Hildeshei
mensis Episcopus obijt, cui Aezelinus succesit.

MXLV. Dux Gotefridus à Rege in deditionem acceptus, in Gibekenstein
missus est custodiendus, sicq; regnum breui tempore quietum & pacatũ man-
sit. Petrus Vngarorum rex Vban æmulum atq; insidiatorem regni sui captum
decollauit. Brun Vvirceburgensis Episcopus obijt, cui Adelbero succesit. Ca-
thelo Citicensis Episcopus obijt, cui Eppo succesit. Alebrandus Bremensis ar-
chiepiscopus obijt, cui Adelbertus succesit.

MXLVI. Rex natalem Domini Goslariæ celebrauit, ubi & socrus eius de Pi-
ctauis cum primoribus gentis suæ aderat. Petrus rex Vngarorum ab Andrea
propinquo suo dolo circumuentus cœcatur. Eggihardus Marchio subitanea
morte præfocatus interijt. Drutmarus abbas Corbeiensis obijt, cui Ruthar
dus succesit. Dux Gotefridus custodia absolutus, dum uideret nec intercessio
nem Principum nec deditionem quam sponte subierat sibi aliquid profuisse, &
rei indignitate, & inopiæ familiaris tædio permotus, bellum rursus de integro
sumpsit. Inter alias quas R. P. intulit clades Neumago domum regiam miri &
incomparabilis operis incendit. Ciuitatem Verdonẽsem cepit, maiorem in ea
ecclesiam concremauit. Sed post modicum facti in tantum pœnituit, ut publicè
se uerberari faceret, & capillos suos ne tonderentur multa pecunia redimeret,
sumptus ad reædificandam ecclesiam daret, & in opere cementario per seipsum
plerunq; uilis mancipij ministerio functus deseruiret.

Rex

MXLVII. Rex natalem Domini Romæ celebrauit, ubi tribus depositis, qui sedem Apostolicam contra ecclesiasticas regulas inuaserant, Suitgerum Babenbergensem Episcopum, Vicariũ Apostolorũ cõstituit. A quo in die sancto ipse uicissim cum Agnete Regina imperiali nomine & honore est donatus. Inde Beneuentum uicinasq; regiones peragrãs, sanctũ Pascha in redeundo Mantuæ celebrauit. Ascensionem in Augusta. Vbi Epponi Episcopo defuncto, Henricum subrogauit. Deinde exercitum naualem per Rhenũ duxit in Frisiam cõtra Gotefridum, eiusq; adiutorẽ Diodericũ, ibiq; duas urbes munitissimas cepit, Rinesburg & Fleerdingen. Suitgerus Papa, qui & Clemens obijt, & Babenberg sepultus est. Rohingus abbas Fuldensis obijt, qui eodem anno Romæ in natali Domini consecratus fuerat à Suitgero Papa. Guntherus Eremita obijt.

MXLVIII. Imperator natalem Domini Polethæ celebrauit. Ibi legati aderant Romanorum, Suitgeri Papę obitum nunciantes, eiq; successorem postulantes. Quibus imperator Bopponem Prisniensem Episcopum assignauit. Babenbergensem uerò Episcopatum Hezekin Cancellario cõtradidit. Festum sancti Michaelis Imperator iterum Polethę celebrauit. Ibi postero die Dietmarus comes, frater Ducis Bernhardi, cum à milite suo Arnoldo accusatus fuisset, de inito cõtra Imperatorem consilio, congressus cum eo, ut obiectum crimen manu propria purgaret, uictus & occisus est. Ecbertus Fuldensis abbas factus fuerat statim post natalem Domini.

MXLIX. Imperator natalem Domini Frisingæ celebrauit. Ibi iterum Legati Romanorum Bopponis Papæ morte nunciata rectorem Romanæ ecclesiæ postulabant. Quibus Imperator Brunonem Tolosæ Episcopum dedit.

ML. Leo Papa propter cõponendũ statũ ecclesiarũ, & pacẽ Gallijs reddendã Roma egressus, Moguntiæ synodum celebrauit, præsidente Imperatore cum XLII Episcopis. Vbi Sibeche Spirensis Episcopus de criminibus, quibus accusabatur sacra cõmunione se purgauit. Et dux Gotefridus interuẽtu Papæ & Principum gratiã Imperatoris obtinuit. Expleta synodo Imperator expeditionẽ mouit super Balduuinum. Papa uerò reditum eius Aquisgrani expectauit.

MLI. Imperator natalẽ Domini Vvormaciæ celebrauit. Vbi Leo Papa ei uale faciens, mediocriter cõpositis, & cautis ecclesiasticis, & regni negotijs, Romam reuersus est, abducens secum Gotefridũ ducem & fratrẽ eius Fridericũ, qui Gebehardo postmodum in sedem Apostolicam successit. Item alios quàm plures tam clericos quàm laicos in re militari probatissimos, quorũ uirtute Normannis, qui Apuliã occupauerãt, obuiã ire parabat. Cõsecrata est ecclesia in Goslaria ab Hermanno Colonensi Archiepiscopo. Imperator Pentecosten celebrauit Podelbrunnen. Vbi Bardo Archiepiscopus ad missam habito sermone, obitum suum instare prædicens, orationi fideliũ se cõmendauit. Qui eodem mense decessit, eiq; Luipoldus successit. Dietricus Constantiẽsis Episcopus obijt, cui Rumolt successit. Hunfridus Magadaburgensis Episcopus obijt cui Engelhardus successit. Natus est Imperatori filius Henricus IIII. Rex, III. Id. Nouembr. s.

MLII. Imperator natalem Domini Polethæ celebrauit. Vbi filio suo Henrico adhuc caticumino Principes regni sub iuramento fidem promittere fecit. Pascha celebrauit Coloniæ, ibiq; prædictus puer ab Hermanno eiusdem ciuitatis Archiepiscopo baptizatus est. Rudolfus Podelbrunnensis Episcopus obijt, cui Immed successit.

MLIII. Imperator natalem Domini Goslariæ celebrauit. Vbi & Immed consecratus est à Luitpoldo Archiepiscopo. Leo Papa profectus contra Normannos, contulit cum eis prope Beneuentum signa, & fugientibus statim in prima congressione Longobardis, Teuthonici omnes penè ad unum interfecti sunt. Ipse quoq; obsessus est in Beneuento, & uix tandem post multas tribulationes

obsidione liberatus, cunctos dies quibus superuixit, tantæ calamitati in luctu & mœrore egit. Eo tempore Fridericus frater Gotefridi Romanæ ecclesiæ Archidiaconus Constantinopoli Apostolicę sedis functus legatione abierat. Vbi indicta synodo cum Imperatorẽ Constantinopolitanũ & Patriarchã euocasset, & illi primatus sui maiestatẽ uindicantes, dicto obtemperare dedignarentur, regressus urbem sandalia sua, more Apostolorũ publicè super eos excussit. Quo facto tantum terrorem omnibus Constantinopolitanis incussit, ut Imperator & Patriarcha cum clero & populo sequenti die sacco & cinere obuoluti ad eum procederent, & Apostolicam auctoritatem in eo proni in terram adorarent. Ibi quoq; per Gotefridum Ducem hæretici deprehensi sunt, & suspensi.

Marchio Italorum Bonifacius obijt, cuius uiduam Beatricem dux Gotefridus accipiens, Marcham & cæteras eius possessiones cõiugij prætextu sibi uendicauit. Quo comperto Imperator Henricus graui scrupulo perurgeri cœpit, reputãs ne fortè per eum animi Italorum semper auidi nouarum rerum, ut à regno Teuthonicorum deficerent, sollicitarentur.

MLIIII. Leo nonus Papa XIII. Kal. Maij, beato fine quieuit in Domino, Romæq; sepultus est. Imperator interpellatus à Romanis, ut antistitem sedi Apostolicæ prouideret, Gebehardum Einstadensem Episcopum misit, datisq; clanculò literis ad omnes qui in Italia opibus aut uirtute militari plurimum poterãt, deprecabatur eos, ut Ducem Godefridum, ne quid fortè mali contra Rempublicam machinaretur, obseruarent, promittebatq; seipsum uita comite proximo anno affuturum, & quid facto opus esset uisurum.

Huic subdiaconus toxicum in calicem misit. Quem cum ipse post cõsecrationem leuare uellet, nec posset, à Domino causam facti inquisiturus, cum populo ad orationẽ prosternitur, statimq; toxicator à dæmone arripitur. Ita igitur causa manifestata, Dominus Papa calicẽ cum sanguine Dominico cuidã altari iussit includi, & pro reliquijs in perpetuũ cõseruari. Deinde iterum cum populo tam diu ad orationẽ prosternitur, quousq; subdiaconus à dæmonio liberaretur.

Fridericus Archidiaconus Constãtinopoli regressus, ubi comperit Leonem Papam humanis rebus excessisse, & alium iam ecclesiastici regiminis iura suscepisse, dona quidem quæ ab Imperatore Constantinopolitano per magnifica deferebat, ecclesiæ Romanæ consignauit, & statim urbe excedens, in monasteriũ Casinum se contulit, ibi deinceps Christo sub sanctæ professionis titulo militaturus. Quod factum malè plerique interpretabantur. Sed nemo qui sanum sapiebat, aliter hoc eum quàm ardore fidei, & tædio secularium negotiorũ fecisse credebat, præsertim cum eodem tempore & longi itineris labore exhaustus, & graui corporis molestia pulsatus, diu se posse uiuere desperaret.

Azelinus Hildenesheimensis Episcopus obijt, cui Hecelo successit. Siuico Spirensis Episcopus obijt, cui Arnoldus successit. Hezeken Babenbergensis Episcopus obijt, cui Adelberus successit.

Imperatoris filius Henricus consecratus est in Regẽ Aquisgrani ab Herman no Colonien si Archiepiscopo, uix & ægrè super hoc impetrato consensu Luipoldi Archiepiscopi, ad quẽ propter primatũ Moguntinæ sedis cõsecratio Regis, & cætera negotiorũ regni dispositio potissimum pertinebat. Sed imperator potius Herimanno Archiepiscopo hoc priuilegiũ uendicabat, propter claritatẽ generis eius, & quia intra diocœsim ipsius cõsecratio hæc celebrãda cõtigisset.

MLV. Henricus imperator natalem Domini Goslariæ celebrauit, statimq; exactis feriis solennibus in Italiã perrexit, uocatus eò legatione Romanorum qui nunciauerant nimium in Italia contra Rempublicã crescere opes & potentiam Gotefridi ducis, & nisi turbatis rebus maturè consuleretur, ipsum quoq; regnũ propediem ab eo dissimulato pudore occupãdum fore. Sed ubi Italiã ingressus est,

est, Dux Gotefridus missis in occursum eius nuncijs, mandauit nihil se minus quàm rebellionem cogitare, paratum potius pro statu reipublicæ, & Imperatoris salute, extrema etiam omnia experiri, gratum se habere, quòd patrijs finibus extorris, patrijs possessionibus eiectus, opibus saltem uxoris suæ in peregrinatione sustentaretur, quam nec dolo, nec rapto, sed ipsius placito, & celebratis solenniter nuptijs in matrimoniũ sibi iunxisset. Beatrix quoq; dissimulato metu imperatori obuiam processit, & uix impetrata dicendi copia, ait, nihil se egisse præterquàm quod iure gentium sibi agere licuisset. Destitutam se priori marito, desolatæ domui patronum parauisse, & ingenuã ingenuo sine fuco nefariæ cuiusquam machinationis nupsisse. Nec æqui, nec boni memorem eum esse, si id sibi pace eius non liceret, quod in imperio Romano fœminis nobilibus semper licuisset. Imperator itaque accepto à primoribus consilio, Gotefridum crimine absoluit, non tam probans satisfactionem eius, quàm metuens ne malis recentibus exasperatus, Nortmannis infestantibus Italiam, Ducem belli se præberet, & fierent nouissima eius peiora prioribus. Beatricem tamen quasi per deditionem acceptam secum abduxit, hoc illi culpæ obijciens, quod cõtractis se inconsulto nuptijs hosti publico Italiam prodidisset. Deinde anno integro intra Italiam commoratus, cuncta quæ rei utilitas exposcere uidebatur, magnificè pro loco & tempore ordinauit.

MLVI. Guntherus tunc temporis Cancellarius uisionem uidit memoria dignam, Dominum in solio maiestatis suę residere, & eleuato in altum brachio districtum gladiũ magno nisu uibrare, & circumstantibus dicere. Reddam ultionem hostibus meis, & his qui oderũt me retribuã. Quam uisionẽ protinus mortalitas subsecuta est principum regni. Eaq; expleta uidit eodẽ rursus schemate Dominũ residere, & remisso iam in uaginã gladio, & super genua sua reclinato, dicere circumstantibus. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usq; ad inferni nouissima. Hermannus Colonien sis Episcopus obijt, cui anno Goslariensis præpositus successit. Imperator regressus de Italia, sanctũ Pascha Podelbrunnæ celebrauit, breuiq; commoratus in Goslaria, perrexit ad uillã Ciuois, in cõfinio sitã regni Francorũ ac Teuthonicorũ, colloquiũ ibi habiturus cum rege Francorũ. A' quo cõtumelioseè atq; hostiliter obiurgatus, quòd multa sæpe sibi mentitus fuisset, & quòd partẽ maximã regni Francorũ dolo à patribus eius occupatã reddere tamdiu distulisset. Cum Imperator paratũ se diceret, singulariter cum eo conserta manu obiecta refellere, ille proxima nocte fuga lapsus, in suos se fines recepit. Imperator natiuitatẽ sanctę Mariæ Goslariæ celebrauit, ibique Victorẽ Papã, qui & Gebehart, magnifico apparatu susceptit hospitio, collectis scilicet ad ornandã tantæ diei solennitatẽ cunctis penè regni opibus & Principibus. Inde profectus *Botfelden*, cum ibi aliquandiu uenationi deditus moraretur, cõperit Vvillihelmũ Marchionẽ & Diodericũ comitẽ cum infinita multitudine Saxonici exercitus, quos cõtra Luticios miserat, malè gestis rebus obcubuisse. Nec multo pòst ipse corporis molestia correptus, cum VII. aut eo amplius diebus lecto decubasset, diem clausit extremũ. Præsentes erãt, quasi ad officium tanti funeris ex industria euocati, Romanus Pontifex, Aquilegiensis Patriarcha, Patruus Imperatoris Ratisponensis Episcopus, item aliæ innumerabiles tã Laici quàm Ecclesiastici ordinis dignitates. Notatumq; est nulla retrò maiorũ memoria sine publica indictione tot illustres personas in unũ confluxisse. Corpus eius Spiram translatum est, & celebratis regio more exequijs, die natalicio Apostolorum Symonis & Iudæ, quo scilicet die etiã natus fuerat, sepulturæ est traditum. Regnum pro patre obtinuit filius eius Henricus V annorum infantulus, anno postquam in Regem unctus fuerat tertio. Summa tamẽ rerum & omnium quibus facto opus erat administratio penes imperatricem remansit, quæ

tanta arte periclitantis reipublicæ ſtatum tutata eſt, ut nihil in ea tumultus, nihil ſimultatis tantæ rei nouitas generaret.

*Arnoldus Spirenſis Epiſcopus obijt, cui Cunradus ſucceſsit.

Cunradus filius imperatoris, Dux Baioariæ obijt. Ducatū eius imperator Imperatrici dedit, priuato iure quoad uellet poſsidendū. Dedi Palatinus comes à quodam clerico Bremenſi occiſus eſt, quem à fratre ſuo archiepiſcopo ſuſceperat pro criminibus quæ ei obijciebantur, exilio deportandum, ſepultuſq; eſt, iubente Imperatore, in Goslaria. Vvilhelmo Marchioni ſucceſsit Vdo comes, uir ualde induſtrius, & Regi conſanguinitate proximus.

MLVII. Rex natalē Domini Ratiſponæ celebrauit, pręſente adhuc Victore Papa, qui, exinde cōpoſitis mediocriter, prout tunc copia erat, regni negotijs, in Italiam regreſſus, v. Kal. Aug. migrauit ad Dominū. Einſtatenſem Epiſcopatū, quo ſe ille Papa factus nō abdicauerat, Gunzo ſuſcepit. Tū uerò uniuerſi quicquid Principū, quicquid plebis Romanæ erat, uno animo, pari uoluntate, in electionē cōſenſerunt Friderici fratris Gotefridi Ducis, extractumq; de monaſterio Caſino, ubi lucerna Dei ardens & lucens ſub lecto monaſticæ quietis delitescebat, ſuper candelabrum extulerūt ſedis Apoſtolicæ. Nec quiſquā ſanè multis retrò annis lætioribus ſuffragijs, maiori omniū expectatione, ad regimē proceſſerat Romanæ eccleſiæ. Sed tantā ſpem (heu) fruſtrata eſt mors immatura. Vto Marchio obijt, cui filius eius Vto iunior ſucceſsit. Principes Saxoniæ crebris cōuenticulis agitabāt de iniurijs, quibus ſub Imperatore affecti fuerāt, arbitrabanturq; pulchrè ſibi de his ſatisfactū fore, ſi filio eius, dum adhuc ætas oportuna iniuriæ eſſet, regnū eriperēt, nec procul ab fide aberat, filiū in mores, uitamq; patris pedibus, ut aiunt, iturū eſſe. Acceſsit ex inſperato magnū turbandis rebus adiumentū, Otto frater Guilielmi Marchionis, ſed matrimonio impari, matre ſcilicet Sclauica natus, uir acer ingenio, & manu impiger. Is apud gentem Boëmorum iam à puero exulauerat. Sed cōperta morte fratris, magna ſpe obtinendæ hæreditatis regreſſus in Saxoniā, à cunctis illic principibus benignè accipitur, magnisq; omniū adhortationibus inſtigatur, nō modò Marchā, quæ ſibi iure hæreditario cōpeteret, ſed ipſum quoq; regnū affectare. Vbi alacrē parabilitumq; negotio aduertūt, fidem omnes dicūt, ſuas quiſq; manus, ſuā operā pollicentur, regemq; ubicunq; fortuna oportunū feciſſet interficere cōſtituunt. Perculſis metu omnibus, quibus rerū publicarū ſollicitudo aliqua erat, & magnopere intentis ad ſedandā turbā quæ oriebatur, placuit Regem ocius in Saxoniā uenire, & periclitāti Reipublicæ quaqua poſſet ratione cōſulere. Itaq; natalem ſanctorū Apoſtolorū Petri & Pauli in Erfenburg celebraturus erat, eò quicquid principum erat in Saxonia, ad colloquiū euocari iuſsit. Quò dum pergerēt pro ſua ſinguli copia, magna militū manu ſtipati, cōtigit ut Brū & Ecberdus patrueles regis, caſu incidereēt in multitudinē prædicti Ottonis cōglobato agmine ad cohortē regiā proficiſcētis. Hi præter cauſſam publicā, priuatis quoq; inimicitijs infeſtiſsimi illi erāt. Nec mora, dato militibus ſigno ad pugnā, equis ſubdūt calcaria, & pari utraq; pars audacia, paribus odijs, in mutua uulnera ruunt. Ibi in prima fronte Brun & Otto, ambo pleni irarū, ambo ſui tegēdi immemores, dū hoſtem ferirēt, tam cōcitatos in ſeſe uiciſsim impetus dederunt, ut uterq; alterū primo incurſu equo excuſſum lætali uulnere transfoderet. Amiſsis ducibus aliquandiu utranq; aciē anceps pugna tenuit. Sed Ecberdus quanq; grauiter ſaucius, dolore tamē interempti fratris efferatus, rapido curſu in confertiſsimos hoſtes præcipitē ſe mittit. Bernardi comitis filiū egregiū adoleſcentē, ſed uix dum militiæ maturū interficit, cęteros languidius, quoniā ducē perdidiſſent, pugnantes in fugā cōuertit. Sic Reſpublica maximo metu liberata eſt, & Saxones adempto rebellionis ſignifero, nihil ulterius quod ſecus eſſet cōtra regē moliti ſunt.

Cuono

Cuono cognatus Regis dux factus eſt Carentinorũ. Frater eius Henricus Palatinus comes Luthariorum, inſtinctu dæmonis monaſticã uitam profeſſus eſt in Gorzia. Sed per paucos dies, uulgante ſe dæmonio, quo illuſus fuerat, ſanctæ cõuerſationis habitũ quo ſe angelus ſatanæ in angelum lucis transfigurauerat, abiecit, uxoremq; ſuam & poſſeſsiones deſertor Dei & transfuga recepit.

MLVIII. Rex natalẽ Domini *Merſinburg* celebrauit, aderatq; ibi inter alios regni principes, etiam Hildebrant abbas de ſancto Paulo, mandata deferens ab lede Apoſtolica, uir & eloquentia & ſacrarum literarũ eruditione ualde ammirandus. Ego. N. uulgatam toto orbe abbatis Meginheri placitam Deo cõuerſationem æmulatus, rei familiaris curam, ne in uia Dei prægrauarer, abieci, ſanctamq; ueſtem ab eius ſanctiſsimis manibus, Idibus Martijs, heu nimiũ impar tali armaturæ, ſuſcepi. Piæ memoriæ Stephanus Papa, qui & Fridericus, cum in ciuitate Florentia moraretur, III. Kal. Aprilis naturæ mortali debitum ſoluit, & uerè (ut ſperamus) de hac cõualle lachrymarum ad gaudium tranſijt angelorũ. Indicio ſunt ſigna & prodigia, quibus ſepulchrũ eius in eadem ciuitate uſq; hodie diuinitùs illuſtratur. Sedem Apoſtolicã protinus, inconſulto rege & principibus, inuaſit Benedictus quidã Lateranenſis, adiutus factione popularium quos pecunia corruperat. Otto de Suinfurde dux Sueuorũ obijt. Ducatũ eius Rudolfus obtinuit, & ut regi in dubijs tunc rebus ex affinitate deuinctior fideliorq; in Rempublicam foret, ſoror quoq; Regis ei deſponſata eſt, tenera adhuc ætate, traditaq; eſt Epiſcopo Conſtantienſi nutrienda, dum thoro coniugali maturesceret. Cuono dux Carentinorum, cõtractis ingentibus copijs, ad occupandum ducatum ſuum, quem tanto tempore, metu rebellionis nõ inuiſerat, primã profectionem parabat. Sed morte præuẽtus, cœptum iter nõ expleuit. Ego. N. presbyter ordinatus ſum à *Scafnaburg* in ieiunio autumnali à Lupoldo archiepiſcopo, ſtatimq; peregrinationem Hieroſolymitanam aggreſſus ſum, zelo Dei, ſed utinam ſecundũ ſcientiam. Ecberdus qui & Eppo abbas Fuld. x v. Kal. Decembris obijt. Cui Sigisfridus eiuſdem cœnobij monachus ſucceſsit.

MLIX. Natalem Domini in ciuitate Marouua celebrauit in confinio ſita Hungarorum & Bulgariorum. Romani principes ſatisfactionem ad Regem mittunt, ſe ſcilicet fidem, quam patri dixiſſent, filio quoad poſſent ſeruaturos, eoq; animo, uacanti Romanæ eccleſiæ, Pontificem uſq; ad id tempus nõ ſubrogaſſe, eius magis ſuper hoc expectare ſententiam, orantq; ſedulò, ut quem ipſe uelit tranſmittat, nihil eius ordinationi obſtare, ſi quis, nõ per legitimæ electionis oſtiũ, ſed aliunde aſcendiſſet in ouile ouiũ. Rex habita cum primoribus deliberatione, Gerardũ Florentinũ Epiſcopũ, in quem & Romanorũ & Teutonicorum ſtudia cõſenſerant, Pontificem deſignat, Romamq; per Gotefridũ Marchionem tranſmittit. Ita Benedicto qui iniuſſu Regis & principum ſacerdotium uſurpauerat reprobato, Gerardus qui & Nicolaus Pontificatum obtinuit. Is eodem añ ab abbate Meginhero interpellatus propter decimationes Saxoniæ, literas & mandata direxit Burchardo Halberſtadenſi Epiſcopo, ne ſtatutos patrum terminos tranſgrederetur, neu monaſteriũ Heruelden ſe ſuperfluis cõcertationibus inquietaret, ſi pergeret moleſtus eſſe, neceſſariò ſe Apoſtolicę auctoritatis uirga uſurum aduerſus eius inobedientiã, præſertim cum monaſterium illud ſub iuriſdictione eſſe Romani Pontificis tot prædeceſſorum eius priuilegia teſtarentur. Abbati quoq; epiſtolã ſcripſit uerbis cõſolatorijs quæ uſq; in præſentiarũ in cartario ſeruatur Heruelden ſis monaſterij. Ego exacta peregrinatione Hieroſolymitana, XV. Kal. Octob. ad monaſteriũ reuerſus ſum, & quod in omni illa profectione mea præcipuum à Deo poſtulauerã, Meginherum abbatem ſuperſtitem inueni. Timebã ſcilicet, quoniã ſine benedictione illius profectus fuiſſem, ſi offenſus in recõciliatusq; deceſsiſſet, magni criminis reum me

teneri apud Dominũ. Sed non abfuit propitia diuinitas redeũti, quæ tanto illo itinere ſæpe uſq; ad ultimã neceſsitatẽ periclitatũ miſericordiſsimè texerat. Ioco lumem repperi, peccatũ indulſit, & quaſi ex inferis rediuiuus emergerẽ, ſic obuiſs ut aiunt manibus me gratulabundus excepit. Mirũ aũt in modũ, diceres, uitam eius abſolutioni meæ ex induſtria ſeruatã fuiſſe, eodẽ die quo me crimine abſoluerat, febre correptus eſt, & ſic per octo dies graui ægritudine decoctus. VI. Kal. Octob. feliciter cõſummato curſu quieuit in Domino, uir magnarũ in Chriſto uirtutũ, & uerè quod omniũ modernorũ abbatũ pace dixerim, unicum ſua ætate in Teutonicis regionibus rectè ac monaſtice uiuendi exemplar. Is, ut prædictũ eſt, cum Burchardo Halberſtadenſi Epiſcopo diuturnã traxerat litem propter decimationes Saxoniæ, quas ille Heruelденſi monaſterio ereptas, per occaſionẽ epiſcopalis regiminis ſibi uendicabat. Cõtra cuius improbitatẽ cũm nec forenſes, nec Eccleſiaſticę leges quicq; ualerẽt, & abbas ſępe quęrimonia in ius relata ſurdis tribunalib. fabulã narraſſet, tandẽ breui antecq; uita excederet, mãdauit ei p Fridericũ Palatinũ comitẽ, ſe quidẽ tanq; uiribus imparẽ cauſſa cadere, Deo tamẽ uires ad tuendã æquitatẽ nõ defuturas eſſe, proinde paratũ ambo eſſẽt, ut intra paucos dies ad tribunal æquiſsimi iudicis Dei cauſſam dicerẽt, uicturũ ibi eſſe, nõ q plus poſſet, ſed cuius cauſa iuſtior eſſet. Nec fefellit euẽtus. Nam poſt dormitionẽ abbatis pauci dies interceſſerãt. Et ecce Epiſcopus cum prædictæ rei gratia ſynodũ indixiſſet, & admoto iam equo illuc properare uellet, repentè diuina animaduerſione ictus corruit, reportatusq; ad cubiculũ, aſciſcitis ocyus presbyteris ſuis per Deũ obteſtabatur, ut decimationes ſuas Heruelденſi monaſterio reſtitueret, atq; omnem in perpetuũ ſuper hac re litẽ præcideret, ſcirentq;, cunctis qui eadẽ tentaſſent, ſic infeliciter rem ceſſurã, ut ſibi ceſſiſſet, qui iniuſtæ exactionis tam acerbũ uindicem ipſum experiretur Dominũ. Cumq; Magadaburgenſis & Hildensheimenſis Epiſcopi uiſitatum eum adueniſſent, cum magno eiulatu fatebatur, ſe iuxta prædictũ eximij abbatis admonitionem Dei iamiam abripi, & pro inuaſis rebus alienis rationẽ exigi, rogabatq; obnixè, ut miſsis Heruelдiã nuncijs, ueniã ſibi pro admiſſo ſupplices precarentur. Nec multo pòſt diruptis miſerabili genere morbi uiſceribus expirauit. Vto quoq; archipresbyter eius, quo ille potiſsimũ incentore in hãc ſæuitiã inarſerat, quicq; exactor atq; adminiſter huius calumniæ uehementiſsimus extiterat, eodẽ anno ſubitanea morte, ſine cõfeſsione, ſine ſacra cõmunione interijt, à diabolo (ut famа uulgatior loquebatur) ſuffocatus. Meginhero abbati VI Idus Nouembris ſubſtitutus eſt Ruothardus Corbeienſis diſciplinæ monachus, qui in monaſterio Corbeienſi abbas quondã fuerat ordinatus. Sed quorundã criminũ poſtea falſò ut creditur inſimulatis, abbatia amiſſa, nonnullos per diuerſa monaſteria priuatus iam exegerat annos. Burchardo Epiſcopo ſucceſsit Bucco Goslarienſis Præpoſitus. Qui præceſſoris ſui recenti adhuc exitio conterritus, ab infeſtatione Heruelденſis monaſterij temperabat. Minabatur tamẽ plærumq; magna ſe facturum, ſed ultra uerba non proceſsit. Lupoldus archiepiſcopus Mogunti-nus VII. Idus Decembris obijt, relicto in monumentũ ſui monaſterio ſancti Iacobi, quod propriis impenſis extruxerat Moguntiæ, foris murũ, in monte qui dicitur Speciоſus. Cui ſucceſsit Sigifridus abbas Fuldenſis. Abbatiã uerò Vvideradus obtinuit eiuſdem cœnobij monachus, eiuſdẽ quoq; familiæ oriundus.

MLX. Rex natalem Domini Vvormaciæ celebrauit. Vbi & ſynodus indicta fuerat, ſed excuſantibus ſe Epiſcopis per infirmitatem & peſtilentiam, quę tunc temporis uehementer graſſabatur in Gallia, ad effectum non peruenit. Sitto Verdenſis Epiſcopus obijt, cui Rucberdus ſucceſsit. Gebehardus Ratiſponenſis Epiſcopus obijt, cui Otto ſucceſsit. Cunradus Spirenſis Epiſcopus moritur, in cuius locum Einhart promouetur.

MLXI.

MLXI Andreas rex Vngarorum, uidens Belem quendam propinquum ſuũ, regnum affectare, & Vngaros à ſe paulatim ad eum deficere, uxorem ſuam & filium Salomonem, cui Imperator filiam ſuam paruulo paruulam deſpõderat, cum multis opibus, ad regem Henricum tranſmiſit, petens ut & ſibi miſſo exercitu ſubueniret, & ſuos, donec rebus tranquillitas redderetur ſeruaret. Rex Vvilehelmum Marchionem Thuringorũ, & Epponẽ Citicenſem Epiſcopum cum duce Boẽmorum & exercitu Baioarico illuc miſit. Sed Marchio & Epiſcopus priores Vngariam ingreſsi, non expectato duce Boẽmorũ cum Bele ſigna contulerunt, atq; infinitam multitudinem Vngarorum peremerunt. Deinde cum ex omni parte Vngari ad ferendum ſuis auxilium frequentes confluxiſſent, uidentes miſsi regis tantæ multitudini ſe numero & uiribus impares eſſe, finibus hoſtium excedere uolebant. Verùm illi loca omnia, per quę exitus eſſe poterat, occluſerant, tum ne quid cibi aut potus in uia reperiretur prouiderant. Cumq; inſuper abeuntes crebra incurſione infeſtarent, & illi ſemper periculum uirtute propulſantes, magnas hoſtium ſtrages darẽt, tandem diuturna cæde exhauſtis uiribus Andreas equo fortè excuſſus, pugnantiũ pedibus eſt conculcatus. Epiſcopus captus. Marchio fame magis, quàm ferro expugnatus, ſe dedidit. Cuius uirtus tantæ admirationi apud Barbaros fuit, ut Ioas filius Belis pro illius cum gentis moribus haud deſperatæ indolis adoleſcẽs, ultrò patrẽ exoraret, nõ modo ut eum iure belli intactum ſineret, ſed etiam ut affinitate ſibi iungeret, deſponſata ei filia ſua ſorore Ioiade. Imperatrix ducatũ Baioariæ quẽ poſt mortem Cunradi filij ſui uſq; ad id tempus per ſeipſam adminiſtrauerat, Ottoni dedit, uidens eum uirum induſtrium & iuuandis regni negotijs ſatis oportunum.

Henricus Palatinus comes Lutharíorum uxorem ſuam manu propria interfecit, & ſic tandem publicata euidentius infeſtatione dæmonis, quàm diu diſſimulauerat, miſſus eſt in monaſterium Eſdernachen, ibiq; diuturna uexatione conſumptus interijt.

MLXII. Vvilhelmus Marchio reuerſus in Thuringiã, dum redire in Vngariã, & ſponſam ſuam cum magna opum ſuarũ oſtentatione adducere pararet, inter eundũ ſecunda manſione morbo correptus obijt. Sponſam eius Vdalricus Marchio Carentinorũ cognatus eius accepit, Marchã Otto frater eius obtinuit. Sed is beneficia Moguntini epiſcopatus aliter obtinere non potuit, niſi promitteret decimas ſe de ſuis in Thuringia poſſeſsionibus daturũ, & cæteros Thuringos ut idem facerẽt, coacturũ. Quæ res multorũ malorũ ſeminariũ fuit, deteſtãtibus omnibus Thuringis factũ eius, & aſſerẽtibus, mori ſe malle, quàm patrũ ſuorũ legitima amittere. Imperatrix nutriens adhuc filiũ ſuum, regni negotia per ſe ipſam curabat, utebaturq; plurimũ cõſilio Henrici Auguſtẽſis Epiſcopi. Vnde nec ſuſpitionẽ inceſti amoris effugere potuit, paſsim fama iactitante, quod non ſine turpi commercio in tantam coaluiſſent familiaritatem. Ea res principes graiter offendebat, uidentes ſcilicet, quòd propter unius priuatum amorem ſua, quæ potiſsimum in Repub. ualere debuerat, authoritas penè obliterata fuiſſet. Itaq; indignitatem rei non ferentes, crebra conuenticula facere, circa publicas functiones remiſsius agere, aduerſus imperatricem popularium animos ſollicitare, poſtremò omnibus modis niti, ut à matre puerum diſtraherent, & regni adminiſtrationem in ſe transferrẽt. Ad ultimum Colonienſis epiſcopus, communicatis cum Ecberto comite & cum Ottone duce Bauarorum conſilijs, nauigio per Rhenum ad locum, qui dicitur ſancti Suitberti inſula, uenit. Ibi cum rex erat. Qui dum quadam die poſt ſolennes epulas factus fuiſſet hilarior, hortari eum epiſcopus cœpit, ut nauim quandam ſuam, quam ad hoc ipſum miro opere inſtruxerat, ſpectatũ procederet. Facilè hoc perſuaſit puero ſimplici, & nihil minus quàm inſidias ſuſpicãti. Cunq; nauim ingreſſus fuiſſet, ſtipãtibus eũ his

quos

quos episcopus factionis suæ socios ac ministros parauerat, repentè remiges insurgũt, remis incumbũt, nauim dicto citius in mediũ fluminis impellunt. Rex noua rerũ facie cõfusus, incertusq; animi, nec aliud quàm tum & necem sibi parata arbitratus, in flumen se præcipitẽ dedit, citiusq; eum aqua uiolentior suffocasset, nisi Ecbertus comes dato post eum saltu, periclitantem, ipse quoq; nõ minimũ periclitatus, uix & ægrè morti eriperet, & naui restitueret. Exin blandi tijs quibus poterãt delinitũ Coloniã perducũt. Cætera multitudo per terrã subsequitur, criminantibus plurimis quòd Regia Maiestas uiolata, fuicq; impos facta foret. Episcopus ut inuidiã facti mitigaret, ne uidelicet priuatę glorię potius quàm cõmunis commodi ratione hæc admisisse uideretur, statuit, ut episcopus quilibet, in cuius diocœsi rex tunc temporis moraretur, nequid detrimenti Respublica pateretur, prouideret, & causis quæ ad regem delatæ fuissent potissimum responderet. Imperatrix nec filiũ sequi, nec iniurias suas iure gentiũ expostulare uoluit, sed in propria recedens, priuata deinceps ætatem agere proposuit. Nec multo post tædium passa ærumnarũ seculi, domesticis quoq; erudita calamitatibus, quàm citò & uelociter ex sufflante spiritu Dei exiccetur fenum temporalis gloriæ, cogitauit seculo renunciare, statimq; ad explendũ quod cogitauerat pręceps abisset, nisi in ea impetũ spiritus amici maturiorib. cõsilijs inhibuissent.

MLXIII. Rex natalem Domini Goslariæ celebrauit. Vbi ipsa die, dum ad uesperam sellæ episcoporum locarentur, inter Camerarios Hecelonis Hildenesheimmen. episcopi, & Camerarios Vvideradi Fulden. Abbatis, grauis concertatio oborta est, & primo iurgijs, dein pugnis res gesta est, citoq; ad gladios prorupissent, nisi Ottonis ducis Baioariorum, qui causam abbatis tuebatur, auctoritas intercessisset. Causa uerò talis erat. Consuetudo erat in regno permultos retrò maiores obseruata, ut semper in conuentu Episcoporum abbas Fuldensis Archiepiscopo Moguntino proximus assideret. Sed Episcopus causabatur neminem sibi intra diocœsim suam post archiepiscopum debere præferri, animatus ad hoc & opum gloria qua anteceßores suos longè supergrediebatur, & temporis oportunitate, quia Rege adhuc in puerilibus annis constituto, singuli quod sibi animus suggessisset, facere impunè poterant.

Gerardus Papa qui & Nicolaus obijt. In cuius locum per electionẽ Regis, & quorundã principũ Parmensis Episcopus substitutus est, & Romã per Bucconem Halberstadensem Episcopũ missus. Cui redeunti pro præmio bene curatæ legationis palliũ dedit, & alia quædã archiepiscopatus insignia. Quod archiepiscopus Moguntinus ad obfuscandũ sui prioratus fastigiũ factum interpretatus, indignissimè tulit. Sed per archiepiscopi Colonienßis interuentũ satisfactione accepta, quieuit indignatio eius. Rex Pentecosten Goslariq; celebrauit. Ibi dum ad uespertinalem synaxim rex & Episcopi conuenissent, rursus de positione sedium episcopalium tumultus exoritur, non fortuita ut prius conuersione, sed præmeditata diu machinatione. Nam Episcopus Hildenesheimensis acceptæ prius contumeliæ memor, Ecbertum comitem cum expeditis militibus retro abire occuluerat. Hi audito tumultuantiũ Camerariorũ strepitu ocyus aduolant, Fuldensiũ alios pugnis, alios fustibus cædunt, prosternunt, & de sacrario ecclesiæ inopinato periculo attonitos facilè proturbãt. Quibus ilicò ad arma concla mantibus, Fuldenses quibus arma in promptu erant facto grege ecclesiã irrumpunt, in medio chori psallentiũq; fratrũ manus conserunt, rem nõ iam fustibus, sed gladijs gerunt. Pugna atrox cõmittitur, atq; per totã ecclesiã pro hymnis & canticis spiritualibus, uociferatio adhortãtium & ululatus morientiũ exaudit. Super altaria Dei tristes iugulantur hostiæ, passimq; per ecclesiã sanguinis currunt flumina, nõ legali ut quondã religione, sed hostili crudelitate profusa. Episcopus Hildensheimẽsis capto editiori loco, tanq; militari quodã classico, suos ut fortiter

ut fortiter præliarentur hortabatur, & ne loci religione ab armis terrerẽtur, suæ auctoritatis & promissionis titulum obtendebat. Multi utrinq; uulnerati, multi occisi sunt, inter quos præcipui erant Regenbodo signifer Fuldensis, & Bero Ecberto comiti charissimus miles. Rex inter hæc uociferans, & sub obtentu regiæ maiestatis populum adiurans, surdis fabulam narrare uidebatur. Tandem monitus à suis, ut uitæ propriq; pugna excedens cõsuleret, uixq; inter constipatam arctius multitudinẽ eluctatus in palatiũ se recepit. Hildenesheimenses qui instructi præmeditatiq; ad pugnã uenerãt, superiores efficiunt. Fuldenses utpote quos inermes, inopinatosq; subitò exortę seditionis procella cõtraxerat, fusi fugatiq;, atq; de ecclesia expulsi sunt. Fores ilicò obserantur. Fuldenses qui primo tumultu ad arma tollenda paulo longius discurrerãt, frequẽtes, armatiq; ad sunt, atriũ ecclesiæ occupãt, aciẽ instruũt, ut de ecclesia progressos statim adoriantur. Sed nox cõcertationẽ diremit. Postero die seueriss imè habita quęstione, Ecbertus comes facilè crimẽ remouit, nõ tantũ iuris, & legũ patrocinio, quantũ fauore & indulgẽtia regis, cuius patruelis erat. Totũ accusationis põdus in abbatem uersum est. Hunc, inquiũt, omniũ quæ acciderãt caput fomitemq; fuisse, hunc ad disturbandã quietẽ regiæ curtis præmeditato furore uenisse, argumẽto rei esse, q; tanta ui hominũ, tanta bellici apparatus pompa instructus, nullo periculi metu urgente eò uenisset. Tum uerò urgebat & ille Apostolicæ sanctitatis ac Mosaicæ mãsuetudinis Episcopus, qui tanti sanguinis effusione manus suas Deo cõsecrauerat, & uiolatę ecclesiæ iniurias truculentius, atq; immitius, q̃ rex suas, persequebat. In quorũ corpora prius ferro debacchatus fuerat, ad perimendas horum animas gladio spiritus modo fulminabat, prędens tam defunctos, quàm eos qui cædi superfuerãt, de corpore ecclesiæ. Abbatem, præter acerbitatem rei quæ acciderat, odium quoq; grauabat nominis monachici, quod inuetĕrata malitia homines seculi semper obfuscare atque opprimere conabantur. Sic undiq; impetitus, oppugnatus, oppressus, post tot tantasq; cõtumelias priuatus abscessisset, nisi quẽ nec lex, nec innocẽtia tueri poterãt, pecunia tutata fuisset. Nam distractis ac dilapidatis rebus Fuldensis monasterij, se suosq; charissimo mercimonio redemit. Quantum regi, quantũ auricularijs, quantũ Episcopo datum sit, haud satis certò cõperimus. Cautũ enim fuerat, ne passim uulgaretur. Hoc haud dubiò constat, sic ea tempestate exhaustas atq; attritas esse illius monasterij opes, quæ usq; ad id temporis florentissimæ erant, cunctisq; Galliarum ecclesijs eminebãt, ut modò ibi prioris opulẽtiæ uix monimẽta reperias. Abbas post hæc accepta licentia, Fuldam remeauit, amaro & cõfecto nimis super tantis calamitatibus animo. Et ecce ibi acerbiori penè rerum asperitate excipitur, & secundum Prophetæ elogium, fugiens arma ferrea, incidit in arcum æreum. Fratres Fuldẽses à principio austerum eius & minus quam decuit populare ingenium offenderant. Auxit ipse inuidiam, & facem non minimam æmulationi subdidit, prædia Ecclesiæ militibus improbè erogando, & uictualia fratrũ, priorum abbatum liberalitate statuta, minuendo. Murmurabant de his quotidie, & intestinis simultatibus quatiebatur monasterium. Tolerabantur tamen timore magis quàm amore, ne scilicet immaturè uulgata quærimonia, fauor Regis & Principum eum tuerentur. At ubi nuncius acceptæ in Goslaria cladis Fuldam uenit, tum uerò & recentis uulneris dolore, & præteritorum memoria accensi, fremere omnes, & se uicissim hortari, ut tantam temporis commoditatem diuinitùs oblatam non negligerent, agendo negocio nihil præter operam industri/amq; suam deesse, urgeri hominem propris iniquitatibus ad interitum, agerent nunc singuli pro uirili portione, & se suumq; monasterium liberarent acerrimo non patre sed hoste, qui Fuldense nomen, cœlo priùs æquatum, probro nunc ludibrioq; cunctis exposuisset. Sic inflammatæ seditioni, tanquam

quam oleum igni addidit iniuria recentior. Reginbodo qui in illa Goslarienſi cõgreſsione occubuerat, equum unum magni precij fratribus Fuldenſibus ob recordationem animæ ſuæ dederit, quem protinus abbas ipſis inconſultis laico cuidam dedit. Hunc efferatis animis, intemperatiſsimis clamoribus fratres repe tunt, diu ſe tyrannidẽ eius, magis quam dominatũ, ſeruili patientia tuliſſe, non ultrà laturos fore, redderet ocyùs per uim erepta ſibi alienæ liberalitatis benefi cia, ſi cunctaretur, nõ iam clandeſtinis muſsitationibus ſe acturos, ſed palàm adi tis tribunalibus diuinam & humanã opem cõtra uiolentiã eius imploraturos. Abbati pondus malorũ primò conſilium reſpondendi ademerat, dein totus ad preces lachrimasq; uerſus, orare & obteſtari per Deum, ne iuxta uetus prouer bium ignẽ gladio ſcrutarẽtur, ne Goslarienſis cõtumeliæ uulnus, recẽs adhuc, & necdum in cicatricẽ obductũ, nouis doloribus exulcerarẽt, memorarenturq; lamum conquaſſatũ non conterendũ, nec linum fumigans in fauillas cineresq; redigendũ: parcerent ſi minus exiſtimationi propriæ, at calamitati eius & miſe riæ, quæ tanta eſſet, ut hoſtibus quoq; ſuis lachrimas excutere poſſet, ſe ſi ange lus Domini perſequens eum paululum remiſiſſet, ſi ab tantis malis uita comite unquam reſpiraſſet, non modò adempta redditurũ, ſed duplicatis quoq; mune ribus cumulaturũ. His qui ætate & ſenſu maturiores erant, citò hæc uerba ſatiſ fecerant: ſed iuuentus more ſuo, nihil uenię, nihil laxamenti admittebat, diu ſim plicitati ſuæ per mollia uerba inſultatũ fuiſſe, fidẽ eius tanto tempore, tot rebus ſpectatã ultrà fallere nõ poſſe, eos mores, eam improbitatẽ hominis eſſe, quic quid urgentibus in præſentiarũ malis non feciſſet, id niſi iterũ uis adhiberetur, perpetuò infectum fore, propterea ſe ab iure ſuo nõ ceſſuros eſſe, donec ad ex pugnandam animi eius duritiam, omnia diuinæ, omnia humanæ opis ſuffragia pertentaſſent. Abbas diu immoratus, ubi ſe uidet nihil ſupplicando agere, nec copiam ſibi eſſe ad reddenda quæ exigebantur, præſertim exhauſtis penè cun ctis opibus monaſterij, nec ſufficientibus tamẽ ad ex ſaturandã ingluuiem auac ritiæ eorũ, qui in Goslarienſi tumultu læſi fuerant, tandẽ Regis uiſione accerſi tus, ad cohortẽ regiam proficiſcitur, dato neceſſarijs ſuis negocio, ut terroribus & blandimentis, qua qua uia poſſent efferatæ iuuentutis animos mitigarẽt. Sed hoc in irritũ ceſsit. Denicq; poſt abſceſſum eius principes iuuentutis quibus po tiſsimũ incentoribus tantũ malum exarſerat, totam adeunt congregationẽ, indi cant animo ſibi fixum eſſe, ut eruptione facta de monaſterio, regem ubicunque gentium reperiatur, perquirãt, contra ſæuitiã abbatis eius potentiæ patrociniũ expoſcant, orantq;, ut quibus ualetudo nõ obſiſtat, ſecũ proficiſcantur, qui ue rò ætate uel morbo prægrauante id nõ poſsint, ſcripti ſui aſtipulatione factum eorum corroborent. Res fœda & dictu quoq; horrenda uiſa eſt ſenioribus, fu ſicq; in terram per Deum precabãtur, ne ſe & ipſum Fuldenſis ſpei exiguũ quod reſtabat perditũ irent, turbatã grauiter Goslarienſi clade rem Fuldenſem, ſi ipſi monaſterij limen ea mente exceſsiſſent, nõ turbandã modo ſed omnino in prę ceps iturã. Nihil illi his ſermonibus moti, iam enim pertinatia in amentiã atq; in rabiem ſe uerterãt, concitè per monaſterium diſcurrunt, inuicem ſe ad audendũ facinus adhortantur, & ſic tandem adulta conſpiratione ſedecim numero, cru cem ſibi præferentes antiphona impoſita clauſtris monaſterij erumpunt. Seque bantur eos eminus maiores natu, qui ſanum aliquid ſapiebãt, cum tanto luctu atq; eiulatu, ac ſi eos ad ſepulturam funebris pompa ultimum uale audituros ef ferret. Itaq; ne rei tam atrocis nouitas repentè nunciata regi ſtuporem incute ret, unum ex numero ſuo citato quantum poterat equo præmittunt, qui literas ad regem tantæ calamitatis indices perferat, & qua ui, qua neceſsitate, ad hæc ex trema experienda coacti ſint, edoceat. Ipſi paulatim pedeſtres ſeruatis ordini bus ſubſequuntur. Poſtquam nuncius eò peruenit, lectæque ſunt literæ,

horror

horror quidam perculit omnes qui in palatio erant ſuper tam procaci facto, mirabanturq; inter eximios & Apoſtolicæ cõuerſationis uiros, tantum flagitij potuiſſe reperiri, ut priuatas iniurias tam peſsimo exemplo ulciſcerentur, nec filij patris in ea potiſsimũ calamitate miſererentur, in qua hoſtes quanquã ſuos ad miſerationem & ad lachrymas prouocare potuiſſet. Placuit itaq; omnibus inſigne hoc facinus inſigni aliquo exemplo uindicari. Tum Rex conſilio uſus Colonienſis Archiepiſcopi & Ottonis ducis Baioariorũ, quorũ tunc arbitrio Reſpublica adminiſtrabatur, præcepit ut ipſe Baiulus literarũ cum alijs tribus, qui auctores ſeditionis fuerãt, per diuerſa monaſteria in cuſtodia habendi mitterentur. Ad cõpeſcendam uerò cæterã multitudinẽ, quoniã nec ſpiritu lenitatis, nec uirga monaſticæ correptionis ſanari potuiſſent, Abbas militari manu uteretur. Tunc Abbas miſsis obuiam militibus ſine ui & tumultu eos Fuldam reduci iuſſit, & extra monaſterium cuſtodibus adhibitis ſuum præſtolari reditum. Ipſe quoq; Regi uale facto, eos eueſtigiò eſt ſubſecutus. Ibi collectos fratres, & primos militum Fuldenſium diu ea conſultatio tenuit, laicorum an monachorum iudicio in eos animaduerti oporteret. Vicit ea ſententia, quæ cenſebat eos qui excuſſo iugo regulæ, cõtempto Abbate, per contumaciã egreſsi, & nec dum in monaſteriũ recepti eſſent, laicorũ potius lege iudicandos fore. Ita Abbas laicorum iuriſdictionem ſecutus, duos ex eis, alterum presbyteratus, alterum diaconij honore inſignes, iuſsit publicè uirgis cæſos & attonſos expelli. Reliquos multis plagis maceratos, per uicina monaſteria alium aliò tranſmiſit. Deſinguliſs tamẽ non pro modo culpæ, ſed pro natalium ſuorum claritate uel obſcuritate mitius uel atrocius ſumptum ſupplicium eſt. Viderit Abbas an ui doloris impulſus, iniurias ſuas acerbius quàm decuit uindicando, modum fortè exceſſerit. Id cõſtat inuſtam eſſe ea tempeſtate maculam Fuldenſi monaſterio, quæ longa forſitan ſuccedentium temporum ſerie ablui & extergi non poſsit.

Bela qui regnum inuaſerat Vngarorum obijt, Ioas filius eius ſatius putãs moderatis opibus in pace perfrui, quàm immoderatas ambiendo calamitatẽ, atq; excidiũ parere genti ſuæ, mandauit regi Henrico, ſi ſibi apud Salomonem filiũ Andreæ regis, natalibus & meritis ſuis cõdignus honor haberetur, ſubditum ſe et fidelem q; futurũ, & malle beneficijs cum eo quàm armis, fide quàm acie dimicare. Eadem Vngari omnes aſsidua legatione pollicebantur. Ita rex Henricus Vngariam cum exercitu ingreſſus Salomonem in ſolium patris reſtituit, iuncta ei in coniugium ſorore ſua, ablatisq; omnibus quæ Regi ſcrupulũ mouere, uel regni ſtatum labefactare poterant, in pace remeauit ad Gallias.

Educatio Regis atq; ordinatio omniũ rerũ publicarũ penes Epiſcopos erat, eminebatq; inter eos Moguntini & Colonienſis Archiepiſcoporũ auctoritas. A quibus cum in partem cõſilij Adelbertus Bremenſis Archiepiſcopus aſſumptus fuiſſet, tum propter claritatem generis, tum propter ætatis atq; Archiepiſcopatus prærogatiuam, ille ſæpius colloquendo obſequendo etiam atq; aſſentando, ita ſibi Regem breui deuinxerat, ut cæteris Epiſcopis poſthabitis, totus in eum inclinaretur, & ipſe in regno cõmuni penè Monarchiã uſurpare uideretur. Secundas poſt eum partes agebat Vverenher comes, iuuenis tam ingenio quàm ætate ferox. Hi duo pro Rege imperitabant, ab his epiſcopatus & abbatiæ, ab his quicquid eccleſiaſticarũ, quicquid ſecularium dignitatum eſt, emebatur, nec alia cuiquam licet induſtrio atq; egregio uiro ſpes adipiſcendi honoris ullius erat, quàm ut hos prius ingenti profuſione pecuniarum ſuarũ redemiſſet. Et ab Epiſcopis quidem & Ducibus metu magis quàm religione temperabãt. In Abbates uerò, quòd hi iniuriæ obuiam ire nõ poterant, tota libertate graſſabantur, illud præ ſe ferẽtes, nihil minus Regem in hos iuris ac poteſtatis habere quàm in uillicos ſuos uel in alios quoslibet regalis fiſci diſpẽſatores. Et primo quidem

quidem prædia monasteriorum fautoribus suis prout libitum erat distribuebāt, & quod reliquum erat, crebra regalium seruitiorum exactione usq; ad feces ul/timas exhauriebant. Dein conualescente audacia, in ipsa monasteria impetum faciebant, atq; ea inter se tanquā prouincias partiebantur, Rege ad omnia quæ iussus fuisset, puerili facilitate annuente. Itaq; Bremensis Archiepiscopus duas occupat abbatias, Laurensem & Corbeiensem, præmium hoc asserens esse fidei ac deuotionis suæ erga regem. Ne id inuidiosum apud cæteros regni principes foret, persuaso Rege, dat Colonienſi Archiepiscopo duas, Malmendren & Endan. Moguntino Archiepiscopo unam, in Selechinstat. Ottoni duci Baioa/riorum unam in Altaha, Rodolfo duci Sueuorū unam in Kenbeten. Igitur Bre/mensis Archiepiscopus, ut totam tyrannidi suæ uacantem redderet Corbeien/sem abbatiam, ridiculam commētatur fabulam. Dissem inatis per Curtim regiā rumoribus diuulgat, Episcopum ciuitatis cuiusdam transalpinæ, cui Pole nomē est, humanis rebus excessisse. Huic successorem persuaso rege subrogat Abba/tem Corbeiensem, iubetq; ut destitutam rectore Ecclesiam quantotius eat inui/sere. Verùm inter moras quibus ille itineri necessaria parabat, dum quidam de Italia uenientes, Episcopū qui mortuus dictus fuerat, uiuum & incolumem nun/ciassent, irridere omnes & detestari fraudē Archiepiscopi cœperunt. Tum Otto dux Baioariorum ad prohibendum tantū nefas diuino spiritu animatus, multis conatibus circumquaq; explicitis, uix & ægrè obtinuit, ut tam abbati quàm mo/nasterio Corbeiensi suus honor, sua dignitas incolumis seruaretur. Porrò cum in monasterium Laurense satellites Archiepiscopi uenissent, nunciantes, quòd regia donatione locus ipse in ius potestatemq; Archiepiscopi concessisset, iu/berentq; ut Abbas cōstituto loco nō pigritaretur occurrere, tantus dolor & in/dignatio omnes inuasit, ut nec manibus in Legatos ipsos temperassent, nisi ius gentiū plus quàm ira ualuisset. Cōtumelioſè auditi, cōtumelioſius multo sunt di/missi. Quòd postquā regi nunciatū est, missis alijs nuncijs iussit Abbati sub in/terminatione salutis propriæ, ut abbatia se abdicaret, festinusq; monasterio ex/cederet. Ille cōperta priusquā Legati aduenirēt Regis sententia, benignè eos su/scipi iussit, atq; in diem posterum, eorum quæ in mandatis habebāt audientiam distulit. Nocte paucis sibi adhibitis inde discedens, in loca tutissima omnibus, præter admodū paucos ignoratus se recepit, cum & prius omnes ecclesiæ the/sauros clanculò exportatos in tutū locasset. Ita Legati die postero cui iussa Re/gis exponerēt non habentes, multumq; uiri prudentiam admirantes, infecta le/gatione redierunt. Tum milites eius quos eo tempore & opum gloria & mili/taris rei industria clarissimos habebat, collatis uiribus montem qui proximus a/diacet monasterio occupant, castellum extruunt, præsidium imponunt, parati Archiepiscopum ab infestatione monasterij, capitis quoq; sui periculo arcere.

MLXIIII. Causabantur Romani principes, quòd Rex eis inconsultis Romanę ecclesiæ Pontificē cōstituisset, & ob eam iniuriā defectionē meditari uidebant. Propter quod placuit Colonienſem Archiepiscopū Romā mitti. Qui ueniens eò, cùm aliud turbatis rebus inuenire nō posset remediū, iudicauit ordinationē quæ inscio senatu Romano facta fuisset, irritā fore, & sic amoto Parmensi Epi/scopo, per electionē eorū Anselmū Luccensem Episcopū pro eo ordinari cōsti/tuit. Verùm ubi ipse peracta legatione regressus est in Galliam, Parmensis Epi/scopus armata multitudine non modica, Luccensem Episcopum sede Apostoli/lica per uim deturbare aggressus est. Ecōtra fautoribus illius ad arma impigrè cōcurrentibus, cōgressio facta est, multiq; hinc & inde uulneribus acceptis cor/ruerūt. Sic deprauata Ecclesiastici rigoris censura, homines nō ut quondā ut prę/essent ecclesiæ Dei, iniecta manu trahebantur, sed ne non præessent, armata ma/nu præliabantur, fundebantq; mutuò sanguinem non pro ouibus Christi, sed

ne non dominarentur ouibus Christi. Anselmus tamen qui & Alexander, & uirtute militum & fauore Principum sedem obtinuit. Alter uerò etsi per contumeliam repulsus, tamen quoad uixit, ab iure suo non cedebat, huic semper derogans, hunc adulterum ecclesiæ Dei, hunc pseudoapostolum appellans. Missas quoq; seorsum celebrans, ordinationes facere, & sua per ecclesias Decreta & Epistolas more sedis Apostolicæ destinare non desistebat. Verùm nullus attendebat, criminantibus uniuersis, quod in ultionem priuatę contumeliæ sedem quanquam Apostolicam homicidio maculasset.

Henricus Augustensis Episcopus obijt, inuisus Regi, inuisus Episcopis omnibus, propter superbè administratam regni gubernationem tempore imperatricis. Embricho ei successit præpositus Moguntinus, uir pontificalis modestiæ & grauitatis.

Vuerherus comes uillam monasterij nostri quæ dicitur Kirchberg, inconsulto Abbate à Rege petijt, & impetrauit. Pro qua recipienda diuturnũ agonem desudauimus, dimicantes aduersus tanti hostis sæuitiam, nõ armis carnalibus, sed ieiunijs & crebris orationibus. Vnde ille mordaciter magis quàm facete iocari solebat, magno munere dignum se esse apud Regem, qui monachos eius languidos prius in opere Dei & tepidos, nouis facibus adhibitis exsuscitasset, inuitosq; ad ieiunia & nudipedalia coẽgisset.

Sigefridus Moguntinus Episcopus, & Guntterus Babenbergensis, & Otto Ratisponensis, & Vuilhelmus Traiectensis Episcopi, item alij quàmplures columnę & capita Galliaruma, utumnali tempore Hierosolymam proficiscũtur.

M. LXV. Rex natalẽ Domini Goslariæ celebrauit, pascha Vuormaciæ. Vbi Archiepiscopus Bremensis inter sacra missarum solennia, dum debitum tantæ festiuitati sermonem faceret, hominem ab infestatione dæmonis purgauit, fusis pro eo tam suis quam totius populi, qui præsens erat precibus. Ea res grandi miraculo cunctis erat, stupentibus scilicet, quòd uir tam pessimæ in populo existimationis, qui uiram uirtutum non haberet, signa uirtutum faceret. Sed æmuli eius inuidiosè hoc interpretabantur, non meritis eius, sed præsentium populorum supplicationi ascribendum esse tantæ rei effectum.

Ibi q; concessionem eiusdem Archiepiscopi, primũ se rex arma bellica succinxit, statimq; primam susceptæ armaturæ experientiam in Archiepiscopum Coloniensem dedisset, & ad persequendum eum ferro & igni preceps abijsset, nisi res turbatas imperatrix tempestiuo ualde consilio composuisset. Inter cętera id potissimum inuidiæ ei erat, quòd ante aliquot annos, dum imperatrici ius regni rerumq; gubernacula eripere uellet, ipsum penè regem in ultimum discrimen præcipitasset.

Heceloni Argentorati Episcopo paulo antè defuncto, successor substitutus est Vuerher propinquus Vuerheri comitis.

Interea prædicti Episcopi Hierosolymam pergentes, dum magnitudinem opum suarum gentibus per quas iter habebant inconsultius ostentarent, ultimum sibi periculum conscisuerunt, nisi rem humana temeritate prolapsam diuina misericordia restituisset. Nam Barbaros qui ex urbibus & agris ad spectandos tam illustres uiros cateruatim profluebant, primò peregrini cultus ac magnifici apparatus ingens miraculum, dein (ut fit) non minor prædæ spes ac desyderium cepit. Itaq; cùm transita Licia fines Sarracenorum intrassent, & iam à ciuitate cui Ramulo nomen est, una uel paulo plus mansione abessent, proximo parasceue ante Pascha circa tertiam diei horã incursionem passi sunt ab Arabitis, qui comperto tam insignium uirorum aduẽtu, undiq; ad spolia diripienda frequentes armatiq; confluxerant. Plericq; Christianorum religiosum putantes manu sibi auxilium ferre, & salutem suam quam peregrè proficiscẽtes

Deo deuouerant armis corporalibus tueri, prima ſtatim cõgreſsione proſtrati, uulneribus multis cõfecti, & omnibus quæ habebãt à filo ſubtegminis uſq; ad corrigiam caligę expoliati ſunt. Inter quos Vuilhelmus quoq; Traiectẽſis Epiſcopus brachio penè plagis debilitato, nudus ac ſemiuiuus relictus eſt. Cæteri Chriſtiani iactu lapidum, quod genus teli fortè locus ipſe affatim miniſtrabat, non tam periculum propulſabant, quàm mortem quæ præſens urgebat differre conabantur. Pedem etiam paulatim ſubtrahendo, ad uillam declinabant, quæ ab ipſo itinere ſpatio mediocri diſtabat. Caparnaum hanc fuiſſe ex ſimilitudine uocabuli conijciebãt. Quam ut ingreſsi ſunt, Epiſcopi omnes atrium quodam occupant humili ſeptum maceria & tam fragili, ut etiam ſi nulla uis adhiberetur, ſola uetuſtate facilè corrueret. In cuius medio domus erat cœnaculum habens ſatis editum, & ad repugnãdum quaſi ex induſtria præparatum. Huius ſuperiora Epiſcopus Moguntinus & Babenbergenſis cum Clericis ſuis, inferiora cæteri Epiſcopi ſibi uendicant. Laici omnes ad arcẽdum uim hoſtium, & maceriam defendendam impigrè diſcurrunt, & primã quidem certaminis procellam lapidum iactu, ut prędictum eſt, ſuſtinuere. Dein cum Barbari magnam telorũ nubem in caſtra coniecíſſent, & ipſi plerumq; impreſsione in eos facta clypeos & gladios manibus eorum ui extorſiſſent, nõ ſolum iam maceriã tueri ſufficiunt, ſed portis etiam interdum erumpere, & pugnam cõminus laceſſere audent. Quorum impetũ dum Arabes nullo iam loco, nulla acie ſuſtinere poſſent, conſilium tandem à tumultuaria congreſsione ad obſidionem uertunt, & inedia atq; laſſitudine conficere aggrediuntur, quos ferro expugnare non poterant. Itaq; multitudinem qua ſuperabundabant conglobatis ſcilicet circiter XII. milibus partiuntur, ut alij alijs uiciſsim ad oppugnationis ſtudiũ ſuccederent, nullam illis uel paululum reſpirandi copiam facerent, ſuſpicãtes quod propter inopiam rerũ omnium quibus uita humana ſuſtentari ſolet, dimicandi labore nõ diu tolleraturi forent. Ita Chriſtiani toto paraſceue, toto ſabbato ſancto uſq; ad tertiam ferè horã paſchalis diei ſine intermiſsione oppugnabantur, nec eis hoſtilis improbitas uel modicum temporis punctum, quo ſaltem ſomni perceptione corpora recrearent, indulgebat. Nam. cibũ & potum nec, mortem prę oculis habentes, deſiderabant, nec ſi magnopere deſideraretur, quid ſumerent omnium inopes habebant. Cumq; die tertio labore & inedia exhauſti ad extremum peruenìſſent, & fortia plerumq; conatos uirtus ieiunio infracta fraſtraretur, quidam ex numero presbyterorum exclamauit, non rectè eos agere, quod in armis ſuis pluſquam in Deo ſpei ac roboris ponerent, & calamitatem quam eo permittente incidiſſent, proprijs uiribus propulſare conarentur, propterea placere ſibi, ut ſe dederent, præſertim cum triduana iam abſtinentia miſeritaribus rebus eos inutiles prorſus reddidiſſet, nõ eſſe Deo difficile, ut deditis eis & ab hoſte ſub iugum miſsis miſericordiam præſtaret, qui ſuos toties etiam in ultima neceſsitate cõcluſos mirabiliter liberaſſet. Vt hoc quoq; inferret, Barbaros nequaquã propter ipſos occidendos tanto molimine graſſari, ſed ut pecunias eorum auferrẽt, quibus ſi potiti fuiſſent, liberos eos deinceps intactosq; ſine ui, ſine moleſtia abire paſſuros. Placuit conſilium omnibus, ſtatimq; ab armis ad preces uerſi, per interpretem, ut in deditionem acciperẽtur orabãt. Quo comperto dux Arabum citato equo in primos aduolat, & cæteros quidem longius ſummouet, cauẽs, ne temere admiſſa multitudine præda confuſa diſtraheretur. Ipſe decem & ſeptem honoratiſsimos gentis ſuæ ſecum aſſumens, caſtra ingreſſus eſt, potẽtia, relicto ad portas prędicti cauſa filio ſuo, ne quis fortè prędæ auidus poſt ſe non uocatus irrumperet. Cumq; admotis ſcalis in cœnaculũ ubi Moguntinus & Babenbergenſis Epiſcopi latitabant cum paucis aſcendiſſet, Babenbergẽſis Epiſcopus, cui, licet iunior ætate eſſet, tamẽ propter uirtutũ prærogą-

prerogatiuã & totius corporis admirandam dignitatẽ præcipuus à cunctis honor deferebat, rogare eum cœpit, ut omnibus quę haberent usq; ad nouissimũ quadrantẽ sublatis, nudos se abire sineret. Ille & uictoria elatus, & præter ingenitam morũ barbariem accepta quoq; tot congressionibus clade nimiũ efferatus, ait se aduersus eos iam triduo nõ sine grauidi damno exercitus sui ea mente bellũ gessisse, ut suis conditionibus erga uictos uteretur, non quas ipsi cõstituissent: ne ergo falsa spe eluderentur, se omnibus quę haberẽt sublatis, carnes eorum comesturũ & sanguinem bibiturũ. Nec moratus, linteum quo caput more gentis obuoluerat expediens, facto uinculo in collũ Episcopi iniecit. Episcopus ut erat uir liberalis uerecundię, & maturę admodũ grauitatis, ignominiam non ferens, tanto nisu pugnũ ei dedit in faciem, ut uno ictu consternatũ ad pauimentũ usq; præcipitem daret, uociferans insuper, prius eum pœnas pro impietate daturũ, quòd impuras manus in sacerdotẽ Christi, profanus & idololatra mittere præsumpsisset. Irruunt protinus alij clerici & laici, & tam huic quã cęteris qui in cœnaculũ ascẽderãt, adeò arctis nexibus manus à tergo cõstringũt, ut sanguis pleriscq; rupta cute per ungues proflueret. Perlato audacis facti indicio ad eos qui in inferiori parte domus cõsistebant, ipsi quoq; his qui apud se erant Arabũ Principibus idem faciũt. Dein laici omnes sublato in altum clamore, uocatoq; in auxiliũ sibi omniũ rerum opifice Deo, rursus arma capessunt, macerią occupant, præsidiũ quod circa portas erat, cõserta manu fundũt fugantq;. Et sic alacres, sic innouatis inopino successu uiribus ubiq; rem peragunt, ut nihil lassitudinis, nihil incõmodi ex triduana eis inedia & labore accessisse putares. Alacritatẽ tantã repente ex trepidis rebus & ultima desperatione coortã nimiũ admirati Arabes, nec aliã nouitatis huius causam suspicati, q; quòd de Principibus suis sumptũ fuisset supplicium, infestissimis animis in pugnam ruũt, & facto grege per arma, per uiros in castra perrumpere parant. Et acta res foret, nisi maturè otto cõsilio Christiani uinctos eo loco principes statuerẽt, ubi atrocissima uis hostium & creberrimus telorũ imber incumbebat, appositio super capita eorũ speculatore, qui districtum in manibus gladium tenens clamitabat per interpretem, nisi ab oppugnatione quiescerent, nõ armis se aduersum eos, sed principũ capitibus dimicaturos. Tum ipsi principes quos præter uinculorum acerbitatẽ imminens quoq; ceruicibus gladius uehementer angebat, cum magno ciulatu suos obtestabantur, ut moderatius agerent, ne obstinate certamen hostibus inferentes, eos ad supplicium necẽq; suã, cum incisa spes esset ueniæ, inflãmarent. Patris periculo attonitus filius ducis Arabum, quem ad portã atrij à patre cau sa præsidij relictum suprà memorauí, citato gradu in confertissimos suorum cuneos se dedit, & furentis exercitus impetum, uoce & manu increpitãs, retinuit, & tela in hostes iacere prohibuit, quæ nõ hostes ut ipsi putarent, sed Principes sui propriis pectoribus excepturi forent. Per hanc occasionem paululum ab armis & incursionibus uacatione data, nuncius uenit in castra ad Christianos, missus ab his qui in parasceue omnib. amissis nudi & saucij usq; Ramulo pertenderant. Is amaritudine & metu cõfectis mẽtibus magnum attulit refrigeriũ, indicans Ducem p̃dictæ ciuitatis, licet paganũ, diuino tamẽ (ut putabat) instinctu animatũ cum ingẽtibus copijs ad ipsos liberandos aduenire. Nec latere potuit Arabitas aduentientium hostium fama. Statimq; oẽs auersis ab aliorum oppugnatione ad se ipsos saluandos cogitationibus præcipiti fuga quò quemq; spes euadendi uocabat, dilabuntur. In ea trepidatione dum alij ad alia curãda discurrerent, unus uinctorũ euasit, opera usus Sarraceni cuiusdam quem ducem itineris Christiani habebant, tanto omnium dolore, tãto gemitu, ut ab eo cuius indulgentia dimissus fuerat, uix manus inhiberẽt. Nec multo post Dux ipse (ut nunciatũ fuerat) cũ exercitu aduenit, pacificeq; in atriũ à Christianis susceptus

est suspensis tamen omnibus inter spem & metum, ne forte nõ sublata calamitas, sed hostis tantũ mutatus esset, & propter nouitatem rei difficilè credẽtibus, quod satanas satanan eiicere, hoc est Paganus paganum ab infestatione Christianorũ cohibere uellet. Primò omnium uinctos sibi presentari iussit. Quos cũ aspexisset, & quę facta fuerãt ordine audisset, maximas Christianis gratias egit, ꝑ magnificè gestis rebus & expugnatis reipublicæ acerrimis hostibus, qui regnum Babyloniũ iam per multos annos assiduis populationibus infestassent, & magnas plerunq; aduersum se instructas acies cõmisso certamine obtriuisset. Traditos eos custodibus Regi Babyloniorũ uiuos seruari ꝓcepit. Ipse accepta à Christianis quanta cõuenerat pecunia secum eos Ramulo perduxit. Inde adhibito eis expeditorum iuuenum præsidio ne qua denuò latronũ incursione periclitarẽtur, usq; Hierosolymam eos perduci iussit. Nihil deinceps difficultatis in eundo, nihil in redeundo perpessi, Liciam peruenerunt, gratias Deo referentes quòd emensis tot rerum asperitatibus uiuos eos & incolumes in tutum restituisset. Ex hoc per Christianorum fines reditũ facientibus omnia cedebãt ex sententia. Verum postea quàm in Vngariam uentũ est, Gunterus Babenbergensis Episcopus (heu) immatura morte præuẽtus, prósperæ ac lætæ reuersionis lugubrem omnibus exitum fecit. Decessit aũt x. kal. Aug. ætate integra & ad perfruendum hoc seculo maximè matura, uir præter morum gloriam & animæ diuitias, corporis quoq; bonis adprime ornatus. Natus erat ex primis patrũ, priuatis possessionibus præter episcopatum affluentissimus, lingua promptus & consilio, literis eruditus tam diuinis quàm humanis, tum statura & formæ elegantia ac totius corporis integritate ita cæteris eminẽs mortalibus, ut in illo Hierosolymitano itinere ex urbibus & agris spectandi eius studio profluerent, & bene secum actum crederet, cui eum uidere contigisset. Vnde cũ positis eis in diuersorio plerunq; turba intemperans propter eum nimis molesta foret, cõpulsus est aliquoties à cæteris Episcopis, ut in publicum procederet, & obstidentem fores multitudinem suo spectaculo à cæterorum uexatione auocaret. Tantum hunc transitoriæ felicitatis splendorem uitæ innocentia & morũ temperantia clariorẽ in eo cumulatioremq; faciebant. Nam tantã in se utriusq; hominis gloriã, quam omnes mirabant̃ solus ipse ita propter Deũ contemnebat, ut infimæ quoq; cõditionis hominibus populariter se cõmunemq; præberet, & à seruis suis plerũq; maximas uerborũ contumelias inultus acciperet. Celebri ergo pompa funeris in patriam reportatus, & magnis omnium qui eum nouerant planctibus exceptus, in Babenbergensi ecclesia ubi à puero adoleuerat sepultus est. Successit ei in episcopatũ Hermannus uicedominus Moguntinus, qui in eadẽ Hierosolymitana peregrinatione constitutus, dum eũ inualescente morbo ad exitũ urgeri uideret, legationẽ præmisit ad necessarios suos, quibus patria excedens suæ rei familiaris dispensationem delegauerat, petẽs ut sibi ad episcopatum qua possent ratione aditum patefacerent. Quod & sedulo fecerunt, profuso in coẽmptionem eius argenti & auri inæstimabili pondere.

Eilbertus Patauĩ Episcopus obĩit, cui Altman capellanus imperatricis successit, qui dum ipso tempore cum cæteris principibus Hierosolymam abiisset, per interuentum imperatricis absens designatus est Episcopus.

Arnolfus Vuormatiæ Episcopus uir pontificalis modestiæ & sanctitatis migrauit ad dominum, succesitq; ei Adelbertus Monachus ex monasterio sancti Galli, frater Rudolfi ducis, uno pede omnino debilis, uir ꝓ omnia dignus spectaculo. Erat enim fortitudinis magnæ, edaciattis nimiæ, crassitudinis tantæ, quę aspicientibus horrorem magis incuteret quàm admirationem, ne cita Centimanus Gygas aut aliud antiquitatis monstrum, si ab inferis emergeret, stupentis populi oculos in se atq; ora conuerteret.

M.LXVI.

M.LXVI. Rex natalem Domini Goslariæ celebrauit. Vbi ab ipso iam initio autumni usq; ad eam partem hyemis tanquam statuis castris se continuerat, sumptus habens regiæ magnificentię multum impares. Nam prę terpauca quę ex reditibus regalis fisci ueniebant, uel quæ Abbates coactitio famulatu ministrabant, cętera omnia in quotidianos usus eius quotidianis impensis emebantur. Hoc adeò fiebat odio Bremensis Archiepiscopi quē oēs criminabātur sub prætextu regiæ familiaritatis monarchiam usurpasse manifestæ tyrannidis. Et ipsi ergo consueta Regi seruitia mittere detractabant, & ille in alias regni partes, regem abducere nolebat, ne scilicet cum alijs principibus communicando principatum consiliorum & familiaritatis, ipse sibi aliquid imminueret de fastigio usurpatæ singularitatis. Sed non ultrà laturi iniuriam uidebantur principes regni. Archiepiscopi Mogūtinus & Colonien sis cum cæteris quibus cura erat respublica, crebra conuenticula faciebant, atq; omnes in cōmune quid facto opus esset consulere rogitabant. Dein iam adulta conspiratione, diem generalis colloquij omnibus indixêre regni principibus, ut Triburiam conuenientes, Bremensem Archiepiscopum communem omnium hostem communibus omnes studijs oppugnarent, Regiq; denunciarent, aut regno ei cedendum esse, aut familiaritate & amicitia Bremensis Archiepiscopi defugiendum. Perlato Goslariam atrocis rei nuncio, Rex ad statutā diem concitus properabat, cum quo & Vuerenher comes ueniens, in uillam Ingilneheim, cuius pars aliqua ad nostrum quoq; monasteriū pertinet, hospitatum diuertit. Vbi dum milites eius ab incolis prædas agerent, & illi ad arma conclamantes manu uindicare se niterentur, atrox pugna coorta est. In qua dum Vuerenher comes ad ferendam suis opem impigrè discurreret, à quodam nostri monasterij uilissimo mancipio, uel ut alij ferūt à fœmina saltatrice, claua percussus in capite corruit, atq; ad Regem semiuiuus est reportatus. Admonitus ab Episcopis qui præsentes erant, ut pro peccatis suis Deo in extremo iam spiritu constitutus satisfaceret, secq; Heruelden sium monachorū precibus interemptum recognoscens, uillam Kirhbere, quam iniustè inuaserat rederet: nullo modo adquieuit, donec Episcopi cōsensu facto minitarētur se ei sacram communionem morienti non daturos, nisi prius tanti peccati pondere se exoneraſſet. Sic tandem pudore magis quàm religione uictus, reddidit, statimq; uita excessit. Statuta die tristis in Regem omnium uultus, tristis erat sententia, ut aut regno se abdicaret, aut Archiepiscopū Bremensem à consilijs suis atq; à regni cōsortio amoueret. Tergiuersanti, & quid potius eligeret hæsitanti, Archiepiscopus consilium dedit, ut proxima nocte ablatis secū regni insignibus clàm aufugeret, & Goslariā aut in aliū locū se reciperet, ubi ab iniuria tutus foret, donec turba hæc conquiesceret. Aduenientę uespera thesauros regios per satellites & socios fraudis suæ iam exportare cœperat, cum repente ad ministros Regis cōsilium hoc nescio quo indicio permanauit, qui statim raptis armis curtim regiam circumdederunt, totamq; deinceps nocte ducentes peruigilē, ne quid noui accideret asseruabant. Facto mane infensis adeò animis omnes in Archiepiscopū coorti sunt, ut nec manibus temperasſent, nisi regia maiestas uix & ægre iracundiam cohibuisset, Cōrumq; elioſe itaq; electus est de curte regia cū omnibus tyrannidis suę fautoribus, misitq; cum eo rex amicorū suorū non modicā manum, ne scilicet ab æmulis suis insidias in uia pateretur. Sic iterū rerum publicarū administratio ad Episcopos rediit, ut singuli suis uicibus qd regi qd Rep. facto opus esset pūiderent.

Rex pascha Traiecti celebrauit. Eberhardus Treuirorum Archiepiscopus, dum in sabbato sancto tantę diei mysterium solenniter populo exhibuisset, regressus in Sacrarium caput in sinū Archidiaconi reclinauit, circumstantibusq; fratribus spiritum exhalauit. Episcopatum eius per interuentum Colonien sis

Archiepiſcopi ſuſcepit Cuno præpoſitus Colonienſis. Grauiter et indigne nimis tulit tam clerus quàm populus Treuirorum, quòd ipſi in electionem eius admiſsi conſultiq; non eſſent: ſeq; uiciſsim hortabantur, ut inſignem hanc cum tumeliam inſigni aliquo exemplo eluerent. Erat tum tēporis maior domus ecclesię Treuirorum Diedericus comes, adoleſcens, tam natura ferox, quàm ęra te. Is die quo Epiſcopus urbem ingreſſurus ſperabatu, cum ingentibus copiis ei obuiam proceſsit, atq; in ipſo lucis crepuſculo, priuſquàm hoſpicio progrederetur, ſuper eum irruens paucos reſiſtere tentan es occidit, cæteros inopino terrore perculſos facile fudit fugauitq; : opes quas ampliſsimas aduexerat diripuit, ipſum Epiſcopum captum traditūq; in manus carnificum, de rupe altiſsima præcipitari, & ſic interfici iuſsit. Corpus eius à religioſis uiris collectum atq; in monaſterio Doleienſi ſepultum eſt, ubi uſq; in preſens tempus magnis ut fertur miraculis diuinitus ſæpe illuſtratur. Succeſsit ei in Epiſcopatum Vto concordante in electionem eius tam clero quàm populo.

In feſtis paſchalibus per quatuordecim ferè noctes continuas Cometa apparebat. Quo in tempore atrox & lacrimabile nimis prelium factum eſt in partibus Aquilonis, in quo Rex Angliſaxonum tres Reges cum infinito eorum exercitu uſq; ad internetionem deleuit.

Rex Frideslare ueniens grauiſsimam ægritudinem incidit, ita ut à medicis deſperaretur, & principes de regni ſucceſsione conſilia conferre cœpiſſent. A qua infirmitate uix dum plenè reſumptis uiribus pentecoſten Heruelđiæ celebrauit. Nec multo pòſt nuptias in Triburia regio apparatu celebrauit, in conſunctione Berthæ reginæ filiæ Ottonis Marchionis Italorum.

Reginherus Miſnenſis Epiſcopus obiit, cui Craft præpoſitus Goslarienſis ſucceſsit. Sed is dum ſuſcepto Epiſcopatu Goslariam ueniſſet, poſt refectionem in cubiculum, ubi theſauros ſuos, quorum nimus amator erat, nullo conſcio infoderat, quaſi paululum requieſcere uolens ſeſe incluſit, cunq; iam die uergente in ueſperam præter modum conſuetudinemq; ſuam ſomno indulgere uideretur, rem inſolitā mirantes cubicularij pulſare oſtium cœperūt. Sed nec pulſantibus nec uociferantibus ullum dabatur reſponſum. Tandem effractis foribus irrumpentes, inuenerunt eum fractis ceruicibus, colore tetro, exanimem ipſis theſauris ſuis miſerabilem in modum incubantem. Epiſcopatum pro eo ſuſcepit Benno prædictæ Goslarienſis Eccleſię canonicus.

M. LXVII. Otto Marchio Thuringorum obiit, gaudentibus admodum in mortę eius omnibus Thuringis, eo quòd ipſe primus ex principibus Thuringorum, ut prædictum eſt, decimas ex ſuis in Thuringia poſſeſsionibus dare conſenſiſſet, & per hoc calamitatem maximam genti ſuę inuexiſſe uideretur. Matchiam eius Egbertus patruelis regis ſuſcepit.

Einhardus Spirenſis Epiſcopus obiit, cui Henricus ſucceſsit Goslarienſis eccleſiæ canonicus, tantæ dignitati uix dum per ætatem maturus, & non tam electione Principum ad hanc profectus quàm indulgentia Regis, cui in puerili ætate fuerat familiariſsime aſſentatus.

Benno Oſenbruggenſis Epiſcopus obiit, cui alius Benno ſucceſsit.

Rex in natalem S. Martini Goslariam ueniens, grauiter infirmari cœpit, atq; eadem ualetudine permultos dies laborans lecto recubabat.

M. LXVIII. Rex natalem Domini Goslarię, nec dum ſoſpitate ad plenū recuperata, celebrauit, à quo Egbertus Marchio exactis diebus feſtis digreſſus, cū ſe in ſua recepiſſet, modica febre pulſatus terminum uitę accepit. Sed Marchiā ad huc uiuēs adquiſierat filio ſuo tenerrimę ętatis infantulo, quē ei uidua ducis Ottonis de Suuinenfurt pepererat. Cui tamē ipſe paucis diebus antequam ad ta excederet, repudiū ſcribere cogitauerat, & contra leges, ac ſtatuta canonum uiduam

uiduam Ottonis Marchionis matrimonio sibi iungere, quòd hæc forma elegantior, & efferatis moribus suis oportunior uideretur. Sed mors oportunè interueniens, nefarios conatus eius intercepit.

Rauenger patriarcha Aquileiensis obijt, cui Sigehardus cancelarius successit. Pro quo Bibo cancellarius est substitutus.

M. LXIX. Rex natalem Domini Goslariæ celebrauit, Pascha Quidelenburc, Pentecosten Coloniæ. Post Pentecosten Vuormaciæ cum principibus regni colloquium habuit. Ibi primum cum Episcopo Moguntino rem secretò agit, eiusq; opem ad perficiendum quod mente machinetur obnixè implorat, si impetret, se deinceps ei subditum, & dicto obtemperantem fore, ad hoc Thuringos armata manu si aliter nequeat coacturum, ut decimas sine ulla in perpetuum contradictione persoluant. Annuente Episcopo, & pactione utrinq; firmata, Rex ad publicum refert, sibi cum uxore sua non conuenire, diu oculos hominum fefellisse, ultra fallere nolle, nullum eius crimẽ quo iustè repudium mereatur affere, sed se incertum quo fato, quo Dei iudicio, nullam cum ea maritalis operis copiã habere. Proinde per Deum orare, ut se male ominata compede absoluant, patianturq; æquo animo discidiũ fieri, ut illa sibi, & ipse ei, si ita Deus uelit, felicioris matrimonij uiam patefaciat, & ne quis uiolatum semel pudorem causetur obstare iterum nupturæ, se sub iure iurando confirmare, quòd eã ut acceperit, sic incontaminatam inlibatoq; uirginitatis pudore cõseruauerit. Fœda res & ab regia maiestate nimium abhorrens uisa est omnibus qui aderant. Negotio tamen cui rex tam feruidè animum adiecisset, detractare singuli religiosum arbitrabantur. Episcopus quoq; tam pretiosa pollicitatione redemptus, quantum poterat salua uerecundia, haud ægrè causam Regis tuebatur. Itaq; cunctis id fieri decernentibus, synodum conficiendo negotio indixit Moguntiæ proxima post festum sancti Michaelis hebdomada. Hac expectatione rebus suspensis Regina Loresham, ut statutum tempus ibi præstolaretur missa est. Rex aliò quò regni negotia uocabant abijt. Interea Dedi Marchio Saxonicus cum uiduam duxisset Ottonis Marchionis, tertio prius anno defuncti, prædia etiã quæ ille à diuersis dominis beneficij loco habuerat, summa ui nitebatur adquirere. Cum nullus daret postulanti, indignitatem non ferens, Regi, per quem potissimum stetisset ne darentur, bellũ parabat, crebrisq; colloquijs Thuringos ad societatem armorum sollicitabat, promptum hoc fore sperabat, eo quòd Rex Archiepiscopum adiuuando in exigendis decimationibus, multum à se auertisset animos eorum. Incitamentum tamen illi furoris uel maximum erat uxor sæuissima. Hæc placido hominis ingenio, & per ætatem iam mansuefacto iuueniles animos inspirabat, sæpius obtundens, quia si uir esset, non inultus iniurias acciperet, nec priori marito eius audacia se imparẽ gereret, quo & uirtute & opulentia superior esset. Rex accepto nũcio grauiter permotus, ingentes copias, & quæ pluribus etiam bellis satis essent, celerrime cõtraxit. Tum uerò Episcopus Moguntinus tempus se accepisse ratus, per occasionẽ publici belli priuatũ in Thuringos odium uindicaret, infestissimus aderat Regem quàm atrocissimè rẽ agere instigabat, ipse quoq; totis amicorũ, totis Moguntini Episcopatus opibus cœpto annitebat. Non fefellit Thuringos efferatus in se animus Episcopi, nec ipsi in eũ mitiores spiritus gerentes, Legatos ad Regẽ miserũt, se nihil iniquum, nihil quod secus sit moliri aduersus eũ, nec arma contra Remp. suo cõsilio aut fauore sumpta esse, paratos se potius hostem publicũ capitis quoq; sui periculo expugnare, promptius aũt ac deuotius id facturos esse, si decimationũ leges priorũ Regum & Episcoporũ indulgentia sibi statutas, ratas inuiolatasq; fore pateretur, quod si Episcopus ad eos tem diuinam, non diuinis, sed humanis armis expugnatum ueniret, & decimas

iure belli sibi extorquere uellet, quas nec iure Ecclesiastico, nec lege forensi po tuisset, iampridem se sacramento obstrictos obligatosq; fuisse, ut raptores & prędatores inultos non sinerent, satius sibi esse mori in bello, q; amissis patrum legitimis periuros uiuere. Rex ad hæc benignè respõdit, auxiliumq; suum si in fide permanerent, certissimos sperare iussit. Dehinc ubi res matura uisa est, infesto agmine Thuringiam intrauit. Duo ibi castella quibus Marchio prędiũ imposuerat Bichelingun & Schidingen, alterũ per deditionem, alterũ manu expugnatum recepit. Cæteris illico admouendus erat exercitus. Sed Marchio aduertens nullo loco uel munitione sustineri posse impetũ Regis, incisa spe resistendi, se suaq; omnia dedidit. Thuringi etsi ut pmiserant erga regem & causam publicam deuoti fidelesq; essent: in Episcopũ tamen Moguntinũ hostilia pleraq; fecere, probris & conuicijs in faciem lacessere, milites eius dũ prædas agerent facto grege sæpius incursare, rapinam excutere, fundere, fugare. Nõnullos denicq; ministros eius, nec hos mediocri fortuna uel humili loco ortos, dũ ab exercitu regis paulo longius p̃datum abijssent cõprehensos suspenderent. Iussum tamen eis est ab Rege facile & cõtemptim, ut decimas darent, nõ quo recusantibus uim ferre in animo esset, sed ne non reddito, pmisso Archiepiscopũ offenderet. Dedi Marchio aliquandiu habitus in custodia, tandẽ adempta possessionum & redituum nõ modica parte dimissus est. Filius eius Dedi iunior patrem ea tempestate infestius acerbiusq; quàm alius quisquam insectatus est. Ob eam rem exacto bello in ingenti gloria esse cœpit apud Regẽ, egregiæ indolis adolescens, nisi ambitionis spiritu & præpropera dominandi cupidine præceps raperetur. Is non multò pòst, cum nocte quadam ad necessitatem naturę secessisset, appositò extrinsecus insidiatore confossus in inguine, & occisus est. Quis necis eius author fuerit, non satis constat, quanquam dolo nouercæ interfectũ, uulgi sermonibus passim iactaretur. Illud haud dubiè liquet, monasteria & ecclesias morientè eo magna formidine exoneratas esse, cum mentibus omnium certissima opinio insedisset, eum augendarum opum studio non Deo, non homini parciturum, qui patri proprio non pepercisset.

Imminente iam die qui scindendo regis coniugio dictus fuerat, Rex Moguntiam cõcitus properabat. Et ecce inter eundem cõperit Legatum sedis Apostolicæ suæ Mogũtiæ aduentũ præstolari, qui discidium fieri, phibeat, & Episcopo Moguntino Apostolicæ animaduersionis sententiam minitẽ, quòd tam nefariæ separationis se auctorem promiserit. Consternatus ilico quòd rem diu'exoptatam perdidisset è manibus, pariter quo uenerat in Saxoniam redire uolebat: Vix & ægrè tamẽ amicorũ consilijs superatus, ne Principes regni frustraretur, quos summa frequentia sibi Moguntiæ occurrere iussisset, Franconefurt abijt, ibiq; eos q̃ Moguntię conuenerant, statuto die adesse iussit. Quò dum frequentes uenissent, Petrus Damianus, is Legatus erat sedis Apostolicę, uir ętate & uitæ innocentia admodum reuerendus, mandata exposuit Romani Pontificis, pessimam rem & ab nomine Christiano ne dum ab regio multum abhorrẽtem esse quam moliatur. Si minus humanis legibus uel Canonum sanctionibus terreretur, parceret saltẽ famæ & existimationi propriæ, ne scilicet tam fœdi exempli uenenum ab Rege sumpto initio totum cõmacularet populũ Christianum, & qui ultor esse debuisset criminum, ipse auctor & signifer fieret ad flagitium. Postremò si non flecteretẽ consilijs, se necessariò uim ecclesiasticam adhibiturũ, & canonum lege zelus prohibiturum. Ad hæc suis manibus nunquam Imperatorem cõsecrandum fore, qui tam pestilenti exemplo quantũ in se esset, fidem Christianam prodidisset. Tum uerò in eum coorti omnes q̃ aderant Principes, aiebant æqua censere Romanum Pontificem, & per Deum rogabant, ne crimẽ inferret gloriæ suæ & regij nominis maiestatem tam turpis facti colluuione macularet,

cularet, prȩterea ne parentibus Reginę causam defectionis & iustam turbandę Reip. occasionem daret, qui si uiri essent, cū armis & opibus plurimū possent, tantam filiæ suæ contumeliam proculdubio insigni aliquo facinore expiaturi essent. Hac oratione fractus magis quā inflexus, si id inquit fixum obstinatūq; est uobis, imperabo egomet mihi, feramq; ut potero onus quod deponere non ualeo. Ita efferato magis per studium cōcordiæ odio, annuit quidem ut in regni consortium Regina reuocaretur, ipse tamen ut congressum eius cōspectumq; uitaret, adhibitis sibi uix XL. militibus in Saxoniam cōcitus rediit. Regina cum cæteramultitudine & regni insignibus paulatim subsecuta est. Cumq; ad eum Goslariam uenisset, uix compulsus ille à familiaribus suis, ut ei obuiam procederet, satis superq; pro consuetudine eam benigne suscepit. Sed protinus refrigescente amore ad ingenium suum, atq; ad pristinum rigorem animi rediit, & quia consilia scindendi coniugij sæpe iam tentata non processerant, statuit deinceps communicato cum ea solū regni nomine sic eam habere quasi nō haberet.

Maxima eo anno uinearum omniumq; syluestrium arborum sterilitas fuit.

Meginuuardus abbas Hildesheimensis abbatiam suscepit Augiensem, patefacto in eam sibi per multam largitionem aditu.

Rumoldus Constantiensis Episcopus maturæ admodū grauitatis uir obiit, cui Carolus successit Magdaburgēsis canonicus. Is à Clericis Constantiensib. primo benignè susceptus est, sed processu temporis dum pro libito suo magis q; ex ratione rē gereret, indignātes Clerici à cōmunione eius se abstinere cœperūt, ꝓpter Simoniacā hæresim, p quam Episcopatū usurpasse dicebat, id quoq; ei crimini dantes, q̄d plerosq; ecclesiæ thesauros furtiue abstulisset. Qua accusatione Romā perlata, Rom. Pont. mandata direxit Moguntino Archiepiscopo, ne ullo modo ab eo cōsecraret, donec in sui p̄sentia causa diligētius uētilaret.

Tolosæ Episcopus obiit, cui Bibo cancellarius successit, pro quo Adalbero Canonicus Mettensis cancellarius est substitutus.

M.LXX. Rex natalem Domini Frisingæ celebrauit. Episcopus Moguntinus & Colonienſis & Babenbergenſis à domino Apostolico euocati, Romam uenerunt. Ibi Episcopus Babenbergensis accusatus, quòd per Simoniacam hæresim, data pecunia, Episcopatum inuasisset, multa & preciosa munera Papæ dedit, & per hæc efferatam aduersum se mentem eius ad tantam mansuetudinem reduxit, ut qui nō sine periculo honoris & gradus sui euasurus putabatur, non solum impunitatem criminis quod obiectum fuerat consequeretur, sed etiam pallium & alia quædam Archiepiscopatus insignia, ab sede Apostolica probe nedictione perciperet. Moguntinus Archiepiscopus ultro se Episcopatu abdicare, atq; in otium priuatæ conuersationis secedere, magnopere cupiebat. Sed tam Rom. Pont. auctoritate, q̄ eorum qui præsentes erant, maturiotibus consiliis uix & ægrè abductus est à sententia. Omnes in commune acerbe obiurgati, quòd sacros ordines per Simoniacam hæresim uenderent, & ementibus indifferenter communicarent, manusq; imponerent, tandem accepto ab eis iureiurando, quod hæc ulterius facturi non essent, in sua cum pace dimissi sunt.

Dux Lotheringorū Gotefridus omnibus penè terris magnitudine suarum rerum gestarum cōpertus & cognitus obiit, & Verdunis sepultus est, cui filius eius Gotefridus successit, præstantis quidem animi adolescens, sed gibbosus.

Vdalricus Marchio Carentinorum obiit.

Rex pascha in Hildesheim celebrauit. Ibi inter milites Regis & milites Episcopi seditio facta est. Sed milites Regis in congressione superiores facti, plerosq; ex militibus Episcopi peremerunt, captosq; seditionis auctores ex edicto Regis in uincula coniecerunt.

Rex ascensionē Domini Quidelenburc, Pentecosten Merseburc celebrauit.

Augustissimum in Quidelenburc templum, cum omnibus attiguis sibi ędificijs, incertum diuina uitione an fortuita calamitate, incensum, atq; in cineres redactum est.

Clarus eo tẽpore in palatio & magnæ in Rep. auctoritatis erat Otto dux Bauariorum. Sed sicut semper gloriam sequi solet inuidia, inuidentes ei plerique homines nequam, qui malitiæ suæ, potẽtiam eius atq; immoderatam gloriam obstare querebantur, sollicitè opportunitatem ad opprimendum eum quærebant. Itaq; quendam Egenen nomine hominem ingenuum, sed omni flagitio tum genere infamatum, in necem exitiumq; eius subornauerunt. Is crimen aduersus eum detulit, quòd se ad occidendum Regem, precibus & pollicitationibus multis, sæpenumero sollicitasset, atq; in argumentum fidei gladium ostentabat, quem sibi ab eo in hos tam sceleratos nefariosq; usus datum asserebat. Si inficiaretur, paratũ se quouis indicio uerbis suis fidem facere. Qua accusatione uulgata, hi quos ratione communis commodi aliquãdo offenderat, omnes insensi infestiq; aderant, & iracundiam Regis aduersus eum inflammare summa ui, summa ope nitebantur. Igitur Rex eum Moguntiam cũ cæteris Principibus ad colloquium euocauit, quid delatum esset exposuit, negãtiq; inducias in sex hebdomadas dedit, ut Kal. Augusti Goslariam ueniens, obiectum crimen congressus cum accusatore suo manu propria refelleret. Cum in hæc uerba discessum esset, causari principes de iniquitate conditionis cœperunt, nec bonũ, nec æquũ esse dicentes, ut homo nobilissimus, integerrimæ apud omnes existimationis, nec ulla unquam sinistri rumoris macula attaminatus manum cõferre iuberetur cum homine sceleratissimo, qui si quid ingenuitatis à parentibus accepisset, id per furta, per latrocinia, denicq; per omnia uitiorũ probra iamdudum obliterasset. Ille tamen & indignitate rei efferatus, & Deo innocentiæ suæ teste & conscio fretus, cũ quouis etiam indigno, etiam præter natales suos pugnare malebat, quã tanti sceleris suspitione teneri. Igit̃ die statuta, ad proxima Goslariæ loca, cum armata multitudine uenit, missis ad Regem nuncijs, mandauit, si sibi tutò uenire, si tutò causam dicere liceret paratum se coràm uenire, & conditione quam Principes regni æquam iudicassent, crimen cuius insimulatus fuerat refellere. Rex ad hæc atrociter & acerbè respondit, se ei nec in ueniendo, nec in causa dicenda pacem aut securitatẽ polliceri, id solum expectare, ut inxta cõdictum Goslariam comminus ueniret, & si quid de innocẽtia sua præsumeret, conserta cum aduersario suo manu, æquissimo iudici Deo rem committeret, ni id faceret, se omissa legum dissidentium simultate, relegato sententiarum certamine, pro conuicto cõfesso eq; eum in tanti sceleris immanitate habiturum. Relato ad ducem hoc responso, nec tutum, nec satis honestum eius rationibus uisum est, his qui rectè ei cõsultum cupiebant, ut sic inflammatę aduersum se Regis iracundiæ illudendum se, uexandũq; obijceret, cum sibi integris ad hæc rebus & crimine necdum cõprobato, tuto coràm uenire non licuisset, quod tam iure cœli q̃ iure fori omnibus semper reis, omnibus in causis licuisset. Ita incisa spe ueniæ, infectis rebus in sua se recepit, satius putãs quoad posset armis salutem tueri, quàm ad exsaturãda hostium suorum odia turpiter more pecudum iugulari. Postera die Rex Principes Saxoniæ, quòd ex his oriundus esset, & hi propter priuatas inimicitias maxime inuisum eũ haberent, sententiam super eo rogauit. Qui eum tanquam manifesti criminis deprehensum, reum maiestatis iudicauerunt, & si caperetur, capitali in eum sententia animaduertendum fore decreuerunt. Illico amici Regis ferro & igne persequi eum singuli pro uirili portione adgrediuntur. Plerique etiam nec fide erga Regem, nec studio erga Rempub. nec ultione cuiusquàm priuatæ iniuriæ, sed sola rapinarum cupiditate arma contra eum capiunt. Ita undique laxatis, imò ruptis irarum habenis,

omnes

omnes in eum irruunt, prædia eius & possessiones alias diripiunt, uastãt, incendunt, ministros eius agrorumq; cultores, si quos fors obtulisset, obtruncant, laniant, iugulant. Sic postremò præter modum modestiamq; ira immoderatior debachabatur, ut nec ab ecclesijs, nec tẽplis, quæ ille propijs impensis Deo cõstruxerat, hostilis sæuitiæ impetus temperaret. Deinde Rex collecto exercitu egressus, extremam operi manum per seipsum imposuit. Principes quos ei consanguinitate uel alia necessitudine obnoxios nouerat, aut acceptis obsidibus, aut iureiurando ne ad eum deficerent, obligauit. Castellum eius Hanenstein à quo ad primũ statim belli terrorem præsidium abductũ fuerat, funditus euerti iussit. Alij castello quod Tessenberg dicitur exercitum iam admouerat. Sed hi qui intus erant, etsi loci situ inexpugnabiles essent, & copijs omnibus quę ad ministrando bello necessariæ erãt affatim affluerent, ultrò tamen se dedere, quã ancipitem belli fortunam tentare maluerunt. Relicto illic præsidio Rex in ulteriora loca ad demoliendas uxoris quoq; eius possessiones exercitũ abduxit, uillas multas opibus & ædificijs ornatissimas incẽdit, bona diripuit, in mulieres & pueros, nam uiri in montes & in saltus deuios se abdiderant, fœda & hostilia multa cõmisit, tantaq; in ea expeditione acerba & crudelia perpessi sunt à Rege proprio homines innocẽtes, & nulla saltem suspitione criminis cuiusquam infamati, ut nihil acerbius, nihil crudelius à barbaris perpeti potuissent. Tandẽ dux Otto perdoluit, & calamitatum pondere superata est constantia patientię. Itaq; assumptis secum ad tria milia uiris electis, & omni militaris disciplinæ studio exercitatis, impetum in Thuringiam fecit, uillas regalis fisci rebus cunctis affluentissimas incẽdit, prædam multam abegit, & milites suos quorũ plerosq; ad societatem belli sola spes rapinarum allexerat, hac primũ mercede inescauit, fidosq; ac firmos sibi effecit. Ita populabundus ultra Heschenenuuege peruenit. Ibi confluentibus ad se agrorum suorum cultoribus, quibus milites Regis præter miseram uitam nihil reliquũ fecerant, partem aliquam prædæ distribuit, uerbera diuturnæ animaduersionis fortibus animis tolerare admonuit, & pro se quandò arma ferre non possent, suppliciter ad Deũ uota facere flagitauit. Interea Thuringi, qui se ante aliquot annos sacramento obstrinxissent, ne latrones aut raptores inultos sinerent, rerum suarum direptionibus exacerbati, ad arma conclamant, cõglobatis propere ingentibus copijs, hostes uestigio insequuntur, inuentisq; haud procul ab Heschenenuuege certamen inferũt iii. Non. Sept. Nec diu anceps pugna fuit. Nam his qui cũ duce Ottone erant impigre occurrentibus uix primam prœlij procellam sustinentes in fugam uertuntur, & alij in proximos montes & syluas euadere, alij pariter quo uenerant citatis equis reuerti summo conamine nitebantẽ, haud satis auspicatò tentatam fortunę aleam detestantes. Ipse denicq; qui primo ut res certamini committeretur uehemẽtissimus auctor incentorq; fuerat Rutgerus comes, is nunc primus fugiendi auctor ac signifer apparebat, omnicq; (ut uulgo dicitur) uento citatior, mõtes & colles modernus Iothun trãsmittebat. Trecenti plus minus'ue in ea cõgressione ex Thuringis corruerunt. Ex parte altera unus occisus, duo sunt uulnerati. Dux Otto signo receptui dato cum à cęde hostium uix & ægrè militem suũ reuocasset, aliquandiu eisdem castris cõmoratus est, & uergẽte iam in uesperam die plerosq; principes exercitus sui singulos in sua cũ pace dimisit. Ipse adhibitis sibi quantas res poscere uidebatur copijs in ulteriorẽ Saxoniam contendit, ibiq; totam hyemẽ utq; ad natalem Dñi exegit, partim rapinis & depdationibus uictitans, partim ex possessionibus Magni comitis quẽ belli periculorũq; omnium socium & innocentiæ suæ deuotissimum assertorem habebat. Is filius erat Ottonis ducis Saxoniæ, egregius adolescẽs, boni & æqui in pace supra annos suos seruantissimus, & in bello audacia & uirtute militari nulli secundus. Perlato ad Regẽ

nuncio

nuncio acceptæ in Hesc'henenuege cladis, omissis rebus alijs Goslariam con citus remeauit, nec inde usquam antè natalem Domini abscessit, timēs scilicet, netam charam, tamq; acceptā sibi uillam, quam p patria ac pro lare domestico Theutonici Reges incolere soliti erant, hostes p absentiam eius, quod minita ri, & crebris usurpare sermonibus dicebantur, in fauillas cineresq; redigerent.

Adalberus Vuormaciæ Episcopus propria ut fertur, crassitudine præfocatus interijt, cui Adalbertus successit.

Kribo Diaconus frater Vuilhelmi & Ottonis Marchionū occisus est à proprijs seruis suis, uir tam diuinis q̄ secularibus literis adprime eruditus, sed propter lasciuiam morūq; intemperantiam meritò bonis omnib. grauis & inuisus.

Syluestrium arborum eadem quæ priore anno sterilitas permansit. Sed uinearum tanta fertilitas fuit, ut pleriscq; in locis præ multitudine uix colligi uindemia posset.

M. LXXI. Rex natalem Domini Goslariæ celebrauit. Ibi per interuentum Rudolfi ducis Sueuorum Vuelf filius Azzonis Marchionis Italorum ducatū Baioarię suscepit. Is filiam Ottonis ducis Baioariorū uxorem duxerat, & per iusiurandum altera iam uice matrimonio fidem dixerat. Quandiu itaq; res tranquillæ erant, quandiu etiam bellum temere cœptū sine grandi permutatione rerum sedari posse sperabat, maritalem uxori affectum & honorem deferebat, & causam soceri quantum poterat armis & consilijs tuebatur. Atubi animaduertit damnum in eum esse sententiam, & bellum, iracundiamq; Regis magis indies aduersus eū crudescere, leges omnes, uinculaq; omnia, quibus uicissim propinquitatem firmauerant, abrupit, satius putans periurij crimen & uiolatæ fidei uere cūdiam sustinere, quàm res suas florentissimas, desperatis ac perditis eius rebus admiscere. Et primo in tam trepidis rebus petenti auxilium denegauit, deinde filiam eius à complexibus suis & thori consortio segregauit, patriq; remisit. Postremò ad ipsum eius ducatum occupandum omnē operam intēdit, nihil pensi habens, quantū auri, quantum argenti, quātum redituum ac possessionum suarum dilapidaret, dum modo quod cupiebat assequeretur. Directus est ergo dolus in manu eius, & potuit & inualuit, cunctis detestantibus quod clarissimam atq; inopinatissimā in Rep. dignitatē tam fœda ambitione polluisset. Nouerat Rex haud satis placiturū Principibus Baioariæ, quòd hoc tum contra morē & ius, tum ipsis incōsultis factum fuisset, & propterea quantotius ire in Baioariā cogitabat, ut tumultum si quis fortè oriretur, per seipsum reprimeret. Sed è diuerso haud nescius erat si ipse lōgius abijsset, hostes illico in Goslariam impetū facturos, & clarissimū illud regni domicilium in cinerem redacturos. Accepto à familiaribus suis consilio, quosdam Saxoniæ principes illic præsidij causa reliquit, & ipse, sicut instituerat, in Baioariam, pficisci parabat. Interea dux Otto uidēs sibi nihil iam spei reliquū esse, cuius & bona omnia flamma hostilis absumpsisset, & ducatum alius in suam potissimum cōtumeliam inuasisset, statuit rem in extremum discrimen adducere, & cum Rege ubi primum copia fieret collatis signis dimicare. Itaq; montem qui dicitur Hasengun occupauit, ut is scilicet militibus suis quomodocūq; res in prælio cecidissent receptui foret. Eum etsi natura & situ ipso satis munitum, munitiorem tamē manu atq; opere fecit, ibiq; conuecta ex circumiacētibus agris præda Regem præstolabatur. Rex accepto nuncio nihil moratus, quantas in ea trepidatione potuit copias ex Saxonia, ex Thuringia, atq; ex Hassia celerrime contraxit. Cæteris principibus qui lōgius aberāt mandauit, ut si forte res sine mora & diuturnitate cōfici non posset, sibi quā citius possent armata manu cōcurrerent. Plurimū eo tēpore Rex consilijs utebat Eberhardi comitis, sapientis admodū uiri. Is uidens hostes sic ad bella exercitatos, sic ipsa iam desperatione, quę plerūq; timidis etiam uirtutē addere solet,

ſolet, efferatos, ſine magno detrimento Reip. nec uinci nec uincere poſſe, abiit ad ducem Ottonem, eumq; per Deum obteſtari cœpit, ne ſe ſuosq; in tantum diſcrimen præcipitaret, necdum ei omnem ſpem ueniæ, omnem reſpirandi facultatem ereptam eſſe. Si de monte quem occupauerat, exercitum abduceret, ſeq; Regi iuſtis conditionibus dederet, ſub iuramento ſe ei promittere, quod & ueniam culpæ cuius inſimulatus fuerat, & omnium quæ iure belli amiſerat reſtitutionem ei à Rege impetraret. Annuente eo, rem ad Regem detulit, & eum haud difficulter in ſententiam adduxit, quippe cum tædere eum iam belli cœpiſſet, quod propter priuatum hominis amorem à principibus per ingenium trahi, ac ſegniter geri uidebat. Pace per iuſiurandum utrinq; firmata, induciæ datæ ſunt Ottoni duci uſque in paſcha, ut Coloniam ueniens, deditionem lege, quam principes æquã iudicaſſent, perficeret. Inter has inducias cum dux Otto exercitum, ſingulos in ſua dimiſiſſet, Rethercomes, partium eius haud leue momentum, occiſus eſt ab hoſtibus ſuis propter quaſdam priuatas ſimultates.

Saricho Abbas Corbeienſis obiit, cui Vuerenher eiuſdem cœnobij monachus ſucceſsit.

Rex ſicut inſtituerat in Baioariam abiit, ibiq; compoſitis mediocriter, prout tum copia erat, regni negocijs, ad Rhenum rediit, caſtellum Hamerſtein, quod à ſuperioribus Regibus iam olim dirutum fuerat, ſummo niſu inſtaurauit. Paſcha Coloniæ celebrauit. Ibiq; rurſus Ottoni duci inducias uſq; in pentecoſten dedit. Exacta ſolennitate paſchali Leodium abiit. Ibi ad eũ uidua Balduini comitis uenit, regiæ maieſtatis patrocinium expetens contra uiolentiam improbitatemq; Rutberti fratris Balduini, qui & fratrem prælio uictũ uita priuaſſet, & comitatum eius, expulſis uxore & liberis, tyrannica crudelitate occupaſſet. Non ingratum fortaſsis lectori fecero, ſi geſtæ rei hiſtoriam quàm paucis poteto abſoluam. In comitatu Balduini eiusq; familia id multis iam ſeculis ſeruabatur, quaſi ſancitum lege perpetua, ut unus filiorũ qui patri potiſsimum placuiſſet nomen patris acciperet, & totius Flandrię principatum ſolus hęreditaria ſucceſsione obineret. Cæteri uerò fratres aut huic ſubditi, dictoq; obtemperantes ingloriam uitam ducerẽt, aut peregrè profecti, magis proprijs rebus geſtis florere contenderent, cq; deſidiæ ac ſocordiæ dediti, egeſtatẽ ſuam uana maiorum opinione conſolarentur. Hoc ſcilicet fiebat, ne in plures diuiſa prouincia, claritas illius familiæ per inopiam rei familiaris obſoleret. Igitur cum Balduinus ſenior duos genuiſſet filios Balduinum & Rubertum: Balduinum omnium quæ habebat hæredem inſtituit. Ruberto, ubi primum ætas faciendis ſtipendijs matura uiſa eſt, naues parauit, aurum, argentum, & cæteras longinquæ pfectionis impẽſas affatim præbuit, iuſsitq; ut ad gentes exteras iret, & ſi uir eſſet, propria ſibi uirtute regnum diuitiasq; pararet. Ille patri adquieſcens, aſſumpta ſecum multitudine qua regio prægrauari uidebatur nauem aſcendit, & in Gallitiã ire, eamq; ſi uotis Deus ſucceſſum annuiſſet, ſibi ſubdere cogitauit. Cumq; poſt paucos dies ad ignota quædã littora adplicuiſſet, & egreſſus in terram, ab incolis loci prædas agere cœpiſſet, illi ex omnibus partibus ad arcendam uim ilico armati conueniunt, facta cõgreſsione, eum, cum aliquandiu pugnam fortiter ſuſtinuiſſet, in fugam uertunt, fugientẽ uſq; ad naues perſequuntur, ſociosq; eius penè ad internecionem pſternunt. Ipſe cum paucis uix fuga elapſus, ad patrem tantæ calamitatis nuncius rediit. A quo propter male geſtas res contumelioſè repulſus, alia rurſum uia quandò hac non ſucceſsiſſet, fortunam tentare adgreditur, omnia paratus, etiã extrema perpeti, ut maculam ueterẽ factis recentioribus elueret. Reparatis nauibus, & numero militũ inſtaurato, marinis iterũ fluctibus ſe credidit, in regionẽ longinquã, ubi ſedẽ uaganti Deus oſtendiſſet, iter facturus. Et ecce poſt paucos dies tempeſtate infeſtiſsima circumuentus, multis

ſuorum

ſuorum naufragio amiſsis, ipſe nudus, omniumq; rerum egens, uix & ægrè in littus euaſit. De hinc aſſumpto plebeio habitu, inter eos qui Hieroſolymā cauſa orationis pergebant, Conſtantinopolim ire parabat. Vocatus eò crebris legationibus Northmannorū, qui ſub imperatore Conſtantinopolitano militabant, quicq; ei ſi illuc ueniret, totius Græciæ principatum pollicebantur. Sed imperator Cōſtantinopolitanus comperto hoc conſilio, omnia flumina per quæ tranſitus in Græciam eſſe poterat, appoſitis cuſtodibus obſeruari fecit, ut deprehenſus ilico trucidaretur. Sic conatus cœptumq; eius irritum fuit. Tandem aduertens ſic infœliciter ſibi cedere quancunq; uiam tentaſſet amplificandæ gloriæ ſuæ, deinceps in perpetuum ab oppugnatione exterarum gentium animum auocauit, atq; in Friſiam quę confinis eſt Flandriç, cui Thidericus quondam comes, & poſt hūc Florentius frater eius imperauerat, irruptionem fecit. Bis ibi cōmiſſo prælio uictus ac fugatus eſt. Tandem incolæ loci multis certaminibus exhauſti, cum animum eius uel ad mortem uel ad uictoriam obſtinatum cernerent, ultrò ſe ei dediderunt. Quod ubi frater eius Balduinus comperit, iam enim pater eius morbo ac ſenio confectus naturæ conceſſerat, atma-ta multitudine his eum ſedibus proturbare magna ui, magno molimine parabat. Cui cum exercitu aduentanti Rubertus Legatos obuiam miſit, obteſtans per Deum, ut ſe fratrem ſuū reminiſceretur, nec iura germanitatis, apud barbaros quoq; ſemper ſacroſancta & inuiolata, pollueret, miſereretur potius peregrinationis, laborum & calamitatum in quibus totam ætatem ſuam detriuiſſet, gauderet ipſe beatus ſorte ſua, quòd totam communis patris hæreditatem, quam iure gentium ſecum diuidere debuiſſet, ſolus ſine conſorte obtineret, ſe patris finibus extorrem, paterna hæreditate deſtitutū, ab ſumma gloria maiorum ſuorum ad ultimā egeſtatem coactum exteras gentes bello laceſsiſſe, terras ac maria cōcitaſſe: nihil denicq; prętermiſiſſe, ne de portione paterne ſubſtantiæ, quæ ſe contingeret, fratri moleſtus eſſet. Nunc laboribus exhauſtum, aduerſitatibus defatigatum, uix & ægre paruiſsimo terrarum angulo inſediſſe, cuius nullā partem conſtet ad eius dominiū pertinere. Poſtremò id ſe animo fixū habere, nec ab ſententia ulla ui, ulla neceſsitate abduci poſſe, ut hic aut inſtantis iam ſenectutis requiem, aut honeſtæ ſaltem mortis ſepulchrum ſit habiturus. Nihil ille his uerbis motus, exercitum haud ſegniter ad Friſiam admouebat. Tum Rubertus neceſsitate compulſus armata iuuentute, quam ſecum lectiſsimam habebat, obuiam ei proceſsit, commiſſoq; prælio ex parte Balduini multi occiſi, plures uulnerati, omnes in fugam uerſi ſunt, quos dum ipſe loco pulſos ſiſtere, pugnamq; reſtituere ſummo conamine moliretur, in cōfertiſsimos hoſtiū cuneos temere inuectus occiditur. Cuius morte comperta Rubertus ilico in Flandriā irruptionem fecit, eamq; ſibi tāquam ex iure debitæ ſucceſſionis totam mancipauit. Filius erat Balduino impubis adhuc adoleſcens, & necdum armis militaribus maturus. Is repente & perempti patris & hoſtilis irruptionis atroci nuncio attonitus, ad regem Francorum Philippum nomine confugit, auxilium, & necis paternæ uindictam expetens, eò quòd pater eius tam ipſi quàm maioribus eius ſæpe in arduis rebus commodiſsimè aſſuiſſet, & ciuitates quaſdam ex his quas Rubertus occupauerat pro donatiuo ab eo accepiſſet. Ille rei indignitate grauiſsimè permotus, ſtatim temere & tumultuario tantum milite collectum exercitū duxit in Flandriam, de magnitudine uirium ſuarum & hoſtis imbecillitate nimium præſumens. Sed Rubertus quo uiribus erat impar, eò magis utrem aſtu tractaret intentus, ſimulato aliquandiu metu, & fugiendi ſtudio, ex inſperato atq; ex inſidijs copias ſuas ſuper exercitū Regis effudit, tantūq; eis terrorem incuſsit, ut abiectis armis fugiendo ſaluti conſulere ſumma ope conarentur. Filius Balduini cum deinceps parum ſpei in armis

tibus Francorum poneret, assumpta matre sua ad Regem Theutonicorum Henricum Leodij (ut prædictum est) tum temporis positum uenit, opemq; eius aduersus patrui uiolentiam supplex implorauit, atq; ut magis eum sibi obnoxium faceret, comitatum Reginheri quondam comitis cura castello munitissimo Mons nomine, quæ scilicet prædia mater eius à priore marito suo dotis nomine acceperat, sancto Lamperto tradidit. Quæ rursum Episcopus Leodiensis duci Gotefrido, ille itidem ipsi filio Balduini beneficij loco dedit. Hoc Rex quasi pretio redēptus, Episcopo Leodiensi atq; duci Godefrido, item alijs Lotheringiæ principibus pręcepit, ut in arduis rebus præsidio illi essent, & Rubertum si iniustè inuasis sedibus ultrò excedere nollet, ui & armis expellerēt. Qui protinus coadunato exercitu, in Flandriam profecti sunt. Sed comperto quòd Rubertus cum Rege Francorum iam in gratiam rediisset, & expiata ueteri contumelia firmum sibi eum fidelemq; fecisset, infectis rebus in sua redire temerarium iudicantes cum Rege potentissimo priuatis uiribus acie confligere. Sic Rubertus deinceps Flandriæ principatu in securitate potiebatur.

Fratres de monasterio proturbati quotidie aures regias obtundebāt pro repetitione monasterij Malmendrensis, quod Abbati ereptum, Rex consilio Bremensis Episcopi, ut prædictum est, dono dederat Colonienſi Archiepiscopo. Cumq; nihil ille precibus, nihil lachrimis, nihil ipsa perurgentium importunitate moueretur, inito cōsilio, & ut fertur diuina reuelatione ad hoc faciendum incitati, ossa beati Remacli leuant, Leodium deferūtur, & Rege celebri quodam loco conuiuium agente super mēsam ipsam apponunt, obsecrātes per Deum, ut si minus filiorum, saltem patris tanti misereret iam cum Christo regnātis, & de iniurijs suis quotidie ad tribunal æterni iudicis proclamationem facientis, cui nisi sua restitueret, ultra ei propter penuriam rerum necessariarum militaturi non essent. Hoc supplicationis genere quod ad captandam beneuolentiam comparatum fuerat, Rex uersa uice nimium efferatus, concitus se relictis epulis in palatium proripuit, & quo exemplo in Abbatem tam audacis facti incentorem animaduertere deberet, plenus irarum cogitabat. Sed ecce mensa cui superpositæ erant sacræ reliquiæ, diuina uirtute confracta corruit, ministroq; Regis haud obscuri nomine uiro crura pedesq; contriuit. Qui paulo post exoratus per intercessionem beati Remacli pietate diuina, ita pristinæ restitutus est sospitati, ut ne cicatrix quidem in argumentum lęsionis abolitæ relinqueretur. Atq; ita deinceps per totam noctem, sequentemq; diem, tanta circum sanctum corpus coruscabat miraculorum multitudo, ut corporali quodammodo proclamatione uideretur beatus Remaclus ius suum expostulare. Attonitis omnibus tantæ rei nouitate, Rex timore uehementissimo correptus, ne fortè si cunctaretur, cœlestis in eum protinus ultio procederet, non solum ablata restituit, sed recentibus etiam donis pro munificentia regia magnificè cumulauit.

Hinc digressus Pentecosten Halberstat celebrauit. Ibi Ottonem ducem cæterosq; ingenuos, qui cum eo arma contra rempublicam sumpsisse arguebantur in deditionem suscepit, Principibusq; regni in custodia habendos, & statuto die sibi restituendos commendauit.

Meginuuardus Abbas Augiensis dignitate sua ultro se abdicauit, offensus tum infestatione quorundam militum suorum, qui eum grauibus contumelijs afficerant, tum importunitate Regis, qui frequentibus eum edictis urgebat, ut prædia monasterij, quæ tam eius q̄ priorum Abbatū largitione dilapidata, uix iam in usus fratrum sufficere poterant, militibus suis in beneficium erogaret. In locum eius non per electionis ostium, sed per Simoniacæ hæreseos cuniculum protinus irrupit Robertus Abbas Babenbergensis cognomento nummularius, annumeratis in ærariū Regis mille pondo argenti purissimi. Hic sordidissimis

quæstibus

quęstibus & usuris, quas etiã priuatus adhuc in monasterio exercuerat, infinitã sibi pecuniam conflauerat, & propterea mortes Episcoporum & Abbatum anxia expectatione iamdudum suspirauerat. Cumq; eos diutius uiuendo, uota sua & effrenatæ ambitionis impetum, quo præceps rapiebatur, morari grauiter & impatientissimè ferret, eo uesanię euasit, ut pręter occulta munera quibus auricularium fauor redimendus erat, Regi centum pondo auri promitteret, ut electo eximiæ sanctitatis uiro Abbate Vuiderado, sibi abbatia Fuldensis traderetur. Et profectò quod nefariè concupiuerat flagitiosissimè obtinuisset, nisi pauci quibus leges Ecclesiasticæ chariores erant, in faciem Regi, ne id faceret, obstitissent. Is pseudomonachus, dicam expressius ui doloris impulsus, is angelus satanæ transfiguratus in angelum lucis, ita sanctam & angelicam monachorum professionem infamauit, corrupit, uitiauit, ut monachi nostris temporibus atq; in his regionibus non innocentia æstimentur atq; integritate uitæ, sed quantitate pecuniæ, nec quæratur in Abbatibus eligendis quis dignius præesse, sed quis carius abbatiam possit emere. Ita proprio huius inuento, nouo atque infausto huius aucupio hæc in ecclesiam introducta est consuetudo, ut abbatiæ publicè uenales prostituãtur in palatio, nec quisquam tanti uenales proponere queat, quin protinus emptorem inueniat, monachis inter se non de obseruantia regulæ zelo bono, sed de quæstibus & usuris zelo amaro contendentibus. Sed hæc ut dignè defleri possint pro magnitudine sua, & pròprio uolumine, & prolixiore opus habent tragœdia. Ad cœptum potius reuertamur. Aduocatus Augiensis monasterij postquam pecuniarium hunc abbatem aduenire comperit, & quanta largitione aditum sibi in ouile Christi lupus rapax patefeciisset audiuit, missa obuiam legatione denunciauit ei sub interminatione salutis propriæ, ne intra possessiones Augiensis monasterij præsumeret accedere, alioquin occursurũ se & armata manu uindicaturum in libertatem, quos ipse tam caro mercimonio emisset in seruitutem. His ille auditis nimium animo consternatus est, tũ propter grauem iacturam pecuniarum suarum, tum propter ereptum sibi tanquam de faucibus, cui diu anxiè inhiasset, honorem. Et primò quidem animum induxerat, rem armis experiri, & ut dici solet, ignẽ gladio scrutari, hoc est, Simoniacam hęresim homicidijs cumulare. Sed asserentibus his qui cum eo erant, supra uires suas esse negotium, confuso (ut dignũ erat) & confecto animo abijt in possessiones fratris sui, præstaturus ibi quos exitus tam tristibus initijs fors esset allatura. Nam abbatiam Babenbergensem interea susceperat Ecebertus Gorziensis disciplinæ monachus. Ad cuius ingressum, omnes protinus fratres, quos prior ille Abbas suis, hoc est, mercatorię atq; usurarię artis disciplinis instituerat, & quasi filios patet in uitam mores q; suos (pedibus ut dicitur) ire docuerat, tanquam folia quæ uento raptantur, diffugerunt.

Carolus, cui Rex Constantiensem Episcopatum dederat, assiduis proclamationibus pro ordinatione sua sedem Apostolicam adpellabat. Econtra fratres Constantienses obstinata contentione obluctabantur, ne contra canonum instituta is, qui præter Simoniacam hæresim furti quoq; insimulatus fuerat, sibi Episcopus ordinaretur. Papa cum ei molesti essent, cognitionem causæ à se ad Archiepiscopum Moguntinum reiecit, iussitq; ut utrisq; uocatis ad synodum, rem diligentissime uentilaret, & si crimina quæ obijciebantur refellere non posset, nulla eum ratione consecraret. Hac de causa synodum Archiepiscopus Moguntiæ indixit in mensem Augustum. Rex concertationem hanc iniquo ualde animo ferebat, propter amicitiam Caroli, & plurima seruitia quibus etiam in re familiari plerunq; sibi cõmodissimè affluerat, & idcirco munera sua ta ei manere cupidissimè uolebat. Vnde Moguntino Archiepiscopo grauiter

succen-

ſuccenſebat, quòd non ſtatim eũ contemptis obſtrepentium fratrum ſimultatibus ordinaſſet. Sed ille immobilis perſiſtebat in ſententia, illud præ ſe ferẽs, quàm terribiliter anno ſuperiore à Papa pro ſimili cauſa oburgatus fuiſſet, & quàm uix & ægrè ſine damno gradus ſui euaſiſſet, & quod poſtea recentibus literis ſedis Apoſtolicæ, ne ſine diligentiſsima diſcuſsione manus illi imponeret, commonitus fuiſſet. Itaq; inſtantibus iam kal. Aug. Rex Moguntiam properabat, cupiens ipſe in diſcuſsione tanti negotij cum Archiepiſcopo cognitor aſsidere. Inter eundum Herueldiam uenit. Inde digreſſus die poſtera, in lam quæ dicitur Vtenhuſen prandendi gratia diuertit. Cumq; refecti iam ter uentiſsimo accelerandi itineris ſtudio certarim omnes caballos repeterent, accidit ut Lupoldus quidam de Merſpurg Regi chariſsimus, cuius opera & conſilijs familiariſsimè uti ſolitus erat, caballo fortè laberetur, & proprio mucrone transfoſſus ilico expiraret. Cuius calamitas intolerabili dolore & mœſtitia legem confecit, ſtatimq́ue Herueldiam reportatum in medio eccleſiæ cum magnifica funebris officij pompa ſepeliuit. xxx. quoque manſos pro anima eius monaſterio cõtradidit in loco qui dicitur Mertenefelt. Notatum autẽ eſt hunc ipſum gladium fuiſſe, quo famoſiſsimus quondã rex Hunorũ Attila in necem Chriſtianorum atq; in excidium Galliarum hoſtiliter debachatus fuerat. Hunc ſiquidem Regina Vngarorum mater Salomonis Regis duci Baioariorũ Ottoni dono dederat, cum eo ſuggerẽte atq; annitente Rex filium eius in regnum paternum reſtituiſſet. Cũq; eum dux Otto filio Dedi Marchionis Dedi iuniori in argumentũ pignuſq; indiuiduæ dilectionis ad tempus præſtitiſſet, illo ut prædictum eſt perempto, Regi, & per Regem Lupoldo huic caſu obuenerat. Vnde plerique ducis Ottonis fautores diuino hunc iudicio per eum qui ducis Ottonis fuiſſet gladium occiſum interpretabantur, eo quo ad illum perſequendum & de palatio eijciendum is potiſsimũ Regem inſtigaſſe diceretur. Legitur autem de hoc gladio in geſtis Getarũ qui & Gothi dicuntur, quod Martis quondã fuerit, quem bellandi præſidẽ & militarium armorum primum repertorem gentiles mentiebantur, eumq; poſt multa tempora paſtor quidam in terra leuiter abſconſum deprehenderit ex ſanguine bouis cuius pedem dum in gramine paſceretur uulnerauerat, iſq; eum Attilæ Regi detulerit, diuinatumq; illi fuerit omnium tunc temporis aruſpicum reſponſis, quòd gladius idem ad interitum orbis terrarum atq; ad pernitiem multarũ gentium fatalis eſſet. Quod uerum fuiſſe oraculum, multarum nobiliſsimarum in Gallijs ciuitatum hodieq; teſtantur excidia, in tantum ut gladius ipſe uindex iræ Dei ſiue flagellum Dei à Barbaris quoq; diceretur. Hæc, quoniã gladijs huius mentio inciderat, per exceſſum ſint dicta. Rex magnificè ac regaliter curato funere, Mogũtiam (ſicut inſtituerat) properauit. Cũq; ſtatuta die in ſynodo cũ Epiſcopis aſſediſſet, aderat Carolus, aderãt & fratres Cõſtantienſes, magnã ei molem criminũ obiectantes. Cõtra quos Rex quantũ ſalua uerecũdia poterat, dedita opera nitebatur, & modo obiecta purgare, modò pondus obiectorũ, q̃ nõ poterat purgare callidis ſermonib. conabat attenuare, plerũq; & iam inſtantiũ ac perurgẽtium procacitatẽ uerbis durioribus corripiebat, ac frontis impudentiam oppoſita auctoritatis ſuæ maieſtate refringere tentabat. Primũ & ſecundum diem in hoc negotio inſumpſit. Cumq; accuſatorũ cõſtantiam nec ueritate reſponſionis, nec arte dictionis eludere poſſet, ad ultimũ probatis quæ obiecta fuerant criminibus baculum epiſcopalem ab eo recepit. Verbis tamen exquiſitiſsimis mœſtitia eius conſolabatur, promittens, quod dum primum ſibi oportunum fieret, benigna uice hanc calamitatem ei compenſaret. Ipſis diebus Regina quæ unà cum Rege Maguntiæ aderat filium peperit. Sed is baptizatus ſtatim obijt, delatusq; in Hartesburg, ibi ſepultus eſt. Epi-

scopatum Constãtiensem Rex Ottoni Canonico Goslariensi dedit, recentisq; calumniæ exemplo conterritus, confestim eum consecrari fecit, ne quis scilicet aduersus eum scrupulus denuo per dilationem consecrationis oriretur.

Inter ducem Polonorum & ducem Bohemorum infestissima dissentio erat. Propter quod eos Rex in ciuitatẽ Misene autumnali tempore euocatos durius corripuit, & ut deinceps suis singuli terminis contenti essent, nec se uicissim temerarijs incursionibus lacesserent sub obtentu regiæ maiestatis præcepit, alioquin se hostẽ & uindicem experturus foret, qui prior alteri arma intulisset.

Hoc anno Colonien sis Archiepiscopus expulsis de Salefelt Canonicis ui. tam illic instituit monasticam, missis eò de Sigeberg, & de sancto Pantaleone monachis. Quo in tempore, & ego illuc ueni, conferre cũ eis de ordine & disciplina monasterialis uitæ uolens, eo q̃d magna quædã & præclara de illis uulgi opinione iactarentur. Denicq; sicut uulgò assiduitate uilescunt omnia, & populari animi nouarum rerum auidi magis semper stupent ad incognita, nos quos usu nouerant, nihili æstimabant, & hos quia nouum inusitatumq; aliquid præferre uidebantur, non homines sed Angelos, non carnem sed spiritum arbitrabantur. Et hæc opinio tam Principum q̃ priuatorum mẽtibus altius presiusq; insederat. A quibus ad populum deriuatus rumor tantum terroris pleriscq; in hac regione monasterijs iniecit, ut ad ingressum illorũ aliâs XXX. aliâs XL. aliâs L. monachi austerioris uitæ metu scandalizati de monasterijs abscederent, satiusq; ducerent de salute animæ in seculo periclitari, quàm supra uirium suarum mensuram uim facere regno cœlorum. Et reuera nõ immeritò Dominus super nostrates monachos despectionem effundere uidebatur. Nam quorundam pseudomonachorum priuata ignominia nomẽ monachorũ uehementer infamauerat, qui omisso studio diuinarum rerum totam operam pecunijs & quæstibus insumebant. Hi pro abbatijs et episcopatibus aures principum importune obtundebant, & ad honores ecclesiasticos non uia uirtutum, ut maiores nostri consueuerant, sed per ambitionis præruptum, & male partarum pecuniarum profusionem grassabantur. Denicq; in coëmptionem exigui honoris aureos mõtes quotidie promittebant, secularesq; emptores largitionis suæ immoderantia excludebant, nec uenditor tantum audebat expoſcere, quantum emptor paratus erat exsoluere. Mirabatur mundus unde tantus pecuniarum scateret fluuius, unde Crœsi & Tantili opes in priuatos homines cõgestæ fuissent, & eos potissimum homines, qui crucis scandalum & paupertatis titulum præferrent, & præter simplicem uictum & uestitum nihil rei familiaris habere se mentirentur. Ista Dominici argri zizania, hæc uineæ Dei arida sarmenta & stipula æternis ignibus præparata totum sacri gregis corpus quasi tabe quadam infecerant, & secundum Apostolum: modicum fermentũ totam corruperat massam, ita, ut omnes similes æstimaremur, nec esse in nobis putaretur qui faceret bonum, non esse usq; ad unum. Propter hoc Principes regni ad instituendam in Gallijs diuini seruitij scholam Transalpinos monachos euocabant. Nostrates autem quicunq; in illorum instituta ultro cõcedere noluissent de monasterijs cum ignominia eijciebant. Ego tamen (ut prædixi) ad eos ueniens, & per XIIII. hebdomadas apud eos partim in Salefelt, partim in Sigiberg cõmoratus, animaduerti nostras quàm illorũ consuetudines regulæ sancti Benedicti melius congruere, si tam tenaces propositi, tamq; rigidi paternarum nostrarum traditionum æmulatores uellemus existere.

Archiepiscopus Moguntinus à festiuitate sancti Michaelis usq; in pentecosten mala ualetudine laborabat, ita, ut etiam desperaretur à medicis, & de successione eius plericq; intentissimis studijs satagerent.

Carolus quem ab Episcopatu Constantiensi deiectum suprà diximus, regressus

gressus ad Magdaburgensem diocesim sexto Kalend. Ianuarij obijt.

M. LXXII. Rex natalem Domini Vuormaciæ celebrauit. Inde peragrata aliquãta regni parte Goslariam regressus, totam ibidem quadragesimam exegit. Burchardus Camerarius Archiepiscopi Maguntini Episcopus ordinatus est in Basilea.

Primus tunc in palatio erat Adalbertus Bremensis Archiepiscopus qui triumphatis æmulis suis, qui eum ante aliquot annos de palatio eiecerant, solus nunc Rege fruebatur, receptus non modo in gratiam & familiaritatem, sed penè in regni consortium & omnium quæ publicè uel priuatim agenda erant societatem. Ita Regem callidis subreptionibus suum fecerat. Sed is morbo & ætate exhaustus, cum diu per exquisitissimas medicorum operas morti obluctatus fuisset, quasi naturam arte eludere posset, mediante quadragesima XVI. kal. Apri. debitum conditioni persoluit, & pertinacibus odijs hominum quod nunquam potuerat uiuendo, tandem aliquando satisfecit moriendo. Erat planè uir admirandæ compũctionis, & potissimum dum salutarem Deo hostiam immolaret totus in lachrimas effluebat. Virgo quoq; ut ferebatur ab utero matris permanebat. Sed has in eo uirtutes nimium in oculis hominum morum insolentia & iactantiæ leuitas obfuscabant.

Corpus eius ex Goslaria in sedem episcopatus sui delatum atq; sepultum est.

Rex Palmas Coloniæ, pascha Traiecti celebrauit. Vbi dum ei populus uehementer obstreperet pro iniurijs & calamitatibus, quibus passim per totum regnum innocentes obprimebantur, pupilli & uiduę diripiebantur, monasteria & ecclesiæ uastabãtur, & ruptis iniquitas habenis in omne quo uoluisset facinus impune bachabatur. Permotus tandem uel ipsa rei acerbitate uel proclamantium importunitate, annitentibus in hoc ipsum cunctis regni principibus, exorauit Colonien sem Archiepiscopum, ut post se rerum publicarum administrationem susciperet. Diu ille restitit petenti, partim memoria ueterum iniuriarum, partim quia homo totus in Deum spensus, diuinis quàm secularibus negotijs implicari maluisset: superatus tamen unanimitate postulantium, priuatum commodum publico postposuit. Tum primum respublica in pristinum statum dignitatemq; reformari cœpit, frænaq; iniecta sunt uaganti usq; ad id tempus licentiæ. Namcùm Rex omnem causarum cognitionem à se ad Archiepiscopum tanquam ad patrem ac salutis suæ tutorem reijcere soleret, ille nec gratia cuiusquam, nec odio ab iure adiniuriam unquam abduci poterat, sed iudicabat omnia sicut scriptum est, sine personarum acceptione, nec consyderans personam pauperis iudicio, nec honorans uultum potentis. Diuites si qui per potentiã pauperes oppressisse delati fuissent, seuerissima animaduersione castigauit, castella eorum quæ malã agentibus perfugium erant, funditus euerti iussit, plerosq; ex ipsis & genere & opibus clarissimos in uincula coniecit. Inter quos illum nostra ætate nominatissimum Egenen, qui duci Bauariorum Ottoni calamitatis tantæ causa extiterat, cum plurimi aduersus eum pro priuatis iniurijs & deprædationibus faciem Regis interpellassent teneri fecit, eumq; catenis oneratum, plerunque ad spectaculum uulgi deduci iussit, ad gratificandam scilicet popularium animis regiam seueritatem. Postremò eo moderamine, ea industria, atq; auctoritate rem tractabat, ut profectò ambigeres, pontificali eum an regio nomine digniorem iudicares, atq; in Rege ipso qui in cultu atq; socordia penè præceps ierat, paternam uirtutem & paternos mores breui exsuscitaret.

Rex Aquasgrani profectus, sanctum Speum confessorem, & brachium Iusti Symeonis cuius mentio est in Euãgelio, & caput Anastasij monachi & martyris, aliorumq; sanctorũ reliquias ibi accepit, atq; in Hartespurg transtulit. Tre-

ueris quoq; apud ſanctum Paulinum XIII. corpora ſanctorum Thebæ ut pu-
tatur legionis reperta ſunt, quorum hæc nomina in tabulis plumbeis conſcri-
pta ibidem reperta ſunt, Palmatius, Syrſus, Maxentius, Conſtantius, Creſcen-
tius, Iuſtinus, Leander, Alexander, Sother, Hermiſta, Papirius Conſtans, Iouia-
nus. Dumq; ex crypta ubi ſancti pauſabant terra portaretur, os quoddam in-
caute proiectum, ſanguinem fudit non modicum, & uſq; hodie permanet ſan-
guinolentum. De paſſione eorum hæc ad nos ab ipſis Treuerenſibus ſcripta
perlata ſunt. Rictiouarus Maximiani imperatoris præfectus legionem The-
bæam iuſſu ipſius circumquaq; perſecutus, Treuerim propter ipſos III. Non.
Octobris eſt ingreſſus, & eadem die occidit, ibi ducem eiuſdem legionis, Tir-
ſum cum omnibus comitatibus ſuis. Sequenti autem die Palmatium Treueri-
cæ ciuitatis conſulem & patricium cũ omnibus eiuſdem ciuitatis principibus
interfecit. Tertia uero die cędẽ exercuit in plebe ſexus utriuſq; Horum autem
martyrũ corpora innumerabilia in ſancti Paulini Archiepiſcopi iacent eccleſia.

Rex aſcenſionem Domini Goslariæ, pentecoſten Magadaburg celebrauit.
Vbi Adalberto Bremenſi Archiepiſcopo in quadrageſima (ut prædictum eſt)
defuncto, ſucceſſorem conſtituit Liemarum, optimæ ſpei iuuenem & omnium
liberalium artium peritia adprime inſignem. Ibi quoq; Otto dux Baioariorum
poſt integrum annum deditionis ſuæ gratiam Regis recepit, data uel Regi uel
his qui Regi pro eo ſuggeſſerant non modica portione prædiorum ſuorum.

Rex in natalem ſancti Iacobi Vuormaciæ occurrit matri ſuæ Agneti impe-
ratrici de Tranſalbinis partibus redeunti. Vbi ſex aut eo amplius annos iam
demorata fuerat, ſub nimia auſteritate uitã inſtituens, adeò ut communem hu-
manarum uirium menſuram excederet, ieiuniorum ac uigiliarum patientia. Re
uerſionis autem eius in Galliam hæc cauſa erat. Rudolfus dux Sueuiæ ab his
qui ei male conſultum cupiebãt accuſatus apud Regem fuerat, quod iniquum
contra Regem contraq; remp, moliretur. Propter quod aſſiduis legationibus
ad curtim regiam ut cauſam diceret accerſebatur. Sed ille licet ab culpa remo-
tiſsimum ſe ſciret, conterritus tamen ducis Baioariæ Ottonis recenti exemplo
& aliorum quorundam quos Rex præcipitata ſententia abſq; diſcuſsione le-
gitima damnauerat, temere in periculum ſe dare nolebat. Cumq; eſſet Impera-
trici ob uetus meritũ ſuum acceptiſsimus, propinquitate etiam deuinctus pro-
pter filiã eius, quæ ei ut prædictum eſt nupſerat, ſed intra paucos dies celebra-
tę coniunctionis deceſſerat, miſit, eamq; obnixis precibus in Galliam euocauit
ad ſedandam quæ oriebatur inteſtini belli tempeſtatem. Nam firmiter apud ſe
ſtatuerat ſi pax nõ conueniſſet, armata potius manu quoad poſſet ſalutem tue
ri, quàm probris & contumelijs deformandum regię ſe tradere potentię. Impe-
ratrix quanquam cuncta ſeculi negocia religionis obtentu in perpetuum abiu-
raſſet, nec à propoſito tamen ſuo nimium abhorrere, nec ab eccleſiaſtica functi
one alienũ fore iudicauit, ſi uiro optime erga ſe merito in anguſtis rebus opem
ferret, & filio iuueniliter tumultuanti modum imponeret. Venit itaq; Vuorma
tiam ampliſsimo ſtipata numero abbatũ & monachorũ, & prędictum ducem,
cum interpoſita fide Colonienſis & Moguntini Archiepiſcoporum coram ue
niſſet omni criminis ſuſpitione abſoluit, ſtatimq; cõpoſitis propter quę uene-
rat à filio abſcelsit, ut nõ tam carnali affectione quàm communis commodi ra-
tione ad hanc ſecularis negotij adminiſtrationem ſe adductam liquidò cunctis
patefaceret. Dux quoq; à Rege dimiſſus in pace protinus, ſe in ſua recepit, cer-
tum tenens non integro abolitas ab animo Regis inimicitias, ſed ademptam in-
terim nocendi facultatem eſſe. Ibi etiam Hugo Cloniacenſis abbas, qui cum
imperatrice eò aduenerat Ruberto Augienſi abbati Romani Pontificis man-
data & literas detulit, quod ſcilicet Apoſtolicæ ſedis anathamate de corpore

eccleſiæ

eccleſiæ præciſus eſſet, quòd omne ei diuinum officium præter Pſalmodiam interdictum eſſet, omnis ei in perpetum ad abbatiam Augienſem, uel ad aliquam dignitatem eccleſiaſticam acceſſus occluſus eſſet, propterea quod de Simoniaca hæreſi inſimulatus, & ut obiectum crimẽ purgaret ad ſynodum ſecundò ac tertiò uocatus uenire diſtuliſſet. Ita ille compulſus à Rege baculum paſtoralem, quem nõ ut paſtor, ſed ut mercenarius uſurpauerat multa cum amaritudine reddidit. Clara & celebris ualde his temporibus per Gallias erat memoria ſancti Seboldi in Nurnberg, & ſancti Hemerad in Haſengun, & magno populorum concurſu quotidie frequentabantur propter opitulationes, quæ diuinitus illic languentibus ſæpenumero conferebantur.

Archiepiſcopus Moguntinus in natiuitate ſanctæ Mariæ Moguntia egreſſus, cum in Galliciam quaſi orationis cauſa profectionem ſimulaſſet, in Cloniacenſe monaſterium ſeceſſit, dimiſſisq; his qui unà uenerant, abdicatis etiam omnibus quæ habebat, ſtatuit ibi deinceps priuatus ætatem agere, atq; ab omni ſecularium negotiorum ſtrepitu ſub uoluntariæ paupertatis titulo in perpetuum feriari, Sed breui perſtitit in propoſito, reuocante eum tam clero quàm populo Moguntiacenſi, uix & ægrè abſtractus de monaſterio, in natalem ſancti Andreæ Apoſtoli Moguntiam rediit, atq; opus arduum quàm præcipitanter arripuerat, tam præcipitanter, quoniam communi omnium ſententiæ obluctari non poterat, deſeruit.

Ruthardus abbas Heruelденſis Menſe Ianuario ęgrotare cępit, & ſic per annum continua ægritudine decoctus, cum euaſurum ſe deſperaret, abbatia & paſtorali dignitate, quam per infirmitatem adminiſtrare nõ poterat III. Id. Decembris ultro ſe abdicauit, anno poſtquam abbati Maginhero ſucceſſerat terciodecimo iam exacto. Succeſsitq; ei protinus ſecundum ipſius poſtulationem H. eiuſdem cœnobij monachus. (tus ſucceſsit.

Adalbero Metenſis Epiſcopus obiit, cui Herimannus Leodienſis præpoſi-

M. LXXIII. Rex natalẽ Domini Babenberg celebrauit. Ibi Bertoldo duci Carnotenſium ducatum ſine legittima diſcuſſione, abſenti abſtulit, & Marcuuardo cuidam propinquo tradidit. Rudolfus quoq; dux Sueuorum tumultũ aliquem reipublicæ machinari formidabatur. Sed diſcurrentes utrinq; frequentes Legati, & illum, ne præcipitanter in arma prorueret, & Regem ne cunctantem obſtinata importunitate laceſſeret, ſalubri moderamine retinebant. Ibi quoq; Colonienſis Archiepiſcopus offenſus his quæ plurima præter æquum & bonum fiebant in palatio, petiit à Rege uacationem deinceps dari ſibi ab rerum publicarum adminiſtratione, cauſatus in ſenium iam uergentem ætatem, & laborioſis regni negocijs minus minuſq; indies ſufficientem. Quod Rex haud difficulter annuit, quia prauis libidinibus ſuis & iuuenilibus ineptijs iam dudum animaduerterat eum grauiter offendi, & plerunq; quantum ſalua regia dignitate poterat pro uirili portione obniti. Is ergo ubi ſe in ſua recepit, Rex tanquam ſeueriſsimo pædagogo liberatus, ſtatim in omnia genera flagitiorum ruptis omnibus modeſtiæ & temperantiæ frenis præcipitem ſe dedit. Montes omnes colliculoſq; Saxonię & Turingiæ caſtellis munitiſsimis extruxit, præſidiumq; impoſuit. Quibus cum uictui neceſſaria minus ſufficerẽt, permiſit ut ex proximis uillis & agris hoſtili more prædas agerent, & adipſa caſtella munienda circumquaq; manentes cogerent, & impenſas affatim conuectare & perſe ipſos ſeruili manu defudare. Verùm ne manifeſtè tyrannidis notaretur ſi contra innocentes atque in regnum proprium tam barbara crudelitate graſſaretur, ut impietatem ſuam quadam religionis ſpecie palliaret, Archiepiſcopum Moguntinum modis omnibus inſtigauit, ut decimationes Turingiæ ſicut ante plures annos inſtituerat exigeret, pollicens ſe ei in exi-

gendo ſumma ope aſſuturum, & dicto obtemperare nolentes regia maieſtate coacturum, ea tamen pactione, ut ipſarum decimationum partem ſibi, quæ & regiæ magnificentiæ & tanto labori ſuo digna foret, tribueret. Ita Epiſcopus uaniſsima ſpe animatus, ſynodum indixit in Erphesfurd vt. Id. Martij. Statuto die aderat Rex, aderat Archiepiſcopus, ſtipatus utercp magno grege Philoſophorum imò Sophiſtarum quos ex diuerſis locis ſummo ſtudio cõciuerant, ut Canones ſibi non pro ueritate ſed pro Epiſcopi uoluntate interpretarentur, & cauſam eius quomodo ueris non poterant, ſophiſticis allegationibus roborarent. Aſsidebant ergo cum Rege & Archiepiſcopo Moguntino Herimannus Babenbergenſis Epiſcopus, Hecel Hildensheimenſis Epiſcopus, Eppo Ciuticenſis Epiſcopus, Benno Oſenbruggenſis Epiſcopus. Qui non ad diſcutiendam iuxta eccleſiaſticas leges cauſam fuerant euocati, ſed ut id quod Rex uolebat, arte dictionis & ſententiarum pondere, poſtremò qua poſſent ratione & conſilio obtinerent, quanquam plerice eorum id quod Rex moliebatur uehementiſsime improbarent, ſed ne libere quod ſentiebant eloquerẽtur, & Regis terrore & priuata Archiepiſcopi amicitia inhibebantur. Habebat præterea rex circa ſe armatorum copias non modicas, quibus eos ſi qui forte negotium inſimum in abbate Fuldenſi & abbate Heruelden ſi nitebatur, quòd hi eccleſias decimales plurimas & prædia infinita haberent in Turingia, & hi ſi cauſa cecidiſſent ſibi unà cadendum eſſet. Qui publica diſcuſsione interpellati pro decimarũ redditione, primò per Deũ rogabant Archiepiſcopum, ut antiquitus tradita monaſteriis ſuis legitima rata inconuulſaq; manere ſineret, quæ & ſedes Apoſtolica & ueteribus & recentibus ſcriptis crebrò ſibi firmaſſet, & præceſſores eius Moguntini Pontifices ſummi ac ſanctiſsimi uiri uſq; ad Luipoldum Epiſcopum nunquam infringere tentaſſent. Id atroci reſponſo Archiepiſcopus repulit, ſcilicet pręceſſores ſuos ſua ętate pro ſuo arbitratu Eccleſię Dei moderatos fuiſſe, eosq; rudibus in fide auditoribus & penè adhuc neophytis lac potum dediſſe non eſcam, & ſapienti diſpenſatione multa indulſiſſe, quæ proceſſu temporis dum in fide conualuiſſent ſucceſſorum ſuorũ induſtria reſecari uellent. Se autem iam adulta uel potius ſeneſcente eccleſia ſpiritu alia comparare ſpirutualibus, nec iam paruulis lac ſed perfectis ſolidum cibum miniſtrare, atq; à filijs eccleſiæ leges eccleſiaſticas exigere. Proinde eſſe eis aut ab unitate eccleſiæ ſecedendum, aut legibus eccleſiæ æquanimiter adquieſcendum. Tum illi rurſus per Deum orare, ut ſi in Romani Pontificis auctoritate, ſi in Caroli aliorumq; Imperatorum priuilegijs, ſi pręceſſorum eius Moguntinorum Pontificum indulgentia, nihil ſibi præſidij aut ſpei reliquum eſſet, ipſa rum ſaltem decimarum eam ipſe partitionem fieri ſineret, quam & canonum ſcita æquam iudicaſſent, & cæteræ per orbem terrarum eccleſiæ uſitatam haberent, ſcilicet ut quarta parte ipſe pro ſuo ſuorumq; miſſorum ſeruitio contentus, tres reliquas portiones eccleſiis quibus antiquitus attitulatæ fuiſſent permitteret. Econtra Epiſcopus non ea mente ſe ait tantum laborem triuiſſe, & iam per decem fermè annos laborioſum hoc ſaxum uoluere, ut randem aliquando uoti compos effectus, ultro iure ſuo cederet, & tanto molimine extortas eis decimas ipſis pro libito ſuo partiendas addiceret. Primus ac ſecundus dies in hac concertatione iam fluxerat, ancipiti adhuc fortuna, utra pars utri ceſſura foret. Iamq; in eo res uertebatur, ut Turingi improbata ſynodo ſedem Apoſtolicam appellarent. Sed Rex ſub atteſtatione nominis diuini affirmabat, ſe in eum, ſi quis id præſumpſiſſet, capitali ſententia animaduerſurum, & omnia quæ eius eſſent uſq; internetionem diſsipaturum cladem q; eius diei multis poſtea ſeculis nõ abolendam. Ita abbas Heruelden ſis ſuorum periculo

Jo

lo conterritus, quoniam aliud in arctum cõclusis rebus non patebat effugium, rem consilio Regis permisit, quatenus prout ipse bonum & æquum iudicaret causam inter se & Archiepiscopum terminaret. Diu igitur habita deliberatione in hanc tandem pactionem mediante Rege Abbas & Archiepiscopus consenserunt, ut Abbas in decem suis decimalibus ecclesiis duas partes decimarum, tertiam Archiepiscopus acciperet. In reliquis uerò eius ecclesijs dimidia abbati, dimidia Archiepiscopo contingeret. Vbi uerò ecclesia decimalis propria Archiepiscopi esset, tota illic ei decima cederet. Præterea ut omnes dominicales Archiepiscopi curtes, in quacunq; essent parrochia ab omni penitus decimarum exactione immunes manerent. Sub iugum misso abbate Heruelden si, statim Turingi omni spe adempta, eo quòd in illius prudentia & eloquentia plurimum fiduciæ sibi posuissent, non ultra restiterunt, sed decimas in reliquum absq; retractatione dare professi sunt. Fuldensis Abbas aliquantis postea diebus obstinatus in proposito perstitit. Sed cum nec Regis gratiam recipere, nec ad sua redeundi licentiam impetrare posset, nisi in communem sententiam concederet, tandem rerum difficultate superatus, ad hanc conditionem non tam consilio quàm imperio & metu Regis coactus est, ut in cunctis decimalibus ecclesiis partem dimidiam decimarum ipse, dimidiam Archiepiscopus acciperet: dominicales autem curtes suas sicut Archiepiscopus omnes ab omni decimarum redditione liberas haberet. Tum Rex sciens haud bene placitura Romano Pontifici quæ gesta fuerant, sub interminatione gratiæ suæ utriq; abbati præcepit, ut neq; per seipsos, neque per nuncium, neq; alio quouis modo pro insimulanda synodo Apostolicam sedem interpellarent. Atque ita omnibus quæ intenderat pro uoluntate exactis, concitus Ratisponam contendit, sanctum pascha ibi celebraturus. Cumq; in ciuitate Augusta diem Palmarum ageret, Rudolfum ducem Sueuorum & alios quosdam qui sinistrum aliquid contra remp. moliri iam pridem delati fuerant, in gratiam recepit. Dein sanctum pascha sicut instituerat Ratisponæ, pentecosten in Augusta celebrauit.

Alexander Papa, qui & Anshelmus decessit, cui Romani protinus inconsulto Rege successorem elegerunt Hildebrandum, uirum sacris literis eruditissimũ, & in tota ecclesia tempore quoq; priorum Pontificũ omni uirtutum genere celeberrimum. Is quomodo zelo Dei feruentissimus erat, Episcopi Galliarum protinus grandi scrupulo permoueri cœperunt, ne uir uehementis ingenij & acris erga Deum fidei districtius eos pro negligentijs suis quãdoq; discuteret. Atq; ideo communibus omnes consilijs Regem adorti, orabant ut electionem quę eius iniussu facta fuerat irritã fore decerneret, asserentes, quod nisi impetum hominis præuenire maturaret, malum hoc non in alium grauius quàm in ipsum Regem redundaturum esset. Statim Rex à latere suo Eberhardum comitem misit, qui Romanos proceres conueniens, causam ab eis sciscitaretur, quare pręter consuetudinem maiorum Rege inconsulto Romanę ecclesiæ Pontificem ordinassent, ipsumq; si nõ idoneò satis faceret, illicite accepta dignitate abdicare se præciperet. Is ueniens Romam benigne à prædicto uiro susceptus est. Cumq; illi mãdata regis exposuisset, respõdit se Deo teste honoris huius apicem nunquam per ambitionem affectasse, sed electum se à Romanis & uiolenter sibi impositam fuisse ecclesiastici regiminis necessitatem, cogi tamen nullo modo potuisse ut ordinari se permiteret, donec in electionem suam tam regem quàm Principes Teutonici regni cõsensisse certa legatione cognosceret, hac ratione distulisse adhuc ordinationẽ suam & sine dubio dilaturum, donec sibi uoluntatem regis certus inde ueniens nuncius intimaret. Hoc ubi regi est renunciatum, libenter suscepit satisfactionem, & lætissimo suffragio

ut ordinaretur mandauit. Quod & factum est anno sequente in Purificatione sanctæ Mariæ.

Interea hi qui in castellis suprà memoratis erant, grauiter nimis imminebant populo Saxoniæ & Thuringiæ. Omnia quæ in uillis & agris erant indies eruptione facta diripiebant, tributa & uectigalia syluarum & camporum importabilia exigebant, & plerunq; sub prætextu decimarũ totos simul greges abigebant. Ipsos Prouinciales, & plerosq; ex his honesto loco natos, & re familiari florentissimos, uiliu.n mancipiorum ritu seruire sibi cogebant. Filias eorum & uxores conscijs & penè aspicientibus maritis uiolabant. Nonnullas etiam ui in castella sua raptas & quanto tempore libido suggessisset impudicissimè habitas, ad ultimum maritis cum ignominiosa exprobratione remittebãt. Quorum si quis inter tanta mala suspirare & internum animi dolorem leui saltem querimonia solari atq; euaporare ausus fuisset, statim, uelut qui grauem iniuriã regi fecisset, in uincula conijciebatur. Nec inde exire poterat nisi totius supellectilis suę distractione uitam salutemq; suam redemisset. Cumq; ex omnibus locis cateruatim quotidie pro his regiam maiestatem intetpellarent, quæ unicum ante hac omnibus afflictis refugium esse consueuerat, cum graui contumelia rejciebantur, dicente Rege ista eos pro iniusta decimarum retentione pati, secq; tanquam uindicẽ causę Dei necessariò armata manu eos coërcere, qui legibus ecclesiasticis sponte nollent adquiescere. Itaq; uidens Rex omnes circunquaq; manẽtes metu attonitos, & ad suscipiendas quascunq; impositiones patientissimos, magnum quiddam & à nullo maiorum suorum ante hac tentatũ machinari cœpit, uidelicet ut omnes Saxones & Thuringos in seruitutem redigeret, & prædia eorum fisco publico adjceret. Cauebat tamẽ ne consilium hoc immature uulgatum, & effectu careret, & principibus regni iustæ murmurationis occasionem præberet. Itaq; secretò cum rege Danorum colloquium facit, & cum eo magna quadam parte Saxoniæ, quæ Vtoni Marchioni pertinebat paciscitur, ut in conficiendis rebus quas animo agitabat auxilio sibi foret, & se Saxonibus ex uno latere bellum inferente, ipse eos ex alio latere adoriretur. Idipsum alijs qui Saxoniæ cõtigui erant regibus & gentibus iniungit. Vbi satis adminiculorum uisum est, cunctis regni principibus expeditionem indixit in Polonos, id causæ prætendens, quod Bohemos contra uetitum suum bello impetissent, & fines eorum ferro & igne infestassent. Hanc ut dixi causam in promptu habebat. Cæterum ut fama uulgatior postmodum loquebatur, sub occasione Polonorum uolebat in Saxoniam exercitum ducere, & deletis usq; ad internetionem Saxonibus loco eorum gentẽ Sueuorum constituere. Hęc enim illi gens erat acceptissima, & eorum plerosq; obscuris & penè nullis maioribus ortos amplissimis honoribus extulerat, & primos in palatio fecerat, & ad eorum nutum cuncta regni negotia disponebantur. Quæ res eum ualde exosum inuisumq; principibus reddiderat, & eorũ plericq; indignitatem rei nõ ferentes nisi pro responso necessariò euocati in totum palatio abstinebant. Igitur exercitum suum in expeditionem adunari constituit, septimo die post assumptionẽ sanctæ Dei genitricis Mariæ. Qua expectatione suspensis & intensis omnibus ipse iam ferocius solito atq; infestius agebat, posthabitis principibus solos circa se Sueuos assiduo habebat, ex his sibi auricularios à secretis, ex his tam familiarium quàm publicorum negotiorum procuratores instituebat. Tum Saxones omnes seruilis cõditionis esse crebro sermone usurpabat, nonnullos etiam ex eis missis nuncijs obiurgabat, cur sibi iuxta conditionem natalium suorum, ut ipso uerbo utar, seruiliter non seruirent, nec de reditibus suis fiscalia sibi obsequia impenderent. Contradicentes quasi qui maiestatem regiam uiolassent, totis regni uiribus persequi & de regno proturbare minabatur.

minabatur. His atq; huiusmodi inditijs Principes Saxoniæ malum quod ceruicibus suis impendebat animaduerterunt, statimq; grauiter ancipiti periculo permoti, clandestina conuenticula crebrò faciebant, & se uicissim quid facto opus esset, in medium consulere hortabantur. Vna omnium uoluntas, eadem erat sententia, eamq; dato & accepto uicissim sacramento confirmabant male se mori, atq; extrema omnia prius experiri, quàm acceptam à parentibus libertatem per dedecus amittere. Huius coniurationis auctores ac signiferi quidam erant Bucco Halberstatensis Episcopus, Otto dux quondã Baioariæ atq; Herimãnus frater Ottonis Saxonici ducis, qui superiore anno decesserat. Sed Bucco licet frequentibus iniurijs à rege lacessitus fuisset, tamẽ quia uir eximiæ sanctitatis erat, & optimæ in ecclesia Dei existimationis, credi nullo modo potest, aliter in hanc audaciam prorupisse, nisi zelo Dei & sola communis cõmodi ratione. Cæteri duo, præter publicam gentis suæ causam etiam priuato odio iampridem à Rege desciuerãt propter Magnum Ottonis ducis Saxonici filiũ, quẽ Rex in deditionem acceptũ iam per biennium in custodia tenebat. Huic ueniam admissi non aliàs impetrare poterant, nisi ducatu & alijs quæ sibi ex defunctis parentibus hæreditario iure competebant in perpetuũ se abdicaret. Quod ille nulla ratione se facturum protestabatur, etiam si sibi quicquid ætatis reliquum esset in custodia & in uinculis exigendum, etiam si per omnes cruciatus, & per omnia supplicíorum genera anima ponenda esset. Cumq; nihil supplicãdo, nihil pecuniam atq; infinita prædia offerendo, nihil sua uterq; erga ipsum regem atq; erga rempublicam multa sæpe bene merita cõmemorando proficerent, ad ultimum Otto dux quondam Baioariæ seipsum Regi obtulit quamdiu uellet in uinculis habendum, & omnia sua tanquam priori conuentione nihil actum esset, pro arbitratu suo distribuẽda, dummodo propinquum suum qui solo suarum partium studio in eam calamitatem deuenerat deditione absolueret. Adhæc fertur Rex atrox nimis dedisse responsum, ipsum & omnia quæ ipsius essent, iampridem deditionis iure in potestatem regiam cessisse, nec eum obiecto quondam crimine adhuc ita purgatum, ut sui uel suarum rerum iure gentium traditionem ullam liberam haberet. Ea uox acerbè prolata, acerbius est accepta, magnumq; odij seminarium irarumq; fomitem ministrauit. His auctoribus orta seditio, ita breui totum Saxoniæ populum quasi rabie quadam infecit, ut omnis dignitas, omnis conditio, omnis ætas quæ modò faciendis stipendijs idonea foret, uno animo, pari uoluntate, ad arma conclamaret, & se sub sacramento promitteret, aut obstinate morituros, aut gentem suam in libertatem uindicaturos. Erant in ea coniuratione principes isti, Vuezel Magdaburgensis Archiepiscopus, Bucco Halberstatensis Episcopus, Hezel Hildensheimensis Episcopus, Vuerenher Merspurgensis Episcopus, Eilberthus Mindensis Episcopus, Immet Poderbrunnensis Episcopus, Friderich Mimegardefurdensis Episcopus, Benno Misinensis Episcopus. Otto dux quondam Baioariæ, Vto Marchio, Dedi Marchio, & omni Marchione animosior atque implacatior uxor eius Adela. Egbertus Marchio Thuringorum puer adhuc infrà militares annos, Friderich Palatinus comes, Diedericus comes, Adalbertus comes, Otto comes, Conradus comes, Henricus comes, tum uulgus promiscuum supra LX. milia erat, qui ad asserendã libertatem patriæ legesq; tuendas promptissimo animo manus operamq; suam promittebant. Et uere diuinitus oblatam sibi esse occasionem dicebant, qua iugum iniquissimæ dominationis à ceruicibus suis excuterent. Dux Saxoniæ necdum aliquis constitutus fuerat, quia, sicut suprà memoratum est, dux Otto paulò ante humanis rebus excesserat, & filius eius Magnus cui ducatus legitima successione debebatur adhuc in castello Hartesburg deditus

seruabatur,& quia Rex in bona eius inhiauerat,id præstolari putabatur,ut ma
lorum pondere ac longæ deditionis tædio fatigatus ultrò iure suo cederet, &
ducatum cui Rex uoluisset dandum permitteret. Liemarus Bremensis Archie-
piscopus,Eppo Citicensis Episcopus,& Benno Osenbruggensis Episcopus,
quia in communem sententiam gentis suæ concedere nolebant,de finibus Sa
xoniæ effugati,ad regem se contulerunt,eiq; toto belli huius tempore indiui-
dui comites adhæserunt. Igitur circiter kal. Augusti adulta iam satisq; roborata
coniuratione,Legatos mittunt ad Regem tum temporis Goslariæ constitutũ,
postulantes ut expeditio,quam in Polonos instituerat sibi remitteretur,se ad-
uersum acerrimos hostes Luticios die ac nocte in procinctu atq; in acie stare,
& si paululum manus remittant, illico finibus suis insultantes aduersarios &
omnia cæde atq; incendio depopulantes aspicere. Ad horum uim arcendam
uix sibi satis copiarum esse. Proinde stultum fore ut exteris ac lõge positis gen
tibus arma inferant,qui domesticis ac penè intestinis sine intermissione bellis
quatiantur. Præterea postulant,ut castella quæ ad euersionem Saxoniæ per sin-
gulos montes colliculosq; extruxerat dirui iuberet. Vt principibus Saxoniæ
quibus sine legitima discussione bona sua ademerat secundum principũ suo-
rum iurisdictionem satisfaceret. Vt relicta interdum Saxonia,in qua iam à pue
ro residens otio atq; ignauia penè emarcuisset,etiam alias regni sui partes inui
seret. Vt uilissimos homines quorum consilio seq; remq; publicam præcipitẽ
dedisset de palatio eiiceret,& regni negotia regni Principibus quibus ea com
peterent curanda atq; administranda permitteret. Vt abdicato grege concubi-
narum quibus contra scita canonũ attrito frontis rubore incubabat,Reginam
quam sibi secundum ecclesiasticas traditiones thori sociam regniq; cõsortem
delegisset,coniugali loco haberet & diligeret. Vt cętera flagitiorũ probra qui-
bus dignitatem regiam adolescens infamauerat, nunc saltem maturato sensu
& ætate abdicaret. Postremò per Deum rogant,ut iusta postulantibus sponte
annueret,nec sibi magni cuiusquam atq; inusitati facinoris necessitatem im-
poneret. Si ita faceret,se promptissimo animo ei sicut hactenus seruituros, eo
tamen modo quo ingenuos homines atq; in libero imperio natos regi seruire
oporteret. Sin aũt,Christianos se esse,nec uelle hominis qui fidẽ Christianam
capitalibus flagitijs prodidisset communione maculari. Quod si armis cogere
instituisset,sibi quoq; nec arma deesse,nec militaris rei peritiam. Sacramẽto se
ei fidem dixisse,sed si ad ædificationem non ad destructionẽ ecclesiæ Dei Rex
esse uellet,si iuste,si legitime,si more maiorum rebus moderaretur, si suũ cuiq;
ordinem,suam dignitatem,suas leges tutas inuiolatasq; manere pateretur. Sin
ista prior ipse temerasset,se iam sacramẽti huius religione nõ teneri,sed quasi
cum barbaro hoste & Christiani nominis oppressore iustũ deinceps bellũ ge-
sturos,& quoad ultima uitalis caloris scintilla supereset,pro ecclesia Dei, pro
fide Christiana,pro libertate etiam sua dimicaturos. Vehemẽter Regem per-
mouit hæc legatio. Verum consiliarijs eius dicentibus quòd ad primum belli
terrorem tanti motus irarum deflagraturi essent,paululum resumpto spiritu,le
uiter & contemptim Legatis respõdit,nihilq; certi reportantes dimisit. Quod
ubi suis nunciarunt,atrox omnium mentibus ira incanduit, seq; mutuo ser-
mone ut contemptum sui manu uindicarent hortabantur. Obstinatum inqui-
unt in malis ingenium, nisi acrior uis adhibeatur emolliri non poterit,& nisi
ad uiuum propiusq; medullas mucro adigatur,sensum doloris non admittet.
Igitur armati instructiq; Goslariam contendunt, ibiq; mediocri à uilla in-
teruallo castra locant, statimq; efferato animo in eum irruissent,& ius suum
non iam rhetoricis allegationibus, sed bellicis terroribus expostulassent,
nisi Bucco Halberstatensis Episcopus, & pauci admodum qui sanum ali-

quid

quid sapiebant impetum tumultuantis turbæ salubri moderatione inhibuissent. Rex accepto nuncio uicini iamq; instantis periculi grauiter mente consternatus, properè in Hartesburg se contulit, eoq; secum regni insignia & thesaurorum suorum quantam in ea trepidatione potuit partem conuexit. Erant tum temporis cum eo Eppo Citicensis Episcopus, & Benno Osenbruggensis Episcopus, eorūq; consilio & prius tranquilla & nūc turbata republica omnia faciebat. Casu quoq; nuper aduenerat, nescio quid priuatæ causæ acturus in palatio, Bertoldus dux quondam Carentinorum. Huic Rex quàm sanctis obtestationibus se purgabat, quod ducatum eius nulli alij tradidisset, sed Marcuardus priuata præsumptione fines alienos inuasisset, nec ei quicquā de iure suo propterea imminutum esse, si suo iniussu sine cōsulto principum honores publicos homo ineptissimus temerasset. Ille licet hæc ficta esse sciret, & regis malitiam non tam uoluntate quàm fortunæ uiolentia correctam esse, tamen susscepit satisfactionem, promisitq; operā suam reipublicæ utilitatibus nusquam defuturam. Hunc itaq;, quia uir erat summæ prudentiæ & popularis eloquentiæ, cum duobus suprà memoratis Episcopis Rex Legatum misit ad Saxones. Ad quos cum uenissent, rogabāt eos per Deum, ut ab armis quæ honestō licet nomine, pessimo tamen exemplo sumpsissent, maturè discederent, nec rem supra modum suprāq; uires suas tentarent, quæ à cæteris regni principibus nimium improbāda foret, utpote quam nec sua nec maiorum suorum memoria unquam gens ulla tentasset, iustam eorum esse causam quos summis sępe iniurijs Regis inclementia ad hæc extrema experienda coēgisset, honori tamē suo magis consulendum quàm iracundiæ, & deferendū regiæ maiestati, quæ apud Barbaras etiam nationes semper tuta inuiolataq; fuisset. Proinde remisso armorum strepitu, pacatis animis, sopitis simultatibus, tempus locūq; constitueret, quò Rex totius regni principes euocaret, ut iuxta communem sentētiam & obiecta purgaret, & quæ correctionis egere uiderentur corrigeret. Ad hæc illi nō eadem inquiunt cæteris regni principibus, & nobis incumbit necessitas rebellionis. Cæteris enim gentibus uacatione data & penè feriatis omnibus nos solos sibi peculiariter elegerat, quos secundum Prophetæ elogium in plaustris ferreis, quorum regionibus post initum semel principatum nunquam excederet, quibus post erepta patrimonia libertatem quoq; eriperet, & natalibus omnium infamatis durissimæ seruitutis iugum inijceret, ad quorum oppressionem singulis montibus colliculisq; præsidium imponeret, ut aquas nostras pecunia bibere, & ligna nostra precio comparare cogeremur, quorum uxores & filias militibus suis publicè libidinis uictimas prostitueret, quorum tertam, quod omnium quæ passi sumus grauissimum ducimus, inauditis adinuentionibus, nec Christiano ore nominandis criminibus incessaret. Si cūm cæteris regni principibus hęc nobis communis esset iniuria, meritò ad illorum cognitionem communemq; audientiam nos reijceret. Nunc autem cū nobis aut priuata calamitate cadendum, aut priuata uirtute iniurijs sit obuiam eundum, nihil nostra interest super nostris miserijs aliorum expectare sententiam. Qua propter si eum malefactorum tandem aliquādo piget pœnitetq;, in argumentum non fictæ pœnitentiæ, castella quæ in pernitiem nostram extruxit, absque procrastinatione diruat, patrimonia nobis per uim seu per calumniam erepta restituat, postremò iusiurandum nobis det, quod legitima genti nostræ à primis temporibus constituta nunquam deinceps infringere moliatur. Si hoc faciat, licet sæpe elusi, sæpe uerbis pacificis in dolo irrisi, tamen utcunq; adhuc credimus bona pollicenti. Sin autem, omni dilatione relegata, nec expectatis aliarum gentium, aut aliorum principum decretis, iugum quod ceruicibus nostris impē. jet excutere conabimur, liberosq; nostros nostra uel morte uel uictoria

in liber-

in libertatem asseremus. In hæc uerba Legatos dimiserunt. Qui iterum missi, iterumq; remissi in eadem eos sententia obstinatos inuenerunt. Itaq; oēs uias per quas descensus esse poterat de castello adhibitis custodibus obseruari statuerunt, summa ope id præcauendū æstimantes, ne qua ei copia fieret effugiendi, & in alias regni partes bellum transferendi. Et profectò si id ritè curassent, facili dispendio & paucis admodum diebus res conficeretur, quę postmodū tanto tempore tracta, in extremum penè discrimē cunctas regni prouincias attraxerat. Neq; hoc ipsum Regem latebat. Idcirco modis omnibus intētus agebat qualiter hostium custodias falleret, & de angustijs Saxoniæ in lautsimā regni aream bellū traijceret, maximeq; ad Episcopos Rheni quos sibi ob crebra tua merita fidos firmosq; in aduersis fore sperabat. Castellū in altissimo colle situ erat, & uno tantū itinere ipsoq; difficillimo aditi poterat. Cętera montis latera uastissima sylua inumbrabat, quæ exinde per multa milia passuum cōtinua uastitate in latum extenditur, usq; ad cōfinium Thuringiæ. Et ideò nulla obsidentium diligentia conclusis egressum uel ingressum eripere poterat. Rex collato cum suis consilio frequentes ad eos Legatos mittebat, pacem postulans, & omnium quæ illos offenderāt emendationem pollicens. In quam actionem intentis suspēlisq; omnibus & iam propter res bene gestas immatura securitate torpentibus, nocte quadam cum nihil minus suspicarētur, ipse Bertoldum ducem, & duos suprà memoratos Episcopos & alios plerosq; familiares suos secum assumpsit, & præmissis ante se in sarcinis regni insignibus, & quanta tempus & res patiebant parte thesaurorū, clàm egressus est de castello, dato negocio his qui intus remanebant, ut postera die quanta possent arte præsentiā sui simularent, & hostiū animos à suspicionibus fugæ suæ auocarent. Triduo per uastissimam syluam ieiuni (ut ferūt) gradiebātur, angustissimo & paucis ante hac comperto tramite, quem uenator quidam dux itineris dum uenādi studio solertius syluarum abdita rimaretē deprehenderat, undiq; circumspectantes gladium, & ad quemlibet perstrepentis auræ sonitum, incursus hostium iamq; iugulo incumbentem interitum formidātes. Quarto die in edia, uigilijs ac longi itineris labore usq; ad extremam lassitudinem confecti Eschenauege peruenerunt. Vbi cibo somnoq; paululū recreati, postero die Id. Aug. cum iam miles frequentior ad Regem cōfluere cœpisset, Herueldiam cōtenderunt. Quatuor deinceps diebus ibidem cōmoratus est, operiens exercitū quem in expeditionē contra Polonos de toto regno suo euocauerat. Iam enim dies instabat, quem coadunando militi cōstituerat. Adelbero Vuirceburgensis Episcopus, & Herimannus Babenbergensis Episcopus, & alij plericq; principes, qui ad militiam proficiscentes in uicina loca iam deuenerat, audito quod accideratpropere ad regem adhuc Herueldiæ constitutum cōcurrerunt. Rudolfus dux Sueuorū cum Episcopis Rheni, Sueuiæ, atq; Baioarię circa Moguntiam castris positis nuncium Regis præstolabatur, per quem certius edoceretur, quonam in loco ei occurrere deberet. Audierat enim eum ab hac expeditione ad alia regni negocia animum reuocasse, sed quæ nam mutandæ sententiæ necessitas repentè incidisset, certò non cōpererat. Plericq; tamen iactitabant eum coniurationis huius cōscium participemq; extitisse, ideoq; tam lento gradu ad militiam procedere, ne aut Regi in tanto discrimine contra propositum suū pudore uictus auxilium præberet, aut si negaret, defectionem suam consiliumq; immature prodere cogeretur. Rex itaq; missis nuncijs mandauit, ut tam ipse quàm cæteri qui cum eo erant principes, citato quantum possent itinere, sibi occurrerent in uilla quæ dicitur Capella haud procul ab Herueldia. Quo cum uenissent, pedibus eorum prouolutus orabat per respectum Dei, sub cuius testificatione sibi fidem dixissent, ut super infelicibus euentis suis miserererentur pariter

pariter & indignarèntur, communia ipsorum beneficia prærepta sibi esse paucorum malignitate, qui immemores iurisiurãdi, immemores beneficiorũ quibus eos sæpenumero & priuatim & publicè sibi obligasset, cum regno etiam uitam sibi eripuissent, nisi fugæ præsidio periculum declinasset, uiolatæ regiæ maiestatis iniuriam non ad se solum pertinere, publicam esse contumeliam omnium eorum qui se regem creassent, & quorum auxilio ab improbis hominibus tutus esse debuisset: proinde omnes pro uirili portione satagerent, ne regia dignitas quam à maioribus suis honestissimam atq; præclarissimam acceperant sua ignauia fuscaretur, neue tam pessimum exemplum suorum temporum ad posteros suos inultum transmitterent. Hæc memorãdo, tam deformitate casuum suorũ quàm miserabilis quærimoniæ prosecutione omnibus qui aderant lachrimas excussit. Erant qui censerent, quomodo in expeditionem cõtra Polonos armati instructiq; uenissent, ut protinus in Saxoniam exercitus duceretur, & recentis contumeliæ uulnus recentis uindictæ antidoto curaretur. Alij decernebant, nõ esse rem præcipitanter adgrediendam, gentem Saxonum esse robustissimam, & bellorum usu propter ingenitam feritatem exercitatissimam, quæ insuper frequẽtibus iniurijs efferata ruptis iam omnibus iuris & legũ retinaculis, aut mori aut uincere sit obstinata. Propterea dandas sibi esse, quibus domum redeant, copias instruant, impensas augeant, ut multiplicatis sumptibus ad protrahendum in quaslibet moras bellum durare ualeant. Horum sententia ab omnibus comprobata decreuit Rex, ut septimo die post festum S. Michaelis miles in expeditionẽ adunaretur in uilla Heruelden sis monasterij, quæ dicitur Bredingen. Ita assumptis secum qui aduenerant Principibus abijt, Triburiam & cætera circa Rhenũ loca inuisere. Missis etiam circumquaq; nuncijs obnixè non solum Principibus, sed & popularibus, ne à se desicerent supplicabat, multa largiendo, plura pollicendo, nonnullis etiam sua restituendo, quæ superioribus annis dum prosperis successibus immoderatius indulgeret per calumniam abstulerat. Saxones comperto quòd elusis custodibus suis Rex in alias regni partes euasisset, uehementer sunt contristati, arbitrantes id quod res exigebat nihil sibi deinceps ocij aut remissi habẽdum, nec pestem hanc ut hactenus intra domesticos parietes cohibendam, sed reuelata facie bellum publicum cum hoste publico gerendum. ideoq; sibi expedire, ut quantascunq; possent gentes & regna aduersus Regem concitarent. Protinus Legatos miserũt ad Thuringos, auxilium petere & rogare, ut ipsi p̃ sua quoq; libertate, & frequentibus cõtumelijs, quibus lacessiti fuerant, arma sumere nõ pigritarentur. Thuringi celeberrimo conuentu habito in loco qui dicitur Triteburc, ubi legationem Saxonum audierũt, promptissimè assensi sunt, nec ulla unquam legatio lætioribus adclamationibus excepta est. Nec mora, iusiurandum dant nusquam se defuturos negotio, communem sibi esse cum eis rebellandi necessitatem, & ideò commune periculum, communem etiam si Deus annueret uictoriam futuram, seq; usq; ad extremum spiritum pro cõmuni utilitate dimicaturos. Denunciant pterea abbati Fuldensi, & abbati Heruelden si, & cæteris principibus qui in Thuringia prędiorum aliquid haberent, ut ad ferendũ genti suæ auxiliũ die statuto coniuraturi uenirent, ni id facerent, se bona eorũ protinus omnia direpturos. Legati etiam Regis superuenerunt, ingentia eis beneficia pollicẽtes, si fœdus Saxonum belliq; societatem respuerent. Sed cum graui contumelia sunt repulsi, intantum ut nec manibus in eos furor populi temperasset, nisi paucorum sapientium moderatio propter ius gentium, quod Legatis est deferendum interces sisset. Archiepiscopus Moguntinus Erdesfurd eo tempore morabatur. Hunc adorti in communem sententiam concedere urgebant, nec prius regionibus illis excedere passi sunt, donec datis

obsidibus

obſidibus fidem ſuam firmaret, nihil ſe aduerſum eos armis aut conſilio moſitu-
rum, quanquam nonnulli exiſtimarent, tam eum quàm Archiepiſcopum Colo
nienſem, & alios pleroſq; Rheni principes iam à principio cõiurationis huius
conſcios participesq; extitiſſe. Id tamen dum incertus adhuc rei ũ euentus pen
debat ſumma ope diſsimulabant. Igitur quoniam in exteras gentes Regẽ per
ſequi conſilium non erat, omnem operã ſuam ad expugnanda caſtella eius uer
terunt. Hæc autem ſunt caſtella quæ ipſe poſtquàm pater eius deceſſerat, extru
xit, quæ tamen ad præſens memoriæ occurrunt, Harteſpurg, Vuigantenſtein,
Moſeburg, Saſſenſtein, Spatenberg, Heimenburg, Aſenberg, Vokenroht Fri-
derici Palatini comitis fuerat, idq; ei Rex quadam legum uiolentia eripuerat,
præſidiumq; ſuum impoſuerat. Luineburc quoq; oppidum maximum Ottonis
ducis Saxonici, ſitum in confinio Saxonum & Luticiorum occupauerat, mili
tesq; lectiſsimos cum Eberhardo filio Eberhardi comitis de Ellenburc impo
ſuerat, non aliam ob rationem, niſi quod omnia quæ prædicti ducis fuerant, in
poteſtatem regiam iure deditionis per Magnum filium eius uenisſe argumen
tabatur. Alia præter hæc quàm plurima extruere aggreſſus fuerat, ſed eum ab
incœpto repente oborta bellorum tempeſtas reuocauit. Herimannus frater du
cis Saxonici iampridem antequam Rex Saxonia effugaretur, Luineburc obſe
derat, milites q; Regis quoniam temerè ingreſsi alimenta nõ habebant, paucis
diebus ad deditionem coẽgit, nec tamen dimittere uictos aut punire uolebat,
ſed intra oppidum diligenti cuſtodia ne effugerent obſeruatos ſecundum Pro
phetam pane arto & aqua breui ſuſtentabat, mittensq; ad Regem, mandauit ut
ſi ſuos qui obſidebãtur uiuos incolumesq; recipere uellet, Magnum fratris ſui
filium deditione abſolueret, ſibiq; remitteret, ni id faceret, ſe de his tanquam de
hoſtibus qui fines alienos contra leges inuaſiſſent, iuxta leges gentis ſuæ capi
tale ſupplicium ſumpturum. Diu Rex quid ageret ambigebat. Inhumanum ſci
licet fore ſciebat, ſi ſuis extrema neceſsitate circumuentis non conſuleret. Sed
reputabat econtra quantum rationibus ſuis deperiret, ſi eum de cuius interitu
ſibi totius Saxoniæ dominatum pollicitus fuerat, dimitteret, ſuiq; compotem fa
ceret, præſertim cum propter recentes iniurias quibus eum iam triennio in cu
ſtodia habitum afflixerat, grauius cæteris omnibus rempublicam uexaturus ti
meretur. Non paucis diebus hæc deliberatio eum incertum ſuſpenſumq; tene
bat. Et profectò uicisſet auaritia, priuatisq; utilitatibus ſalutẽ militum poſtha
buisſet, niſi principes regni crebris legationibus fatigati ab his qui obſidebant,
unanimi conſilio eum adorirentur, & non tam ſupplicando quàm comminan
do & terrendo ab ſententia deducerẽt. Itaq; in aſſumptione ſanctæ Mariæ, cum
adhuc Heruelditæ eſſet, miſit qui Magnum cuſtodiæ exemptũ ſuis reſtituerent,
& eos, qui in prædicto caſtello iamiam puniendi ſeruabantur, obſidione & pe
riculo liberarent. Turingi quoq; conglobata ex uicinis locis multitudine Hei
menburc caſtellum obſederunt, paucisq; diebus ui & armis oppugnatum cœ
perunt atq; ſuccenderunt. Eos qui intus erant caſtello euerſo dimiſerunt impu
nitos, ut ſcilicet ſe probarent nõ hoſtili odio aduerſus Regem arma ſumpſiſſe,
ſed tantum ut iniurias, quibus regio eorum per calumniam opprimebatur, pro
pulſarent. Protinus alij caſtello quod Aſenberc dicebatur exercitum admoue
runt, & quia propter difficultatem locorum militari manu capi poſſe deſpera
batur, caſtris circumquaq; poſitis ſatagebant ne cui ingrediendi uel egrediendi
copia fieret, ut quos humana uis non poterat, alimentorum inopia expugna
ret, haud dubiè ſcientes quod cibaria quantumuis copioſè congeſta, multitudi
ni quæ intus erat in longum tempus ſufficere non poſſent. Interea Rex uidens
coniurationem magis magisq; indies conualeſcere copiasq; hoſtium augeri,
cõterritus etiam damno caſtellorum ſuorum, quorũ alia iam capta, alia ſummo

molimine

molimine oppugnari audiebat, rogauit Mogũtinum & Colonienſem Archiepiſcopos, ut Saxones conuenirent, & turbatis rebus aliquod remedium inuenire conarentur. Qui dicto obtemperantes, mandauerunt Principibus Saxoniæ, ut ſibi in monaſterio Corbeienſi IX. kal. Septemb. occurrerent, de communi commodo tractaturis. Epiſcopus Colonienſis caſu neſcio an per induſtriam remoratus, die ſtatuto non uenit, nuncios tamen miſit qui pro ſe cauſam dicerent, promittens omnibus quæ ipſi de ſuis reiq; publicæ utilitatibus rationabiliter ſtatuiſſent, ſe promptiſsimè aſſenſurum, & pro communi ſalute, quantum poſſet, operam daturum. Moguntinus Archiepiſcopus reſidens cum Saxonibus qui occurrerant ſedulo nitebatur pacare eos, Regiq; reconciliare. Sed illi econtra, præter uulgatas ubiq; iniurias ſuas, quibus ab eo uehemẽter attriti fuerant, graues cauſas afferebant, quibus probarent eum ſine magna Chriſtianæ religionis iactura non poſſe ulterius regnare, ea ſcilicet in familiariſsimos amicos, ea in uxorem, ea in ſororem propriam abbatiſſam de Quidelenburc, ea in alias perſonas naturæ neceſsitate ſibi coniunctiſsimas facinora patraſſe, quæ ſi ſecundum Eccleſiaſticas leges iudicarẽtur, & coniugium, & militiæ cingulum, & omnem prorſus ſeculi uſum, quanto magis regnũ abdicare cenſeretur. Longis itaq; contentionibus ad hunc finem poſtremò res deducta eſt, ut decernerent XII. ex ſua gente. XII. ex parte Regis obſides dari, quorum fide interpoſita, ipſi tutò ad colloquium uenire poſſent cum cæteris Principibus regni, ut cauſæ, quas aduerſus Regem afferrent, eorum iudicio diſcuterentur & terminarentur, ipſo Rege ſi ita expedire uideretur præſente, & crimina quæ obijcerentur, ſi poſſet refellente. Dandis accipiendiſq; obſidibus dies ſtatutus eſt Idus Septembris infra Thuringiam, in loco qui dicitur Hoenburg. Habendo aũt cum Principibus colloquio dies ſtatutus eſt XIII. kalend. Nouemb. in confinio Turingiæ & Haſsiæ, in uilla quæ dicitur Gerſtengen. In hanc conditionem diſceſſum eſt. Saxones tamen de apparatu belli & oppugnandis Regis caſtellis nihil propterea remittebant. Cumq; Regi quæ geſta fuerant nunciata fuiſſent, uiſum eſt his qui partes eius adiuuabant multum abhorrere à maieſtate Regia, ut ipſe Saxonibus pro ſe obſides daret, nimiumq; grauari nomen regium fœdiſsimæ conditionis iniuria. Quapropter Moguntinus & Colonienſis Epiſcopi ſtatuta die Hoenburg profecti, obtinuerunt, ut omiſsis ex utraq; parte obſidibus, ipſi tantum pro pace firmanda fidem ſuam interponerent, & hoc pignore uenturis ad colloquium Principibus, omnem periculi metum adimerent. Interea Rex Legatos miſit ad Luticios gentem Saxonibus infeſtiſsimam, eisq; infinitam pecuniam promiſit, ut Saxonibus bellum inferrent, aſſerens eos nunc inteſtinis ſimultatibus occupatos facili externorum bellorum impulſu poſſe uſq; ad internetionem deleri. Quod ubi Saxonibus compertũ eſt, ipſi quoq; nuncios ad eos miſerunt, & multo copioſiorem eis pecuniam promiſerunt, ut ab infeſtatione ſua tam iniquo tempore quieſcerent, quod ſi non facerent ne inani opinione fallerẽtur, ſe utriq; hoſti, ſi ea neceſsitas incumbat, & multitudine & uirtute militum poſſe ſufficere. Barbarorum alij Regis, alij Saxonum fœdus pecuniamq; ſuſcipiendam clamitabant. Vnde orta per imperitæ multitudinis intempetantiam ſeditione, tanta ſe cæde laniauerunt, ut multa milia hominum in ea congreſsione interfecta referantur, atq; ita deinceps multis diebus in ſeipſos & in ſua uiſcera hoſtili gladio debachantes, externis bellis neceſſariò ſupерſedere cogebantur. Rex quoq; Danorum memor firmatę iampridem cum Rege pactionis, cum exercitu nauali applicuit ad Saxoniam, & tractis per longa terrarũ ſpatia nauibus in fluuium qui adminiſtrãdo negotio opportunus uidebatur igne & ferro regionem infeſtare parabat. Sed miles eius uehementer detractabat militiam, obijciens quòd ſibi quoties externorum hoſtium incurſionibus quaterentur,

rentur,Saxones pro muro fuerint,nec ullis unquam cum facultas ſuppeteret la ceſſierint iniurijs.Poſtremò ſi calamitatem quæ ad præſens urgeret quandoq; propulſarẽt,graues pœnas iniuſtè huius infeſtationis à populo Danorum ex- acturos.Cum hæc priuatim & publicè iactitarẽt,Rex ueritus,ne in eo diſcrimi- ne à milite deſertus,ludibrio fieret hoſtibus,naues retrahi iuſsit,& nulla regio- ni clade illata Saxonia exceſsit. Ita tantus ille bellici apparatus feruor impunè deflagrauit.Principes Saxoniæ XIII. kalend. Nouemb. iuxta condictum uene- rũt in Gerſtengun cum XIIII.milibus armatis,cætera multitudine ad cuſtodiam regionis atq; in obſidione caſtellorum derelicta. Aderãt etiam ex parte Regis Mogũtinus Archiepiſcopus,Colonienſis Archiepiſcopus,Mettenſis Epiſco- pus,Babenbergenſis Epiſcopus,Gozelo Lotheringorum dux,Rudolffus Sue uorum dux,Bertholdus Carentinorum dux,miſſa à Rege,ut cauſam quam ad- uerſum ſe afferrent diſcuterent.Ipſe eo uenire noluit,ſed in ciuitate Vuirceburg exitum rei præſtolabatur,præcauens ſcilicet,ne tumultuantis populi furor,ſua magis præſentia efferatus,aliquid forſitan in ſe,quod ſecus eſſet,admitteret.Igi tur principes Saxonię principũ qui à Rege uenerant pedibus prouoluti,roga- bant per Deum,ut ad uentilandã cauſam ſuã intenti cognitores,& iuſti iudi- ces adeſſent,nec perpenderent quantumquaq; in republica inuſitatum opus aggreſsi eſſent,ſed quæ calamitas eos ad hæc extrema coëgiſſet. Accepta dein- de dicendi copia ſuas ſinguli iniurias expoſuerunt,quæ in ipſos ſingulos,quæ etiam in gentem ſuam Rex nefanda facinora commiſiſſet,quibus præterea inau- ditis criminibus ipſam Regij nominis maieſtatem polluiſſet. Obſtupuerunt Principes qui à Rege uenerant,& pręimmanitate ſcelerum ſecundum prophe tam tinniebant aures omnium,nec eos quod pro libertate ſua,pro coniugibus, pro liberis,arma ſumpſiſſent,ſed quòd intolerabiles contumelias mulierbri pa- tientia tamdiu ſubportaſſent culpandos cenſebant. Cumq; toto triduo conſilia contuliſſent,& quid facto opus eſſet,communi ſollicitudine perquirerent, hæc poſtremo cunctis ſententia conuenit,ut reprobato Rege,alium qui gubernan do regno idoneus eſſet eligerent. Id tamẽ haud temerè publicari placuit,donec Rege per occaſionem pacis in remotiores partes regni abducto,cum cęteris re gni Principibus conſilium hoc communicarent.Propter hoc uulgari iubent in plebem,in hanc ſententiam utriuſque partis Principes conſenſiſſe,ut Saxones Regi pro admiſſa in eum atq; in rempublicam temeritate ſatisfactionem con- gruam proponerẽt.Rex autem eis & facti impunitatem,& iniuriarum quibus ad defectionem eos coëgiſſe inſimulabatur de cætero ſecuritatem ſub iureiu- rando promitteret.His rebus conficiendis tempus ſtatutum eſt in natale Do- mini Rege eam feſtiuitatẽ Colonię celebraturo.Et profectò Rudolfum ducem ibidem abſq; dilatione Regem conſtituiſſent,niſi ille pertinaciter reſiſtendo iu raret nunquam ſe in hoc conſenſurum,niſi à cunctis Principibus conuentu ha- bito,ſine nota periurij,integra exiſtimatione ſua,id facere poſſe decerneretur. Saxones in ſua cum pace redierũt.Cæteri Principes Vuirceburc profecti ſunt, Regi quę geſta fuerant nunciaturi.Qui protinus nihil hæſitans,pedibus ut dici ſolet in ſententiam abijt,& dummodo pax conueniret,quaſcunq; conditiones impoſuiſſent ſe promptiſsimè laturum ſpopondit.Celebrata ibidem omnium ſanctorum feſtiuitate,Ratiſponam ire inſtituit,animaduertens quod Principes Rheni aliquantula Saxonici furoris labe iam infecti, minus minusq; indies ad exhibenda ſibi obſequia deuoti ac beneuoli eſſent. Cumq; inter eundũ aliquot diebus Nurẽbergæ moraretur,quidã qui lateri eius iam diu familiariſsimè ob- uerſatus fuerat,Regenger nomine, incertum, aliorum inſtinctu,an priuato in eum odio ſuſcitatus,repente prorupit in medium, & ducibus Rudolfo & Ber tholdo graue aduerſus eum crimẽ detulit. Ego(inquit)& alij pleriq; quos peſ-

ſimæ

ſimæ machinationis ſuæ Rex idoneos fore adminiſtros ſperauerat, nuper multis precibus magnisq; pollicitationibus ab eo ſollicitati ſumus, ut uobis ac cæteris regni principibus Vuirceburg conuenientibus, & ſecretioris colloquij gratia paululum à multitudine remotis, armati in uos irrueremus, & trucidatis ſeditionis auctoribus, ipſum periculo, rempublicam perturbatione liberaremus. Et cæteri quidem ſatis impigrè ſuſceperunt negotium. Solus ego tam iuſtitiæ reſpectu quàm futuri iudicij metu detrectabã opus nefarium, & quantum obluctari obſtinatæ ſententiæ audebam, dehortari eum conabar à propoſito. Qua propter tanta in me incanduit indignatione, ut à contubernio ſuo, quo me hactenus cæteris familiarius perfruitum optimò noſtis, protinus me amoueret, & iugulandum apparitoribus ſuis obiecíſſet, niſi periculum immiuens penetralibus properè excedendo declinaſſem. His dictis in argumentum fidei locum expreſsit, conſcios nominauit, & ſi Rex inficiaretur, paratum ſe ait, cum ipſo ſi id leges paterentur, uel cum quouis homine conſerta manu, rem diuino iudicio committere. Vehementer hæc uerba permouerunt prædictos duces, cum eſſet is qui deferebat homo haud obſcuri nominis in palatio, & apud ſuos inuiolatæ exiſtimationis. Præterea ea res potiſsimum dictis fidem conciliabat, quod Rex & alijs quibuſdam principibus ſuis ſimili modo necem parauiſſe, & pleroſq; ex familiaribus ſuis etiam occidiſſe iampridem infamatus fuerat. Itaq; legatos ad eum mittunt, mandantq; ſe iam nulla religione teneri ſacramenti, quo ei fidem ſubiectionemq; firmaſſent, cum ipſe prior fidē prodidiſſet, & de ſalute ſua tractantibus inſidias machinatus fuiſſet. Proinde niſi obiecta diluiſſet nullam deinceps à ſe uel in tranquillis rebus fidem, uel in perturbatis auxilium ſperare debere. Aegrè nimis id paſſus Rex, ſtatim ad populum retulit de importunitate Rudolfi ducis, qui ut inuadendi regni occaſionem inueniret, cùm uerum ſibi crimen impingere non poſſet, falſis ſuſpitionibus & arte compoſitis rumoribus impeteret, & obruere conaretur innocentiam ſuam. Sed procul ait faceſſant uerborum pugnæ, ceſſent callida argumentorum phantaſmata. Ego non uerbis ſed manu mea refellam mendacium, & neglecta interim Regij nominis maieſtate, cum ipſo duce R. congreſſus detegam cuniculos fictæ huius criminationis, qua malitiam ſuam palliare conatur, ut ſi regnum amiſero, non mea culpa ſed per illius ſubplantationem periurium q; intelligar amiſiſſe. Tunc Vdalricus de Gosheim, unus ex his, qui conſilij participes, & ſceleris adminiſtri deſtinati fuiſſe accuſabantur, lenibus uerbis dolorem Regis mitigare ſtudebat, rogabatq; eum ne aliquid quod infra regiam magnificentiam eſſet, ui doloris impulſus profiteretur, ſe melius multoq; rectius cum Regingero uel cum quolibet homine collata manu & ſuam & ipſius innocentiam aſſeruturum. Statimq; ad ducem R. abijt, ſeq; paratum dixit quocũq; modo ipſe æquum iudicaſſet mendaciũ Regingeri refellere. Ille ſatisfactionem nec ſuſcepit, nec aperta frõte abnuit, ſed ait ſe ſuper hac re deliberatione cæterorum principum ſententiam expectaturum. Rex ſicut inſtituerat Ratiſponam cõtendit, omnibus inuiſus, omnibus ſuſpectus, nec ipſe iam cuiquam hominum ſatis fidei habens, cum hi quoque quos intima familiaritate ſibi deuinxerat, ad primam ingruentis tempeſtatis nubeculam à ſe defeciſſent. Interea Saxones crebris legationibus urgebant principes Rheni ut uel ſibi conſtituendi Regis poteſtatem facerent, uel ipſi quando & dignitate & multitudine ſuperiores eſſent, quem cunq; uellent Saxonibus ſuffragium ferentibus eligerent & conſtituerent, nec ſinerẽt rem publicam unius hominis ignauia ad extremam uſq; uaſtitatem deperire. His accenſus Archiepiſcopus Moguntinus cui potiſsimum propter primatum Moguntinę ſedis eligendi & conſecrãdi Regis auctoritas deferebatur, Principes de toto regno Moguntiã euo-

cauit ut communi consilio Rudolfum ducē Regem cōstituere. Quod ubi Re-
gi compertum est, assumptis secum quoscunq; donis uel promissis ad studium
suarū partium allicere potuit, concitus de Baioaria remeauit, ratus ante omnia
impediendæ tantæ rei curam agendam. Cumq; prope Vuormatiam in locum
qui dicitur Louendeburg uenisset, grauissima ęgritudine corieptus, multis die
bus lecto decubabat, spemq; maximam hostibus suis fecerat, tantos irarū mo-
tus sine sanguinis effusione posse confici. Sed ab infirmitate uix dum plene re-
creatus Vuormatiam festinauit, Vbi cū magna pompa à ciuibus in urbem sus-
ceptus est, qui & paulo ante ut sua erga eum studia clariora facerēt, milites Epi
scopi ingressum eius prohibere tentantes urbe expulerant, & ipsum Episco-
pum, nisi mature fuga lapsus ciuitate excessisset, cōprehendissent & uinctum
ei misissent. Venienti ergo ei armati instructiq; obuiam procedunt non ad uim
faciendam, sed ut conspecta eorum multitudine, armorum apparatu, expedi-
torum iuuenum frequentia, animaduerteret in arduis rebus suis quantū spei in
eis ponere debuisset. Operam suam benigne spondent, iusiurādum dant, sum-
ptus ad bellum ministrandū ex sua re familiari singuli pro uirili portione offe-
runt, & quoad uiuant pro honore eius deotè se militaturos confirmāt. Ita Rex
ciuitate munitissima potitus, hanc deinceps belli sedē, hanc regni arcem, hanc
utcunq; res cecidissent tutissimum asylum habere cœpit, eo quod esset & ciui-
bus frequens, & murorum firmitate inexpugnabilis, & ubertate circumiacen-
tium regionum opulentissima, & omnibus quæ in bello usui esse solent copijs
instructissima. Porro hi qui ab Archiepiscopo Moguntino ad colloquium Mo
guntiam euocati fuerāt, audito quod Rex concitus aduētaret, plures metu per-
culsi eò uenire dissimulauerunt. Pauci qui uenerunt, cum de tantis rebus sine ali
orum principum discussione sententiam ferre non auderent, irriti frustraq;
discesserunt. Ad quos Rex Legatos mittens, multis precibus eis uix & ęgre ex
torsit, ut sibi familiaris colloquij gratia in Oppenheim occurerent. Quo dum
datis utrinq; obsidibus propter periculi suspitionem uenissent, pedibus eorum
prouolutus, suppliciter orabat, ut memores iusti iudicis Dei, memores sacra-
menti quo se Deo mediante obligassent, fidem sibi seruarēt in aduersis, si quid
ante hac excessisset, iuuenilibus animis, & ætati in uitium pronæ ueniam da-
rent, deinceps & malo correctum, & annorū sensuq; maturitate roboratum;
quæ paruuli sint euacuaturum, & quæ uirtutis, quæ honoris, quæ regiæ digni-
tatis, quæ postremo uirum deceant cogitaturum, & amplexurum. Ad hæc
illi responderunt, frustra eum à se fidem expetere, quam ipse nec Deo un-
quam nec homini præstitisset, de quo ambigerent in pace an in bello, amicis
an inimicis infestior suspectiorq; esset, quiq; ante paucos dies positis sibi in
Vuirceburg & de salute eius tractantibus clanculo carnifices mortemq; præ-
parasset. Sin aliquid haberet obtendere, aut per quorundam factionem falsis
criminibus se impetitum putaret, sineret Vdalricum de Cosheim sicut profes-
sus fuisset manum confere cum Regingero, ut si uicisset, eos deinceps fidos si-
bi obnoxiosq; sine omni in perpetuum contradictione haberet. Libenter Rex
suscepit conditionem, statuitq; ut certo die post octauam Epiphanię congressi
prope Moguntiā in insula Rheni, quæ dicitur Morauua utriusq; partis allega-
tionem iusto iudici Deo decernendam permitterent. Ea tempestate hi qui in
Hartesburg erant multa & præclara militaris audaciæ facinora fecerunt. Nam
sæpenumero erumpentes, prædas in uicinis regionibus & strages hominum
non modicas agebant, priusquàm Saxones ad uim arcendam frequentes con-
fluere possent se in castellum receperant. Maxime aūt Goslarienſibus propter
uicinitatem exitiales erant. Plurimos enim eorum peremerunt, & bona eorum
quæ extra uillam reperta fuissent crebra incursione populabantur, & mer-
catores

catores exterarũ gentiũ ne conſuetas merces eò cõferent metu uitæ amittendę inhibebant. Cunctis tempore quodã ad modicum inter eos pax cõueniſſet, quidã ex caſtello Goſlariam priuatæ rei aliquid ibi acturi uenerunt. Vbi cibo potuq; diſtenti, dum nimia potione incaluiſſent, ſicut ebrietas mater eſſe ſoletiurgiorum, cœperunt aduerſum eos cum quibus accumbebant ineptos incondi-tosq; ſermones iactitare, & Saxonibus ignauiam exprobrare, quod non militari ſed ouina mente aduerſus Regẽ arma ſumpſiſſent. Indignati qui aderãt Saxone ſeditione concitata eos trucidauerunt, forasq; proiecerunt. Quod ubi his qui in Hartesburg erant compertum eſt, dedita opera ſe in ultionem ſociorum ſuorũ accinxerunt, & quia uillam uiris fortibus, uallis & ſeris undiq; munitam incurſare haud ſatis tutum putabatur, dolo eos circũuenire parabant. Erat quidã Goſlariæ pfectus Bodo nomine, Regi tẽpore pacis acceptiſsimus, nunc quoq; turbata publica fidem inuiolatam ei ſeruans, occulte tamen metu Saxonum, ne deprehenſus factione uulgi omnia ſua amiteret. Is edoctus ab his, qui in caſtello erant paſtores, qui Goſlarienſium pecora ſeruabant, precio corrupit, ut gregem paulo longius à uilla in paſtum eĩcerent. Miſsi de caſtello equites ea protinus abegerunt, cæteri in montibus & ſyluis armati ſe abdiderunt. Perlato Goſlariam rumore abactorum, unanimiter ad arma conclamant, ſummis omnes uiribus in certamẽ ruunt, nec quiſquam alterum operiebatur, ſed citato quiſq; quantum poterat equo prior hoſtem inſequi prædamq; excutere contendebat. Illi paululum fuga ſimulata, cedebant inſequentibus, donec eos ultra locum inſidiarum incautos protraherent Tunc ſublato undiq; clamore, tam hi qui in caſtello remanſerant, quám hi qui in uicinis montibus ſe occultauerant, impetum in eos fecerunt & tamdiu palantes fugientesq; proſternebant, donec non ratio ſed fuſi ſanguinis horror ac ſacietas occidioni finem facerent. Propter hæc & alia huiuſmodi placuit Saxonibus proximum caſtello collem occupare, militeſq; imponere, qui contra excurſiones hoſtium ſine intermiſſione intenti ſollicitiq; excubarent. Nec ſic tamen audaciæ eorum modum impoſuerunt, ſed ubicunq; oportunitas ſe præbuit, multa & in eos à quibus aſſeruabantur & in alios prouinciales hoſtilia fecerunt. Interea inſtante iã natali die Domini milites Regis, qui Aſenburg obſidebãtur, aſſiduo Legatos ad regem mittebant, rogantes per Deum, ut ad ereptionem eorum aliquod conſilium exquireret, quandoq; deficientibus alimentis extrema iam inedia tabeſcerent: & niſi mature periclitantibus conſuleretur, aut moriendum ſibi eſſe, aut in hoſtium poteſtatem concedendum. Rex Moguntinum & Colonienſem Archiepiſcopos ad colloquium euocans, obnixe rogauit, ut Saxones cõuenirent agerentq; cum eis, ut ab oppugnatione caſtellorum, datis ſaltem ad modicum tempus inducijs recederent. Illi quanquam laborem hunc in irritum ceſſurum haud dubie ſcirent, tamen quia moleſtus erat, facturos ſe quod rogabantur promiſerunt, ſtatimq; miſsis Legatis, mandauerunt Principibus Saxoniæ, ut ſibi proxima hebdomada poſt epiphaniam Corbeiæ ad colloquium occurrerent. Hoc anno poſt exortum bellum Saxonicum, nulla deinceps exactio facta eſt decimarum in Turingia, gaudentibus Turingis quod occaſionem inueniſſent, ut traditas ſibi à patribus leges manu militari tuerentur, & dolẽt Rege, quod dum decimis immoderatius inhiaret penè regnum cum uita amiſiſſet. Hoc etiam anno famoſiſsimus ille Egen, qui duci Baioariæ Ottoni capitale illud crimen intenderat cõprehenſus in quodam latrocinio à populariibus cœcatus eſt, & ad tantam egeſtatem redactus, ut deinceps oſtiatim circumeundo ſtipẽ publicã peteret. Giſo quoq; comes & Adalbertus cum IIII. filijs ſuis, quibus incentoribus idem perditus tragicam hanc fabulam cõfinxerat, ab hoſtibus ſuis ob priuatas quaſdam inimicitias occiſi ſunt in caſtello ipſius Giſonis Hollen-

den, Deo uindicante innocentiam ducis Ottonis.

M.LXXIIII. Rex natalem Domini Vuormaciæ celebrauit. Longè aliter ibi uictitans quàm regiam magnificentiam deceret. Nã neq; ex fiscis regalibus quicquam seruicij ei exhibebatur, neq; Episcopi aut Abbates uel aliæ publicæ dignitates cõsueta ei obsequia præbebãt, sed in sumptus quotidianos necessaria ei uili precio coemebantur. Erant tamen cum eo nonnulli ex principibus, sed hi neq; cum eo seruitiorum apparatu, neq; cum ea militum aut apparitorum frequentia qua soliti fuerant, sed cum paucis & penè priuato habitu ad salutandum eum uenerant, ne scilicet manifestæ defectionis notarentur, si euocati ad curtem uenire detrectarent. Quos tamen ille nullo modo à se abscedere permittebat, reputans quod si minus auxilij sibi, hostibus tamen multum terroris allaturi essent, dum tam illustres in regno personas aduersus se cõgregatas audirent. Moguntinus & Colonienſis Archiepiscopi die statuta Corbeiam iuxta condictũ uenientes, sicut in mandatis à Rege habebant, rogabant Saxones qui ibidem occurrerant, ut ab oppugnatione castellorum exercitum abducerent. At illi nulla ratione hoc se facturos responderũt. Præterea uehementer eos obiurgarunt, quod dum deliberando & modò colloquia, modò inducias expetendo tempus tererant, & Regi audaciam auxissent, & sibi maximas cõmoditates uindicandæ libertatis corrupissent, proinde recederent, nec sibi ultra uerbis pacificis in dolo illuderent, se in eum locum progressos esse, ubi iam nõ muliebribus colloquijs, sed militaribus armis res expedienda sit. Vix tandẽ sedata multitudine ab his qui sapientiores erant, unanimi consensu statuerũt, ut proxima hebdomada post purificationem sanctæ Mariæ Friteslar conuenirent, ibiq; communicato cum cæteris regni principibus consilio, periclitanti reipublicæ rectorem, qui omnibus placuisset constituerent. Regi quoq; mandauerunt, ut si ita sibi expedire iudicaret, die statuta præsto adesset, & ius suum non per epistolas aut per internuncios, sed præsens ipse uiua uoce expostularet. Postquam in hanc sententiam digressi sunt, Turingi tertia de hinc die eos qui in Asenberg erant, inedia expugnatos in deditionem acceperunt, impunitosq; dimiserunt, castellũ succenderunt, statimq; alij castello quod Spatenberg dicebatur exercitum admouerunt. Castellum Vokenrot paucis antè diebus cœptum fuerat obsideri. Et quia regina in eo toto tempore belli huius seruabatur, iussu regis profectus eò Abbas Heruelden sis consentientibus Turingis eam inde accepit, atq; Herueldiam adduxit prægnantem, & iam de partus uicinitate indies anxiantem. Cunq; ibi diebus multis moraretur, nesciente scilicet rege propter perturbationem reipublicæ quò eam mittere posset seruandam. II. Idus Febru. feria IIII. peperit filium. Is quomodo infirmari & iam expiraturus putabatur, tertio die baptizatus est ab Ezzone Altenburgensi Episcopo, qui tunc fortè apud Abbatem hospitabatur, & nomine auui sui Cunradus est uocatus. Et quomodo alij non aderant qui dignè eo munere fungerentur, Abbas & alij plerique fratres Heruelden sis cœnobij eum de sacro fonte susceperunt.

Reginger qui ad suggilandum regem contra Vdalricum de Cosheim proposuerat, antè paucos dies ineundæ congressionis dirissimo dæmone arreptus, horrenda morte interijt.

Interea Rex cum uideret quod paulatim à se principes deficerent, & hostium ferocitas sua magis patientia increscere, pudore compulsus pariter & necessitate, statuit extremam fortunæ aleam tentare, & cum Saxonibus, ubi primùm copia fieret collatis signis dimicare, magis eligens uitam honestè quam regnum per dedecus amittere. Multum enim animos militum ab eo euocauerat, quod suis qui quottidie oppugnabantur, expellebantur, non subueniebat, & alijs pro salute eius anxiè desudantibus ipse intra muros Vuormaciæ inerti

ocio torpeſcebat, ut hoc crimen elueret, uel morte paciſci cupiebat. Igitur miſit ad omnes Principes regni, eoſq; per Deũ obſecrabat, ut ſibi auxilio uenirent, multa ſua erga eos in præteritum benemerita commemorans, plura in futurum pollicens. Et multi quidem Epiſcoporum protinus ad eum conuenerunt, ſed hi conſilijs præbendis paratiores quàm ſtipendijs faciendis. Nam militibus ſuis domi relictis, ipſi cum paucis & penè priuati aderãt, ea ſcilicet mente, ut & de inobedientia apud eum excuſarentur, & cauſam eius quam uehementiſsime omnes improbabant nõ multum adiuuarent. Sed Archiepiſcopus Mõguntinus, Archiepiſcopus Colonienſis, Epiſcopus Argentorati, Epiſcopus Vuormatienſis, quem ciuitate ſua ſuprà expulerat. Præterea duces omnes Baſoariæ, Sueuiæ, Lotharingiç, Moſellæ regionis, Carentinorum, milites etiam Fuldenſis & Heruelденſis Abbatũ conſtanter ei contradixerũt, nolle ſe ad oppreſsionem innocentum arma ferre, qui ſi etiam aliquid, quod gladio uindice plecti debeat admiſiſſent, ad hoc eos grauis & facile excuſabilis neceſsitas impulſſet. Rex Vuormacia egreſſus VI. Kal. Febru. Heruеldiam cum exercitu uenit. Eo die uiſum eſt in cœlo ſignum mirabile. Oriente ſole duæ ſimul collumnæ aurei coloris ſplendidiſsimi fulgoris dextra leuaq; oriebãtur, quæ uſq; quo ſol aliquantis lineis in altum excreſceret, eodem iubare rutilantes permanebant. Præcedenti quoq; nocte cœleſtem arcum circa gallorum cantum ſereniſſimo cœlo plericq; uiderunt. Frigus erat ualidiſsimum, & hyberna ſiccitate arebant omnia, in tantum ut flumina non ſuperficie tenus glacie conſtricta, ſed tota præter ſolitum in glaciem couerſa uiderentur. Vnde panis inopia uehementer laborabat exercitus, eo quòd propter rigorem fluminum ubiq; ceſſante molarum uſu, ipſum quod fortè inueniſſent frumentum comminuere non poterant. Rex pridie quàm Heruеldiam ueniret, miſit Abbatem Heruеldenſem ad Saxones, qui in ulteriore ripa Vuirræ fluminis ad XL. milia congregati reſidere ferebantur, inueſtigare ab eis, an nuncij ſui tutò ad eos ire ac redire poſſent. Ipſe tranſgreſſus Heruеldiam, in proximis uillulis reditum Abbatis præſtolabatur, duobus fermè milibus à prædicto fluuio, nec ulterius caſtra mouere uoluit, donec miles frequentior conueniret, & ipſe diligentius perquireret, an aliquá ſpes recuperandæ pacis reliqua eſſet. Siquidem audierat Saxonibus placuiſſe, ut ei ingreſſum Turingiæ non concederent, ſed ſtatim in ipſa ripa fluminis prædicti quod Haſsiam Turingiamq; dirimebat inſtructa acie exciperent uenientem. Fluuiũ glacies pedeſtri itinere commeabilem fecerat. Ea res maiorem ei metum incutiebat, ne forte dum adhuc imparatus imparq; tantæ multitudini eſſet, hoſtes ſuper eum nulla itineris difficultate præpediti repente irruerent. Ideoq; conſiliarijs ſuis grauiter ſuccenſere dicebatur, quod eum Vuormacia egredi, & in tantũ diſcrimen ultro ſe præcipitare permiſiſſent. Saxones enim in tantum abundare multitudine ferebantur, ut undecim milia plebis quomodo ſubitò clamore in expeditionem euocata cibos ſecum non ſumpſiſſent, in domos ſuas tanquam minus ſibi neceſſaria remitterẽt. Inter has moras exercitus Regis prędę quam pugnę auidior, per contiguas Heruеldię uillas longe lateq; diſcurrebat, eaſq; hoſtiliter depopulabatur, & ſub prætextu neceſſarij uictus, quo in militiam aleretur præter miſeram uitam nihil reliquum faciebat innocentibus. Neq; Rex prohibebat iniuriã, ut militem hoc precio redemptum deuotiorem ſibi faceret. Qua clade ita attritæ atq; exhauſtę ſunt poſſeſsiones Fuldenſis monaſterij atq; Heruеldẽſis, ut ingraueſcente alimentorũ inopia, magna cum difficultate fratres retinerentur in Monaſterijs. Abbas Heruеldenſis reuerſus à Saxonibus, retulit eos præter omniũ opinionem mitia atq; pacifica reſpondere, quod ſcilicet non ita expertes rationis, ita ſint immemores uulgati etiam apud barbaras nationes iuriſgẽtium, ut neſciant ab iniuria legatorũ etiam

inter atrociſsimas inimicitias temperandum, ſe extrema neceſsitate compulſos in aciem proceſsiſſe, nec ad perſequẽdum quenquam, ſed ad ſe protegendos iniurias q; propulſandas arma ſumpſiſſe, ſi ea neceſsitas adimatur, etiam nunc pacem quam bellum malle, & diſtrictos iam gladios libenter in uaginam remittere. Grata admodum erat his qui cum rege erant reſponſio. Tunc miſsi ſunt quatuor ex Epiſcopis, agere cum eis de pace, & promittere ex nomine Regis, quod omnibus quæ rationabiliter poſtulaſſent, & quæ electi ex utraq; parte iudices æqua cenſuiſſent, promptiſsimè annueret, dum ipſi quoq; uicisim iuſtis conditionibus adquieſcerent, & manſuetudinem eius quàm manum militarem experiri mallent. Ad hæc illi reſponderũt, nihil aliud ſe poſtulare quàm quod multis iam ſæpe legationibus poſtulaſſent, ſcilicet ut caſtella quæ ad oppreſsionẽ per Saxoniam & Turingiam exſtruxerit ſine dilatione dirui iubeat, ut ſua ſingulis patrimonia per uim ſeu calumniã erepta reſtituat, ut duci Ottoni, ad quem extinguendum falſa criminatione & peſsimo nefarij hominis artificio impudenter abuſus ſit, ducatum Baioariæ reddat, ut Epiſcopo Moguntino, Epiſcopo Colonienſi, duci Rudolfo, poſtremò omnibus qui in hac diſſenſione ab eo defeciſſent, aut aliquid quod eum læderet aliarum partium ſtudio admiſiſſent, impunitatẽ tribuat, nullasq; in perpetuũ offenſæ huius pœnas exigat, ut libertatem gentiſue & legitima à primis temporibus ſtatuta, rata atq; inuiolata manere ſinat, ut totam in ſola Saxonia ætatem inerti ocio deditus nõ tranſigat, ſed interdũ Goslaria decendes, regnum ſuum, quod maiorum eius induſtria latiſsimum ſit, circũeat, eccleſiis & monaſterijs, uiduis & orphanis, & cæteris qui calumniam patiantur iuſta faciat, & regiam dignitatem quam nomine præferat, regalium morum & operũ claritate exornet. Si hæc ſe facturum fideliſsime polliceatur, & ad firmamentũ indubitatæ fidei fideiuſſores ſibi det eoſdem, quos nunc habeat recuperandæ pacis interceſſores principes regni, paratos ſe arma deponere, pacem ſuſcipere, & deinceps dicto obtemperantes uiuere. Sin hęc reſpuat, ſacramento ſe obſtrictos eſſe, ut quãdiu ſibi uitalis calcis ultima ſcintilla ſuperuiuat, p libertate, pro legibus, p patria indefeſsi dimicent. Dura nimis regi uiſa eſt exactio, cœpitq; huc & illuc anxius tergiuerſari, fidemq; principum ſuorum appellare, ne ſe ſub iugum tam fœdæ conditionis ad ſui omnium ignominiam mitti paterentur, illud præ cæteris intolerabile iudicans, quod caſtella ſua deſtruere & hoſtibus ſuis præmia pro ſupplicijs reddere cogebatur. Cunq; ſpreta pace quæ offerebatur ſequenti die exercitum recenſeri, aciemq; ad pugnã inſtrui placuiſſet, miſit circunquaq; ad habitacula principum, iubens ut ſuos ſinguli ad aciem inſtruendã producerent. Omnes promptiſsime ſe dicto parere ſpoponderunt, ſed redeuntibus nuncijs nullus caſtris eſt egreſſus, detrectantibus cunctis opus nefarium, ut eis quorum cauſam iuſtiſsimam æſtimarent certamen inferrent. Ex alia quoq; parte caſtra Saxonum non minima ſeditione quatiebãtur. Plebs uniuerſa tumultuabatur contra principes, quod ſe fruſtra in tantas bellorũ procellas impuliſſent. Cũ enim nunc uictoriã omnia ſpondeant, & oportunitas ad uotũ arrideat, ad quam ab exordio belli anhelantibus ſemper animis ſuſpirauiſſent, ipſi repentina pœnitudine correcti manus ſupplices tẽdant, pacẽ petant, & ei à quo toties eluſi ſint, iterum ſe eludẽdos muliebri ſocordia & puerili leuitate tradant. Duci quoq; Ottoni uehementer inſiſtebant, ut accepto ſuper ſe regno ducatum ſibi præbere, inde undi certaminis, & proſpera omnia promittenti Deo manus ſuas operamq; nõ negaret. Tunc circunſtantes Regem hiquorum conſilio familiarius uti conſueuerat, cum ſubterfugiendæ conditionis ſtudio diuina atq; humana omnia ſollicitantem uiderent. Nullum inquiunt ô Rex habemus diuerticulum aut æquanimiter ſuſcipienda eſt conditio quam impoſuerint, aut regnũ cum magno

etiam

etiam uitæ periculo amittendum. Acie uis confligere, periculumq; armis propulſare: ſed qua uirtute putas, is miles hoſtē congreſſus proteret, qui modo ad recenſendum exercitū nomen dare iuſſus, ne caſtris quidē exire uoluit, paruo interuallo abeſt hoſtiū infinitus exercitus, ſed cunctis hoſtibus plus tibi formidandi ſunt hi qui lateri tuo familiariter obuerſantur, qui interim tibi ſimulata fide blanda loquūtur, quamdiu eos quibus ſe ſacramento obligauerunt prælio laceſſere non coguntur. Quod ſi claſsica inſonuerint, & preſsius poſito pede aut ferri aut ferire angustia loci coartabuntur, nimirum aut dicto citius diffugient, aut te deſerto ad partes hoſtium tranſibunt. Vnde ſatius fuerat Vuormacia non excedere, quam in extremum diſcrimen progreſſum fidei principum tam iniquo tempore experimentum quærere. Vnum tamen patet inciſæ ipei & undiq; impeditis rebus effugium, ſi facturum te quæ poſtularis incunctanter promittas. Ita & iuueniliter exultantium hoſtium ferocitatem eludere, & periculum quod faucibus urget euadere, & regnum deinceps ſopitis in perpetuum cunctis ſimultatibus poteris obtinere. Tum ille non tam ratione uictus quàm neceſsitate cum omnia prius incaſſum pertentaſſet diuerticula, tandem accitis ad concilium principibus, permiſit ut pro ſuo arbitratu tantos motus cōponerent, promittens ſe indubitata fide omnibus annuere, quæ ipſi conficiendis tantis rebus competere iudicaſſent. At illi reſponderunt, non aliam prorſus patere uiam ſubterfugiendi, quod ſtricto iam mucrone cōminus intentaretur prælij, quam ut faceret quę Saxones poſtulaſſent. Quod cum ſub teſtificatione nominis Chriſti ſpopondiſſet, profecti ſunt ad eos XV. Epiſcopi, & quicquid principum in caſtris erat, referre illis regis uoluntatem. Multæ ibi dictæ ſententiæ, multa ſunt conquiſita argumenta, cum propter ſuſpectam regis ferocitatem & ſæpenumero ſpectatā fidem nulla Saxonibus uiderentur ſatis tuta conſilia. In longum protracta deliberatione, ad ultimum hoc pacto recuperādæ paci conſenſerūt, ut ſi quando Rex acceptæ læſionis memor ſententiam reuocare, aut aliquid eorū q̄ modo ſuprema neceſsitate cōpulſus ſtatuiſſet in irritū ducere conaret, omnes eodē quo nunc ſacramēto obſtricti arma repeterēt iniuriæ obuiam irent, & tanquam euidentis periurij reum cunctis regni principibus ſuffragium ferentibus de regno proturbarent. In hæc uerba omnes ut erant conglobato agmine ad uidendam faciem Regis proceſſerunt ipſo die purificationis ſanctæ Mariæ, præeuntibus his, qui tēperandę pacis mediatores fuerant Epiſcopis & aliis principibus. Quos ille uenientes honorificè ſuſcepit, oſculum præbuit, & pacis conditiones quas per internuncios ſignificauerat uiuæ uocis auctoritate roborauit. Ita compoſitis omnibus ex ſententia, his qui partes ſuas impenſius curauerant, dona iuxta magnificentiam regiam largitus eſt, dimiſsiſq; ſingulis in locum ſuum ipſe iunctus Saxonibus Goslariam perrexit. Deſtinatis etiam circumquaq; nuncijs, mandauit ut ab oppugnatione caſtellorum exercitus abduceretur, & hi qui in caſtellis erant nihil deinceps hoſtile in prouinciales facerent, ſed ubi primum cibaria quæ in diutinam adminiſtrationem affatim congeſta fuerant conſumpſiſſent, ipſa caſtella prouincialibus traderent funditus diruenda. Nec Saxones magnopere curabant, has inducias, quamuis nō minimum haberent ſuſpectas, cum in poteſtatem ſuam redactum ſcirent communi ſententiæ non poſſe refragari. Igitur cum ueniſſet Goſlariam, iuuenes qui in Hartesburg, fuerant, quiq; propter res bene geſtas in magna apud eum admiratione habebantur, uehementer improbabant cōuentionem pacis, & quia ſecundum prophetam dolus directus fuerat in manibus eorum, multa & ſupra menſuram ſuam magnifica ei promittebant de uiribus ſuis ſi in procinctu perſtitiſſet. Oſtentabant etiam ad experimentum uirtutis ſuæ titulos interfectorum Goslarienſium, diſpoſitos per omne illud ſpacium

quod à Goslaria usq; in Hartesburg duobus fermè milibus interiacet. Hęc au diendo malis assuetus animus, & per ætatem gloriæ militaris auidus paulatim reformabatur ad ingenium suũ, atq; ad rigorem pristinum, factiq; iam non me diocriter pœnitebat. Cumq; à Saxonibus promissa sua reposceretur, cœpit rur sum callidis responsionibus tergiuersari, & petere, ut ad conuentum princi pum regni communemq; audientiam res integra differretur, quatenus eorum iudicio de singulis quod honori, quod utilitati reipublicæ conduceret statue retur. Illis annuentibus præcepit, ut VI. Id. Martij principes de toto regno Gos lariam cõuenirent. Statuto die cæterorum principum nullus eò uenit. Saxones & Turingi cum infinita multitudine de tota Saxonia & Turingia sacramento euocati aderant, & haud procul à Goslaria castra metati, Legatos ad Regem miserunt, agere cum eo de conditionibus, quibus inter se & eum pax conue niret. Triduo integro & hi modo supplicãdo, modo terrorem bellicum inten tando acriter instabant, & ille sedulitatem instantium lubricis responsionibus eludere conabatur, & modò de absentia principum causabatur, ad quorum iu dicium ea res potissimum spectaret, modò obnixè flagitabat, ut cæteris omni bus iuxta conditum manentibus, sola castella quę summis impensis ad muni mentum regni exstruxisset, sibi condonarẽtur. His scilicet saluis facilem duce bat cæterarum rerum iacturam, eo quòd speraret se in his utcũq; res cecidissent semper refugium habiturum, & perpetuas à Saxonibus omnibus, quam nunc intulissent, contumeliæ pœnas exacturum. Iamq; spretis legatorum supplica tionibus reprobatis familiarium suorum consilijs fixus obstinatusq; persiste bat in proposito, cùm subitò nunciatur, quod Saxones omissis internuncijs, per quos ante hac res agebatur armati instructiq; ad palatium tenderent, nec iam promissa reposcere, sed ei ualefacto, Regem quem deinceps belli ducem habeant constituere uellent. Præterea Archiepiscopus Bremensis, Episcopus Citicensis, Episcopus Osenbruggẽsis, & cæteri qui propter impensius studiũ partiũ eius Saxonia effugati, possessionibus nudati, pluribus ignominijs de formati fuerant, unanimiter circumsteterunt eum per Deum obsecrantes, ut si minus propriç, saltem eorũ calamitatis misereretur, qui propriis sedibus odio nominis eius expulsi anno iam fermè integro per omnes miserias uitam traxis sent, fidem se ei in aduersis intemeratam seruasse, & quęcunq; præter uoluntatem accidissent, communicato labore tolerasse, nunc quoniam Deus tãtas re rum procellas benigna uice in sedem reduxisset, gauderet sorte sua, & ne dein ceps tale naufragium incideret, tuta nunc statione locatus prouideret. Quod si res tranquillas & propitia diuinitate iam ad honorem eius ex sententia com positas rursus interturbare atque implicare uellet, quos exitus habiturus esset ipse prospiceret, se superioribus malis iam usq; ad extremam lassitudinem de fatigatos necessariò deinceps loco & tempori concessuros, & genti suæ ne de nuò patria expellantur obnoxios futuros. Inter hæc uerba cum Saxones iam armata multitudine atrium palatij replesse, & ad uim faciendam paratos, incon ditis motibus perstrepere cerneret, tandem ancipiti periculo permotus consen sit, ut duci Ottoni ducatum Baioariæ reposcenti, intra anni spacium iuxta prin cipum iurisdictionem satisfaceret. Castella uero sua omnia sine dilatione de strueret, sed ea conditione, ut Saxones & Turingi sua quoq; castella, quæ tem pore regni eius exstructa fuissent pari modo diruerẽt, cætera etiam omnia quę in Gerstengun pollicitus fuerat fide integra exoluerentur. Nec perficiendis quæ promiserat improbitas Saxonum ullas indulsit inducias. Vnde continuò missis circumquaq; nũcijs Vokenrot & Spatenberg, & cætera castella de qui bus quæstio promulgata fuerat, succendi ac penitus dirui fecit. In Hartesburg muri tantum sunt diruti, quantum ad infirmãdam munitionẽ difficultatemq; loci

loci adimendam sufficeret. Cæteris ædificijs status mansit incolumis, eo quòd ecclesia illic constructa & canonicorum congregationi instituendæ locus attitulatus fuisset. Ita pacatis Saxonibus Rex Goslaria decedens Vuormatiam abijt, ibiq; totam quadragesimã ab omni deinceps belli apparatu feriatus exegit. Porro uulgus Saxoniæ id potissimũ quod contiguas castello Hartesburg uillulas incolebat, uehementer offenderat, quod in Hartesburg ullæ seruatæ essent reliquiæ, nec quicquam tantis laboribus actum putabant stante atq; incolumi castello quod omnium cladium quas acceperant caput principiumq; extitisset, & quod circumiacentis regionis opulentissimas quondam uillas, nunc in horrorem uastamq; solitudinem redigisset, non detulisse Regem cultui diuino, sed sub prætextu religionis crudelitatis suæ patrocinium quæsisse, ut scilicet instaurato post modicum bello, cum hęc ira Saxonibus deferbuisset, locum habeat, ubi milites suos rursus ad euersionem Saxoniæ tutò emittat, tuto recipiat, & tunc tanto uictis incumbat infestior, quanto nunc discedat Saxonum lætis successibus efferacior. Hæc uicissim intemperatis clamoribus serendo in magnam se ferocitatem inflammarunt. Igitur tertio die postquã Rex abscesserat, inscijs inconsultisq; principibus, facto grege in Hartesburg irruũt, quod residuum erat murorum à fundamento deijciunt, lapides longè lateq; dispergunt. Cæteris ædificijs quæ indulgentia principũ integra seruauerat idem faciunt, ecclesiam quæ accelerandi operis studio interim lignis elegantissime constructa fuerat incendunt, thesauros diruunt, altaria cõfringunt. Postremò ne qua Regi instaurandi castelli occasio reliqua esset, filium eius & fratrẽ quos ille ad gratificandum popularibus locum ibi tumulauerat effodiunt, aguntq; omnia quantum possunt, ne administrando bello deinceps mons complanatus ullam præstare possit oportunitatem. Reliquias sanctorum quæ effractis altaribus erutæ fuerant & effossa defunctorum corpora abbas ex uicino cœnobio opportunè superueniens furenti uulgo eripuit, atque in suum monasterium cum honore transuexit. Perlatus ad principes Saxoniæ rumor admissi facinoris grandi eos formidine perculit, ne rex tanta iniuria exacerbatus causaretur ab ipsis fœdus esse uiolatum, & iustam exinde occasionem instaurandi belli nactus cunctas aduersus eos regni uires concitaret. Id consultò præuenire cupientes, grauiter in eos qui tale flagitium admiserant animaduertunt. Deinde Legatos ad Regem mittunt, obsecrantes per Deum, ut se habeat excusatos, nec conscios se tanti sceleris, nec incentores extitisse, patratumq; nõ secus quàm ipsum grauiter & iniquo animo ferre, quod si minus fidei habeat negantibus, paratos se quouis genere satisfactionis dictis fidem facere, & uiolatę pacis à se suspitionem amouere. Ille uehementer efferatus quòd dolorem pristinum, qui necdum in cicatricem cutem obduxisset recentibus iniurijs exulcerassent, quandoquidem inquit nec Forenses leges contra uiolentiam Saxonũ quicquam proficiunt, nec iniurias meas desertus à milite armis persequi ualeo, ad leges ecclesiasticas iam necessitate coactus confugiam, & ubi humana cessant auxilia diuinam opem implorabo. Protinus Legatos Romã misit, sedem Apostolicam contra eos interpellare, qui ecclesiam incendissent, altaria confregissent, sepulchra uiolassent, & odio uiuentis in sepultos cineres barbara crudelitate debachati fuissent. Pascha Babenberg celebrauit, erantq; cum eo Archiepiscopus Moguntinus, dux Carentinorum Bertoldus, & alij quàm plures ex his, qui bello Saxonico ab eo defecerant. Cum enim crimen rebellioni Saxonibus donasset, alijs Regni principibus, qui coniurationis socij fuerãt, quod iustè succenseret non habebat. Ipso tempore Colonię res accidit digna omniũ bonorum miseratione & lachrimis, incertũ leuitate uulgi an factione eorum q uicem Regis in Archiepiscopũ ulcisci cupiebant. Id magis uenit in suspitionẽ,

quod cum celebre apud omnes esset nomen Vuormacienſium, pro eo quod Regi fidem in aduersis seruassent, & Episcopum rebellare tentantem ciuitate expulissent, Colonienses pessimum exemplum æmulati, suam quoque deuotionem insigni aliquo facinore Regi gratificare uellent. Ad patrandum quod nefarie machinabantur, casus idoneam attulit occasionem. Archiepiscopus Pascha Coloniæ celebrauit, eratq; cum eo Episcopus Mimigardeuuardensis ad cõmunicanda tantæ solennitatis gaudia familiaris amicitiæ obtentu euocatus. Cumq; exactis ex parte feriis paschalibus abscedere pararet, hi qui Archiepiscopi domestica negotia curabant, iubentur ad euectionem eius nauem idoneam prouidere. Lustratis perspectisq; omnibus, unam mercatoris cuiusdam prædiuitis nauim, quia in eos usus competens uidebatur, occupãt eamq; in ministerium Archiepiscopi, eiectis mercibus quas habebat, ocyus expediri iubẽt. Negantibus famulis qui nauim seruandam susceperant, uim nisi maturè iussa capessant minitantur. Illi quantum poterant citato cursu ad dominũ nauis rem deferunt, & quid facto opus sit consulunt. Habebat ille filiũ adulta ætate, non minus audacia quàm uiribus excellentem, & tum propter generis affinitatem, tum ob merita sua primoribus ciuitatis maxime charũ & acceptum. Is assumptis famulis suis & iuuenibus ex ciuitate, quantos in ea trepidatione in auxilium suum cõscisci potuit, concitus ad nauem euolat, & ministros Archiepiscopi acriter ut nauis exoccuparetur insistẽtes cum iniuria proturbat. De hinc aduocatum urbis in idem opus succedentem, tumultusq; instaurantem simili constantia repellit, fundit & fugat. Iamq; & his & illi sui singulis amici armati subsidio adcurrunt, & ad magnum discrimẽ pugnamq; ancipitem res spectare uidebatur. Perlato nuncio ad Archiepiscopũ, quod atrocissima seditione conflueretur ciuitas, misit festinanter ad sedandos motus populi, irarũq; plenus minabatur se proxima sessione seditiosos iuuenes merita pœna coërciturum. Erat quippe uir omni genere uirtutũ florentissimus, & in causis tam reipublicæ quàm ecclesiæ Dei spectatæ sæpius probitatis. Sed ũnũ in tantis uirtutibus uitium tanquam tenuis in pulcherrimo corpore næuus apparebat, quod dum ira incanduisset, linguæ non satis moderari poterat, sed in omnes, sine personarum acceptione, rixas, & conuicia amarissima rotabat. Hoc in se, cùm iram paululum digessisset, uehementer & ipse reprehendebat. Vix ad modicum dirempta est concertatio. Sed ferox animis & elatus primo successu inuenis non cessabat interturbare omnia, percurrensq; ciuitatem uarios sermones per populum serebat de insolentia & austeritate Archiepiscopi, qui toties iniusta præciperet, toties innocentibus sua adimeret, toties honestissimos ciues procacissimis uerbis incesseret. Nec difficile fuit id hominũ genus in omne quod uelles, tanquam folium quod uento rapitur, transformare. Quippe qui ab ineunte ætate inter urbanas delitias educati, nullam in bellicis rebus experientiã habebãt, quiq; post uenditas merces inter uina & epulas de re militari disputare soliti, omnia quæ animo occurrissent, tam facilia factu quàm dictu putabant, exitus rerum metiri nesciebant. Præterea in mentem ueniebat Vuormacienſiũ insigne præclarumq; facinus, quod Episcopum suum insolentius agere incipientẽ urbe expulissent, & cum ipsi multitudine, opibus armisq; instructiores sint, dedignantur quod inferiores æstimentur audacia, & Archiepiscopum tyrannico sibi fastu imperitantem tamdiu muliebriter patiantur. Conferunt primores inepta cõsilia, sæuit uulgus intemperans nouarum rerum studio, & per totam ciuitatem spiritu diabolico raptatum ad arma conclamat. Nec iam Archiepiscopum urbe expellere, sicut Vuormacienses, sed per omnes cruciatus trucidare si copia detur conspirat. Natalis erat beati Georgij martyris, qui eo anno IIII. frater hebdomadæ paschalis obuenerat, & Archiepiscopus celebrata

lebrata missarum solennitate apud beatum Georgium, cum sermonem faceret ad populum, præsagio quodam futurorum nescius ipse mali quod imminebat contestatus fuerat audientibus, quod ciuitas diabolo in potestatem tradita esset, & propediem peritura nisi iamiam impendentem irã Dei, per pœnitentiam inflectere maturarẽt. Igitur post meridiem, inclinata iam die in uesperum cum igni oleũ iracundiq; accessisset ebrietas, ex omnibus partibus urbis ruunt, ad curtim Archiepiscopi, & eum celebri quodam loco cum Episcopo Mimigardeuurdensi cœnantem adorti, tela contorquent, saxa iaciunt, nonnullos ex assistentibus interficiunt, cæteros plagis & uulneribus confectos in fugam uertunt. Inter hæc cõspicantur quàm plurimi ipsum talium furiarum incentorem dæmonem præcurrere insanienti populo galeatum, loricatum, igneo mucrone terribiliter fulgurãtem, nec ulli quam sibi similiorem. Cumq; militari quodam classico cunctantes ut se in pugnam sequerentur cõcitaret, in ipso impetu quo portarum seras effracturus uociferando irruebat, repente ex oculis sequẽtium disparuit. Archiepiscopum sui inter cuneos hostium nubemq; iaculorum uix & ægrè expeditum in templum S. Petri abripiunt, foresq; non modo seris & uectibus, sed admotis etiam magnis molibus obfirmant. Sæuiunt foris & instar inundantis aquæ rugiunt uasa diaboli, plena uino furoris Dei, & peromnia Episcopij penetralia discurrentes, fores infringunt, thæsauros diripiunt, uasa uinaria concidunt, & dum uina in diutinos usus summa ope cõgesta præcipitantius effundunt, repletum subitò cellarium, ipsos, quod dictu quoq; ridiculum sit, inopinis fluctibus periclitatos penè suffocauerat. Alij capellam Archiepiscopi irrumpentes, altare spoliant, sacra uasa pollutis manibus contrectant, uestimenta pontificalia diripiunt, dumq; omnem suppellectilem sacri ministerij curiosa imò furiosa diligentia euertunt, reperientes illic quendam præ timore se in angulo occultantem, & putantes quod Archiepiscopus esset interficiunt, non sine gratulabunda exprobratione, quòd petulantissimæ linguę tandem aliquãdo modum imposuerint. Sed cognito quod decepti similitudine essent, & Archiepiscopus intra templum S. Petri, & loci religione, & murorum firmitate se tutaretur, undiq; conglobati ipsum templum obsident, muros perfringere dedita opera moliuntur. Postremò nisi ocyus sibi tradatur Archiepiscopus, ignem quoq; se adhibituros minitantur. Tum hi qui intus erant uidentes obstinatos esse ad necẽ eius animos populi, nec ebrietate sola quæ tempore digeri solet, sed pertinacibus etiam odijs & phrenetico quodã furore homines agitari, suadent ei, ut mutato habitu effugere conetur de ecclesia, & fallere obsidentes, hoc facto & sacras ædes incendij, & se mortis periculo liberaturus. Oportunum fugæ patrocinium tempus pollicebatur. Seditione in mediam noctẽ protracta horrebant omnia tenebris & caligine, ut haud facile cuiquam esset uultus occurrantium discernere. Angustus aditus patebat de templo in dormitorium. Item de dormitorio in atrium domumq; canonici cuiusdam adhærentem muro ciuitatis. Isq; ante paucos dies ortæ seditionis impetrauerat ab Archiepiscopo, Deo ad salutem Archiepiscopi hoc ipsum misericorditer prouidente, ut rupto muro ciuitatis paruulum sibi posticum facere sineretur. Ibi eductus Archiepiscopus, applicitis propere in euectionem eius & comitum eius, quatuor equis abijt, opacæ noctis tenebris, ne ab obuiantibus agnosceretur, commodissimè usus, repertoq; post modicum Episcopo Mimigardeuurdensi, socijs iam pulchrè pro ea tum calamitate constipatus in loco cui Nussen nomen est peruenit. Interim hi qui circa templum erant crebris arietum ictibus muros quatiebant, eratq; confusa uox tumultuantium, & fidem Dei omnipotentis testantium, quod non euasurus esset manus suas, non decepturus obsidentium diligentiam, etiam si in minima terræ

reptilia

reptilia se transfiguraret. Econtra hi qui obsidebantur nunc supplicando, nũc pollicendo, quòd diligentissimè quæsitum, si inueniretur ipsis traditurі essent, callidè ludebant operam perurgentium, usquequo Archiepiscopum longius euectum, atq; in tuta iam loca progressum esse arbitrarentur. Tum demum reclusis foribus ipsos ingredi, & pro libito suo quærere sinũt, adijciuntq; frustra eum quæri intra septa templi, quem certò comperissent primo incursu concitatæ multitudinis clara adhuc die urbe egressum iã in longinquas partes transire potuisse. Idq; magis suspicandum, quod contractis undiq; per moram nocturni temporis copijs, primo mane ad occupandam armis ciuitatẽ sit aduenturus. Igitur ingressi cum omnia templi penetralia diligentius inuestigando euertissent, uix tandem admissa fide quod falli potuissent, deinceps ab inquisitionis studio ad tuendam urbem animos uertunt, armatamq; multitudinẽ circumquaq; per propugnacula dispertiunt. Inter hæc arreptum quendam de turba super portã urbis ad ignominiam Archiepiscopi suspendunt, magis in hoc furori suo, quo præcipites raptabantur satisfacientes, quàm quòd crimẽ ullum suspendio dignum misero obtendere possent. Mulierem etiam quandam de summitate murorum præcipitãt, fractisq; cruricibus interficiunt, hoc ei crimini dantes, quod homines plerunq; magicis artibus demẽtare infamata fuisset. Sed hoc scelus commodiori tempore & pacatiore animo uindicare debuerãt. Induxerant etiam in animum, nisi Deus consulens seruis suis breuiasset dies amentiæ eorũ, ut monachos de S. Pantaleone omnes trucidarent, pro eo quod expulsis ab Archiepiscopo prioribus monachis nouum illic inusitatumq; religionis genus instituissent. Præterea iuuenes impigros citato quãtum possent gradu ad Regem ire iubent, nunciare ei quæ gesta fuerãt & suggerere, ut quantotius ueniat uacantem expulso Archiepiscopo ciuitatem occupare, in eo uertì salutem ciuitatis, & ipsius utilitatem maximam, ut grãdia molientem de uindicãda iniuria sua Archiepiscopum anticipare conetur. Talibus furijs toto triduo agitabãtur. Postquam auditum est per prouinciam, & celebri rumore uulgatum, quod Colonienses Archiepiscopum probris & contumelijs affectum urbe fugassent. Exhorruit omnis populus nouitatem rei, atrocitatẽ sceleris, spectaculum humanarum rerum, quod uir tantarũ in Christo uirtutum tam indigna perpeti Deo aspiciente potuisset. Magna eius in pauperes liberalitas, multa in diuinis rebus deuotio, multa in humanis moderatio, uehemens in corrigendis legibus studiũ, libera in corripiendis, qui male agerent seueritas omnium ore celebrabantur, earumq; rerum commemoratio non minimũ ei gratiæ apud populares conciliabat. Exclamant omnes ad suam magis iniuriam pertinere uiolatam pontificalis nominis maiestatem, & mori sibi satius esse, quam ut tantum flagitium suorum temporum inultum patiantur. Igitur per quatuor uel quinq; miliaria circumquaq; ad arma conclamant, multa hominum milia dicto citius cõcurrunt, nullo qui per ætatem arma ferre posset, tam religiosam militiam detrectante, conglobatiq; in unum, rogant Archiepiscopum & cunctantem ui impellunt, ut ad recuperandam ciuitatem quãtotius festinet, se pro eo dimicaturos, & si ea necessitas incumbat oues pro pastore, filios pro patre libenter mortem excepturos. Quod nisi Colonienses maturent uenientem suscipere, & pro ipsius arbitratu satisfacere offenso, se aut ingesto igne populum cum ciuitate consumpturos, aut dissipato muro eum super congeriem occisorum in cathedrã pontificalem reducturos. Ita Archiepiscopus quarto die postquam exierat magno uallatus agmine ad urbem accessit. Quod ubi Colonibus compertum est, & se tantę tamq; efferatæ multitudinis impetũ nec muro nec acie sustinere posse animaduertunt, tum primum furor deflagrare, ebrietas uanescere cœpit, magnoq; terrore concussi obuiam Legatos de pace miserũt, sereos

sereos confitentes, & omnem quam uita incolumi iuberentur pœnam pendere paratos. Archiepiscopus dignè pœnitentibus se ueniam non negaturum respõdit. Tum celebrata missarum solennitate apud S. Georgium, eos qui pontificem sede propria expulissent, qui ecclesiam homicidio pollussent, qui templum S. Petri hostiliter impetissent, qui cætera religionis iura ausu barbaro temerassent, Episcopali Banno ad satisfactionem uocauit. Protinus omnes nudis pedibus, laneis ad carnem induti processerunt, uix & ægrè impetrata pace multitudinis, quæ circa Episcopum erat, ut hoc tuto facere linerẽtur. Nam & uehementer ei succensebant, quod dum immoderatius clementiã ostentando popularis fieri uellet, nefarios homines ad audenda nequiora huius sceleris impunitate animaret. Archiepiscopus eos postero die ad suscipiendam secũdum canonum scita pœnitentiam tam immanis flagitij ad S. Petrum præstò esse iubet. Ipse progressus ad S. Gereonem, ibi extra urbem pernoctare statuit, ueritusq; quod tradita ciuitate uis concitatæ multitudinis inhiberi nõ posset, sed partim iniuria partim prædę cupidine accensi acerbius sæuirent in populum, obnixè rogat prouinciales qui secum erant, ut singuli in sua cum pace recederent, satis se opera eorum usum, & euidens tulisse documentum, quid animi oues erga pastorem, filij erga patrem gererent, asperrimam partem negotij multa eorum uirtute exactam esse, cætera quæ restent facile iam priuata ac domestica manu posse confici. Proinde quod bonum, felix, fausturnq; esset, abirent in domos suas, hãc reportantes spem, quod huius beneficij gratia apud eum, seu uiuum seu defunctum perpetuò mansura foret. Hoc uix impetrato milites suos, quantos ad comprimendos urbanos motus, si qui fortè leuitate uulgi instaurarẽtur, sufficere putabat, præcedere in ciuitatem iubet, secuturus ipse proxima luce, cum eorum qui præcessissent diligentia ne quid forte insidiarum lateret in ciuitate pręcauisset. Ea nocte sexcenti aut eo amplius mercatores opulentissimi ex urbe profugi ad Regem se cõtulerunt, intercessionis eius opem aduersus Archiepiscopi sæuitiam imploraturi. Cæteri ingresso Archiepiscopo ciuitatem & toto triduo iuxta conductum expectanti minime se præsentauerũt ad proponendum aliquod satisfactionis genus. Vnde indignitatẽ rei non ferentes Episcopi milites, inscio ut plurimi asserunt atq; inconsulto Archiepiscopo arma rapiunt, domos incursant, possessiones diripiũt, occursantes partim sternunt, partim captos in uincula cõijciunt, & prorsus ut ueritati uel coacti assentiamur, multo ferocius quam tanti põtificis existimationi competeret iustę ultionis negotium exsequũtur. Sed grauior morbus acriori indigebat antidoto. Filius suprà memorati mercatoris qui primus seditione inflammauerat populum, & pauci alij luminibus sunt orbati, nonnulli uirgis cęsi ac detonsi, omnes grauissimo rei familiaris damno multati, atq; iusiurandum dare cõpulsi, quod deinceps Archiepiscopo ciuitatẽ, contra omnium hominũ uiolentiam, quantum cõsilio & armis possent uindicaturi essent, & eos qui ex urbe profugerãt, quoad digne Archiepiscopo satisfeciissent semper pro infestissimis hostibus habituri. Ita ciuitas paulò ante ciuibus frequentissima, & post Moguntiam caput & princeps Gallicarum urbium subito penè redacta est in solitudinẽ, & cuius plateæ uix capiebant stipata uiantium examina, nunc rarum ostendit hominẽ, silentio & horrore omnia desyderij quondam ac delitiarũ loca possidentibus. Nec futurum hoc dubia significauerant præsagia. Peregrinus quidam ad celebrandam palmarum festiuitatem illuc ipso anno aduenerat. Is uidit per somnum coruum quendam horrẽdæ magnitudinis per totam uolitare Coloniam, & terribiliter crocitando populum tali spectaculo attonitum huc & illuc agitare, superuenire post hæc uirum tam ueste quàm forma præcellentem, qui & coruum horrifico sonitu perstrepentem urbe expelleret, & populum

mente

mente consternatum iamq; extrema omnia formidantem cassa formidine ab-
soluеret. Cumq; à circumstantibus interpretationem somni horrore concus-
sus quæreret, audiuit quod ciuitas propter peccata popu[illegible], diabolo in potesta-
tem tradita fuisset, sed interuentu Georgij martyris liberata instantis iam atq;
à Deo prædestinati interitus necessitatem euasisset.

Rex celebrata in Babenberg Paschali solennitate, in Nurēberg perrexit ob-
uiam legatis Apostolicæ sedis. Erant autem hi, mater eius imperatrix, Episco-
pus Ostiensis, Episcopus Prenestinus, Episcopus Curiensis, Episcopus Cu-
mensis, missi à Romano Pontifice componere, si possent, multo iam tempore
uacillantem statum Galliarum. Nec tamē cum Rege sermonem communicare
sępius rogati consenserunt, donec secundum ecclesiasticas leges pœnitentiam
professus per iudicium eorum anathemate absolueretur, pro eo quòd propter
auenditas ecclesiasticas dignitates Symoniacæ hæreseos insimulatus fuisset a-
pud sedem Apostolicam. Itaq; petierūt uerbis Romani Pontificis, ut synodum
tenere intra Gallias pace Episcoporū sinerentur. Vehementer hoc abnuerunt
omnes Episcopi tanquam inusitatum longeq; à suis rationibus alienū, nec se
huius auctoritatis priuilegium ulli alij præter quam ipsi Romano Pontifici un-
quam delaturos affirmabant. Siquidem intenderat Romanus Pontifex, ut o-
mnes Episcopos & Abbates, qui sacros gradus pretio redemissent, discussio-
ne habita deponeret. Iamq; hac de causa Babenbergēsem Episcopum, & alios
nōnullos ab omni diuino officio suspenderat, donec coràm uenientes inusitū
sibi crimen hæreseos digna satisfactione purgarēt. Et Rex quidem cupide hoc
uolebat, odio Vuormaciensis Episcopi & quorundam aliorum, qui eum bello
Saxonico offenderant, quos hac calumnia inuoluendos, & dignitatis suæ de-
trimenta passuros spe certissima præsumpserat. Sed quia per Legatos res tanta
confici posse desperabatur, consultò in audientiam ipsius Romani Pōtificis di-
lata est. Rex dimissis Legatis nō solenni more indictam expeditionem, sed re-
pentino ac tumultuario milite collectum exercitum ducere parabat in Vnga-
riam, comperto quod Salomon Rex Vngarorū à Ioiade Beli filio bello impe-
titus, & tribus iam prælijs uictus amisso exercitu uix de regno effugisset. Vt e-
ius miseriæ subueniret, & affinitati præstabat, quam, tradita illi in coniugiū so-
rore sua, cōtraxerat, & utilitatibus propriis, quia magnam ei partem regni sui
pollicitus fuerat, si eius beneficio expugnatis hostibus in regnū restitueretur.
Cumq; Ratisponam uenisset, insecuta est eum legatio familiarium eius, nun-
ciantium quod Vuilhelmus cognomento Bostar Rex Anglorum, ab Archie-
piscopo Colonienſi uana pollicitatione illectus cum magno exercitu aduen-
taret, regni sedem Aquisgrani occupare paratus. Territus Rex tam atroci nun
cio, ac priuatæ rei curam externis negotijs antehabendam ratus, omissa in Vn
gariam expeditione ad Rhenum concitus remeauit. Pentecosten Moguntiæ
celebrauit splēdide ac populariter ab Archiepiscopo Moguntiacēsi acceptus
atq; habitus. Inde cum Coloniam ire instituisset multum spirans irarū & com-
minationis in Archiepiscopū Colonienſem, ille missis in occursum eius nun-
cijs mandauit falsam omnino ac scenicis figmentis similē esse fabulam, quam
in eum æmuli sui composuissent, hi nimirum qui eum paulò ante urbe expulis-
sent, & nunc ad opprimendū eum, quoniam armis non possent mēdacijs gras-
sarentur, se non ita rationis expertem uel cōmunis commodi negligentē esse,
ut in ultionem priuatæ iniuriæ patriam suam barbaris prodere uelit, nec ea le-
uitate è puero uitam instituisse, ut quisquam sanum aliquid sapiens tam inepta
de se suspicari possit. Impetrata per Legatos coràm ueniendi copia, in Ander-
nachen Regi occurrit. Cumq; Rex de his quæ cōpererat seueriſsime quæstio-
nem promulgaret, proditæ quidē reipublicæ crimen quod obijciebatur sacra-
mento

mento purgauit. Cætera quæ delata fuerant, ait Rex se ueteri amicitiæ ac pontificali nomini condonare, nec pro iure suo expostulare uelle. Ita non extincto sed interim cohibito furore Coloniam processit. Ibi postero die ad iudicandũ populo assedit, sperans per accusationem eorũ, quos Archiepiscopus propter iniurias suas pœna affecerat, occasionem sibi futuram, ut eum seditione concitata rursus ciuitate exturbaret, uel propter oppressos per calumniam innocentes saltem reum maiestatis faceret. Sed ille omnes accusationum strophas responsi ueritate ac sententiarum grauitate tãquam aranearũ telas dirupit. Postquam Rex innocentia eius ac uitæ integritate consilijs quoq; omnia septa uidit, nec ullum patêre locum calumniæ ad aliud se uertit genus iniuriarum. Exegit ab eo nõ precib. quidem ut oportuit, sed imperiosa quadam auctoritate, ut Colonienſibus admisſę in se temeritatis ueniam daret, excommunicatosq; ecclesiæ reconciliaret. Præterea ut ad firmamentũ conseruandæ se erga in perpetuum fidei sex sibi ex militibus suis obsides daret. Vtrunq; illi cum magna cõstantia negauit, obsides quidem, quod nullus Regum priorum tale quid ab ali quo præcessore suo postulasset: excommunicatorum autem reconciliationem, quod sine digna pœnitentiæ satisfactione excommunicatos in ecclesiam recipileges ecclesiasticæ uetarent. Imminebat ille uehementer comminans omnia se incommoda illaturum, & cuncta quę illius sunt ferro & igne demoliturum. Perstabat hic fixus in proposito, dicens se mori quidẽ paratum, si ipse cum Colonienſibus conspirasset ad eum interficiendum, sed nunquam retinendæ uitę studio ab iure ad iniuriam declinaturum. Diu anceps erat pugna & utrorumq; milites magna cõcusserat sollicitudo expectatione tam tristis spectaculi. Tandem euictus Rex ab his quorum consilijs plurimum tribuebat flexit sententiam, & ait malle se cum eo beneficijs certare quàm maleficijs, & si eum fidum sibi deuotumq; in causis reip. experiretur, primum deinceps inter amicos habiturum. Hoc modo reconciliatus Archiepiscopo, Aquisgranũ perrexit, & adiuersus ea, quæ de irruptione barbarorum fama uulgauerat eam regni partem, quantum poterat communiuit.

Ruthardus Abbas Heruelden ſis monasterij v. Id. Iunij decessit, uir in sacris scripturis adprime eruditus, & sic ad loquendum expeditus, ut nemo illa ætate uerbum Dei copiosius, nemo subtilius, nemo elegantius tractaret. Alias in obseruatione sanctę regulæ paululum quàm mores & tempora expeterent remissior erat. Is miro iudicio Dei, qui quos diligit corrigit, & flagellat omnem filium quem recipit, ante diem mortis suæ sensu defecit, & per continuos duos annos & sex menses phrenesi pariter & epilepsia grauissimè uexabatur. Defunctus est autem anno integro & sex mensibus exactis posteaquam abbatia se abdicauerat. Quod tamen factum adeò pœnitens deflebat, quoties à stupore atq; hebetudine mentis paululum respirauerat, ut ambiguum esset, morbo an mœrore grauius acerbiusq; tabesceret.

Mediante Iulio regressum Regem de Lotharingia Vuormaciam, iterũ adierunt Legati Regis Vngarorum, orantes obnixè, ut memor affinitatis, memor actæ simul à puero ætatis, maturius subueniret expulso. Et quia preces tardius mouebant priuatis occupationibus intentum, datis x II. obsidibus fidem ei firmabant, quod si eius beneficio in regnum restitueretur, deinceps ei tributarius dictoq; obtemperans foret, & sex ei munitissimas Vngariæ ciuitates in argumentum nunquam irrumpendæ fidei traderet. Hac mercede redemptus, illico missis circumquaque nuncijs principes in expeditionem solenni indictione euocauit. Sed alij temporis angustias, alij rei familiaris inopiam, plericq; quod opes suæ bello Saxonico nimium attritæ fuissent, item alij aliud excusationis genus obtendentes, omnes pariter militiam detrectabant. Ipse tamen ne

tantum

tantum reipublicæ commodum casu oblatum sua ignauia corrumperetur, gregario tantum ac priuato milite contentus infesto exercitu ingressus est Vngariam, & nonnullas eius regiones hostiliter peragrauit. Porrò Ioas qui Vngariam occupauerat, comperto eius aduentu summa industria id operam dedit, ut in locis, in quibus irruptio hostium timebatur nihil homines alimentorum, nihil animalia pabulorum reperirẽt, & sic ipse cum omnibus suis in quandam insulam propter locorum difficultatẽ omnino hostibus inaccessibilem se contulit. Exercitus Regis qui ad tanti belli administrationem nihil sumptuũ præparauerat, grauissima statim laborabat inedia, adeò ut homines pleroscp, animalia penè omnia breui pestilentia & fames consumerent. Qua necessitate cõpulsus Rex, nullo insigni facinore perpetrato Vngaria excessit, & post festum S. Michaelis Vuormaciam reuersus, ordinatis ibi pro tempore & copia regni negotijs Ratisponam rediit, dispositum habens id quod reliquum erat temporis usq; ad natalem Domini in peragrandis Baioariæ, atcp Alemanniæ ciuitatibus insumere.

Hildebrandus Papa cũ Episcopis Italiæ conueniens iam frequentibus synodis decreuerat, ut secundum instituta antiquorum canonũ, patres uxores nõ habeant, habentes aut dimittant, aut deponantur, nec quisquam omnino ad sacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam uitamcp cœlibem profiteatur. Hoc decreto per totam Italiam promulgato, crebras literas ad Episcopos Galliarum transmittebat, præcipiens, ut ipsi quoq; in suis ecclesijs similiter facerent, atcp à contubernio sacerdotum omnes omnino fœminas perpetuo anathemate resecarent. Aduersus hoc decretum protinus uehementer infremuit tota factio clericorum, hominem planè hereticum, & uesani dogmatis esse clamitãs, qui oblitus sermonis Domini, quo ait: Non omnes capiunt hoc uerbum, qui potest capere capiat. Et Apostoli: Qui se nõ continet nubat, melius est enim nubere quàm uri, uiolenta exactione homines uiuere cogeret, ritu angelorum & dum consuetum cursum naturæ negaret, fornicationi & immunditiæ frena laxaret, quod si pergeret sententiã confirmare, malle se sacerdotium quàm coniugium deserere, & tunc uisurũ eum cui homines sorderent, unde gubernandis per ecclesiam Dei plebibus angelos cõparaturus esset. Nihilominus ille instabat, & assiduis legationibus Episcopos omnes socordiæ ac desidiæ arguebat, & nisi ocyus iniunctum sibi negotium exequerẽtur, Apostolica se censura in eos animaduersurum cõminabatur. Archiepiscopus Moguntinus sciens non paruo constare operam hanc, ut tanto tempore inolitam cõsuetudinem reuelleret, atcp ad rudimenta nascentis Ecclesiæ senescentẽ iam mũdum reformaret, moderatius agebat cum eis, & primò eis in dimidium annum inducias, & deliberandi copiam dedit, hortans eos, ut quod necessariò faciendum fit, sponte faciant, & tam sibi quàm Romano Pontifici necessitatem adimant aliquid in eos, quod secus sit decernendi. Adultimũ, congregata synodo in Erphesfurt mense Octobri pressius iam imminebat, ut relegata omni tergiuersatione in præsentiarum aut coniugium abiurarent, aut sacri altaris ministerio se abdicarent. Multas econtra illi rationes afferebant, quibus instantis per urgentiscp improbitatem eludere, sententiamcp cassare niterentur. Cumcp aduersus Apostolicæ auctoritatem, qua se ille ad hanc exactionem, præter uoluntatem propriam compulsum obtẽdebat, nihil argumẽta, nihil supplicationes precescp proficerẽt, egressi tanquam ad consultandũ, consilium ineunt, ut in synodum non redeant, sed infusi omnes in domos suas discedant. Nonnulli etiam confusis uocibus clamitabant melius sibi uideri, ut in synodum regressi ipsum Episcopum priusquam execrabilem aduersum eos sententiam promulgaret, cathedra Episcopali deturbarent, & merita morte mulctato, insigne

monimen-

monimentū ad posteros transmitterent, ne quis deinceps successorum eius talem sacerdotali nomini calumniam struere tentaret. Cum ad episcopum relatum esset hoc eos machinari, commonitus à suis, ut tumultum qui orebatur matura moderatione p̄uerteret, misit ad eos foràs rogauitq; ut sedato pectore in synodum regrederētur, se, cū primum oportunitas arrisisset, Romam missurum, & dominum Apostolicum si qua posset ratione ab hac sententiæ austeritate deducturum. Postero die admissis in auditorium communiter laicis & clericis, ueterem illam de reddendis decimis querelam replicat, & quasi nihil bello Saxonico, nihil actum sit conditionibus, quibus paulo superius in Gerstingun pax conuenerat, de integro Turingos omnes de iniusta decimarum retentatione reos addicere molitur, nec recogitat hanc causam originem seminariumq; extitisse omniū calamitatū, quibus per plures iam annos resp. incommodissime uexabatur. Indigne nimis tulerunt hoc Turingi, ut pote, qui propter recentem belli successum tumidos adhuc spiritus gerebant, sibiq; uanissime persuaserant, quod post triumphatum Regem, & acceptum gustum audaciæ eorum, nullus deinceps futurus esset Episcopus, qui eis aliquam super hac re mouere molestiam auderet. Primo tamen temperatis respōsionibus ei suggerunt, non alia se ratione in Gerstingun recuperandæ paci consensisse, quàm ut legitima sua, à primis diebus statuta, rata sibi in perpetuum atq; inconuulsa manerent. Cum hæc replicando surdis auribus fabulam narrare uiderentur, subitò efferata mente se foras proripiunt, ad arma conclamant, & ad momentum contracta ingenti multitudine in synodum prorumpunt, & nisi maturius militer Episcopi interces sissent, & blandiendo rationemq; reddendo potius quam repugnando, quoniā uiribus impares erant, ferocientis turbæ impetū inhibuissent, in ipsa cathedra episcopali Episcopum oppressissent. Ita soluta est synodus tam Episcopo quam cunctis qui assederant clericis ultima formidine consternatis, & passim per omnes ecclesiæ angulos latebras sibi quærentibus. Statim Episcopus ab Erpesphurt discedens, reliquam partem anni usq; ad epiphaniam in Helegenstat exegit, & per omnes festos dies inter sacra missarum solennia eos qui sanctam synodum turbauerant ad pœnitentiam sub Episcopi Banno euocauit.

M. LXXV. Rex natalem Domini Argentorati celebrauit. Cumq; adessent quam plurimi ex Principibus, quos ille dedita opera de toto regno ad diem festum euocauerat, habuit cum eis mysterium cōsilij sui, & eos modis omnibus ad instaurandum bellum Saxonicum sollicitabat, multa in præsens largiebatur, plura in futurum pollicebatur, nullum postremo uel infimæ conditionis, qui modo conficiendis tantis rebus commodus putaretur relinquebat, quem non dato uicissim & accepto iureiurando fidum sibi & obnoxium faceret. Cum ea potissimum pollicitatio ommes ad consentiendū inflecteret, quod sub testificatione iurisiurandi singulis promittebat, si eorū auxilio Saxoniam Turingiamq; recuperasset, quod ipsis utranq; prouinciam pro arbitratu suo inter se partiendam, & perpetuo iure possidendam traditurus esset. Ita ira æstuans, nihil quàm sanguinem eorum, qui se offenderant malebat. Quod tamen anno iam integro quàm maxime dissimulauerat adeò ut principes Saxoniæ quoties ad eum uenissent magnificè susciperet, & ad absentes pacifica sępenumero atq; honorifica mandata destinaret.

Paucis post diebus Moguntiam uenit, ibiq; occurit ei Ruzenorum Rex Demetrius nomine, deferens ei inæstimabiles diuitias in uasis aureis & argenteis & uestibus ualde preciosis, petijtq; ut auxilio sibi foret contra fratrem suum, qui se per uim regno expulisset, & regnum tyrannica immanitate occupasset. Missus est protinus à Rege Burchardus Treuerēsis ecclesiæ præpositus, agere

cũ illo de iniurijs quas fratri intulerat,& commonere,ut regno quod iniuſtè inuaſiſſet, ultro decederet, alioquin auctoritatem & arma Teuthonici regni propediem experturum fore. Is legationi huic propterea oportunus uidebatur,quod ille ad quẽ mittebatur ſororem eius in coniugio habebat,& ipſe hac de cauſa apud Regem,ne quid in illum interim grauius decerneretur, ſummis precibus obtinuerat. Ruzenorũ Rex Dedi Marchioni Saxonico cuius ductu eò aduenerat à rege commiſſus eſt ſeruandus,donec Legati reuerterentur.

His diebus contigit graui ſcandalo Babenbergenſis eccleſiæ ſtatum labefactari. Herimannus Epiſcopus eccleſiam in honorem beati Iacobi Babenbergenſis murum propriis impenſis extruxerat, ibiq; clericos XXV. ſcientia, moribus,& canonicæ conuerſationis diſciplinis haud obſcuros congregauerat,& eis quæ ad uictum ueſtitumq; ſufficerent affatim prouiderat. Cumq; is quem congregationi præfecerat,morbo prẽuentus,diem clauſiſſet extremum,nactus oportunitatem temporis clericos expulit, & locũ ipſum cum omnibus appendicijs ſuis Egbertho abbati de ſancto Michaele tradidit, ad inſtituendum illic ordinem monaſticum. Non offenſus crimine aliquo clericorum,cũ ut dixi honeſtiſsime iuxta eccleſiaſticas leges uitam inſtituerent,ſed monaſticæ conuerſationis mundicia delectatus,in toto Epiſcopatu ſuo,ſi fieri poſſet hanc ſolam eſſe uitam cupiebat, zelo quidẽ Dei,ſed non ſecundũ ſcientiam ſic æmulatus Rachelis pulchritudinem,ut Liæ fœcunditatem in thalamũ cœleſtis ſponſi nõ crederet admittendam. Clerici qui expulſi fuerant grauiter ferebant ſine cauſa deſtitutos ſe eſſe ſtipe eccleſiaſtica qua alebantur. Clerici quoq; maioris eccleſiæ Babenbergenſis tam illorum quàm ſuam uicem dolebãt,quod ſcilicet non ſine magna ſui ordinis iniuria tantum Epiſcopus deferret ordini monaſtico. Igitur iunctis precibus adorti ſunt eum,obſecrantes per Deum,ne his quibus nullum crimen impingeret,ſine legitima diſcuſsione & audientia eriperet canonice ſuſcepta eccleſiaſticæ ſuſtentationis beneficia, nec ſineret eos deſtitutos ſpiritualis militiæ ſtipendijs, quibus præterea nihil amplius eſſet rei familiaris,probro & oſtentui fieri ſecularibus. Epiſcopatum Babenbergenſem paucas habere congregationes clericorum, & ideo non tã monachis ſibi opus eſſe quam clericis, quorum ipſi ſolatio diebus ſolennibus,in proceſsionibus, in ſuſceptione hoſpitum uterentur, præterea eccleſiam quam nouiter ipſe extruxiſſet loco celebri in mediis huc & illuc diuerſantiũ turbarũ fluctibus ſitã,nec à maiore eccleſia Babenbergenſi plus XXX. paſsibus diſparatam,multo clericis oportuniorem eſſe quam monachis,qui ſcilicet monachi cum abominationes Aegyptiorum immolare iubeantur domino Deo ſuo,ſecerni à multitudine,& ſicut ſcriptum eſt, uiam trium dierum ire debeant in ſolitudinem, ne ſi ea quæ colunt & prima ducunt,ſeculares immolent coram oculis eorum,ſcandalizati lapidibus irriſionum ſuarum obruant, & infament ſanctam & Apoſtolicam uitam. Si Deo familiarius adhæreant monachi,tanquam honeſtior & ſublimior portio corporis Chriſti,nõ idcirco clericos tanquã membra putrida penitus abſcindendos eſſe ab eccleſia. Quia licet ſtellæ ab ſtellis differãt in claritate,unã tamẽ cœli faciẽ decentiſsime diſtinguãt ſua uarietate. Et licet mẽbra diſparia ſint,& ſuis ſingula functa officijs,concordi tamen,licet diſpari famulatu neceſsitatẽ expleant,unius eiuſdẽq; corporis. Epiſcopus nec ratione mouebat nec ſupplicatione, aſſerens honorẽ quem deferret monachis in nullo præiudicare clericis, bona autem quę in uſus pauperum proprio labore congeſsiſſet, ſui iuris,ſui arbitratus eſſe utrum clericis attitularet an monachis. Clerici & inopia familiari,& indignitate rei uehementer exacerbati, Regis & omnũ Principum regni aures quotidiana proclamatione obtundebant pro iniuria ſua. Cunq; nihil uſquam opis, nihil ſpei eſſet, uerſi ad ualidiſsimum illud quod in

sancta ecclesia ultimæ semper necessitatis unicum esse præsidium consueuit, Romam pergunt, & recitata Romano Pontifici per ordinem suæ calamitatis historia, Apostolicæ sedis patrocinium contra tanti calumniatoris uiolentiam suppliciter implorant. Adest simul totius cleri Babenbergensis legatio, querelam ingeminant, & Romani Pontificis patientiam uehementer incusant, cur ecclesiam Dei tam diu sinat hominis hæretici communione maculari, qui non ut pastor per ostium, sed ut fur & latro per Symoniacam hæresim, & ingentium pecuniarum profusionem irrepserit in ouile ouium, qui apud prædecessorem eius Nicolaum Papam tanti criminis insimulatus, ut dici solet, ignem gladio, hoc est hæresim periurio purgauerit, qui cathedram Episcopalem & sanctæ prędicationis ministerium expers ipse omnino literarum contra sacros canones impudenter occupasset, qui ante episcopatum cunctis capitalibus criminibus atq; omni probrorum genere Moguntinæ ciuitati, in qua nutritus sit, celebrem se spectabilemq; fecerit, qui pecuniariam atq; usurariam artem, qua à puero sit institutus, postquam cœlestium talentorũ negociator constitutus sit, multo sollicitius exerceat, ita ut abbatias & ecclesias intra diœcesim suã sitas quas fœde cõparauerit, fœdissime uendat, & familiam Babenbergẽsis ecclesię paulo ante opulentissimam ac bonis omnibus florentissimam ad summam redegerit paupertatem, qui nunc super omnia mala sua, ut in uestimentis ouium liberius lupinam exerceat feritatem, & facilius illudat simplicium innocentiæ transfiguratus in angelũ lucis angelus satanę, clericos absq; ulla discussione de ecclesiis suis eijciat, atq; omnibus in quibus possit locis uitam monasticam, nõ tam amator religionis quam subdolus simulator instituat. Postremo per Deum omnipotentem exorant, ut tandem aliquando expergefactus Simon Petrus baculum pastoralis zeli exerat cõtra lupum, improbe rapientem & dispergentem oues Dei, & Symonem Magum iterum in ecclesia Dei nummulariorum mensas & æra proponentem, cum pecunia sua mittat in perditionem. Romanus Pontifex iam pridem eum à sacri altaris ministerio suspenderat. Præsenti autem relatione efferatus, absq; dilatione excommunicauit eum, ea scilicet ex causa, quod de grauissimis criminibus iam olim accusatus, & ut causam diceret crebro per biennium Romam euocatus uenire contempsisset. Clericis quoq; qui se per calumniam expulsos querebantur, ecclesiam suã restitui præcepit, & destinatis ad clerum Babenbergensem literis, mandauit, ut se à communione illius abstinerent, contestatus quàm sancte, quod si communionem aliquando ac pontificatũ quem contra ecclesiasticas léges inuasisset, nũquam deinceps se uiuo recepturus foret. Quod ubi clericis Babenbergensibus Legati sui retulerunt, & iram uecerem armauit tantæ pollicitationis fiducia. Occultata interim apostolicæ sedis legatione, mittunt ad Episcopũ, qui tunc temporis Babenberg constitebat, eiq; denunciant, ut quantocyus de urbe discedat, non posse eum ultra sibi Episcopum esse, quomodo & Episcopatum per Symoniacam hæresim contra ecclesiasticas sanctiones coemisset, & eum administrare ignarus omnino literarum non posset. Atrocissime per legationi adiecta est grauis contumelia. Adolescens quidam ex numero clericorum & animis ferox & ætate, uersiculũ breuẽ ex psalterio proposuit. Huius inquit capitulũ, nõ mysticũ sensum, non allegoricã significationem, sed uerbũ ex uerbo fidus interpres, si mihi recte explicaueris, ego te omni quæstione liberatum, cunctis criminibus quibus te impetimus absolutum, dignissimum planè Episcopatu pronunciabo. Ille insolita re attonitus, cum quid hoc esset, unde noua hæc & inusitata mitium ante hac clericorum asperitas procederet turbulentus scisciaretur, & dictis atrocibus responsa atrociora redderet, Repente in medium procedunt legati sedis Apostolicæ, & præter literas, quas manibus præferunt

uiua uoce ei ex nomine Romani Pontificis denunciant, ut nullum deinceps pontificalis officij ius poteſtatemq; habeat, ſciatq; ſe Apoſtolicæ excommunicationis gladio de corpore uniuerſalis eccleſię præciſum eſſe, propterea quod obiectũ ſibi crimẽ Symoniacę hęreſeos, toties Apoſtolicis epiſtolis Romam euocatus, purgare diſtuliſſet. Præcipiunt etiam clericis Babenbergenſibus, ut nullũ ultra ei tanquam Epiſcopo honorem reuerentiamq; deferant, ſed ab eius communione omni modo ſe abſtineant, ne deprehenſi tanquam eccleſiaſticæ factionis tranſgreſſores ſimilem cum eo ſortiantur excommunicationis uindictam. Ibi primum Epiſcopus circumuentũ ſe fraude clericorũ ſuorum aduertit. Quibus acriter inſiſtentibus ut quãtocyus Epiſcopatu abdicatus abſcederet, cũ nulla ratione ſatis facere poſſet, affererentq; ſub teſtificatione nominis diuini nullũ ſe in eccleſia opus Dei acturos fore ipſo in ea perſiſtente. Incertus confuſusq; animi miſit ad Epiſcopum Moguntinũ, fidiſsimum ſibi amicum, quem multis ſæpe beneficijs priuatim & publice ſibi deuinxiſſet, quicq; omnium, quæ in adquirendo uel adminiſtrando Epiſcopatu geſsiſſet, conſcius ſibi particepsq; extitiſſet, rogauitq;, ut quàm citiſsimè ueniret, & tumultuantẽ inteſtinis ſimultatibus clerũ quoquo poſſet modo compeſceret. Ille nihil moratus affuit, egitq; ut rogabatur cũ clericis, ne obliti pudoris ac modeſtiæ ſuæ, in Epiſcopum ſuum, quem propter Deum patris loco uenerari debuiſſent, ſine cauſa exardeſcerent, cum eos nec dicto, nec facto quod iuſte in querelam uocare poſſent, ſciens, puocaſſet. Vel ſi quid quod eos læderet fortè inſcius admiſiſſet, ſe cognitore atq; arbitro paratus eſſet quouis modo ſatis facere offenſis: parcerent, ſi minus eius innocentiæ, at honori atq; exiſtimationi proprię, ne ad contemnendos Epiſcopos ſuos cæteri per orbem terrarum clerici hoc animarentur exemplo, & rebellionis atq; contumaciæ peſtilens hic morbus ſumpto à Babenbergenſibus initio, totũ inficeret corpus gregis Dominici. Nihil ſi placationis, nihil laxamenti admittentes, grauiſsimis eum conuicijs confutarunt, iuſtiſsimè dicentes in eum quoq; Apoſtolicæ excommunicationis anathema procedere debuiſſet, qui hominẽ omnibus probris infamatum, & nihil in moribus, nihil in ſcientia dignum ſacerdotio afferentem, per Symoniacam hæreſim Epiſcopum ordinaſſet. Nec ad excuſandas excuſationes in peccatis obtendere poſſe ignorantiam, cum actus eius omnemq; uitę inſtitutionem, tam quam qui in laribus ſuis diu familiariſsime obuerſatus ſit, optime cognouiſſet, & omnibus quę in cõemendo Epiſcopatu acta ſint, medius ipſe atq; intimus interfuiſſet. Videns Archiepiſcopus obſtinatos in contentione clericos nulla ratione mitigari poſſe, ne quid pro amico ſuo intactum intemptatumq; relinqueret, aſſumpto eo Romam ire ſtatuit, ſperans Romanum pontificem uel pecunia, uel ſupplicatione expugnari poſſe, ut eum crimine atq; anathemate abſolueret. Sed inter eundũ reputans haud ſatis tutum eſſe, ut eum non prius explorato Romani pontificis animo Romam perduceret, ſuaſit ei in extrinſecis eccleſiæ Babenbergenſis poſſeſsionibus reditum ſuum præſtolari, & ipſe cum paucis ut inſtituerat concitus Romam contendit. Quo dũ ueniſſet, uix & ægrè, ut à Romano Pontifice in communionem ſuſciperetur obtinuit, & qui in alienis criminibus patronum ſe parauerat, ipſe de proprijs inſimulatus, quod Babenbergenſem Epiſcopum per Symoniacam hęreſim ſciens ordinaſſet, pene gradus ſui periculum incurrerat. Ad ultimum diſcedendi iuſſum eſt, ut ab eis cõmunione omni modo abſtineret, & promulgatam aduerſus eum Apoſtolicæ excommunicationis ſententiam omnibus Teutonici regni Principibus notam faceret, & cum primũ confitiendę rei temporis oportunitas arriſiſſet, alium pro eo Babenbergenſibus Epiſcopum ordinaret. Quod ubi Babenbergenſi Epiſcpo compertum eſt, nullam deinceps ſpem ſibi reliquam niſi in clementia

Romani

Romani pontificis fore ratus, conductis qui causam suam apud sedem Apostolicam dicendi arte tuerentur Romam perrexit. Sed Romani pontificis constantia, & inuictus aduersus auaritiam animus omnia excludebat argumẽta humanæ fallaciæ. Multis lachrimis, multis supplicationibus, multis rethorica arte compositis disceptationibus uix hoc solum obtinuit, ut ea conditione anathemate absolueretur, quatenus ubi primum in patriam rediisset, monasterium ingrederetur, atq; ibi deinceps à cunctis in perpetuũ seculi actibus feriatus, scandalizatam sua ambitione ecclesiam digna satisfactione deflereț. Ita regressus in patriam cum iussa Romani Põtificis retulisset ad milites suos quibus se multa largitione admodum popularem acceptumq; fecerat, uehementer restiterunt, indignissimũ fore dicentes, & nulla retro maiorũ memoria in ecclesijs Galliarum hoc accidisse, ut sine publica audientia & canonica discussione, quòd nec infimis quidem gradibus competeret, Episcopus deponeretur, non hanc priuatam illius esse iniuriam, ad communem potius spectare contumeliam, omnium qui tuendæ Babenbergensis ecclesiæ dignitati operam suam deberent, & eius Episcopo sub iureiurando fidem dixissent, & ideò extrema omnia prius se experturos esse quam seruatum ad sua tempora illius ecclesiæ honorem sinerent fœdissimo hoc exemplo contaminari. His ille promissis animatus, neglecto Romani Pontificis decreto, Babenberg redijt ibiq; iii. uel v. hebdomadas commoratus, præter altaris officium, in cæteris omnibus, quæ scilicet ad exteriorem Episcopij administrationem pertinebant, nullo modo iure suo cedebat, irritam reputans excommunicationem, quam nõ canonice in se promulgatam cauillabatur. Quibus diebus in ciuitate Babenbergensi nullum publice actum est opus Dei, clericis refugientibus atq; omnino execrantibus communionẽ eius. Cæterameius anni partem in extrinsecis Babenbergensis ecclesiæ possessionibus militum suorũ præsidio fultus exegit. Verũ neq; Rex, neq; Episcopus, neq; alius quisquam qui sanum saperet ei comunicare uolebat.

Rex pascha Vuormaciæ celebrauit. Quo dum ad salutandum eum quidam ex principibus Saxoniæ pergere instituissent, missi obuiã eis Legati, denuncia uerũt ut ocyus in sua redirent, alioquin haud tutò uisuros esse faciem regis, quẽ post tam graues contumelias digna adhuc satisfactione non placassent. Ibi primo malum quod ceruicibus impendebat aduerterunt. Rex omnibus quæ bello administrando necessaria erãt affatim prouisis iam & instructis, solenni edicto cunctis qui in regno suo erant expeditionem indixit in Saxoniam, diemq; & locum statuit coadunandi exercitus, uidelicet vi. Id. Iunij, in possessione Heruel densis monasterij, in loco qui dicitur Bredingen. Misit etiam Legatos ad Saxones, qui tunc ineundi consilij gratia frequentes Goslariam conuenerant, dicere eis, memorem se grauium iniuriarum, uiolatæ regiæ maiestatis, & turpis fugæ, qua extremo in periculo uitæ consulere coactus fuisset. Nec se cunctis generaliter Saxonibus crimen hoc intendere, paucos fuisse principes, qui imperitam multitudinem & naturali leuitate semper nouarum rerum auidam hac rabie inflãmassent. Abhis concitatæ seditionis & turbatæ reip. pœnam se, quoniam legibus non potuerit, armata manu exacturum. Proinde rogare se cæteros, & sub interminatione gratiæ suæ præcipere, ne hostes publicos armis aut opibus tueantur. Si obediant, ueniam se eis dare ueteris culpæ, quod tam inusitati facinoris socij participesq; ante hac exititissent. Sin minus, excusationem deinceps non habituros esse peccati, quod scientes prẽmonitiq; admisissent. Ad hęc Saxones grauissimã aiebant habemus legationem, & nisi principes nostri de omnibus quę obijciuntur iuxta magnificentiã regiam ei satis facere spondeant, eos sine mora uel captos, & in uincula conjectos eius examini reseruabimus, uel in fauillam redactis omnibus, quæ ad eos pertinent. Saxonia procul effugabimus.

bimus Quod si iustis & regio nomine dignis conditionibus parati sint, uel o-
biecta purgare, uel quæ peccauerunt expiare, oramus & p[er] Deum obtesta-
mur ut honori potius suo quam iracundiæ cõsulat. Nec ante publicam princi-
pum cæterorum audientiã & legitimam discussionem aliquid in eos quod se
non deceat, decernat. Diem potius statuat, locum designet, copiam det tutô co
ram ueniendi, & turo causam dicẽdi ut secundũ Palatinas leges iusta examina
tione habita, uel puniat conuictos, uel absoluat innocentes. Quod si ira immo-
deratior nullam admittit satis factionem, nec alio pacto quàm sanguine prin-
cipum nostrorum restingui poterit, quid prodest ambiguis responsionibus
sententias inuoluere. Extremæ impietatis fore iudicamus, ut Principes nostros
deseramus, & eos pro nobis iugulãdos obiiciamus, quos haud dubie scimus
nullo priuato odio uel gratia, sed sola tuendæ salutis nostræ, & uindicandæ li-
bertatis nostæ causa contra Regẽ arma sumpsisse. Qua propter id supplices pe
timus, ut eadẽ nobis & illis uenia cõcedat admissę præsumptionis. Aut si nulla
supplicationũ uictima expiari potest q̃d fecimus, eodẽ in nos & in illos suppli
cio animaduertatur. Tunc Burco Halberstatensis Episcopus, Vuecel Archiep.
Magdaburgensis, Magnus dux Saxoniæ. Otto dux quondã Baioariæ, & cæte
ri principes quos Rex specialiter tam truculenta cõminatione impetebat, dixe-
rũt nequaquã se sibi conscios esse, quòd pacẽ, quæ anno priore in Gerstingun
conuenerat, facto aliquo uel dicto uiolassent. Nam si Rex instinctu eorum uel
consilio factũ suspicaretur, ut Ecclesia in Hartesburg incenderetur, thesauri di-
riperẽtur, corpora sepulchris eiicerentur, aut aliud aliquid contra statutum illi-
us conuenitionis perpetraretur, paratos se esse, ut quauis conditione, quã mo-
do cæteri principes regni æquam iudicassent, crimen refellerent, & innocen-
tiam suam assererent, insuper ipsam ecclesiam propriis impensis ambitio-
sius quam fuerat instaurarent, amplioribus ornamentis excolerent, omnia etiã
am quæ ineptum uulgus maligno spiritu suscitatũ ausu nefario infregisset, diri
puisset, temerasset, multiplicius restituerent. Super hęc oĩa auri & argẽti & prę-
diorum suorum quantum saluo pudore suo & regni maiestate accipere uellet,
prompta mente darent, dummodo in gratiam rediret, & gladium quem in cer-
uices eorum', & in euersionem totius Saxoniæ iratus extenderat, placatus re-
mitteret in uaginam. Quod si obstinatum aduersus omnes preces & supplica-
tiones animũ gereret, se deinceps contra eum nec arma laturos nec aciem in-
structuros, sed nudis pedibus uenienti obuiam processuros, & sententiã quam
cunq; uel iratus dictasset porrecto iugulo excepturos. In hæc uerba nuncios
Regis dimiserunt, & ipsi protinus suos eadem ad eum responsa deferentes de-
stinarunt. Quos ubi Rex aduenire comperit, præcepit ut nulla ratione in con-
spectum suum admitterent̃, mandauitq; eis per occultos indices, ut quantocy-
us recederent, nec se oculis eius cui contumeliam fecissent, sic temere ingere-
rent, alioquin regia censura cõẽrciturum se hostes publicos & insidiatores re-
gni, q̃ sub p̃textu legationis mendacia sua per populũ serererent ad sollicitandos
animos principum, & expeditionem suã impediendam. Ita Legati sine effectu
reuersi sunt. Iterum alios atque alios miserunt, sed eodem omnes rigore obsti-
matas cõtra se[n]tam fores quam aures regias inuenerunt. Semel cum unus lega-
torum captata loci & temporis oportunitate se improuisus in conspectũ Regis
proripuisset, & quæ in mandatis habebat proloqui cœpisset, uix ad primum ser
monis exordium dato silentio, statim cũ graui indignatione reiectus est, & cum
ab Vdalrico quodam regio satellite in crastinum seruandus abductus, uel po-
tius abreptus fuisset, proximo mane elusis custodibus, uix uita comite effugit.
Dehinc crebris legationibus adorti ducem Rudolfum, ducem Bertholdum, du
cem Gozelonem, & cæteros principes, quos superiore bello coniurationis so-
cios

cios habuerant, fidem implorant, fœderis quod pepigiſſent admonẽt, obteſtantur q̃ per Deum, per cuius nomen in unius eiuſdẽq; militiæ ſacramenta iuraſſent, ut aſsint periclitantibus, & ſicut prius gerendo bello fauorem ſuum, ita nunc reparandæ paci, quoniam eos belli pœniteat, auxilium conſiliumq; ſuum non ſubtrahant. Sed Regis prudentia qua ſupra ætatem ſuam mirum in modum callebat, omnia ſeptrat, omnes uias, omnes aditus obſtruxerat. Siquidem à cunctis Principibus ſuis iuſiurandum acceperat, quod nullas eorum legationes ſe inconſulto ſuſciperent, quod eos nec armis publice, nec conſilijs ſecreto tutarentur, nec ſibi pro eis preces aliquando ſupplicationesq; deferrent, donec ſe acceptæ ab eis ignominiæ maculam digna animaduerſione eluiſſe ipſe iudex teſtisq; fateretur. Ita quocunq; intendiſſent, quacunq; uiam pertentaſſent, omnia offirmata, implicata, impedita reperunt. Ex in crebra per Saxoniam Turingiamq; conuenticula faciunt, quid facto opus ſit conſulunt, diſcuſsis & euentilatis omnib. quę tanto malo remediũ aliquod polliceri uidebant. Cum nulla uſquã humani auxilij ſpes eluceret, ſtatuunt unanimiter à Deo ſibi deinceps quærendũ eſſe ſubſidiũ, qui ſolus tam obſtinatã Regis ferocitatem emollire, & rem implicitam expedire queat. Iubent ergo ut per totam Saxoniam & Turingiam depoſitis cultioribus indumentis, ſacco & laneis ueſtiantur, cibo & potu ſtatutis diebus abſtineant, ſumptus in pauperes pro ſua quiſq; rẽ familiari conferant, & per eccleſias nudis pedibus diſcurrentes, Deum cõmuni lamentatione deprecentur, ut manum ſuam, quę humano ubiq; ceſſante adiutorio ſola iam poſsit opitulari, undiq; concluſis, ad ereptionem eorum extendat. Præterea placet, ut die quo regis exercitus iuxta publicam indictionem in Bredingen coadunandus conueniret, ipſi in loco qui dicitur Lupezens milibus ab eis diſparati caſtra locarent, & iterum atq; iterum repetitis ſupplicationibus aures eius & principum eius obtundentes, ſi euincerẽt, gratias Deo, ſin autem in eodẽ loco uenientem præſtolati, collatis ſignis, æquiſsimo iudici Deo rem cõmitterent. Superueniunt etiam hinc Luticiorum, hinc Polonorum nuncij, ſuam utriq; operam, ſocias manus & pares ad cuncta quæ belli artibus tranſigenda ſint animos pollicentes. Et quod parati ſunt die quem Saxones deſignauerint armatorum copias quam maximas in Saxoniam mittere. Vel ſi hoc malint, contra Danos & alias gentes, quas uulgatum erat, ad irruptionẽ Saxoniæ à Rege ſollicitatas eſſe, ſtationes iugesq; excubias agant, ut hac parte ſollicitudines exonerent alias occupatos. Hoc nuncio paululum recreatis animis digreſsi, quantum temporis ſupererat, uſq; ad diem coadunandi exercitus, in ieiunijs & uigilijs exigunt, eccleſias indefeſsi obſident, in cinere uolutantur & cilicio, noctes perinde ac dies precibus inſumunt, nullum poſtremo religionis genus quod ad placandum Deum eccleſiaſtica traditione comparatum ſit prætermittunt. Sed ira Dei, quæ in eos exarſerat, maior erat quam ut lachrymis reſtingui, hoſtijs & muneribus mitigari poſſet. Rex pentecoſten Vuormaciæ cum paucis celebrauit, principibus in præparationem militiæ ſingulis priuata ſollicitudine occupatis. Statuta die uenit in Bredingen cum infinita, multitudine, planeq; omnium unanimi conſenſu conſtitit nulla unquam retro maiorũ memoria tantum exercitum, tam militariter inſtructum in regno Theutonico, à quoquam Rege cõtractum fuiſſe. Quicquid in regno Epiſcoporum erat, quicquid Ducum, quicquid Comitum, quicquid eccleſiaſticarum aut ſeculariũ dignitatum omnes ſumma ui, ſumma ope, in hoc bellum eniſi conuenerant. Nemo prorſus, niſi quem forte grauis admodum & omnino inexplicabilis neceſsitas excuſaſſet aberat. Epiſcopus Colonienſis cauſatus impium fore, ſi calamitatis, quę oppreſſura eſſet fratrem ſuum Magadaburgenſem Epiſcopum, & conſobrinum ſuum Halberſtatenſem Epiſcopum ſpectator adeſſet,

uacationem impetrauerat, haud grauatè hoc concedente Rege, eò quòd post primam defectionem inuisum semper eum suspectumq; habuisset. Leodiensis Episcopus uir præter decrepitam ætatem longa etiam ægritudine exhaustus, Reginam interim seruandam susceperat, & hac occasione ipse quoq; militia defungebatur. Vterq; tamen milites suos amplissimo numero transmisit. Dux quoq; Bohemorum aderat, tanto stipatus agmine, ut se solum bello Saxonico sufficere posse, uana spe elusus, arbitraretur. Vuideradus Abbas Fuldensis, præter quòd ab ineunte ætate uno pede grauiter claudicauerat, iam per biennium ita paralysi dissolutus erat, ut nisi baculo aut ministrorum humeris innixus nusquam progredi posset. Eum tamen nec tam molesta ualetudo excusare potuerat à militia, id potissimum curante Rege, ut omnium principum suorum titulis ac fascibus quàm maxime insignem faceret expeditionem. Cunq; ad locum eo adunandi exercitus, feruentissima æstate, uehiculo sedens pergeret, strepitu circumfusæ multitudinis, & ui concitati pulueris suffocatus, pene spiritum exhalauerat. Relatus in monasterium à stupore quidem mentis post paululum respirauit, nullum tamen ultra uerbum proloqui potuit, atque ita deinceps per VI. hebdomadas grauissima corporis molestia decoctus, XVII. Kalend. Augusti humanis rebus exemptus est. Vir planè feruentis in Deum fidei, suis tamen omnibus admodum inuisus, propterea quod in diebus eius Fuldense nomen multis calamitatibus uehementer attritum, & penè omnino obliteratum fuisset. Sed ad cœptum unde digressi sumus redeamus. Missi à Rege exploratores speculari exercitum Saxonum, retulerunt eos multitudine & armis haud impares, cætero belli apparatu etiam superiores esse, opes multas, & sufficientes in longum quoque tempus sumptus conuexisse, nihil permotos tantorũ hostium aduentu, in proximo castra locasse, post laborem itineris ocio so iam animo fixis tentoriis recreando corpori indulgere, hoc statuisse, ut legatos supplices de pace mittãt, si nõ impetrent, æquo certamine adoriantur uentes. Facile & contẽptim hoc auditũ est ab his, qui cum Rege erant, passim iactantibus nec ferreas uel adamantinas acies multitudini & uirtuti suæ inexpugnabiles fore, secum esse militem lectissimũ, qui in faciendis stipẽdijs ætatẽ exegisset, & quem singuli principes dilectũ habito de toto orbe exquisierent: Illinc uulgus esse ineptum, agriculturq; potius quam militiæ assuetũ, quod nõ animo militari, sed principũ terrore coactum cõtra mores & instituta sua in aciem processisset, & ideo non expectaturũ, ut cõmisso certamine comminus stricto ense feriret & feriretur, sed ante cõmissum prælium solo cõcurrentis exercitus strepitu & clamore terrendum, fugiendum, & fundendũ esset. Rex non tam metuebat ne prælio quã ne supplicatione uinceretur, neu Principes sui eis bellũ inferre religiosum ducerẽt, qui se ad quascunq; cõditiones pacatissimos præberent, & ignominæ suæ uindicta, qua nihil ardentius cupiebat è manibus sibi raperetur. Hoc præcauens quam maxime satagebat, ut antè exercitus committerent, quam Legati Saxonum pacem postulaturi uenirent, plurimũ in hoc ipsum annitente duce Sueuorũ Rudolfo, propterea quod anno priore regnũ affectasse inflamatus, suspitionem hanc nouis erga Regẽ studijs abstergere cupidissime uolebat. Profectus Rex de Bredingen die prima uenit in Elenen. Sequenti die præcipitato nimium gradu duorũ penè dierũ iter confecit, atq; in Beringe castra posuit, haud multo à Saxonibus interuallo. Iam fixis tentoriis singuli quæ exhaustis lassitudine corporibus necessaria forẽt circũquaq; disperti puidebãt. Rex etiam refrigerandi gratia se in lectũ reclinauerat, cũ subito dux Rudolfus ingrediens, nunciat Saxones breuissimo spatio abesse, & incertum negligẽtes an ignaros aduentiũ hostiũ, inter epulas & pocula ineptis lasciuire lusibus, qui siuel ad punctum temporis inultum habeant, quod sumptã

contra

cõtra remp. & leges maiorũ arma, sic improbè cõspectibus Regis inuexissent, ignominiã hanc Teuthonici regni nullis deinceps seculis abolendã esse, placere sibi cũ adhuc maior pars superst diei, ut acies instruat, prælium committatur, uel si prælium detrectantes intra castra se tutentur, ipsa castra admoto exercitu expugnent. Rex ei pronus in terram gratias agit, & huius beneficij quo adiuuat nũquam se immemorẽ futurum, Deo in testimoniũ ascito pollicetur. Ita ambo se tentorio proripiunt, dato ad pugnã signo, ocyus oẽs assunt, longe latecq; patentes campos occupãt, singuli duces suas seorsum legiones instruunt, Et quia nec situs loci nec multitudo patiebat, ut uno eodemq; tempore omnibus unà fieret manus cõserendi copia, datũ negotium est duci Rudolfo, ut ipse cũ suis prima acie confligeret, peculiari scilicet Sueuorũ priuilegio, quibus ab antiquis iam diebus lege latum est, ut in omni expeditione Regis Teuthonici ipsi exercitũ præcedere, & primi cõmittere debeant. Cæteris iussum, ut propter assistentes pugnantibus, prout res posceret, auxilio concurrerent. Rex in quinta erat legione, quã ex lectissimis & erga se admodũ spectatæ fidei iuuenibus stipatam ornatissimamq; instituerat. Ita paulatim seruatis ordinibus ad castra Saxonũ procedunt. Saxones qui sibi stultissime persuaserant, spaciũ illud quo à Rege aberãt, uix ab equite expedito nedum ab exercitu, sarcinis aliisq; impedimentis implicato, uno die transmitti posse, nihil minus quàm Regem eo die ad se peruenturũ suspicabantur. Ideoq; uana securitate resolui omne studiũ ab armis ad curam corporũ uerterant. Cum repente conspicantur cœlum puluere obtenebratũ, exercitum super arenã maris innumerabilẽ, totam adiacẽtis campi latitudinem, instar locustarũ occupasse, & ferè iam emensо, quod in medio erat, spacio, ad ipsa castra opprimenda, nisi maturent egredi citato paululũ gradu properare. Inopinata re trepidi, & se inuicem inertiæ quod hostẽ non præuidissent incusantes, primus sublatis in cœlũ uocibus cõclamant, arma rapiunt, portis prorumpunt. Pauci loricis corpora muniunt, cæteri dum morarũ impatientes ruunt, nec uestes, quibus se paulò ante largiori ocio indulgentes exuerant, resumere meminerunt. Nullus alterum cunctantem operitur, sed singuli passim, prout ocyus seriusue arma expedierant, accurrunt. Quam plurimi etiã trans fluuium Vnstrut lõgius metati prius infeliciter gestæ rei quam cõmittendi certaminis nuncium acceperunt. Nec legiones ordinare angustia temporis sinebat, nec militẽ adhortari, nec castra consuetis stationibus munire, nec aliud quicquã facere, quod militaris disciplinę solennitas exigebat. Repentinus regis aduentus omnia præuerterat. Vix tandẽ ex illa trepidatione resumpto spiritu, cum in globũ densissimũ tumultuaria se statione stipassent, non expectato signo, ut cõsuetudo est pugnaturis, equis subdunt calcaria, & summo nisu præcipites feruntur in aduersarios. Haud procul ab Hohenburg. Nec impetum sustinere uel ad horam Sueui potuissent, nisi loco motis iamq; pedem retroferentibus dux Vuelf cum exercitu Baioarico concurrisset. Prima certaminis procella hastas & lanceas consumpsit. Reliquam partem gladijs, qua pugnandi arte plurimum excellit miles Saxonicus, peragunt, præcincti singuli duobus uel tribus gladijs, tantaq; ui, tanta ferocitate, tanta feriendi calliditate grassantur, ut hostibus etiam non minus admirationi quam terrori essent. Ibi Ernost Marchio Baioariorum, uir in regno clarissimus, & multis sæpe aduersum Vngaros uictorijs insignis grauiter uulneratus est, & cum in castra semiuiuus relatus fuisset, postero die expirauit. Ibi Engilberthus comes, ibi duo filij Eberhardi comitis de Ellenburg, ibi quàm plurimi nobiles ex Sueuis, quàm plurimi ex Baioarijs corruerunt, paucicq; admodum sine uulneribus prælio excesserunt. Rudolfus dux multis sæpe gladijs impetitus, quanquam tenacissimæ loricæ præsidio ictus omnes frustraretur, multis tamen ex

aſsidua contuſione membrorum affectus eſt incommodis. In exercitu Saxonico præclariſsime enituit uirtus Ottonis ducis quondam Baioariæ. Is fortiſsimus iuuenibus ſeptus, modo in prima acie pugnam laceſſere, ubicunq; acrior uis hoſtium incubuiſſet comminus adeſſe, inſultētium uultus gladio ferire, per hoſtiles cuneos quaqua uerſum uiam ſibi ferro parare, modò in poſtremis ceſſantes adhortari, cauſæ qua arma ſumpſerant admonere, & ut nunc, quod ſæpe quàm ſanctè iuraſſent, libertatem ſuam manu uindicarēt omnes in commune per Deum obſecrare. Strenue profecto & egregij militis, & optimi ducis officio fungebatur. Protractum à media die uſq; in horam nonam certamē iam in eo erat, ut duo duorum regnorū exercitus Sueuiæ & Baioariæ terga uerterent, & Regi frequentes nuncij ſalutem ſuorum in extremo ſitam nunciabant, eum repēte ex uno latere Herimannus comes de Glizberg, ex alio latere Babenbergenſes milites ſigna inferunt. Tum dux Bohemorū, tum Gozelo dux Lotharingorū multis prius periclitantiū in prælio legationibus & ſupplicationibus fatigatus, ſuas utercq; copias incitatis ad curſum equis immittit. Non ultra Saxones uim multitudinis ſuſtinere poterant, paulatimq; cedentes, cū inclinatas iam ad fugam acies dux Otto reſtituere obſecrando, increpando, inertiam deſidiamq; exprobrando diu multumq; conatus fuiſſet, tandē uerſis frenis omnes diuerſas in partes aufugerūt. Tum uerò ut ſemper in fuga hoſtiū ignauiſsimis & fortiſsimis par ſolet eſſe audacia, par gloria, oēs in exercitu Regis legiones confuſis ordinibus, omnes etiam plebei ac ruſtici, qui caſtrorū uſibus ſeruilem operā dependebant ocyus ſe ad perſequendos fugientes expediunt, equos calcaribus enecāt, latiſsimos campos dicto citius tranſuolant, obſtantia quæq; cōculcant. Fugientes cum in caſtra, tanquā illic latibulū habituri, ſe recepiſſent, captis caſtris & direptis exagitant, loca omnia per quæ fuga eſt per miliaria duo uel tria circumquaq; cædibus cruentant, cadauerū aceruis exaggerant. Et quia concitatus ungulis equorū puluis oculis proſpectū, rebus diſcrimen eripuerat, ut haud facile ſocios ab hoſtibus uiſu caligante ſecernere poſſent, quam plurimos ex ſocijs ſuis, dum hoſtes arbitrātur, interficiunt. Principes Saxoniæ & nobiles, præter duos mediocri loco natos, omnes uiui integriq; euadunt, tum peritia locorū, tum obtenebrati aēris denſitate, tum equorum uelocitate commodiſsime uſi. Porrò in uulgus pedeſtre, quod congreſsis equitibus adhuc in caſtris reſederat, ita ultra modum omnem modeſtiamq; debachata eſt hoſtilis ferocitas, ut Chriſtianæ uerecundiæ obliti, pecudes ſibi nō homines iugulare uiderentur. Plurimam etiam partem fluuius Vnſtrut, dum metu gladij imminentis præcipitanter irruūt, abſorbuit. Cædi nox finem fecit. Et quod ultra fluuium perſequi fugientes haud ſatis tutum putaret, conuerſi milites ad ſpolia diripienda tantam in caſtris hoſtium inuenerunt ciborum affluentiam, tantā auri & argenti ueſtiumq; precioſarū multitudinem, ut nō ad bellum inferendum, ſed ad epulum præbendum Regis exercitui, & oſtentandam opum ſuarū magnificentiam occurriſſe uiderentur. Rex paulò poſt occaſum ſolis inter fauſtas, ut ſolent eſt militū, acclamationes, in caſtra reuertitur, lætus & æſtuans gaudio, quod hoſtes infeſtiſsimos inſigni uictoria ſubegiſſet, maximè iactantibus paſsim militibus quod illos & illos de primis principibus Saxoniæ manu propria peremiſſent. Cumq; ad locum congreſsionis reuerſi, alius dominum ſuū, alius patrem, alius fratrem, alius cognatum, aut alia quauis neceſsitudine ſibi deuinctū in acie corruiſſe reperiſſent, lætitia omnis in mœrorem, cantus uerſus eſt in uocem flentium. Planctu & ululatu caſtra uniuerſa perſtrepebant. Sequentem diem in eiſdem caſtris agentes, occiſos terra obruunt. Qui clariores inter eos ditioresq; extiterant, in patriam unde quiſque oriundus erat ſepeliendos remittunt, uulneratis curam adhibent, quos militiæ in reliquum inutiles

uulnera

iuluerá reddiderant, suis in patriam curandos destinant. Nec facile æstimari po terat, quot hac, quot illa in acie cæsa essent milia, hoc tamen palàm constante, plus hic nobilium, plus illic cecidisse plebeię multitudinis, & propter amissionem clarissimorum uirorũ maius uictores quàm uictos tulisse dispẽdium. Mœrore & luctu affectis omnibus, grauior accessit dolor & facti pœnitentia, comperto quod Principes Saxonię, quos ad unum interfectos pridie uano rumore uulgauerant, omnes integro numero uiuerent, atq; ad iterandum prælium nouas denuo copias pleni animorum contraherent. Grauiter nimis ferebant, & inter se haud obscuris mussitationibus fremebant, quod maximo sui piaculo, minimo reipublicæ emolumento manus suas innoxiæ plebis sanguine polluissent. Rex ipse quam plurimum uerebatur, ne miles in iritum, fusi tanti sanguinis pœnitens, religionis obtentu deinceps militiam detrectaret, quam sine peccato & graui offensa Dei administrare non posset. Pessimæ rei pessimum Moguntinus Archiepiscopus remedium adhibuit. Collato cum paucis familiaribus Regis consilio repente processit in publicum, & Principes Turingiæ nec canonice ad synodum euocatos, nec synodali audientia secũdum ecclesiasticas leges discussos, præcipiti sententia excommunicauit, ea scilicet causa, quòd eum anno priore Erphesfurt cum ad exigendas decimas assedisset, districtis gladijs intra ecclesiã impetissent. Et ne quis ei fortè hoc crimini daret, qđ contra canonum scita miseros homines, tam inexplicabilibus negocijs ad præsens implicitos, tàm iniquo tempore adortus fuisset, quando tantis undiq; bellorum procellis iactati, nõ causis dicendis uacare, sed uitam suã fuga uel armis seruare necesse haberent. Ait à Rom. Pontifice sibi hoc permissum esse, ut absq; legittimis inducijs, absq; legittima discussione, die quo sibi occurreret, eos iusto anathemate ab ecclesia recideret. Nullũ tamẽ sapientem latere potuit, quõ potissimum spectaret hoc factũ, eò scilicet ut exercitus Regis promptior deinceps fidentiorq; aduersum eos bellum gereret, de quorũ occisione, si post excõmunicationem occisi fuissent, putaret se nec peccatis obnoxiũ fore, nec pœnis, quas leges ecclesiasticæ statuunt homicidis. Igitur mouit exercitus de loco certaminis, & transit à Turingia ingressus est Saxoniam, omnia circũquaq; ferro & igne depopulans, tantasq; in uillis singulis reperit opes, fœcundissima scilicet regione, & nullis ante hac bellis attacta, ut auidissimæ plebi castrorum, quę sola sperapinarum exercitum sequebatur, copia pareret fastidium. Rex tamẽ assiduas ad principes Saxoniæ legationes, tum suo, tum principum suorũ nomine destinabat, hortans eos, ut se dederent, atq; in clemẽtia eius potius quam in armis suis, quæ semel infeliciter tentassent, spem sibi deinceps ponerent. Sed illi haud dubijs indicijs compertum habentes, quanto in eos odio æstuaret, extremæ dementiæ esse iudicabant, ut ei præcipitanter sanguinis sui ius potestatemq; facerent, cuius iram tantis ante expeditionẽ supplicationibus mitigare nequiuissent. Tamen mandauerunt ei uerbis supplicibus, se pacem quam bellum, clemẽtiam eius quam indignitatem semper maluisse, & eam si alio pretio quam proprio sanguine redimere potuissent, nũquam ad hæc extrema audenda experiendaq; processuros fuisse, quod si uel nũc saltem post illatã cladem cor eius tetigisset Deus, ut calamitatibus eorũ condoleret, quos pene usq; ad internetionem prostrauisset, se hoc gratanter amplecti, & obliteratis à corde suo omnibus malis, quibus in eos irã odiumq; suũ expleuisset, deinceps ei fidos deotosq; futuros. Si autem hoc aliter quam per deditionem fieri non posset, cõsultius sibi esse, ut salua existimatione sua, incolumi libertate sua, in congressione publica morerẽtur, quam dediti, ritu pecudũ iugularentur, uel diu in custodia habiti, insuper fame & siti, alijsq; cruciatibus macerati, omni morte tristiorẽ uitam exigerent. Ad ultimũ iussu Regis profectus est Episcopus Moguntinus,

& alij

& alij quidam ex Principibus,& hæc eadem uiua uoce cum eis egerunt, obsecrantes eos per Deum,ut postquam male auspicatorem certamini commissent,& cladem multis post hac seculis non abolendam accepissent,nũc saltem malo suo coacti,resipiscerent à stultitia,nec se gentẽq; suam obstinata desperatione omnino perditum irent,se in cõspectu omnia cernentis Dei fidẽ suam interponere,quod si se ultro dedissent,aut eadem die,aut breuissimo post tempore deditione absoluẽdi essent,saluis sibi dignitatibus,beneficijs, prædijs,& alijs facultatibus suis. Econtra illi satis sibi aiebant re ipsa cognitã & spectatam esse,& Principum fidem,& Regis atrox atq; implacabile ingenium, cum post illas cõditiones pacis,quas priore anno in Gerstingun Rex Principibus supplicium ferentibus quam sancte firmasset,tam crudeliter in eos culpæ, quam tũc condonauerat,uindictam exercuisset,nec Principũ fides periclitantibus quicquam opis præsidijq; contulisset,Proinde frustra eos rogare,ut fidẽ suam nunc experiantur,quasi incognitam,quam in campis Turingiæ luce clarius multo suo incommodo experti fuissent. Ita defixi in sententia persistentes, haud procul à Magdaburg locis munitissimis se cõtinebant,quia licet multitudine abundarent,congressionibus tamen deinceps abstinendum,nisi ineuitabilis necessitas incidisset,decreuerant. Tamen Vdo Marchio,& Episcopus Mersebur gensis,& pauci alij nobiles Saxoniæ deditioni consenserunt. Ex quibus Vdo Marchio dato pro se obside filio suo,statim deditione absolutus est. Episcopus in monasterium Loressan missus,alij diuersis Principibus,ut ad tempus seruarentur cõmendati sunt. Rex usq; Halberstat cum exercitu uenit,omnia ut cœperat circumquaq; ferro & igne depopulãs. Goslariam quoq; cum paucis perrexit,parcens loco ditissimo,& sibi semper gratissimo,ne quam ad missa multitudine sentiret deprædationis iniuriã. Cumq; exercitus indies fame & siti periret,ueteri frumento partim igne,partim tantæ multitudinis usibus absumpto,nouo autem necdum maturo,cumq; spes nulla esset sine largioribus induciijs,& maioribus impensis bellum hoc confici posse,exoratus Rex à principibus Saxonia excessit,& transitis finibus Turingiæ, ubi Eschenuuege peruenit,exercitum dimisit,accepta à Principibus firmissima spõsione,quod ad iterandam expeditionẽ x i. kal. Nouembres maiores & ambitiosius instructas,sibi in Gerstigun copias adducturi essent. Quo in tempore nunciatum est Regi Dietuuinum Leodiensem Episcopum,uirum multis ornatum uirtutibus,& per plures iam annos sacerdotio perfunctum ab hac luce migrasse. Cui protinus Rex per interuẽtum Gozelonis ducis,propter eius excellens in militia meritũ, successorem constituit Henricũ quendam Vertunensem Canonicum,ipsi duci consanguinitatẽ proximum. Quo ille beneficio Regi deuinctus,operã suam futuræ expeditioni quam maximam pollicebatur. Rex dimisso exercitu,concitus Vuormaciam uenit. Nec multo post,Burchardus præpositus Treuirẽsis ecclesiæ,qui ad Regem Ruzenorũ legatione regia functus erat,reuersus est, tantũ Regi deferens auri & argenti,& uestium pretiosarum,ut nulla retro memoria tantum regno Teuthonico,uno tempore illatum referatur. Qua Regem mercede ad hoc tantum redimere uolebat Rex Ruzenorũ,ut fratri suo,quẽ regno expulerat,aduersum se non præberet auxilium. Quod certe gratis etiam impetrare potuisset,quia intestinis ac domesticis bellis occupatus, ad externa tãq; remotis gentibus inferenda bella nullo modo uacabat. Per se magno muneri magnum addit pretium temporis opportunitas. Nam ingentibus recentis belli expensis ærarium Regis exhaustum fuerat,& miles uehementer instabat, nuper exactæ militiæ præmium efflagitans,cui nisi ad uotum regia largitione satisfeciisset,haud dubie constabat,quòd eum ad reliquam negotij partem, quæ profecto maior restare timebatur,minus deuotum habiturus esset.

Moguntinus

Moguntinus Archiepiſcopus efferatus in Halberſtatenſem Epiſcopũ, pro eo quòd per eum potiſsimum ſtetiſſe uideretur, ne Saxones deditioni conſentirent, ſpirituali armatura debellare parat, quem militari manu non potuerat. Legatum ei mittit, eumq; ad ſynodum euocat, intentans ei crimen periurij, ea de cauſa, quòd contra rempub. cui ſub iureiurando fidem ſpopondiſſet inſtructã aciem dux ipſe belli duxiſſet, & hac occaſione Epiſcopatu eum deturbare, ſi uota ſequatur effectus, machinatur, parum recolens, ſeipſum eadẽ noxa teneri, quia & ipſe & cuncti Principes regni, qui nunc partium Regis erant, in hæc eadem contra Regem bella à principio coniurauerant. Sed nuncius metu hoſtium, per quorum terras tranſeundum erat, retardatus eſt, ne ad legitimas inducias, ſicut ſolenne eſt, ei diem diceret. Atq; ita ineptum conſilium eadem leuitate euanuit, qua cœptum fuerat. Synodum tamen eodem anno menſe Octobri Moguntiæ congregauit. Vbi inter alios Epiſcopos, qui conuenerant, aderat Curienſis Epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis literas & mandata deferẽs, quibus ei ſub interminatione gradus & ordinis ſui præcipiebat, ſicut antea quoq; multis legationibus præceperat, ut presbyteros omnes qui intra ſuã dioceſim eſſent, cogeret, aut in præſentiarũ coniugibus renunciare, aut ſe in perpetuum ſacri altaris miniſterio abdicare. Quod dum facere uellet, exurgentes, qui undiq; aſsidebant Clerici, ita eum uerbis confutabant, ita manibus & totius corporis geſtu in eum debachabantur, ut ſe uita comite ſynodo exceſſurum deſperaret. Sic tandem rei difficultate ſuperatus, ſtatuit ſibi deinceps tali quæſtione omnino ſuperſedendum, & Romano Pontifici relinquendum, ut cauſam quam ipſe toties inutiliter propoſuiſſet, ille per ſemetipſum quando uellet, & quomodo uellet peroraret.

Henricus Spirenſis Epiſcopus, cum iam theſauros eccleſiæ Spirenſis penè omnes puerili leuitate dilapidaſſet, & prędia militibus ſuis in beneficium erogaſſet, in tantum ut uix in dimidium annũ ſumptus ei ex reditibus eccleſiæ miniſtrari poſſent, inopinata morte ſubtractus eſt. De cuius obitu dignam memoria uiſionem uidit Clericus quidã, qui ei defuncto protinus in Epiſcopatũ ſuccelsit, nomine Huzmannus, putabat ſe in choro Spirenſi cum Epiſcopo & cæteris Clericis ſtare, & ecce ingrediebantur chorum tres uiri, unus ex acta ætate canicie uẽneranda, duo iuuenes tãquam in obſequiũ ſenioris deſtinati. Cumq; in médio chori aliquandiu taciti cõſtitiſſent, ait ſenior his, qui circa ſe erant iuuenibus. Quid tardatis quòd uobis iuſſum eſt explere. At illi tuum, inquiunt, parris eſt primo aduerſus eum dictare ſententiã, & nos ſine dilatione quicquid iudicaueris exequemur. Et ille propter multa inquit mala, quæ in locum hũc, & in ſanctam Dei genitricem operatus eſt, egreſſa eſt à Deo ſententia, ut interficiatur. Ad hanc uocem corripientes Epiſcopum decollauerunt, & truncum in ligno crucis, quod in eadem eccleſia in ſublime elatum ſtabat, ſuſpenderunt. Cumq; mane facto, clericus nimio horrore concuſſus Epiſcopo ſomnium retuliſſet, uiſus eſt ei quaſi deliramenta loqui, & propter ſoſpitatem corporis ſui optimeq; conſtantem omnibus membris uigorem ſuum, nullum tam è uicino imminentis exitij ſenſum admiſit. Et ecce ſeptimo dehinc die, cum ad ueſpertinalem ſynaxim cum fratribus in choro ſtaret, ſenſit repente paruulam ſibi inſtar puncti puſtulam in collo excreſcere, qua paulatim in immenſum intumeſcente, ante mediam noctem defunctus eſt.

Poſt abductum de Saxonia Regis exercitum, iterũ Saxones & Turingi crebra conuenticula faciebant, in quibus plebs cõtra Principes, & Principes contra plebem grauiſsima ſimultate tumultuabantur. Succenſebat plebs Principibus, quòd eam ad ſumenda contra Regem arma importunis ſuaſionibus impulliſſent, & nunc cum ad certamen uentum eſſet, ipſi fuga elapſi, plebem proſter-

prosternendam, conculcandam, & ritu inertium pecudum iugulandam hostibus exposuissent. Irascebantur Principes plebi, quod ipsis in aciem progressis, & pro numero suo satis impigre rem gerentibus plebs intra castra inerti otio desedisset, & periclitantibus plurimum irritæ spei nihil opis præsidijq; diu expectata contulisset. Tum uero omnes in commune Saxones omnes Turingos infestissime auersabantur, & cum his iustius, quam cum Rege bellum sibi fore dicebant, quod in fugã uerso Saxonico exercitu, Turingi per omnes uias & compita oppositi fugientes inuaderent, raperent, lacerarent, & ignominiosa nuditate fœdatos de suis finibus effugarent. Iam in eo erat, ut ad uim magnum q; aliquod malum iurgia spectare uiderentur. Sed Episcopus Halberstatensis, & Otto dux quondam Baioariæ, quorum potissimum consilio bellum Saxonicum administrabatur, efferatæ multitudinis animos salubri moderatione mitigabant, orantes eos per Deum, ne arma quæ pro uindicanda libertate sua concorditer sumpsissent, nunc diabolico furore raptati, in propria uiscera retorquerẽt, neu hostibus suis qui luctuosam à se uictoriam reportassent, per intestinam hanc seditionem animos audaciamq; repararent. Præterea cernentes quod infractam prima aduersitate plebem uehementer iam belli pœniteret pariter & tæderet, ueriti etiam ut semper uarium & instabile est plebis ingenium, ne ipsos principes captos Regi traderent, & suam salutem eorum sanguine redimerent, retulerunt ad eos de pace instauranda, suaseruntq; ut quoquo modo semel accepta clades belli eius tædium horroremq; incussisset, omnem nunc operam uerterẽt ad placandam Regis aduersum se indignationem. Gratanter nimis hoc auditũ, acceptumq; est ab omni plebe. Statimq; Episcopum Bremensem, & Vdonem Marchionem collato consilio ad Regem miserunt, orare per Deum, ut saltem nunc sanguine eorũ exaturatus, iracundiæ suæ modum poneret, nec exiguum gentis Saxonicæ, quod atrocissimæ cædi superfuerat, usq; ad internetionem deleret, diem potius locumq; constitueret, quo tutò uenire, tutò causam dicere liceret. Se iuxta iurisdictionem omnium regni Principum, de omni iniuria, qua se læsum diceret, paratos ei ad uotum satisfacere. Omnem postremò satisfactionẽ proponere, omnia salua modo uita & libertate libenter passuros fore, si tantum expeditionem quam aduersum se omnibus regni Principibus indictam comperissent, ad tempus inhiberet. Ad hæc Rex ait, se nec eis, nec cuiquam iustam satisfactionem de culpa proponenti uetiam ferre nec uelle, nec debere, donec Principes regni in unum conuenirent, in quorum communem ignominiam læsæ regiæ maiestatis iniuria redundaret, & quorum tam uirtute bellum transigendum, quam consilio pax reparãda esset, præsertim cum iam sæpenumero bona & pacifica promittentes fefellissent, se principibus suis in expeditionem coadunandi exercitus diem XI. kal. Nouemb. constituisse in Gerstingun. Si eos patrati facinoris reuera pœniteret, eò uenirent, accepturi illic quancunq; regni Principes æquam iudicassent, p admissa temetitate, sententiam. Hoc ubi Saxonibus nunciatũ est, ingens eos metus inuasit, omnesq; certatim animi conatus intendũt ad placandam quoquo modo possent Regis iracundiam, ea præ omnibus cura habita, ut expeditionẽ, quæ tam atrociter indicta fuerat, præuerterent, recolentes quãtum calamitatis superiore expeditione accepissent, & haud dubie scientes, quod infestiorem nunc hostẽ instaurata post fugam bella sibi redditura essent. Itaq; supra memoratos nuncios, & cum his Hildensheimensem Episcopum mittunt, nec Regi solum, sed cunctis etiam Principibus pro recuperatione pacis obnixius supplicare iubent, omnem admissi facinoris satisfactionem etiam supra leges & natales suos, pmittũt. Et ne uerbis minus fidei sit, obsides ipsis Legatis, quãtos

accipere

accipere uelint tradunt, quibus se obligent, nulla unquam leuitate, nulla necessitate, nulla ingruentium casuum mutabilitate promissionibus suis defuturos fore. Sed Rex comperto per occultos indices quod id molirētur, omnibus modis satagebat, ne qua deinceps ante instructam expeditionem legatis Saxonum copia fieret colloquendi secum, præcauens scilicet, ne forte Principes regni supplicationibus eorum & satisfactionis humilitate uicti, clementiorē in eos animum acciperent. Quin imò, tam honori quàm iracundiæ suæ hoc consultius fore iudicabat, ut si fieri posset, nouis occasionibus ueteres inimicitiæ instaurarentur, & uulnus quod prepropere in cicatricem obduci metuebat, recentibus plagis exulceraretur. Ad hoc efficiendum nouo & exquisito utitur artificio. Simulat se à Salomone uiro sororis suæ Rege Vngarorum in Vngariam euocatum, ut lites quę inter ipsum erant & Ioiadam, qui eum regno expulerat, habito cum utrisq; familiari colloquio componeret. Huius itineris prætextu elusis omnibus regni Principibus, in Boëmiam proficiscitur, nullum secum habēs ex Principibus, præter Herimannum comitē de Glizberg, equites autem expeditos, & tanto negotio allectissimos penè quingētos, qui relectis sarcinis & cæteris bellorum impedimentis, itineri tantum & certamini se expedierant. Assumpto in Boëmia duce & exercitu Boëmico, per occultos ac difficilimos tramites in Saxoniam contendit, sperans se eos, ut dici solet, inter oscitantes, cum inopinatus irrueret, facile oppressurum, aut si rebellare tentarent, iustā deinceps aduersum eos belli & satisfactionis non suscipiendæ causam habiturum. Igitur usq; Misenen peruenit urbem, sitam in confinio Boëmię & Saxoniæ. Ibi à ciuibus pacifice in ciuitatem susceptus, Episcopum ciuitatis ipsius comprehendit, omnia quæ eius erāt diripuit, hoc solo reum maiestatis eum adiudicans, quod toto tempore belli Saxonici nullos ad eum seruatæ erga remp. fidei indices nuncios uel literas destinasset. Cæterum homo ecclesiasticæ paupertatis, & nihil aut parum habens pompæ militaris, uota forsitan cōtra remp. facere, arma ferre non poterat, nec magnum uel his uel illis partibus momentum amicus siue inimicus extitisset. Paulò ulterius progressus uillas nōnullas incendit, homines plerosq; ingenuos in deditionē accepit. Cum repente præmissi exploratores retulerunt, iamdudum consilij huius famam ad Saxones præueniſſe, eos contractis plusquam XV. milibus armatorū haud procul castra posuisse, paratos cum eo proxima die, nisi satisfactionem eorum pactisq; conditiones ultro susciperet, collatis signis confligere, postremò de eius suorumq; omnium salute actum esse, si uel ultra progredi, uel in eisdem castris posteram diem operiri uellet, præsertim cum nullum undiq; conclusis effugium pateret, nec periculum manu propulsare multitudine impares possent. Ingens omnes qui cū Rege erant metus perculit, uehemēterq; eius ineptiam incusabāt, quòd cum successus suos nimium ipse urgeret, & morarum impatiens multorū annorum bella uno impetu conficere immoderata præsumptione festinaret, se suosq; hostibus puerili leuitate prodidisset. Eorū monitis obtemperans, citatō quantum poterat reditu in Boëmiam, unde eruperat, se recepit. Quē abeuntem quidā ex Saxonibus expediti equites insciis Principibus insecuti, priusquàm Saxonia excederet oppressissent, nisi Boto comes, q ad Saxones à Rege orator ierat, prouocare eos ad deditionem, uel, quod uerius est, uana pollicitatione uenię implicare eos, ne persequerentur abeuntē, hac arte eos fefellisset. Digrediens à castris Saxonū, cum eos paulatim uestigia sua insequi cerneret, itet unius diei, quo ad Regem redire poterat, longos anfractus, & longa uiarum dispendia legendo, uix triduo confecit, ut per hanc scilicet moram Rex elusis hostibus in tutum euadere potuisset. Ita periculo liberatus Rex militem suum labore ac uigilijs tum potissimum fame ac siti penè usq; ad defectionē spiritus confectum

confectum post paucos dies Ratisponam reduxit, è uicino iam imminẽte die, quo in expeditionem exercitus adunandus erat. Inuenitq; ibi Legatos Saxonum, multo iam tempore reditũ eius præstolantes. Quos responsum differendo diu suspensos tenuit, ut redire ad suos, nisi sub ipso imminentis iam expeditionis articulo, & penè incumbente iam ceruicibus eorum hostili gladio non possent. Cumq; sub idem ferè tempus Dedi Marchio lõga ægritudine absumptus decessisset, Marchiam eius Bohemico duci in præmiũ exactæ militiæ dedit, tametsi uxor Marchionis Adila filiũ suũ, cui hæreditaria successione Marcha debebatur, ei paulò ante pro se obsidem misisset, & ipse Marchio post recuperatam pacem in Gerstingun intemeratam semper erga Regem, remq; publicam fidem seruasset. Interea Saxones & Turingi inter spem & metum, inter pacem & bellum, inter comminationes & supplicationes, uario curarum æstu fluctuabãt, nec quid agerent, quò se uerterent, quibus modis impeditam rem explicarent, crebra conuenticula facientes, deliberare poterant. Censebant alij quomodo Rex ad internetionem totius Saxonicæ gẽtis animum obstinasset, ut quicquid Saxoniæ uel Turingiæ hostilis exercitus reliquum feciſſet, id ipsi iniecto igne absumerent, & sic cum omnibus suis ultra fluuium Albim commearent. Alij ut Luitticios infestissimam nomini Christiano gentem finibus suis excirent, & barbaro milite aduersus barbarum atq; implacabilem hostem uterentur, alij ut castella, quæ Rex per Turingiam & Saxoniam dirui iusserat, instaurarent, & locorum difficultate, quoniam armis non possent salutem suã, quo ad indignatio domini deflagraret, tutarentur. Sed plebs omnem spẽ suam ab armis ad preces uerterat, quæ si non proficerẽt, incunctanter animo fixerat, omnia fœda etiam atq; crudelia potius tolerare, quàm se certamini cõmittere, & ancipitem fortunæ aleam quam semel infausta cõgressione experta fuisset denuo tentare. Econtra principes, quibus primum auctoribus ea rabies inarserat sedulo instabant, obsecrantes, ut pristinæ uirtutis memores crimen non inferrent gloriæ suæ, nec optimę cœpta fœdissimè nunc desererent, quòd prima congressione res secus cessisset et id causę extitisse, quod nec Regem nec Principem habuissent, cuius ductu & auspicio bellum gerere, ad cuius imperium castra locare, in aciem procedere, manum cum hostibus cõferre, & cætera militaris disciplinæ munia obseruare sacramenti militaris religione cogerentur, si is scrupulus ademptus esset, nullum Regem, nullum deinceps exercitum uirtuti Saxonicæ insuperabilem fore. Proinde malæ rei, pessimæ spei, unicum hoc remedium, & aduersus insolentiam hostium uehemens telum esse, si Regem sibi crearent, & in eius uerba iurarent, se pro patria, pro coniugibus, pro liberis, pro legibus, pro libertate sua usq; ad mortem militaturos esse. In his & huiuscemodi deliberationibus cum sæpe septem, sæpe XIIII. dies continua consultatione triuissent, incertiores semper quam uenerant domum reuertebãtur. Ita cum omnia deliberando pertentassent, omnia discussissent, propter accepta cladis recentem memoriam, nihil rationibus suis satis tutum, satis firmum putabant. Rex XI. kal. Nouemb. iuxta condictum uenit in Gerstingun, Venerũt omnes Teuthonici regni Episcopi & Comites. Aderat Diodericus dux Mosellæ regionis, aderat Gozzelo dux Lotharingiæ, tantas habens copias, ita militaribus armis instructas, ita de tota cui præerat regione seuerissimo delectu habito exquisitas, ut solæ cæterum Regis exercitum & numero, & bellici apparatus gloria præcellere ac supergredi uiderentur. Alij duces, Rudolfus scilicet dux Suæuorum, Vuelf dux Baioariorum, Bertholdus dux Carentinorum Regi auxilium suum petenti denegauerant, pœnitentes ut aiebant, superiori expeditione in irritum fusi tãti sanguinis, offensi etiam Regis immiti atq; implacabili ingenio, cuius iracundiæ incendium, nec lachrymę Saxonum, nec

inundantes

inundantes campis Turingiæ riui sanguinis restinguere potuissent. Cæteri tamen Principes, qui frequentissimi conuenerant, magnum satis ac ualidũ exercitum fecerant, ●i tamen longe ac longe imparem, quem prior illa expeditio contraxerat. Saxones & Turingi ultima iam necessitate excitì, amplissimo numero cõuenere, & positis castris haud procul à curte regia Northusun, Archiepiscopum Bremensem, Episcopum Hildenesheimensem, Vdonem Marchionem, Regi obuiam in Gerstingun miserunt, obnixe postulantes, ut à latere suo principes, quos uellet ad eos transmitteret, paratos, se collato cum eis cõsilio omnibus quæ iusta sint, promptissimè assensum præbere. Abnuit Rex nec Principes suos de tam remotis regni partibus ad sententias dicendas confluxisse, sed ut manu militari ab hostibus communes reipublicæ iniurias expostularent. Sed cum ei hoc uix & ægrè supplicatio lagatorum extorsisset, nullus erat ex Principibus, qui eo munere fũgi consentiret, singulis uidelicet timẽtibus, ne uel apud Regem perfidiæ notarentur, si quid in Saxones clementius agerent, uel apud Saxones mendacij crimine infamarentur, si ueniam eis admissi pollicerentur, quam incunctanter scirent, nullam eos à Rege consecuturos. Triduo in hac cunctatione cessatum est. Legatis assiduo euntibus ac redeuntibus, atq; in eadem uerba Regis & omnium Principum aures obtundentibus. Nec propterea Rex profectionem distulit, sed instructo exercitu, prælatis militaribus signis lento quotidie gradu in ulteriora populabundus contendebat. Tandem placuit mitti ad eos Moguntinum Archiepiscopum, Salzburgensem Archiepiscopum, Augustensem Episcopum, Vuerzeburgensem Episcopum, & cum his Ducem Gozelonem, cuius potissimum in ea expeditione auctoritas ualebat, & in eo omnium quæ agenda erãt, summa & cardo uertebatur, pro eo quod licet statura pusillus, & gibbo deformis esset, tamen omnium gloria, & militum lectissimorum copia, tum sapientiæ & eloquij maturitate cæteris Principibus quàm plurimum eminebat. Hos quinq; nominatim ad colloquium suum Saxones expetierant, quod hos constantissimæ fidei & ueritatis esse compererant, & quicquid hi spospondissent, ratum fore haud dubio credebant. Cunq; in castra Saxonum uenissẽt, prouoluti pedibus eorum Principes Saxoniæ, obtestabantur per Deum, ut calamitatis eorum miserarentur, quos Regis in clementia, & primo ad audendum hoc immane facinus coẽgisset, & nunc uictos & penè usq; ad internetionem deletos, ad exitiales cruciatus insatiabili odio deposceret. Quod si legibus, si iudicijs, si more maiorum innocentiam suam asserere permittatur, facile crimẽ refellant, & se acceptas in Gerstigun pacis cõditiones nullo deinceps ausu temerario uiolasse probent, uel si probare nequeant pœnas, quas leges & scita maiorum in similium criminum reos sanxerint, persoluere non abnuant. Nunc uerò nouo crudelitatis genere innocentibus refellendi criminis copiam non dari, placationem nõ recipi, satisfactionem non admitti, sed semel conceptæ indignationis uirus, ita penitus imis insedisse uiscer.bus, ut non alio medicamine, quàm totius Saxonicæ gentis exterminio sedari ualeat. Proinde uideant ipsi memores humanarum rerum, ne forte pestilentis huius exempli contagium sumpto ab Saxonibus exordio, cæteros etiam quandoq; regni principes inficiat, & ita nunc infelicibus euentis Saxonum moderentur, ita calicem hunc fellis & absinthij misceant & propinent Saxonibus, ut sibi quoq; paulo post eundem meminerint esse bibendum. Se iam incisa spe, omissa deinceps salutis propriæ cura, hoc firmiter animo statuisse, ut quicquid illi agendum censeant, suadeant, iubeant, incunctanter agant: nec suarũ partiũ studio patiantur ulterius totius reip. statum periclitari. Ad hæc illi responderunt, se causam qua primum aduersus Regem arma sumpserint, nõ admodũ improbare, nec placere sibi obstinatum ad

pernitiem eorum Regis animum & pertinax odium, consensisse tamen in hoc omnes regni Principes, de usurpato in republica nouo hoc & multis retro secu lis inaudito facinore, nō aliter Regi uel republicæ posse satis fieri, quam ut se absq; ulla exceptione dedant: sibi autem quorum hoc consilio agāt curæ futu rum, ut nihil ex hac deditione quod saluti eorum, quod honori. quod reisami liari officiat experiantur. Aduersus hanc uocem uehemēter infremuit uulgus Saxonicum, durumq; omnibus uisum est & intollerabile, ei sanguinis sui ius potestatemq; facere, cuius crudelitatis tam clare cepissent experimenta, qui post depopulationes Turingiæ & Saxoniæ, post multa hominum milia cæsa, adhuc spirans minarum & cædis, omnia aduersum eos mundi regna concitas set, cuius iracundiæ in secundis rebus non pietas, non miseratio, non Dei, non hominum respectus unquam modum fecissent, satius sibi fore, ut æquo certa mine congressi, more utrorum fortium moriantur in bello, quàm ut in exilijs & carceribus ritu pecudum iugulati, ridiculum hostibus suis spectaculum præ beāt. Econtra illi sedulo instabant, deprecantes, ut salutaribus monitis adqui escerent, neq; exiguum Saxonici nominis, quod cædi ac depopulationi su perfuisset uana desperatione perditum irent, se si minus salutis eorum, at pro priæ existimationis curam permaximam habere. qui profectò maculam sibi & crimen nulla deinceps ætate, nulla uirtute abolendum contraherent, si fidei suæ creditos aduersitatis cuiusquam uel leuis aura perstringeret. Proinde itu ros se ad Regem, & si tuto fidem dicere, tuto ueniam polliceri possent comper turos, & quæ comperta fuissent, die postera renunciaturos. Rex gratissime amplexus pacis conuentionem, promisit, & sicut uulgata in plurimos fama lo quebatur, etiam iusiurandū dedit, nihil se in eos si dediti fuissent, præter uolū tatem & sententiam acturum eorum, quorum opera & beneficio incruenta si bi hæc uictoria obtigisset. Sæpe itum ac reditum est, sæpe Saxones refutato de ditionis consilio arma expediri, atq; in aciem signa afferri conclamauerant, dū erant Episcopi satis impigros se exhibuerunt negotio, & ferocientis multitudi nis tumultum nunc minis, nunc blandimentis comprimebant, pollicentes, & quia uerbis parum fidei erat, etiam sub iureiurando confirmantes, non salutis, nō libertatis, non prędiorum, non beneficiorum, non cæteræ suppellectilis, suæ ullam eos iacturam sensuros, sed postquam faciem Regis et regni maiesta tem momentanea satisfactione magnificassent, statim deditione absoluēdos, & patriæ liberatiq; in nullis imminuto sibi conditionis suæ statu restituendos esse. Non uerba, non iuramēta, non promissiones ullæ Principibus Saxoniæ metum ademerant, sed quia nec utiliter hostibus congredi numero ac uirtute impares ualebant, nec bellum diutius trahi, plebe iam olim tædio affecta, & pa cis recuperandæ cupidissima poterant, post longas deliberationes, post mul tas tergiuersationes lachrimātes, atq; alta suspiria ab imis trahētes uisceribus, tandem deditioni consenserunt, & fidem Principum Regisq; clementiam pro priæ salutis periculo experiri statuerunt. Quod ubi protinus per exercitum Re gis celebris rumor uulgauerat, ingens gaudium, uehemēs erat gratulatio, om niq; triumpho illustriorem omnibus spolijs opimiorem æstimabāt uictoriā, q adēpta sibi fuisset necessitas, cū his manū denuo cōferēdi, qui prima cōgressi one extinctis penè omnibus Sueuiæ ac Baoariæ luminibus luctuosā uictori bus uicti cladem intulissēt. Postera die Rex ad suscipiēdos eos in medio latepa tētis cāpi planicie in loco qui dicitur Spiraha assedit, toto exercitu ad hoc spe ctaculū soleñiter euocato latissimo inter constipatā multitudinē uacāte spa cio, ubi dum procederent totius exercitus oculis conspicui forent. Igitur in troducuntur per ordinem Saxoniæ ac Turingiæ primo Principes, Vuezil Ar

chiepiscopus

chiepiscopus Magdaburgensis, Bucco Episcopus Halberstatensis, Otto Dux quõdam Baioariæ, Magnus Dux Saxoniæ, Herimannus comes patruus eius, Fridericus Palatinus comes, Diedericus comes de Cadalẽburg, Adelbertus comes de Turingia, Rudeger, Sizzo, Berenger, Bern, comites. Deinde ingenui omnes, qui generis uel opum claritate aliquantulum eminebant in populo, & sicut conuenerat absq; ulla exceptione Regi se dediderunt. Rex eos principibus suis singulis singulos, donec de eis communi consilio deliberaretur, seruandos commisit, & paulo post rupto fœdere, contemptis omnibus, quibus se obligauerat iurisiurandi uinculis, eos per Galliam, Sueuiam, & Baioariam, per Italiam & Burgundiam deportari fecit. Beneficia quoq; eorum militibus suis, quorum præcipuè opera in bello Saxonico usus fuerat distribuit. Commoratus etiam paucis diebus in Turingia castellum in Ascenberg instaurauit, præsidium q; imposuit, præcauens nequid post digressum suum instabilis uulgi leuitate nouaretur. Præterea ingenuis omnibus, qui uel casu abfuerant, uel metu se subtraxerant diem statuit, ante quem si in deditionem non uenissent, tanquam hõstes publici ab omnibus, quibus resp. curæ esset, ferro & igne infestarentur, atq; ita dimisso exercitu, uictor rediens, natalem sancti Martini Vuormaciæ celebrauit. Interea Romanus Pontifex crebris legationibus et Babenbergenses Clerici assiduis supplicationibus uehementer Regi imminebant, ut iam diu uacanti ecclesiæ Babenbergensi rectorem prouideret. Siquidem prior Episcopus, licet extrinsecis ecclesiæ possessionibus, militum suorum, ut suprædictum est, præsidio fultus, contra uetitum incubaret, nullam tamen pontificalis officij administrationem usurpabat, apostolici anathematis religione abstrictus. Cunq; Regi in pace & in bello tranquilla seu turbata republica semper commodissime affluisset, & scandalizatis in eo cæteris regni Principibus, solus ille nunquam scandalizatus fuisset, sed in cunctis quæ ei accidissent calamitatibus pondus diei & æstus cum eo inconcussa fide portasset, nunquam tamẽ Rex uel leui uerbo calumniatoribus eius obstitit, quin imõ haud grauate aduersus eum accusationem recipere uidebatur, eo uidelicet, ut plerisq; interpretabantur, intendens, ut per huius deiectionem uia sibi pãtefieret ad Vuarmacienſem Episcopum, & alios nonnullos, quibus in ultionem pristinæ defectionis iam pridem summa ope calumniam struere sentiebatur. Igitur profectus Babenberg, Rupertum Goslariensem præpositum in natale sancti Andreæ Apostoli, pro eo ordinari fecit Episcopum, uirum pessimæ existimationis in populo, eo quòd Regi familiarissimus & omnibus eius secretis semper intimus fuisset, & omnium quæ Rex perperam & præter regiam magnificentiam in rep. gessisset, potissimus incentor extitisse putaretur. Et milites quidem acerrime factum improbabant, quod scilicet uiuente priore Episcopo nec canonice ad synodum euocato, nec canonice adiudicato alius ad adulterandam ecclesiæ Babenburgensis castitatem superordinatus fuisset Episcopus. Clerici autẽ etsi eos quàm maxime offenderet persona ordinati, haud sane bonum testimonium habens ab his qui foris erant, malebant tamen qualẽcunq; habere, quã eum aduersus quem sedem Apostolicam appellauerant, & cuius uitæ institutionisq; lugubrem tragœdiam, toto mundi huius theatro decantandam uulgauerant, recipere.

Postera die cum ad eligendum Fuldensem Abbatẽ Rex cũ Principibus assedisset, grãdis erat inter Abbates & monachos, qui ex diuersis locis frequentes cõfluxerãt, concertatio. Tanquã soleñiter indicto agone singuli pro uirili portione curr̃etes, alius aureos mõtes, alius ingẽtia beneficia ex agro Fuldẽsi, alius solito impẽsiora in rempublicã seruitia promittebãt. Nec prorsus in promittendo modum aut modestiam ullã seruabant. Et ô mores, ô tempora, ó abomi

nationem desolationis stantem in loco,ubi non debet,& mammonam nostris temporibus publicè sedentem in templo Dei, & extollentem se supra omne quod dicit̃ Deus,aut quod colitur. Abbates & monachi ita ambitionis spiritu præcipites rapiebantur,ut eos à cupiditate sua non pudor nominis Christiani,non habitus arctioris propositi, non ipsum denique deterreret recens exemplum Babenbergensis Episcopi, quem pridie uiderant non aliam ob causam & Episcopatu priuatum & communione,quâm quòd ad sacrum ordinem illicita largitione aditum sibi affectasset.Horum impudẽtiam Rex uehementissime (ut dignum erat)detestatus,cum hinc inde importune obtundentiũ precibus urgeretur,repente diuino ut creditur spiritu actus, monachum quẽdam Herueldensem Ruzelinum nomine, qui pro causa monasterij iussu Abbatis sui ad curtem uenerat,in medium euocat,& nihil minus suspicanti,etiam inopinatæ rei miraculo penè exanimi,baculum pastoralem offerens, primus ipse Abbatem eligit,deinceps tam monachos quàm milites, ut in electionem eius consentiant obnixe efflagitat.Ita cunctis qui aderant lætissima acclamatione suffragium ferentibus ,abbatiam suscipere iubetur. Et cum diu nunc impetitam suam,nunc malam ualetudinem,nunc abbatis sui absentiam causatus restitisset ,uix tandem aliquando præsẽtium Episcoporum obtestatione adiuratus,suscipere consensit.Similiter defuncto nuper Vdalrico abbate de Loressa, cum monachi & milites in electionem præpositi concorditer adunati ad curtem uenissent,neq; Rex aliter sensurus putaretur,propter multa seruitia,quibus ille dum præpositus monasterij esset,gratiam dilectionemq; eius officiosa admodum sedulitate redemerat,Rex aliam quendam eiusdem cœnobij monachum Adelbertum nomine, qui cum cæteris fratribus nihil tale opinatus aduenerat,repente iniecta manu in medium protahit,& rei nouitate attonito,baculum pastoralem cunctis stupentibus tradit.

Herimannus Babenbergensis Episcopus,comperto quòd alius in locum eius subrogatus esset Episcopus,cum omnis iam ei spes adempta esset,recuperãdæ deinceps dignitatis suæ,nec ad eludendam Romani Pontificis sententiã ullam ultra pateret diuerticulum,in monasterium cui nomen est Suaza secessit,ibiq; sub Eggeberto abbate sanctæ conuersationis habitũ suscepit. Statimq; assumpto secum eodem abbate suo ,Romam profectus est,cum de inobedientia sua humiliter apud sedem Apostolicam pœnitentiam egisset,& anathemate liberatus,& sacerdotalis ministerij præter pontificalem dignitatem denuo licentiam est consecutus. Annum hunc multis cladibus insignem, potissimum lugubrem fecit obitus Aũonis Coloniensis Archiepiscopi, qui post longam ægrotationem,qua Dominus uas electionis suæ in camino tribulationis transitoriæ purius auro purgatius mũdo obrizo decoxerat. II. Nonas Decembris, beato fine perfunctus, ad angelos ex hominibus,ad immortalia ex mortalibus transmigrauit. Testantur hoc signa & prodigia,quæ quotidie circa sepulchrum eius Dominus ostendere dignatur,ad cõfutandam impudẽtiam eorum,qui paulo antẽ uitam eius sanctissimam ,latq; ab omni huius mũdi labe quantum ad hominem ,integerrimam,liuido dente carpebant,& preciosam margaritam iam olim cœlestis Regis diademati destinatam falsis rumoribus obfuscare conabantur.Is in Babenbergensi ecclesia,in ludo tam diuinarum quàm seculiarum literarum enutritus, postquam adoleuit, nulla commendatione maiorum , erat quippe loco mediocri natus,sed sola sapientiæ acutis tutis suæ prærogatiua imperatori Henrico innotuit.A quo in palatium assumptus,breui apud eum præ omnibus Clericis,qui in foribus palatij excubabãt, primũ gratiæ & familiaritatis gradũ obtinuit,hoc præcipue diligẽtibus in eo omnibus bonis,quod iusti ac recti admodũ tenax erat atq; in omnibus causis

pro

pro suo tum statu, non adulando ut cæteri, sed cum magna libertate obloquendo, iusticiæ patrocinabatur.

Erat autem præter uirtutes animi & morum gloriam, corporis quoq; bonis ornatissimus, statura procerus, uultu decorus, lingua promptus, uigiliarum & inediæ patientissimus, postremò ad omne boni operis exercitium, naturæ muneribus affatim instructus. Exactis in palatio haud multis annis, magna imperatoris, magna omnium qui eum nouerant expectatione adeptus est Coloniensem Episcopatum, atq; ita deinceps in omnibus tam ecclesiasticis quàm reipublicæ negocijs, haud imparem se acceptæ dignitati gerebat, & sicut æditioris loci insignibus, ita cunctis uirtutum generibus inter cæteros regni principes conspicuus incedebat. Reddebat sollicitus quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, quia Colonienſis nominis maiestatem & secularem pompam ambitiosius penè quàm aliquis ex præcessoribus eius ostentabat ad populum. Nec propterea tamen inuictum inter tantas occupationum procellas spiritum unquam relaxabat à studio diuinarum rerum. Crebris ieiunijs corpus suum macerabat, & in seruitutem redigebat. Pernoctabat plerũq; in orationibus, & per ecclesias uno tantum puero contentus comite nudis pedibus discurrebat. Et diem quidem in disponendis priuatis seu publicis negocijs, noctem uero totam in opere Dei expendebat. Multa illius in pauperes, in peregrinos, in clericos, in monachos benignitas, mira liberalitas erat. Nullam intra dioecesim suam congregationem prætermisit, quam non prædijs, ædificijs, stipẽdijs, sua specialiter donatione auctam uita decedẽs relinqueret. Et planè apud omnes indubia fide costitit, exquo Colonia fundata est, unius nunquam Episcopi studio tantum opus & gloriam creuisse Colonienſis ecclesiæ. In iudicandis causis subditorum, nec odio nec gratia cuiusquam à uero abducebatur, sed sẽper in omnibus propositam indeclinabiliter sequens æquitatis lineam, ad euertendum iudicium, nec accipiebat personam pauperis, nec honorabat uultum potentis. Tum uerò uerbum Dei ita luculẽte, ita magnifice diserebat, ut Saxonis etiam cordibus sermo eius lachrimas excutere posse uideretur, & semper ad exhortationem eius planctu & ululatu compunctæ multitudinis ecclesia tota resonaret. Duas Coloniæ congregationes Clericorum ex integro propriis impensis instituit, unam in loco qui dicitur ad gradus titulo sanctæ Mariæ, altera foras murum, titulo sancti Georgij martyris. Tres etiam congregationes monachorum diuersis in locis ex suo construxit, unam in monte qui à præterfluente fluuio cognominatur Sigeberg, aliam in regione Sclauorum, in loco qui dicitur Salefelt, tertiam in regione Vuestfaal, in loco qui dicitur Grascaf, quas omnes & augustissimis ædificijs excoluit, & exquisitissimis ecclesiæ ornamentis illustrauit, & amplissimis atq; in multorum fratrum usus sufficientibus prædijs locupletauit. Cũq; in omnibus Theutonici regni monasterijs certaret antiquum illum regularis disciplinæ feruorem admodũ refrixisse, & monachos à uita communi ad rem familiarem curam omnem studiumq; conuertisse, graui tedio angebatur animus eius, quòd ingentibus expensis nihil Deo dignum confecturus putaretur. Interea contigit, ut pro causa reip. Romam peteret. Cumq; aliquas Italiæ regiones peragraret, Principes eius regni, ne à Rege deficerent, suis exhortationibus confortaturus, ad monasterium quoddã, cui Fructuaria nomẽ est, causa orationis diuertit. Ibi admiratus monachorũ artissimã, & secundùm regulæ instituta conuersationem, nonnullos eorum in opere Dei probatissimos secum rediẽs abduxit, & eos ad tradendã Gallijs eiusdem disciplinæ formulã in Sigeberg cõstituit: prioribus monachis, quos ex sãcto Maximino asciuerat, quoniam in horum instituta cõcedere noluerant, honorifice in locũ suum remissis. Quod eius factũ imitati cæteri Galliarũ Episcopi, alij

pi, alij ex Gorzia, alij ex Cloniaca, alijs ex Sigeberg, alij ex alij monasterijs monachos euocãtes, nouam diuini seruitij scholã in suis singuli monasterijs instituerũt. Adeoq; breui coaluit felicis huius facti æmulatio, ut pauca intra Galliam monasteria uideamus, quæ non iam nouæ huius institutionis iugum sub acta receperunt. Ipse uero monachos suos iuxta quod in Fructuaria compererat cernens arctissimis uiuere disciplinis, & conuersationis eorum opinione lõge lateq; uulgata, multos ad mundi contemptum inflammari, & eorum magisterio se in uia Dei erudiẽdos tradere, magnas Deo gratias referebat, quod nõ confudisset eum ab expectatione sua. Omnem quoq; diligentiam adhibebat, ne quam earum rerum, quibus corporis imbecillitati consulendum sit, penuriam sustinerent. Honorabat ac uenerabatur eos ut dominos suos, nec solũ Abbati, sed Decanis etiam monasterij ita subditus dictoq; obtemperans erat, ut ad primum eorum imperium, quantumlibet grauibus publicæ seu priuatæ rei negotijs implicitus teneretur, ilico ex occupatis manibus surgeret, & omne quod iussisset, instar uilis mancipij exequeretur. Cibos summa industria confectos quotidie, dum adesse potuisset, ipse eis inferebat, ipse apponebat, ipse potũ miscebat, ipse reficientibus ad omne obsequium, quolibet tamulo promptior, paratiorq; assistebat. Silentium quoq; ac cæteras monasterij consuetudines, dum inter eos diuersaretur, ita attentus sollicitusq; seruabat, ac si pro excessibus suis, ipse quoq; quotidie in capitulo eorum causam dicturus, & sententiam accepturus foret. Hoc eius in Sigeberg, hoc in Salefelt, hoc in Grascastidium, hæc institutio erat. Porrò à Rege grauissimis sæpenumero inimicitijs dissidebat, & cum acerrimis increpationibus obiurgabat, propter multa, quæ præter æquum & bonum eius iussu uel permissu quotidie admittebantur in republica. Vnde Rex plerunq; efferatus, omnia quæ illius erant ferrò & igne demoliturum se comminabatur, plerunq; autem supplex ei factus, amplissimis promissionibus iratum demulcebat, & tam sui quam totius regni ius potestatemq; ei se facturum pollicebatur, si modo fidum eum sibi, nec adeò cunctis uoluntatibus suis aduersum experiretur. Ad hæc ille in cunctis aiebat, quæ recte & iuxta regiam magnificentiam conaretur, nusquam ei defuturam esse operam suam. Si quid uerò perperam & contra leges ac scita maiorum nequam nũc hominũ suggestionibus deprauatus agere uellet, ut his consensũ auctoritatẽq; suã accõmodaret, nullo se uel pretio redimi, uel terrore cõpelli posse, & quidem in summam familiaritatem, & penè in regni consortium à Rege assumebatur, nunc uerò quãdo ea, quæ in regno perperam gerebantur, uehementer detestaretur & acerrime impugnaret, cum contumelia de palatio eijciebatur, & ad exstinguendum omnino nomen eius totum regni robur concitabatur. His uicissitudinibus perplures annos eius concertatio cum Rege trahebatur. Neq; enim lasciuię Regis uel ratio modum faciebat, uel ætatis accessus, uel amici cuiusquam obiurgatio, sed quotidie se ipso deterior efficiebatur, & ruptis omnibus humani ne dicam Christiani pudoris frenis, in omne quod animus suggessisset flagitium præcipitantior ruebat, & oppressis iam terrore Principibus, nullus erat, qui peccantem & diuina atq; humana omnia, absq; discrimine permiscentem, uel leui uerbo auderet redarguere. Ad ultimum consyderans Archiepiscopus completam esse malitiam eius, & obstinatum in malis ingenium, nec tempore iam corrigi posse, nec ratione, anno penè ante exortũ bellum Saxonicum, petijt uacationem deinceps sibi dari ab exterioribus reipublicæ negotijs, Et sic impetrato commeatu, in Sigebergense monasterium secedens, illic in uigilijs & ieiunijs, in orationibus & elemosynis, quod super erat ætatis exigebat. Nec inde uspiam, nisi summa forte ac inuitabili necessitate extractus abscedebat. Cætera quæ circa reipublicæ administrationem uel egit,

egit,uel paſſus eſt, ſi quis plenius ſcire uoluerit, ſuperiora libelli huius reuoluat,& ſingula eo,quo geſta ſunt ordine,& tempore copioſe deſcripta inueniet. Sed pius Dominus, qui quos amat arguit & caſtigat, hanc quoq; dilectam ſibi animam ante diem uocationis ſuæ multis tentari permiſit incommodis, ut ſcilicet ab eo omnem ſcoriam terrenæ cõuerſationis excoqueret caminus trãſitoriæ tribulationis. Primum moto bello Saxonico fratrẽ eius Vuecel Magadaburgenſem Archiepiſcopum,& conſobrinum eius Bucconem Halberſtadẽſem Epiſcopum tempeſtas inuoluit grauiſsimæ perſecutionis. Contra hos,cũ non ſatis impigre Regi totius Saxonicæ gentis exterminium anhelanti opem ferret,naturæ profectò legibus,& carnali affectione inhibitus,inuiſus ei ſuſpectusq; efficitur,periurij ac perfidiæ inſimulatur,ciues Colonienſes,quibus paulo ante unice charus acceptuſq; fuerat,ad interficiendũ eum donis ac promiſſionibus ſollicitantur. Sopito utcunq; hoc malo, duo miniſtri eius,qui in laribus eius familiariſsime obſeruabantur, inſidias ei tendunt, & niſi Dei miſericordia malum hoc præuertiſſet, nihil tale ſuſpicantem trucidaſſent. Alij cuidã quem beneficijs ſuis maxime fidum ſibi obnoxiũq; fecerat, familiares literas à ſe ipſo in tabulis propter maiorem ſecreti

Defectus.

Suum tantis undiq; aduerſitatum procellis iactatum,& penè naufragantem conſolaretur & inſtrueret. At ille ex ipſa tam operoſa ſecreti commonitione conijciens aliquid Regi reiq; publicæ aduerſum his literis contineri, Regi eas detulit. Quas ille deinceps in argumentum læſæ fidei Archiepiſcopo improperans,necem ei, & omnibus quæ eius eſſent ultimũ (ſi copia fieret) exterminiũ machinabatur. Item alius quidam ex miniſtris eius, quem Colonienſi eccleſiæ propria induſtria ipſe adquiſierat,quemq; ob hoc indulgentiſsimo ſemper affectu coluerat,& bonis omnibus etiã ſupra natales ſuos locupletauerat, repẽte inſolentia ſeruili elatus,iugum eccleſiaſticæ ſeruitutis cœpit detractare,ſeq; in libertatem uiolento quodam iure tori cum magna Archiepiſcopi cõtumelia aſſeruit. Tum uerò crebris mortibus charorum ſuorum ita amaricatus eſt,& uulnere conciſus ſuper uulnus,ut ſaxeum quoq; pectus, & ſupra petram fundatum ædificium cõcutere poſſet tam uehemens ille turbo tentationis. Ad ultimum data ſatanæ in carnem quoq; eius poteſtate,ulcere peſsimo percuſſus eſt in utroq; pede,ita ut putreſcentes paulatim carnes defluerent, & hinc inde abducta cute,conſumptis carnibus, fœdo aſſpectu oſſa nudarentur. Qui morbus primò pedes,dein crura & femora miſerabili modo depaſtus eſt, ac ſic poſt diuturnam marcerationem penetrans ad uitalia,animam ſuper argentum igne examinatum probatam, & purgatam ſeptuplum,de hac domo lutea tranſmiſit ad domum non manu factam æternam in cœlis. De qua re dimidio ferè anno,priuſquam uita excederet,certum eum fecerat manifeſta reuelatio. Viſus eſt enim ſibi domum quandam omni decore intus,& foris reſplendentẽ intrare. Et ecce in ſubſellijs iudicialibus,tanquam ad concilium ſolenniter euocati reſidebant. Heribertus Colonienſis Archiepiſcopus, Bardo Maguntinus Archiepiſcopus, Boppo & Eberhardus Treuirenſes Archiepiſcopi. Arnolfus Vuormaciẽſis Epiſcopus,& alij quam plures Galliarum Epiſcopi,quorum alios ipſe in carne nouerat, alios fama tantum uel lectione compererat, amicti omnes ſtolis Pontificalibus,& habẽtes ueſtem inſtar niuis candidam. Ipſe ẽq; candidis admodum ac pretioſis indutus ſibi uidebatur, ſed partem candentis ueſtimenti, eam ſcilicet, qua pectus tegebatur, ſordida quædam, ac fœda caligo obduxerat, ac cæterum cultus eius ſplendorem ſua fœditate plurimum obfuſcabat, quam tamen ipſe nimio rubore perfuſus, obiecta manu tegere ac celare, ne inſpicientium offenderet obtutum, conabatur. Vidit præterea inter eos

sibi quoq; sedem miri decoris paratam. Quam cum occupare gaudio & exultatione æstuans properaret, surgens Arnolfus Vuormaciensis Episcopus, modesta uoce eum prohibuit, dicens reuerendos patres qui assiderent, nolle eum in suum admittere consessum, propterea quod uestem eius turpis hæc macula fœdaret. Cunq; iussus loco cedere flens confectoq; nimium animo egrederetur, insecutus eum idem Episcopus, æquo animo ait esto pater, maculam tantũ hanc, quæ uestem tuam infecit maturius ablui præcipe, quia nõ post multos dies beatæ huius mansionis consortium & sanctorum quos patrum aspexisti cõsessum uoti còpos percipies. Mane facto, cùm familiari cuidã suo uisionem retulisset, ille sapienter rem conijciens, macula inquit hæc uesti tuæ illita nihil aliud est pater, ut æstimo, quàm memoria iniuriæ ciuium tuorum, qui te anno superiore Colonia expulerũt, quibus te diuinæ pietatis respectu iam olim oportuerat admissi huius ueniam dedisse. Hęc, quod bona uenia dixerim, pectori tuo tenacius quàm æquum sit insidens, & amarissimo mœrore contra fas mentem tuam decoquens, cæteram sanctissimæ conuersationis tuæ claritatem molesta quadam caligine obducit & obscurat. Archiepiscopus conscientiæ suæ testimonio conuictus, ne inficiaretur quod audiebat, reatum suum humiliter agnouit, statimq; destinatis circũquaq; nũcijs ciues omnes Coloniæ, quos in ultionem iniuriæ suæ excomunicatos urbe fugauerat, ad se euocauit, eisq; proxima festiuitate paschali, nam in quadrigesima uisionem uiderat, non solũ communionem ecclesiasticam, sed etiam bona sua omnia, quæ direpta fuerãt, benignissimè restituit. Sic grauis illa tempestas, quæ spiritu diabolico suscitata totam concusserat Coloniam conquieuit, pater filios, filij patrem recognouerunt, Archiepiscopus amaritudine, populus metu & sollicitudine, ciuitas liberata est solitudine. Archiepiscopus iam à principio sepulturam sibi prouiderat Coloniæ, in ecclesia beatæ Mariæ, quæ dicitur ad gradus. Postmodum offensus temeritate Colonięsium, qua in eum inaudita rabie debachati fuerãt, nõ modo animum sed corpus quoq; suum de Colonia in Sigeberg trãsferendum censuit, ibiq; sepeliri se omni modo definiuit. Cumq; appropinquante die uocationis suæ, Coloniæ ægrotaret, iamq; in extremo spiritu constitutus, animaduerteret populum Colonięnsem grauiter nimis ferre, quod tam desiderabili thesauro defraudandus esset, paululum resumpto spiritu in lecto consedit, acceptaq; stola pontificali, ut uidelicet uerbis plus inesset auctoritatis, familiares suos sub testificatione nominis diuini adiurauit, ne alibi eum quam in Sigeberg poni sinerent. Factum est ergo quod iusserat. Defunctus enim post modũ cum gloria in genti, magno cleri & plebis studio, summo matronarum Colonięnsium luctu in Sigeberg delatus, atq; in medio ecclesiæ sepultus est, ubi quotidie per eius interuentum fideliter postulantibus multa præstantur diuinæ opitulationis beneficia.

M. LXXVI. Rex natalem Domini Goslariæ celebrauit. Cunq; eõ omnes regni Principes euocasset, ut de Principibus Saxoniæ, qui in deditionem uenerant, communi consilio deliberaretur, præter Ducem Boemicum pauci admodum uenerunt. Ab ipsis tamen qui uenerant, iusiurandum exegit & accepit, ut non alium post eum quàm filium eius tenerum adhuc infantulum Regem sibi eligerent. Ibi Otto Dux quondam Baioariæ datis pro se duobus filijs suis obsidibus deditione absolutus est, nec solum in gratiam, sed in tantam quoq; familiaritatem receptus est à Rege, ut omnia deinceps consilia, tam de priuata, quàm de republica cæteris auricularijs familiarius cum eo communicaret. Cæterorum qui se dediderant nec mentio habita est. Colonięnsis etiam clerus & populus ad eligendũ sibi antistitem frequens cõfluxerat. Quibus Rex Hildolfum quendã Goslarięnsem canonicum efferebat, atq; ut eligerent, dedita

opera

opera insistebat. Illi contrà summa ope nitebantur, obijcientes, quòd homo statura pusillus, uultu despicabilis, genere obscurus, nec animi, nec corporis uirtutibus quicquam tanto sacerdotio dignum prætenderet. Vnde indignitate rei tanta in eum concitata sunt omnium qui in curte regia erant odia, ut sicubi in publico, apparuisset, omnes eum tanquam aliquod antiquitatis monstrum incoditis clamoribus & canticis perurgerent, lapidesq; in eum & puluerem uel quodcunq; aliud furentibus casus obtulisset iactarent. Sed Rex recolens Annonis Archiepiscopi constantiam, & inuictum aduersum omnes nefarios suos conatus spiritū, cōsulotòtalem ei successorem ordinari satagebat, cuius facilitate ad omnia quæ uellet, pro libito suo abuti posset. Cumq; diu multumq; conatus nulla ratione ut eligeretur obtinere potuisset, Colonienses infecto negotio in suam remsit, iterumq; media quadragesima, rectius si fieri posset consultos præstò esse præcipit, contestatus quàm sancte, se uiuo aut nullum eos aut hunc habituros esse Pontificem. Aderant præterea Hildebrandi Papæ Legati, denunciantes. Regi, ut secundæ hebdomadæ in quadragesima ad synodum Romæ occurreret, de criminibus quæ obijcerent causam dicturus, alioquin sciret se absq; omni procrastinatione eodem die de corpore sanctæ ecclesiæ Apostolico anathemate abscindēdū esse. Quæ legatio Regē uehementer permouit, statimq; abiectis cum graui cōtumelia legatis, omnes qui in regno suo essent, Episcopos & Abbates Vuormatiæ dominica septuagesimæ conuenire præcepit, tractare cum eis uolens ad deponendum Romanum Pontificem, si qua sibi uia, si qua ratio pateret, in hoc cardine totam uertī ratus salutem suam, & regni stabilitatem, si is non esset Episcopus. Ipso tempore contigit Papam per immissionem Satanæ grauissima pulsari aduersitate. Quidam urbis præfectus Romanæ Quintius nomine, & generis claritate & opum gloria eminens ualde in tota Italia, multa in possessionibus Romanæ ecclesiæ præter leges faciebat. Perlata ad Papam quærimonia, cum eum sæpius modeste corriperet, nec quicquam proficeret secreta correptio, tandem excōmunicauit eum, arbitratus hoc saltem modo improbitatem eius coërcendam fore. Hinc ille maiori dementia efferatus, ipsa nocte natalis Domini, cū arma tis inopinatò irruit in ecclesiam, in qua Papa uestimentis pontificalibus indutus, sacro altari astabat, missarum solennia celebrans, iniectaq; quod dictu q̄q; nefas est, in capillos eius manu multis contumelijs affectum de ecclesia protraxit, & priusquam uulgato per ciuitatē rumore populus frequēs auxilio cōcurreret, in domum quandam munitissimam abripuit. Fama tam atrocis facti totā ilico repleuit urbem. Vndiq; ad arma conclamatur. Diuites & pauperes, nobiles & ignobiles uno omnes animo accurrere, atq; in ipso statim orientis diei crepusculo domum Quintij oppugnare summa ui aggrediūtur, & nisi ille mali quod imminebat haud improuidus Papam dimittere maturasset, domum ipsam peremptis omnibus, qui in ea erant, à fundamento euertissent. Papa interueniente, concitatæ multitudinis furor uix et ægrē compressus est. Romani quod factum fuerat grauiter nimis & indignè fererentes, omnia quæ Quintij erant, tam intra muros quàm extra, ferro & ignè demoliti sunt. Nec minus ille multa militaris audaciæ facinora contrà faciebat, succendens & euertēs omnia quæ poterat de possessionibus Romanæ ecclesiæ. Ita per multos dies nō sine magno & harum & illarum partium dispendio simultas hæc trahebatur. Rex statuta die uenit Vuormatiam. uenerūt etiā Episcopi & Abbates amplissimo numero, Cōmode quoq; cōficiendis tātis rebus intereuenit quidā ex Cardinalibus Romanis, Hugo, cognomēto Blācus, quē ante paucos dies propter ineptiam eius & mores inconditos Papa de statione sua amouerat, deferens secum de uita & institutione Papæ scenicis figmentis consimilē tragediā,

ſcilicet oriundus qualiter ab ineunte ætate conuerſatus, quam peruerſo ordine ſedem Apoſtolicam occupauerit, quæ ante Epiſcopatum, quæ poſt acceptum Epiſcopatum memoratu quoq; incredibilia flagitia commiſerit. Huius auctoritatem tanquam diuinitus ſibi deſtinatam gratiſsime amplexati, & promptiſsime ſecuti ſententiam promulgarunt, quòd Papa eſſe non poſsit, nec ullã, iuxta priuilegium Romanæ ſedis, ligandi, aut ſoluendi poteſtatem habeat, uel aliquando habuerit, qui tantis uitam probris ac criminibus cõmaculauerit. Cũq; cæteri omnes damnationi eius nihil hæſitantes ſubſcriberẽt, Adelbero Vuirceburgenſis Epiſcopus, & Herimannus Mettenſis Epiſcopus aliquandiu reſtiterunt dicentes, incongruum ualde, & contra canonum ſcita eſſe, ut Epiſcopus aliquis abſens abſq; generali concilio, ſine legittimis & idoneis accuſatoribus & teſtibus, nec dum probatis criminibus, quæ obijcerentur condemnaretur, ne dum Romanus Pontifex, aduerſus quem nec Epiſcopi, nec Archiepiſcopi cuiuſquam recipienda ſit accuſatio. Sed Vuilhelmus Traiectenſis Epiſcopus, qui cauſam Regis pertinacius tuebatur, uehementer imminebat, ut aut cum cæteris in damnationem Papæ ſubſcriberent, aut Regi cui ſub iureiurandó fidem ſpoſpondiſſent, protinus renunciarent. Is eo tempore Regi admodũ charus acceptuſq; erat, eiq; Rex omnium, quæ priuatim uel publice agenda erãt poſt ſe ordinationẽ delegauerat, uir ſecularibus literis adprime eruditus, ſed faſtu nimio inflatus uix ſe ipſe ferebat. Igitur nomine omnium qui conuenerant Epiſcoporum & Abbatum, plenæ contumeliarum literæ Romam deſtinantur, quibus denuncietur Romano Pontificatu, quem cõtra eccleſiaſticas leges uſurpaſſet, ſeſe abdicet, ſciatq; poſt eam diem, quicquid agat, iubeat, decernat, irritum haberi. Legati ut iuſſum fuerat ſummo conatu iter accelerantes, pridie quàm ſynodus indicta celebraretur Romam ingreſsi literas tradũt. Tũc cæteram legationem, ſicut in mandatis habebant, uerbo non minus contumelioſo, quam ſcripto exequuntur. Papa nihil permotus atrocitate nuncij, poſtera die cum clerus & populus ad ſynodum frequens confluxiſſet, in auribus omnium literas recitari fecit, & ſic cunctiis qui conuenerant Epiſcopis, id fieri decernentibus, Regem excommunicatum, & cum eo Archiepiſcopum Moguntinum Sigrifridum, Epiſcopum Traiectenſem Vuilhelmum, Epiſcopum Babenbergenſem Rubertum Cæteris qui conſpirationis huius participes exciterant diem ſtatuit, qua niſi Romæ præſentati cauſam dicerent, nouæ huius & inuſitatæ contra ſedem Apoſtolicam rebellionis, ſimilem cæteris excommunicationis ſententiam ſortirentur. Porrò Ottonem Ratiſponenſem Epiſcopum, & Ottonem Conſtantienſẽ Epiſcopũ, & Burchardũ Loſannẽſem Epiſcopum, Eberhardum comitem, Vdalricum & alios noñullos quibus Rex potiſsimũ conſiliarijs utebatur, iam pridem excommunicauerat.

Gozilo Dux Lotharingorum, cũ eſſet in cõfinio Lotharingiæ & Flandriæ, in ciuitate quæ dicitur Antuuerpha, oceiſus eſt per inſidias, ut putabatur, Ruberti Flandrenſis comitis. Cum enim quadam nocte quieſcentibus omnibus ad neceſsitatem naturæ ſeceſsiſſet, appoſitus extra domum ſpiculator confoditeum per ſecreta natium, relictoq; in uulnere ferro concitus aufugit. Vix deinceps 7. diebus accepto uulneri ſuperſtes 4. kal. Martij uita deceſsit, atq; Vuerdunis iuxta patrem ſepultus eſt. Magnum regni Teuthonici robur ac momentum, quando ut ſæpe iam dictum eſt, licet ſtaturæ puſillitate, atq; gibbo deſpicabilis uideretur, opum tamen gloria, & fortiſsimorum militum copia, prudẽtiæ quoq; maturitate, poſtremò totius uitæ temperantia longe cæteris Principibus ſupereminebat.

Rex finito in Vuormatia cõlloquio concitus Goslariam redijt, ibiq; iram ſuam, qua multo iam tempore in Saxones anxie æſtuauerat, omni crudelitate explebat

explebat. Principes Saxoniæ, qui in deditionem uenerant, in ultimas regni partes relegabat, bona eorum suis fautoribus pro libito suo diripienda permittebat, eos qui necdum dediti fuerant acerrimis indies edictis ad deditionem urgebat, & nisi quantocyus dederentur, ferro & igne infestari, & longius natali solo effugari comminabatur. Tum omnia castella, quæ superiori anno dirui iusserat, summo nisu, summo prouincialium labore & erumna instaurabat. Noua quoq; in omnibus per Saxoniam montibus & collibus, qui modò ad arcendam uim paululum quid commoditatis habere uidebantur, exstruebat. Illis etiam, quæ deditis Saxonibus in ius eius uenerant, præsidium imponebat, & multiplicata sunt mala, calamitas & uastitas, per uniuersam Saxoniã & Turingiam supra omnem retrò maiorum memoriam. Discessurus Goslaria pridie nonas Martij Episcopatum Colonien sem, sicut à primis obstinatò intẽderat, Hildolfo dedit. Cleri Colonien sis tres tantum, militum etiam paucissimi aderant. Cæteros, ne ad suffragia ferenda occurrerent, indignitas detinuerat. Ipsos qui occurrerant uix contemptim, & summis, ut disci solet, labijs super electione eius consuluit, risui prorsus ac ludibrio habendos, si non protinus acclamassent. Et nequis forte aduersus eum tumultus seditione uulgi per dilationẽ consecrationis conciraretur, statim Coloniam profectus, consecrari eum fecit ab Vuilhelmo Traiectensi Episcopo, cuius consobrino Episcopatum Paderbrunnẽsem, ne qua per eum mora ordinationi eius fieret, promittebat.

Pascha Traiecti celebrauit ibiq; ducatum Lotharingiæ filio suo Cunrado, Marchiam uerò quæ dicitur Antuuerpha Gotefrido consobrino, Gozelonis Ducis filio Eustachij comitis impigro, & ad rem militarem acerrimo adolescẽti tradit. Ipso tempore Rudolfus Dux Suęuorum, Vuelf Dux Baioariorum, Bertoldus Dux Carentinorum, Adelberus Episcopus Vuirceburgensis, Herimannus Episcopus Mettensis, & alij plericq; Principes conuenientes in unum, consilia conferebant in tantis calamitatibus, quibus resp. uexabatur, quid facto opus esset. Regem post bellum Saxonicum eundẽ permanere, qui fuerat, nihil eum de leuitate, de crudelitate, de pessimorum hominum cõuictu ac familiaritate mutasse. Ad hoc tantũ iam insignem suam aduersum Saxones uictoriam profecisse, ut ille sui omnium sanguinis ius potestatemq; acciperet, & ad perniciem bonorum omnium, & ad omne, quod animo concepisset flagitiũ impunita libertate grassaretur, nihil sibi deinceps spei, nihil præsidij reliquum fore, si forte ut sunt humana eum offendissent, cum in dedititios cõtra iusiurandum, contra fidem Principum tam fœda tam crudelia exercuisset. Hæc causa non solum ipsos, sed & cunctos regni Principes uehementer permouerat, & eos potissimum, quorum consilio Principes Saxoniæ se in periculum dederant. Facta est igitur conspiratio non modica, & magis ac magis indies roborabatur, ea re maximè omnibus ausum & fiduciam præbente, quod excommunicatum esse Regem à Romano Pontifice, frequentes ab Italia nuncij quotidie deferebant. His animatus Mettensis Episcopus & alij plericq; noñullos ex Principibus Saxoniæ, quos à Rege in custodia habendos susceperant, inscio Rege in sua libertate redire permiserunt. Vuilhelmus Traiectensis Episcopus causam Regis ut suprà dictum est, contra bonum & æquum obstinate tuebatur, & studio partiũ Regis, multa in iniuriam Romani pontificis, omnibus penè diebus soleñibus, inter missarum solennia, rabido ore declamabat, periurum eum, adulterum, & pseudoapostolum appellãs, & tam à se quam à cæteris Episcopis sæpenumero excommunicatum pronũcians. Is breui postea quam Rex exactis paschalibus ferijs Traiecto discesserat, repente grauissima ægritudine correptus est. Cunq; per acerrimos cruciatus animæ ac corporis urgeretur, miserabili eiulatu coràm omnibus qui aderant uociferabatur, iusto Dei iudicio se & præsentem

uitam

uitam amisisse & æternam, quòd Regi ad omnia quæ perperam intendisset o-
peram suam summo annisu præbuisset, atq; in spem gratiæ eius Romano Pon
tifici sanctissimo, & apostolicarum uirtutum uiro graues contumelias sciens &
prudens innocenti irrogasset. In hanc uocem, ut asserunt, sine communione, si-
ne ulla satisfactione expirauit. Successit ei in episcopatum Cunradus Mogun
tini Archiepiscopi camerarius. Poderbrunnēsem uerò Episcopatū Poppo Ba-
benbergensis præpositus obtinuit, cuius potissimum factione & studio Heri-
mannus Babenbergensis Episcopus, episcopatu deiectus fuerat.

Rupertus Abbas quondam Augiensis, monasterium quoddā in Alsaciæ par
tibus, cui Gengebach nomen est, à Babenbergēsi Episcopo susceperat guber-
nandum. Vbi dum pro consuetudine sua lucris temporalibus immoderatius
insudaret, paupertatem loci industria sua euincere satagens, occisus est cum a-
lio haud desperatæ indolis monacho adolescēte, qui eū de Babenbergēsi mo-
nasterio secutus fuerat, à seruitoribus supra dicti monasterij, contra quos pos-
sessiones monasterij & ius suū progressus ipse ad uim arcendam defēdere
uolebat. Saxones deportatis in exilium Principibus suis tædio & mœrore
tabescebant, nec calamitatis ullum usquam patebat effugiū. Amici Regis per
montes & colles dispersi ceruicibus imminebant, nec eos ut antea conuentus
facere, consilia conferre, aut ullam recuperandę salutis uiam tentare sinebāt. In
super quotidie ex agris & uillis prędas agebant, tributa regioni difficili ma im
ponebant, castella sua summo prouincialium labore & impensis communie-
bāt, & graues prorsus atq; inexplicabiles pristinæ rebellionis pœnas exigebāt.
Erant duo cuiusdam Geronis comitis filij satis quidem edito loco nati, sed pro
pter inopiā rei familiaris inter Principes Saxoniæ nullius nominis uel momē
ti. Hi tempore deditionis ultra Albim fluuium refugerant, ibiq; rei euentū præ
stolabantur, facile à rege propter obscuritatem nominis uel ignorati uel contē
ti. Cunq; uiderent mala, quę fiebant, non aliud scilicet actum deditione Princi
pum, quàm proditam planè esse libertatem patriæ, totamq; gentem Saxonū
quo Rex semper intenderat, in seruitutem atq; sub iugum redactam, quamuis
patrijs finibus extorres, quamuis munitionibus amissis, perdito patrimonio,
rerum omnium inopes remansissent, gaudebant tamen admodum, quod cum
cæteris Saxoniæ Principibus intempestuosum illud deditionis naufragiū non
incidissent. Et cū urgeret penuria, contractis ex sui similium numero aliquātis
copijs, rapto sibi uictum quærere cœperunt. Plerunq; etiā ubi oportunitas ac-
cidisset, Regis exactoribus resistere, & iniurias manu propulsare cētabāt. Cūq;
eis semel & secundo res prospere cessissent, milites Principum, qui relegati fue
rant, ingentū quoq; omnes, qui nec dum dediti fuerant, quiq; extrema omnia
quàm fidem Regis ultra experiri malebant, cateruatim ad eos cōfluebant. Et
facta est intra dies paucos permaxima multitudo, ita ut iam nō ad insidias mo
do & clandestinas latrocinantium more excursiones, sed ad apertā uim & pu-
blicas congressiones pares se hostibus arbitrarētur. Prętera prouinciales, qui
bus inter ultimas desperationis tenebras lux aliqua salutis & cōsolationis cœ
litus emicuerat, omnes promptissimo animo socias manus cōmunemq; ope-
ram publicis negocijs pollicētur, satius iudicātes pro patria, pro liberis, pro cō
iugibus, honesta morte perfungi, quàm inter tantas tribulationes omni mor-
te tristiorem uitam agere. Inter hæc rediens Herimannus patruus Magni
Ducis, & alij plerique ex Principibus dediticijs, quos ut prædictum est, incon-
sulto Rege indulgentia eorum, à quibus tenebantur deditione absoluerat,
inopinatum cunctis gaudium præstiterunt, atq; omnem, si quis adhuc men-
tibus resederat, scrupulum ademerunt. Tanta siquidem tanq; inopinata re
rum prosperitas euidēs cunctis erat documentū respicientis eos misericordiæ
Dei

Dei. Igitur armata iuuentute Saxoniam peragrantes, castella quibus Rex præsidium imposuerat, alia deditione, alia militari manu breui omnia receperunt, eos qui intererant direptis spoliis incolumes dimiserunt, accepto ab eis sacramento quod ulterius in Saxoniam hostiliter non uenirent. Amicos Regis omnes præterea quicunq; communibus negocijs operam suam spondere nolu issent, dissipatis omnibus quæ habebant, procul Saxonia effugarunt, & directa est salus in manibus eorum ad recuperationem libertatis pristinæ. Solus ad huc Otto Dux quondã Baioariæ, in castello Hartesburg residebat. Huic Rex per totam Saxoniam uices suas & publicarum rerum procurationem delegauerat, dato insuper negocio, ut castellũ in Hartesburg, & aliud in monte, quod dicit̃ Lapideus, qui proximus Goslariæ imminet, summa ope extrueret. Ad hũc Legatos dirigunt mandantes, ut omisso opere quod ad euersionẽ gentis suæ, immemor patriæ, immemor libertatis extruere aggressus sit, consilium potius perquirat ad ereptionem Principum, quibus ipse ut se dederent uehementissimus auctor fuerit, iam dudũ opinionem indubiam multorũ mẽtibus insedisse. Quod id circo deditionem cæteris tantopere suaserit, ut eorum sanguine Regis sibi animũ deplacaret, & cõmuni exitio suam ipse salutem mercaretur. Hoc nunc euidentibus indicijs elucere, cum illis in ultimas partes terrarũ deportatis ipse proditionis suæ mercedem à Rege totius Saxoniæ principatũ acceperit, & regiæ crudelitatis carnifex, atq; omnium quæ ferociter Rex meditetur, ferocior administer existat. Bene igitur famæ & honori suo consulat, si tantæ infamiæ maculam claro aliquo erga patriam suam beneficio purgare conetur, & genti suæ patriam libertatemq; armis recuperare cupienti auxilio concurrat. Postremo si montis ultro nõ abscendiatur, se procul dubio uim adhibituros, & patriæ proditorẽ, communium castrorum desertorem, ut dignus sit, euersis omnibus quæ eius sint, procul Saxonia expulsuros. Ad hæc ille obnixé eos per Deũ obtestabatur, ut mitius pacatiusq; agerent, quæ pro communi cõmodo molian tur, ratione quam temeritate melius procedere, se protinus missurum & Regi modis omnibus suasurum, ut Principes deditione absoluat, castella quæ metu rebellionis pristinæ extruxerit diruat, genti Saxonum libertatem, leges ac iura maiorum quæ per uim erepta toties armis repetiuerint, restituat. Si consilio adquiescat, grauis atq; ancipitis belli necessitate sine sanguine liberatam esse Saxoniã: Sin aliter, se nec indulti honoris amore, nec mortis metu, nec iurisiurandi religione inhiberi posse, ne communem patriæ, parentumq; suorum causam usq; ad extremum spiritum, quanta possit uirtute defendat, iuuet, teneatur. In hæc uerba Legatos Saxonum dimisit, statimq; suos ad Regem sicut pollicitus fuerat destinauit, præsidio quoq; ab utroq; monte quem occupauerat abducto, communem deinceps cum Saxonibus socialem uitam agebat. Rex de his quæ acciderant in Saxonia graui nuncio accepto, comperto etiam quòd cæteri Principes collatis per crebra conuenticula cosilijs defectionem meditarentur, hinc ira, hinc sollicitudine in diuersa raptatus, cui primum morbo mederetur anxius ambigebat. Sed quo ira impellebat inclinatior, ad oppugnandam Mettensem urbem exercitum admouere cogitabat, & ab Episcopo loci, quòd creditos custodiæ suæ Principes se inconsulto dimisisset, uindictam expetere. Sed contrà reputans turbata republica, dubia fide Principum, exhausto superioribus bellis milite, extremæ dementiæ esse, arduum aliquid præcipitanter attentare, impetum animi ab temeritate ad pacatiora consilia reuocauit. Missis igitur circumquaq; nuncijs omnes regni principes in Pentecosten Vuormaciæ sibi occurrere iussit, quid facto opus esset communi consilio, ut prætendebat, deliberaturus. Statuta die cæteris amplo satis numero occurrentibus nullus aderat supra dictorum Ducum, à quibus rei

publicæ

publicæ periculum timebatur, & quorum potissimum auctoritate, si res tranquillæ essent, summam publicorum negotiorum disponi oportuerat. Ita contuentus ille Principum cassata uoluntate Regis nullum habuit effectum. Iterũ in natale sancti Petri Apostoli Moguntiæ eos adesse addita iam edicto obnoxa supplicatione præcipit. Sed ne tunc quidem quisquam eorũ uel supplicantem attendit, uel præcipientem, omnibus plane ad rebellionis studium immobiliter obstinatis. Ipse qui conuenerãt fœda simultate à se inuicem dissidebãt. lam enim solutus carcere suo satanas non solum corporali, sed & spirituali tormata oppugnabat pacem ecclesiasticam, & quorum corpora iugulabat, animas quoq; ne in æternum uiuerent, extinguere satagebat. Vto Episcopus Treuirensis Roma nuper reuersus communicare nolebat Episcopo Moguntino, Episcopo Coloniensi, & alijs quàm pluribus qui apud Regem præ cæteris affidui erant, & quorum Rex omnia faciebat cõsilio, obtendens & eos & ipsum Regem excommunicatos esse à Romano pontifice. Sibi tamen, quod ipsum uix summis precibus extorserit, indultam esse colloquendi tantum Regis licentiã, nulla præter hæc in cibo, in potu, in oratione, uel in cæteris omnibus communione eius permissa. Huius auctoritate animati complures alij, quorum & in Deum fides purior, & ad dignitatẽ reipublicæ sententia potior paulatim de palatio subtrahebant, ne uidelicet suprà dictorum communione macularetur, & ad Regem licet crebris iussionibus euocati, redire nolebant, satius iudicantes Regem quàm Deũ offendere, corporis quàm animæ dispendium incidere. Illi e contra irasci, fremere, insanire, minas & conuitia in omnes passim iacularí. Iniustam & idcirco nihil æstimandam esse Romani Pontificis sententiam, qui se nec canonice ad synodũ euocatos, discussos, nec obiecti criminis iuxta scita Canonum conuictos uel confessos præcipiti furore potius quàm rationabiliter excommunicasset, Episcopum Treuirensem & cæteros qui cum eo adeuerant. Ne excommunicassent, Episcopum Treuirensem & cæteros qui cum eo adeuerant. Ne tendum statum reipublicæ iam pridem conspirassent, aliorsum intẽdere quàm loquerentur, nec tam Apostolicæ sedi auctoritatem deferre, quàm ut dignitatem regiam subruant occasionem quærere, ei inueterata aduersus Regem odia nouo religionis uocabulo palliare. Sũ recte honori suo prospicere, si in hostes suos gladium, quem iuxta Apostoli uocem ad uindictam malorum acceperit, maturius distringat. & contẽptis inanium occasionum latibulis, manifestos regni insidiatores pœna quam mereantur afficiat. Nec difficile fuit ingenium Regis per se atrox & implacabile in iram excitare. Sed cum uideret sub obtẽtu religionis Principes à se paulatim deficere, & destituto iam auxilijs imperio uanã esse cõminationem, quæ uim facere non posset quibus cõminaretur, ratus id quod tempus exigebat utilitati magis quam iracundiæ consulendum, iterum atq; iterum auersos Principum animos blandis legationibus mitigare tentabat. Nec tamen quod dictu mirum sit, tanta hac rerum asperitate, tanta ingruentium periculorum mole euinci poterat, ut unde potissimũ hęc flamma inuidiæ & odij aduersum eũ exarserat, Principes Saxoniæ deditione absolueret. Quin imò conterritus recenti exemplo eorum, qui plerosq; ex ipsis se inconsulto demiserãt, residuis qui adhuc in custodia tenebantur, omnẽ adhiberi diligentiã iubebat ne elaberẽtur. Ideoq; sæpius his, quibus eos seruandos crediderat mandabat, ut memores beneficiorum suorum, memores iurisiurandi quod sibi fidem suam firmassent, traditos custodiæ suæ intemerata fide, donec reposcerentur seruarent, nec aliorum Principum fœdissimo corrumperentur exemplo, qui dimissis suo iniussu dedititijs, dũ priuatas suas iniurias in Regẽ ulciscí uellẽt, cladẽ maximã & maculã multis seculis nõ abolendã reip. intulissẽt. Et omnibus quidẽ infẽsus, omniũ ut uidebat, sanguinis auidus erat. Præcipue tamen

tamen Episcopi Halberstatdẽsis, quem tanquam totius Saxonicæ rebellionis principẽ, & omnium quæ secus acciderant comitem atq; incẽtiuum inexorabi li odio insectabatur. Et nisi pontificalis nominis reuerẽtia, & fides Principum, quæ in deditione interceſſerat, obstarent, uitam eius per omnes cruciatus extorsiſſet. Hunc Ruperto Babenbergensi Episcopo seruandum crediderat, uelut præter cęteros familiares suos immitis ac ferocis ingenij uiro, & erga se in aduersis rebus spectatæ sæpe fidei. Sed postquam inclinatis ad defectionem Principibus, iterum nouis rempublicam tempestatibus quati aspexit, quamuis custodis diligentiæ non diffideret, ueritus tamen ne fortè subrepente per hanc moram negligentia aliquid in eo uis uel fraus hostilis operaretur, ad palatium eũ euocauit, & ibi nunc inter camerarios suos, nũc inter coquos & coquinarũ spurcitias indignissimo loco habitum sub omni diligentia custodiri fecit, donec tam feralibus odijs competens exilium excogitaret. Erat ipso tempore apud Regem soror eius, uxor Salomonis Regis Vngarorum, quam maritus regno expulsus, dum in armis & procinctu esset, nusquam tutius quàm apud fratrem manere iudicauerat, donec recuperato, si fieri posset, regno in iocunditate perfrui coniugio liceret. Cũq; post multum iam tempus ad maritum in finibus Vngariæ commorantem redire pararet, Rex oportunam eam arbitratus, quæ crudelitatis huius munere fungeretur, rogauit eam, ut Episcopũ Halberstadensem secum abduceret, atq; in locum, ex quo nulla ei deinceps in regnum Teuthonicum redeundi copia fieret, deportari faceret. Annuit illa petenti, & naui impositum cum hominibus suis præmisit, ipsa paucis post diebus cũ profectioni suæ necessaria ordinasset insecutura præcedentem. Habebat idem Episcopus militem quendam Vdalricum nomine, multis in Baioaria possessionibus prędiuitem, Regi quoq; ad prime charũ & acceptum. Is ubi aduertit mala quæ Episcopo parabantur, motus miseratione atq; ipsa humanarum rerum consideratione, quòd tantus ac talis uir ingens columna & firmamentum reipublicæ, nisi Regis temeritas diuina atq; humana omnia confudisset, tam pessimo nunc exemplo periturus foret, accessit ad eum paulo ante quàm nauigare inciperet, & quæ in eum Rex decreuisset per ordinem exposuit, actum esse de salute eius, nisi propitia diuinitas, quæ sola iam posset, periclinanti succurreret. Edocet prętera possessiones suas, & castellum munitissimum haud procul ab littoribus Danubij fluminis abesse. Monetq; ut dum ad ea loca nauigãs peruenisset, rogaret sæpius eos cum quibus nauigaret, quatenus applicarẽt & sibi paululum in terram progrediendi facultatem facerent obtẽta uel refrigerãdi uel alius cuiusuis necessitatis occasione, quæ modo tali artificio idoneæ patrocinaretur, sed memorem fidei, qua ei obnoxius sit, omnia quæ possit pro utili portione facturum, & si quam ereptionis eius uiam Deus ostendat temptaturũ. Fecit ille ut edoctus fuerat, atq; ubi ad prædicta loca propinquare cœpit, simalata mala ualetudine, quæ sibi ex assidua nauigatione corpus affecisset insolitum, & nisi mature consuleretur extremam pernitiem allatura foret laguenti. Facile obtinuit apud uautas, qui põtificialis nominis intuitu magnam humanitatem ei prestabãt, ut quoties uellet applicarent, & ei egrediendi atq; in terra pro ut libitum erat recreandi corporis copiam facerent. Longinqua regio, custodum multitudo, debilitas languentis omnem metum, omnem fugæ uel insidiarum suspitionem ademerant. Egrediebatur sæpius & regrediebatur, circumspiciens undiq; & omnia diligenti obtutu perlustrans. Nullum usquam promissæ salutis indicium, nulla spes elucebat. Forte beati Iohannis Baptistæ natiuitas occurrerat. Et mane dum præterlaberentur, conspicatus contiguam littori ecclesiam, rogauit ut appulsa naui ad celebranda tam sacratissimo die missarum solennia ad ecclesiam procederent. Assentiẽtibus illis ingres-

ingressus ecclesiam, salutarem Deo hostiam offerre sacerdotalibus, ut solẽne est, infulis indutus cœpit. Cui rei intentis omnibus, supradictus Vdalricus recte per exploratorum diligentiam captata loci oportunitate, repente armata multitudine ecclesiam circundedit, ingressusq; modestè interim dissimulato, propter quod uenerat, negocio, consumationem sacri ministerij tacitus tranquillusq; præstolabatur. Quo expleto suos quantocyus ad nauim conuolare, & omnia quæ Episcopi sũt efferre iubet. Ipse fortissimorum iuuenum agmine stipatus, procedentem ab ecclesia Episcopum salutat, osculum porrigit, equũ quem uectioni eius optimum aptauerat ocyus conscendere iubet. Stupentibus qui Episcopum adduxerant quid hoc rei esset, & post irritas ratiocinationes ad arma concurrentibns, iubet, ut si uitæ ac saluti suæ cũsultum uelint, quieti maneant, arma ponant, naues pacatis animis repetant, gratum habentes, quod commissi in tantum pontificem piaculi pœnas non exigantur. Si uerbis inanibus, si motibus incompositis lacessere pergant, facilè gladios procacitati modum facturos, Episcopum episcopalis ministerij munia ecclesiæ Halberstadensi, cui ordinatus sit Episcopus, rectius præstare quam ipsis. Illi cùm numero & uirtute impares essent, temerarium arbitrati rem certamini committere, tristi confectoq; animo ad naues redierunt, Episcopus in castellum quod haud longe aberat concessit, ibiq; paucis diebus commoratus donec absumpta nouitate studia conquiescerent omnium, si qui forte rediturо insidiabantur. Tandem assumpto laico habitu, quo falleret occursantes in Saxoniam contendit, & desperantibus iam reditum eius Saxonibus, repente, tanquam ab inferis uiuus emergens, restitutus est.

Rex ubi gestæ rei nuncium accepit, grauiter & iniquo nimis animo ferebat, tantos conatus suos in irritum cessisse, præreptum sibi tantarum contumeliarum uindictam, redditum cum impunitate hostibus uirum, in quo totius Saxonici belli summa & cardo uerteretur. Nec dubitare poterat paululum iam sopitos ignes Saxonici furoris hoc incẽtore ilico suscitandos, & propediem in immensum conflagraturos. Atq; eò infestius id acturum, quo se meminisset post deditionem nullam in rege clementiam, nullam expertum fuisse humanitatem. Verebatur præterea, ne simili modo cæteri quoq; elaberẽtur dediticij, & sibi tam insignis uictoriæ, tã operosæ deditionis fructus deperiret, assecutis eis se inuito libertatẽ. Omnia cõsiderãti placuit tãdẽ alia deinceps grassari uia, & Saxones quos extranei toties temptatos nõ uicerant, suis iam armis, suis parat expugnare uiribus. Sapiẽti certe usus cosilio, quoniam constet omne regnum nulla ui, nulla clade citius quam domestica atq; intestina simultate labefactatum corruere. Episcopum Magdaburgensem, Episcopum Merseburgensem, Episcopum Misenensem, Magnum Ducẽ, Fridericum Palatinũ comitẽ, præterea omnes Saxoniæ & Turingiæ Principes, qui adhuc in deditione tenebantur, ab exilio euocari iubet, & clemẽter accersitis ait, se cum iuxta patrias leges extremo in eos supplicio animaduertere possit, & hoc iure faciat grauibus sæpe ab eis contumelijs lacessitus, tamen memorẽ generis eorũ, memorem uirtutis, quæ reipublicæ & honori esse possit & monimento, tam atroci facti ueniam dare, & quod amplius sit non aliud ab eis quærere redemptionis suæ pretium, quam ut sibi deinceps in dubijs rebus fideles ac deuoti maneant, auxiliumq; præstent ad componendum regni statum, & compescẽdos hoẽs factiosa eos potissimũ q; gẽtẽ Saxonicã simplicẽ & malarũ artiũ nescią intestinis ąotidie dissẽsionibus inquietẽt: Si id faciãt, nec ulla ut prius leui tate fidem permutent, se primos in amicis habiturum, & cum se oportunitas præbuerit, beneficijs pro ut regiam munificentiam deceat honoraturum. Illi etsi eũ hęc ficta loqui sciret, & necessitate magis quã pietate genuinũ animi

regiorem

rigorem laxaſſe, tamen impunitatis amore libenter amplexantur oblata, promittunt quicquid iubet, promiſſa repetito ſæpius ſacramento roborant, & accepto commeatu in ſua ſinguli cum gaudio reuertuntur. Rex ut ſupra dictum eſt commonitus ab Ottone Duce quondam Baioariæ, ut turbatis rebus in Saxonia maturè conſuleret, mandauerat ei, ut ſibi certa die in Salefelt occurreret, quatenus communiter habita diſcuſsione, quid facto opus eſſet deliberarent. Poſtmodum uerò fretus his, quos deditione abſoluerat, quod eorum auxilio in Saxones qui ſe læſerant, iram ſuam idoneè ulciſci poſſet, conſilium mutauit, & ſtatura die nuncios pro ſe in Salefelt Duci Ottoni miſit, qui ei dicerent, ut contractis quanta ſcunq; poſſet copijs ſibi in Marcha Miſinenſi concurreret, ſe per Bohemiam ducto exercitu aduenturum, & filijs Geronis comitis, qui imperitã multitudinem malè auſpicato ad arma concitaſſent, ſi Deus uota proſperaret, redditurum quod mererentur. Principibus quoq; Saxoniæ & Turingiæ, quos patriæ nuper remiſerat, eadem mandat, obſecrans ut præſtitæ ſibi indulgentiæ gratiam referentes, cunctos quos ualeant ab hominum perditorum ſocietate dehortentur, & ipſi ad ferenda publicis negotijs auxilia, deſignato die & loco, armati inſtructiq; præſtò aſsint. Ipſe ut inſtituerat, pauciſsimos ſecum aſſumens Teuthonici exercitus milites, cæteris omnino quid moliretur ignorantibus, in Bohemiam contendit. Ibiq; iuncto ſibi Duce ac milite Bohemico, repentè pluſ quam tanto operi expediret fidens neſcio an negligens, in Marchiam Miſinenſem ſe infudit, uidelicet uana ſpe eluſus, quòd Ducis Ottonis induſtria & cæterorum, quos beneficio ſuo deuinctos ſibi gloriabatur, omnem rebus moram, omnem cõficiendo negotio difficultatẽ ademptura foret. Sed dux Otto ſciens genti Saxonum iuſtas eſſe cauſas rebellionis, id multo iam tempore apud Regẽ crebris legationibus egerat, ut belli ſeminarium irarumq; cauſas amoueret, leges ac iura ſua Saxonibus rata manere ſineret, æquitate potius quàm armis tumultuantes compeſceret, & tantos labores, tantum qui prælio fundendus eſſet ſanguinem lucratus, ſine difficultate in perpetuum opulentiſsimæ gentis ſeruitio frueretur, hanc Regis ac tyranni eſſe diſtantiam, quod hic ui atq; crudelitate obedientiam extorqueat ab inuitis, ille legibus ac more maiorum moderetur ſubiectis, præcipiatq; facienda. Verùm ille homo in imperio natus, & nutritus, ut tantos natales, tãtos proſapiæ faſces ac titulos decebat, in omnibus Regium ſemper a duerſis animum gerebat, mori quàm uinci malebat. Inexpiabilis ignominiæ maculam putabat, impunè iniuriam accepiſſe. Et ecõtra ſummum decus & uitæ præſenti comparandum æſtimabat, nihil quod ſecus accidiſſet, inultum præteriſſe. Ad hoc homines ſibi aſciuerat talium rerum artifices, mediocri quidem loco natos, ſed cõſilio ac manu promptiſsimos, qui ſecundum quod Propheta dicit: loquebantur ei placentia, & diuinabant ei errores, & ægrotum animum, & per ſe affinem iracundiæ ac temeritati, adulationibus ſuis, tanquã ſuppoſita face, in omne quod libuerat inflammabant. Ideoq; ut opera ſua magis illi foret neceſſaria, perpetuis Rempublicam tempeſtatibus uexari quam maximè ſatagebant. His peſsimis uſus conſultoribus, Principes regni recta ſuadentes plurimum auerſabatur, nec eos ad conſilium ſuum, niſi forte inexplicabilis neceſsitas incidiſſet, admittebat. Quin imò auctoritatem eorum ſi copia fieret opprimi, ac penitùs obliterari cupiebat, ut in omne quod animus ſuggeſsiſſet effrenata libertate graſſanti nullus obſiſteret, nemo obloqueretur. Igitur Dux Otto uehementer efferatus, quòd contra conſilium ſuum Rex Saxoniam bello turſus impeteret. Ait ad Epponem Citicenſem Epiſcopum, qui ei ut dictum eſt in Salefelt functus legatione Regis occurrerat, ſe regi quod honori eius, quod commodo Reipublicæ cõpeteret ſuggeſsiſſe. Sed quoniã plus apud eum fidei ſit ineptis aſſentatorib. quã ſibi, plus ſpei ac fiduciæ ponat in milite Bohemico,

quàm in Teuthonici exercitus robore. Ad eum pertinere, quem cœpta exitum
sortiantur, se nec rebus bene gestis gloriam, nec si aliter cesserint, ignominiam
habiturum. Præterea nulla iam sacramenti, quo ei fidem dixerit religione tene-
ri, cum recta & utilia suadens non audiatur. Insuper contra leges Dei, contra
decus imperij, contra salutem animæ suæ ad effundendum sanguinem innocen
tem gentili ritu arma sumere iubeatur. Proinde omni periurio absolutum, libe
rè deinceps causam gentis suæ, quæ iusta sit quantum ualeat armis & opibus as
serturũ. Eadem protestabantur cæteri quoq; Principes, tam Saxoniæ quàm Tu
ringiæ. Qui etiam si cupidissimè uellent, nullum petenti præstare possent auxi-
lium, unanimiter scilicet detrectantibus militibus eorum infaustam contra pa-
triam parentesq; suos militiam. Iam enim non dubia fide, uacillantibus animis,
ut prius cum inter spem & metum fluctuarent, sed unanimi sententia, obstina-
ta contentione ad rebellandum conspirauerant. Necq; callidis Principum exhor
tationibus, ut antea concitatum uulgus ad arma prosiluerant, sed omnes simul
prouinciales non ductu auspicioq; Principum, sed priuatis studijs, priuatis im-
pensis bellum gerere proposuerant, sibi dimicare, sibi si Deus annueret, uince-
re parati, nec aliud à quoquam militiæ suæ stipendium præstolantes, quàm con
iugum liberorumq; suorum salutem, atq; ut à ceruicibus suis durissimæ seruitu
tis iugum excuterent. Ipsos denique Principes si obniti, si contrà hiscere tenta-
rent, dissipatis uel incensis omnibus quæ eorũ essent, procul patrijs finibus ex-
pellere minabãtur. Ad ultimum ea mente rem gerendam susceperant, ut uel uin
cerent obstinatè, uel morerentur. Vltima desperatio sic studia inflammauerat,
quoniam certa superioribus annis documenta ceperãt, nullam apud Regem ui-
ctis esse spem ueniæ, cum ferocitatem pectoris eius, & inexorabile Saxonici no
minis odium, nec uoluntaria deditio Principũ, nec tantus in Turingia fusus san
guis restinxisset. Igitur ubi per Saxoniam rumor percrebuit, quod Rex conter-
minam regni Saxonici Marchiam Misenensem ferro & igne depopularetur, ad
arma conclamant, multa milia hominum breui concurrunt, cõserendi certami-
nis intolerabili feruent desyderio, obuiam ire hostibus unanimi alacritate con-
tendunt. Sed quoniam accelerando itineri turba frequentior armis atq; alijs im
pedimentis implicita, parum pro uoto satagere ualebat, filij Geronis comitis as-
sumptis secum VII. milibus expeditorum equitum, summo nisu, ardentissima
celeritate, ut dictum est, ad Albiam fluuium peruenerunt. Ibi cum Rege con
cicius conficiendi negotij auiditate, in occursum properant. Quod si Regẽ con
sequi, & sic efferato milite, sic feruentibus studijs signa conferre contigisset, ut
multorum ferebat opinio, tractum tot annis bellum Saxonicum facili compen
dio confectum fuisset, & Regem cunctumq; eius comitatum, uel mors certissi-
ma, uel ignominia difficilè abolenda occupasset. Nam præter exercitum Bohe-
micum, qui nec ipse uel armis, uel numero, uel uirtute tanto negotio se parem
præstiterat, pauciss imos secum habebat, quoniam superuacaneũ arbitratus fue
rat, Teuthonicis militibus tam longinquæ expeditionis laborem indicere, cum
sperar et ut dictum est, industria Ottonis ducis & aliorum, quos deditione gra-
tis absoluerat, omnes Saxonum uires facilè eneruandas, & copias sibi maiori-
bus etiam bellis sufficientes statuto die ac loco affuturas. Fortè tum temporis
Deo misericorditer saluti Regis prospiciente, fluuius Milda, qui utrunq; exerci
tum medius dirimebat, effusis nuper imbribus uehementer intumuerat, atq; om
nem transmeandi facultatem ademerat. Cuius Rex inundatione commodissi-
mè pro se usus, non expectata decrescentium aquarum uicissitudine, in Bohe-
miam se recepit, maturatoq; per Baioariam reditu, mœstus ac pœnitẽs, quod tan
tos labores in uacuũ expendisset, Vvormaciam repedauit. Et quoniã digredies,
duci Bohemico Marcham Misenensem tam spectatæ in arduis rebus fidei præ-
miũ dederat. Ecbertus Marchio, cuius eadẽ Marcha erat filius patruelis Regis,
puer

puer longè adhuc infra militares annos, ubi primum decreſcentibus aquis fluuius factus eſt tranſmeabilis, adiunctis ſibi Saxonibus Miſſenen perrexit, omniaq; caſtella, quibus Dux Bohemicus præſidium impoſuerat, admota militari manu recepit, ſuosq; milites, qui deinceps cõtra omnem hoſtium irruptionem indefeſsi excubarent impoſuit, mirantibus cunctis quod Regem nec ætatis, nec propinquitatis reſpectus ab hac iniuria reuocaſſet.

Interea Rudolfus dux Sueuorum, Vvelf dux Baioariorum, Bertholdus dux Carentinorum, Adelberus epiſcopus Vvirceburgenſis, Adelbertus epiſcopus Vvormacienſis, & alij quos Reipublicæ calamitas mouebat, in loco qui dicitur Vlma, conuentu habito, ſtatuerunt ut omnes quicunq; Reipublicæ conſultum uellent XVII. Kal. Nouembris Triburiam conuenirent, & uarijs cladibus, quibus per multos iam annos pax eccleſiaſtica turbabatur, tandem aliquando malorum pertæſi finem facerent. Hoc Sueuiæ, hoc Baioariæ, hoc Saxoniæ, hoc Lotharingiæ, hoc Franciæ Teuthonicæ Principibus denunciarunt, uniuerſosq; in commune per Deum obteſtabantur, ut omni excuſatione relegata, cuncta priuatæ rei ſollicitudine poſthabita, hanc ſinguli communibus cõmodis uel extremam operam dependerẽt. Qua expectatione ſuſpenſis atq; attonitis omnibus, Epiſcopus Mogũtinus & alij quàm plures, qui eatenus partes Regis uehementius tuebantur, ab eo defecerunt, & adiuncti ſupradictis Principibus ad meliorandum regni ſtatum ardentiſsimo zelo exarſerunt. Miro etiam atq; inopinato rerum ſucceſſu, ut quod moliebantur nullis iam retardaretur impedimentis, obſides quibus nonnulli ex Principibus ſuperiore anno fidem ſuam apud Regem obligauerant, repentè his, qui eos dederant ſunt reſtituti. Duos Ducis Ottonis filios, alterum Rex ipſe, alterum is, qui à Rege ſeruandum ſuſceperat, inſcio Rege patri nec opinanti remiſit. Filius Vtonis Marchionis, & filius Adelæ derelictæ Dedi Marchionis, ambo teneræ ætatis & longè adhuc infra pubertatis annos pueruli, cum in munitione cuiuſdam Eberhardi miniſtri Regis cuſtodirentur, magnum quoddam & poſterorum memoria dignum nobiliſsimæ indolis documentum ediderunt. Iuſſerat Rex eidem Eberhardo, uel propter tanti generis claritatem, uel propter ætatis infirmæ cõpaſsionem, ut eos indulgentiſsimè nutriret, & ne aut inerti ocio aut iugis cuſtodiæ tædio tabeſcerent, ſineret eos interdũ cum æqualibus ſuis ludicris puerilibus exerceri. Hoc ipſum parentes crebra cuſtodibus munuſcula deſtinantes flagitabant. Fecit ille ut peteba tur, & modò intra munitionem, modò extra adhibitis cuſtodibus, prout libitũ erat, ludere patiebatur, nihil ſiniſtrum in ætate ſimplici & fraudis neſcia ſuſpicatus. Interdum etiam in nemus, quod munitioni contiguum erat, uenatum pergens, impoſitos equis, cuius rei uix dum ætas patiẽs erat, ſecum ire permittebat, ut oppreſſas mœrore ac tædio mentes hoc aduocamento recrearent. Cùm hoc ſæpius faceret, conſuetudo fiduciam, fiducia cuſtodibus ſecuritatem pariebat, ut eis indulgentius indies diligentis cuſtodiæ frena laxarent, & abſumpta iam omni ſuſpitione, quicquid uoluiſſent etiam abſq; arbitris eos agere paterentur. Cœperunt igitur ubicunq; tempus & locum ſecretiorem nacti fuerant, ſermones conſerere, patriæ parentumq; recordari, peregrinationis moleſtias deplorare, & ut pro ſalute ſua aliquid Deo auſpice conarentur, mutuis ſe ſuaſionibus incitare. Quadã ergo die cum iuxta ſolitum prædictus Eberhardus ſecum aſſumptis eis uenatum exiſſet, & ad inſectandam quæ caſu occurrerat feram, omnes, ut fieri aſſolet, inconditis clamoribus feruentiſsimis ſtudijs diſcurriſſent, pueruli ubi ſe ſolos aduerterunt, cuſtodem nullum, eos qui ſimul uenatum proceſſerant, aliarum rerum immemores, ſoli quæ agebatur uenationi intentiſsimos, quantis poſſunt uiribus equis ſubdũt calcaria, per cõdenſa ſyluarum, per abrupta montium, per concaua uallium, periculi ſui, uel negligentes, uel cõtemptores dicto

citius euolant. Nec in certum aliquem locum regionis ignari cursum dirigunt, sed laxatis temerè habenis quocunq; impetus equos ferebat præcipites ruunt. Celeri cursu transmisso nemore ad Moinem fluuium perueniunt, Piscatorem illic offendũt in scapha piscatoria capturis piscium incumbentem, euehi se Moguntiam petũt, chlamides suas quibus uestiebantur, quoniam aliud in promptu non erat, euectionis pretium offerunt. Ille uel pretio allectus, uel miseratione periclitantium permotus, hoc enim ex trepidatione & cætero corporis gestu facilè conijciebat, benignè in nauiculam suscepit, & utensilibus, quæ in nauicula erant adopertos, ne scilicet ab insequentibus agnoscerentur, Moguntiam ut rogauerant euexit. Equi eorum transito amne in ulteriore ripa iuxta nauiculam mirum in modum moderato gradu decurrebant, ita ut cum eunte nauicula paritèr irent, cum subsistente pariter subsisterent. Brutis pecoribus humanas inesse animas crederes. Vbi Moguntiam uentum est, receptis equis suis in domum quandam ripæ contiguam clanculo se immergunt, dominumq; domus per Deum obtestantur, ne eos cuiquam prodat, se Archiepiscopo Moguntino genere cõiunctissimos esse, cui si incolumes intemerata fide restituat, tam ab ipso quam à cæteris parentibus suis, qui inter regni Principes & opum & dignitatis speciali prærogatiua emineant, digna meritis præmia relaturus sit. Nec multo post aderat Eberhardus fremens & stridens dentibus præ doloris impatientia, compertoq; per ueridicos indices, quò pueri diuertissent, summa ui summo conamine domum expugnare, foresq; infringere parabat, & nisi obsides Regis matureè redderentur, ignem tectis iniecturum se minabatur. Concurrit ciuitas ad spectaculum, & facta est pro studijs partium confusa ac dissona, aliud atque aliud clamantium turbarum uociferatio. Perlato ad Episcopum Moguntinum tumultuantis ciuitatis nuncio, misit confestim cum armatis Cunradum comitem de castello, quod dicitur Luizelenburg, qui tum fortè apud Episcopum præsens erat. Qui ueniens Eberhardum improbè sæuientem atq; in omnes, qui obsisterent nunc ui, nunc comminatione grassantem, ab oppugnatione ædium cum contumelia repulit, susceptosq; pueros Episcopo præsentauit. Ille admodum gratulatus quòd causam Principum, qui pro communi commodo arma sumere meditabantur, hac etiam parte impedimentorum liberasset, suis singulos parẽtibus cũ omni diligẽtia, ne quis scilicet insidiaretur abeuntibus, remisit.

Statuta die iuxta condictum Principes Sueuiæ & Saxoniæ Triburiam conuenerunt, amplissimo numero obstinatis mentibus ad summouendum à negotijs regni Regem Henricum, & alium in quem communis electio consensisset creandum. Aderant unà Legati Apostolicæ sedis, Sigehardus Patriarcha Aquileiensis, & Altmannus Patauiensis Episcopus, uir Apostolicæ conuersationis, & magnarum in Christo uirtutum, cui Papa uices suas in dispositione ecclesiasticarum causarum delegauerat. Et laici nonnulli, qui magnis opibus relictis ultrò se ad priuatam tenuemq; uitam propter Deum contulerant. Missi à Romano Pontifice, ut palàm omnibus per Gallias contestarentur, iustis de causis excommunicatum esse Regem Henricum, & ad eligendum alium Regem Apostolici consensus & auctoritatis suffragium pollicerentur. Hi nec Principi nec priuato cuiquam, qui regi Henrico dicto uel facto aliquatenus post excommunicationem communicasset, communicare uolebant, donec publicè professus pœnitentiam per Altmannum Vicarium Romani Pontificis anathemate absolueretur. Pari cautela eorum quoq; communionem uitabant, qui presbyteris cõiugatis, uel eis qui ecclesiasticas ordinationes pretio comparauerant, in oratione communicassent. Per septem itaq; continuos dies consilia conferentes, quid facto opus esset, qua ratione periclitanti, & iam iam naufragium minitanti Reipublicæ cõsulendum foret perquirebãt. Replicabant ab tenero ut aiunt ungue

omnem

omnem uitæ Regis institutionem, quibus probris, quibus flagitijs existimationem suam decusq; imperij uix tum adulta ætate maculasset, quas iniurias singulis, quas in commune omnibus, ubi primum pubertatis annos attigit irrogasset, quòd remotis à familiaritate sua Principibus, infimos homines & nullis maioribus ortos, summis honoribus extulisset, & cum eis noctes perinde ac dies in deliberationibus insumens, ultimum, si posset, nobilitati exterminium machinaretur. Quòd barbaris gentibus uacatione data, in subditos sibi populos dedita opera ferrum distrinxisset, & in eorum nece hostili crudelitate grassaretur, regnum quod à parentibus suis pacatissimum, & bonis omnibus florentissimum accepit, quàm fœdum, quam despicabile, quàm intestinis cladibus infestum cruentumq; reddidisset. Ecclesias & monasteria destructa, uictualia seruorum Dei uersa esse in stipẽdia militum, studium religionis & rerum ecclesiasticarum transisse ad arma militaria, & ad munitiones extruendas, non quibus uis & impetus barbarorum arceatur, sed quibus patriæ tranquillitas eripiatur, & liberæ gentis ceruicibus durissimæ seruitutis iugum imponatur. Nullum usquam esse uiduis & orphanis solatium, nullum oppressis & calumniam sustinentibus refugium, non legibus reuerentiam, non moribus disciplinam, non ecclesiæ auctoritatem suam, non Reipublicæ manere dignitatem suam, ita unius hominis temeritate sacra & prophana, diuina & humana, fasq; nefasq; confusa esse & implicita. Proinde tantarum calamitatũ unicum ac singulare superesse remediũ, ut quantocyus amoto eo alius rex crearetur, qui tandiu terminos suos euaganti licentiæ frena iniiceret, & mundi uacillantis ruinam subiectis humeris sustentaret. Rex Henricus contractis in unum suæ partis asserroribus in ulla quæ dicitur Oppenheim se continebat, Rheni fluuio utraq; castra dirimente, frequentesq; ad eos indies Legatos mittebat, pollicens omnium, quæ eos offenderãt in reliquum emendationem, se ueterum iniuriarum memoriam sequentibus beneficijs, si uita comes foret, aboliturum, nihilq; deinceps circa rerum publicarũ administrationem absq; communi cõsulto acturum. Postremò ultro se iure suo cedere, eisq; gubernãdi disponendiq; pro suo arbitratu totius regni ius potestatemq; facere, dummodo æquo animo paterẽtur, sola Regij nominis, regijq; cultus rata sibi manere insignia, quæ semel legitimè accepta, sine summa omnium eorum ignominia amittere non posset, nec sinerent regni Teuthonici splendorem omnibus retro seculis intactum incontaminatumq; sua ætate tam turpis exemplimacula fordescere. Quod si uerba sua difficilius admitterent magnificis promissionibus toties elusi, paratum se quibus sacramentis, quibus uellent obsidibus fidem facere, quòd nulla unquam dies, nulla rerum uel casuum mutabilitas hanc suam in eos beniuolentiam corruptura foret. Ad hæc illi nulla inquiũt, iam supersunt argumenta, quibus toties recognita atq; spectata fides eius probari ultra uel obligari ualeat, cum toties morum suorum emẽdationem coram oculis omnia cernentis Dei quàm sanctè pollicitus, omnia quibus se obstrinxerat uincula, ubi primùm calamitas, quæ ad præsens urgebat, præterijt, tanquam aranearũ telas ruperit, & semper seipso deterior, cursum mali operis, sicut equus impetu uadens in prœlium, effrenata libertate repetuerit. Necq; nos præcipiti temeritate ad hæc extrema experienda prorupimus, omnes uias, omnia prius cõsilia pertemptauimus, si qua ratione rigidũ obstinatumq; in malis desperati hominis ingeniũ emolliri posset. Sed inueteratus morbus atq; imis penitùs iam insidens uisceribus, nihil spei, nihil admittit remedij, omnem artem, omnem eu nacens industriam medicantiũ. Quin imò dum leuitati eius impensius morem gerere studemus, & cunctis quę perperam molitur religionis obtentu muliebrem præbemus patientiam, status Reipublicæ euersus est, tranquillitas ecclesiarum turbata, maiestas imperij ablata, auctoritas Principum euacuata, mores inuersi,

leges abolitæ,& secundum Prophetæ elogium,maledictum & mendacium,& homicidium,& furtum,& adulterium inundauerũt,& sanguis sanguinem tetigit,postremò omnis iustitiæ & pietatis,religionis & honestatis disciplina situ atq; inculta obsoleuit. Hęc quidem dum sola uitæ temporalis detrimenta,dum solam famæ & existimationis labem minitarentur,tametsi uiris ferenda non essent,tulimus tamen,ne contra iusiurandum quo tenebamur prępropitanter impudenterq; uenire uideremur,& dum gloriæ nostræ consulere conaremur, animæ naufragium pateremur. Nunc uerò cum ab ecclesiæ corpore propter flagitia sua Apostolici anathematis mucrone præcisus sit,cùm ei communicare sine cõmunionis ecclesiasticæ damno & fidei iactura non possimus, cùm fidem nostrã multis apud eum sacramẽtis implicitam Romanus Pontifex Apostolica auctoritate explicuerit,extremæ profectò dementiæ esset,diuinitùs oblatã salutis occasionem,non obuijs,ut dici solet,manibus excipere,& quod iam diu præmeditatum sit,ut agatur,tam oportuno tempore non agere,cum leges humanæ & ecclesiasticæ sinant,cum locus & tempus arrideant, cum deniq; omnia, quæ pacì uel bello usui esse solent,conficiendæ tantæ rei fauorem suum polliceãtur. Quapropter contemptis inanium argumentorum cuniculis,quibus denuò in cerui-ces iugilosq; nostros uiam gladio suo affectat,immobiliter animo fixum tenemus,ut absq; ulla dilatione uirum nobis prouideamus,qui præcedat nos & prælietur bellum Domini ad expugnandam & destruẽdam omnem cuiuscunq; hominis altitudinem,eleuãtem & extollentem se aduersus iustitiam & ueritatem Dei,& sanctæ Romanæ ecclesiæ auctoritatem. In hæc uerba Legatos Regis dimiserunt. Iterum alios atq; alios misit,nullum supplicationis genus, quod impendiendæ tantæ rei proficuum putaretur,prætermittens. Sed illi in eadem sententia fixi obstinatiq; manebant. Iamq; utraq; ex parte ad magnum discrimen res spectare uidebatur. Deniq; & hi Regem alium sibi protinus cõstituere,& transmisso Rheni fluuio,nauigium enim omne Episcopus Moguntinus in eam ripã coegerat,proxima luce regi Henrico arma inferre parabant,& ille incisa spe dilationis impetrandæ,suos qui per proximas uillas dispersi erant in unum coire, atq; arma expedire iubeat,ut in ulteriorem ripam progressos, confestim prælio adoriretur. In hac tantarum expectatione rerum intentis sollicitisq; omnibus, ecce primo diluculo sequentis diei, quæ ultimam cladem Reipublicæ allatura timebatur, Sueui & Saxones Legatos ad Regem miserunt, qui ei dicerent, tametsi nec in bello nec in pace ulla unquam ei iustitiæ uel legum cura fuerit,se tamen legibus cum eo agere uelle,& cùm crimina quæ ei obijciantur omnibus constent luce clariora, se tamen rem integram Romani Pontificis cognitioni reseruare,acturos se cum eo,ut in purificatione sanctæ Mariæ Augustam occurrat,ibiq; celeberrimo conuentu habito Principum totius regni, discussis utrarumq; partium allegationibus ipse suo iudicio uel addicat uel absoluat accusatum,quòd si ante diem anniuersarium excommunicationis suæ, suo præsertim uitio excommunicatione non absoluatur, absq; retractatione in perpetuum causa ceciderit,nec legibus deinceps regnum repetere possit, quod legibus ultra administrare annuam passus excommunicationem non possit, si oblitam conditionem gratanter amplexetur,& Romano Pontifici per omnia subditum se dictoq; obtemperantem fore polliceatur, hinc se experimentum capturos, omnes quos ille excommunicauit extemplo à conuictu contubernioq; suo amoueat,ipse in urbem Spirensium dimisso exercitu secedat, ibiq; solo Verdunensi Episcopo,paucisq; ministris,quos tamen sententia Principum ab hac excommunicatione integros,incorruptosq; probauerit, contentus, priuatam interim uitam agat,ecclesiam non ingrediens,nihil circa publica negotia,suo iure disponens,nullam Regij apparatus pompã,nulla Regię dignitatis insignia sibi

iuxta

iuxta solitum adhibens, usq; ad synodicam causæ suæ examinationem. Præterea ciuitatem Vuormacienſem, quam expulso Episcopo, dissipato cœlestis militiæ sanctuario, arcem belli speluncamq; latronum fecerat, abducto præsidio Episcopo Vuormaciēſi restituat: datis insuper sacramētis & obsidibus, ne qd deinceps rebellionis uel insidiarum ab ciuibus timere debeat. Porrò si quid horum prꝫuaricetur, tum se omni culpa, omni iurisiurandi religione, omni perfidiæ infamia liberatos, non expectato ulterius Romani Pontificis iudicio, quid reipublicæ expediat cōmuni consilio uisuros. Rex cuius omnes spes, omnesq; copiæ in actum coactæ fuerant, gratulatus admodum quòd aliqua quantumuis fœda cōditione urgentem ad præsens calamitatē declinasset, promptissime per omnia obedientiam pollicetur. Statimq; Colonienſem Episcopum, Babenbergenſem Episcopum, Strazburgenſem Episcopum, Basilienſem Episcopū, Spirenſen Episcopū, Losannenſē Episcopū, Citicenſē Episcopū, Osēbruggenſē Episcopum, Vdalricum de Cosheim, Eberhardū, Hartmannū, cæteroſq; excōmunicatos, quorū ante hac opera consiliisq; gratissime utebatur, omnes castris egredi iubet. Missis quoq; Vuormaciā nuncijs, milites, quos illic præsidij causa cōstituerat, abscedere, urbēq; Episcopo patere prꝫcipit. Dehinc cæteris qui ad auxilia sibi ferenda frequentes conuenerāt, singulis in sua dimissis, ipse iuxta condictum cum paucis Spiram cōtendit, ibiq; intra terminos & leges, quas Principes præscripserāt aliquāto tēpore mediocriter uitā moresq; cohibebat. Sueui & Saxones postquam deditis Vuormacienſibus statū ciuitatis Episcopo pacatissimum reddiderunt, læti ouanteſq; patriā repetebant, confestumq; Legatos Romā destinarūt, qui papæ rei gestę ordinem edocerent, enixiq; flagitarent, ut sedandis per Gallias tātis bellorum ciuilium tempestatibus, ipsa statuta die suam non dedignaretur prꝫstare præsentiam. Rex etiam certo sciens omnē suam in eo uerti salutē, si ante añiuersariā diē excōmunicatione absolueretur, nec satis tutū suis rationibus existimās, ut expectato intra Gallias Romani Pōtificis aduētu, si infesto iudici, sic obstinatis accusatoribus causā suam addiceret uentilandā, optimum factu sibi iudicauit pro eo tū statu rerū suarū, ut in Gallias proficiscēti Romano Pōtifici intra Italiā occurreret, & anathematis absolutionē quoq; posset modo impetrare conaretur, hac impetrata cęteram rebus difficultatem facile adimendam, cum colloqui Principibus & cōferre cōsilia, & fidē amicorū in aduersis implorare, nulla deinceps uetaret religio. Paucis igitur ante natalem Domini diebus Spirenſi urbe discedēs cū uxore & filio paruulo iter adgressus est, nec quisquā ex omnibus Teuthonicis uir ingenuus comitatus est regno excedentem, prꝫter unum & ipsū nec genere nec opibus conspicuū. Cunq; impensis tā longi itineris egeret, multisq; supplicaret, quibus incolumi republica sæpenumero profuerat, pauci admodū erant, qui uel ueterū beneficiorū memoria, uel prꝫsenti humanarū rerū spectaculo prꝫmoti, necessitatē eius aliquatenus releuarēt. Eo miseriarū & calamitatis extrema gloria sumiſq; opibus repēte peruenerat. Similiter quoq; cęteri excōmunicati obtinēdæ citius absolutionis studio ardentissimē iter accelerabāt in Italiā, nec tamen in societatem itineris Regem admittere Principum, uel potius Romani Pontificis metu absterriti patiebantur. Vis atq; inclementia hyemis hoc anno adeò iugis solitoq; asperior inhorruerat, ut à festiuitate sancti Martini Rhenus fluuius glaciali frigore constrictus penè usq; ad kal. Aprilis pedestri itinere trāsmeabilis maneret, & pleriſq; in locis uineta exiccatis frigore radicitus omnino arescerent.

M. LXXVII. Dux Polonorum, qui per multos iam annos Regibus Teuthonicis tributarius fuerat, cuiusq; regnum iam olim Teuthonicorum uirtute subactum, atq; in prouinciam redactum fuerat, repente in superbiam elatus,

tus,propterea quod Principes Teuthonicos cerneret domesticis seditionibus occupatos,nequaquam ad inferenda exteris gentibus arma uacare, Regiam dignitatem,Regiumq; nomen sibi usurpauit,diadema imposuit,atq; ipso die natalis Domini à XV. Episcopis in Regem est consecratus. Quæ oreui pòst cõperta, Principes Teuthonicos,quibus reip. dignitas curæ fuit, grauiter affe-ere,sibiq; inuicẽ succẽssebant,q; dũ intestinis in se atq; in sua uiscera odijs sæ-uirent,& digladiarentur,potentiam opesq; barbarorum in tantum aluissent,ut iam tertio Dux Boëmieus regnum Teuthonicum ferro & igne populabun-dus peragrasset, & nũc Dux Polonorum in ignominiã regni Teuthonici con tra leges ac iura maiorũ Regiũ nomen Regiũq; diadema impudẽs affectasset.

Rex Henricus in Italiam proficiscens,intra Burgundiam,in loco qui dicitur Bisenzun natalem Domini celebrauit,satis magnificè pro sua tum calamitate susceptus & habitus ab auunculo matris suæ Vuilhelmo comite, cuius in illis locis amplissimæ & florentissimæ opes erant. Ea porrò causa erat,ut relicto re cto itinere in Burgõdiã diuerteret, q̃d certò cõpererat Duces Rudolfũ, Vuelf, & Bertholdum omnes uias,omnesq; aditus,qui ad Italiam mittunt, quos uul-gato nomine Clusas uocãt,appositis custodibus anticipasse, ut nulla illic ei co pia transeundi fieret. Exacta solennitate natalis Domini profectus inde, cum in locum qui Ciuis dicitur uenisset,obuiam habuit socrum suam,filiumq; eius Amedeum nomine,quorum in illis regionibus & auctoritas clarissima,& pos sessiones amplissimæ,& nomen celeberrimum erat. Hi uenientem honorifice susceperunt. Transitum tamẽ per terminos suos aliàs ei concedere nolebant, nisi quinq; Italiæ Episcopatus possessionibus suis contiguos eis redimendi iti neris pretium traderet. Durum hoc nimis atq; intolerabile omnibus Regis cõ siliarijs uisum est, sed cum ei ineuitabilis incumberet necessitas, quoquo pos-set pacto redimẽdi itineris,& illi nec iure propinquitatis, nec tãtæ calamitatis miseratione quicquam mouerentur,multo labore & tempore in hac delibera-tione insumpto,uix & ægre tandem impetratum est,ut prouinciam quandam Burgundiæ bonis omnibus locupletissimam, concedendi transitus mercedẽ dignarentur accipere. Ita indignatio Domini non solum sacramẽtis & frequẽ-tibus beneficijs sibi obnoxius, sed etiam amicos & genere propinquos ab eo auerterat. Difficulter assecuto transeundi licentiam, protinus alia successit difficultas. Hyems erat asperrima,& montes per quos transitus erat in immen sum porrecti,& penè nubibus cacum eningerentes,ita mole niuiũ & glaciali frigore obrigueranr,ut per lubricum præcipitemq; decessum, nec equitis nec peditis gressum sine periculo admitterent. Sed dies anniuersarius,quo Rex in excommunicationem deuenerat,è uicino imminens nullas accelerandi itine-ris moras patiebatur. Quia nisi ante eam diem anathemate absolueretur,decre tum nouerat communi Principum sententia, ut & causa in perpetuum cecidis-set,& regnũ sine ullo deinceps restitutionis remedio amississet. Igitur quosdã ex indigenis locorum peritos & prȩruptis alpium iugis assuetos mercede con duxit,qui comitatum eius per abruptum montem & moles niuiũ præcederẽt, & subsequentibus quaqua possent arte itineris asperitatem leuigarent. His du-ctoribus cum in uerticem montis magna cum difficultate euasissent,nulla ulte-rius progrediendi copia erat eo quòd præceps montis latus, & ut dictum est glaciali frigore lubricum omnem penitus decessum negare uideretur. Ibi uiri periculum omne uiribus euincere conantes, nunc manibus & pedibus re-ptando,nunc ductorum suorum humeris inuitendo,interdum quoq; tituban te per lubricum gressu cadendo,& longius uolutando,uix tandem aliquando cum graui salutis suæ periculo ad campestria peruenerũt. Reginam & alias, quæ in obsequio eius erant mulieres, boum corijs impositas Duces itineris

conductu

conductu præeuntes deorsum trahebāt. Equorum alios per machinas quasdā summittebant, alios colligatis pedibus trahebant, ex quibus multi dū traherentur mortui, plures debilitati, pauci admodum integri incolumesq; periculum euadere potuerunt. Postquam per Italiam fama percrebuit uenisse Regem, & superatis asperrimis rupibus iam intra Italiæ fines consistere, certatim ad eum omnes Italiæ Episcopi & comites confluebant, eumq; ut regia magnificentia dignum erat, summo cum honore suscipiebant, atq; intra paucos dies infinitæ multitudinis ad eū congregatus est exercitus. Erant enim iā ab exordio regni eius semper desiderātes aduētū eius in Italiā, eò quòd regnū illud bellis, seditionibus & latrocinijs ac uarijs priuatorū infestationibus assidue infestaretur, & omnia q̄ præter leges & iura maiorū ab improbis hominibus præsumebant Regiæ auctoritatis cēsura corrigi sperarēt. Præterea qa fama uulgauerat ad deponendū Papā ferocibus eū animis properare, admodū gratulabant oblatā sibi occasionē esse, qua eū qui se iam pridē ab ecclesiastica cōmunione suspēderat iniuriā suam idoneè uindicarēt. Interea Papa rogatus per literas, à principibus Teuthonicis, qui in Oppenheim conuenerant, ut in purificatione sanctæ Mariæ ad discutiendā causam Regis Augustæ occurreret, inuitis Romanis Principibus, & propter incertum rei euentum, iter illud disuadētibus Roma egressus est, & quantum potetat profectionem accellerans statuto die præsto esse satagebat, ducatum ei præbente Mathilda, derelicta Ducis Lotharingotū Gozelonis, filia Bonifacij Marchionis & Beatricis comitissæ. Hæc uiuēte adhuc uiro suo quandā uiduitatis speciem longissimis ab eo spacijs excluſa prætendebat, cum nec ipsa maritum in Lotharingiam extra natale solum sequi uellet, & ille Ducatus quē in Lotharingia administrabat negocijs implicitus, uix post tertium uel quartum annum semel Marcham Italicam inuiseret. Post cuius mortem Romani Pontificis lateri penè comes indiuidua adhærebat, eumq; miro colebat affectu. Cunq; magna pars Italiæ eius pareret imperio, & omnibus quæ prima mortales ducunt supra cæteros terræ illius Principes abundaret, ubicūq; opera eius Papa indiguisset ocyus aderat & tāquā patri uel Domino sedulū exhibebat officiū. Vnde nec euadere potuit incesti amoris suspitionē, passim iactātibus Regis fautoribus & pręcipue clericis, qbus illicita & contra scita canonū cōtracta cōiugia prohibebat, q̄d die ac nocte impudenter Papa in eius uolutaret amplexibus, & illa furtiuis Papæ amoribus præoccupata, post amissū coniugē ultra secūdas cōtrahere nuptias detrectaret. Sed apud omnes sanū aliquid iapiētes luce clarius cōstabat falsa esse q̄ dicebant. Nā & Papa tā eximiè tāq; Apostolicè uitā instituebat, ut nec minimā siniſtri rumoris maculā cōuersationis eius sublimitas admitteret, & illa in urbe celeberrima atq; in tanta obsequentiū frequentia obscœnū aliquid perpetrās latere nequaquam potuisset. Signa etiam & prodigia, quæ per orationes Papæ frequētius fiebant, & zelus eius feruentissimus pro Deo & pro ecclesiasticis legibus satis eum contra uenenatas detrectorū linguas communiebant. Igitur Papa dum in Gallias properaret, ex insperato audiēs, Regem iam esse intra Italiam, hortāte Mathilda in castellum quoddam munitissimum quod Canusium dicitur, diuertit, expectare uolens, donec consilium aduentus eius diligentius exploraret, utrum scilicet ueniam admissi postulare, an iniuriam excommunicationis suæ militari manu persequi, plenus animorum adueniret. Diedericus Episcopus Verdunensis uir constantissimæ ergà Regem fidei, dū Regem in Italiam proficiscentem paulo post insequi uellet, captus est ab Adelberto comite de castello quod dicitur Caleuuo, & spoliatus omnibus quas studiosissime conuexerat tam longi itineris impensis, A quo diu habitus in custodia, tandem dato quodcunq; exigebatur redēptionis suæ pretio,

addito etiam iureiurando, quod iniuriæ huius nec ſpiritualem nec corporalem uindictam aliquando expeteret, liber abire dimiſſus eſt. Rubertus quoq; Babẽbergenſis Epiſcopus, dum in Italiam pergens per Baioariam iter ageret, captus eſt ab Vuelf Duce Baioariorum. Qui ſublatis omnibus quæ illius fuerãt peculiaria, ueſtes pontificales & cæterum eccleſiaſticũ ornatum, quem in theſauris eius repperit, eccleſiæ Babenbergenſi cum omni integritate reconſigna uit. Ipſum uerò in caſtello munitiſsimo, à natali Domini uſq; ad feſtiuitatem ſancti Bartholemei Apoſtoli, ſub diligenti cuſtodia tenuit, nec ullis amicorum eius precibus aut muneribus, ut dimitteret, euinci potuit. Cæteri Epiſcopi & laici, quos Papa excoũunicauerat, quoſq; Rex huius rei gratia à latere ſuo exirema neceſsitate compulſus amouerat, eluſis cuſtodibus, qui Cluſas obſidebant, in Italiam illæſi peruenerunt, repertoq; Papa in Canuſio, ueniam præſũptæ rebellionis atq; ut excommunicatione abſoluerẽtur, nudis pedibus, & laneis ad carnem induti ſuppliciter poſtulabant. Ille his qui ueraciter peccatum ſuum agnoſcerent, & deflerent, non eſſe aiebat miſericordiam denegandam, ſed longam inobedientiam & diu increatam peccati rubiginẽ diuturnioris pœnitentiæ igne exuri & excoqui oportere. Quaptopter, ſi eos reuera facti pœniteret, æquo animo paterentur quodcunq; ſanandis uulneribus eorum adhiberet eccleſiaſticæ correptionis cauterium, ne ex facilitate indulgẽtiæ culpa quæ aduerſus ſedem Apoſtolicam atrox & uehemens præſumpta fuiſſet, uel parua uel nulla uideretur. Illis paratos ſe profitentibus ad omnia quæ impoſuiſſet ſufferenda, Epiſcopos omnes à ſe inuicem ſeparatos præcepit ſingulis celibi & potus mediocri menſura refici, Laicis quoq; pro ætatis uel uitium conſyderatione congruentem ſingulis penitentiam indixit, Ita per aliquod dies exacerbatos tandem ad ſe uocauit, & leniter pro admiſſis obiurgatos, & ne deinceps ſimile quid admitterent commonitos excommunicatione abſoluit, abeuntibuſq; id ante omnia repetens iterumq; præcepit, ne Rege Henrico donec ſedi Apoſtolicæ poſt factam iniuriam ſatis feciſſet aliquatenus communicarent, aut ei ad euertendum ſtatum reipublicæ turbandamq; pacem eccleſiaſticam in aliquo operam ſuam accommodarent. Ad hoc tamen omnibus indifferenter eius permiſſo colloqui, ut ad pœnitentiã prouocaretur, & à curſu mali operis quo præceps rapi uidebatur retraheretur. Interea Rex Henricus Mathildam comitiſſã ad colloquium euocauit, eamq; precibus ac promiſſionibus ornatam ad Papam tranſmiſit, & cum ea ſocrum ſuam filiumq; eius Azzonẽ etiã Marchionem & Abbatem Cloniacenſem, & alios nonnullos ex primis Italiæ Principibus, quorum auctoritatem magni apud eum momenti eſſe nõ ambigebat, obſecrans, ut excommunicatione abſolueretur, nec Principibus Teutonicis, qui ad accuſandum eum ſtimulo inuidiæ magis quam zelo iuſticiæ exarſiſſent temere fides haberetur. Quorum Papa legatione audita ait incongruum ualde eſſe, & ab eccleſiaſticis legibus omnino alienum, ut abſentibus accuſatoribus cauſa accuſati uentilaretur. Qui imò ſi innocẽtiæ ſuæ cõfideret, omni timoris ſcrupulo liberatus, ſtatuto die in Auguſtam, q̃ cæteri Principes cõuenire ſtatuiſſent, fiducialiter occurreret, ſe illic diſcuſis utrarumq; partium allegationibus, nec odio nec gratia ab iure ad iniuriam deuoluendum, ſed iuxta leges eccleſiaſticas quã rectiſsimã poſsit de ſingulis ſentẽtiã laturũ eſſe. Ad hæc illi reſpõdeerũt, Regẽ illius nuſquã terrarũ ſubterfugere iudiciũ, quẽ ſciat ætatis & innocẽtię incorruptiſsimũ uindicẽ & aduocatũ fore. Sed è uicino iã urgere diẽ anniuerſariũ quo excoũunicatus fuiſſet, & Principes regni hac exſpectatione ſuſpenſos attentoſq; anxiæ rei euentum præſtolari, ut ſi ante hãc diem excoũunicatione nõ abſoluatur, deinceps iuxta Palatinas leges

indignus

indignus regio honore habeatur, nec ultra pro asserenda innocentia sua audientiam mereatur. Proinde obnixius petere, & hoc omni quo Papa iubeat satisfactionis genere paratum emereri, ut solo interim anathemate absoluatur, & communionis ecclesiasticæ gratiam recipiat, responsurus ex integro quacunq; die, quocunq; loco Papa præcipiat, tanquam nihil hac conuentione actum sit, omnibus, quę accusatores eius obiecissent, criminibus, & iuxta sententiam eius regnū uel retenturus si obiecta purgasset, uel æquo animo si causa cecidisset amissurus. Diu Papa restitit, ueritus in Rege iuuenilis animi inconstantiam, & procliue quocunq; assentatores impulissent ingenium. Sed superatus tandem importunitate perurgentium, & grauitate sententiarum, si ueraciter, inquit, eum facti pœnitet, coronam & cætera regni insignia in argumentum uerę & ex animo actæ pœnitudinis nostræ potestati dedat, & se post tam contumax admissum regio nomine & honore deinceps indignum profiteatur. Durum nimis hoc uisum est Legatis. Cunq; uehementer insisterent, ut sententiam temperaret, nec calamum conquassatum iudicij austeritate penitus cōtereret, uix & ægrè tandem exoratus, annuit ut cominus ueniret, & si ueram pro admissis pœnitudinem geret, culpam quam sedi Apostolicæ contumeliam irrogando contraxerat, sedis Apostolicæ decretis nunc obediendo expiaret. Venit ille ut iussum fuerat, & cum castellum illud triplici muro septum esset, intra secundum murorum ambitum receptus, foris derelicto omni comitatu, suo deposito cultu regio, nihil præferens regium, nihil ostentans pompaticum, nudis pedibus, ieiunus à mane usq; ad uesperam perstabat, Romani Pontificis sententiam præstolando. Hoc secundo, hoc tertio die fecit. Quarto demum die in conspectum eius admissus, post multas hinc inde dictas sententias, his postremò conditionibus excommunicatione absolutus est, ut die & loco quemcunq; Papa designasset euocatis ad generale concilium Teuthonicis Principibus præstò esset, & accusationibus quæ intenderentur, responderet, ipso Papa, si ita expedire uideretur cognitore causarum assidente, & ad eius sententiam uel retineret regnum, si obiecta purgasset, uel æquo animo amitteret, si probatis criminibus regio deinceps honore indignus iuxta ecclesiasticas leges decerneretur, nullam siue retento siue amisso regno huius iniuriæ uindictam, à quopiam hominum in perpetuum exacturus. Vsq; ad eam autem diem, qua causa eius legitimè discussa terminaretur, nulla regij cultus ornamenta, nulla regię dignitatis insignia, sibi adhiberet, nihil circa rerum publicarum administrationem iuxta consuetudinem suo iure ageret, nihil quod ratum fore oporteat decerneret, postremò præter regalium seruitiorum exactionem, quibus necessariò ipse & sui sustentādi essent, nihil Regium, nihil publicum usurparet, omnes etiam qui ei sub iureiurando fidem dixissent ab huius sacramenti uinculo, & cōseruandæ erga eum fidei debito apud Deum & apud homines interim liberi expeditiq; manerēt, Rutbertum Babenbergensem Episcopum, & Vdalricum de Cosheim, & cęteros quorū consilijs se remq; publicam prodidisset, à sua in perpetuum familiaritate amoueret. Quod si purgatis quæ obijcerentur potens confortatusq; in regno perstitisset, subditus Romano Pontifici semper dictoq; obtemperans foret, & ad corrigenda quęcunq; in regno eius contra ecclesiasticas leges praua consuetudine inoleuissent, consentiens ei & pro uirili portione cooperator existeret. Ad ultimum si quid horū præuaricaretur, irritam fore hanc, quæ nunc tantopere expetita sit, anathematis absolutionem, quin imò iam pro conuicto confessoq; habendum esse nec ultra pro asserenda innocentia sua audientiam impetraturū, Principesq; regni omni deinceps quæstione cuncta iurisiurandi religione liberatos, Regē alium in quē cōmunis electio consensisset creaturos esse. Gratanter Rex accepit cōditiones, & seruaturum se omnia quam sanctissimis poterat assertionibus promittebat.

Neq;

Nec tamen promittenti temere fides habita est. Sed Abbas Cloniacensis, quo-
niam iurare monasticæ religionis obtentu detractabat, fidem suam coram ocu-
lis omnia cernentis Dei interposuit. Episcopus quoq; Citicensis, & Episcopus
Vercellensis, & Azzo Marchio, & alij conuentionis eius Principes allatis san-
ctorum reliquijs sub iure iurando confirmauerunt facturum eum esse quæ pol-
licebatur, nec aliqua rerum asperitate uel casuum uarie succedentium mutabili-
tate ab sententia deducendum. Ita absoluto eo excommunicatione, Papa mis-
sarum solennia celebrauit, confectaq; sacra oblatione Regem cum cæteris, quæ
frequens aderat, multitudine ad altare euocauit, præferensq; manu corpus Do-
minicum, ego inquit, iampridem à te tuisq; fautoribus literas accepi, quibus me
insimulabas sedem Apostolicam per Symoniacam hæresim occupasse, & alijs
quibusdam tam ante Episcopatum quam post acceptum Episcopatum crimi-
nibus uitam maculasse, quæ mihi secundum scita canonum omnem ad sacros
ordines accessum obstruxerint. Et licet multorum idoneorũ certe testium asti-
pulatione crimen refellere queam, eorum scilicet, qui omnem uitæ meæ ab in-
eunte ætate institutionem integerrimè nouerunt, & eorum, qui meæ ad Episco
patum promotionis auctores fuerunt, ego tamen ne humano potius quam di-
uino niti uidear testimonio, ut satisfactionis compendio omnem omnibus scan
dali scrupulum de medio auferam, ecce corpus Dominicũ quod sumpturus ero
in experimentũ mihi hodie fiat innocentiæ meæ, ut omnipotens Deus suo me
hodie iudicio uel absoluat obiecti criminis suspitione si innocens sum, uel subi
tanea interminat morte, si reus. Hæc & alia ut solenne est præfatus uerba terri-
lia, quibus Deum causæ suæ æquissimum iudicem, & innocentiæ assertorem
adesse precabatur, partem Dominici corporis accepit & commedit. Qua liberri
mè absumpta, cum populus in laudes Dei innocentiæ eius congratulatus ali-
quandiu acclamasset, tandem impetrato silentio cõuersus ad Regem, fac ergo,
inquit, fili si placet quod me facere uidisti. Principes Teuthonici regni suis in-
dies accusationibus aures nostras obtundunt, magnam tibi molem capitalium
criminum impingentes, pro quibus non modò ab omni rerum publicarum ad-
ministratione, sed ab ecclesiastica etiam communione & ab omnimoda uitæ se-
culoris conuersatione usq; ad extremum spiritum te suspendi oportere existi-
mant. Petunt etiam magnopere diem & locum statui audientiamq; præstari ca-
nonicè discutiendis, quas aduersum te afterãt, accusationibus. Et nosti optimè
humana plerunq; uacillare iudicia, & in publicis disceptationibus nonnunquã
falsa pro ueris persuaderi, dum pro diserrorum hominũ ingenijs & dicendi co-
pia & suauitate, falsitas uerborum phaleris adornata libenter auditur, & ueritas
nullis eloquentiæ nixa adminiculis contemnitur. Cum ergo tibi bene consultũ
cupiam, pro eo quod in calamitatibus tuis supplex Apostolicæ sedis patroci-
nium expetisti, fac quod moneo. Si te innocentem nosti, & existimationem tuã
ab æmulis tuis per calumniã falsis criminationibus impeti, libera compendiosè
& ecclesiam Dei scandalo, & teipsum longæ concertationis ambiguo, & sume
hanc residuam partem Dominici corporis, ut comprobata Deo teste innocen-
tia tua, obstruatur omne os aduersum te iniqua garriẽtium, & me deinceps cau-
sæ tuæ aduocato, & innocentiæ tuæ uehementissimo assertore Principes tibi
reconcilientur, regnum restituatur, omnes quibus iam diu Resp. uexatur bello-
rum ciuilium tempestates in perpetuum sopiantur. Ad hæc ille inopinata re at-
tonitus æstuare, tergiuersari, consilia cum suis familiaribus segregatus à multi-
tudine conferre, & quid facto opus esset, qualiter tam horrendi examinis neces-
sitatem euaderet, trepidus consulere. Resumpto demum spiritu causari apud Pa
pam cœpit de absentia Principum, qui sibi in aduersis fidem adhuc integram
seruassent, quibus incõsultis & potissimũ absentibus accusatoribus irritã forg,

nec

nec quicquam uitium apud incredulos habituram esse, quancunq; pro experienda innocentia sua satisfactionem paucis qui aderãt proposuisset. Proinde sedulo Papam orare, ut rem integram generali concilio cõmunicq; audientiæ differret, ut ibi congregatis accusatoribus & secundum leges ecclesiasticas discussis tam accusationibus quam accusatorum personis, conditionibus quascunq; Principes regni æquas iudicassent obiecta refelleret. Haud grauatè Papa petenti adquieuit, expletoq; sacro ministerio Regem ad prandium uocauit, benignissimeq; refectum, & de omnibus quę eum obseruare oporteret diligenter instructum, cum pace ad suos qui longius extra castellum remanserant dimisit. Epponem quoq; Citicensem Episcopum præmisit ante eum, ut eos qui ei excommunicato priusquam anathemate absolueretur indifferenter communicauerãt uice sua excommunicatione absolueret, benignè præcauens nequam denuò recepte communionis maculam contraheret. Qui dum uenisset, & causam pro qua missus fuerat Italis exposuisset, uehemens in eum ira & indignatio coorta est. Fremere omnes & sæuire uerbis ac manibus cœperunt, Apostolicæ legationi irrisorijs exclamationibus obstrepere, conuicia & maledicta, utcunq; turpissima furor suggessisset, irrogare, se excommunicationem illius nihili æstimare, quem ipsum omnes Italiæ Episcopi iustis ex causis iam pridem excommunicassent, qui sedem Apostolicam per Symoniacam hæresim occupasset, homicidijs cruentasset, adulterijs alijsq; capitalibus criminibus polluisset, Regem secus ac deceat egisse, crimenq; gloriæ suæ intulisse nunquam abolendum, quod hominem hæreticum, & probris omnibus infamato maiestatẽ regiam summiserit, & quem iusticiæ patronum, legumq; ecclesiasticarum uindicem sibi parassent, is fœdissima subiectione sua fidem planè catholicam, auctoritatem ecclesiæ, dignitatem Reip. prodiderit, se in ultionem eius omnes quas potuerint Papæ iniurias irrogasse, & nũc quod dictu quoq; turpe sit, se in medijs perturbationum fluctibus relictis ipsum sibi cõsuluisse, & cum hoste publico priuata necessitudine in gratiam rediisse. Hæc potissimum Principes Italiæ factãdo & passim per populum ferendo ingens Regi odium breui cõflauerant. Adulta postremò seditione una omnium uoluntas, una sentẽtia erat, ut abdicato patre qui ultro regni fascibus indignũ se effecisset, filium eius licet impubem adhuc & regni negotijs immaturum Regem sibi facerent, & cum eo Romam profecti Papam alium eligerẽt, per quem & ipse protinus Imperator cõsecraretur, & omnia Papę huius apostatici gesta cassarentur. Perlato ad Regem tam molestæ cõspirationis nuncio, misit propere quicquid apud se Principũ erat, ut quaqua ratione, quaqua possent industria efferatæ multitudinis animos mitigarent, ne molestè acciperent, aut in contumeliam suam factum reputarent, quod extrema necessitate compulsus communis commodi ratione fecisset, nec Teuthonicis Principibus, qui sibi per calumniam regnum eripere dedita opera machinarentur, nec Romano Pontifici, qui ad euertendum statum sanctæ ecclesiæ spirituali gladio circumquaq; fulguraret aliter satisfieri potuisse, quàm ut ante statutam diem excommunicatione absolueretur, nunc se omnibus angustijs, quibus uias eius cõclusissent inimici liberatum, omnem deinceps curam industriamq; ad uindicandas suas, & illorum iniurias translaturũ. Vix tandem compresso potius quam extincto concitati tumultus incendio, plericq; ex Principibus castris se per iram subtrahentes, iniusi in sua rediere. Cæteri dissimulata interim iracundia, redeuntem Regem pacifice exceperũt, sed neq; consuetã ei reuerentiam deferebant, neq; tam sumptuosa ut prius utq; regiam magnificentiam decuerat seruitia ei exhibebãt, sed auersis oculis, infestis mẽtibus passim per omnes angulos deleuitate & ineptia eius mussitabãt, socordiamq; accusabãt, q; tam diu expectatus tam anxiè desideratus periclitãtis Italiæ calamitatib. nihil postremò spei, nihil præsidij attulisset.

Cunq;

Cunq; Italiam peragraret, ut his qui oppressi fuerant, calumniam'ue patiebantur regio more iusta faceret, nec in ciuitates eum recipiebant, nec cum faculis & faustis acclamationibus, ut prioribus Regibus consueuerant, obuiam ei procedebant, sed foris in suburbanis locis castris positis commorari iubebatur, & illuc ei alimenta quibus exercitus sustentarentur, & ipsa modica & uix necessitatem potius quam regalium epularum solitum splendorem copiam'ue explentia, ne manifestæ defectionis immature argui possent, ministrabãt, appositio singulis in locis præsidio, ut prædas fortè de agris uel uillis agere uolentes, armata manu coercerentur. Territus Rex insolita rerum facie, seroq; pœnitens quod incognitæ gentis, inexpertæ prius fidei temerè se credidisset, & Teuthonicis finibus excedendo hostem mutasset nõ euasisset, graui sollicitudine & metu perurgebatur, nec ullum usquam effugium inueniebat, nisi in reconciliandis fortè, si qua ratione posset, quos offenderat Italorũ animis. Ratus itaq; huius rei unicum hoc esse præsidium, ut initum cum Romano Pontifice fœdus abrumperet, & inde reparandæ concordiæ initium faceret, unde fuerat orta discordia. Vdalricum de Cosheim, & cæteros quos ille seueriſsimo anathemate à contubernio eius amouerat, in pristinũ gratię & familiaritatis suæ gradum reuocauit, & cum eis denuò de priuatis de publicis negotijs eadem qua consueuerat singularitate ac priuilegio consilia conferebat. Tum assiduè in conuentu Principum criminabatur, & detrahebat Romano Pontifici, quòd ipse omnem hanc, qui rempublicam concussisset, uentum turbinis, & commotionis sæuissimæ procellam suis machinationibus cõcitasset, ipse omnium quæ in ecclesia omni recenti memoria secus accidissent, auctor incentorq; extitisset. Hortabaturq; omnes in cõmune, ut suo ductu suisq; auspitijs tantarum ab eo iniuriarum uindictam experent. Dein conditiones omnes & uniuersa ecclesiasticarum legum uincula, quibus ille eum Apostolica auctoritate in salutẽ obstrinxerat contemptim tanquam aranearum telas dirupit, abiectisq; omnibus timoris Dei habenis, in omne quod animus suggessisset effrenata libertate ferebatur. His paulatim rebus Italorum indignatio mitigari, furor deflagrare, studia denuò in eum incalescere cœperunt, ita ut frequentior indies ad eum multitudo confluaret, sumptus exercitui copiosiores ministrarent, & ad omne quod iussisset promptissimè iam manus operamq; suam pollicerentur. Erant tunc temporis apud eum ex Teuthonicis, principio Liemarus Bremensis Archiepiscopus, Eppo Citicensis Episcopus, Benno Osenbruggensis Episcopus, Burchardus Losannensis Episcopus, Burchardus Basiliensis Episcopus. Laici, Vdalricus, Eberhardus, Bertholdus, & alij penè omnes, quos in Oppenheim legati Apostolicæ sedis à contubernio eius propter excommunicationem segregauerant, qui nunc post receptam communionem, eum quoque ecclesiæ reconciliatum comperissent, unanimiter ad eum confluxerunt, & ei deinceps peregrinationis eius individui comites adhærebant. Interea Moguntinus, Vvirceburgensis & Mettensis Episcopi, Rudolfus, Vvelf, Berdolfus Duces & alij plericq; ex Principibus Teuthonicis conuenientes tractare de utilitatibus Reipublicæ, statuerunt ut Principes Saxoniæ, & omnes quibuscunq; Respublica curæ foret III. Idus Martij in Forcheim occurrerent, & communi consilio quid facto opus esset decernerent, præsertim cum per absentiam Regis tranquillis rebus tempus oportunum deliberationibus ac cõsultationibus nacti fuissent. Romano quoq; Pontifici scripserunt, ut quoniam in purificatione sanctæ Mariæ Augustam iuxta cõdictum, dolo Regis præuentus, occurrere non potuerat, saltem in Forcheim statuta die præstò esse satageret, & sedandis bellorum ciuilium tempestatibus, quibus iamdiu periclitaretur Respublica Apostolici moderaminis gubernaculum adhiberet. Adhuc ille in Canusio & alijs circa firmissimis munitionibus se continebat, dispositũ habens

non

non prius Romam regredi, quàm cõfecto itinere quod inſtituerat, ſi Deo propitio conatum ſequeretur effectus, pacem eccleſiæ Dei reddidiſſet. Igitur acceptis literis tametſi iampridem frequens ad eum fama detuliſſet. Regem mutata mente hoſtiles aduerſum ſe ſpiritus gerere, & contemptis conditionibus, quibus excõmunicatione abſolutus fuerat, animo fixum tenere, ut leges eccleſiaſticas manu militari debellaret. Miſit tamen unum ex cardinalibus Epiſcopis Romanæ eccleſiæ Gregorium nomine, & alios quos ei negotio idoneos arbitrabatur, qui ei dicerent tempus eſſe, ut promiſſa cõpleret, conuenturos in Forcheim III. Idus Martij Principes Teuthonici regni ad componẽdum, ſi Deus uotis annuat, ſtatum Reip. Veniret ergo ut pollicitus ſit, & crimina quibus innocens, ut ipſe aſſerat, à calumniatoribus ſuis impetitus ſit ſe cognitore & iudice præſidente reſponderet. Multum rebus ſuis ſalutiq;, & apud Deum & apud homines collaturus, ſi eccleſiam ſcandalis, rem publicam bellis ciuilibus, ſeipſum fœdiſſimę exiſtimationis macula liberaret. Præſertim cum ea die diſcuſsis ſynodicè, quæ aduerſum eum afferantur cauſis, uel recepturus eſſet regnum, uel ſine omni deinceps retractatione amiſſurus. Legatis mandata perferentibus, ille diſsimulatis mediocriter his quæ animo agitabat, reſpondit ſe poſt acceptum regnum hac primum uice Italiam intraſſe, & ideò multis nunc & magnis Reipublicæ negotijs implicitum non poſſe tam citò infectis rebus prouincia excedere. Quia ſi id faciat, Italos quos longo tempore anxia aduentus ſui expectatione ſuſpendiſſet, grauiſsimè offendat. Præterea diem conuentui habendo ſtatutum è uicino imminere, ſeq; tam breuibus inducijs, tanta terrarum ſpacia nulla equorum celeritate poſſe tranſcurrere, etiamſi nullis extrinſecus retardetur impedimentis. In hęc uerba Legatos dimiſit. Papa certior iam factus de immutatione animi eius, & cæteris rebus quas ad eum iam pridem fama detulerat, miſit protinus Bernardum Abbatem de Maſsilia, uirum eximię conuerſationis, & multarum in Chriſto uirtutum: item alium Bernardum Cardinalem Diaconum ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ut Principibus Teuthonici regni, qui (ut ſupra dictũ eſt) III. Idus Martij Forecheim conuenturi erant occurrerent, eosq; per ordinem ea quæ geſta erant edocerent, ſe iuxta placitum dedita opera eniſum fuiſſe, ut die & loco ſtatuto communibus ſanctæ eccleſiæ utilitatibus tractandis præſtò eſſet. Sed Domini Henrici diligentia ita circumuentum, ita omnes per quas tranſitus eſſe potuiſſet itinerum anguſtias præoccupatas, ut nec tutò in Germaniam progredi, nec tuto Romã regredi ualeat. Proinde monere eos, ut ſuis interim rebus & regno Francorum, quod diu iam unius hominis puerili leuitate uexetur, quaqua poſſint ratione moderentur, donec ſi Deus uelit, adempta itineris difficultate ipſe uenire, & collatis in medium conſilijs quid utilitati, quid honeſtati omniũ, quid paci eccleſiaſticæ expediat, ſecundum eccleſiaſticas leges decernere poſsit.

Nos more inertis Poetæ extremo iam in opere langueſcentes, ingentiſq; materiæ mole ſuperati, in longum ſatis ut uidetur protracto uolumini hic tandem finem imponimus, ut ſi cui fortè poſt nos ad deſcribendam reliquam partem huius hiſtoriæ manum mittere libuerit, ab electione Rudolfi regis congrum ſcribendi exordium faciat.

FINIS.

DE

DE NOMINIBVS PROPRIIS GERMANORVM, EORVMQVE AD PRISTINAM ETYMOLOGIAM REDVCENDORVM ratione, opusculum per quendam antiquitatis studiosum, compositum.

NOMINA PROPRIA HABENTIA OLFF SEV ülff, sunt uerè Germanica. Vt,

RODOLFVS, à Latinis corruptũ est. Sed Germanicè dicitur, Rathulff, id est, consilium & auxilium, salus enim seu auxilium, dicitur Hulff. Rat consilium.

Lodolfus corruptè, Germanicè dicitur Luidhulff seu Leudhulff, Lude.u. Hollandico uel leud Sueuica dipthongo significat homines in plurali. Est igitur Leudhulff Græcè Alexander. Hinc factum est nomen Paridi. Vide Ouidium in epistola Paridis ad Helenam, ubi inquit:

— & causſam nominis inde tuli.

Landolfus, pro Landhulff, id est, terrarum salus seu regionis auxiliator.

Gangolfus, pro Ganghulff, prosperum auxilium, quòd procedat fœliciter: Et uerso uocabulo idem dicitur Hulffgang, quòd perperam dicitur Vuolffgang, quasi lupum procedere dixeris. Venit hoc uitium ex lingua Belgica, quæ adhuc hodie uocales ita torquet, Huolfgangus, cum Hulffgang uult dicere, quòd aures imperitæ accipiunt quasi Wolffgang, Wolff enim lupus est.

Arnulffus, pro Ehrnhulff, honoris auxilium: Qui iuuet & promoueat honesta & uirtutem, perpetuò enim Latini, a scribũt & pronunciant, ubi Germani, e seu diphthongum æ habent, & aspirationes omittunt.

Gandolfus, uidetur esse idem quod Gangolffus, uitiato g per d.

Vlfarus, id est, Hulffer seu Helffer, Saluator, Auxiliator, Alexius, Iosua, Iesus, Esdras, &c.

Minulfus, absq; dubio: Meum auxilium, seu salus mea, Myn enim Saxonicè, Meum significat. Inde Mynhulff.

Aistulphus, est Hasthulff, festinum auxilium, Hast Saxonicè festinum, acrem, ardentem significat.

Agilulffus, qui est uel Eilhulff, id est, citum, uelox auxilium: Idem ferè quod Hasthulff, Eil enim significat festinationem, celeritatem. Vel quod hodie extat in usu, Eitelhulff, uitiosè, Eitelwolff, quasi dicat, plenum & merum auxilium.

Wolfart, corruptissimum, pro Hulffrat est enim cõuersum nomẽ, Rathulff, quem Rodolfum uocant, ut suprà.

Adolphus, ualde deprauatum, Hatthulff dici debet: Sic Latini regem Longobard. Athulffum uocant, est autem Hatto seu Hætto, idem quod pater. Vnde adhuc hodie in Hassia, pueri appellant patres suos Hatto, a Italico seu e crasso & diphthongato: Ita Hatthulff est pater auxilians seu saluans: Et credo, Chattos, quos nunc Hessos uocamus, Prisco uocabulo, Hattos, id est, patres. Et Hattiam, patriam appellatam esse. Sic Episcopus ille Babenbergensis Hatto: Et alius Otto, quod idem est: Nam Otto sine dubio, per Latinos omissa aspiratione (sicut aliàs ferè semper faciunt) pro Hetto seu Hatto, deprauatum est: Ergo imperatores illi tres Ottones debent, Hatti appellari, Hatto post Hatto regnauit tertius Hatto:

Nec

Nec mirum est linguam ab imperitis deprauari: Nam nos uicissim, regnante barbarie, Latinam linguā egregiè corrupimus. Eadem ignorantia credo corruptum esse, ipsum capitale nomen nationis nostræ, scilicet Germania. Verisimile est enim Latinos historicos falsos esse in litera h, & eam pro g inspexisse & legisse, uel etiam auditu non satis discreuisse, cum fortis aspiratio h propinquæ sonet, literæ g. Igitur Hermanniam puto nostram nationem olim dictam. Sicut & ille præstātissimus Dux qui Augusti legiones cecidit, perperam Arminius ab Italis dicitur, cùm sit re uera *Herman*, adhuc hodie uulgatissimum nomen. Est autem *Herman*, uir exercitus, seu Dux belli *Heer* enim exercitus seu bellum est, unde dicitur *Heerfart*, id est, expeditio bellica. Inde Hermani, Hermannia, id est, Bellicosi, Bellicosa.

Idem uitium accidit nomini Segesto, qui socer fuit Hermanni, scilicet pro *Hengst*, corrupta litera h in s: Nam adhuc durat nomē cuiusdam ducis Angrinorum, apud Germanos, *Hertzog Hengst zů Engern*. *Hengst* autē significat Caballum uel equum bellicum, ut *Hengst* idem ferè sit, quod eques uel Philippus, pura uirum equestrem. Et episcopus Colonienſis adhuc hodie se nominat Ducem Angrinorum, *Hertzog zu Engern*, malè Angriuariorum scribunt Latini. Et Anglia quasi Angria dicitur ab istis Angris seu *Engern*, unde & Anglia adhuc magna ex parte Saxonicam linguam habet.

Et alijs cogitandum relinquo: Num & illud uocabulum Alemani, Alemanni sit corruptum pro *Adelman*, Adelmania, sicut ego suspicor. Dignum uocabulum quo agnominetur regio illa clarissima. Et erant certè olim Germani uerè & Adelmanni, hoc est, uerè nobiles, & ueræ nobilitatis uirtutisq; cultores, & Hermanni, quasi bellicosi & duces exercituum. In summa, erant Germani insignes artibus & togæ & belli.

OMNIA NOMINA HABENTIA BRENN VEL *Bryn sunt Germanica.* Vt,

Brenno uel Brynno, dux Gallorum, contra Romam: Et hodie frequentissimi usus Brenno seu uerius *Bryn*, y Pythagorico uel u Hollandico, inde *Brunswig*, seu *Brynswig*, id est, arx Brenni (ut loquuntur.)

Item *Brennburg*, quod hodie per omnes aulas profertur corruptè, *Brandenburg*. Nam ipsi ciues eius urbis in Marchia adhuc hodie appellant eam ciuitatem *Brennburg*, id est, castellum Brenni, non *Brandenburg*.

Est autem *Brynn* seu *Brenn* (ut antiqua carmina Heroum indicant) Galea, præsertim cristata seu cornuta: Ergo Brenno est Galeatius. Et *Brennburg* uel ducis Brenni castellum uel Brennorum ceu præsidium Galeatorum & armatorum ad tutandam regionē. Et scarabeus iste maiusculus, qui Galeatus rubris cornibus, & alis testaceis armatus, *Hußbrenner* dicitur, in nostra regione.

Hiltebrand pro *Heltbrenn*, id est, gygas & heros Brennorum, ceu caput & Dux eorum, hodie *Heubtman über den reisigen zeug*, *Helt* enim heroem, uelut Achillem uel Hectorem significat.

Luitprand rex Longobardiæ, pro *Lutbrenn*, id est, hominum Galeatus, qui homines armis tutatur, diximus enim *Luit*, *Lyt*, seu Sueuice *leute*, significare homines numero plurali.

Aißbrand rex Longobard pro *Hußbrenn*, id est, domus tutor seu qui armis domū & familiam tuetur, *Hus* seu *Hus* accentu circumflexo Saxonicè domū significat.

Fuchßbrand, id est, *Fußbrenn*, Pedester miles, tamen galeatus; Et uidetur dici relatiuè ad

tiuè ad Heltbrenn, quasi hic eques Galeatus, hodie Heuptman über dàs fußuolck uel Zweibel, ille pedes Galeatus sit, Fus enim circumflexè pedem significat: Vides ergo Brenn, bellicam & militarem uocem esse.

OMNIA NOMINA IN RICH *sunt Germanica.*

Friderich, Pacificus, Salomo, Irenæus, Cæsar, Viridorix, Epedorix, quòd per Longobardos iam Italicum factum est, siquidem & Itali, Ric uocant diuitem. Est autem Rick seu Rich (Sueuicè Reich) diues, sic dicitur flumen piscosum, Fischrich: Terra fertilis, Kornrich, Pecuniosus, Geldrich.

Arrigis rex Longobard, Ehrrich, hodie satis frequens nomen, id est, diues honoris, qui in magnis honoribus est.

Alaricus rex Longobard, quem nunc Olrich seu Vlrich dicimus. Sed uerius Allrich, id est, omnibus abundans, Pantoplusios, Huldrich est aliud nomen uel fictum potius de nouo.

Attalaricus rex, &c. pro Hattallrich, id est, pater per omnia diues.

Emerich, id est, Ymerrich: Semper diues, nunquam deficiens.

Himrich, hunc Iulius Cæsar uocat, Vercingetorix: sed scriptorum uitio confusis, transpositis & corruptis literis. Voluit enim Saxonicum illud, Hertoge Himric scribere, id est, dux Henricus, & postea scriptores mutarunt h in u, & transposuerunt toge, post hin & geto fecerunt. Sed uox hodie celeberrima satis conuincit codicum mendas, Saxonicè enim dicitur Hertoge Himric Sueuice, Hertzog Heinrich, Hertog seu Hertzog, est idem quod dux, ab Heer, id est, exercitu, & zog seu zihen, id est, ducere, seu proficisci in bellum. Significat autem Himric id quod intus seu domi diues, seu familiarum diues, multorum pater & gubernaror, uelut, si Abraham Ebraica emulatione uelis dicere, patrem multarum scilicet familiarum.

Dietrich, Græcè Theoderichus dicitur, a Deud seu dud, y Pythagorico uel u Hollandico, quo nomine dicũtur Germani, Deum nominasse: Et historici pertscribunt Teut, uerùm ipsa pronunciatio adhuc durans, restatur, Deud esse, seu dud, dicendum: Licet & ipse Cæsar semper t scribat, ubi d pronunciatũ audiuit ex ore Germanorũ, ut infrà dicetur. Ab hoc Deud, dicimur nos Germani Deudisch, id est, Deudici, sed Saxonia dialecto Dudisch, y Pythagorico seu u Belgico: Nam in talibus omnibus uocabulis, spectanda est Dialectos Saxonica, qua olim tota Germania est usa. Ita Germani à Deo suo nomen sumpserunt, quem Deud seu Dud appellauere, quemadmodum posteri eorum se Gottos dixerunt à Got, id est, Deo, quem Gut uocãt etiam hodie, illiipsi Goti, nempe Dani, Suedi, &c. Sed tota Germania, Got: nam Goti fuerunt Germani. Sed quia tam Got quàm Gut, accentu circumflexo pronunciatur, factum est ut eosdem & Gætas per diphtongon histo rici appellent, Gut uerò significat, Bonus, bonum.

Et apparet hoc nomen Dud manasse ex Ebræo, Dod, quòd significat auunculum, amicum, amorem. Ita antiqui & primi patres Germanorum, Deum uoluerunt nominare, Dod, amicum, amorem, auunculum, quemadmodum Israelitæ eum Baal, id est, herum, sponsum seu maritum uocabant. Sed nec ipsum Græcũ Theos longum dissonat à uoce Deud seu dudisch, si pronuntiaris, Teuds seu Teudsch, necq; dubium est, Deus Latinum, à Theos Græco uenire, siue uoluerint th per d Raphessare siue Daggessare. Nam alij t Raphessant per th alij per d ita est magnus symbolismus inter istas literas tenues, aspiratas & medias.

Inde nomen diminutiuum Dõdle, quem Itali Totila uocant: Sed Germanis usitatissimum

uſitatiſsimum Detzel, Ditzel, Dötzel, quia tz. mutant Itali in tt ut Haſsia, Hattia, Hatti, Heſsi, ſeu Chatti. Non eſt dubium, quin Rex Detzel uulgata lingua dictus ſit, ille Totila. nam Itali non ſcribunt Dezel: ſed Dottel ſeu Totila. Et ſicut ille dixit, facerè quidem, ſed uerè, Itali & Galli, aliter ſcribunt, quàm loquuntur: & aliter loquuntur quam ſentiant, ita hîc ore pronuntiant Dotzel, & tamen ſcribunt Totila, pronuntiant Etzel & ſcribunt Attila, pronunciant Atzio, & ſcribunt actio, pronunciant leſere, aſere, diſere, & ſcribunt legere, agere, dicere. Sed & Franci noſtri adhuc hodie uocant Dod, patrimum ſeu patrem ſpiritualem qui puerum è Baptiſmo ſuſceperit.

Hinc eſt ille Dydrich ſeu Dudrich diues in Deo, diuus, diuinus. Et Theios Græcè ſeu Euſebius, pius.

NOMINA IN VVICK ET ICH ſunt Germanica. Vt,

Vitigis rex Longobard. Sed rectè Wittich, hunc Cæſar, Diuitiacum uocat, Witte autem Saxonicè eſt prudentia ſeu peritia. Inde Wittich prudens, peritus, cordatus.

Heddeuuigis regina, Rectius Hettouuig patris refugium, Wick enim Saxonibus refugium ſignificat. Inde Brynſwig ſeu Brunſwig, ut ſupra: Ita Oſwig, Coſwig, Herduuig. Lodouicus, ſed malè, Lydeuuig Saxonicè ſeu Leuteuuig Sueuicè, id eſt, populi ſeu hominum refugium & ſolatium. Hunc Cæſar, Lytauicum appellat, uolens Saxonicum imitari, & a Italicum pro e craſſo. Et y pro u Hollandico, uſurpauit. Hunc Galli craſsiſsimè nominant, Clodouæum inflata per guttur litera l, & wick in ueus mutato.

ÔMNIA NOMINA IN VVALT ſunt Germanica. Vt,

Oſuualt, rectius Huſuualt, gubernator domus, præfectus, œconomus, qui nunc in Aula uocatur Hofemeiſter, walt enim ſignificat potestatem magiſtratum uel gubernandi facultatem. Inde uox auſpicantium aliquid, Des walt Gott, Deus gubernet hoc.

Eheuualt, ſyncopatum Ebald. Sed dicendum Hegeuuald, qui poteſtatem uel officium cuſtodiendi & ſeruandi habet, Hegen enim ſignificat, cuſtodire. Inde nomẽ Heger, quem nunc Hoyer uitioſè dicunt, id eſt, Seruator, Cuſtos, Seruatius Latinè, in aula, Kemerer, Rentmeiſter. Sic agrum, pratum, lignetum, ſepibus circumſcriptũ, uocatur, gehegt, ſcilicet quòd ab uſu publico ſeparatum, cuſtoditum eſt. Et conſiſtorium, Tribunal ſeu ſacer circulus (ut Homerus loquitur) uocatur Gehegtebanck, gehegt, gericht, &c.

Sebald, Sebaldus: Hoc eſt Seeuualt, accentu circumflexo in prima eſt relatiuè cõtrarium, Hegualt. Vt Seeuualt ſit ille œconomus, qui foras exportat, ſeminat, plantat, arat, colit, terram, rus, hortum & alia. Heguualt, qui collecta, demeſſa, decerpta recipiat, domum uehat, condat ac cuſtodiat, illum agricolam (Græcè Georgiũ) hunc promum dixeris.

Wilibald, Bilibald, rectius Vileuualt, id eſt, multis præfectus, multa gubernãs, quaſi ſupremus uel maior gubernator, ſuper cæteros, Veel, enim accentu circumflexo Saxonicè multum ſignificat. Aut à bonitate, Woluualt, bene gubernans uelut

ominis boni gratia (ut plurimum solent Germani) sic uocatus.

Tipold, Theobaldus, sed *Dituualt* (per ꝺ Græcum) *Dit* (ut suprà) Dominum, possessionem significat *Dietuualt* præfectus Dominij, uel *Deuduualt*, *duduualt* Dei potestas, ut supra in *Dietrich*.

Grymoaldus, rex Longobard, *Grimuualt* iræ potestas. Videtur fuisse antiquis, nomen iudiciariæ potestatis, quæ exerceat iram in facinorosos, sicut nunc est iudex, qui tradit tortori puniendum. Nam quòd hodie *Richten*, *Richter* dicitur, nouum esse apparet, cum *Richten* propriè in bonum, non in pœnam sonet, uelut impedita & perplexa expedire & explicare. Estq; operatio propria intellectus, inde *recht*, *richtig*, sicut lineam rectam, uiam rectam, contra curuam, perplexam dicimus, *Richten* igitur rectificare est. Inde *Berichten* dicimus, hominem docere, informare, instruere, ex errore ducere. *Lieber berichte mich des*, &c. Est igitur *Grymuualt* iræ potestas. Et Itali uu in o mutant sono uerborum capti.

Adoaldus rex Longobard, ab Otto seu Hatto, *Hettuualt*, patris potestas, uice patris, tutor, patronus. Et hodie caulidicis, in usu reliquum est, *Anuualt* patronus, quòd an corruptè n pro tt scriptum & lectum sit, ut *Anuualt* pro *Hattuualt* nunc dicant, non satis scio.

Rodoaldus rex Longobard: Hocuel à *Rat* (sicut suprà Rodolphus) *Ratuualt* consilij potestas, consulendi potestas, consul, uel à *Retten*, id est, saluare, liberare. *Rottuualt*, redemptor, liberator, ereptor: Sicut alius rex Longobard, Rotharis dicitur, qui absq; dubio est *Retter*, id est, liberator, saluator est.

Garibaldus *Geruualt*, *Garuualt*, hodie *Volmacht*.

OMNIA NOMINA IN VVIN
sunt Germanica.

Volckuuin, *Volggeuuin*, Victor populorum. Nicolaus, Nicodemus.

Balduuin, Balduvuinus, citò uincens Esaiæ 8. Citò prædare.

Albuinus, Alguinus, Alcuvuinus, Alboinus, *Alleuuin*, *Allgeuuin*, omnia uincens, rex Longobard.

Anboinus si Italico more n pro l scriptum est, idem quod Alboinus est, illi enim scribunt Bononia. cum dicunt Bolonga alioqui erit *Handuuin*, id est, uictrix manus & inuicta bello dextera.

Gosuuin uidetur esse *Husuuin*, uictor domorum, uitiata litera h per g ut frequentissimè fit. Sed melius, Iosquin, quod nomen insignis musicus in Belgico celebre fecit. Est autem Iosquin diminutiuum à Iost seu iusto: Sic enim illi loquuntur blandiendo pueris, *Iustkin*, id est, iustulus, Iustinulus. Nam quod *Iobst* quidam dicunt, est crassities superioris Germaniæ, qui etiam *Sanct Ios* uocant idolum & figmentum illud Anglicanum.

OMNIA NOMINA IN OLD
sunt Germanica.

Arnoldus, Germanicè *Ernhold*, honestus, amans honestatis & uirtutis. Sic hodie Cæsaris caduceator uocatur *Herold*, id est, *Ernhold*, qui uirtutem & honestatem quærat & seruet.

Leupold, hoc propriè debet dici, *Liebhold*, nomine compositò sicut *Rathulff*, &c. Quasi dicas, *Lieb vnd hold*, amabilis & dilectus, Erasmus, amandus, *Lieb* enim est amatus,

amatus uel amabilis. *Huld* est gratia qua diligo, inde dicitur *Holderbule*, id est, chara sponsa uel amica, *Er ist mir nicht hold*, id est, non diligit me.

Diepolt, hunc alij faciunt Theobaldum alij Hypolytum: Sed Theobaldus, nihil ualet, in ulla lingua. Estq; certò figmentum, si Hypolytus est, potest h in d mutatum esse, & tum non est Germanicum, sed Græcum, qualia ualde multa sunt in Germania. Ego puto idem esse quod *Liebhold*, & Labdakismo aliquo uitiatum nomen, quia omnes qui laborant Labdakismo, pronunciant in syllabæ initio d & penè n quoq; cum tamen l in fine syllabæ rectè pronuncient, sicut accidit & in litera r, ut syllabam ab r incipere non possint & tamen bene possunt, finale r dicere.

OMNIA NOMINA IN MAN MVND, *sunt Germanica.*

Heerman, de quo suprà, quem Itali Ariminium corruptè dicunt, scilicet dux exercitus, uel bellator.

Hartman uir fortis, Andreas, *Hart* enim durum, fortem, inuictum significat passiuè qui non cedit, sed perdurat.

Est autem *Man* componibile nomen tam frequens in Germanica lingua, quàm est ullum in Græca & Latina. Sic dicunt, *Hausman*, *Eheman*, *dorffman*, *schuuerdman*. Et ferè quoties uerbale nomen deest, componitur *man* cum uerbo. Vt,

Siegman (quem Sigismundum dicunt longè corruptissimè) quasi dicas Victor, seu uir uincens, Victorinus, *sieg* enim uictoria est, *Siegen* uincere significat.

Bohemundum, *Vuogeman*, id est, audax, audentius, qui rem fortiter audet aggredi. Nam uitium scriptorum in Bohe certum est, cum *Vuoge* audierint.

Raymundus eisdem uitijs dicitur pro *Rygeman* seu *Rugeman*, id est, quietus, tranquillus, uir quietus, Ebraicè Naoh, sicut Numa Pomp. Salomo, sine bellis, &c.

OMNIA NOMINA IN VVERD *sunt Germanica.*

Albrecht certum est, *Adeluuerd* compositione appositiua, quasi *Eddel vnd werd*, pretiosum & charum, sicut gemmas uocamus *Eddelstein*, id est, pretiosos lapides, *Vuerd*, est charum & pretiosum. Et uidetur ista geminata eiusdem significationis compositio, emphasim habere. *Albrecht*, *Alpreht*, uitia sunt.

Hildebertus, *Heltuuerd*, id est, heros, charus & pretiosus seu rarus, uel *hold vnd werd*, Holduuerdus, *Holdselig* hodie.

Digobertus, *Tügeuuerd*, *Tügen* est in pretio esse, ualere aliquid, utilem esse, inde *Tugent*, uirtus, ualor, factum honestum: Sic dicitur, *Er thet mir alle tugent vnd ehre*, id est, exhibuit mihi omnem uirtutem & officium.

Fulbertus, hic est *Vuoluuerd*, Voluuerdus, eadem emphatica compositione, digne dignus, chare charus.

Aripertus, rex Longobard, id est, *Ehreuuerd*: honoratus & charus, honore dignus, Honorius.

Liebenuuerd, id est, *Lieb vnd werd*, sicut *liebhold*, *Rathulff*, *Hatthulff* compositione Germanica.

Werd, id est, charum: Inde ciuitatum nomina *Dunauuerd*, & *werd*.

Et in fœmininо *Vuoluuerd*, *Vualprecht*, *Vualpurg*, uitiosissimè, Eucharia, gratiosa, uenus, uenusta.

Gunibertus nomen deprauatum, sed optimi ominis: Est enim *Küneuuerd*, id est, audax seu fortis & simul charus, qui foris sit fortis, domi charus. Et qui bello & pace floreat. Et componitur ex *kün* circumflexo & u, Belgico *vnd werd*, fortis & charus.

Humbertus, id est, *Vnuuerd*, non charus: Extat familia nobilis hoc nomine, & uidetur humilitatis uirtute hoc nomen esse quæsitum, quasi diceret: Noli curare sublimia, præstat humili loco contemptum esse quàm tragica gloria charum fieri uelle. Et fortè idem est Kunibertus mutatis inuicem k. g. h. Belgico more.

Sigisbertus, hoc est *Sieguuerd*, id est, uictor esto & charus simul: Nam uictoria insolentes facit, sed clementia uictoris facit Sigvuerdum.

Symprecht, Symphorianus, a h quàm prolixis & liberis deprauationibus, cum idem sit quod *Siegebert* m, pro g posito.

Lampertus, id est, *Lange vnd werd*, quod est, diu charus, quia beneficia citò obliuioni traduntur. Et rarus, uel nullus potius inuenitur Langevuerdus seu diu gratus.

Robertus, *Ruprecht* utrunq; uitiosè, sed *Ratuuerd*, dici debèt, ut qui *Rat vnd werd* sit, qui consilio ualeat & charus sit. Sicut *Tugenuerd* facto ualet & charus est: Quia raro chari manent boni consiliarij, id est, uerè Ratvuerdi.

OMNIA NOMINA IN RAT *sunt Germanica.*

Rát, per t est æquiuocum, primo singularis tantum numerus significat consilium, non enim pluraliter dicitur, *die Räte* consilia. Inde *Rathus*, *Ratherrn*, Curia, Senatores, Senaculum. Secundò significat ipsos consiliarios, inde pluraliter, *die Räte*, a Italico seu ediphthongato. Tertiò, successum, fortunam, addita syllaba g. Hinc *geraten*, *vngeraten*, *wolgeraten*, sed claret hoc esse deriuatiuum à *Rat*. Est & nomen *Rad* per d plurale *Rader*, id est, rota rotæ, sed hoc nihil ad propositum, sic igitur dicitur.

Gebhard, rectius *Gebrat* e puro qui potens est dare consilium, dator consilij.

Volrat, *Vuolrat*, bene consulens, bona consilia habens, Eubulus. Qui autem uolet, potest dicere, *Vuolrat*, id est, *Vuolgerat*, fortunatus, fœlix, prosper, sed non placet.

Conrat, *Künrat*, accentu acuto in priore syllaba & u Belgico, Valens consilio, sciens consilium, prudens, prudentius. Hic per syncopen dicitur, *Kurt*, *Kuntz Küntzlin*, *Kuntzel*: In quibus indicat litera u esse dicendum *Kunrat*, per u non per o. *Kunnen* est scire seu scientia ualere.

Burckardus, *Burgrat*, consul arcis, ciuitatis, ciuitates enim *Burg* dictæ sunt. Et ciues, Burgenses, & adhuc hodie *Burger*.

Eberhard, rectius *Ober Rat* supremus consul proconsul.

Ricardus, *Ricardis*, *Reichrat*, *Ricrat* uel à diuitijs quasi diues consul, uel uerius, *Rekrat*, consul inter Gygantes, inobiles, heroes. *Recke* enim significat proceros, magnos, heroicos, fortes uiros, gygantes, hunc hodie uidentur appellare *Kriegsrat*.

Oldradus, hoc per se patet, esse *Altrat*, seu Saxonicè *Oltrat*, Senior Senator uel Senatus:

Senatus: Et dicitur fortè, cõtra iuueniles Senatores, qui imperitia & ſtultitia ſua euertunt reſpublica. Alioqui hodie dicuntur *Altrat*, *Neuurat*, qui per annuas uices ſuccedunt in magiſtratu.

Eckhardus, *Eckart*, ſed mea imaginatione *Hegerat*, ab *Hegen*, ut ſupra: Seruans, cuſtodiens prudenter & conſultè, & ille Odoacer ab Italis dictus, *Hettheger* eſt. Quia ott ſeu od, ut diximus eſt, Hatto Hetto, ſic *Hettheger* eſt pater cuſtodiens, ſeruans, tuens, hinc *Eck*, & *wolffs Eck*, rectius *Hege*, Hegio, *Hulffshege*, cuſtodia ſalutis, ſalus cuſtodię. Vel ſi à fortuna *Rat* dici uoles, erit *Hege Rat*, ſeruans parta, quia *Rat* & *vnrat* Germanicè dicitur, quando res bene & malè curantur, quaſi per hoc bene uel malè rei familiari conſulatur, ſed prior Etymologia melior eſt.

Marquardus, craſſe nimis, pro *Margrat* ſeu *Markrat*, conſul prouinciæ, *March* ſignificat limites, ergo certæ regioni limitibus ſuis deputatæ, hic Margratus præeſt.

NOMINA IN HART SVNT *Germanica.*

Vt *Hart* ſignificat robur, *feſt*, *ſtarck*.

1 *Volckhart* robur, columen, ſuſtentator populi, Demoſthenes.

2 *Leenhart* robur Leoninum, uiriliter agens & impauide: ſic dictus eſt Leo dux Hinricus Brunſuuicenſis, &c.

3 *Bernhart*, robur Vrſi.

4 *Ehrhart*, robur honoris ſeu honeſtum robur, qui uiriliter honeſta tuetur.

5 *Degenhart*, robur uirtutis, ſcilicet qui conſtans & firmus eſt in uirtute, nec flectitur nec corrumpitur. *Degen* enim eſt à *Dügen*, ualere, ualidum eſſe, ut Saxonicè dicitur: *Er thet my alle ehre vnd Dügent*, id eſt, omni genere uirtutis & officiorum me affecit. Inde n *Dügent* y Græco (*tugent* aliàs) uirtutes: Et eſt illud *οἰκοῦν*, quòd Cicero officium uocat Latinè.

Reinhart fortè *Rugenhart*, pacis robur, uel *Regenhart*.

Gotthart, robur Dei, Gabriel: Niſi hoc uelis ab *Art* ducere, quòd eſt, ingenium ſeu natura. Vt *Gotthart* ſit *Gutart*, bono ingenio, *Güter natur*, *from*, Agathais, Agatha. Sicut & *Reinart* poſsit dici, puro & pudico ingenio, Catharus, *Catherin*.

Hort ſubſtantiuè dicitur ab *hart* adiectiuo, firmitas. Sic Deum appellamus, *vnſer Hort*, ubi Ebræus Petram eum uocant. Inde *Hortig*, bonæ ualetudinis & firmæ, ſanus, uegetus.

RELIQVA QVAEDAM.

Tottila ſupra dictum eſt eſſe *Dotzel* ſiue *Dotzel*, a uoce *Dod*, per diphthongon, œ Sic enim Franci dicunt, *Mein doed*, *Dod* autem uel *Deud*, eſt nomen Dei, ut ſupra. Ergo Tottila eſt *Dodle Dotzel*, quaſi paruus Deus, uel deunculus *Gottlin*, mutata tt in duplex ſſ uel z ſeu Ebraicum, Thau, debent enim eſſe *Gottlin*, ſeu minores diſ ſub Deo uerò. Hiſtorici hunc uocant Taxillo uel Taſsillo, ſatis craſſo gutture.

Idem factum eſt nomini Attila, quòd Hettila ſeu *Hottle* potius dici debet, & per Thau fit *Hotzle Hotzel*. Eſt enim diminutiuum ab Hatto uel Hetto & *Hota*, qui amiſſa aſpiratione Otto. Et hinc *ottle* dicuntur, ſatis in uſu adhuc hodie: Vnde & urbs regia in Hungaria, Buda ſeu *Ouen*, Germanicè dicitur *Hetzelſburg*, ax Attile ſeu Hettile, quia Hettila rex Hunorum ibi regnauit, eſt autem Hattela, patercu lus, paruus pater, Germanicè, *Veterlin*.

Carolus seu Karolus, haud dubiè est illud Saxonicum *Kerle*, per e diphthon: quam illi semper faciunt a Italicum. Est autem *Kerle*, uir proceræ staturæ & grandis corporis, qualem fuisse Carolum primum scribunt.

Alphosus Alfonsus, ualde prope est, si nõ ipsum est, *Helfund*, adiutorium nostrum. Quia Itali (ut dixi) aspirationes omittunt & a ex e faciunt.

Arioniſtus (sic Cæsar) alij peius Ariouistus per u, est *Ehrnuest*, & per syncopen, *Ernst*, *Ehrnuest* autem hodie est titulus Nobilitatis, præsertim equitum auratorum, quòd sint honestatis tenaces, & esse debeant, id enim sonat ea uox.

Marobodus, sic Latini, sed Germani *Mehrer Vod*, per syncopen *Mehrnod*, circumflexo accentu, licet crasse linguæ Germaniæ superioris deprauãt, in *Vogt*. Est autem *Mehrer* maior, unde adhuc S. Iacobum maiorem appellant *S. Iacob den mehrern*. Et Morauiam nos *Mehrern* dicimus hodie, sortitam scilicet hoc nomen ab ipso Marobodo, id est, *Mehrernod*, *Vod* uerò uenit a *Voden* quod est fouere, alere, enutrire sicut parentes alunt liberos, & animalia suos fœtus. Igitur Marobodus est, *der Mehrernod*, id est, Alumnus maior, superior, eminentior, qui reliquis Vodis inferioribus præest. Sic enim principes debent Vodi, Hetti, *Dodi*, *Hettlin*, *Dotzlin*, alumni, patres, pastores, dij populorum esse. Hinc & alia regio dicitur *Vodland*, nunc corruptè *Voitland* seu *Vogtland*. Quia ea fuerit fortè prouincia, per unum Vodum administranda.

Extat & nomen proprium, Bodo: quod est ipsum Vod, fotor, pastor, alumnus. Bote non rectè dicitur, quia hoc significat nuntium.

Marschalcus, nullum nomen fœdius est corruptum per Italos uel scriptorculos. Est enim etiam id quod *Mehrer* seu maior, & *Stalherr*, qui est magister equitum ab equitatibus gubernãdis. Et dicendum ac scribendum fuit, *Mehrstalherr*, id est, maior, superior, summus magister equitum, qui est hodie titulus Ducis electoris Saxoniæ, ac si non fuisset uox ea corrupta, non esset opus nunc addere Archi, *Ertzmarschalck*, sed *Mehrstalherr*, dedisset id, quod *Ertz* uel archi, cũ significet summum Magistrum equitum.

Lotharius, Cæsar hunc Lutherium seu Lutherum uocat, est *Ludher*, frequens adhuc hodie nomen in Germania, præsertim Saxonia, significat autem herum seu Dominatorem hominum, *Lũde* enim (ut dixi) Saxonicè homines significat, *Her*, herum seu Dominum. Sed Cæsar, ut supra dixi, d in t solet mutare, fortè propter sequentes aspirationes uel alias causas. Quare & hic est u Hollandicũ seu y Pythagoricum. Deinde th est d tenue & molle, deniq; Saxones usque in hanc diem uocant Lotharium, optimum illum Imperatorem *Keyser Lydher* seu *Lüdher*. Quod si Sueuus audiret pronuntiari, faceret *Lidher* ex ipso. Nam ipsi ex y Græco libenter faciunt i Latinum. Cæsar autem uolens per aspiratam reddere propriè Ludherum, occasio fuit, ut postea Lotharium facerent crassilingues. Et hodie faciunt *Lutter*, *Lotter*, & similia. Hinc Lotharingia *Ludheringen*, id est, Ludheri mansio, a nepote Caroli magni, ab historicis Lothario dicto. Nunc dicunt *Lotringen* crassissimè.

Amalasuitta, *Himelsuuitte*: Sapientia cœlestis, a *Vuitte* seu *witze* & cœlo, quasi diuinitùs erudita, Vrania, Diana, Theodidacta: Vel si ab albedine cœli ducas, erit Serena. nam *Vitte* est etiam Albedo, candor.

Rosemunda, *Rosemund*, os roseum, hoc non habet dubium. Theudelina, Dudelina, a *Deud*, *Dud*, *Dod*, scilicet paruula dea, sicut Totila seu *Dodle*, paruus Deus, ut supra in *Dietrich* dictum est. Igitur diminutiuum Theudelina, *Dudelin* seu Dydelina. *Dedelina*, *Dietzeline* est Eusebiola, piuscula, diuula, diuinula.

Fastrada uxor Caroli Magni, est *Bestrat*, optimũ consiliũ, Aristobula Græcè.

Francus,

Francus, Franciſcus, Liber Liberius, Eleutheros, per ſyncopen ſeu ſynalephen, a *fry* & *Anck*, quaſi *Fryanck*, *fry* Saxonicè, *frei* diphthongo Sueuica, eſt Liber adiectiuè, *Ancke* eſt adoleſcens, iuuenis, nomen hodie gentile multis familijs: Et *Enckel Enckle* diminutiuè dicitur adhuc iuuenis arator, ſeu aratrum gubernans, ut appareat Francos fuiſſe, pubem ſeu iuuentutem, quæ ſe fortè ſeruili bello per ſeditionem in libertatem aſſeruerit, *Die freien knaben, freien geſellen, die freien bawren.*

Franciſcus, Græca imitatione diminutiuum eſt, *frenckel, frencklin, frenckle, frentzle*, Germanicè, *das freibůblin, freikneblin.* Et Galli adhuc Vrancum arbitrium, *freienwillen*, Liberum arbitrium dicunt.

Hiſtoriarum Germaniæ antiquæ FINIS.

1486529

BASILEÆ, EX OFFICINA
HENRICPETRINA.